
10 · 1 · 9

Digitized by Google

DOCTRINA DOGMATICA
DE
SACRAMENTIS
Juxta Mentem Angelici Doctoris
D. THOMÆ AQUINATIS.
A Summo Sacerdote Chriſto ſanctificata, ab Eccleſia Catholica, omnium Eccleſiarum Matre, ac Magiſtra illuſtrata, à Patribus promulgata, ab Hæreticis nondùm oppugnata, ac pro omnium utilitate fidelium exarrata.

AUCTORE FRATRE
RAPHAELE JACOBATIO VENETO
Ordinis Prædicatorum inter Sacræ Theologiæ Magiſtros Minimo
In Sanctorum Joannis, & Pauli Conventu.

AD ILLUSTRISS. & REVERENDISS. D.D.
PETRUM BARBADICUM
VENETIARUM PATRIARCHAM, DALMATIÆQUE PRIMATEM, &c.
Mæcenatem humaniſſimum.



VENETIIS M. DCCXI.
Typis Antonii Zatta.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS.
Domine, ac Patrone,

ACaliginoſæ conis noctis luces obtenebratas eſſe, aut unà cum Nittimene lumina ab umbris terræ ſæpultis cæca monſtrare fas eſſet, niſi merita tàm tua, quàm Nobilimæ, Familiæ tuæ, Præſul Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime intuerentur. At qui de Te, ipſaque fatur, ob tantarum multiplicitatem virtutum initium-laudum capit limitando. Silentium inconfuſum ſolùmmodo ſtat pro perorando facultas, & inde primum encomium invidiæ unicum vivit objectum, quod tantùm ſubjecto dignum, meritum principaliter laudibus proſequitur. Qualis itaque ſit ſtupor? ſi

Digitized by Google

dotes incomparabiles, perlucidam reddentes in Tuis hæreditatem, in Te Teipſum, ipſæ omnes animum adimpleant tuum! eædemque augeant exemplis, uti Nili unda, quæ quamvis ſuis ab uberibus migret, in ipſo quoque curſu fæcundet, ac clarificet? Meo itaque elaboranti ſtudio conveniens eſſe putavi, ſtatim ac vitam attingit hoc Opus Aquinati lumini omogeneum, in tua totum ponere clementia, tuum pariter Patriarchale thronum tuæ Prudentiæ, Sapientiæ veſtigiis digniſſimè preſſum, humiliter advolare.

Sors, Fortuna neque Te, tunc pro nunc in ipſo, per ipſum elegit, ac pro Tui veneratione ſublimavit, quoniam tale Cœli juſſum, ut Veneta ſimul ac admiratione Univerſum Te, uti Antiſtitem permeritum, honoribus proſequi debeat, ac valeat; conſequenter æque affari unuſquiſque queat, Naturam prius Te peperiſſe Virum ad Venetorum Imperium, Virtutem inde ad pietatem erudiſſe, Fortunam verò ad Solium formaſſe, dignitatem PrimiCærei, tamquàm in hoc ſolùm primi lampadis ad Patriarchatum inſtruxiſſe.

Revera hæc mea fidelis atteſtatio hyperbolica eſſe nequit, cum mihi libeat in tuorum tumulis, tantorum Nobilimorum, Sapientiſſimorum Virorum Cineres venerandas immiſcere, quos Vita uti immortales admirata eſt, mors uti vivos honorificavit, Memoria uti in operatione duraturos veneratur. Vos ergo Tergeſtinorum Stirpes, Vos Gubernatorum, Dominorumve veſtrorum tàm Illuſtrium, tunc veſtram, nunc noſtram BARBADICORUM Propaginem; Vos retegite? at quid Tergeſtina monumenta? Vos Veneta priſci facta temporis iſtam figite æternitati; Vos veſtram ferte ſententiam, ſi hanc profitendo Sobolem, Vos ipſa ab iſtis glorias ſugitis? En veritatis hujus nitor: Nonne Procuratoriæ Togæ ab AUGUSTINO, FRANCISCO, HIERONYMO quoque in honore habere ſeipſas auxerunt? Infulæ pariter à PETRO Curſolæ Antiſtite peræquo, à JOANNE FRANCISCO Veronæ Præſide, illius Diœceſis perſolido Numine, à MARCO ANTONIO totius Corciræ Archiepiſcopo meritiſſimo, & à HIERONYMO D. Marci PrimoCæreo Mitræ Patritii omnes condecorati fuere, à quibus omnibus uti fontibus puris, (illi populi vectigales illi ſimul, ac juſtè ſapiunt) vera, pia, admirabilis [illegible] poſteris verò optabilis effluxit educatio? Quid de GREGORIO fatetur ratio? qui à Roma debitò Sacra indutus Purpura, ipſe Sacri Imperii locus ſuam adimplevit ſortem, dùm tàm ab eorum labiis, quàm ipſorum cordie ſalutare nectar hauſit, Mundo quoque Catholico doctrinale porrexit [illegible] cujus fælicem tranſitum ipſe peretiam in luctu jacet, dies, noctesque flectibus jungit? Tu ò Reſpublica meritiſsimè te condecoras, dùm tuis gloriis perennibus, omnibuſque ſublimiſſimis honoribus MARCUM, AUGUSTINUM vè Fratres tuo Ducali Diademate ambiſti, ambos Tui Principes, ambo poſtremæ æternæ fælicitatis tui Sereniſſimi Dominii aſtra gemina, à quibus publicis Accademiis invidioſum, ſed verum traditum fuit Problema, hoc eſt; an eorum capite comptum remanſerit Sertum, vel eorum crines tua fulſerint corona? at jam Tu iſtam in BARBADICORUM favorem contro verſam adjeciſti, quando necdum ob eorum obitum in flectibus

ſiſtis

ſiſtis; nam ſub eorum Principatu tua perfloruit gloria, Imperium tuum ſuos protraxit terminos, neque unquam Mare ſic vaſtos Dominii tui menſum fuit limites. Tu neque tot, ac tantas regiſti Civitates, Oppidis, tantiſque Provinciis, & Regnis Tuo fæliciſſimo Throno demiſſis, ac ſubditis liberè juſſiſti, niſi regnantibus illis. A temetipſa hoc dicis, egomet in obſequium non inficior.

Silentio forſan dignæ vivunt Helenæ illæ Sereniſſimi una tui NICOLAI MARCELLO Conjux, Sereniſs. quoque altera tui ANTONII PRIOLI, quæ ſi tantis ſociebantur Principibus, tali pariter Principatus honori meritò comparabantur. Illæ jam Helenæ Trojani excidii cauſæ iſtæ adverſantur; ea prima pro ſui pravitate in opprobrium memoratur, hæ verò ſecundæ noſtræ pro earum bonitate, ſapientia, conſiliis in encomium immortalitate fruuntur æterna.

De innumerabili tantorum Senatorum numero, Præſul meritiſſime, multorum illuſtrium præ Reipublicæ, Fideique defenſu belligerum pereloqui poſſem; hìc attamen meum non eſt debitum; calamorum enim vires laxarentur fortiores, ingenia etiam fertilia infrugiferentur; ſi ipſorum exiſtimationes ſolùm partirentur: verùm etenim ſtat; abyſſus abyſſum invocat: brevìter ergo perorando me expediam, illos tàm Chriſtianæ Politicæ doctrina, quàm moralitatis Catholicæ ſtudio non figuram, figuratum verò obtinuiſſe, ac emanſiſſe: quantumvis Seneca ſuis in floribus fatus; *Nulli ad aliena reſpicienti ſua placent*: nullatenus ò mirum? Tui, Tu, ſuam, tuamque inſignem, quia perhumilem modeſtiam, ſicut ſemper libitam, pariter illi incubuere, non depuliſti. Vos igitur, vos tanti Mæcenatis, tantorum BARBADICORUM, glorias patefacite. *Conticuere*, verum eſt, *omnes*, *intentique ora tenebant*; Dùm Æneas uti Virgiliana Muſa canit, *infandum Reginæ Jubenti renovabat Trojæ dolorem*, ſilère illi, Pater tamen ille orſus, ii, ac iſte reticeant: & Vos Venetorum ſcripta Heroum, Vos ſilentia rumpite, immò vacuas juſtis adimplete ſermonibus aures, ac auras; & cum Seneca confitemini; *Unum eſſe inexpugnabile monimentum amorem Civium*. At cur meum eſt Studium, Cinerum cineribus quietem auferre? Sepulchrorum ſepulchris taciturnitatem impellere, Hiſtoriarum hiſtoriis memoriam mendicare? ut merita denuò BARBADICORUM reviviſcantur, ac eorumdem gloria revivificetur? quantumvis multorum ſit uſus, aut devotionis commendantis debitum, aut mos appareat mihi defectus laudandæ materiæ deficientia videtur; perſonam namque virtuales qualitates poſſidentem pro ſui decore, inane eſt, à ſepulchris, paginis illam quæritare, ac ſi exeant, ad inſtar cadavera ſapiunt. Moralis ideò bene fatus; quin potius quæro aliquod uſu bonum, quod ſentiam, non quod oſtendam. Mea itaque erit ſolicitudo, ne Procuratoriæ BARBADICORUM videantur Stolæ, ipſorum ne amplius erubeant Purpuræ, ne eorumdem Principum venerentur diademata HIERONYMI Genitoris tui præclariſſimi, Senatoriſque integerrimi, ne reminiſcatur præſtantia, AUGUSTINI quoque Patrui ne vivens admiretur bonitas, JOANNIS neque Fratris tui in Senatorum munificentia adorati

 ſumma

ſumma computetur integritas , ut Tu ſolus , ſolùm Tu , tua condigna emicet gloria , (præ Te ſiquidem ipſius honoris pretium , ſive quid ipſe ſit, oſtenditur .) Dùm à tota Reipublicæ affectione Tibi digniſſimè traditum, Senatuſq; amore fundamentaliter tibi delatum, meritò talem Sacram conſecutus es dignitatem . Tu verò tuæ illud vitæ genus præterriens , hoc Dei inſtinctu amplexus es , quo Eccleſiæ bono provideres , rectæ populorum ſaluti proſpiceres . Una , ac eadem , qua te oſtentabant , vox erat hominum cujuſvè ætatis , & ordinis : advolitabant omnes, Cani procurrebant , ipſi quoque morbo laborantes, Urbem , rivos , plateas circumcurſabant , quem Deus animarum paſtorem dediſſet, miraturi, at quid mirum , quid ſtupefactum ? Si omne , quod Te , Illuſtriſſime , Reverendiſſime Præſul ineſt , moderationem ſapit, rerum omnium, virtutum cunctarum continentiam amplectitur ? Tamquam tonitrua murmurant , tamquam fulgura impatienter coruſcant Divi Marci Baſilicæ, quando Deus tuam in PrimiCærei decore exaltando humilitatem, Te volente , tuam juventutem tradidit maturitati, adeò ut tunc eras, nunc es, ſemper eris ſplendor, decus , ornamentum ? Quid in tanta Patriarchatus dignitate ? Quid in tali Dalmatiæ primatu ? Quid in iſtis , quas nobilimè peſſundas ? Si tantùm in illis , qnantumvis minimis fulgentibus honoribus, quos protrivisti ? O quàm rectè, quàm juſtè perorarent Parochiæ , tui faterentur Sacerdotes ; quid Parochiæ, quid Sacerdotes ? Reſpublica ipſa unanimiter teſtatur, quoties vidit, ac videt Te humili in turba verſantem diebus Sacris pietate invincibili, patiencia incomparabili divinas unà canere Laudes, ad bonum hortare , incitare , impellere magis, quàm verbo , exemplis , largitionibus , ut jam non levandi laboris , ſed augendi gratia fulgur Paracleti eſſe videreris , ac videris, quoties Sacramentum Euchariſticum deferentibus ad ægrotos comitem Te ſingulari religione addidiſti , quoties Sacram illis morbo laborantibus , ac è vita migrantibus benedictionem largitus es , & largiris , vicem Apoſtolorum venerandam geris ; quoties ehem vanum ſingulatim eſt proferre , quod ſummè arduum turmatim eſt tantummodo cogitare : omnes namque Te inſident virtutes, dùm Prudentia , Juſtitia , Temperantia, Humilitas , quæ quidem virtutis moralis ſunt ſpecies , cunctæ pro Te nitere gloriantur; quin igitur ; quod jam Cicero de Scipionis Familia, ego, haud ego? nos omnes nunc de BARBADICA exclamamus ; ò ſtirpem generoſam , ò nobilitatis monimentum ? ò virtutum gremium ? Tale ergo Tui in Te admiratione Seneca ſolùm de Te , cum ſcripſit , teſtaretur ſcripſiſſe , *quid pulchrius eſt, quàm vivere optantibus cunctis?* Dùm meus vertitur animus , hinc, inde , undique , ubique, quæ de Te dictura proſpiciens , procellans in tot probitatum procellis ſe demerſurum pavet, ipſe ideò cum Apoſtolo Petro exclamabit ; *oDmine ſalva me , pereo*: At vim patitur, ne immergatur, ut in operibus inimitabilem , in charitate incomparabilem, in exemplo deſiderabilem Te reſpiciat : nam quando alterutrum virtutes in Vitæ limine, ſudoribus , laboribuſque perfectionis initium vix attigerint , aut attingentes deſierint , Tu ſolus conficiendi gratia incepiſti ; ut Purpuratum honore

nore primùm Te proſequi valeamus; inde pergè, quò cæpiſti: Sanciantur ſuperi, ut ſummum illud Eccleſiæ faſtigium conſcendas, ad quod ampliorem quotidie viam magnis virtutibus tibi paras. Tuis ſonitum hauriat auribus, ſonitum, ſcil. Chriſtiani Orbis in vota ſuſpenſi id expectantis; Tuis ſonitum hauriat auribus, ſonitum ſcilic. gregis tibi commiſſi, meique devinctiſſimi in primis omnium nomine id Tibi, Mæcenas Reverendiſſime ominantis, ita ut propè confirmem, certò forè, quod ut ſit, unanimiter omnes intendunt: & revera jam Tu curis tuis, operibuſque ſacris defungeris, numquam deficies, dignitates pariter: per Te, Tibiq; ennixæ ad tuum ſe procumbunt Thronum. Hocce ergo Thomiſticum Doctrinalis dogmatici luminis faſtigium Tibi offerro, Tibi ſolùmmodo hic Doctrinarum nitor debetur; ſi tanti Angelici Doctoris, Præceptoriſque propugnaculum fateris, quandoquidem ipſum Opus tuæ defenſionis honore fruendi immeritum eſſet, cuicumque aut oblationis, aut ſuæ humilitatis defectui tua, Optime Mæcenas, probitas ſupplementum præſtabit; & mea candida voluntas tota potius meæ, quàm operis dedicationi incumbens, omne pollet factum. Huic itaque Operi ſummoperè, (ſic me in meam adduco ſpem) tuus arridebit amor, haud tamquam Aquinatis Opificis elucidamento, ſed meæ diſciplinæ tanto Doctori, ac Magiſtro obſequio, ipſum præ ſui claritate, præ ſui verò irradiantis Solis lumine, ſpes me gignit, benevolentum fore. In hujus ſiquidem Thomi fronte, cujus titulus, *Doctrina Dogmatica de Sacramentis*, à nonnullis perlegendum, admirante quoque animo pernotandum erit. Non obſtupeant uni, neque ſcrutentur alteri, quare non ſcholaſticum, quare non prædicabile, dogmaticum tantùm oriatur? Quoniam in ſui ipſius agnitionem, meique defenſum proferre poſſem, quid cuidam Romanas ſcrutanti, Cartaginenſes pugnas Poeta Canendo

Addidit hæc verbis ultima verba ſuis.
Si Romana cupis & punica noſcere bella,
Lucanum quæras, qui Martis prælia dixit.

At melius egomet exiſtimo cum Seneca addere reſponſum: *quæramus quid optimè factum ſit, non quid uſitatiſſimum*: & iterum; *hæc ſit propoſiti noſtri ſumma; quod ſentimus, loquamur, quod loquimur, ſentiamus, Concordet ſermo cum vita; Non delectent verba, ſed proſint*. Et aliunde: *Tota illò mente pergendum eſt, ubi provideri debet, ne res nos, non verba decipiant*. In devoti igitur animi patefactionem, Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Præſul, meo fateri obſequio licitum ſit; quod ſi Macedo non pingi ſe niſi ab Apelle ſanciverat, ita cæteri in cuncto gloriæ genere, ac ſpecie præſtantiſſimi Viri, niſi à ferventiſſimis ingeniis commendari ſe vellent, abſurbum ergo eſſet, ac minimè ferendum, ſi hoc potiſſimum BARBADICI nomine comendantis perſonam ſuſciperem, quod ſatis mihi virium eſſe conſiderem, quæ ne exercitatiſſimo quidem de Te dicturo ſufficerent. Qua certò in re tàm vaſtus laudandæ tuæ gloriæ mihi oſtenditur campus, ut quæ primùm capeſcenda ſit fatendi ratio, prorſus ignorem. Cum ita ſit, Opus præſens, dùm Angelici tui, meique ferventiſſimi Luminis, multorumvè præcipuorum Doctorum ſecurum ſit jubar, ſecurum

curum æquidem, de quo Io: dixit, *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, tuas queit extollere laudes, ego jam agnoſco nihil perorando peroraſſe, tua, tuorum, ac tanta admirans præconia taciturnitate magis, veri cordis obteſtatione quàm voce, animi errantis ſonitu, omnia perhumili veneratione obſequar. Ipſe igitur meritorum tuorum ordo meæ valeat dedicationi, inde mihi alpha laudandi, & omega ſit; quo Tibi ſolùm tractandi fuit initium. Neque enim fas eſt, laudanda eligere, cum de eo, ſ. de Te agatur; dùm nil non laudandum feciſti. Quod demùm debeo, ſtudio quoque meo, Tibi præſul Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime debeo, acceptabile ergo erit munus, cùm debitum capiendo ſapit, quod debitorem dicando me ſubſcribit.

Dominat. tuæ Illuſtriſs. ac Reverendiſs.

Humilimus, addictiſsimus, obæratiſsimus ſervus
F. Raphael Jacobatius.

Digitized by Google

AD BENEVOLUM
LECTOREM.

TUus non miretur animus, tuum neque obſtupeat ingenium, ſi Opus hoc, quod ab aliis tàm præclarè, tàm laudabiliter, ſalubriterque pertractatum fuit, mea ab imbecillitate in lucem pandere audeatur, & illud ſub dogmaticæ Doctrinę titulo ita manifeſtè exponere ſentiatur. Jam unum certò ſcio, quod mens tua fulgoribus æternæ lucis irradiata perſiſtit, illius ſcilicet, quæ & in tenebris lucet, nempe Chriſti Domini omnium Sacramentorum Opificis, ac Inſtitutoris; ipſe enim Caput totius Eccleſię eſt, & uti ipſe ejus Caput Sacramenta novæ legis inſtituit, hoc fecit, ut umbræ cederent corpori, figura ceſſaret, & veritas manifeſtaretur æterna: & legem adimplevit, ut omnia, quæ in lege ſcripta erant de illo, & quæ Prophetæ de eodem locuti ſunt, conſummarentur. Inſtitutio iſta ſemper, & ad ſeculi ſolutionem erit permanſura, nam ipſe dixit; (Matt. Cap. Ult.) Ecce ego vobiſcum ſum uſque in conſumationem Seculi: *Sum, non ero, ut per hoc Mundo fideli notificetur, quod ſemper ſuæ præſens eſt Eccleſiæ, quæ numquam eſſe deſinet: notum namque eſt omnibus, quòd Chriſtus in ęternum manet. Idcircò & gravi reprehenſioni ſubiicerem, ſi aliquid novi auferre auderem, illum ſolùmmodo adducam modum, quo Viri ingenio, ſapientia perlucidi uſi fuere; dùm de Sacramentis tractabant, ne animi dubietate involuti inquietentur, taliter expono. Sed ut magis in fide corroborati Deum honorificè venerentur, Jeſum Chriſtum verè Filium Dei eſſe fateantur, eſſe utique illum tot mirabilia pro Mundi Salute operatum, ac operantem. Tu quoque; Humaniſſime Lector, tuum reconcilia ſpiritum, certòque meo fateberis ore, quod diſputationum dubietas à quibuſdam malè cogitantibus non pro veritatis fide ſequenda, ſed prò illa deſtruenda, ſi fas eſſet, inventa fuit; quod ex veritate dictum eſt Lucę; (Cap. 24.)* Ego autem rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, *quę baſis, & Eccleſię Dei eſt fundamentum: hinc Cyprianus in Epiſt. ad Cornelium Papam:* Cathedram Petri, *inquit* Eccleſiam eſſe Romanorum, quorum fides Apoſtolico ore laudata non recipit, contra fidem ullas præſtigias, etiamſi Angelus aliter annunciet, quàm ſemel prædicatum eſt; *dicente Chriſto;* Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam: *hinc Auguſtinus lib. de Retract ſic habet:* dixi in quodam loco de Apoſtolo Petro, quod in illo, tanquam in petram, ædificata eſt Eccleſia, ſed ſcio poſtea ſæpiſſimè ſic expoſuiſſe, ut ſuper hunc intelligeretur, quem confeſſus eſt Petrus; *ac ſi Petrus ab hac petra appellatus, perſonam Eccleſię figuraret, quę ſuper hanc Petram ędificatur. Non enim dictum eſt illi, tu es Petra, ſed tu es Petrus.* Petra autem erat Chriſtus, *quem confeſſus eſt Simon, ſicut & tota Eccleſia confitetur.*

Ædificabo utique, ait, Chriſtus, Eccleſiam meam, *ut intelligamus* inquit S. Doctor, *(Opuſ. 6. 12.) quod Eccleſia Dei eſt firma; quę utique Eccleſia domui comparatur, cum & ipſe dixerit, (Cap. 16.)* Matt. domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus; *Domus autem tunc ſtabilis, ac firma dicitur, quando firmum ſubſiſtit fundamen, propterea dicitur:* hæc eſt domus Domini bene ædificata, benè fundata eſt ſupra firmam petram: *& revera principale domus hujus fundamentum, (hoc eſt Eccleſię,) eſt Chriſtus, dicente Apoſtolo ad Corint. (p. Cap. 3.)* Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. *Secundarium verò ſunt Apoſtoli, ſecundum illud Pauli ad Epheſ. (Cap. 2.)* Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapi de Chriſto Jeſu. *Et eorum Doctrina, de quibus utique dici poteſt,* quorum Doctrina fulget Eccleſiæ, tanquam Sol, & Luna; *etenim & Pſaltes videns ea, quę futura erant, in ſpiritu dixit (Pſal. 18.)* In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum: *& ideò firma eſt, quia ſecundum illud Apocalyp. (Cap. 21.) dicitur & civitas, quę duodecim tenebat fundamenta, & erunt duodecim Apoſtolorum nomina ibi ſcripta, at ne tantùm fundamenta dicuntur Apoſtoli, verùm & Portę, quoniam per ipſos ad regnum Dei ingredimur.*

Et taliter firma dicitur, nam à perſecutoribus deſtrui nequit, durantibus immò perſecutionibus magis crevit: unde meritò Hieronymus ſuper Matt. (Cap. 13.) inquit, prędicatio Evangelii, quę parva videbatur in principio (ob perſecutiones Tyrannorum, qui ſuadente diabolo perſequebantur Eccleſiam Dei) cum vel in anima credentis, vel in toto Mundo ſata fuerit, non exurgit in olera, ſed creſcit in arborem, ita ut volucres Cœli, (quas vel in animas credentium, vel fortitudines, Dei ſervitio mancipatas, ſentire debemus) veniant, & habitent in ramis

mis

mis ejus. Unde videtur eam perſequentes deficere; quia ut habetur in Matt. (Cap. 21.) qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur. *Nec etiam ab erroribus, immò quantò magis errores ſupervenerunt, tantò magis veritas manifeſtata eſt, hinc Paulus ad Timot, (p. Cap. 4.)* homines mente corrupti, reprobi circa fidem, ſed ultrà non perficient; *cum eodem dicere, fas eſt, ad Cor. (p. Cap. 11.) & hęreſes eſſe oportet, ut magis fidei noſtrę veritas eluceſcat. Nec à tentationibus Dęmonum, Eccleſia enim ſicut turris eſt, ad quam quicumq; contra diabolum pugnat, fugit. Proverb.* Turris fortiſſima nomen Domini. *Adeòque ad hujus deſtructionem diabolus pręcipuè conatur: ſed non pręvalet, quia dixit Dominus Matt., (Cap. 16.)* & portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam, *quaſi dicat, dellabunt adverſum te, ſed non pręvalebunt.*

Firma igitur, & ſtabilis redditur Eccleſia, qui & Chriſtum pro fundamento, & Apoſtolos, qui nos docuerunt legem Domini, tenet, prębendo ea, quę ad fidem pertinent, & nobis tradendo dogmata, quę pro fidei ſtabilitate deſervire debent. Quapropter ſicut tu, Sapientiſſimè Lector, conſpicis, nos modò non procedimus antiquo Scholaſtico, ut aliquid novi afferamus.

Ex quibus tamen intueri debes, quod doctrina mea non eſt mea, ſed ejus, qui docuit me, divi ſcilicet Thomæ Aquinatis, cujus Doctrina jam à Summo Sacerdote Chriſto ſanctificata fuit, quando illi dixit, benè ſcripſiſti de me Thoma. *Cujus Doctrina à Matre, & Magiſtra omnium Eccleſiarum approbata fuit, quando per nonnullos Summos Pontifices ea uti ſanctificata deſcripta remanſit; Nam Innoc. Sextus dixit,* hujus Doctoris Doctrina præ cæteris, excepta Canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum, ita ut numquam qui eam tenuit, inveniatur à veritatis tramite deviaſſe, & qui eam impugnaverit, ſemper fuerit de veritate ſuſpectus. Urbanus Quintus: Volumus, & tenore præſentium nobis iniungimus, ut Beati Thomæ Doctrinam, tanquam veridicam, & Catholicam ſectemini, eamque ſtudeatis totis viribus ampliore. *Pius Quintus*: factum eſt, Omnipotentis Dei Providentia, ut Angelici Doctoris vi, & veritate Doctrinæ, qua Apoſtolicam Eccleſiam, infinitis confutatis erroribus illuſtravit, ex eo tempore, quo cœleſtibus civibus adſcriptus fuit, multæ, quæ deinceps exortæ ſunt hæreſes, confuſæ, & convictæ diſſiparentur. *Paulus Quintus*: Splendidiſſimi Catholicæ fidei athletæ Beati Thomæ Aquinatis, cujus Scriptorum clypeo militans Eccleſia hæreticorum tela fæliciter eludit, honorem, & venerationem in dies magis, magiſque augeri plurimum in Domino gaudemus. *Sanctificata fuit, & non ſolum à Joanne 22. Summo Pontifice ſanctificata, ſed & approbata fuit, à quo dictum fuit,* aliis non opus eſſe miraculis: tot enim miracula ſanctum virum feciſſe, quot articulos ſcripſiſſet.

Cujus Doctrina à Conciliis illuſtrata, quando Sacroſanctum, & Æcumenicum Concilium Tridentinum contra articulos Martinis Lutheri, contra Calvinum, cæteroſque hæreticos, muros Civitatis Sanctæ Jeruſalem, ſcilicet Eccleſiæ Dei, & Chriſti Doctrina veluti fidei propugnaculo munivit.

Cujus Doctrina & à Patribus variis, plurimiſvè commentariis ampliata, nihil verò omninò una ſemper remanet eadem contra hæreticorum errores propugnata fuit, quorum multi convicti, multi verò in interitum periere, Deo ſic ſtabiliente, & ut juſtitia, & miſericordia Dei in unum coadunentur.

Cujus Doctrina ab hæreticis nondùm oppugnata; nam etſi multi conveniſſent in unum, ut ejus Doctrina remaneret deſtructa, attamen nihil in illam proficere valuerunt; unus loquatur pro omnibus, ille ſcilicet iniquus Bucerus, qui etſi impius Catholicæ veritatis oppugnator, nihilominus ſuæ malitiæ rubore dicens exclamavit, tolle Thomam, & diſſipabo Eccleſiam Dei.

Cujus Doctrina pro omnium in Chriſto fidelium utilitate emanata fuit; propterea dixi, Doctrina mea non eſt mea, meas eſt labor, Doctrina verò Div. Thomæ: Doctrina mea non eſt mea, ſed quæcumque à Div. Thoma meo Præceptore, ac Magiſtro audivi, nota Tibi feci. Idcircò laudem Summo Deo tribue, qui ut dicam cum Eccl., (Cap. 45.) elegit eum ex omni carne, & dedit illi coram præcepta, & legem vitæ, & diſciplinæ, docere Jacob teſtamentum ſuum, & Judicia ſua Iſrael. *Et quod hoc in Volumine de Doctrinę bonitate ſapit, Angelicę ſapit, Reliquum verò tàm humana virtute tua Lector, quàm dulce totius Eccleſiæ Catholicæ affectu, ut meis elaborantibus ſudoribus, meiſque defectibus, veniam præſtet, fiducialiter ſubmitto. Errata corrige, amanter attende, & optimè vale.*

NOS

Digitized by Google

NOS FR. ANTONINUS CLOCHE

Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus.

CUm uti nobis exponitur, R. A. P. M. Fr. Raphael Jacomazzi Prov. noſtræ S. Dominici Venetiarum Opus, cui titulus *De Sacramentis Doctrina Dogmatica* &c. compoſuerit, illudque prælo ſubiicere deſideret. Nos harum ſerie, noſtrique auctoritate officii, quantum in nobis eſt, & ſervatis aliàs ſervandis paternè indulgemus, dummodo à duobus Rev. A. PP. Magiſtris per R. P. Magiſtrum Provincialem præfatæ noſtræ Provinciæ eligendis luce dignum judicetur, eorumque cenſorio in ſcriptis calculo approbetur. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti amen. In quorum fidem &c.

Datum Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſuper Miner. die 6. Julii 1709.

Fr. Antoninus Cloche Mag. Ordinis.

Regiſt. fol. 18.

Fr. Thomas Ripoll Mag. Prov. Terræ Sanctæ, & Socius.

VOlumen, *Doctrina Dogmatica de Sacramentis* nuncupatum, opera, & ſtudio Ad Rev. P. Magiſt. Fr. Raphaelis Jacobacii Veneti, Ordinis noſtri elaboratum, ſummaque claritate, & profunditate concinnatum, ſedula diligentia evolvi, ſic committente Reverendiſs. P. M. Generali F. Antonino Cloche; in quo profunda Theologiæ arcana, contineri; D. Thomæ Scholam devoto animi ergò propugnari; & eo perlecto, omnia Quæſtionum acumina perſpicaciſſimè trutinari, videaris. Quapropter cum nihil reperitur in eo, quod Catholicæ fidei, aut bonis moribus adverſetur imò optimis doctrinis ad fidem tuendam, moreſque bonos efformandos, refertum; & Sacris Canonibus undequàque conforme; ideò cum ſit ab omni fidei, morumque labe mundiſſimum, illud digniſſimum cenſeo, & prælo mandandum judico. In cujus fidem, propria manu probationem firmavi.

Datum Venetiis die 20. Auguſti 1711.

Fr. Joannes Maria Muti de Venetiis Magiſt. Ord. Præd. manu propria.

EX Commiſſione Reverendiſſimi P. Antonini Cloche Magiſtri Generalis totius Ord. Noſtri, Ego infraſcriptus legi, & attentè conſideravi Librum, cui titulus *Doctrina Dogmatica de Sacramentis* Auctore Ad Rev. P. Fr. Raphaele Jacobatio S. Th. Mag., nihilque in eo mihi occurrit, quod orthodoxæ fidei, boniſque moribus ſit abſonum, quapropter ad inſtructionem Theologiæ Candidatorum, & ad profectum Diſcipulorum Div. Thomæ illum publica luce dignum cenſeo.

Fr. Jo: Dominicus Donatus Savoldelli Ord. Præd. S. Th. Mag. & Prior Tarviſinus.

NOI

NOI REFFORMATORI
Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, & approbatione del P. Fr. Vincenzo Maria Mazzolenni Inquiſitore nel Libro intitolato *De Sacramentis Doctrina Dogmatica &c.* à P. Magiſtro Raphaele Jacobatio Ordin. Prædicatorum, non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro; niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo Liceaza à D. Antonio, e Giacomo fratelli Zatta Stampatori, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padova.

Dat. 27. Gennaro 1710.

(Carlo Ruzini Kav. Procur. Refor.
(
(Alviſe Piſani Kav. Refor.

Agoſtino Gadaldini Segretario.

DE

Digitized by Google

DE SACRAMENTIS IN GENERE

Ex Tertia Parte D: Thomæ quæſt. 60.

VErbum divinum in ſinu Patris genitum exiſtens, & ab æterno ab eodem procedens ob ſuam nimiam charitatem, qua dilexit nos, teſte Joanne ſic (a) Deus dilexit Mundum, homines V. qui in Mundo ſunt, (etenim non aliud per Mundum intelligi poteſt, niſi humana natura ſecundum animam, quæ ſecundum Dei imaginem eſt facta quantum ad hoc, ut eam æternam faciat) ut filium ſuum unigenitum daret. Decrevit namque per imperſcrutabilem ſapientiam ſuam, ut in tempore conciperetur in utero ſacratiſſimo Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Spiritu ſancto pleno, non enim ex virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine & virgo concepit, & virgo peperit filium ſuum primogenitum, & ut naſceretur in Mundo, & ut ſumeret humanam carnem, & ut hanc noſtram mortalitatem indueret, hinc dicitur, & Verbum caro factum eſt, atque adeò ſic terminavit humanam naturam, quam aſſumpſit per unionem hypoſtaticam.

a Cap. 3.

Venit ergo in Mundum Verbum iſtud divinum indutum carne humana, ut liberarentur omnes, qui in Mundo ſunt, à peccati ſervitute. De hoc Verbo divino & Prophetæ vaticinati ſunt, eſſe expectationem gentium, & Dominatorem Iſrael: ſic Jacob prophetavit dicens, (b) Gen: non anferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donat veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium. (c) Sic & Propheta Michæa dixit, & tu Bethelem Ephrata parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus ejus ab initio à diebus æternitatis. Et Sancti Patres deprecabantur Deum, ut filium ſuum mitteret in Mundum: ſic & (d) Iſaias orabat ad Dominum dicens: emitte agnum Domine dominatorem terræ de petra deſerti ad montem filiæ Sion. ſic (e) Moyſes in exodo conſtat obſecraſſe Dominum, dùm dixit, obſecro Domine, mitte, quem miſſurus es. Miſit ergo Deus filium ſuum in Mundum, ut ſalvetur Mundus per ipſum. Nec venit cum majeſtate, & poteſtate, cum hoc reſervatum ſit in ſecundo adventu, quando venerit judicare ſeculum per ignem, ſed venit, ut fatetur (f) Paulus ad Philip. in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo. Venit ergo in Mundum & venit, Chriſtus Jeſus peccatores ſalvos facere, (g) inquit Paulus ad Timot. nec hæc verba protulit abſque myſterio, ſed exprimere voluit per ipſa, Sacramentum divinæ incarnationis, & humanæ redemptionis; ſicut expreſſè dixit (h) ad Eph. Hoc Sacramentum abſconditum à ſeculis in Deo, I: ut ait Gloſ. in ſola Dei notitia. Quod autem in illis verbis Apoſtoli exprimatur Sacramentum divinæ Incarnationis, & humanæ redemptionis, manifeſtat Damaſcenus, dum ait; Jeſus ſignificat Deum humanatum, Chriſtus verò è contra hominem deificatum; quia duæ naturæ in una perſona filii, ſe circumdederunt; quia divinitas potentiam exercet in actibus humanis, dum leproſus tactu mundatur, mortuus tactu vivificatur, cæcus tactu illuminatur; & humana natura propria ſua ſervans in potentia divinitatis ſe oſtendit, dùm ſolem obſcurans moritur, dùm petram ſcindens crucifigitur, dùm poteſtate propria animam ponens, & iterum eam ſumens ſepelitur. Venit itaque in Mundum, & venit, ut faceret voluntatem Patris, idcircò ipſe dixit in (i) Joannem; ego in hoc natus ſum, temporaliter ſc. juxta (K) D. Aug. Tract: in Joan. manifeſtum eſt, ut eum temporalem nativitatem ſuam hic commemoraſſe, quia incarnatus venit in Mundum, non illam ſine initio, qua Deus erat, per quam Pater condidit Mundum. Et ad hoc veni in Mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati, ſc. ſcripturarum, Prophetarum, & eorum omnium, quæ ſcripta ſunt de me. Ego ergo in hoc natus ſum, ut annunciarem omnibus, quia tu, ò Pater, me miſiſti, ad hoc veni in Mundum, ut mederer omnibus contritis corde, ut teſtimonium perhibeam veritati, ut prædicarem captivis indulgentiam, & clauſis apertionem. Sic legitur de Chriſto Domino Salvatore noſtro (l) in Iſa: Spiritus Domini ſuper me, eò quòd unxerit Dominus me, ad annuntiandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo noſtro, ut conſolarer omnes lugentes, illos V. juſtos, qui expectabant redemptionem Iſrael. In hoc natus ſum, ut illuminarem omnes in tenebris ſedentes, nam quamdiù ſum in Mundo, lux ſum Mundi, ut habetur ex (m) Joan: Ad hoc veni in Mundum, ut omnes crederent, quod ego in Patre, & Pater in me eſt; & quod ego, & Pater unum ſumus. Ut teſtimonium perhibeam veritati, ſicut & in alio loco dixit, ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, & teſtimonium meum verum eſt. Quoniam ego ſum via, per quam qui ſequitur me, non ambulat in tenebris; ego ſum veritas; & ut veritas ipſi ſoli fidem præſtare debemus, quapropter & rejicere Pheudapoſtolos debemus, qui non prædicant, niſi vana; ſicut & Pſeudoprophetas, qui non vaticinantur, niſi falſa. Ego ſum vita; & ideò per hoc inſtruere voluit, ut ejus veſtigia ſequamur, ut eam gratiam Dei mereamur aſſequi quam conſecutam abſque dubio vitam æternam conſequemur, nam & dicitur, gratia Dei vita æterna. Hanc autem gratiam, ſicut & veritatem per Jeſum Chriſtum factam eſſe teſtis eſt (n) Joan: Euangeliſta, dùm ait; lex per Moyſen data eſt, gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt: immò per Moyſen ſervum prænunciatio, per Dominum Jeſum ſalutis impletio. Et meritò dicitur per Moyſen ſervum prænunciatio, per Dominum Jeſum ſalutis impletio, quia nedùm in veteri lege, quæ per Moyſen data eſt, & omnia in figura continebantur, & homines ad ſtatum perfectum legis non reducebantur, ut aſſerit (o) Paulus ad Heb. Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtiis, quas offerunt indeſinenter nunquam poteſt accedentes perfectos facere. Verùm etiam Sacramenta in eàdem infirma, & egena elementa erant, utpote quia, & gratiam non cauſabant, quamvis ſignificarent eam, & gratiam non continebant.

b Cap. 49.
c Cap. 5.
d Cap. 16.
e Cap. 4.
f Cap. 2.
g p. 1. c. 1.
h Cap. 3.
i Cap. 18.
K Trac. 15.
l Cap. 61.
m Cap. 9.
n Cap. 1.
o Cap. 10.

At per Dominum Jeſum ſalutis impletio, In ipſo enim omnia, quæ in veteri lege in figura contingebant illis, ut dicit (p) Apoſtolus ad Corint. impleta ſunt. Et quod ita ſit, perſpiciamus in ſacris literis, & videbimus manifeſtè hanc veritatem: (q) Nam in lib. Num: de ſerpente ęneo legitur, quod locutus eſt Dominus ad Moyſen, fac ſerpentem ęneum, & pone eum pro ſigno; qui percuſſus aſpexerit eum, vivet: fecit ergo Moyſes ſerpentem ęneum, & poſuit eum pro ſigno, quem cum percuſſi aſpicerent, ſanabantur. Et de Chriſto Domino dicitur in (r) Joan: ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, ſerpens exaltatus fuit in ſigno, at Chriſtus Dominus exaltatus fuit in rei veritate, ob hoc ipſe dixit in (ſ) Joan. & ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum: hoc autem dicebat ſignificans, qua morte eſſet moriturus. Unde ex hoc capite impleta ſunt ea, quæ in lege Moyſi in ſigno poſita erant. Sicut & impletum fuit in Chriſto illud, quòd in Jona fuit ſignum. (t) Etenim de Jona dicitur, quòd erat Jonas in ventre piſcis tribus diebus, & tribus noctibus, & de Chriſto dicitur in (u) Matt. ſicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus ſit erit filius homi-

p Cap. 10.
q Cap. 21.
r Cap. 3.
ſ Cap. 12.
t Cap. 2.
u Cap. 12.

homi-

Digitized by Google

hominis in corde terrę tribus diebus, & tribus noctibus.

Nec tantùm in Prophetis impleta, ſed & conſummata fuerunt omnia, quæ de Chriſto Domino prænunciata x Luca c. 18. erant etiam in lege Moyſi, ſic & Chriſtus, (x) dùm aſſumpſit duodecim, dixit illis, ecce aſcendimus Jeroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur, & poſtquam flagellaverint, occident eum, & tertia die reſurget. Et de facto ſciens Jeſus, quod omnia conſummata ſunt, dùm in Cruce pendebat, ut conſummaretur ſcriptura, quæ z Pſ. 68. dicit, & dederunt in eſcam meam (y) Fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto, dixit; Sitio; unde ſubditur a y Cap. 19. (z) Joanne: cum ergo accepiſſet Jeſus acetum, dixit, conſummatum eſt, & inclinato capite tradidit ſpiritum.

Verùm antequam emitteret ſpiritum, voluit & manducare agnum Paſchalem cum diſcipulis ſuis, quia ſacramentum erat legis veteris, & inſtituere novum Sacramentum, in qua cœna & Sacramentum Ordinis inſtituit, ordinando Apoſtolos in Sacerdotes, ut ceſſarent oblationes, & ſacrificia veteris Sacramenti, ſicut & ceſa Seſſ. 23. ſ. ſaret ſacerdotium illius, ut (a) Concil. Trid. decrevit: fateri etiam oportet in ea novum eſſe viſibile, & externum Sacerdotium, in quod vetus translatum eſt. Sic ergo impleta, & conſummata etiam Sacramenta veteris legis, quæ prenuncia erant Sacramentorum novæ legis, aliud non fuit opus, ut Jeſus Chriſtus impleret, & conſummaret, ut lex nova diceretur. In qua verè Sacramenta ſunt, ſicut & in omni lege conſtat fuiſſe; immò & Gentiles hoc nomine ſacramentum utebantur; Ut ergo videamus, quommodo à nobis intelligi, & accipi debeat hoc nomen Sacramentum.

Sciendum eſt, quod Sacramentum accipi poteſt pro Juramento, ſicut ab antiquis accipiebatur: ſic Cicero de orat: pro milite ſacramentum jam interprete feſto dicitur, quidquid jusjurandi ſacratione poſita gerit, hinc Sacramentum militare, quo milites in verba Imperatoris ſui jurabant, quod niſi præſtitiſſent, juſti milites non videbantur, eòque ſoluti in hoſtem legitime pugnare non poterant. Legitima, inquit Servius, militia erat eorum, qui ſinguli jurabant pro Republica ſe eſſe facturos, nec diſcedebant, niſi completis ſtipendiis, & Sacramentum vocabatur. Vegetius de re militari milites jurare debent, ideòque militia ſacramenta dicuntur. Jurant aub Lib. 2. tem ſe omnia (b) ſtrenuè facturos, quæ præceperit Imperator, numquam deſerturos militiam pro Romana Republica. Juven: Sat. 16. ſacramenta figurate pro ipſis militibus poſuit, præmia nunc alia, atque emolumenta notemus Sacramentorum, ſc. militum juratorum, & ſacramenta rogatorum. Hoc totum confirmatum videtur à Cathec. (c) dum in illo legitur, alii auctores Sacrac 2. p. n. 2. menti nomine obligationem illam ſignificari voluerunt, cum jurati aliquo ſervitutis vinculo obſtringimur, ex quo jusjurandum, quo ſe milites, fidelem operam Reipublicæ præſtituros policentur, ſacramentum militare dictum eſt; atque hæc frequentiſſima hujus vocabuli ſignificatio apud illos videtur fuiſſe. Et ſecundum hoc etiam videtur (d) D. Th. aſſerere, quod juramentum quandòque ſad 1. p. q. 60. a. 1. ad 3. cramentum nominatur, ait enim, juramentum habet quamdam habitudinem ad res ſacras, in quantum ſc. eſt quædam conteſtatio facta per aliquod ſacrum. Verùm juramentum licet nominetur analogicè Sacramentum ſecundum diverſam habitudinem ad unum, quod eſt res ſacra, non tamen æquivoce ſumpto nomine Sacramenti, ac proinde juramentum non eſt ſacramentum eàdem ratione, qua nunc loquimur de Sacramentis.

Secundò accipitur Sacramentum pro re ſacra, quæ in occulto latet. Et juxta etymologiam nominis dicitur quae Ib. in c. ſi ſacrum ſecretum. (e) Hinc D. Th. ait, Sacramentum poteſt aliquid dici, vel quia habet aliquam ſanctitatem occultam, (& ſecundum hoc Sacramentum idem eſt, quod Sacrum ſecretum) quo pacto ſumitur & illud Tobiæ; (f) Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt: & f Cap. 12. illud Pauli ad (g) Eph. quæ ſit diſpenſatio Sacramenti g Cap. 1. abſconditi à ſeculis in Deo: nec mirum ſubdit (h) D. Th. h Ib. ad 1. ibid quia ſecundum antiquos ſancta, vel ſacroſancta dicebantur, quæcumque violari non licebat; quo pacto etiam muri civitatis, vel perſonæ in dignitatibus conſtitutæ, ſanctæ vel ſacroſanctæ dicuntur; adeòque illa ſecreta, ſive divina, ſive humana, quæ non licet violari, quibuslibet prædicando, ſancta, vel ſacroſancta dicuntur.

Pariter Patres Græci ad eamdem rem myſterii ſignificandam vocabulo uſi ſunt, quapropter & illud Pauli ad (i) Eph. accipitur, ut notum faceret nobis Sacramen- i Cap. 1. tum voluntatis ſuæ: ſic illud ad (l) Timot. & manife- l Cap. 3. ſtè magnum eſt pietatis Sacramentum, quod manifeſtum eſt in carne juſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt Mundo, aſſumptum eſt in gloria: & certè in iſtis auctoritatibus ab Apoſtolo adductis ipſe loquitur de Sacramento Incarnationis, quod ſecretiſſimum dicitur; nam abſconditum à ſeculis in Deo dicitur, hoc eſt, ait Gloſſa, in ſola Dei notitia. Verumtamen notat (m) D. Th. hoc Sacramentum m Op. 60. fuit à principio angelicis ſpiritibus manifeſtum, dęmonibus occultatum, fidelibus etiam miſericorditer revelatum. Propterea Apoſtolus dixit, apparuit Angelis illud magnum Sacramentum pietatis. Unde Aug. ſicut illud Myſterium abſconditum à ſeculis in Deo; ut tamen innoteſceret principatibus, & poteſtatibus in cęleſtibus. Hujus autem ratio eſt, quia omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus. Occultatum dæmonibus, ut dicitur (n) Corint. quod n 1. Cap. 2. nemo principum hujus ſeculi cognovit, ſc. dęmonum, ut ait Gloſſa. Fidelibus tamdem miſericorditer revelatum, juxta illud Lucæ: (o) Beati oculi, qui vident, quę vos o Cap. 10. videtis, ubi Gloſſa: non oculi Phariſęorum, & ſcribarum beati ſunt, qui tantùm corpus Domini viderunt, ſed illi oculi beati, qui poſſunt cognoſcere ejus Sacramenta. Propterea ſicut de illis ſcriptum eſt, & revelaſti ea parvulis, iſta de illis ſcriptum eſt in libro (p) Sapientiæ, & p Cap. 2. neſcierunt Sacramenta Dei. (q) Hinc & Paulus ad Rom. dicebat; O altitudo divitiarum Sapientiæ & ſcien- q Cap. 11. tiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus. Quis enim cognovit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit? Juxta conſonantiam illius, quod in Sapientia legitur: (r) Quis enim homi- r Cap. 9. num poterit ſcire conſilium Dei? aut quis cogitare poterit, quid velit Deus.

Tertiò accipitur Sacramentum prò ſigno, ſecundum quam acceptionem ſancti Patres dixerunt, Sacramentum eſſe in genere ſigni. Unde & D. Hier. & D. Aug uſi ſunt hac voce myſtici ſigni, vel ſacri ſigni ad demonſtrandum hoc nomen, Sacramenti. (ſ) Et à D. Th. hoc in- ſ 3. p. q. 60. a. 1. ſinuatur, dùm ait, Sacramentum poteſt aliquid dici, quia habet aliquem ordinem ad hanc ſanctitatem, vel cauſæ (intellige pro nunc, quod Sacramentum non eſt in genere cauſæ ſtricte ſumptæ, uti eſt cauſa phyſica, & efficiens, licet ex alio capite poſſit eſſe in genere cauſæ vel efficientis munditer, vel formalis Sacrativæ, quod deſumitur ex (t) D. Th. docente, ſanctitas, à qua de- t Ib. ad 1. nominatur Sacramentum, non ſignificatur per modum cauſæ efficientis, ſed magis per modum cauſæ formalis, vel finalis, & ideò non oportet, quod Sacramentum ſemper importet cauſalitatem,) vel ſigni, (per quod intelligere debemus, quod ſemper requiritur, Sacramentum eſſe in genere ſigni: pariter debemus intelligere, non eſſe ſignum naturale, ſed ad placitum, & ex divina inſtitutione, ut ſatis conſtat de Circumciſione, quæ ex Dei inſtitutione habebat hoc, quod eſſet ſignum fęderis inter Deum, & populum ex ſemine Abrahæ genitum:) vel ſecundum quamcumque aliam habitudinem, at quia, ſubdit D. Th. ſpecialiter nunc loquimur de Sacramentis, ſecundum quod importat habitudinem ſigni; hinc eſt, quod & ſecundum hoc Sacramentum ponitur in genere ſigni. Quod expreſſius habetur ex illo (u) Gen. ubi de Cir- u Cap. 17. cumciſione legitur, circumcidetis ex vobis omne maſculinum, & circumſidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in fęderis ſignum inter me, & vos. (x) Et etiam ex illo x Cap. 4. Pauli ad Rom. & ſignum accepit circumciſionis.

Quod autem circumciſio inſtituta fuerit à Deo, non eſt ponendum in dubium, quoniam opera Domini univerſa bona valde; at quod convenienter tempore Abrahę inſtituta fuerit, aſſerit Divus Tho. dicen- y 3. p. q. 70. a. 2. ad 1. do, quod immediate poſt peccatum primi parentis propter doctrinam ipſius Adæ adhuc fides, & ratio natu-

Digitized by Google

naturalis in tantum vigebat in homine, quod non oportebat determinari hominibus aliqua ſigna fidei; & ſalutis; ſed unuſquiſque pro ſuo libito fidem ſuam aliquibus ſignis proteſtabatur.

At circa tempus. Abrahæ diminnta erat fides pluriniis ad Idololatriam declinantibus, obſcurata etiam erat ratio naturalis per augmentum carnalis concupiſcentiæ uſque ad peccatum contra naturam; ideòque convenienter tunc, & non ante fuit inſtituta circumſiſio ad profitendum fidem, & ad minuendum carnalem concupiſcentiam. Unde & ipſe primus ſe à ſocietate infidelium ſegregavit, juxta illud, quod dixit Dominus ad Abram Gen: (y) egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtrabo tibi. Sicut & inter antiquos Patres primus Abraham promiſſionem accepit de Chriſto naſcituro, cum dictum ſit ei: Gen: (z) in ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ, & hoc quia credidit voci Dei, propter quod dicitur Gen: (a) credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam. (b) & D. Th. ait, quod circumciſio inſtituta eſt, ut ſignum fidei Abrahæ, qui credidit ſe Patrem futurum Chriſti ſibi repromiſſi; in quo ſicut non eſt Judæus, neque Græcus, ſicut non eſt ſervus, neque liber, ita non eſt maſculus, neque fœmina, ut ait, Paulus ad Gal. omnes enim vos unum eſtis in Chriſto: (c) nihilominus tamen tunc Apoſtolus fuit locutus non de circumciſione, ſed de baptiſmo: non de Circumciſione, quia iſta competebat ſolis maribus juxta præceptum Domini ad Abraham, omne maſculinum in generationibus veſtris tàm vernaculus, quàm emptitius circumcidetur, & hoc meritò ſubdit (d) D. Thom. quia peccatum originale, contra quod ſpecialiter circumciſio ordinabatur, à patre trahitur, & non à matre, juxta illud, quod dix: unà cum D. Th. de peccato originali, in patre præexiſtit filius, ſicut in principio activo, ſed in matre, ſicut in principio materiali, & paſſivo, & rurſus habetur, quod peccatum originale non contrahitur à matre, ſed à patre, & ſecundum hoc ſi Adam non peccante, Eva peccaſſet, filii originale peccatum non contraherent. Econverſo autem eſſet, ſi Adam peccaſſet & Eva non. Et Paulus ad (e) Rom. dicit, per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit; non verò dixit per duos, vel per mulierem, quæ jam primò peccavit: bene tamen locutus fuit Apoſtolus de Baptiſmo, de quo ſubdit D. Th. baptiſmus continet virtutem Chriſti, qui eſt univerſalis cauſa ſalutis omnium, & remiſſionis omnium peccatorum. Et hoc rationabiliter, ait (f) D. Th. quia baptiſmus in ſe continet perfectionem ſalutis, ad quam omnes homines Deus vocat: unde mirum non eſt, ſi omnibus populis exhibeatur baptiſmus, cum & Chriſtus Dominus præcepit diſcipulis ſuis, (g) Matth. euntes autem docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Hoc non debet dici de Circumciſione, tum quia non continebat perfectionem ſalutis, ſed figurabat ipſam, ut fiendam per Chriſtum, qui erat ex Judæorum populo naſciturus. Et ideò illi ſoli populo data eſt circumciſio, illi utique ſoli populo congregando, nondùm tamen congregato data fuit circumciſio; Juxta (h) D. Th. oportuit prius inſtitui circumciſſionem, quàm lex daretur. Quare autem hoc, quia legalis obſervantia tradi non debuit, niſi populo jam congregato, quia lex ordinatur ad bonum publicum. Populus autem fidelium congregandus erat aliquo ſignuo ſenſibili, quod eſt neceſſarium ad hoc, quod homines in quacumque religione adunentur. Signum antem ſenſibile prius erat determinandum, & poſtea dandum.

Quod autem circumciſio, fuerit Sacramentum veteris legis, & inter alia Sacramenta in tali lege conſtituta præcipuum, ultrà illa, quæ docuimus cum (i) D. Th. dùm dix: quod illa erat neceſſaria apud omnes, qui ſubdebantur legi Moyſi, eò quia abſque illa nullus admittebatur ad aliquod legalium: & conſequenter illi, in quibus non apparebat tale ſignum circumciſionis, non admittebantur ad cultum unius Dei. Hoc conſtat in lib. Judith de Achior duce omnium filiorum. (l) Ammon, de iſto enim legitur, quod tunc Achior videns virtutem, quam fecit Deus Iſrael, relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, & circumcidit carnem præputii ſui, & appoſitus eſt ad populum Iſrael. Sicut nec modò in nova lege admittuntur ad cultum Trinitatis Deificæ, & ipſius Chriſti Domini, Beatiſſimæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum illi, qui Sacramentum baptiſmi non ſuſſipiunt, & hoc quia baptiſmus ultrà quod ſit præcipuum ſignum Chriſtianorum, habet etiam efficere, quod ſignificat, ſicut & omnia Sacramenta novæ legis efficiunt, quod ſignificant Et hoc, quod dix: juxta mentem D. Th. corroboratum videtur ex Concilio Tridentino ſtatuente, Sacramenta eſſe in genere ſigni, & gratiam cauſare, quam ſignificant, maximè in non ponentibus obicem; ſic enim habetur (m) ſi quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantùm externa ſint acceptæ per fidem gratiæ, vel juſtitiæ: & notæ quędam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus anathema ſit.

Ultrà ergo illa, quæ docuimus cum D. Th. modo dicimus, & fatemur, circumciſionem fuiſſe præcipuum Sacramentum in veteri lege, eò quia conferebat gratiam juſtificantem, quod alia Sacramenta ejuſdem legis tantum promittebant, unde & ſignificabant gratiam, ſed illam non cauſabant. Quod autem circumciſio conferret gratiam juſtificantem, apertè habetur ex (n) D. Th. ducente, quod in circumciſione conferebatur gratia quantum ad omnes gratię effectus, adulti namque ſubdit (o) D. Th. ibid. quando circumcidebantur, conſequebantur remiſſionem non ſolùm originalis peccati, ſed etiam actualium peccatorum: non tamen ita quod liberarentur ab omni reatu pœnæ, ſicut fit in baptiſmo, in quo confertur copioſior gratia. Et ideò dixit D. Th. quod in Circumciſione aliter confertur gratia quantum ad omnes effectus gratiæ, aliter tamen quàm in baptiſmo: nam in Baptiſmo confertur gratia ex virtute ipſius baptiſmi, quam habet, in quantum eſt inſtrumentum paſſionis Chriſti jam perfectæ.

In Circumciſione autem conferebatur gratia, non ex circumciſionis virtute, ſed ex virtute fidei paſſionis Chriſti, cujus ſignum erat circumciſio; ita ſc. quod homo, qui accipiebat circumciſionem, profitebatur ſe ſuſcipere talem fidem, vel adultus pro ſe, vel alius pro parvulis. Unde & Apoſtolus (p) dicit ad Rom. quod Abraham accepit ſignum circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei, quia ſc. juſtitia erat ex fide ſignificata, non ex circumciſione ſignificante.

Sed quid de parvulis, & adultis in legæ naturæ? de omnibus iſtis dicendum eſt, quod ante inſtitutionem circumciſionis ſola fides Chriſti futuri juſtificabat tàm pueros, quam adultos, nec tunc requirebatur aliquod ſignum proteſtaivum hujus fidei, quia nondum homines fideles ſeorſum ab infidelibus cœperant adunari ad cultum unius Dei: & ideò (q) D. Th. ait, probabile eſt, quod parentes fideles pro parvulis natis & maximè in periculo exiſtentibus aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent, (quod erat quodam ſignaculum fidei,) ſicut adulti pro ſeipſis preſces, & ſacrificia offerrebant.

Sacramentum non ſolùm eſt ſignum, ſed ſignum rei ſacræ, non tamen cujuſcumque rei ſacræ, ſed rei ſacræ, in quantum homines ſanctos efficit, & hoc juxta D. Th. dicentem, propriè dicitur Sacramentum, quod eſt ſignum alicujus rei ſacræ ad homines pertinentis, in quantum eſt ſanctificans homines. Et quamvis videatur loqui (r) Divus Thom. in communi de omni ſigno rei ſacræ, nihilominus tamen ad modum particularem deſcendit; dùm ait, pertinentis tamen ad hominis ſanctificationem. Et quod ita ſit, excludit creaturas ſenſibiles à ſigno rei (ſ) ſacræ pertinentis ad hominis ſanctificationem,

y Cap. 12.
z Cap. 22.
a Cap. 15.
b Ib. ad 4.
c Cap. 3.
d Ib. ad 4.
e Cap. 5.
f Ib. o.
g Cap. 2.
h Ib. ad 1.
i De cer. leg. n. 27.
l Cap. 14.
m Seſ. 7. de Sac. in gen. can. 6.
n 3. p. q. 70. art. 4.
o Ad 5.
p Cap. 4.
q Ad 2.
r 3. p. q. 60. ar. 2.
ſ Ib. ad 1.

quia licet illæ ſignificent aliquod ſacrum ſc. ſapientiam, & bonitatem divinam, attamen quia ſignificant illa, in quantum ſunt in ſe ipſis ſacra, non autem inquantum nos per ea ſanctificamur, hinc ergo eſt, quod dici non poſſunt ſacramenta, ſecundum quod nunc loquimur de Sacramentis gratiam conferentibus. Pariter excludit etiam à ratione Sacramenti aſperſionem aquæ benedictæ, conſecrationem altaris, & ſimilia, cùm omnia iſta ſolùm diſpoſitivè ſe habeant ad Sacramenta, ſicut & (t) D. Th. dicit, quæ ſignificant diſpoſitiones ad ſanctitatem, (ut ſunt omnia, quæ diximus, & eadem eſt ratio de imaginibus ſanctorum, Crucis, & aliorum, quæ quamvis ſint ſacrarum rerum ſigna, non tamen ſunt dicenda ſacramenta) non dicuntur Sacramenta, ſed ſolùm ea, quæ ſignificant perfectionem ſanctitatis humanæ.

t Ib. ad 3.

De ratione ergo Sacramenti eſt ſignificare perfectam ſanctitatem, quæ eſt per gratiam, loquendo tamen de ſacramentis novæ legis, quia ſi loquamur de Sacramentis veteris legis, (ſi circumciſionem excipias) certum eſt, quod utique ſignificabant ſanctitatem tamen, non tamen perfectam, ſed imperfectam, quæ legalis dicebatur, & temporalis erat; juxta illud (u) D. Aug. contra Fauſtum, Sacramentum eſt donum temporale, ſignificare verò donum æternum; per donum autem æternum intelligi debet ſanctitas perfecta, quæ eſt per gratiam, nullatenus verò ſanctitas legalis, quæ temporalis erat. Et ex traditione Patrum, & Conciliorum habetur, quod Sacramentum ſit inviſibilis gratiæ viſibilis forma, quæ definitio eſt ſpecialis pro Sacramentis novæ legis, ad differentiam hujus V. Sacramentum eſt ſignum rei ſacræ, quæ videtur communis Sacramentis tàm novæ legis, quàm veteris: ſiquidem certiſſimum eſt, quod quodlibet ſignum rei ſacræ, ſc. ſanctitatis hominum (ad differentiam ſacrorum, ſacrificiorum, & obſervantiarum) in veteri lege erat ſacramentum; V. G. ſignum, quod ille populus Judæorum erat poſitus in ſtatu colendi Deum, vocabatur Sacramentum Circumciſionis; ſignum, quod ille populus poterat iis uti, quæ pertinent ad cultum divinum, vocabatur Sacramentum eſus Agni paſchalis: ſignum, quod ſacerdotes ſpeciali modo uti iis poterant, vocabatur Sacramentum oblationis animarum . eſus panum propoſitionis, & aliorum ſpecialiter deputatorum ad uſum ſacerdotum. Signum quoque remotionis impedimentorum à cultu divino, quod à populo vocabatur ſacramentum purificationum ab exterioribus immunditiis, & expiationis à peccatis; at quantum ad ſacerdotes vocabatur Sacramentum ablutionis manuum, pedum, & raſionis pilorum. Videtur ergo, quod multò magis dicendum eſt de omni ſigno rei ſacræ in lege nova, nam ſi in veteri lege ſigna rei ſacræ, licet ſanctitatem ipſam, perfectam ſc. non cauſarent, vocabantur Sacramenta, à fortiori ſigna rei ſacræ novæ legis, cum ipſam gratiam perfectè cauſent, veraciter vocabuntur ſacramenta. Quod colligitur etiam ex (x) Apoſtolo ad Rom. quando dicit, ſignaculum juſtitiæ fidei, ſiquidem Apoſtolus per hoc, quod ſignum rei ſacrę, ſc. juſtitiæ fidei vocat Circumciſionem, quæ erat Sacramentum, inſinuat à ſimili, quod omne ſignum rei ſacræ juſtificantis homines apud Deum eſt Sacramentum.

u Lib. 19. c. 16.

x Cap. 4.

Diximus, quod quodlibet ſignum rei ſacræ ſcilicet ſanctitatis hominum (ad differentiam ſacrorum, ſacrificiorum, & obſervatiarum) in lege veteri erat Sacramentum; ſiquidem non omnia ſacrificia veteris legis fuerunt ſacramenta; & de facto cęremonię legis veteris ſignificabant utiq; Chriſtum, ut umbrę futurorum, immò & Matrimonium ſignificabat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, & non erat ſacramentum propriè dictum. (y) Et D. Th. ait, quod quædam ad vetus teſtamentum pertinentia ſignificabant ſanctitatem Chriſti, ſecundum quod in ſe ſanctus eſt. Quædam ſignificabant ſanctitatem ejus, in quantum per ea nos ſanctificamur, ſicut immolatio Agni Paſchalis ſignificabat immolationem Chriſti, qua ſanctificati ſumus; & talia dicuntur propriè legis veteris Sacramenta.

y Ad 2. ibid.

Ex quibus ſequitur, quòd iſtis ſignis, quæ jam enumeravimus, & myſtica dicuntur, utpote à Deo inſtituta, illud præcipuè conveniant, ut ex Domini inſtitutione non unam aliquam rem, ſed plures ſimul ſignificent, juxta (z) D. Aug. dicentem, in Sacramento Altaris eſt duplex res ſignificata ſc. corpus Chriſti verum, & myſticum. (a) Et D. Th. apertè docet, Sacramentum non eſſe ſignum unius rei tantùm, ſed trium ſc. paſſionis Chriſti, gratiæ, & gloriæ, ac proindè unà cum omnibus ſacris doctoribus tradit triplicem vim ſignificandi, tùm quia alicujus rei præteritæ memoriam afferat, quod eſt eſſe Sacramentum rememorativam ejus, quod præceſſit, ſcilicet paſſionis Chriſti: tùm quia aliam preſentem indicet, & demonſtret, quod eſt eſſe demonſtrativum ejus, quod in nobis efficitur per paſſionem Chriſti, ſc. gratię, tùm quia aliam futuram prenunciet, quod eſt eſſe prognoſticum ſc. prenunciativum future glorię.

z In lib. ſent. proſp.

a 3 p. q. 60. art. 3.

Hoc totum habetur etiam apertiùs ex eodem D. Th., dum de Sacramento Euchariſtię ipſe cecinit. O ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur (ecce Sacramentum Euchariſtię conſiſtens in ſumptione Corporis, & ſanguinis Chriſti) recolitur memoria paſſionis ejus (ecce ſignum rememorativum) mens impletur gratia, (ecce ſignum demonſtrativum) & futurę glorię nobis pignus datur, (ecce ſignum prognoſticum) Et hoc eſt idem, ac dicere, Sacramentum corporis Chriſti eſt ſignum & paſſionis ejus preteritæ, & gratię preſentialiter nobis datæ, & glorię ſuo tempore dandę. Quod autem dicitur de Sacramento Euchariſtię, & de omnibus dici poteſt. Unde Apoſtolus loquendo de Baptiſmo, (b) quem eſſe Sacramentum indubitatum eſt) ait, quicumque baptizati ſumus, in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus, oſtendit baptiſmum eſſe dicendum ſignum, quod dominice paſſionis, & mortis nos admoneat, ſubdit Apoſt. conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, ut quommodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitę ambulemus, & ecce ſecundum ſignum quo cœleſtis gratia in nos infuſa declaratur. Addit Apoſt. ſi enim complantati facti ſumus ſimilitudini morti ejus, ſimul & reſurrectionis erimus. Et ecce tertium ſignum, per quod apparet, baptiſmum vitę etiam eternę, quam per illum ſumus conſecuturi, non obſcuram ſignificationem dare.

b Ad Rom. c. 6.

Hoc idem videtur manifeſtum in Sacramentis Confirmationis, & Extremę unctionis: ſignificant namque iſta Sacramenta unctionem ſpiritualem, qua Chriſtus dicitur unctus, quaſi forte athleta cum diabolo, & cum morte pugnaturus. Significant unctionem ſpiritualem animę, quę fit per gratiam: ſignificant ſpiritualem exultationem glorię, cum oleum ſępe ſepius in Sacris paginis gaudium ſignificet. Nam legitur in lib. Regum, (c) lugere te ſimula, & induere veſte lugubri, & ne ungaris oleo; hoc eſt gaudium ne demonſtres. Legitur in lib. Pſal. (d) propterea unxit te Deus, (e) Deus tuus oleo lętitię. Rurſus legitur, ut exhilaret faciem in oleo (f) Et in Iſa: oleum gaudii pro luctu.

c Lib. 2. c. 14.

d Pſ. 44.

e Pſal. 103.

f Cap. 61.

In Sacramento pœnitentię contritio ſignificat dolores, & tormenta, quibus Chriſtus attrictus eſt propter ſcelera noſtra; propoſitum emendandi vitam renovationem vitę, quę fit per gratiam, abſolutio à peccatis deſignat apertionem regni cęleſtis, quod ex Scripturis colligitur nam (g) Matt. dicitur, pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum: certum eſt, quod paſſio Chriſti nondùm erat ſecuta, unde nondùm aperiebatur cœlorum regnum, ac per conſequens dicitur. quod eſt clavis, per quam aperitur regnum Dei: immò eſt illa clavis, de qua in Iſa: ſcriptum reperitur, & dabo clavē domus David (h) ſuper humerū ejus

g Cap. 3.

h Cap. 22.

& ape-

& aperiet, & non erit, qui claudat, & claudet, & non erit, qui aperiat. Sic & in Apocalypſi legitur, qui habet clavem David (*l*) qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit. Et ecce primum ſignum: ſecundum autem ſignum colligitur ex illo (*l*) Joannis: accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Tertium denique ſignum colligitur ex illo ad (*m*) Heb. ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio peccatorum, & conſequenter non reſtat aditus ad gloriam.

l Cap. 3. *l Cap. 10.* *m Cap. 9.*

In Sacramento ordinis ſignificatur tale Sacerdotium, & ſacrificium, quo Chriſtus ipſe ſe obtulit in ara Crucis Æterno Patri. (*n*) Unde Paulus ad Eph: Chriſtus tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis; & cum perficiatur per conſecrationem, ſignificat ſpiritualem conſecrationem animæ; propter quod Paulus ad Hæbr. ait, (*o*) ſanctificati ſumus per oblationem Corporis Jeſu Chriſti. Deinde ſignificat & gloriam animæ, unde & per ipſam Beati conſecrantur, ut offerant Deo hoſtias Spirituales ipſi placentes.

n Cap. 5. *o Cap. 10.*

In Sacramento Matrimonii ſignificatur Matrimonium Chriſti cum Eccleſia, juxta illud Pauli ad Eph: (*p*) Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico vobis in Chriſto, & in Eccleſia. Significatur Spiritualis animæ conjunctio cum Chriſto mediante gratia, propter quod dicitur (*q*) Matt. quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet. Et denique perpetuum vinculum ſcilicet Charitatis, quo Beati in patria Deo copulabuntur; ibi enim erit amor ardentiſſimus, plenus charitate, & dilectione, & nunquam ob ejus perpetuitatem fine carebit.

p Cap. 5. *q Cap. 19.*

In omnibus ergo Sacramentis hæc tria ſunt, quæ habent ſignificare paſſionem Chriſti, gratiam, & gloriam, propter quod (*r*) D. Th. dicit, quod Sacramentum propriè dicitur, quod ordinatur ad ſignificandam noſtram ſanctificationem, in qua tria poſſumus conſiderare, ſc. ipſa cauſa ſanctificationis noſtræ, quæ eſt paſſio Chriſti, forma noſtræ ſanctificationis, quæ conſiſtit in gratia, & virtutibus: & ultimus finis ſanctificationis noſtræ, qui eſt vita æterna, quæ per omnia Sacramenta, novæ legis tamen, ſignificantur; ac proinde ſolùm Sacramenta novæ legis ſunt rememorativa, demonſtrativa, & prognoſtica; ad differentiam Sacramentorum veteris legis, quæ ſolùm ſunt demoſtrativa, & prognoſtica; ſignificabant enim gratiam, quæ ad præſentiam ipſorum conferebatur per paſſionem Chriſti nondùm exiſtentem, ſed futuram, erant & prognoſtica non ſolùm gloriæ, ut ſunt Sacramenta novæ legis, ſed ipſius etiam paſſionis Chriſti, futuræ tamen: non tamen erant rememorativa, quia adhuc non præceſſerat paſſio Chriſti.

r Art 3. in c.

Rurſus docet (*ſ*) D. Th., quod quamvis Sacramentum, ſignificet rem ſacram, inquantum eſt humanæ ſanctificationis cauſa, & una ſola ſit cauſa ſanctificationis humanæ ſc. ſanguis Chriſti, nihilominus tamen apertè vult, quod ſignificet rem ſacram unà cum effectu, dùm ait, quod Sacramentum in hoc, quod ſignificat rem ſanctificantem, oportet, quod ſignificet effectum, qui intelligitur in ipſa cauſa ſanctificante, prout eſt ſanctificans; & ſic ſanguis Chriſti, utique eſt cauſa ſanctificationis humanæ, ſed in ipſa cauſa continetur, & effectus, qui ſunt gratia, & gloria.

ſ Ibid. ad 2.

Immò ait (*t*) D. Th., quod ad rationem Sacramenti ſufficit, quod ſignificet perfectionem, quæ eſt forma, & forma eſt gratia; nec oportet, quod ſolùm ſignificet perfectionem, quæ eſt finis; nam utique certum eſt, quod finis ſanctificationis eſt vita æterna; ſed certiſſimum eſt etiam, quod ut aſſequamur hunc finem, qui eſt vita æterna, opus fuit, quòd Chriſtus paſſus fuerit, mediante qua paſſione datur nobis in præſenti gratia, & in futuro gloria. Unde & Chriſtus Dominus de ſe ipſo dicit, (*u*) Lucæ, nonne oportuit pati Chriſtum, (dic tu, propter Patris præordinationem, propter Chriſti exaltationem, propter humanam redemptionem, propter ſcripturarum impletionem) & ita intrare in gloriam ſuam? ergo per paſſionem ſuam conſecuti ſumus, & viam ad perfectionem, quæ eſt gratia, & finem perfectionis, quæ eſt gloria.

t Ad 2. ob. *u Cap. 24.*

Nec per hoc, quod Sacramenta multa ſignificent, debet dici, poſſe eſſe ſignum ambiguum præbens occaſionem fallendi, ſiquidem ut benè ait (*x*) D. Th. tunc eſt ſignum ambiguum præbens occaſionem fallendi, quando ſignificat multa, quorum unum non ordinatur ad aliud: cœterum quando ſignificat multa, ſecundum quod ex eis ordine quodam efficitur unum, tunc non eſt ſignum ambiguum, ſed certum; affert exemplum D. Th. in homine; certum enim eſt, inquit ipſe, quod hoc nomen homo ſignificat animam, & corpus, prout ex eis conſtituitur humana natura; & hoc modo Sacramentum ſignificat tria prædicta, ſecundum quod quodam ordine ſunt unum. Nam paſſio Chriſti eſt cauſa gratiæ, & gratia eſt cauſa gloriæ, ad quam omnes in uno conveniunt.

x Ib. ad 2.

Omnia tamen Sacramenta habent hoc eſſentialiter, quod in ſingulis requirantur materia, & forma, juxta etiam Concilium Trid. (*y*) Sacramenti eſſentia perficitur materia, & forma, quod deficiente una, vel altera numquam fieri poteſt Sacramentum, ut bene conſideranti patebit.

y Seſ. 7. c. 2.

Materia Sacramenti aliud non eſt, quàm res ſenſibilis; forma verò aliud non eſt, niſi verba prolata, quæ omnia deducuntur ex illo Aug. accedit (*z*) verbum, hoc eſt forma, ad elementum (hoc eſt materia) & fit Sacramentum; quaſi etiam dicat, ex rebus naturæ ſenſibilibus, & verbis conſtat quodlibet Sacramentum, & tunc loquitur D. Aug. de elemento ſenſibili, quod eſt aqua, aſſerit etiam (*a*) D. Th. ex quibus videtur ſequi, quod Sacramentum ſit ſignum ſenſibile rei ſacræ; unde & dicebat Aug. quod ſacrificium viſibile inviſibilis ſacrificii Sacramentum eſt, ideſt ſacrum ſignum eſt. Signum utique eſt Sacramentum, ſed non ſignum naturale, cum ex natura ſua hoc non habeat, V. importare ſanctificationem, bene tamen ad placitum; & ex divina inſtitutione, ſic ſuaviter diſponente; & nec ſignum formale eſt, ſed inſtrumentale; propter quod à (*b*) D. Aug. definitur ſignum, quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire, ut veſtigium animalis pulveri impreſſum, repræſentat animal.

z Tract. 80 ſup. Joa. *a ſed cont. a. 4. 1. p. q. 60.* *b 2. de Doctr Chriſt.*

Signum ergo inſtrumentale eſt Sacramentum, & meritò, quia Sacramentum eſt inſtrumentum Dei, mediante quo Deus confert gratiam omnibus illis, qui dignè ſuſcipiunt illud. Et ut dignè poſſit ſuſcipi Sacramentum, opus eſt firmiter credere, quod ſub illo velamine rerum ſenſibilium adſit virtus elevans res ſenſibiles ad ſanctificandum homines, & ideò aſſerere debemus, quod Sacramentum ſemper ſit aliqua res ſenſibilis, utpotè quia per ſenſibilia devenimus ad cognitionem intelligibilium, ſicut per corporea, & viſibilia ad cognitionem ſpiritualium, & inviſibilium devenimus, & juxta illud (*c*) Rom: inviſibilia enim ipſius à creatur Mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: & juxta illud (*d*) Pauli ad Heb: ut ex inviſibilibus viſibilia fierent. (*e*) Et juxta D. Th. docentem, quod connaturale eſt homini, ut per ſenſibilia perveniat ad cognitionem intelligibilium, ſic & bene diſpoſuit ſapientia divina, quæ unicuique rei providet ſecundum ſuum modum, ut habetur ex illo Sap. quod diſponit omnia ſuaviter, ergo diſpoſuit, ut per ſignum rerum inferiorum deveniamus in cognitionem ſuperiorum rerum. Siquidem & D. Dionyſius dicit, quod eſt impoſſibile nobis aliter lucere divinum radium, niſi varietate ſacrorum velaminum circumvelatum. (*ſ*) Ob hoc autem dicit D. Th., quod cum res ſacræ, quæ per Sacramenta ſignificantur, ſint quædam ſpiritualia, & intelligibilia bona, quibus homo ſanctificatur, conſequens eſt, ut per aliquas res ſenſibiles ſignificatio Sacramenti impleatur.

c Cap. 1. *d Cap. 11.* *e in c.* *f Cap. 1.*

Nota tamen, quod nos non conſideramus res ſenſibiles in ſua natura, cum hoc pacto conſideratæ etiam, ut ait (*g*) D. Th. non pertineant ad cultum, vel ad regnum Dei; conſideramus bene res ſenſibiles

g in ol.

cum D. Thomas, ſecundùm quod ſunt ſigna ſpiritualium rerum, in quibus regnum Dei conſiſtit. Nec hoc modo ſ. ſecundum quod res ſenſibiles aſſumuntur ad ſignificandum ſpiritualia, quæ ſunt maxima bona, à Divo Aug. conſideratæ fuerunt, quando dixit, res ſenſibiles ſunt minima bona, ſine quibus homo rectè vivere [l) de lib. ar. l. 2. c. 19] poteſt. Sed ſolum conſideratæ fuerunt res ſenſibiles ab eodem, ſecundum quod ſunt in ſua natura; nam ſic certum eſt quod in ſua natura non ſunt, niſi purè materiales, nec poſſunt per ſe repræſentare aliquam ſpiritualitatem, niſi eleventur à Deo; à quo elevantur ad inviſibilem gratiam cauſandam; quod eſt id, quod decrevit & Concilium Florentinum, ſicut & Tridentinum; Sacramentum dicitur inviſibilis gratiæ viſibile ſignum; & hoc ſemper requiritur, ad Sacramentum, utpotè quia per ſignum ſenſibile devenitur, immò & ducitur in cognitionem alterius: manifeſtum eſt namq; quod omnis noſtra cognitio ortum habet à ſenſu; & hoc eſſe de ratione effectus ſenſibilis aſſerit Divus Thomas: (l) dum ait, [l) ad 1.] inde eſt, quod primò, & principaliter dicuntur ſigna, quæ ſenſibus offeruntur ad differentiam effectus intelligibilis, qui non habet, quod poſſit ducere in cognitionem alterius, niſi in quantum eſt aliud manifeſtati, i. per aliqua ſigna ſenſibilia; dicuntur quodammodo Sacramenta, in quantum ſunt ſignificata per aliqua ſenſibilia. Hoc autem dicitur, ut intelligamus, quod character baptiſmalis, & Corpus Chriſti verum non dicuntur Sacramenta, niſi ſecundum quod conjunguntur ſignis ſenſibilibus. Et Divus Thomas infra docet, quod character animæ impreſſus habet rationem ſigni, in quantum per ſenſibile Sacramentum imprimitur, per hoc etiam ſcitur, quod aliquis eſt charactere baptiſmalis inſignitus, quia eſt ablutus aqua ſenſibili.

Sacramenta veteris Legis, quamvis videantur convenire univocè cum Sacramentis novæ Legis in hoc, quod utraque ſint in genere ſigni, non tamen conveniunt univocè cum eiſdem in hoc, quod ſint in genere ſigni rei ſacræ, utpotè quia certum eſt, quod Sacramenta veteris legis ſolùm exprimebant quamdam ſanctitatem legalem importantem propter imperfectionem emundationem carnis, utpotè ſolùm externa, juxta Apoſtolum ad Hæb. (m) ſi enim ſanguis hircorum, & [m) cap. 9.] taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis: at Sacramenta novæ Legis exprimunt ſanctitatem perfectam, quæ eſt per gratiam, & important emundationem conſcientiæ, utpotè interior ſanctitas, & hoc eſt, quod ſubdit Apoſtolus, quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſeipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram, &c.

Pariter utraque Sacramenta habent convenire in hoc, quod ſemper Sacramenta veteris Legis erant aliquæ res ſenſibiles, & ſicut illæ res ſenſibiles in Sacramentis veteris determinatæ fuerunt à Deo, quibus uti debebant Patres antiqui, ut de Circumciſione, de eſu agni Paſchalis, & de Conſecratione Sacerdotum habetur apertè ex Exodo, & ex Levitico, quibus in locis manifeſtum apparet, quod à Deo deſignatæ fuerunt Moyſi pro uſu Sacramentorum res determinatæ, & taliter determinatæ res deſignantur, ut ſemper utendum erat ills in Sacramentis, & numquam proprio judicio, aut ex beneplacito mutandæ erant, ſicut ſcriptum eſt in libro Joſue, tantùm confortamini, & eſtote ſolliciti, [n) cap. 23.] ut cuſtodiatis cuncta, quæ ſcripta ſunt in volumine Legis Moyſi, & non declinetis ab eis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Ita pariter, & multò magis in lege nova res ſenſibiles in Sacramentis determinatæ ſunt à Deo, quibus utendum eſt, nec propria auctoriete, aut poteſtate mutandæ, ut etiam determinatum fuit ex Sacro Concilro Tridentino (o) ſi quis [o) Seſſ. 7. de Sacr. in gen. can. 13] dixerit, receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni adminiſtratione Sacramentorum adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum paſtorem mutari poſſe, anathema ſit.

Nota tamen, quod à Sacro Concilio anathematizatur, qui oppoſitum dixerit, non verò ab eodem Concilio dicitur, quod non fiat Sacramentum; ſiquidem per talem rituum omiſſionem, vel mutationem, quæ fit cum peccato, nihilominus tamen per eamdem non tollitur ſacramentum, quod tamen tollitur per rerum ſenſibilium materiæ, ſ. & formæ omiſſionem, aut mutationem ultra quòd, & peccatum committitur,

Sicut notandum eſt etiam, quod talis mutatio debet fieri circa materiam eſſentialem, non accidentalem: hoc enim dicitur, quia licet videatur, quod Eccleſia aſſignaverit quemdam novum modum contrahendi Sacramentum Matrimonii; cum Concilium Tridentinum; (p) modò decreverit non facturum [p) Seſſ. 24. de Ref. c. 1.] amplius Matrimonium, niſi adſit conſenſus expreſſus cum Parocho, & duobus teſtibus; undè habetur, qui aliter, quàm præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, vel Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad ſic contrahendum omninò inhabiles reddit, & hujuſmodi contractus irritos. & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit, & annullat. Nihilominus Concilium, manifeſtiſſimum eſt, non mutaſſe materiam eſſentialem, & ut erat à Chriſto formaliter determinata; nam ſtat ſemper, materiam matrimonii eſſe conſenſum legitimum ad contrahendum: Unde Concilium etiam ſtatuit, non eſſe dubitandum, clandeſtina matrimoniis libero contrahentium conſenſu facta, rata, & vera eſſe matrimonia, quandiù Eccleſia ea irrita non fecit, & proinde jure damnandi ſunt illi, ut eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui vera, & rata ea eſſe negant. Videtur ergo ad validitatem contractus matrimonialis eam addidiſſe conditionem accidenralem, efficiendo, ſ. ut conſenſus non expreſſus coram Parocho, & teſtibus non eſſet amplius ad contrahendum legitimus, ita enim exigebant circumſtantiæ temporum ob varia inconvenientia, quæ ex matrimonii clandeſtinis oriebantur. Verba autem Concilii ſunt, nihilominus Sancta Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit; Reſtat ergo dicendum abſolutè non fieri Sacramentum, etiamſi quæcumque aliæ res à Deo non inſtitutæ ad tale Sacramentum ei adhiberentur. Quomodo namque poſſet quis recipere Sacramentum Baptiſmi, ſi non uteretur aqua à Chriſto Domino determinata pro bapiſmate ſuſcipiendo? Dixit enim in Joannem (q) niſi quis renatus [q) cap. 3.] fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei; & cum ſit à Chriſto Domino aqua determinata propter baptiſmum ſuſcipiendum, nullus præterea ſit qui audeat mutare aquam in aliud elementum in Sacramento baptiſmi: maximè quia, ut ait D. Th. ſanctificatio hominis eſt in poteſtate [r) 3. p. q. 60. ar. 5.] Dei ſanctificantis, unde non pertinet ad hominem aſſumere res, quibus ſanctificetur, ſuo judicio, ſed hoc debet eſſe ex divina inſtitutione determinatum, unde & ſubdit, in Sacramentis novæ Legis, quibus homines ſanctificantur, (juxta illud Pauli ad Corinth. [ſ) 1. p. c. 6.] (ſ) abluti eſtis per aquam baptiſmi, ſanctificati eſtis per Spiritum Sanctum ſanctificantem illam aquam) oportet uti rebus ex divina inſtitutione determinatis. [t) ad 1.] (t) Quod corroborat Divus Thomas à ſimili, ſicut inquit, judicio Spiritus Sancti determinatum eſt, quibus ſimilitudinibus in certis Scripturæ locis res ſpirituales ſignificentur, ita etiam debet eſſe Divina inſtitutione determinatum, quæ res ad ſignificandum aſſumantur in hoc, vel illo Sacramento, ſcilicet ordinatum ad noſtram ſanctificationem, & hoc ut ſciamus, quod ſunt duo genera diſtinguenda, quæ in uſu Sacramentorum inveniuntur, ſ. cultus divinus, & ſanſtificatio hominis.

Primum namque horum pertinet ad hominem per comparationem ad Deum; ſecundum autem è converſo pertinet ad Deum per comparationem ad hominem. Ex qua diſtinctione docet Divus Thomas, quod etiamſi potuiſſet ad hominem pertinere materias Sacramentorum determinare, quatenus ſunt ordinatæ ad cultum divinum, cum cultus Dei ſit in poteſtate

hominis, (eo ferè morbo, quò eſt in poteſtate hominis in iis, quæ ad ſalutem corporis ordinantur, unam, vel aliam rem, ſive unam pro alia determinare in illius defectu, eò quia certum eſt, quod res ſenſibiles, quatenus in ſe ſunt, habent naturaliter ſibi inditas virtutes conferentes ad corporalem ſalutem; & ideò non refert ſi duæ earum eamdem virtutem habeant, qua quis utatur;) non tamen quatenus ordinantur ad noſtram ſanctificationem, cum illa ſolùm ſit in poteſtate Dei, ad quam pertinet determinare res ad Sacramentum. (*u*) Ad ſanctificationem, inquit D. Th. non ordinantur ex aliqua virtute ſibi naturaliter indita, ſed ſolùm ex inſtitutione divina, & ideò oportuit divinitùs determinari, quibus rebus ſenſibilibus ſit utendum in Sacramentis.

u Ad 2.

Nec per hoc, ait (*x*) D. Th. arctatur via ſalutis, quia res, quarum uſus eſt neceſſarius in Sacramentis, vel communiter habentur, vel parvo ſtudio adhibito haberi poſſunt. Et de facto quid communius aqua, vel pane? & ſi vinum in aliquibus regionibus non oritur, attamen parvo ſtudio, parvàque diligentia haberi poteſt (quo, vel qua diligentia prætermiſſa, opus eſſet aſſerere, quod eſſet inverecundum & maximè illorum, qui etiam penſatis omnibus periculis, quæ terra, marique contingere poſſunt, toto conatu elaborant, ut transferantur liquores de regionibus longinquis pro crapula, & ebrietate, & ad explendam gulam, quæ & per varietates liquorum ſatiari poteſt; & poſt negligerent, immò prætermitterent per negligentiam, quod à talibus regionibus non transferretur vinum prò Sacramento efficiendo? Loquor cum omnibus, relictis tamen Sacerdotibus, in quibus negligentia circa hoc nullatenus excogitari poteſt, quod ſit, quia ad uſum ſacrificii neceſſarium eſt, ſine quo nec vivunt, nec habent, unde vivant.) & ſic de oleo, & cœteris aliis ad Sacramenta neceſſariis.

x Ad 3.

Etſi in ſtatu legis naturæ non requirebantur aliquæ res determinatæ, ſed ex voto aſſumebantur, ut patet de Jacob, qui vovit ſe Deo decimas, & hoſtias pacificas oblaturum, ut legitur Gen: (*y*) votum etiam vovit dicens, ſi fuerit Deus mecum &c. cunctorumque, quæ dederit mihi, decimas offeram tibi, hoc ſolùm fuit, ut ait (*z*) D. Auguſt. quia diverſa Sacramenta diverſis temporibus congruunt, ſic etiam diverſis verbis ſignificantur diverſa tempora ſ. præſens, præteritum, & futurum; & ideò in ſtatu legis naturę homines nulla lege exterius data ſed ſolo interiori inſtinctu movebantur ad Deum colendum, ita etiam ex interiori inſtinctu determinabatur eis, quibus rebus ſenſibilibus ad Dei cultum uterentur.

y Cap. 28.

z Lib. 19. cont. Fauſt. 16. & 17.

Poſtmmodum verò fuit neceſſarium etiam exterius legem dari, tùm propter obſcuritatem legis naturæ ex peccatis hominum, qui dictamine ractionis relicto acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant; peccatum, quod à Deo inſpectum, non ſolùm præbuit illi occaſionem pœnitendi hominem ſeſice, ſed etiam delendi illum à facie terra per aquas diluvii; ut legitur (*a*) Gen. Videns autem Deus, quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore. Pœnituit, quod hominem feciſſet in terra. Et tactus dolore cordis intrinſecus debebo, inquit, hominem, quem creavi, à facie terræ. Ex peccatis hominum, qui relicto jure naturæ peccatum abominabile commiſerunt, quapropter dicit dominus Gen. clamor Sodomorum, & Gomorhæorum multiplicatus (*b*) eſt, & peccatum eorum aggravatum eſt nimis, ac proinde pluit dominus ſuper Sodomam, & Gomorham ſulphur, & ignem de cœlo.

a Cap. 6.

b Cap. 18. & 19.

Tùm etiam ad expreſſiorem ſignificationem gratiæ Chriſti, per quam humanum genus ſanctificatur. Unde ſtat illud (*c*) Exodi: ego Dominus, qui ſanctifico vos: ſicut & ſtat illud Pauli ad Corint. (*d*) ſanctificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri: ſicut & illud ad Hæb. (*e*) Sanctificati ſumus per oblationem Corporis Jeſu Chriſti ſemel. (*f*) Et ideò, ſubdit D. Th., neceſſe fuit determinari res, quibus homines uterentur in Sacramentis. Et hæc quantum ad Materiam.

c Cap. 31.

d 1 Cor. 6.

e Cap. 10.

f Ad 3-ſ.

Quantum verò ad formam Sacramenti, quæ eſt pars eſſentialis illius, firmiter tenendum eſt, quod non ſolùm in ſignificatione Sacramentorum, novæ tamen legis, requiruntur verba, verùm etiam requiruntur verba determinata in ipſis Sacramentis ad differentiam Sacramentorum veteris legis, in quibus neceſſarium non erat quod rebus verba adderentur. Etſi utebantur verbis in veteri lege, utebantur illis, ut docet (*g*) D. Th. in is, quæ ad cultum Dei pertinent tam Sacerdotes, qui erant Sacramentorum illorum miniſtri, (*h*) ſecundum illud Num: locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens, loquere Aaron, & filiis ejus, ſic benedicetis filiis Iſrael, & dicetis; benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te. Oſtendet Dominus faciem tuam tibi, & miſereatur tui; convertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem; &c. (*i*) quàm etiam illi, qui illis Sacramentis utebantur, ſecundùm illud Deut: Profitetor coram Domino Deo tuo. Propter quod (*l*) D. Aug. contra Fauſtum ait, alia debent eſſe Sacramenta rei præſentis, & alia rei futuræ. Sacramenta autem veteris legis prænuncia erant Chriſti venturi; & ideò non ità expreſſe ſignificabant Chriſtum, ſicut Sacramenta novæ legis, quæ ab ipſo Chriſto effluunt, & quamdam ſimilitudinem ipſius in ſe habent; Cùm autem Sacramenta novæ legis expreſsè ſignificent Chriſtum, hinc etiam eſt, quod eadem Sacramenta novæ legis, omnia V. conſtent ex rebus, & verbis; omnia, inquam, ut tollatur dubitatio de Sacramento Matrimonii, in quo licet nutus, & geſtus contrahentium, ex quibus ſolis interdum conſtat, ſint res quædam, quia tamen nutus contrahentium unius quantum ad ſignificationem nutus alterius compleat recte ſub illa ratione formali, nutus unius quatenus, ſ. determinant, & complent nutus alterius dicuntur verba. Ut tollatur dubitatio de Sacramento pœnitentiæ, in quo confeſſio verbalis pœnitentis determinatur per abſolutionem Sacerdotis ad ſignificandam remiſſionem peccatorum, ideò verba pœnitentis recte per comparationem ad verba Sacerdotis appellantur res Sacramenti pœnitentiæ.

g 1 p. q. 60. a. 6. ad 3.

h Cap. 6.

i Cap. 26.

l Lib. 19. cap. 8.

Videtur ergo, quod in ſignificatione Sacramentorum novæ legis ultra res ſenſibiles requiruntur & verba ſicut deſumitur & ex illo Pauli ad Epheſius (*m*) Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea, ut illam ſanctificaret mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ; ex quibus verbis Apoſtoli perſpiciendum eſt, quantæ virtutis, & quantæ neceſſitatis ſint verba in Sacramentis: deſumitur & ex (*n*) D. Aug. dicente, accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Deſumitur & ex D. Th. docente, (*o*) quod tripliciter conſiderari poſſunt Sacramenta, quæ adhibentur ad hominum ſanctificationem, ſicut quædam ſigna, & quolibet modo congruit eis, quod verba rebus ſenſibilibus adjungantur.

m Cap. 5.

n Tract. 80. in Ioan.

o Art. 6. in 2.

Primò ex parte cauſæ ſanctificantis, quæ eſt verbum Incarnatum, cui Sacramentum quodammodo conformatur in hoc, quod rei ſenſibili verbum adhibetur, ſicut in Myſterio Incarnationis carni ſenſibili eſt Verbum Dei unitum, per quam unionem Verbi ad carnem humanam hanc ſanctificavit, ſicut ſanctificavit per ſuum ſanguinem populum.

Secundò ex parte hominis, qui ſanctificatur, qui componitur ex anima, & corpore; verùm antequam ſanctificetur, cum ſit veluti infirmus ad gratiam indiget ſanatione Spirituali, unde ut ſanetur, debet illi proportionari ſacramentalis medicina; idcircò ſi infirmus ſit ad gratiam, quia infidelis, ſanari oportet per Sacramentalem medicinam baptiſmi, ut regeneretur in Chriſto; ſi infirmus ſit ad gratiam, quia peccator, ſanari oportet per Sacramentalem medicinam pœnitentiæ; dicitur namque, ſana Domine animam meam, quia peccavi tibi, & rurſus ſana me Domine medicamento pœnitentiæ Deus; & ſic proportionabatur ſacramentalis medicina, ut per rem ſenſibilem corpus tangat, & per verbum ab anima creditur, quapropter Apoſt.

ad Timot. ait, ſanctificatur enim per Verbum Dei, (*p*) & orationem. Et D. Aug. ſuper illud Joan: jam vos (*q*) mundi eſtis propter ſermonem, &c. dicit, unde eſt iſta tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur: certum eſt enim, quod ad nihilum ſonus verborum valebit, ſi verba non perciperentur fide, fide enim credendum eſt, quod quando abluti ſumus, ſanctificati ſumus, non per aquam ſenſibilem, qua quotidie utimur, ſed per aquam ſanctificatam per verba, qua ſemel abluti, & ſanctificati ſumus, de hac locutus fuit Apoſtolus, quando dixit, abluti eſtis, ſanctificati eſtis; juxta inſtitutionem Sacramentorum à Chriſto Domino factam, illa namque inſtituit, ut fierent per res ſenſibiles, & per verba quodammodo ſpiritualia.

p 1. cap. 4.
q Tract. 80. c. 15.

Tertiò ex parte ipſius Sacramentalis ſignificationis: nam (*r*) D. Aug. de doctrina Chriſtiana ait, verba inter homines obtinuerunt principatum ſignificandi, ſiquidem verba diverſimode formari poſſunt ad ſignificandos diverſos conceptus mentis, & propter hoc per verba magis diſtincte poſſumus exprimere, quod mente concepimus; & quia Sacramenta novæ legis habent expreſſiùs ſignificare gratiam, hinc eſt, ſubdit D. Th. quod ad perfectionem ſignificationis Sacramentalis neceſſe fuit, ut ſignificatio rerum ſenſibilium per aliqua verba determinaretur. Nec hoc ſuperfluum quis reputare debet ex eo quod (*ſ*) Divum Aug. ſeniat dixiſſe contra Fauſtum, quid ſunt aliud quæq; corporalia Sacramenta niſi quædam verba viſibilia, nam ut bene notat (*t*) D: Th. res viſibiles Sacramentorum dicuntur verba ſecundum quandam ſimilitudinem, in quantum ſcilicet participant quandam vim ſignificandi, quæ principaliter eſt in ipſis verbis: affert exemplum D: Th. de aqua, aqua enim ſignificare poteſt & ablutionem propter humiditatem ſuam: & refrigerium propter ſuam frigiditatem: at cum dicitur, ego te Baptizo, manifeſtatur, quod utimur aqua in Baptiſmo ad ſignificandum emundationem ſpiritualem, ac per conſequens non eſt ſuperflua ingeminatio verborum, quando in Sacramentis rebus ſenſibilibus verba adduntur, quia unum eorum determinatur per aliud, ut jam dictum eſt ex D: Th. ſic res ſenſibiles determinantur per verba, ex quibus poſtea fit unum, unum namque Sacramentum, quod licet conſtet ex rebus diverſorum generum, cum res ſenſibiles ſint à natura, & verba à ratione ſint: nihilominus tamen ait (*u*) D: Th., quia conveniunt in ratione ſignificandi, quæ perfectius eſt in verbis, quàm in aliis rebus, & ideò ex rebus, & verbis fit quodammodo unum in Sacramentis, ſicut ex materia, & forma, in quantum ſ. per verba perficitur ſignificatio rerum, ſicut per formam perficitur materia, quando determinatur ad ſtandum potiùs ſub hac, quàm ſub illa ſpecie.

r lib. 2. c. 1.
ſ lib. 19. c. 16.
t ad 1.
u ibid.

Sub rebus autem comprehenduntur etiam ipſi actus ſenſibiles, puta ablutio, inunctio, & alia hujuſmodi, quia in his eſt eadem ratio ſignificandi, & in rebus. Ob hoc Caietanus hic ait, (*x*) quod in Sacramentis res, & verba coeunt in unum ſignum, quia conſtituunt unum Sacramentum, quod non niſi ſignum unum eſt. Unde propriè loquendo ablutio in aqua in baptiſmo non eſt unum ſignum; & verba ſunt aliud ſignum, ut tanquam ex duobus partialibus ſignis fiat unum ſignum totale; ſed ipſa applicatio aquæ, quæ indeterminata eſt, ad ſignificandam ablutionem, vel ſpiritualem claritatem, aut ſimplicitatem, aut aliquid hujuſmodi ex conjunctione ad verba abluentis determinatur ad ſignificandum ſpiritualem ablutionem. Ita quod non ſunt duæ relationes ſigni in aqua, & in verbis, ſed una tantum eſt relatio ſigni in hoc compoſito ex rebus, & verbis, ut ſunt determinabile, & determinatio in ratione ſignificandi unum ſpiritualem effectum, ſunt enim hæc, veluti materia, & forma in genere ſigni; non quod relatio talis ſigni ſit compoſita ex materia, & forma; ſed quia relatio talis ſigni non adeſt, niſi compoſito ex talibus determinabili, & determinante, quæ ſunt veluti materia, & forma.

x In reſp. ad 1.

Verba ergo requiruntur in ſignificatione Sacramentorum, at non tantùm verba, hoc eſt, verba præciſè, ſed quod magis eſt, determinata verba requiruntur in Sacramentis, immò magis, quàm determinatæ res, etenim Chriſtus dominus determinata verba protulit in conſecratione Sacramenti Euchariſtiæ, de qua tamen dubitatur, an in axymo, vel in fermentato fuerit inſtituta à Chriſto Domino, non autem dubitatur de verbis ab eodem Chriſto Salvatore noſtro prolatis, ſed unuſquiſque Fidelium, & Chriſtianorum pro firmo tenet, hæc fuiſſe verba, quæ Chriſtus expreſſit conficiendo hoc Sacramentum Euchariſtiæ, (*y*) hoc eſt corpus meum. Similiter mandavit diſcipulis ſuis, ut ſub forma determinata verborum baptizarent. (*z*) Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & filii, & Spiritus Sancti: at de aqua, an ſit aqua maris, vel fluminis, dummodo ſit naturalis, non officit, quod potiùs illa, quàm iſta accipienda ſit. (*a*) Et D: Th. docet, quod in omnibus compoſitis ex materia, & forma principium determinationis eſt ex parte formæ, quæ eſt quodammodo finis, & terminus materiæ (cujus determinatio requiritur per formam) & ideò principaliùs requiritur ad eſſe rei determinata forma, quàm determinata materia, quæ requiritur determinata, ut ſit proportionata determinatæ formæ. Immò magis determinata verba, quàm determinatæ res ſenſibiles, cum iſtæ ſe habeant in Sacramentis, ſicut materia, & verba, ut forma. Et ideò ſervandum eſt illud in confectione Sacramentorum, ſive illa forma verborum, quod, & quam ſtatuit Chriſtus Dominus auctor eorumdem, adeòque non eſt declinandum neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram addendo, vel minuendo aliquid, quod ab Eccleſia ſtatutum eſt, ut liquet ex (*b*) Conc. Trid. cujus verba jam ſuperius recitavimus.

y Mar. ult.
z Matt. c. 26.
a 3. p. q. 60.
b ſeſſ. 7. can. 13.

Verùm quia verba in Sacramentis determinata eſſe poteſt dupliciter intelligi, materialiter ſ. quantum ad ſonum exteriorem, & formaliter quantum ad ſignificationem. Quapropter ſemper aſſerendum eſt verba Sacramentalia non debere eſſe determinata materialiter, aliàs non poſſent adminiſtrari Sacramenta, niſi in ea lingua, qua Chriſtus utebatur, dum ipſa inſtituit; bene tamen ſemper dicendum eſt, debere eſſe determinata formaliter quantum ad ſignificationem, ac proinde tenendum eſt, quod validè conficiuntur Sacramenta per verba cujuſcumque idiomatis, dummodo apud illos, qui tali idiomate loquuntur, correſpondeant verbis illius idiomatis, quo Chriſtus uſus, eſt & idem ſignificent. (*c*) Unde D: Th. Docet, quod licet in qualibet lingua contingat diverſis vocibus idem ſignificari, ſemper tamen aliqua illarum vocum eſt, qua principaliùs, & communius homines illius linguæ utuntur ad hoc ſignificandum, & talis vox aſſumi debet in ſignificatione Sacramenti; hoc videtur clarum tùm in lingua Illirica, tùm in lingua Græca, tùm in lingua Latina, tùm in lingua Uvigari; in quibus idem contingit ſignificari, etiamſi per diverſas voces proferatur ab una, & ab alia. (*d*) Quod & Cajetanus ait, quantum autem valeat contra communitatem, & proprietatem linguæ accommodatio ejus, teſtatur ipſa forma baptiſmi apud latinos, dum dicitur, ego te baptizo, baptizare enim lingua latina, neq; principaliter, neque communiter ſignificat abluere, unde dicere deberemus, ego te abluo &c. Verùm quia accommodavit Eccleſiæ Latinæ uſus vocabulum hoc ad ſignificandum actum abluendi, qui in Sacramento fit, illo utendum eſt. Quamobrem etiam mulieres in vulgari lingua baptizantes dicunt. Jo te baptizo, ac proinde manifeſtum relinquitur ex eodem, quod in quolibet idiomate Sacramentum perficitur, dummodo ſint verba æquivalentia, & eumdem ſenſum reddentia. Qua de cauſa etiam in forma Sacramenti Pœnitentiæ, ſi quis abſolvendo Epiſcopum, vel Principem gratia honoris dicat, Ego abſolvo vos à peccatis veſtris, Sacramentum eſt perfectum non minus quàm ſi in vulgari lingua dixiſſet, io vi aſſolvo &c. & quia perfecta eſt ſignificatio orationis ad illam perſonam ſolam, &

c Ibid. ad 2.
d Ibid. in reſp. ad 2.

eadem

Digitized by Google

eadem ratione perfecta eſſent Sacramenta, ſi perſona recipiens Sacramentum exprimeretur in honorabili nomine abſtracto, ut ſi quis diceret, Ego abſolvo dominationem veſtram à peccatis ſuis. Verum quia voces illę, quibus Eccleſia utitur, ſunt de neceſſitate præcepti Eccleſiæ, ideò peccaret quis dicendo, ego te abluo, vel iſtud eſt corpus meum in Sacramento Euchariſtiæ, ſi advertenter uteretur aliis vocibus ab illis, quibus Eccleſia conſuevit uti in Sacramentis; hoc dicitur quia Eccleſia Latina non utitur aliis vocibus in baptizando, niſi iſtis, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; & Eccleſia Cræca utitur his vocibus, baptizetur ſervus Chriſti in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Ex quibus videtur ſequi, quod voces licet non ſint æedem apud omnes quantum ad ſonum, nihilominus debent eſſe æedem quantum ad ſenſum verborum (e) Quapropter D. Th. explicando auct. D Aug dicentis, verbum operatur in Sacramentis, non quia dicitur, i. quoad ſenſum exteriorem, ſed quia creditur, i. ſecundum ſenſum verborum, qui Fide tenetur. (f) Et hic quidem ſenſus eſt apud omnes idem, licet non ſint æedem voces quantum ad ſonum. Et ideò cujuſcumque linguæ verbis proferatur talis ſenſus, perficitur Sacramentum; ſicut perficitur Sacramentum ab illo, qui corruptè profert verba Sacramentalia, dummodo tamen vel hoc non faciat ex induſtria, vel non ſit tanta corruptio, quæ omninò auferat ſenſum locutionis. Quia ſi hoc facit ex induſtria, cum non videatur intendere facere, quod facit Eccleſia, conſequenter non videtur ab illo perfici Sacramentum. Si autem faciat ex errore, vel lapſu linguæ, cum contigere poſſit, quod ſit tanta corruptio, quæ omninò auferat ſenſum locutionis, etiam ex hac parte non videtur perfici Sacramentum; docet D. Thom. qui etiam aſſignat duplicem mutationem, & corruptionem; una, quæ principalis eſt, eſtque, quando ſit corruptio ex parte principii dictionis, puta ſi loco ejus, quid eſt in nomine Patris, dicat in nomine Matris: certum enim eſt, quod tunc non conficitur Sacramentum, quia aufertur omninò ſenſus locutionis; & de hoc etiam rationem adducit D. Tho. ibid. eò quia apud nos variatio dictionis ex parte principiis mutat ſignifictionem.

(e) ib. ad 1.
(f) Tr. 8. ſup. Ioan.
(g) ib. ad 3.

Altera, quæ minus principalis eſt, & eſt quando ſit corruptio ex parte finis, puta, ſi quis dicat in nomine Patrias, & Filias, tunc licet mutetur ſenſus ſenſibilis, adhuc tamen remanet idem ſenſus, cum verba ſic prolata corruptè accipiantur, ut ſignificantia ex accomodatione uſus, licec, ut ait D. Thom. hujuſmodi verba corrupta prolata nihil ſignificent ex virtute impoſitionis, nihilominùs conficeretur Sacramentum, ut etiam definivit Zacharias Papa, iſte namque determinavit, quod remanet ille baptizatus, qui ob ignorantiam baptizantis, baptizatus eſt in nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sancta: & hoc quia à D. Thoma docetur, quod variatio ex parte finis dictionis ut plurimum mutet conſignificationem; at quia hæc apud Græcus variatur etiam ſecundum principium dictionis in declinationibus verborum, hinc eſt, quod ut ſubdit D. Thomas magis videtur attendenda quantitas corruptionis, quoniam ex utraque parte poteſt eſſe tam parva, quod non auferat ſenſum verborum, & tam magna, quod auferat; at unum horum faciliùs accidit ex parte principii, & aliud ex parte finis. Ideò ſequitur, quod poteſt eſſe tanta ex parte finis dictionis, ut non relinqueret eumdem orationis ſenſum, & tam parva ex parte principii, ut ſenſum non tolleret. Quod autem dicitur de Sacramento baptiſmi, dicitur quoque & de quolibet alio Sacramento, dùm tamen adſint feſtinatio, balbutio, & alia accidentia ſimilia.

At quid dicendum ſit de additione, vel minutione verborum, in quibus forma Sacramentorum conſiſtit? Hoc dicendum eſt, quod quamvis in formis Sacramentorum liceat aliquid addere, vel minuere loquendo tamen de additione, vel minutione accidentali, ut patet in forma Sacramenti Baptiſmi: nam alio modo baptizant Latini, alio modo Græci, ut paulò ante diximus: Conſtar enim, quod ſub hac diverſitate baptizandi, cum ſir diverſitas accidentalis, forma, qua ntuntur Latini, non opponitur formæ, qua utuntur Græci, cum utriuque verum conſerat Sacramentum: at ſi loquatur de additione, vel minutione eſſentiali, ſic non licet in formis Sacramentorum aliquid addere, vel minuere cum tunc verus ſenſus verborum corrumpatur: At quando corrumpitur verus ſenſus verborum, attendendum eſt ad id, quod docet D. Thomas circa omnes iſtas mutationes, (h) quæ poſſunt in formis Sacramentorum contingere duo videntur eſſe conſideranda. Unum quidem ex parte ejus, qui profert verba, cujus intentio requiritur ad Sacramentum, juxta Concilii Trid. (i) decretum, ſi quis dixerit, in miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia. Anathema ſit. Et hoc in confirmationem Doctrinæ D. Th. dicentis, & ideò ſi intendat per hujuſmodi additionem, vel diminutionem alium ritum inducere, qui ab Eccleſia non ſit receptus, non videtur perfici Sacramentum: quia non videtur quod intendat facere id, quod facit Eccleſia. Excipitur tamen caſus de Sacerdore Latino conſecrante in Eccleſia Latina in fermentato cum intentione hunc ritum in Eccleſiam Latinam inducendi, nam tunc verè conficeretur Sacramentum, cum tolleret talem ritum Eccleſia apud Græcos, qui verè conficiunt Sacramentum.

(h) a. 8.
(i) Seſſ. 7. de Sacr. in gen. can. 11

Aliud eſt ex parte ſignificationis verborum. Cum enim verba operentur in Sacramentis quantum ad ſenſum, quem faciunt, oportet conſiderare, utrum per talem mutationem tollatur debitus ſenſus verborum, quod poteſt fieri vel per additionem, vel per diminutionem. Si per diminutionem, vel diminuitur aliquid eorum, quæ ſunt de ſubſtantia formæ Sacramentalis: & per talem diminutionem per quam tollitur debitus ſenſus verborum, non perficitur Sacramentum. (l) Hinc Didymus in lib. de Spiritu Sancto, ſi quis ita baptizare conetur, ut unum de prædictis nominibus prætermittat, (ſ. Patris, & Filii, & Spiritus Sancti) ſine perfectione baptizabit. Si verò ſubtrahitur aliquid, quod non ſit de ſubſtantia formæ, talis diminutio non tollit debitum ſenſum verborum, nec conſequenter Sacramenti perfectionem, Sicut in forma Euchariſtiæ, quæ eſt, hoc eſt enim corpus meum ly enim ſublatum non tollit debitum ſenſum verborum, ac proindè non impedit perfectionem Sacramenti.

(l) lib. 1.

Hoc idem confirmat D. Th. dum air (m), ſi ſit tanta interruptio verborum, quod intercipiatur intentio pronunciantis, tollitur ſenſus Sacramenti, ut ſi quis diceret, hoc eſt, & poſt moram multi temporis, ex qua reſultaret magna interruptio, adderet, corpus meum, ſine dubio tolleretur unitas orationis, & conſequenter nec conſecraret, utpote quia tolleretur ſenſus Sacramenti, ſicut, & ejus veritas. Cæterum ſicut non tollitur ſenſus Sacramenti, quando eſt parva interruptio, quæ intentionem proferentis, & intellectum verborum non aufert, ita nec tollitur ejus veritas, ut dicendo, hoc eſt, & tantùm diceret, vade hinc v. g. & ſtatim adderet, corpus meum, non per hoc tolleretur unitas orationis.

(m) ib. ad 1.

Hoc idem eſſe dicendum de tranſpoſitione verborum D. Th. (n) affirmat, dum ait, ſi tranſpoſitio verborum tollit ſenſum locutionis, non perficitur Sacramentum, & utitur regula, qua dialetici utuntur in sũmulis ut par de negatione præpoſita vel poſtpoſita ſigno, ut ſi diceretur hoc corpus eſt meum, vel corpus hoc eſt meum. Si autem talis tranſpoſitio ſit, ut ſenſum locutionis non variet, non tollitur veritas Sacramenti, ut ſi quis diceret, corpus meum eſt hoc, vel hoc eſt meum corpus, quia ſecundum Philoſophum nomina, & verba tranſpoſita idem ſignificant. (o) Si per additionem, vel apponitur aliquid, quod eſt corruptivum debiti ſenſus, puta ſi aliquis dicat, Ego te baptizo in nomine Patris Majoris, & Filii Minoris, ſicut Arriani baptizabant, & ideò talis additio tollit veritatem Sacramenti. Non enim ponebant Arriani

(n) ib. ad 3
(o) lib. 2. Perier. c. 10

Filium

Filium in Divinis eſſe conſubſtabtialem Patri, nec conſequenter ab æterno genitum, ſed tempore factum, imò eſſe creaturam, non verum Deum. Contra quos pro nunc ſatis ſit adducere id, quod in Symbolo Fidei canitur, genitum non factum, conſubſtantialem Patri, &c. & etiam id, quod habetur ex auctoritate Leonis

p) Ho. de Transfig. Papæ. (p) Hic eſt Filius meus, cui ex me, & mecum eſſe ſine tempore eſt? quia nec genitor genito prior, nec genitus genitore poſterior. Hic eſt Filius meus, quem à me non ſeparat Deitas, non dividit poteſtas, non diſcernit æternitas. Hic eſt Filius meus, non adoptivus, ſed proprius, non aliunde creatus, ſed ex me genitus; nec de alia natura mihi factus comparabilis, ſed de mea eſſentia mihi natus æqualis.

Si verò talis additio ſit, quæ non auferat debitum ſenſum, non tollitur veritas Sacramenti. Nec refert utrùm talis additio fiat in principio, medio, vel fine, ut ſi aliquis dicat, ego te baptizo in nomine Dei Patris Omnipotentis, & Filii ejus unigeniti, & Spiritus Sancti Paracleti, erit verum Baptiſma. Item ſi quis dicat, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beata Virgo te adjuvet, erit verum Baptiſma. Fortè tamen, ſubdit D. Th., non eſſet baptiſmus, ſi quis diceret, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beatæ Mariæ Virg. dicitur fortè, eò quia ſupponitur, ut certum, quod non intelligatur, quaſi nomen Beatæ Virginis aliquid operetur in Baptiſmo; ſicut habemus ex

q) 1. cap. 1 Apoſtolo Paulo ad Corinth. (q) Numquid Paulus pro vobis crucifixus eſt? aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Quod utique verum eſt, ſi intelligatur ſic in nomine Beatæ Virginis baptizari, ſicut in nomine Trinitatis, quo Baptiſmus conſecratur: nam talis ſenſus eſſet contrarius veræ Fidei, ac per conſequens tolleret veritatem Sacramenti. Cæterum ſi intelligatur, ut ejus interceſſio proſit baptizato ad conſervandam gratiam baptiſmalem; certum eſt, quod ſecundum hunc ſenſum non tolleretur perfectio Sacramenti, juxta D.

r) Ad 2. Th. Doctrinam; (r) Quæ omnia breviter etiam reſolvit ſic dicendo, quæcumque fiat additio, vel ſubtractio verborum (intellige de ſubtractione tamen eſſentiali), quæ non addat, vel ſubtrahat aliquid debito ſenſui, non tollitur ſpecies Sacramenti. Quæ tamen ſpecies tolleretur, ſi quis aliquid addendo, vel minuendo dixerit, aliquid eſſe de neceſſitate formæ, quod non eſt.

Supra quæſt. 61. D. Thomæ.

De neceſſitate Sacramenti.

JUxta ſtatus naturæ D. Thom. in hac quæſtione Inquirit an Sacramenta ſint neceſſaria ad ſalutem; & quia quadruplex eſt ſtatus, in quo homo conſiderari poteſt, nempe ſtatus innocentiæ, in quo relucebat ſanctitas, & juſtitia originalis, ſtatus legis naturæ, quæ tunc incepit, quando Protoplaſtus noſter per peccatum deſiit eſſe innocens; ſtatus legis ſcriptæ, ſive Moſaicæ, per quam homines reducebantur ad cultum veri Dei, & retrahebantur ab Idololatia, & denique ſtatus Legis Euangelicæ, quæ gratiæ dicitur, & hæc habetur per Chriſtum, qui datus eſt nobis à Deo Patre, ut nos à peccatis redimeret, & aperiret nobis re-

a) cap. 1. gna Cœlorum; (a) Propterea ſtat illud Ioannis: Lex per Moyſem data eſt, gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt; hinc ſequitur, quod juxta hunc quadruplicem ſtatum inveſtiganda eſt exiſtentia, ſive neceſſitas Sacramentorum. Adeſt & ſtatus gloriæ, ſed ad hunc ſtatum non eſſe neceſſaria Sacramenta, jam ex ſe conſtat, etenim ibi non tenditur ad ſalutem, cum jam ſalvi facti ſint per gratiam Dei, quæ dùm vivebant, data eſt eis, & ulterius dùm relucet veritas omnium eorum, quæ per fidem credebantur, & per ſpem expectaban-

b) ad Heb. cap. 10. tur, jam ceſſat umbra. ut ſtet illud Pauli (b) umbram habens lex futurorum bonorum; immò ceſſat umbra ſignorum omnium, quia tunc videbimus eum, ſicuti eſt: Igitur.

Sacramenta veteris Legis fuiſſe neceſſaria ad ſalutem illius Iſraelitici populi indubitatum eſt; ſiquidem patet, quod per circumciſionem ſanctificabatur populus ille, ut eſſet ſanctus Deo ſuo, per conſecrationem Sacerdotum ſanctificabantur illi, quibus ſolùm permittebatur acceſſus ad Altare Domini per eſum Agni Paſchalis, qui immolabatur ab omnibus Iudæis, à quibus & manducabatur in memoriam beneficii à Deo præſtiti illis, utpote quia liberati fuerunt à jugo ſervitutis, ab illo ſ. jugo, quod patiebantur ſub Rege Pharaone ſanctificabantur. Fuerunt & Sacrificia Expiationum, per quæ mundabantur à peccatis, quapropter & Dominus dixit ad illos (c) Sancti eſtote, quia Ego Sanctus ſum. Fuerunt, & oblationes, quas Deo offerebant, per quas omnes immunditias expiabant, Vnde, (d) & Iſajæ dicitur, lavamini, mundi eſtote. Ob hoc autem inferendum eſt, rationabiliter, Sacramenta novæ Legis eſſe multò magis neceſſaria ad ſalutem humanam, quam Sacramenta veteris Legis, utpote quia iſta ſolùm prænuncia erant Sacramentorum novæ Legis. c) Lev. 19. d) cap. 10.

Neceſſaria utique ſunt Sacramenta novæ Legis, at non neceſſaria neceſſitate abſoluta, ut Deum eſſe, conſtat enim eſſe ſolùm ex Divina bonitate inſtituta. Nec ſunt neceſſaria neceſſitate finis, prout tamen neceſſarium dicitur illud, ſine quo finis haberi non poteſt quia Deus virtutem ſuam non alligavit Sacramentis, non enim Deus eſt coarctatæ virtutis, ut operari nequeat, niſi tali modo, ſed eſt virtutis infinitæ potentis facere id, quod ab intellectu humano, ſive ab Angelico præcogitari nequit. Et de facto Sara Vxor Abrahæ audiens Angelum per os Domini dicentem, habebit filium Sara uxor tua: Sara riſit poſt oſtium Tabernaculi, non intelligens ob debilitatem mentis, quod proprium huius fæminei ſexus eſt, quommodo Deo nihil difficile, vel impoſſibile reputari poteſt; legitur namque in Gen. (e) nunquid Deo quidquam eſt difficile? cui dicto conformatur illud, quod dixit (f) Angelus ad Mariam Virginem, & ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua. Et hoc quare? Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. e) cap. 18. f) Luc. cap. 1.

Dicuntur tamen neceſſaria neceſſitate finis Sacramenta Legis, quæ neceſſitas dicit congruentiam quandam, & utilitatem, ſicut equus dicitur neceſſarius ad iter agendum; hoc pacto dicuntur certò neceſſaria, cum per illa magis fiat congruè hominis reparatio, licet & aliter fieri potuerit. Sicut de Incarnatione Verbi Divini dicitur a (g) D. Thoma fuiſſe neceſſarium Deum incarnari ad humanæ naturæ reparationem, juxtà (h) D. Auguſtinum de Trinitate: verum etiam oſtendamus non alium modum poſſibilem Deo defuiſſe, ſed ſanandæ miſeriæ noſtræ convenientiorem alium modum non fuiſſe; non fuit tamen neceſſarium neceſſitate ſimpliciter tali, hoc eſt neceſſarium, ſine quo aliquid eſſe non poteſt, Deum incarnari ad reparationem humanæ naturæ, eò quia Deus per ſuam omnipotentem virtutem poterat humanam naturam multis aliis modis reparare. Quam neceſſitatem etiam cognoſcens (i) Concilium Tridentinum in Proœmio ante Canones de Sacramentis in genere dicit, conſentaneum viſum eſt, de Sanctiſſimis Eccleſiæ Sacramentis agere, per quæ omnis vera juſtitia, vel incipit, vel incepta augetur, vel amiſſa reparatur. g) 3. p. q. 1. a. 2. h) l. 13. c. 10. i) ſeſſ. 7.

Hinc malè dicebant illi, qui aſſerebant, Sacramenta eſſe indifferentia, non neceſſaria; ſicut & illi, qui volebant, quod Sacramenta Chriſti, & Eccleſiæ non ſint vera Sacramenta, ſed falſa. Quorum dicta à (l) D. Auguſt: contra Fauſtum redarguuntur. In nullum, inquit, nomen religionis, ſeù verum, ſeù falſum coadunari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum, ſeù Sacramentorum niſi filium conſortio colligentur. (m) Et Divus Thomas hoc manifeſtat dicendo, Sacramenta eſſe neceſſaria ad humanam ſalutem non ſolùm ex conditione naturæ humanæ, cujus proprium eſt, ut per corporalia, & ſenſibilia in ſpiritualia, & intelligibilia deducatur. l) l. 19. c. 11. m) 3. p. q. 61. ar. 1.

Et quia pertinet ad Divinam Providentiam, ut unicuique

Digitized by Google

cuique rei provideat ſecundum modum ſuæ conditionis, hinc eſt, quod convenienter divina ſapientia homini auxilia ſalutis confert ſub quibuſdam corporalibus, & ſenſibilibus, quæ Sacramenta dicuntur.

Nec obſtat illud Pauli ad Timot. dicentis corporalis exercitatio ad nihilum utilis eſt, ſiquidem nunc non loquitur de corporali exercitatione, ut præciſe corporalis eſt, ſicut tunc Apoſtolus loquebatur; nam præmiſit prohibentium nubere, abſtinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, benè tamen loquitur de corporali exercitatione, ut quodammodo Spiritualis, ut deſumitur ex [o) ib. ad 1] Div. Thomas, (o) corporalis exercitatio in quantum eſt corporalis non multum utilis eſt, ſed exercitatio per uſum Sacramentorum non eſt pure corporalis, ſed quodammodo eſt ſpiritualis, ſ. per ſignificationem, & cauſalitatem; ſed etiam ex ſtatu hominis, qui peccando ſe ſubdidit per affectum corporalibus rebus. Unde peccant homines, & per concupiſcentiam oculorum, & per concupiſcentiam carnis, & per ſuperbiam vitæ, & ad hæc ſe ſubdunt propter delectationem, propter ſenſum, & propter inanem gloriam, ex quibus naſcitur amor inordinatus rerum temporalium.

Quapropter ut homines ſanentur ab hujuſmodi infirmitatibus, conveniens fuit, ut Deus per quædam corporalia ſigna homini ſpiritualem medicinam adhiberet; Nam ibi, ait D. Thomas, debet medicinale remedium adhiberi homini, ubi patitur morbum, & quia homo patitur, ſicut & paſſus fuit morbum per affectum corporalibus rebus, ibi debet etiam adhiberi remedium, quod eſt Sacramenta, quæ ſunt quædam corporalia ſigna; manifeſtum eſt namque, quod ſi ſpiritualia nuda homini proponerentur, animus hominis utpotè corporalibus deditus non poſſet applicari ſpiritualibus nudis. Et hinc eſt, quod docet D. Th. (p) quod quamvis gratia Dei ſit ſufficiens humanæ [p) ib. ad 4] ſaluti, nihilominus tamen Deus dat hominibus gratiam ſecundum modum eis convenientem; ſ. per Sacramenta, ideoque neceſſaria ſunt hominibus Sacramenta ad gratiam conſequendam.

Denique ex ſtudio actionis humanæ, quæ præcipuè circa corporalia verſatur; quidquid fit, vel cogitatur, vel ſpeculatur ab homine, totum cadit ſub materialibus rebus ſenſibilibus, atque corporalibus; Unde ſubdit Divus Thomas, ne ergo eſſet homini durum, ſi totaliter à corporalibus actibus abſtraheretur, propoſita ſunt ei corporalia exercitia in Sacramentis, quibus ſalubriter exercentur ad evitanda ſuperſtitioſa exercitia, quæ conſiſtunt in cultum Dæmonum, vel qualitercumque noxia, quæ conſiſtunt in actibus peccatorum. Sic igitur concludit Divus Thomas per Sacramentorum inſtitutionem, homo convenienter ſuæ naturæ eruditur per ſenſibilia, humiliatur ſe corporalibus ſubjectum cognoſcens, dùm ſibi per corporalia ſubvenitur; præſervatur etiam à noxiis actionibus per ſalubria exercitia Sacramentorum. Videtur, ergo, quàm neceſſaria ſint Sacramenta ad humanam ſalutem, & ſint cauſa noſtræ ſalutis, utpotè quia hæc omnia contraxerunt ex meritis paſſionis Chriſti, quæ licet ſit cauſa ſufficiens noſtræ ſalutis, ut aſſerit D. [q) ib. ad 3.] Th. (q), per hoc tamen non ſequitur, quod ipſa Sacramenta neceſſaria non ſint ad humanam ſalutem; eò quia operantur in virtute Paſſionis Chriſti, cujus paſſio applicatur quodammodo hominibus per Sacramenta, juxta illud ad Rom. (r) quicumque baptizati [r) cap. 6.] ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus, per quæ verba clarè conſtat, ipſa Sacramenta ſolùm operari in virtute Paſſionis Chriſti.

Secundariò autem manifeſtat Divus Thomas omnia Sacramenta eſſe neceſſaria vel ſimpliciter, vel ſecundum quid; adeòque nullum Sacramentum ſuperfluum eſt, juxta (ſ) D. Thomam dicentem, ad hoc, [ſ) 3. p. q. 65. ar. 4.] quod aliquid non ſit ſuperfluum, ſufficit, quod ſit neceſſarium primo, vel ſecundo modo, hoc eſt, vel ſimpliciter, vel ſecundum quid. Primo autem modo, nempe ſimpliciter tria tantùm Sacramenta, ſ. Baptiſmus, Pœnitentia, & ordo videntur eſſe neceſſaria neceſſitate ſalutis. Duo quidem ſingulari perſonæ; nam baptiſmus ſimpliciter, & abſolutè cum ſine ipſo, qui eſt janua omnium Sacramentorum, ſicut nemo poteſt introire in Eccleſiam Dei, ut unà cum fidelibus Chriſti enumeretur, ita nec intrare poteſt in Regnum Beatorum, utpotè quia non ſunt carratterizati ſigno baptiſmali; unde videtur eſſe neceſſarius baptiſmus neceſſitate medii reſpectu omnium, & ſingulorum, quoniam & pueri ſalvantur per ſolum baptiſmum. (t) [t) ſeſſ. 7. de Bapt. can. 5.] Ob hoc, & Concilium Tridentinum decrevit, ſi quis dixerit, baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt non neceſſarium ad ſalutem; anathema ſit.

Pœnitentia, ſuppoſito peccato mortali poſt baptiſmum, & ideò videtur eſſe neceſſaria reſpectu plurimorum eorum, ſ. qui poſt Baptiſmum inciderunt in peccatum mortale. (u) Sic & Concilium Tridentinum, [u) ſeſſ. 14. cap. 1.] ſtatuit, fuit quidem pœnitentia univerſis hominibus, qui ſe peccato aliquo mortali inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam, & juſtitiam aſſequendam neceſſaria. [x) ib. c. 5.] (x) Et rurſus ſtatuit; ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam eſſe etiam à Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt baptiſmum lapſis jure Divino neceſſariam exiſtere. (y) Et poſtea [y) can. 6] decrevit, ſi quis negaverit confeſſionem Sacramentalem, vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe jure Divino. Anathema ſit.

Sacramentum verò ordinis eſt neceſſarium Eccleſiæ, & hoc reſpectu communitatis adminiſtrandum Sacramenta, certum eſt enim, dixit Sapiens in ſuis Proverbiis, (z) quod ubi non eſt gubernator, populus [z) cap. 9.] corruet. (a) Et Concilium Tridentinum de ordine [a) ſeſ. 23. c. 1.] ſtatuit, cum igitur in Novo Teſtamento Sanctum Euchariſtiæ Sacrificium viſibile ex Domini inſtitutione Catholica Eccleſia acceperit, fateri etiam oportet in ea novum eſſe viſibile, & externum Sacerdotium, in quod vetus translatum eſt. (b) Sicut & decrevit, ſi [b) ib. can. 2.] quis dixerit præter Sacerdotium non eſſe in Eccleſia Catholica alios ordines & majores, & minores, per quos, & velut per gradus quoſdam in Sacerdotium tendatur. Anathema ſit.

Alia denique Sacramenta licet ſint utilia fidelibus, non tamen ſunt neceſſaria ſimpiciter ad ſalutem. Nam Confirmatio quodammodo perficit Baptiſmum, Extrema unctio, Pœnitentiam, Matrimonium verò Eccleſiæ multitudinem per propagationem conſervat. Immò & Euchariſtia, de qua licet dictum ſit à Chriſto Domino, niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis; attamen ut obſervat Divus Thomas ex (c) Divo Auguſtino, illud verbum Domini eſt [c) ad 2.] intelligendum de manducatione ſpirituali, & non de ſola Sacramentali. Quod autem Euchariſtia, quamvis ſit potiſſimum Sacramentorum, quia in ipſo continetur Chriſtus Dominus ſubſtantialiter, (& de hoc in Sacramento Euchariſtiæ) non ſit neceſſaria ſimpliciter, hoc conſtat ex D. Thom. (d) nihil prohibet [d) ad 2. q. 65. a. 4. cit.] aliquid eſſe ſecundum quid dignius, quod tamen non eſt digniùs ſimpliciter. (e) Tum etiam ex Concilio [e) ſeſſ. 21. cap. 4.] Tridentino ſtatuente denique eadem ſancta Synodus docet parvulos uſu rationis carentes, nulla obligari neceſſitate ad Sacramentalem Euchariſtiæ communionem. (f) Et denique decrevit, ſi quis dixerit, [f) ib. can. 4.] parvulis antequam ad annos diſcretionis pervenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem, anathema ſit. Reſtat ergo ex D. Thom. dicendum, alia ſimpliciter, alia ſecundum quid eſſe neceſſaria neceſſitate ſalutis; taliter quod ſi quis omnia Sacramenta contemneret, & propriam animæ ſalutem contemneret. Omnia, inquam, quia ſi non curaret accipere Sacramentum aliquod, quod non eſt neceſſarium de neceſſitate ſalutis, non contemneret illud Sacramentum: (g) Juxta Div. Thom. licet omnium Sacramentorum [g) ib. ad 3] contemptus ſit ſaluti contrarius, non tamen eſt contemptus Sacramenti, ex hoc, quod aliquis non curat accipere Sacramentum, quod non eſt de neceſſitate

ſalutis

Digitized by Google

ſalutis; alioquin omnes, qui non acciplunt ordinem, & qui non contrahunt Matrimonium, contemnerent hujuſmodi Sacramenta; videtur, ergo, quod ſint ne- neceſſaria ſaltem ſecundum quid, & ſicut ſunt neceſſaria, ita nec contenptibilia; & ſicut non ſunt contemptibilia, ita nec ſuperflua; juxta Decretum etiam
h) de Sac. in gen ſeſ 6. can. 4. ipſius Conc. Trid. (*h*) tribuentis majorem vim Doctrinæ Div. Thomæ, ſi quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua, & ſine eis, aut eorum voto, per ſolam fidem, homines à Deo gratiam juſtificationis adipiſci, licet omnia ſingulis neceſſaria non ſint. Anathema ſit.

Neceſſaria ergo ſunt Sacramenta ad humanam ſalutem in nova Lege, ſicut & neceſſaria fuerunt in Lege naturæ, & in Lege Moyſi; In quibus legibus tùm fuiſſe Sacramenta colligitur, tùm ex Divo Aug. tùm ex Sacra Scriptura. Ex Divo Auguſtino, ſiquidem loquendo de Lege naturæ; inquit, non eſt credendum ante datam circumciſionem ſamulos Dei, (quandoquidem eis inerat mediatoris Fidea in carne venturi) nullo Sacramento ejus oppitulatos fuiſſe parvulis ſuis, quamvia quid illud eſſet, aliqua neceſſaria cauſa Scripturæ latere voluit. Et Divus Thomas docet, quod oportebat remedium pro peccato originalis Legis naturæ parvulis applicari, ut ipſi conſequerentur ſalutem, tale autem remedium non poterat eſſe, niſi ſenſibile, etſi ſenſibile non poterat non eſſe Sacramentum, de cujus ratione eſt, quod ſit ſenſibile. Ex Sacra Scriptura, conſtat enim fuiſſe ordinata à Deo aliqua Sacramenta populo illi, qui hæreditas Dei nuocupabatur, ut conſequi poſſet vitam æternam in qua conſiſtit hominis ſalus. Et in Lege nova data fuerunt à Chriſto Domino, qui auctor Sacramentorum eſt, & quænam ſiat ab omnibus ſacris Doctoribus, & à Conciliis ſatis enumerata, atque explica ſunt.

In omni utiq; lege neceſſaria fuerunt Sacramenta ad humanam ſalutem, non tamen in omni ſtatu, nam in ſtatu Innocentiæ, quia nondùm peccatum originale erat contractum, non indigebat homo Sacramentis, nec pro remedio peccati; ſiquidem certum eſt, quod medicina non eſt neceſſaria, niſi ægroto, juxta illud
i) cap. 9. Chriſti Jeſu Matth. (*i*) non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus. Tunc enim homo in ſtatu Innocentiæ optimè ſe habebat: nam in illo ratio Deo ſubjecta erat, & inferiores vires rationi: in ipſo primo homine erant omnes illæ virtutes, quæ illi ſtatui non repugnabant. Unde in illo non eſſe poterat pœnitentia, quia iſta ſupponit peccatum, quod non fuit in illo ſtatu.

In ipſo, etſi tunc adeſſet Matrimonium, attamen Sacramentum non erat, cum ſolum fuiſſet in officium naturæ ad homines procreandos, nec tunc eſſe poterat concupiſcentiæ ardor, quia fomes nondum rebellis advenerat rationi, ſicut nec aliquid aliud erat in illo, quod ille infirmus conſtituere poterat: Ob hoc dicebat Ambroſius, quod omnium virtutum velamine erat opertus. Et Divus Auguſtinus etiam dicebat, quod erat pudicitia ornatus; temperantia com-
l) 1. p. 61 art. 2. poſitus, charitate ſplendidus. (*l*) Et Divus Thomas docet, quod in ſtatu Innocentiæ ante peccatum non fuerint neceſſaria Sacramenta pro remedio peccati, eò quia hoc proveniebat ex rectitudine ſtatus illius, in quo ſuperiora inferioribus dominabantur, & nullo modo dependebant ab eis. Verumtamen non ſolùm pro remedio peccati tunc neceſſaria Sacramenta non fuerunt, ſed nec etiam pro perfectione animæ, ut ait Divus Thomas; contra hunc autem ordinem eſſet, ſi anima perficeretur, vel quantum ad ſcientiam, vel quantum ad gratiam per aliquid corporale, quod fit in *Sacramentis*: Non perficiebatur ergo anima in illo ſtatu, quantum ad ſcientiam, quia, ut bene ait
m) ib. ad 2. Divus Thomas (*m*) etſi eadem natura hominis ſit ante, & poſt peccatum, tamen non eſt idem naturæ ſtatus. Nam poſt peccatum anima etiam quantum ad ſuperiorem partem indiget accipere aliquid à corporalibus rebus ad ſui perfectionem, quod in illo ſtatu hominis neceſſe non erat.

Nec perficiebatur anima in illo ſtatu quantum ad gloriam, ſiquidem licet homo, ut docet Divus Tho- (n) ib. ad 2
mas, (*n*) gratia indigeret in ſtatu innocentiæ, non tamen ut eam conſequeretur per aliqua ſenſibilia ſigna, ſed ſpiritualiter, & inviſibiliter:

Videtur ergo, quod ſolùm poſt peccatum ante ipſum Chriſtum Sacramenta debuerint eſſe, ante legem illam, ſ. quæ proximior erat adventu Chriſti & in qua omnia futura Chriſti venturi prænunciabantur; in iſta ergo ſanctificabantur homines per circumciſionem, & alia Sacramenta. Per circumciſionem, inquam, quia licet initium habuerit ab Abraham, nihilominus tamen dicitur Sacramentum Legis Moſaycæ; non enim in Lege naturæ erant Sacramenta in particulari determinata immediatè ab ipſo Deo, ſed ab hominibus. Circumciſio verò in particulari fuit immediate ab ipſo Deo inſtituta, & determinata quantùm ad omnes ſuos ritus, ut legitur in Gen. (*o*) o) cap. 17.
Hoc eſt pactum meum, quod obſervabitis inter me, & vos & ſemen tuum poſt te Circumcidetur ex vobis omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me, & vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne maſculinum in generationibus veſtris; tàm vernaculus, quàm empticius cicumcidetur, & quicumque non fuerit de ſtirpe veſtra. Eritq; pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum. Maſculus, cujus præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo: quia irritum pactum meum fecit. Iſte fuit ritus circumciſionis, & convenienter a Deo inſtitutus, & determinatus; nam determinare convenientia ſigna eſt ſapientiæ opus, docet Divus Tho- p) 1. p. q. 70 ar. 3. ad 1.
mas, (*p*) qui apertè manifeſtat ritum circumciſionis convenientem fuiſſe, immò convenientem illam fieri in membro generationis, & quia ſignum erat Fidei, qua Abraham credidit Chriſtum ex ſuo ſemine naſciturum, & quia erat in remedium peccati originalis, quod per actum generationis traducitur, & quia ordinabatur ad diminutionem carnalis concupiſcentiæ, quæ præcipuè in menbris illis viget, propter abundantiam delectationis venereorum, & hoc quantum ad illud, quòd dicitur, circumcidetur ex vobis omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me, & vos.

At quia circumciſio opus erat, ut fieret aliquo inſtrumento, hinc eſt, quod ſi quæratur de inſtrumento, quale fuerit, an ferreum, vel potius lapideum?

Reſpondendum erit, quod ſine dubio ferreum inſtrumentum eſſet, quoniam communius utimur cultello ferreo magis, quàm lapideo ad incidendum, & reſponſio, quam adducimus, conformatur doctrinæ D Th. q) ib. ad 2
(*q*) docentis cultellus lapideus non erat de neceſſitate circumciſionis, unde non invenitur tale inſtrumentum præcepto divino determinatum. Neque Iudæi communiter tali inſtrumento utebantur ad circumcidendum, ſicut neque modò utuntur. Quod autem tam Sephora, quàm Ioſue ubi fuerunt, & accutiſſima petra, & cultello lapideo, hoc non facit, quod talia Inſtrumenta fuerint de neceſſitate circumciſionis, ſed ſolùm fuerunt figura circumciſionis ſpiritualis fiendæ per Chriſtum, ut notat Divus Thomas ibid. leguntur tamen aliquæ circumciſiones famoſæ cultello lapideo factæ, ut legitur de Sephora, quod tulit Sephora r) Ex. 4.
(*r*) acutiſſimam petram, & circumcumcidit præputium filii ſui. (*ſ*) Et de Joſue, quod præcepit Do- ſ) cap. 5.
minus illi, fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundò filios Iſrael: per quod figurabatur circumciſionem ſpiritualem eſſe fiendam per Chriſtum, de quo dicitur ad Corinth. (*t*) Petra autem erat Chri- t) 1 Cor. 10.
ſtus.

Quantùm verò ad id, quod additur, Infans octo dierum circumcidetur in vobis, &c. Sciendum eſt, quod talis dies octavus erat de neceſſitate præcepti, ita ſ: quod octavum diem prætermittentes peccabant, etiam ſi eſſet Sabathum, ſecundum etiam illud Ioannis (*u*) circumciſionem accipit homo in Sabatho, ut u) cap. 7.
non

Digitized by Google

non ſolvatur Lex Moyſi. Non tamen erat de neceſſitate Sacramenti, quia ſi aliqui omittebant octavum diem, poſtea poterant circumcidi. Nec in hac re audiendi ſunt illi, qui dicunt, quod propter periculum imminentis mortis poterat octavus dies præveniri, cum hoc non habeatur neque ex auctoritate Sacræ Scripturæ, neque habetur ex conſuetudine Iudæorum, unde nulla neceſſitate præveniebatur octavus dies ex Hugone. (*x*) Et de facto ſuper illud Proverb. Unigenitus eram coram matre mea, Gloſſa dicit, quod alius Bethſabee parvulus non computatur, quia ante octavum diem mortuus nominatus non fuit, & per conſequens nec circumciſus; ut apertè legitur in lib. Regum, (*y*) accidit autem die ſeptima, ut moreretur filius, (*z*) Hoc totum ex D. Th. deſumitur.

x) c. 4.
y) 2. Reg. c. 12.
z) 1. p. q. 70. 3 ad 3.

Per circumciſionem ergo, & alia Sacramenta ſanctificabantur homines, ſecundum etiam illud Divi Auguſtini contra Fauſtum; (*a*) prima Sacramenta quæ celebrabantur, & obſervabantur ex Lege, prænuncia erant Chriſti venturi. Et Divus Thomas, (*b*) ait, oportebat ante Chriſti adventum eſſe quædam viſibilia ſigna, quibus homo fidem ſuam proteſtaretur de futuro Salvatoris adventu; ſequitur ergo, quod ante adventum Chriſti in lege ſcripta debuerunt eſſe Sacramenta per quæ ſanctificabantur homines per fidem Chriſti venturi. Nam nullus ſanctificari poteſt poſt peccarum, niſi per Chriſtum, quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtentionem juſtitiæ ſuæ, ut ſit ipſe juſtus, & juſtificans eum, qui ex fide eſt Chriſti Jeſu, cujus paſſio utique eſt cauſa finalis omnium Sacramentorum, quæ ſ. ad ipſam ſignificandam ſunt inſtituta.

a) l. 19. c. 13
b) 1. p. q. 61. ar. 3.

Et dicitur meritò cauſa finalis, eò quia de ejus ratione eſt non præcedere tempore, ſed ſolùm eſſectum in intentione agentis, & ideò inconveniens non eſt, ſi aliqua Sacramenta fuerint ante paſſionem Chriſti. Juſtificans eum, qui ex fide eſt Chriſti Jeſu, quia ſi ſtatus generis humani poſt peccatum, & ante Chriſtum conſideretur ſecundum fidei rationem, ſic ſemper unus, & idem permanſit, eò quia ſ. juſtificabantur homines per fidem futuri adventus Chriſti. Quo pacto conſideratus etiam fuit à Divo Auguſtino contra Fauſtum, (*c*) quando dixit, ſtatus humani generis non fuit mutatus poſt peccatum uſque ad reparationem factam per Chriſtum. Verùm ut ait Divus Thomas ſi conſideretur ſtatus humani generis poſt peccatum ſecundum intenſionem, & remiſſionem peccati, & expreſſæ cognitionis de Chriſto fuit utique mutatus, cum per incrementa temporum & peccatum cœperit in homine magis dominari, in tantùm quod ratione hominis per peccatum obtenebrata non ſufficerent homini ad rectè videndum præcepta Legis naturæ, ſed neceſſe fuit determinari præcepta in Lege ſcripta, & cum his quædam fidei Sacramenta. Immò oportebat per incrementa temporum magis explicari cognitionem fidei conſequenter neceſſe fuit, ut in veteri Lege quædam Sacramenta fidei, quam habebant de Chriſto venturo, determinarentur.

c) l. 10. c. 16. & 17.
d) Ad 2. ar. 3.

Ex quo ſequitur, quod quamvis poſt peccatum fuerint neceſſaria Sacramenta in utraque Lege, tamen illa, quæ fuerunt ante Legem, comparantur ſicut determinatum ad indeterminatum, non enim ante legem fuit determinate præfixum homini, quibus Sacramentis uteretur, ſicut fuit per Legem, quod erat neceſſarium, & propter obtenebrationem Legis naturalis, & ut eſſet determinatior fidei ſignificatio. Propter quod etiam dicitur, quod quamvis Sacramentum Melchiſedech magis aſſimilentur Sacramento novæ Legis in materia, in quantum ſ. obtulit panem, & vinum, nihilominus tamen Sacramenta Legis Moyſi magis aſſimilantur rei ſignificatæ per Sacramentum ſ. paſſionis Chriſti, ut pat. de Agno Paſchali, & aliis huiuſmodi.

Cæterum ex his colligitur, quod non omnia, ſed ſolùm aliqua Sacramenta veteris Legis habebant aliqualem coreſpondentiam cum novis. Circumciſio enim coreſpondebat baptiſmati; unde & præparatoria fuit ad Baptiſmum, & præfigurativa ipſius. Hinc D. Th. ait, (*e*) quod circumciſio habebat ſimilitudinem cum baptiſmo quantum ad ſpiritualem effectum baptiſmi, quia ſicut per circumciſionem auferebatur quædam carnalis pellicula, ita per baptiſmum homo expoliatur à carnali converſatione. (*f*) Et rurſus docet, quod circumciſio fuit præparatoria quantum ad profeſſionem Fidei, quæ requiritur in baptiſmo in quo certum eſt, quod fit quædam profeſſio fidei, & per baptiſmum aggregatur homo congregationi fidelium, ſicut & antiqui per circumciſionem aggregabantur Collegio fidelium.

e) 3 p. q. 70. a. 1. ad 1.
f) Ib. ad 3.

Comeſtio Agni Paſchalis, & panum propoſitionis Euchariſtiæ coreſpondebat; Omnes purificationes, expiationes, ablutiones, raſio pilorum, ablutio manuum, ac pedum, pœnitentiæ. Conſecrationes Sacerdotum, Sacramento Ordinis; Non omnia, inquam unà cum Divo Thoma, (*g*) ſed aliqua; Etenim Confirmationi, Extremæ unctioni, & Matrimonio nullum Sacramentum tunc coreſpondebat; non Confirmationi, cum Confirmatio ſit Sacramentum plenitudinis gratiæ, quæ in Lege Moyſi nondùm advenerat: non Extremæ Unctioni, eò quia iſta eſt immediata reparatio ad introitum gloriæ, cuius aditus nondùm patebat in Lege veteri. Non Matrimonio, ſiquidem licet fuerit in Lege Moyſi Matrimonium, tamen, ut diximus, erat ſolùm in officium naturæ, non verò ut erat ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia; cum iſta nondùm facta fuiſſet, immò tunc permiſſus erat ad duritiem cordis libellus repudij.

g) 3 p. q. 65 ar. 1. ad 4.

Ex his ſequitur, quàm neceſſarium, immò & convenientius ſit in Lege nova eſſe Sacramenta alia ab iis, quæ erant in lege ſcripta, qua de cauſa docet Divus Thomas, (*h*) oportet, quædam alia Sacramenta eſſe in Lege nova, quibus ſignificentur ea, quæ præceſſerunt in Chriſto præter Sacramenta veteris Legis, quibus pronunciabantur futura. Et Divus Auguſt. (*i*) contra Fauſtum dicit, quod Sacramenta veteris Legis ſunt ablata, quia impleta; ſicut & canit Eccleſia, in hymno paſſionis impleta ſunt, quæ concinit David fideli carmine, de Chriſto videlicet, dicens in nationibus, regnavit à Ligno Deus; in quo omnia veteris Legis conſumata fuere. (Et alia ſunt inſtituta virtute majora) quia iſta cauſant, & non tantùm ſignificant gratiam, illa tantùm eandem ſignificabant, (utilitate meliora,) quia ad iſta patet introitus Regnum Cœlorum, per illa verò additus in Regnum Cælorum promittebatur, (actu faciliora,) quia iſta faciliùs dantur, & ſuſcipiuntur, quàm illa, ut patet de Baptiſmo reſpectu circumciſionis, de Euchariſtia reſpectu Agni Paſchalis, & ſic de aliis (numero pauciora) quia Sacramenta veteris Legis fuerunt eorum ſigna, & quia multa fuerunt ſigna, hinc conſequenter dici poteſt, quod multa fuerunt & Sacramenta, ſumpto nomine Sacramenti latè. Cæterum Sacramenta novæ Legis ad unum certum numerum reducuntur; videlicet ad numerum Septenarium, ad quem numerum non eſt addendum aliquod aliud Sacramentum, ita nec ab illo eſt aliud Sacramentum minuendum, ne fortè anathematizetur, juxta Concilii Trid. (*l*) decretum, ſi quis dixerit, Sacramenta novæ Legis eſſe plura, vel pauciora, quam ſeptem; anathema ſit.

h) 3. p. q. 61. ar. 4.
i) l. 19 c. 13
l) Seſſ. 7. de Sacr. in gen. can. 1.

Ad hunc numerum ſeptenarium Sacramentorum manifeſtandum hac mirabili doctrina utitur Divus Thomas (*m*) Sacramenta Eccleſiæ ordinantur ad perficiendum hominem in eis, quæ pertinent ad cultum Dei, & in remedium contra defectum peccati, ex quo videtur, quod finis omnium Sacramentum eſt vita ſupernaturalis animæ acquirenda, & ad perfectionem deducenda, quæ omnia

m) 3. p. q. 65. ar. 1.

fiunt

Digitized by Google

ſunt cum aliqua ſimilitudine, & proportione ad vitam corporalem: in qua tameo dupliciter aliquis peiſicitur, & quantum ad propeiam perſonam, & per reſpectum ad totam communitatem ſocietatis, in qua vivit, quia homo naturaliter animal ſociale eſt.

Verumtamen reſpectu ſui ipſius perficitur homo in vita corporali dubliciter. Uno modo pee ſe acquirendo ſ. aliquam vitæ perfectionem; alio modo per accidens, ſ. removendo impedimenta vitæ, pota ægritudines, vel ſimilia. Vita autem corporalis per ſe perficitur tripliciter. Primò per generationem, per quam homo incipit eſſe, & vivece: & loco hujus in ſpirituali vita eſt baptiſmus, qui eſt ſpiritualis regeneratio, ſecundum illud ad Titum, (n) per lavacrum regenerarionis, &c.

n) cap 3. Secundò per augumentum, quo aliquis perducitur ad perfectam quantitatem, & virtutem, & loco hujus in ſpirituali vita eſt confirmatio, in qua datur Spiſitus Sanctus ad robur, ſ. ad fidei confeſſionem præſtandam, & ad vincendos Tyrannos; unde dicitur diſcipulis jam baptizatis, Lucæ; (o) vos autem o) cap. ult. ſedere in Civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.

Tertiò per nutritionem, qua eruatur in homine vita, & virtus: & loco hujus in ſpirituali vita eſt Euchariſtia; per quam & anima nutritur, & conſeevatur vita p) cap. 6. ſpiritualis. (p) Unde dicitur in Ioann. caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potns, quapropter niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebiris vitam in vobis.

Et hoc quidem ſufficeret homini, ſi haberet & corporaliter, & ſpiritualiter impaſſibilem vitam. Sed quia ex quo Adam peccavit, homo incurrit interdum, & corporalem infirmitatem, & ſpiritualem, ſ. peccatum, ideò neceſſaria eſt homini curatio ab infirmitate. Quæ infirmitas eſt duplex, una quidem eſt ſanatio, qoæ ſanitatem reſtituit, & loco hujus in ſpirituali vita eſt pœnitentia, pee quam ſanatur ægritudo animæ à morbo peccati, unde & Pſaltes (q) dicebat, ſana animam meam, quia q) Pſal. 40. peccavi tibi; infirmatur namque anima per peccatum, ut autem ſanetur, indiget medicamento pœnitentiæ.

Alia autem eſt reſtitutio valetudinis priſtinæ per convenientem dietam, & exercitium; & loco hujus in vita ſpirituali eſt extrema unctio, quæ removet peccatorum reliquias; & hominem paratum r) cap. 5. reddit ad finalem gloriam; (r) Unde dicitur Jacobi, infiemarur quis in vobis? Inducat præsbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei ſalvabit infiemum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.

Perficitur homo in ordine ad totam communitatem dupliciter. Uno modo per hoc, quod accipit poteſtatem regendi multitudinem, & exercendi actus publicos: Et loco hujus in ſpirituali vita eſt Sacramentum Ordinis; per hoc enim ſuſcipit homo poteſtatem; vel regendi multitudinem, vel miniſtrandi plura officia, quapropter Sacerdotes habent offerre hoſtias pro ſe, & pro populo, juxta ſ) cap. 7. illud Pauli ad Hæb. (ſ) qui non habet neceſſitatem, loquendo de Chriſto, quotidie quemadmodum Sacerdotes, prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi. Secundò quoad propagationem naturalem, quod fit per matrimonium tàm in corporali, quàm in ſpirituali vita ex eo, quod non ſolùm eſt Sacramentum, ſed naturæ officium. Hęc doctrina Divi Thomæ magis accipit vim ex iis, quæ habentur in Decreto Vnionis Armenorum ſub Eugenio Quarto ſedente in Pontificatu Anno Domini 1413 habetur enim, novæ Legis ſeptem ſunt Sacramenta, ſ. Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Horum quinque prima ad ſpiritualem uniuscujusque hominis in ſeipſo perfectionem, duo ultima ad totius Eccleſiæ regimen, & multitudinem ordinata ſunt. Per baptiſmum enim renaſcimur ſpiritualitee, per confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide, renati autem, & roborati nutrimur divinæ Euchariſtiæ alimonia; quod ſi per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per pœnitentiam ſpiritualitee ſanamur, ſpiritualiter etiam, & corporaliter, (prout animæ expedit), pee Extremam unctionem, per Ordinem vero Eccleſiæ gubernatur, & multiplicarur ſpiritualiter, per Matrimonium corporalites augetur.

Pariter Sacramenta ordinantur contra defectum peccati. Baptiſmus enim ordinatur contra carentiam vitæ ſpiritualis; Confirmatio contra infirmitatem animi, quæ in nuper natis invenitur. Euchariſtia contra labilitatem animi ad peccandum. Pœnitentia contra actuale peccatum poſt Baptiſmum commiſſum. Extrema unctio contra reliquias peccatorum, quæ ſ. non ſunt ſufficienter, per pœnitentiam ſublatæ aut ex negligentia, aut ex ignorantia, (intellige de ignorantia inexcuſabili,) Ordo contra diſſolutionem multitudinis; Matrimonium in remedium contra concupiſcentiam perſonalem, & contra defectum multitudinis, qui per mortem accidit.

Septem ergo Sacramenta ſunt, quæ tamen omnia habent efficaciam ex virtute divina, & ex virtute paſſionis Chriſti; quæ quamvis una ſit virtus divina, & una paſſio Chriſti, attamen, quia ut ait D. Thomas, (t) virtus divina, & paſſio Chriſti ope- t) 3. p. q. 65. 1. ad 1 rantur in nobis per diverſa Sacramenta, quaſi per diverſa inſtrumenta. Hinc mirum non debet eſſe, ſi ſeptem ſunt Sacramenta, & una divina virtus & una Chriſti paſſio, utpotè quia iſta ſe habet, ut cauſa principalis in ordine ad diverſa Sacramenta.

Septem ergo, nec plura, quàm ſeptem, nam ſub iſtis ſeptem Sacramentis enumeratis, & à Conciliis approbatis non comprehenduntur aqua benedicta, & aliæ conſecrationes, puta Altaris, vaſorum, &c. & hoc quia, (u) ut docet Divus Tho- u) ib. ad 6 mas, non perducunt ad Sacramenti effectum, qui eſt gratiæ conſecutio; licet ex alio capite ſint diſpoſitiones quædam ad Sacramenta, vel removendo prohibens, ut aqua benedicta ordinatur contra inſidias Dæmonum, & contra peccata venialia; vel etiam idoneitatem quandam faciendo ad Sacramenta perfectionem, & perceptionem, ſicut conſecrantur altare, & vaſa propter reverentiam Euchariſtiæ. Unde & hæc omnia Sacramentalia dicuntur.

Septem ergo tantùm ſunt Sacramenta novæ Legis, & ideò numero pauciora, ac Sacramenta veteris Legis, inter quæ enumerabantur etiam oblationes, & decimæ, ut notat Divus Thomas; (x) o- x) ib. ad 4 blationes, & decimæ erant tàm in Lege naturæ, quàm in Lege Moyſi ordinatæ non ſolùm in ſubſidium miniſtrorum, & pauperum, ſed etiam in figuram, & ideò erant Sacramenta, nunc autem non remanſerunt, in quantùm ſunt figuralia, & ideò non ſunt Sacramenta.

Septem ergo ſunt Sacramenta novæ Legis, & ſunt illa, quæ jam enumeravimus, at quia non ſufficit tantùm illa enumerare, verùm etiam requiritur ordinatè illa enumerare, talis autem ordinata enumeratio fundamentum accipit ab illo, quod dicitur, quod unum eſt prius, quàm multitudo; ſi hoc verum eſt, ut veriſſimum conſtat eſſe, veromerit etiam quod & Sacramenta, quæ ordinantur ad perfectionem unius perſonæ naturaliter debent præcedere ea, quæ ordinantur ad perfectionem multitudinis, & inter illa, quæ ordinantur ad perfectionem unius perſonæ naturaliter, debent eſſe priora illa, quæ per ſe ordinantur ad perfectionem vitæ ſpiritualis; quam illa, quæ ordinantur per accidens, ſ. ad removendum accidens nocivum ſuper-

venieus

Digitized by Google

veniens, cujuſmodi ſunt Pœnitentia, & Extrema unctio; & quod per accidens iſta duo nominata Sacramenta ordinentur ad perfectionem vitæ ſpiritualis, clarè demonſtratur à Divo Thoma docente, (y) pœnitentia ex neceſſitate non requiritur, ut præparatoria ad Euchariſtiam, taliter quod ſi aliquis eſſet ſine peccato mortali, non indigeret pœnitentia ad ſumptionem Euchariſtiæ, & ſic patet, quod per accidens pœnitentia præparat ad Euchariſtiam, ſ. ſuppoſito peccato: unde adducitur & illud Paralip. (z) tu Domine juſtorum non poſuiſti pœnitentiam juſtis. (a) Ex quo ſumpſit Eminentiſſimus Cajetanus occaſionem docendi, quod præceptum divinum non obligat hominem ad confeſſionem ſine mortali peccato, maximè quia nullum Sacramentum directè ordinatur contra peccatum veniale; & hoc quia deſumitur etiam ex communi doctrina Theologorum ponentium inter conditiones Confeſſionis, quod ſit integra, quod non niſi de mortalibus intelligi poteſt.

y) 1. p. 6. ar. 3. ad 4.

z) 1. c. ad 3. ſ. ut ad 4.

Pariter peccata venialia accidunt homini, ad quæ dimittenda ordinatùr Extrema unctio, ut jam ex D. Jacobo dictum eſt; & Divus Thomas (b) ponit Extremam unctionem propter hoc ultimum Sacramentum inter illa tamen, quæ ordinantur ad perfectionem unius perſonæ, (c) Idcircò & docet, poſterior tamen eſt naturaliter Extrema unctio, quæ conſervat ſanationem, pœnitentia, quæ inchoat. Inter alia verò tria, ſubdit Divus Thomas, & unà cum Divo Thoma nos dicimus, quæ ordinantur ad perfectionem unius perſonæ, per ſe tamen. Manifeſtum eſt, quod Baptiſmus, qui eſt ſpiritualis regeneratio, eſt prius, deinde Confirmatio, quæ ordinatur, ad formalem perfectionem virtutis, & poſtmodum Euchariſtia, quæ ordinatur ad perfectionem ſive conſecutionem finis.

b) ib. ad 5.

c) ib. in c.

Alia verò duò Sacramenta quę ſunt Ordo, & Matrionium, ſubſequentur ad illa quinque, utpotè quia ordinantur ad perfectionem multitudinis; qua de cauſa dicit Divus Thomas; Matrimonium ponitur poſt Ordinem, eò quod minus participat de ratione ſpiritualis vitæ, ad quam ordinantur Sacramenta. Immò loquendo de Matrimonio, quare ponitur poſt Ordinem, (d) & ultimum inter Sacramenta, dicit, quod hoc ſit, quia minimum habet de ſpiritualitate, ultimò ponitur inter Sacramenta; Sicut & loquendo de Ordine, quare ponitur poſt alia? cum per Sacramentum Ordinis aliquis accipiat poteſtatem agendi actiones Sacramentales; & agens ſit prior ſua actione, (e) docet, quod ad hoc, ut aliquis ſit agens, præſupponitur, quod ſit in ſe perfectum: per Sacramentum verò Ordinis præſupponitur homo in ſe perfectus, ut poſtea reddatur potens ad tales actiones Sacramentales exercendi, & ideò meritò priora ſunt Sacramenta, quibus homo perficitur in ſeipſo, quàm Sacramentum Ordinis, quo homo conſtituitur perfector aliorum.

d) ib. ad 1.

e) ib. ad 3.

Hanc autem enumerationem, quàm poſuimus ex Divo Thoma, immò & ipſum ordinem enumerationis habemus veluti in confirmationem eorum omnium, quæ ſanè unà cum D. Thoma dicimus, de ſeptem Sacramentis in Catechiſmo, (f) ubi apertè legitur; primus enim eſt baptiſmus; veluti cœterorum janua, quo Chriſto renaſcimur. Deinde Confirmatio, cujus virtute ſit, ut divina gratia augeamur, & roboremur; Baptizatis enim jam Apoſtolis, ut Divus Auguſtinus teſtatur, inquit dominus, ſedete in Civitate, donec induamini virtute ex alto. Tùm Euchariſtia, qua tanquàm cibo verè cęleſti ſpiritus noſter alitur; & ſuſtinetur; de ea enim dictum eſt à Salvatore, caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Sequitur quarto loco pœnitentia, cujus ope ſanitas amiſſa reſtituitur poſtquam peccati vulnera accepimus. Poſtea verò Extrema unctiò, qua peccatorum reliquiæ tolluntur, & animi virtutes recreantur, ſiquidem, & D. Jacobus, cum de hoc Sacramento loqueretur, ita teſtatus eſt, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. Sequitur Ordo, quo publica Sacramentorum miniſtéria perpetuò in Eccleſia exercendi, ſacraſque omnes functiones exequendi poteſtas traditur. Poſtremò addit Matrimonium, ut ex maris, & fœminæ legitima, & ſancta conjunctione filij ad Dei cultum, & humani generi conſervationem procreentur, & religioſè educentur.

f) 1. p. de Sac. in gen. nu. 21

Septem ergo tantùm ſunt Sacràmenta novæ Legis, & diverſa ab illis, quæ fuerunt in veteri Lege; ſiquidem, ut diximus, Sacramenta ſunt quædam Spirituales medicinæ; & cum hoc ſit certum, certiſſimum videtur eſſe. quod cum eadem medicina non poſſit competere parvulo, & adulto, nam ſtatus Legis imperfectus fuit, & ideò comparatur puerili ætati, & ſtatus temporis gratiæ, cum ſit perfectus, comparatur etiam ætati perfectæ. Unde Paulus dicebat, Lex vetus eſt quaſi pædagogus puerorum, Lex nova eſt Lex perfectionis, quia eſt Lex charitatis, benè ſequitur, quod Sacramenta novæ Legis ſint diverſa ab illis, quæ erant in Lege Moſayca. (g) Et de facto Divus Thomas ait, quod Patres antiqui ſalvi facti ſunt per fidem Chriſti venturi, & nos ſalvamur per fidem Chriſti jam nati, & paſſi. (h) Et Divus Auguſtinus contra Fauſtum inquit, eadem res aliter enunciatur facienda, aliter facta: ſicut ipſa verba paſſurus, & paſſus non ſimiliter ſonant.

g) 1. q. 61. a. 4.

h) l. 19. c. 16.

Diximus, quod Patres antiqui ſalvi facti ſunt &c. & nos ſalvamur &c., ut certò ſciamus, quod ſolis viatoribus indigentia Sacramentorum eſt, non verò Beatis: Et quamvis in ſtatu gratiæ ſimus, in illo inquam ſtatu, in quo ceſſavit figura, cum jam veritas manifeſtata fuerit, quæ eſt Chriſtus Jeſus; nihilominus tamen dùm ſumus in hac via, etſi cognoſcimus veritatem, illam tamen cognoſcimus per ſpeculum, & in ænigmate, juxta illud Pauli ad Corinth. (i) videmus nunc per ſpeculum, & in ęnigmate, tunc autem facie ad faciem; Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum. (l) Et Divus Dionyſius capit. de Cœleſti Hierarchia hoc manifeſtat dicendo, ſtatus novæ Legis medius eſt inter ſtatum veteris Legis, cujus figuræ implentur in nova Lege, (non tamen omnia ſigna, cum nunc, ut ſubdit Divus Thomas, oporteat nos per aliqua ſenſibilia ſigna in ſpiritualia devenire, quod pertinet ad rationem Sacramentorum,) & inter ſtatum gloriæ, in qua omnis nudè, & perfectè manifeſtabitur veritas; & ideò tunc nulla erunt Sacramenta, non .n. ſunt in ſtatu adipiſcendæ novę gratiæ, ut fiant poſſeſſores novæ gloriæ. Sic nos indigemus gratia, quam acquirimus per Sacramenta novæ Legis, quæ verè gratiam continent, & cauſant: nec Apoſtolus loquitur de Sacramentis veteris Legis, dùm dixit, cum eſſemus parvuli, ſub elementis eramus ſervientes, ſed loquitur de Sacramentis Legis veteris, quæ utique infirma ſunt, & egena elementa, vocat ad Galat. (m) infirma utique, quia non cauſant gratiam, & egena, quia illa non continent.

i) 1. c. 13.

l) cap. 5.

m) cap. 4

Ex quibus tamen omnibus non ſequitur, quod in Deo ſit aliqua mutatio, ſicut nec apud illum eſt aliqua viciſſitudinis obumbratio, ex eo, quod alia Sacramenta inſtituit poſt Chriſti adventum, alia temporis Legis, nam illa fuerunt congrua gratię pręfigurandæ, hæc autem congrua gratiæ præſentialitèr demonſtrandæ. Unde & in corpore articuli ait Divus Thomas, Sacramenta ſunt quædam ſigna proteſtantia fidem, qua homo juſtificatur, oportet autem aliis ſignis ſignificari futura, præterita, ſeù præſentia. Et hoc magis manifeſtat exemplo de Patrefamilias, iſte namque non ex hoc habere monſtratur mutabilem voluntatem, quod diverſa præcepta familiæ ſuæ proponit pro temporum varietate, non eadem præcipiens hyeme, & æſtate, ſic nec Deus, conveniens erat, ut eadem præciperet tempore Legis, quæ hyemi comparari poteſt,

ac tem-

ac tempore gratiæ, quę meritò tempore æſtatis comparantur.

Supra Quæſtionem 62. Divi Thomæ.

De Principali effectu Sacramentorum, qui eſt gratia.

Divus Thomas in hac quæſtione jam ſupponit quod Sacramenta, tùm Legis naturæ, tùm Legis ſcriptæ, in quibus factę fuerunt pror‑ ‑iones, & repromiſſiones de Chriſto venturo. [illegible] nim ad Abraham dictum fuit Gen. (a) & benedicentur in
a) cap. 22 ſemine tuo omnes gentes terræ; de quo & dicitur, omnes gentes ſervient ei, ſic & Daniel (b) vidit,
b) ca. 7. dum ait; aſpiciebam in viſione noctis, & ecce cum nubibus Cœli quaſi filios hominis veniebat, & uſque ad antiquum dierum pervenit, & in conſpectu ejus obtulerunt eum: Et dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum; & omnes populi, tribus, & linguæ ſervient ei: poteſtas ejus, poteſtas ęterna, quę non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur.
c) cap. 1. Et quod iſte ſit Filius Dei promiſſus Patribus, jam in Luc. (c) habemus, vocabis nomen ejus Jeſum; Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem David Patris ejus. & regnabit in Domo Jacob in ęternum: ſic Iſaac, ſic & Jacob promiſit Deus ex ſemine ipſorum naſciturum eſſe Chriſtum Jeſum, unde legitur Gen.
d) cap. 28. (d) & benedicentur in te, & in ſemine tuo cunctę tribus terrę. Propterea Jacob antequam moreretur,
e) cap. 49. (e) prophetavit dicens, non auferetur ſceptrum de Juda, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit ex‑
f) Ex. c. 4. pectatio gentium. (f) Unde & Moyſes dixit ad Dominum, obſecro Domine, mitte, quem miſſurus es; ſolùm promittebant, & ſignificabant gratiam, nullatenus autem cauſabant illam, propterea rectè dicitur, quod in illa Moſaica Lege, & à fortiori in Lege naturę. Sacramenta infirma, & egena elementa erant, quia nec cauſabant, nec continebant gratiam, unde tantùm prępuncia erant Sacramentorum novę Legis, quę verè continent, & cauſant gratiam per Chriſtum, per quem impleta ſunt omnia, quę in veteri Lege in figura contingebant illis. Quam merito dicitur per Moyſem ſervum pręnunciatio, per Dominum Jeſum ſalutis impletio, jam ex ſe ſatis conſtat, ſicut, & patebit per ea, quæ dictura ſumus.

Vidimus, Sacramentum eſſe in genere ſigni, & quod vidimus, audivimus etiam ex Sanctis Patribus uno ore dicentibus illud eſſe in genere ſigni; pręcipuè
g) l. 10. c. 5. tamen ex Divo Auguſtino (g) de Civitate Dei, ſacrificium viſibile inviſibilis ſacrificij Sacramentum, ſ. ſignum ſacrum eſt: non verò in genere cauſę pro‑
h) ſupra 3. p. q. 60. ar. 1. priè ſumptę, cum jam à Divo Thoma (h) dictum fuerit, Sanctitas, à qua denominatur Sacramentum, non ſignificatur per modum cauſę efficientis, ſed magis per modum cauſę formalis, vel finalis, & ideò non oportet, quod Sacramentum ſemper importet cauſalitatem. Et de facto à Divo Thoma, utique quęritur, an Sacramenta ſint cauſa gratię, non verò an dicantur cauſa gratię; ſolus enim Deus dicitur cauſa gratię;
i) 1. c. 15. ſic Paulus teſtatur ad Corinth. (i) dùm de ſeipſo loquendo dixit, gratia Dei, ſum id, quod ſum. Sacramenta verò accipiunt virtutem à Deo in cauſando gratiam. Igitur videtur, quod Deus ſit cauſa principalis gratię; dat enim gratiam homini, quando vult, & cui vult, unde ſtat illud Joannis, (l) Spi‑
l) cap. 3. ritus ubi vult, ſpirat, & vocem ejus audis, ſed neſcis, unde veniat, aut quo vadat. Sacramenta autem ſunt cauſa ſolùm inſtrumentalis gratię,

Sic docet & Divus Thomas, dùm aſſignat duplicem cauſam agentem, principalem, & inſtrumentalem. Principalis, inquit, operatur per virtutem ſuæ formæ, cui aſſimilatur effectus, ſicut ignis ſuo calore calefacit. Et hoc modo non poteſt cauſare gratiam, niſi Deus, quia gratia nihil aliud eſt, quam quædam participata ſimilitudo divinæ naturæ, ſecundum illud Petri, (m) magna nobis, & pretioſa l) 1. 2. q. 112. ar. 1.
donavit, ut divinæ ſimus conſortes naturæ.

Inſtrumentalis non agit per virtutem ſuæ formæ, ſed ſolùm per modum, quo movetur à principali agente, unde effectus non aſſimilatur inſtrumento ſed principali agenti; ut patet, etenim lectus non aſſimilatur ſecuri, ſed arti, quæ in mente artificis. Et de facto nonne ſalvos nos fecit per lavacrum regenera‑ m) 2. c. 1.
tionis? ut dixit Paulus ad Titum. Et Divus Auguſtinus (o) contra Fauſtum, nonne dixit, hęc n) c. 3.
omnia ſ. Sacramenta ſunt, & tranſeunt, virtus tamen ſ. Dei, quæ per iſta operatur, jugiter manet. Et hoc propriè dicitur inſtrumentum, per quod aliquis operatur. Rurſus ex Divo Auguſtino (p) ſuper o) l. 19. c. 16
Joann. habetur, quod aqua baptiſmalis corpus tangit, & cor abluit.

Et Divus Thomas (q) ex hoc docet, quod in‑ p) tr. 80.
ſtrumentum habet duas actiones, unam inſtrumentalem, ſecundum quam operatur, non in virtute propria, ſed in virtute principalis agentis. Aliam habet actionem propriam, quæ competit ſibi ſecundum propriam formam: Et ideò Sacramenta corporalia per propriam operationem, quam exercent circa corpus, quod tangunt, efficiunt operationem inſtrumentalem ex virtute divina circa anima, ſicut aqua baptiſmi abluendo corpus ſecundum propriam virtutem abluit animam, in quantum eſt inſtrumentum virtutis divinæ, nam ex anima & corpore unum fit; & ideò bene dicitur à Divo Auguſtino, aqua baptiſmalis corpus tangit, & cor abluit: ac proinde benè Divus Thomas docet, quod neceſſe eſt dicere, Sacramenta novæ Legis per aliquem modum gratiam cauſare. Et hoc quia per Sacramenta novæ Legis homo Chriſto incorporatur, unde & efficitur homo membrum Chriſti per gratiam, ſic & q) ad 2.
Paulus ad Galat. (r) dixit, quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.

Per aliquem modum utique gratiam cauſare neceſſe eſt Sacramenta novæ Legis, quia certum eſt, eſſe proprium Dei cauſare gratiam, utpotè quia Deus eſt agens principale gratiæ, idcircò id, quod hoc pacto eſt proprium Dei, nullæ creaturæ attribui debet, & ſi attribuatur illi cauſare gratiam, non attribuitur illi ratio cauſæ principalis, cum tota virtus cauſativa gratiæ in Chriſto ſit, bene tamen attribuitur illi aliqua virtus inſtrumentalis; & ideò dicitur, quod ſint cauſa gratiæ ad differentiam Sacramentorum veteris Legis, quia iſta ſolùm erant ſigna, & figura paſſionis Chriſti futura, adeòque ſolùm habebant vim excitativam moralem, per quam Deum movebant ad gratiam conferendam, licet non continerent vim inſtrumentalem productivam gratię, ſicut Sacramenta novæ Legis; unde bene Divus r) cap. 3.
Thomas (ſ) dicit, quod Sacramenta novæ Legis ſimul ſunt ſigna, & cauſæ juxta illud quod communiter dicitur, efficiunt, quod figurant. Promittebant ergo Sacramenta utriuſque Legis illam juſtificantem ſ) ib. ad 2.
quam Sacramenta novę Legis tribuunt. (t) Juxta etiam Div. Thom. docentem, non poteſt dici, quod Sacramenta veteris Legis conferrent gratiam juſtificantem per ſeipſa, ſ. quia nulla virtus illis inerat, quoniam non fuiſſet neceſſaria paſſio Chriſti, t) q. cit. a. 6 in c.
juxta illud Pauli ad Galat. (u) ſi ex lege eſt juſtitia, Chriſtus gratis mortuus eſt.

Pariter nec dici poteſt, quod ex paſſione Chriſti virtutem haberent conferentem gratiam juſtificandi. Nam virtus Paſſionis Chriſti copulatur nobis per fidem, & Sacramenta: differenter tamen, nam continuatio, quæ eſt per fidem, fit per actum animæ, continuatio autem, quæ eſt per Sacramenta, fit per uſum exteriorum rerum. Nihil autem prohibet id, quod eſt poſteriùs tempore, antequam ſit, movere

ſecun-

Digitized by Google

ſecundum quod præcedit in actu animæ, ſicut finis qui eſt poſterior tempore, movet agentem, ſecundum quod eſt aprehenſus, & ab ipſo deſideratus: ſed illud, quod nondùm eſt in rerum natura, non movet ſecundum uſum exteriorum rerum. Unde cauſa efficiens non poteſt eſſe poſterior in eſſe ordine durationis, ſicut cauſa finalis Manifeſtum ergo reſtat dicendum, quod ex paſſione Chriſti, quæ eſt cauſa humanæ juſtificationis, convenienter derivatur virtus juſtificativa ad Sacramenta novę Legis, non autem ad Sacramenta veteris Legis, licet poſtea paſſio Chriſti, ut finalis cauſa conjungatur per fidem tàm nobis, quàm antiquis, utrimque namque ſalvamur per fidem paſſionis Chriſti, ſed non utrique per Sacramenta virtuoſa à paſſione Chriſti, juxta Divum Th. docentem; & tamen per fidem paſſionis Chriſti juſtificabantur antiqui Patres, ſicut & nos.

Sacramenta autem veteris Legis erant quædam illius fidei proteſtationes, in quantum ſignificabant paſſionem Chriſti, & effectus ejus; hinc ergo eſt, quod Sacramenta veteris Legis non habebant in ſe aliquam virtutem, quæ operabatur ad conferendam gratiam juſtificantem, ſed ſolùm ſignificabant fidem, per quam juſtificabantur.

x ad 1. 16. Quod magis explicatur à D.Th. (*x*) antiqui Patres habebant fidem de paſſione Chriſti futura, quæ ſecundum quod erat in aprehenſione animæ, poterat juſtificare. Nos autem habemus fidem de paſſione Chriſti præcedenti, quæ poteſt juſtificare etiam ſecundum realem uſum Sacramentalium rerum At Conc. Trid. (*y*) approbando hanc doctrinam D.Th.& in confirmationem ejuſdem ſtatuit, atque decrevit; quod ſi quis dixerit, hæc Sacramenta, (novæ Legis) propter ſolam fidem nutriendam inſtituta fuiſſe. Anathema ſit. [y Seſſ. 7. can. 5. de Sacr. in gen.]

Immò & Concil. Florentinum in decreto Sanctæ unionis hæc habet, illa v. Sacramenta veteris Legis non cauſabant gratiam, ſed ea ſolùm per paſſionem Chriſti dandam figurabant, noſtra verò, ſ. Sacramenta novæ Legis gratiam continent. Quod idem habetur ex Conc. Trid. (*z*) ſi quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem, anathema ſit. Cauſant ergo Sacramenta novæ Legis, & inſtrumentaliter cauſant, cum etiam cauſent gratiam ex opere operato, ex virtute ſ. paſſionis Chriſti: ſic n. dicitur illa cauſare gratiam ex opere operato, eo quia conferre gratiam ex opere operato nihil aliud ſonat, quàm conferre gratiam immediatè per ſeipſa, ex virtute, quam habent ex paſſione Chriſti, quæ eſt opus operatum; non verò ex merito conficientis, vel dantis, vel illa recipientis. Quapropter Concil. Trid (*a*) ſtatuit, ſi quis dixerit per ipſa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem divinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere: Anathema ſit. Quam benè Div. Th. (*b*) determinavit docendo, quod in Sacramentis ſit aliqua virtus cauſativa gratiæ inſtrumentalis tamen, cum jam, & à Concilio Tridentino hoc idem ſtatutum fuit per illa verba modò citata, & habita in Can. ejuſdem Conc. Unde docuit, ex eo, quod Sacramentum ſit inſtrumentalis cauſa gratiæ, neceſſe eſt, inquit, ponere, quod in Sacramento ſit quædam virtus inſtrumentalis ad inducendum Sacramentalem effectum. Quæ virtus utique proportionatur inſtrumento, unde, & comparatur ad virtutem abſolutam, & perfectam alicujus rei, ſicut comparatur inſtrumentum ad agens principale; & quia inſtrumentum non operatur, niſi in quantum eſt motum à principali agente, quod per ſe operatur, hinc eſt, quod Sacramentum etſi operatur, operatur ſolùm, in quantum accipit virtutem ex alio, v. ex Chriſto Domino, qui eſt agens principale cauſativum gratiæ. [z ib. can. 6.] [a ib. can. 8.] [b ar. ib.]

c tr. 80. Hoc manifeſtat Divus Auguſtinus in Joann. (*c*) dum ait; Unde tantas vis aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat. Certum eſt, quod non niſi à Chriſto Domino. Et quod ita ſit habetur ex Beda, Dominus tactu ſuæ mundiſſimæ carnis vim regenerativam contulit aquis, deducamus ergo hanc illationem, tanquam certùm, ergo virtus principalis acauſativa gratiæ tota eſt in Chriſto, & in Sacramentis eſt ſolùm aliqua virtus inſtrumentalis ipſius gratię cauſativa.

Nec mirum inquit Aug. quod aquam, hoc eſt ſubſtantiam corporalem ad purificandam animam dicimus pervenit: pervenire plane, & penetrat conſcientiæ univerſa latibula, quamvis ipſa ſit ſubtilis, & tennis, benedictione tamen Chriſti facta ſubtilior occultans vitæ cauſas, ad ſecreta mentis ſubtiliora. Et Divus Thomas (*d*) Sacramentum conſequitur ſpiritualem virtutem ex benedictione Chriſti, & applicatione miniſtri ad uſum Sacramenti; ſicut nec mirum, ſi in rebus corporalibus tanta ſit virtus ſpiritualis cauſativa gratiæ, eò quia eſt in illis virtus ſpiritualis inſtrumentalis, in quantum ſ. corpus poteſt muneri ab aliqua ſubſtantia ſpiritualis ad aliquem effectum ſpiritualem inducendum; ſed mirum eſſe deberet, ſi in illis eſſet virtus ſpiritualis per modum virtutis permanentis, & completæ, ſicut eſt virtus agentis principalis teſte D.Tho. (*e*) virtus agentis principalis habet eſſe permanens, & completum eſſe in natura; at virtus inſtrumentalis habet eſſe tranſiens ex uno in aliud, & incompletum, quod exemplicar dicendo, ſicut & motus eſt actus imperfectus ab agente in patiens: (*f*) & rurſus à ſimili, ſicut motus, eò quod eſt actus imperfectus non propriè eſt in aliquo genere, ſed reducitur ad genus actus perfecti, ita virtus inſtrumentalis non eſt propriè loquendo in aliquo genere, ſed redducitur ad genus, & ſpeciem virtutis perfectæ. [p ib. ad 1] [e ib. in c.] [f ib. ad 2.]

At quia cauſare gratiam eſt continere gratiam, hinc rectè ſequitur, quod ſi Sacramenta cauſant gratiam, continent & gratiam. Et quia cauſant gratiam ſolùm inſtrumentaliter, continent etiam gratiam inſtrumentaliter tantùm, & ideò à Divo Thoma (*g*) dicitur, quod quamvis gratia ſit in Sacramentis, ſicut in ſigno, cum Sacramentum ſit ſignum gratiæ; attamen non eſt ſicut in cauſa univoca, ſiquidem gratia non eſt in Sacramento novę Legis ſecundum ſimilitudinem ſpeciei, ſicut effectus eſt in cauſa univoca, loquendo tamen de effectu ejuſdem rationis, ut homo genitus ex homine generante; non eſt ſicut in cauſa æquivoca, eò quia non eſt ſecundum aliquam formam propriam, & permanentem proportionatam ad talem effectum, ſicut ſunt effectus in cauſis non univocis, puta res generatę in Sole; Sol enim eſt cauſa æquivoca reſpectu harum rerum ſublunarium ab ipſo genitarum, atq; productarum ex virtute ſua, utpotè cauſa inſtrumentalior. Eſt tamen gratia in Sacramentis, ſicut in cauſa inſtrumentali; ac proinde dicitur à D. Th. quod eſt ſecundum quamdam inſtrumentalem virtutem, quæ eſt fluens, & incompleta in eſſe naturæ; quo pacto etiam ſubditur à D. Th. (*h*) non inconvenienter Sacramentum dicitur continere gratiam. [g 1.p.q.8 a.3] [h ad 3 ib]

Nec officit, quod gratia ſpirituale quodam ſit, & Sacramentum quodam corporale, & ſpirituale non continetur à corporali, etiam ſi in eo ſit, ſiquidem ſpirituale non continetur in ſpirituali ſecundum eſſe perfectũ, ſed ſecundum eſſe fluens, & incompletum: ſpirituale utiq; inquit D. Th. exiſtens perfectè in aliquo continet ipſum & non continetur ab eo: gratias autem eſt in Sacramento ſecundum eſſe fluens, & incompletum. Sicut nec dicitur eſſe in Sacramento, ſicut in ſubjecto ipſa gratia, immò nec ſicut in vaſe, prout vas eſt locus quidã, bene tamen eſt in vaſe, prout vas dicitur inſtrumentum alicujus operis faciendi, ſecundum illud Ezech. (*i*) unuſquiſque vas interfectionis habet in manu ſua. Et licet gratia ſit accidens, & accidens non tranſeat de ſubiecto in ſubiectum, tranſit tamen à cauſa aliqualiter in ſubjectum per inſtrumentum, nec ut eodem modo ſit in eis, ſed in unoquoque ſecundum propriam rationem. [i Cap. 9.]

Sacramenta novæ Legis nunquam haberent aliquam virtutem inſtrumentalem cauſativa gratiæ, ſi illam non haberent ex paſſione Chriſti, ex cujus latere, dùm in Cruce obdormivit, fluxerunt Sacramenta, per quæ ſalvata eſt Eccleſia: id-

circò ſi Sacramenta habeant cauſare gratiam, illam habent cauſare ex paſſione Chriſti; unde ſicut inſtrumentum ſeparatum non poteſt moveri, niſi per inſtrumentum conjunctum; ut patet de baculo, qui non movetur, niſi per manum, & manus ab interiori principio movetur, vel à voluntate, cum ab iſta dependeat in operando, vel à motu cordis, à quo eſt omne principium, & origo motus: ita pari ratione Sacramenta, cum ſint veluti inſtrumenta ſeparata; cauſare non poſſunt gratiam, niſi mota ab inſtrumento conjuncto, qui eſt Chriſtus Dominus, qui in quantum humanitatem habet, per hanc unitur Deo, qui eſt principalis cauſa efficiens gratiæ, juxta Divum Thomam (l) dicentem, principalis autem cauſa efficiens gratiæ eſt ipſe Deus, ad quem comparatur humanitas Chriſti, ſicut inſtrumentum conjunctum; Sacramentum autem, ſicut inſtrumentum ſeparatum; & ideò oportet, quod virtus ſalutifera à divinitate Chriſti, per ejus humanitatem in ipſa Sacramenta derivetur; hoc & confirmavit Div. Thomas, (m) de Anima Chriſti dùm dixit, ſi autem loquamur de anima Chriſti, ſecundum quod eſt inſtrumentum verbi ſibi uniti, ſic habuit inſtrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculoſas faciendas ordinabiles ad Incarnationis finem. Et rurſus jam docuit, (n) quod reſurrectio Chriſti eſt cauſa efficiens noſtræ reſurrectionis in quantum humanitas Chriſti, ſecundum quàm reſurrexit, eſt quodamodo inſtrumentum divinitatis Ipſius, & operatur in virtute ejus.

Et deinde ex eodem Divo Thoma (o) habemus, quod duplex eſt efficiens, principale, & inſtrumentale. Efficiens quidem principale humanæ ſalutis eſt Deus: quia verò humanitas Chriſti eſt divinitatis inſtrumentum, ex conſequenti omnes actiones, & paſſiones Chriſti inſtrumentaliter operantur in virtute divinitatis ad ſalutem humanam, & ſecundum hoc paſſio Chriſti efficienter cauſat ſalutem humanam. Quapropter hic obdit Divus Th., (p) gratia ſacramentalis ad duo præcipuè ordinari videtur, v. ad tollendos defectus præteritorum peccatorum, in quantum tranſeunt actu, & remanent reatu, juxta Concilium Tridentinum, (q) ſi quis poſt acceptam juſtificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti, ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exolvendæ, vel in hoc ſeculo, vel in futuro, in purgatorio, antequam ad regna Cœlorum aditus patere poſſit; Anathema ſit. Et iterum ad perficiendam animam in his quæ pertinent ad cultum Dei ſecundum religionem vitæ Chriſtianæ, & quia Chriſtus liberavit nos à peccatis noſtris præcipuè per ſuam paſſionem non ſolùm efficienter, & meritoriè, (quod convenit etiam aliis myſteriis) ſed etiam ſatisfactoriè, (quod appropriatur paſſione), & etiam per ſuam paſſionem inſtituit ritum Chriſtianæ Religionis offerens ſeipſum oblationem, & hoſtiam Deo. Hoc confirmatum fuit à Divo Thoma, (r) dùm dixit, quod paſſio Chriſti eſt propria cauſa remiſſionis peccatorum per modum efficientiæ, in quantum caro, ſecundum quam Chriſtus paſſionem ſuſtinuit, eſt inſtrumentum divinitatis, ex quo ejus paſſiones, & actiones operantur in virtute divina ad expellendum peccatum. (ſ) Unde ſubdit, licet Chriſtus non ſit paſſus ſecundum quod Deus, tamen caro ejus eſt divinitatis inſtrumentum; & ex hoc ejus paſſio habet quamdam virtutem divinam dimittendi peccata; & rurſus, Chriſtus ſua paſſione nos à peccato liberavit cauſaliter ſ. inſtituens cauſam noſtræ liberationis, ex qua poſſent quæcumque peccata quandocumque remitti, vel præterita, vel præſentia, vel futura. Et ideò addit Divus Thomas, in cujus ſignum de latere Chriſti pendentis in Cruce fluxerunt aqua, & ſanguis, quorum unum pertinet ad baptiſmum, qui remittit culpam, & pœnam, eò quia per baptiſmum regenerantur homines in Chri-

l 1. p. q. 62. a. 1.
m 3. p. q. 13. a. 2. in c.
n 3. p. q. 56. a. 1. ad 1.
o 3. p. q. 48. a. 6. in c.
p q. 62. art. 5. in c.
q ſeſſ. 6. can. 30.
r 3. p. q. 49. a. 1.
ſ ib. ad 1.
t ib. ad 3.

ſto, aliud ad Euchariſtiam, quæ dignè ſuſcipientibus remittit peccata, & ſunt potiſſima Sacramenta; (u) ac proinde docet idem Doctor, virtus remiſſiva peccatorum ſpeciali quodam modo pertinet ad paſſionem Chriſti, & ideò per fidem paſſionis Chriſti ſpecialiter liberantur à peccatis, ſecundum illud Rom. (x) quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine Ipſius; Unde, & ſequitur, quod virtus Sacramentorum, quæ ordinatur ad tollenda peccata, præcipuè ſit ex fide paſſionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti; Et hoc quantum ad ly efficienter.

Quantum verò ad ly meritoriè; ultrà quod docet Divus Thomas, (y) quod Chriſtus per ſuam paſſionem meruit ſibi quædam, (de quo alibi) & omnibus membris ſuis ſalutem, ergo fas ſit Deus, ut nos inter membra Chriſti computemur, ut mereamur conſequi vitam æternam. Ultrà id, quod docet, (z) quod Chriſtus à principio ſuæ conceptionis nobis meruit ſalutem æternam, ſed ex parte noſtra erant quædam impedimenta, quibus impediebamur conſequi effectum præcedentium meritorum; Unde ad removendum illa impedimenra oportuit Chriſtum pati; ſedent & Concilium Tridentinum (a) ſtatuens ſi quis negat, Ipſum Jeſu Chriſti meritum per baptiſmi Sacramentum in forma Eccleſiæ ritè collatum, tàm adultis, quàm parvulis applicari; Anathema ſit. Quia non eſt aliud nomen ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri. (b) Hinc illa vox eſt, Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollis peccatum Mundi; (c) & illa, quicumque baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.

Denique quantum ad ly ſatisfactoriè. Propria namque, & plena ſatisfactio Chriſto eſt adipiſcenda, hæc enim eſt, quæ nobis Deum propitium, & placatum reddidit, eamque uni Chriſto Domino acceptam ferimus, qui in Cruce pretio, pro peccatis noſtris ſolutu pleniſſimè Deo ſatisfecit. Neque, enim habetur ex Catechiſmo, (d) ulla res creata tanti eſſe potuit, quæ nos tam gravi debito liberaret.

Et ex Divo Thoma habetur, (e) paſſio Chriſti non ſolùm ſufficiens, ſed ſuperabundans fuit ſatisfactio pro peccatis humani generis, ſecundum illud Joannis, (f) ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non autem pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius Mundi. Et rurſus docet Divo Thoma, (g) plus potuit Chriſtus ſatisfacere ſua paſſione, quàm Crucifixores offendere occidendo, in tantum, quod paſſio Chriſti ſufficiens fuit, & ſuperabundans ad ſatisfaciendum pro peccatis occidentium ipſum.

Qantum autem ad ritum Chriſtianę Religionis, quam inſtituit per ſuam paſſionem offerens ſeipſum oblationem, & hoſtiam Deo; ſatis colligitur ex ipſo Paulo ad Eph. (h) Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis.

Sacramenta cum cauſent inſtrumentaliter gratiam, & iſta dicatur Sacramentalis, hinc eſt, quod Sacramenta novę Legis ordinantur ad aliquos ſpeciales effectus neceſſarios in vita Chriſtiana, ad quos non ordinantur per gratiam virtutum, & donorum; hoc eſt per habitum gratię gratum facientis, quę eſt gratia ſecundum ſe conſiderata, de cujus ratione eſt perficere eſſentiam animę, in quantum participant quamdam ſimilitudinem divini eſſe, ut ajebat Petrus, (i maxima, & pretioſa nobis donavit promiſſa, ut per efficiamini divinę conſortes naturę. Per habitum virtutum & Theologalium, quę ſunt fides, ſpes, & charitas; & Moralium, quę ſunt prudentia, juſtitia, temperantia, & fortitudo. Et denique donorum, quę ſunt ſapientia, intellectus, conſilium, fortitudo, ſcientia, pietas, & timor. Cum ergo gratia ex Div. Th. (l) abſolutè perſi-

u a 3. q. 62. ad 2.
x Cap. 3.
y 3. p. q. 48. a. 1.
z ib. ad 2.
a ſeſſ. 5. cã.
b Io. c. 1.
c ad Galat. cap. 3.
d 3. p. de Conſ. 6.
e 3. p. q. 48. a. 2.
f ibi. ad 2.
g ib. ad 4.
h cap. 5.
i cap. 1.
l 1. p. q. 62. a. 2. ad 1. & 106.

perficiat eſſentiam animæ, & ab eſſentia animæ fluant ejus potentiæ, ita à gratia fluunt quædam perfectiones ad potentias animæ, quæ dicuntur virtutes, & dona, quibus potentiæ perficiuntur, utpotè potentiæ animæ rationalis in ordine ad actus virtutum fidei, ſpei, & charitatis, & aliarum, quas enumeravimus, ſicut & donorum. Qua de cauſa ſi virtutes; & dona addunt ſuper gratiam communiter dictam quamdam perfectionem determinatam ad proprios actus potentiarum, hinc mirum non erit, ſi & gratia Sacramentalis, (eſtque illa, quæ eſt per Sacramenta producta) addat ſuper illam gratiam, quæ eſt talis communiter dicta, & ſuper virtutes, & dona at quodam auxilium conſequendum finem animæ.

Exemplum habemus de Baptiſmo, iſte enim ordinatur ad quamdam ſpiritualem regenerationem, qua homo moritur vitiis, & fit membrum Chriſti, qui quidem effectus eſt aliquid ſpeciale præter actus potentiarum.

Ex qua Divi Thomæ doctrina accipimus fundamentum manifeſtandi id, quod docuit, in omnibus Sacramentis, & conſequenter dicimus, quod præter gratiam habitualem in baptiſmo confertur quodam auxilium, quo homo, ex eò quod fit membrum Chriſti, juvetur ad rectè, & religioſè alia Sacramenta ſuſcipienda, quod eſt proprius finis Baptiſmi. In Confirmatione præter augmentum gratiæ ſanctificantis dantur ſpecialia auxilia, quibus homo inclinetur etiam cum periculo vitæ ad fidem conſtanter profitendam, ad quam profeſſionem fidei exercendam ritè, tanquam ad ſuum finem confirmatio ordinatur.

In Sacramento Euchariſtiæ præter augmentum gratiæ datur ſpeciale auxilium ad actus charitatis, & devotionis, quibus anima ſpiritualiter nutritur, quæ nutritio charitatis eſt proprius finis Euchariſtiæ.

Pœnitentia præter gratiam habitualem, hoc eſt præter gratiam communiter dictam, quæ confert remiſſionem peccatorum actualium, tribuit inſuper auxilium ad deteſtationem culparum commiſſarum, & ſatisfactionem Deo exhibendam de eiſdem præteritis, & ad evitanda futura.

Extrema unctio præter augmentum gratiæ habitualis confert auxilia ſpecialia homini ſolatium interius afferentia ad languorem ex morbo, & afflictione corporis provenientem mitigandum, & ad vincendas ſimul dæmonum tentationes, quæ tunc graviſſimæ, & moleſtæ ſunt.

In Sacramento ordinis datur augmentum gratiæ, & ſimul auxilium pro bono uſu officii ſuſcepti neceſſarium.

Denique Matrimonium præter augmentum gratiæ confert auxilium ad frænandam carnis libidinem, fidelitatem conjugalem ſervandam, & curam de prole habendam.

Videtur ergo, quod quamvis per gratiam virtutum, & donorum ſufficienter perficiatur eſſentia animæ, & etiam perficiuntur ejus potentiæ quantum ad generalem ordinationem actuum animæ, nihilominus tamen quantum ad quoſdam ſpeciales effectus, qui requiruntur in vita Chriſtiana, requiritur gratia Sacramentalis.

In roborationem hujus dicimus, quod Sacramenta Eccleſiæ ordinantur ad duo, ſcil. ad perficiendum hominem in his, quæ pertinent ad cultum Dei, ſecundum religionem vitæ Chriſtianæ, & etiam in remedium contra defectum peccati. Quod manifeſtatur magis per doctrinam Divi Thomæ, (m) docet enim, quod licet per virtutes, & dona excludantur ſufficienter vitia, & peccata quantum ad præſens, & futurum, in quantum, ſ. impeditur homo per virtutes, & dona à peccando, tamen quantum ad præterita peccata, quæ tranſeunt actu, & remanent reatu, adhibetur homini remedium ſpecialiter per Sacramenta. Igitur neceſſarium eſt dicere gratiam Sacramentalem addere aliquid ſupra gratiam virtutum, & donorum, & hoc quia in operibus Dei nihil eſt fruſtra, ſicut & fruſtra Sacramenta habentibus & dona, & virtutes conferrentur, ſi gratia Sacramentalis non addat aliquid ſupra gratiam donorum, & virtutum. Quam malè ergo de hac veritate ſentiant illi, qui errorem Lutheri ſequuntur, & dicunt, hoc non poſſe ſubiſtere, cum omnes Chriſtiani, & ſint Sacerdotes, & ſint æqualis poteſtatis, nulla ſtatus, aut ſexus diſcretione facta: & quia malè ſentiunt, etiam eorum error punitur anathemate; ut habetur ſtatutum ex Concilio Tridentino, (n) ſi quis dixerit Chriſtianos omnes in verbo, & in omnibus Sacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem, anathema ſit.

m. 1. p. q. 62. a. 1. ad 2.

n ſeſſ. 7. de Sac. in gen. can. 10.

Et hæc quantum ad primum effectum Sacramenti, qui eſt gratia juſtificans, & vere primus, quia communis omnibus Sacramentis. Nullum enim eſt Sacramentum, quod dignè ſuſceptum, vel gratiam juſtificantem non donet, vel augeat. Ut habetur etiam ex Catechiſmo, (o) hi autem duo (effectus, ſ. Sacramentorum,) præcipuè numerantur, at principem quidem locum meritò gratia illa obtinet, quam, uſitato à Sacris Doctoribus nomine juſtificationem vocamus. Et Div. Thom. (p) utique docet, quod Sacramenta ordinantur ad hominum juſtificationem, maxime quia per Sacramenta ordinantur ad remedium contra peccata; unde & ſubdit, quod licet juſtificatio attribuatur reſurrectioni ratione termini *ad quem*, qui eſt novitas vitæ per gratiam, non tamen attribuitur illi juſtificatio ratione termini *à quo*, cum ſolùm ratione termini *à quo* attribuatur juſtificatio paſſioni Chriſti, ſcilicet quantum ad demiſſionem culpæ.

o 2. p. nu. 112.

p 3. p. q. 62. ar. 5. ad 3.

Supra Quæſtionem 63. Divi Thomæ.

De alio effectu Sacramentorum, qui eſt character.

IN hac quæſtione D. Th. ſolummodò loquitur de Sacramentis novæ Legis, quoniam in illis veteris Legis, non erat character propriè dictus, ſed tantùm erat in illis quodam ſignaculum. Etenim circumciſio, quia corporalis erat, non habebat imprimere characterem, ſed erat ſignaculum quodam, ut colligitur tùm ex illo Gen. (a) ubi Dominus Deus præcipiens Abrahæ circumciſionem dixit, ut ſit in ſignum fœderis inter me, & vos. Tum ex D. Paulo ad Rom. (b) & ſignum accepit circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei. Ac proinde conſtat, quod omnia quæ in Lege veteri ponebantur, erant tantùm ſigna; ut conſtat ex illo Ezech. (c) ſigna Thau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium. Cui conſonat illud Joannis (d) in Apocalypſi, nolite nocere terræ mari, neque arboribus, quoadusque ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum.

a) cap. 17.

b cap. 4.

c Cap. 9.

d. cap. 7.

In nova autem Lege verè cauſatur character in anima per Sacramenta, & in eis potentiis eſt indelebiliter per Sacramenta utique, ſed non per omnia, cum quædam reiterari poſſint, & non omnia, ut pat. de Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine, alia verò reiterantur, ut videbimus cum eodem Sancto Præceptore.

Sacramenta novæ Legis non tantùm ordinantur ad remedium contra peccata, verùm etiam ad perficiendam animam in his, quæ pertinent ad cultum Dei ſecundum ritum, ſive religionem vitæ Chriſtianæ, ex qua poſtea ordinatione oritur ſecundus effectus Sacramentorum, qui eſt character. Character inquam, per quèm & fideles vocantur, & per eumdem ſecernuntur ab infidelibus; hoc autem fit media ſignatione, nam quid aliud importat character, niſi quamdam ſignationem? Eò ferè modò, quo & militer ſe-

cernebantur ab aliis; qui militiam non ſequebantur per quamdam ſignationem. Exemplum, quod adducit Div. Thom. (e) dùm ait; quicumque deputabatur ad aliquod certum conſuevit ad illud conſignari; ad aliquod certum deputabantur milites, & ideò illi, qui adſcribebantur ad militiam antiquitus ſolebant quibuſdam characteribus corporalibus inſigniri, eò quod deputabantur, ad aliquod corporale. Ad aliquod certum deputantur & fideles per Sacramenta, cum deputentur ad aliquod ſpirituale pertinens ad cultum Dei, & Chriſtianæ Religionis, quæ eſt militia illius, qui eſt Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio ad debellandas aereas poteſtates, & ad Mundum vincendum), & ideò fideles per Sacramenta aliquo charactere ſpirituali inſigniri debent.

e 1.p.q.61. ar. 2.

Unde rationabile eſt, ut homines qui à principio Mundi hujus conſueverunt ad corporalia corporali nota inſigniri, quando à Deo ad perennem cultum ſpiritualem ſecundum animam deputantur, ſpirituali ſigno deputentur in anima, ſic enim divinam providentiam diſponere homines ſuaviter invenitur, ut ſ. inſigniantur ſecundum animam à Deo, juxta illud Pauli ad Corinth. (f) qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris, conſueverunt à principe humano. Exemplum, quod & à D. Aug. contra Parmenianum adductum fuerit, dum & ipſe dixit, ſi militiæ characterem in corpore ſuo non militans pavidus exhorruerit, & ad clementiam Imperatoris conſugerit prece fuſa, & venia impetrata militare jam cœperit, numquid homine liberato, atq; correcto character ille repetitur, at non potiùs agnitus approbatur? an fortè minùs hærent Sacramenta Chriſtiana, quàm corporalis hæc nota? Igitur ſi milites corporali nota inſigniti eſſe debebant, ut militare poſſent, multò magis fideles Chriſti ſpirituali nota, ſive charactere inſigniti eſſe debent; ut pugnare contra ea, quæ ſunt Mundi, poſſint ut fideles inveniantur, qui & memores debent eſſe illius Job. (h) militia eſt vita hominis ſuper terram; militare debent, contra triplicarum illud Monſtrum, diaboli, carnis, & mundi: nam niſi ſuperentur omnes illi tres reſiſtendo tentationibus dæmonum, refrænando motiones ſenſuum, & venereorum, & mundum, & omnia, quæ ſunt Mundi contemnendo, velut idra conſurgit; ex qua etiam ſi reciſo uno capite, quia non omnia ſimul reciduntur, plura vitia pullulant, & in numero augentur ſuperato uno hoſte aliis non victis. Quapropter ſolùm victores merentur membra Chriſti fieri, ut videantur diſtincti ab illis, qui renuunt ſequi Imperatorem, ac Regem Regum Chriſtum, nec pro Lege Dei pugnare: & hinc eſt, quod à D. Thoma, utique aſſeritur characterem eſſe, & ſignificare quodam ſignum diſtinctivum, de quo charactere, & loquendo docet, (i) quod quamvis diſtinctio membrorum Chriſti ab aliis fiat per æternam prædeſtinationem, quæ non ponit aliquid in prædeſtinato, nihilominus tamen; talis diſtinctio membrorum Chriſti ab aliis non fit per æternam prædeſtinationem, ut ad actus convenientes præſenti Eccleſiæ; verba autem D. Thom. hæc ſunt fideles Chriſti ad præmium quidem futuræ gloriæ deputantur prædeſtinationis divinæ. Sed ad actus convenientes præſenti Eccleſiæ deputantur quodam ſpirituali ſignaculo eis inſignito, qui character nuncupatur.

f 2. cap 5

g l.2.c.13.

h Cap. 7.

i ib. ad 2.

Quo tamen charactere ſpirituali non inſigniebantur populi veteris Legis, etiamſi populus Dei eſſet, & ordinatus ad cultum Dei, & ſecundum ritum Legis Moſaicæ; & hoc quia Sacramenta veteris Legis non habebant in ſe ſpiritualem virtutem ad aliquem ſpiritualem effectum operantem, & ideò in illis Sacsamentis non requirebatur aliquis ſpiritualis character, ſolùm autem tunc temporis ſufficiebat corporalis circumciſio, quam Apoſtolus ſignaculum nominat; dicens ad Rom. & ſignaculum accepit circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio: in nobis autem eſt ſpiritualis character, utpotè quia per ſpiritualem characterem, & ſpiritualem poteſtatem quamdam accipimus, & animæ imprimitur, & taliter imprimitur, ut nunquam deleri poſſit per potentiam ordinariam Dei, cum tunc operetur juxta ſtatuta naturæ.

Et quamvis accipiatur quædam ſpiritualis poteſtas per ſpiritualem characterem, nihilominus tamen potiùs dicenda eſt potentia, quàm poteſtas, nam poteſtas dicitur tantùm de potentia activà, at potentia dicitur tàm de potentia activa, quàm de potentia paſſiva: Et hoc juxta Div. Thom (l) ad utrumque autem horum, (ſ. in recipiendo aliqua divina, & tradendo aliis, in quibus divinus cultus conſiſtit, & ad quem per Sacramenta deputantur homines ſecundum ritum Chriſtianæ religionis per Sacramenta, hoc eſt per illa, quæ cum ſint novæ Legis characterem imprimunt:) requiritur quædam potentia, nam ad tradendum aliquid aliis requiritur potentia activa, ad recipiendum autem requiritur potentia paſſiva; & ideò character importat quamdam potentiam ſpiritualem ordinatam ad ea, quæ ſunt divini cultus.

l 1.p.q.63 ar. 2.

Et meritò dicitur potentia, quoniam character Sacramentalis eſt principium, vel agendi realiter, ut in Sacerdote conſecrante panem, & vinum; in confirmato ad proteſtandam contra Tyrannos fidem, vel recipiendi alia Sacramenta, ut in Baptiſmo.

Quapropter malè dixerunt illi characterem eſſe relationem rationis, vel denominationem extriſecam; & eorum dictum de facto corrigitur jam in Concilio Florentino dicente, Tria Sacramenta characterem, ſ. ſpirituale quodam ſignum à cæteris diſtinctivum; imprimunt in anima indelebile, unde in eadem perſona non reiterantur. Tùm ex Concilio Tridentino ſtatuente, characterem eſſe ſignum ſpirituale animæ impreſſum; & eò magis, quia ens rationis non imprimitur animæ, ſed ut definitur etiam in logicis, habet tantùm eſſe objectivè in intellectu.

Malè dixerunt & illi, characterem eſſe relationem, non animadvertentes, quomodo nulla relatio realis poſſit eſſe principium agendi, vel patiendi, cum totum ejus eſſe ſit ad aliud ſe habere, tanquam ad terminum; & quomodo character baptiſmalis ſit principium patiendi, Confirmationis verò, & Ordinis principium agendi, unde non eſt relatio.

Hinc Divus Thomas (m) docet, relatio hujus ſigni, quod eſt character, non poteſt fundari immediatè ſupra eſſentiam animæ, quia ſic conveniret omni animæ naturaliter; & ideò oportet poni in anima aliquid, ſuper quod fundetur talis relatio; & hoc eſſentia characteris: unde non oportebit, quod ſit in genere relationis, ut quidam poſuerunt; Sic Patres, & Concilia characterem dicunt eſſe ſignum, quia eſt forma realis animæ impreſſa; quà conſignatur intrinſecè; & ad aliquos actus divini cultus intrinſecè deputatur.

m ib. ad 3

Hæc autem conſignatio, & ſigillatio neque imprimitur, neque remanet in anima, niſi præintelligatur qualitas abſoluta illi impreſſa. Propter hoc dicitur, quod character eſt quid abſolutum, & cum ſit tale videtur pertinere rectè ad prædicamentum qualitatis, & non ad alia genera, non enim pertinet ad prædicamentum ſubſtantiæ, nam character eſt accidens ſupernaturale à ſubſtantiæ animæ diſtinctum. Non ad prędicamentum quantitatis; ſiquidem quantitas eſt accidens corporeum, character verò accidens ſpirituale. Non eſt actio, vel paſſio, vel aliquid aliud ex prędicamentis ultimis: quia actio, & paſſio citò tranſeunt, character verò eſt aliquid permanens, cum indelebilis ſit: alia quatuor ultima prædicamenta ſunt entia corporea, & reſultant in ſubjecto, ex adheſione, ſive adjacentia alicujus rei extrinſeca,

quod

Digitized by Google

quod non convenit characteri, qui eſt ſpiritualis. Ex quibus ſequitur, quod character ſit ens abſolutum, & quod non pertineat ad aliquid aliud ex prędicamentis enumeratis, reſtat inferendum, quod pertineat ſolum ad prædicamentum qualitatis.

Verumtamen, cum quatuor ſint qualitatis ſpecies, nempe habitus, & diſpoſitio, potentia, & impotentia, paſſio, & paſſibilis qualitas, forma, & figura; videndum eſt, quod character non ponitur in quarta ſpecie qualitatis, cum character Sacramentalis non dicatur propriè, ſed tantùm per metaphoram figura, ſive forma, juxta Div. Thom.
n ib. ad 1. (n) figura eſt quædam terminatio quantitatis; unde propriè loquendo non eſt niſi in rebus corporeis; in ſpiritualibus autem dicitur metaphoricè tantùm. Non autem ponitur aliquid in genere, vel ſpecie, niſi per id, quod de eo propriè prædicatur. Et ideò character non poteſt eſſe in quarta ſpecie qualitatis, licet hoc quidam poſuerint.

Nec ponitur in tertia ſpecie qualitatis, nam ad hanc ſpeciem pertinent illæ formæ, quæ ſunt principia, vel termini actionum, quæ fiunt cum alteratione ſenſibili, ſive actionum, quæ ſunt tranſmutationes ſenſibiles, ut pallor, qui fit ex metu, & rubor, qui cauſatur ex verecundia, character autem eſt ſpiritualis, juxta id, quod docet Divus Thomas, (o) in tertia ſpecie qualitatis non ſunt, niſi
o ib. ad 2. ſenſibiles paſſiones, vel ſenſibiles qualitates. Character autem non eſt lumen ſenſibile, & ideò non eſt in tertia ſpeciequalitatis, ut quidam dixerunt.

Sicut nec ponitur in prima ſpecie qualitatis, juxta Div. Thom. (p) dicentem ſimiliter non eſt habitus, quia nullus habitibus eſt, qui poſſit, benè, vel
p ib in ar. ſed contr.
malè ſe habere; character autem ad utrumque ſe habet; eò quia quidam eo bene utuntur, quidam verò malè, quod in habitus non contingit; nam habitu virtutis nullus malè utitur, & habitu malitiæ nullus benè utitur.

Et ſicut non eſt habitus, ita nec diſpoſitio, nam iſta eſt, ut qualitas facilè mobilis à ſubjecto, & character eſt indelebilis; relinquitur ergo, quod ſit potentia activa, vel paſſiva. Maxime etiam quia ipſe character relinquit animam indifferentem, ut benè, vel malè ipſo utatur circa propriam materiam, materia autem propria, eius eſt cultus exterior religionis Chriſtianæ, cum diſponat ad ea, quæ ſunt divini cultus perficienda agendo, vel patiendo, ut de facto videtur, quod character baptiſmi diſponit ad recipienda alia Sacramenta; character Confirmationis ad profitendam fidem cum Tyranno, & character Ordinis ad conficiendam Euchariſtiam, & ad miniſtrandam aliis Sacramenta, quæ omnia exerceri poſſunt, ſanctè, piè, religioſèque, & illicitè, & ſacrilegè; videtur ergo, quod ſi character reſpiciat ea, illa tamen non reſpicit, ut benè, & religioſè determinatè perficienda, aliàs validè non exercerentur, ſi irreligioſè tracterentur, ſed reſpicit illa abſolutè, ut perficienda cum habitudine ad regulas morum non determinando ad habitudinem conformitatis, aut difformitatis, ſed hæc habitudinis determinatio eſt à virtute religionis, aut à vitio illi oppoſito.

Hinc ſequitur, quod character ad ſecundam ſpeciem qualitatis ordinatur, non verè, quod ſit propriè in genere, vel in ſpecie, ſecundum quod etiam
q ib. in c. docet Divus Thomas, (q) ſicut virtus, quæ eſt in Sacramentis, non eſt in genere per ſe, ſed per reductionem, eò quod eſt quodam fluens, & incompletum, ita & character non eſt proprię in genere, vel in ſpecie, ſed reducitur ad ſecundam ſpeciem qualitatis, quæ eſt potentia. Potentia utique, quæ debet conformari virtuti in omnibus, unde cum virtus, quæ in Sacramentis eſt, non ſit niſi inſtrumentalis, ſic & potentia erit talis, ob hoc ait D. Th. hæc ſpiritualis potentia eſt inſtrumentalis, ſicut dictum eſt de virtute, quæ eſt in Sacramentis. Miniſter autem ſe habet per modum inſtrumenti, nam quis poteſt dare gratiam, niſi Deus? ergo ſolus Deus eſt cauſa gratiæ, & ſolùm vult, quod per ſuos miniſtros conferatur, ut magis augeatur devotio, & cultus religionis Chriſtianœ veneretur, & fideles inveniantur in obedientia cum omni charitate, & manſuetudine. Quales autem debeant eſſe miniſtri divina pertractantes, unuſquiſque cogitare debet, quod miniſter Dei ſit; Unde & patiens in ſufferendo blaſphemias, miſericors in ſubveniendo, juſtus in judicando, benignus in corrigendo, ſapiens in diſcernendo, pius in largiendo, & ſic veri imitatores Chriſti, & Dei erunt, qui eſt benedictus in ſæcula.

Et eò magis miniſtri Dei, ſicut, & Chriſti appellari debent, quia dum accipiunt characterem Sacramentalem, accipiunt illum characterem à Chriſto Domino dimanantem, certum eſt enim, quod totus ritus religionis Chriſtianæ derivatur à Sacerdotio Chriſti, ut deducitur ex illo Lucæ, (r) quan- r Cap. 22.
do Chriſtus Dominus cœnando cum Diſcipulis ſuis dixit illis, hoc facite in meam commemorationem; quibus verbis conſtituit Apoſtolos Sacerdotes, & conſequenter cum auctoritate habita à Chriſto, & derivata hoc ipſum agerent; quo facto clarè demonſtratur Sacerdotium Apoſtolorum à Sacerdotio Chriſti derivari, ut etiam Concilium Tridentinum (ſ) hoc demonſtravit dicendo: Sacerdotem ſecundum ſ ſeſſ. 22. c. 1.
ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earumdem rerum Symbolis, Apoſtolis, (quæ tunc novi teſtamenti Sacerdotes coſtituebat), ut ſumerent, tradidit & eiſdem, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba, hoc facite in meam commemorationem,

Et quod demonſtravit Concilium, (t) hoc idem t ib. can. 2.
approbavit per decretum, ſi quis dixerit, illis verbis hoc facite in meam commemorationem. Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe, ut ipſi aliique Sacerdotes offerrent corpus, & ſanguinem ſuum anathema ſit.

Et quia in Sacerdotio imprimitur character, cum jam per ipſum Sacerdotium accipiatur poteſtas à Chriſto Domino Noſtro tradita conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi corpus, & ſanguinem ejus, nec non, & peccata admittendi, & retinendi, ut habetur ex eodem Concil. (u) ſtatuente, ſi quis di- u ſeſſ. 23 can. 1.
xerit, non eſſe poteſtatem aliquam conſecrandi, & offerendi verum corpus, & ſanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi, anathema ſit.

Et quod dicitur de charactere Sacerdotali, dici debet & de quolibet charactere ſacramentali, quod ſ. quilibet derivetur à Cheiſto, ut deducitur etiam ex D. Th. (x) dùm ſubdit manifeſtum eſt, quod character Sacra- x in fin. c.
mentalis eſt charactere Chriſti, cujus Sacerdotio configurantur fideles ſecundum Sacerdotales characteres; qui nihil aliud ſunt, quàm quędam participationes Sacerdotii Chriſti, ab ipſo Chriſto derivatæ. Unde propriè eſt character Chriſti, & ilii ſoli attribuendas.

Nec ſtat illud Pauli ad Eph. (y) dicentis nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei, in quo ſignati eſtis, y Cap. 4.
hoc eſt characterizati eſtis, cum conſignatio importetur in tatione characteris, ſiquidem D. Paulus teſte Div. Th. (z) ibi loquitur de conſignatione, ſecundum, quam z ib. ad 3.
aliquis deputatur ad futuram gloriam, quæ fit per gratiam, quæ Sp. S. attribuitur, in quantum ex amore procedit, quod Deus nobis aliquid gratis largitur. quod ad rationem gratiæ pertinet: non verò loquitur de conſignatione; ſecundum quam quis deputatur ad recipiendum, vel tradendum ea, quæ ſunt cultus Dei, juxta illud, quod docuit in corpore articuli, dùm prænotavit quod homo fidelis ad duo deputatur. Primò principaliter ad fruitionem gloriæ, & ad hoc inſignitur ſignaculo gratiæ, ſecundum illud Ezec. (a) ſigna Thau ſuper fron- a Cap. 9
tes virorum gementium, & dolentium; & ſecundum illud Apoc. (b) nolite nocere terræ, & mari, neq; arbori- b Cap. 7.
bus, quoad uſq; ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum.

Secundò deputatur quiſque fidelis ad reſpiciendum, vel tradendum aliis ea, quæ pertinent ad cultum Dei, & ad hoc propriè deputatur character Sacramentalis. Et ſicut conſignatio primo modo accepta attribuitur Spiritui Sancto, qui amor eſt; ita conſignatio ſecundo modo accepta attribuitur Chriſto Domino, cum Chriſtus ſit ſummus Sacerdos, (unde & in illo eſt æternus character, ſecun-
c Cap. 1. dum illud ad Hæbr. (c) qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura, vel ut ait Divus Thomas character ſubſtantiæ ejus) & nos miniſtri ſimus, nam participamus poteſtatem Sacerdotii Chriſti per characterem, per quem diſtinguimus ab Infidelibus, juxta Divum
d Ib. ad 1. Thomam (d) docentem ſimiliter character fidelium eſt, quo diſtinguuntur fideles Chriſti à ſervis diaboli, vel in ordine ad vitam æternam, vel in ordine ad cultum præſentis Eccleſiæ. Quorum primum fit per charitatem, & gratiam, & hoc pacto attribuitur Spiritui Sancto, qui amor eſt: & de ipſo Spiritu Sancto dicitur ad Rom. charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. Secundum autem fit per characterem Sacramentalem, & aliis attribuendus eſt ſoli Chri-
e Pſ. 109. ſto, de quo dicit Pſaltes, (e) tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech: Et ſicut fideles per characterem baptiſmalem diſtinguuntur ab infidelibus, ita illi, qui ſunt milites Chriſti ex officio, ab aliis fidelibus tamen diſtinguuntur; qui nondùm ſunt ad ejus militia aſcripti, & fit per characterem Confirmationis; ſic, & Divus Thomas,
f ad 3. ib. (f) quod miles Regis à milite hoſtis in ordine ad pugnam diſtinguitur; Pariter & ordinati à non ordinatis per characterem Ordinis. Ergo tria tantùm ſunt Sacramenta novæ Legis, quæ imprimere habent characterem, & ſunt Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo: & hoc quia iſta tria Sacramenta ordinantur directè ad cultum divinum, ad quem pertinet aliquum Sacramentum tripliciter. Primò per modum paſſionis, & hoc pacto pertinet ad divinum cultum Eucbariſtia, in qua principaliter divinus cultus conſiſtit, in quantum eſt Eccleſiæ ſacrificium, & per illud non imprimitur character, cum per hoc Sacramentum non ordinetur homo ad aliquid aliud ulterius agendum, vel recipiendum in Sacramentis, & hoc quia potiùs eſt finis, & conſummatio omnium Sacramentorum. Unde & continet in ſeipſum Chriſtum, in quo non eſt character propriè, ſed tota Sacerdotii plenitudo, ac per conſequens nec tribuit ſpiritualem poteſtatem exercendi
g ar. 6. ib. Adverte. cultum divinum, ſed omnis poteſtas ad illum ordinatur.

Et Cajetanus explicans Divum Thomam, (g) ait, quod circa Eucbariſtiæ Sacramentum poſſunt duo conſiderari, ſcilicet, ipſum Sacramentum, (quod nihil aliud eſt, quam actio Sacramentalis conſiſtens in conſecratione materiæ), & uſus Sacramenti, quo Eucbariſtia percipitur à nobis.

De primo quidem, an imprimat characterem ſub quæſtione cadere non poteſt, quia actio illa nihil ponit in animabus noſtris, ſed ad materiam exteriorem terminatur. De ſecundo auctor loquitur reddens rationem, quarè non imprimit nobis characterem, quia per hoc Sacramentum homo non ordinatur ad aliquid aliud alterius agendum, vel recipiendum in Sacramentis, eò quia continet Chriſtum, in quo eſt fons omnium characterum.

Secundò per modum agentis in Sacramentis pertinet Sacramentum Ordinis, eò quia per hoc Sacramentum deputantur homines ad Sacramenta aliis tradẽda.

Tertiò per modum recipientis pertinet Sacramentum Baptiſmi, quia per ipſum homo accipit poteſtatem recipiendi alia Eccleſiæ Sacramenta, propter, quod & dicitur janua omnium Sacramentorum. Ad idem quodammodo ordinatur Confirmatio, in iſta enim accipit homo poteſtatem ad agendum ea, quæ pertinent ad pugnam ſpiritualem contra hoſtes fidei.

Hæc autem tria tantùm Sacramenta imprimunt characterem, & ex eo, quod characterem imprimant, non poſſunt reiterari. Unde ſemel unum ex iſtis tribus Sacramentis acceptum non poteſt iteratò ſuſcipi.

Hoc totum, quod docuit Divus Thomas habetur ex Concilio Tridentino (h) veluti approbante, h ſeſ. 1. c. 3
doctrinam Angelici Præceptoris: in primis namque ſtatuit, ſi quis dixerit, (i) in tribus Sacramentis, i ſeſ. 7. cā. 9
Baptiſmo, ſcilicet Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quodam ſpirituale, & de ea interari non poſſunt; anathema ſit. Pariter habetur ex eodem Concilio.
(l) Quoniam in Sacramento Ordinis, ſicut & in l ſeſ. 23. c. 4
Baptiſmo, & Confirmatione character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri poteſt; Meritò Sancta Synodus damnat eorum ſententiam, qui aſſerunt novi Teſtamenti Sacerdotes, temporariam tantummodo poteſtatem habere, ac ſemel ritè ordinatos iterum laicos fieri poſſe, ſi verbi Dei miniſterium non exerceant. (m) Item ſtatuit ibidem, ſi quis di- m ib. can. 4
xerit per ſacram Ordinationem non imprimi characterem, anathema ſit.

Deinde habetur, quod inter hæc tria Sacramenta ſunt Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, ſcilicet ſpirituale quodam ſignum imprimunt, & indelebile in anima, unde in eadem perſona non reiterantur, reliqua verò characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt: Et de facto Pœnitentia reiteratur, nam per hoc Sacramentum non exhibetur homini aliquid de novo pertinens ad divinum cultum, ſed reſtituitur in ſtatum priſtinum.

Matrimonium reiteratur, tunc tamen quando mortua eſt uxor, ita ut non ſit adulter, ſi fuerit cum alia, nec tribuit ſpiritualem poteſtatem.

Unctio etiam extrema reiteratur, non tamen in eadem infirmitate, ſed in diſtinctis, & cum detur ſolùm migrantibus è vita, non ordinatur ad ſpecialem cultum divinum, ſed ſolùm tollit reliquias peccatorum. Concludamus ergo cum Divo Thoma, non omnia Sacramenta imprimere characterem, cum per omnia non deputetur quis ad agendum aliquid, vel recipiendum, & ideò ait Divus Thomas,
(n) quod quamvis per omnia Sacramenta homo fiat n ib. ad 1.
particeps Sacerdotii Chriſti, in quantum percipit aliquem effectum ejus, non tamen per omnia Sacramenta aliquis deputatur ad aliquid agendum, vel recipiendum, quod pertineat ad cultum Sacerdotii Chriſti; ut autem Sacramentum characterem imprimat hoc requiritur, quod deputetur ad agendum, &c. Sicut licet per omnia Sacramenta ſanctificetur homo, ſecundum quod ſanctitas importat munditiam à peccato, quæ fit per gratiam, attamen ſpecialiter per quædam Sacramenta, quæ characterem imprimunt, homo ſanctificatur quadam conſecratione, utpotè ſpecialiter deputatus ad divinum cultum, ut jam declaratum eſt.

Accipitur æquè benè ſpiritualis poteſtas per characterem ſpiritualem, utpotè quia imprimitur animæ, quæ ſpiritualis eſt, ipſemet character, utique animæ imprimitur, cum jam per Conc. Trid. definitum ſit, in anima imprimi characterem, & hoc quia eſt ſignum quodam ſpirituale, & indelebile: ac licet character in anima imprimatur, nihilominus tamen anima eſt ſolum ſubiectum radicale remotum, & *quod* characteris Sacramentalis, non autem ſubjectum proximum, & immediatum formale, & *quo* characteris, ut deſu- o 3 p. q. 63. ar. 4.
mitur ex doctrina D. Th. character eſt in potentiis animæ, ſicut in ſubjecto, videmus namque quod character eti imprimatur animæ rationali imprimitur illi ſecundum imaginem Trinitatis, quæ in anima attenditur ſecundum potentias; per iſtas enim immediatè operamur, non per eſſentiam animæ quæ quamvis ſit operativa, eſt tamen talis remotè, & radicaliter, & de facto docet Divus Thomas, quod ad actus propriè ordinantur potentiæ animæ, ſicut eſſentia ordinatur ad eſſe: cum autem divinus cultus, ad quem per characterem deputantur fideles, in quibuſdam actibus conſi-

conſiſtat; hinc eſt, quod per character cum ſit ſignaculum quodam, quo anima inſignitus, ad ſuſcipiendũ, vel aliis tradendum ea, quæ ſunt divini cultus, erit in eſſentia animæ, non tanquam in ſubjecto, ſed in ejus potentia, in potentia animæ, ſed cognoſcitiva p) ib. ad 3. ut habetur ex D. Thoma, (*p*) oportet, quod character ſit in cognitiva potentia animæ, in qua eſt fides.

Quod magis videtur ex eo, quod character ordinatur ad ea, quæ ſunt cultus divini, quibus fit proteſtatio fidei, unde mirum non erit, ſi character debeat habere pro ſubjecto immediato illam potentiam, in qua immediatè ſubjectatur habitus fidei, talis autem potentia in qua ſubjectatur habitus fidei, eſt intellectus, & ideò ſequitur, quod etiam potentia in qua ſubjectatur character alia non ſit quam potentia intellectiva; & hoc, quod deducimus, ex Div. Th. q) loc. cit. ad hoc dicitur. (*q*) explicatur à Cajet. dicente, character magis convenit in ſubjecto, cum fide, quàm cum religione. Nam tam fides, quam character reſpicit divinum cultum ſecundum id, quod eſt. Religio verò reſpicit divinum cultum ſecundum rationem boni, eſt enim religio virtus moralis, cujus eſt reddere hominem bonum, & ejus opus bonum efficere: fide .n. & charactere homo poteſt in actu religionis, religione autem homo benè ſe habet ad alios: & hinc fit, ut character reſpiciat chriſtianum cultum, ut profeſſio quædam fidei eſt; & non ut bene, vel malè homo utitur: & propterea ad fidei ſubjectum accedit, & non ſpectat ad ſubjectum religionis.

Adeòque concludit, characterem eſſe in intellectu, & non in voluntate; & hoc magis patet, nam qualitates, quarum ſubjectum eſt voluntas, per ſe determinatur ad bonum, vel malum morale, ita ut non poſſit voluntas in eis uti indifferenter ad bonum, vel malum morale, at character non determinat per ſe ad bonum, vel malum morale, ſed relinquit voluntatem, ut ipſo utatur ad bonum, vel malum morale. Quod magis conſtat, r) ib. ad 2. ex hoc; quod docet Divus Thomas (*r*) character directè, & propinquè diſponit animam ad ea, quæ ſunt divini cultus exequenda, at, quia ea, quæ ſunt divini cultus exequenda, idonee non fiunt, niſi per auxilium gratiæ (juxta illud Joannis, (*ſ*) eos, qui ſ) cap. 4. adorant Deum in ſpiritu, & veritate, oportet adorare) ex conſequenti divina largitas recipientibus characterem largitur gratiam, per quam dignè impleant ea, ad quæ deputantur. Ac proinde characteri magis eſt attribuendum ſubjectum ſecundum rationem actuum ad divinum cultum pertinentium, quàm ſecundum rationem gratiæ, & hoc quia ſubjectum alicui attribuitur accidenti ſecundùm rationem ejus, ad quod propinquè diſponit, non autem ſecundum rationem ejus, ad quod diſponit remotè, vel indirectè. De primo ergo ad ultimum ſemper aſſerendum eſt, quod omne, quod ad actum ordinatur, eſt potentiæ attribuendum; & quia potentiæ ordinatur ad actus, ad quos anima non ordinatur, niſi remotè, & radicaliter, hinc eſt quod etiam potentiis attribuendum ſit omne illud, quod per Sacramenta deputantur homines ad cultum divinum, ad quem per characterem illi deputantur ſpiritualem: qui t) 1. p. q. 63. art. 5. licet, ut diximus, non ſit habitus, vel diſpoſitio, ſed magis potentia, non tamen naturalis, ſed ſpiritualis, & ideò Divus Thomas ait, (*t*) quod eſſentia animæ eſt ſubjectum potentiæ naturalis, quæ ex principiis eſſentiæ procedit. Talis autem potentia non eſt character, ſed eſt quædam ſpiritualis potentia ab extrinſeco adveniens, Et ſicut eſſentia animę, per quam eſt naturalis vita hominis, perficitur per gratiam, qua anima ſpiritualiter vivit, ita potẽtia naturali animę perficitur per ſpiritualem potentiam quę eſt character.

Character ergo imprimitur in anima, verùm taliter imprimitur; quod nec auferri poteſt, nec deleri, unde ſicut perpetuus eſt, ita & indelebilis. Perpetuus utique, quia ſi homo baptizatus, aut ordinatus ex defunctis reſurgeret, non rebaptizaretur, nec reordinaretur. Indelebilis, quia jam determinatum fuit à Conc. Trid. eſſe quodam ſignum indelebile.

Indelebilia, quia jam per Divum Auguſtinum, (*u*) non minus hærent Sacramenta Chriſtiana, u) l. 2. cont. Parm. c. 13. quàm corporalis nota militiæ. Quæ cum non repetatur, ſed agnitus approbetur in eo, qui veniam meretur ab Imperatore poſt culpam, hinc &, quod multò magis ſpiritualis nota, quæ eſt character, non debet repeti, nec deleri, ſed ab Eccleſia agnitus fidelis per talem notam ſpiritualem approbari debet, & ſi peccaverit per apoſtaſiam à fide, vel per fidei renegationem aſſignari tantùm debet illi pœnitentia per culpam commiſſam non rebaptizari, nec confirmari, nec reordinari, ut deſumitur ex Divo Auguſtino, (*x*) nec ipſos apoſtatas videmus carere baptiſ- x) l. 1. cont. Don. mate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non reſtituitur, & ideò amitti non poſſe judicatur.

Indelebilis utique per Divum Thomam dicentem, cum anima ſit ſubjectum characteris ſecundum intellectivam partem, in qua eſt fides, manifeſtum eſt, quod ſicut intellectus perpetuus eſt, & incorruptibilis, ita character indelebiliter manet in anima. Et eò magis quia ſi in rebus inanimatis Eccleſia, ſ. & Altari maneat conſecratio, & ſemper, niſi deſtruatur, quare poſtea in animatis, uti eſt anima rationalis, non remanebit ſemper conſecratio? Quæ non tollitur per mortem, vel deſtructionem corporis, ſed ſolùm poteſt tolli per annichilationem animæ; y) ib. ad 3. Unde Divus Thomas (*y*) licet poſt hanc vitam non remaneat exterior cultus, remanet tamen finis illius cultus, ac proindè poſt hanc vitam remanet character in bonis ad gloriam eorum, in malis ad eorum ignominiam.

Indelebilis quidem, nam character eſt quædam participatio Sacerdotii Chriſti in fidelibus ejus, ut s. ſicut Chriſtus habet plenam Spiritualis Sacerdotii poteſtatem, ita fideles ejus ei configurentur in hoc, quod participant aliquam ſpiritualem poteſtatem reſpectu Sacramentorum, & eorum, quæ pertinent ad cultum divinum, etenim Sacerdotium Chriſti eſt æternum, inde ſequitur quod omnis ſanctificatio, quæ fit per Sacerdotium Chriſti ſit perpetua, re conſecrata manente, ac per conſequens indelebiliter ſe habet, ipſemet character, atque adeò æternus, qui tamen in Chriſto æternus non eſt, quamvis Sacerdotium Chriſti ſit æternum, juxta Divum Thom. z) in c. ar. 5. q. cit. (*z*) dicentem, propter hoc etiam Chriſto non competit habere characterem, ſed poteſtas Sacerdotii ejus comparatur ad characterem, ſicut id, quod eſt plenum, & perfectum ad aliquam ſui participationem. Et hæc quantum ad ſecundum effectum Sacramenti, qui eſt character.

Supra Quæſtione 64. Divi Thomæ.

De Cauſa Sacramentorum.

CUm in Sacramentis effectus principalis ſit gratia, quam cauſare, certum & indubitatum eſt, utpotè definitum à Concilio Tridentino, verumtamen non per ſeipſa, & immediatè illam conferre poſſunt, ſiquidem cauſare gratiam ſolius virtutis divinæ eſt; etenim gratia ſupernaturaliter advenit nobis ob maximam Dei dilectionem erga humanum genus, pro cujus ſalute miſit Deus Filium ſuum in Mundum, ut homines, qui in Mundo ſunt, liberarentur à languoribus, quos per peccata patiebantur, ut adimpleretur illud vaticinium de Criſto Dom. ab Iſ (*a*) prolatum; verè languores noſtros ipſe tu- a) cap. 53. lit, & languores noſtros ipſe portavit & ut fatetur in Symbolo fidei, qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis. adeòque poſſumus in rei veritate aſſerere, quod remedium attulit Mundo. (*b*) Hoc autem remedium magis, ac magis apparet per Sacramenta de quibus ajebat Ambroſius, ut b) l. 5. de Sac. c. 4. illi tanquam remedia, atque Evangelici Samaritani medicamenta ad animarum ſalutem, vel recupe-

Digitized by Google

randam, vel tuendam præſtò eſſent, unde & benè Divus Thomas in hac quæſtione docet, quod Deus ſolus operatur interius ad effectum Sacramenti, cujus poteſtas tanta eſt. quod non aliorum; ſed ſuimet facultas eſt inſtituere Sacramenta, in cujus ſignum fatendum eſt, quod neque Eccleſia, quæ quamvis acceperit poteſtatem ligandi. atque ſolvendi à Chriſto Domino, habeat condere nova Sacramenta; habet tamen illa miniſtrare, ſicut illa miniſtrare facit per miniſtros ſuos, ſive poſtea iſti ſint boni, ſive ſint mali, hoc nullum præjudicium illis infert, ſicut neque illis, qui devotè, religioſè, & munda conſcientia ſuſcipiunt.

Reſolutorio modo aſſerimus; quod Deus ſolus dare poteſt gratiam non tantùm per Sacramenta, verùm etiam abſque illis: cum Dominus omnium ſit, potens quidquid poteſt, volens quidquid vult, ſic & Pſal. (c) dicebat, omnia, quæcumque voluit, fecit. Ipſe enim eſt, qui mortificat, & vivi-
c Pſ. 113. ficat; ipſe eſt, qui prædeſtinat, & præſcit; ipſe
d cap. 8. eſt, qui juſtificat, inquit Paulus ad Roman. (d) Unde & ipſe ſolus eſt, qui operatur interius ad effectum Sacramenti, utpotè quia agit virtute propria, & conſequenter ut agens principale; & hoc
e 1 p. q. 64. ar. 1. quia, ut benè ait Divus Thomas, (e) Deus ſolus illabitur animæ, in qua Sacramenti effectus exiſtit; non autem poteſt aliquid immediatè operari, ubi non eſt. Et etiam quia gratia, quæ eſt interior
f Pſ. 20. Sacramenti effectus, eſt à ſolo Deo: (f) Sic & Rex David canebat, gratiam, & gloriam dabit Dominus; per quod monſtrat Pſaltes, quod gratiam Spiritus Sancti, cum qua datur & Spiritus Sanctus, poteſt ex ſe ſolus Dominus dare; Unde A-
g p. c. 3. poſtolus ad Corinth. (g) ajebat; Ego plantavi; Apolio rigavit, Deus autem incrementum dedit; itaque neque qui plantat, neque qui rigat, eſt aliquid, ſed qui incrementum dat, Deus.

Videtur ergo, quod ſi homo plantans, vel rigans non eſt aliquid, ſ. quoad interiorem effectum; qui eſt illud incrementum, in quantum ſ. homo ille neque creat, neque infundit gratiam, multò minus homo talis dabit ex ſe Spiritum Sanctum. Hanc veritatem confeſſus fuit Joannes, ſicut & teſtis eſt Marcus Evangeliſta, (h) ego, ſ. homo purus, baptizavi vos
h Cap. 1. aqua, non Spiritu Sancto, ille, ſ. Deus, verò baptizabit vos Spiritu Sancto; ego baptizo vos aqua, inquit Lyrannus, quia baptiſmus Joannis lavabat tantùm corpora; ille verò baptizabit Spiritu Sancto, quia in baptiſmo Chriſti confertur gratia Spiritus
i Cap. 1. Sancti: (i) Hoc manifeſtavit Jeſus Diſcipulis ſuis, quando dixit ad illos, ut pat in Actibus Apoſtolorum, Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non poſt multos hos dies; in ſignum quod Joannis baptiſma non conferebat
l Cap. 3. gratiam, etenim ſtat illud Chriſti Domini (l) niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire regnum Dei; regnum autem Dei nemo expoliatus gratia introire poteſt. Igitur homo talis non poteſt ex ſe dare Spiritum Sanctum, & conſequenter gratiam, nam docet Divus Thomas (m) donum gratiæ excedit omnem facultatem
m p. 2. q. 112. p. 1. naturæ creatæ, cum nihil aliud ſit, quàm quædam participatio divinæ naturæ quæ excedit omnem aliam naturam, adeòque impoſſibile eſt, quod cauſet gratiam creatura, qualibet illa ſit: fatendum ergo profectò eſt à ſolo Deo poſſe illam cauſari, cum ſolus Deus deificare habeat, communicando conſortium divinę naturæ per quamdam ſimilitudinis participationem. Et ſic apertè conſtat, quod ſolus Deus operatur interius ad effectum Sacramenti, qui eſt gratia principaliter, & nunquam homo, niſi ſolùm per modum inſtrumenti, ut habetur ex Divo Tho-
n 3 p. q. 64. ar. 1. ma, (n) homo poteſt operari ad interiorem effectum Sacramenti in quantum operatur per modum Miniſtri, ut deſumitur ex illo Pauli ad Corinth. (o)
o 1. p. 3. cum enim quis dicat, ego quidem ſum Pauli; alius autem, ego Apollo, nonne homine eſtis? Quid igitur eſt Apollo? Quid vero Pauli? Miniſtri ejus, cui credidiſtis, & unicuique ſicut dominus dedit: per modum utique miniſterii, hoc eſt per modum inſtrumenti, eadem enim eſt ratio, ex Divo Thoma, miniſtri, & inſtrumenti, cum utriuſque actio exterius adhibeatur; ſic & purgare, illuminare, & perficere exterius nempe, habent miniſtri Eccleſiæ purgatio namque, ſubditur à Divo Thoma, (p) ſe- p) Ib. ad 1.
cundum quod attribuitur miniſtris Eccleſiæ, non eſt à peccato; ſed dicuntur Diaconi purgare, in quantum vel immundos ejiciunt à cætu fidelium, vel eos ſacris admonitionibus diſponunt ad Sacramentorum receptionem.

Similiter etiam Sacerdotes illuminare dicuntur ſacrum populum, non quidem gratiam infundendo, (cum ut diximus, ſolus Deus illabitur animæ, in qua Sacramenti effectus exiſtit, ubi non eſt gratia, quæ eſt interior effectus Sacramenti, à ſolo Deo eſt), ſed Sacramenta gratiæ tradendo. Vide ergo tu & dic, quod homines etſi habeant aliquid operari ad Sacramentorum effectus; aliud non operantur, niſi per modum Miniſterii; & taliter operantur per modum miniſterii, quod non eſt attendendum, an bonus ſit, vel malus miniſter in mini- q) Ib. ad 2.
ſtrando Sacramenta. (q) Unde Divus Thomas, illud, quod eſt Sacramenti effectus, non impetratur oratione Eccleſiæ, vel miniſtri, ſed ex merito paſſionis Chriſti, cujus virtus operatur in Sacramentis. Unde effectus Sacramenti non datur melior per meliorem miniſtrum.

Denegandum tamen non eſt, quod aliquid annexum impetrari poſſit recipienti Sacramentum per devotionem Miniſtri, cum nihil prohibeat, quin devotio viri juſti aliquid adhoc operetur. Verum tamen eſt, quod miniſter illud non operatur, ſed impetrat operandum à Deo, quod magis etiam fit per hoc ſ. per orationes in collatione Sacramentorum, iſtę enim non proponuntur Deo ex parte ſingularis perſonæ, ſed ex parte totius Eccleſiæ, ſic utique Deo propoſitæ ſunt ab illo exaudibiles, cum & Chriſtus
Dominus dicat Matth. (r) dico vobis quia ſi duo r) Cap. 18.
ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in Cœlis eſt. Ubi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Exaudiuntur ergo preces à Domino Deo, quando factæ ſunt ex parte totius Eccleſiæ, ac proinde in collatione Sacramentorum non eſt reſpiciendum ad miniſtrum, ſed ad meritum paſſionis Chriſti, in cujus virtute gratia Sacramentalis datur, ut danda hominibus.

Sed quid erit dicendum de Chriſto, in quo duplex reperitur natura, humana, ſ. & divina? dicendum eſt, quod ſi conſideretur ipſe Chriſtus, ſecundum quod eſt Deus, ſic & operatur interiorem effectum Sacramenti juxta Divum Auguſtinum dicentem, in Sacramentis divina virtus ſecretius operatur ſalutem:
& Div. Thomas (ſ) docet, quod divina virtus eſt ſ) 3 cont.
Chriſti, ſecundum quod eſt Deus, & non ſecun- gent. c. 10.
dum, quod eſt homo: licet poſtea Ipſemet Chriſtus Dominus, ſecundum quod eſt homo, habeat poteſtatem miniſterii principalis operandi effectum interiorem Sacramentorum, cum operetur ad interiores effectus Sacramentorum meritoriè, & efficienter,
ſed inſtrumentaliter. Certum enim eſt, quod paſſio t) ib. quæſt.
Chriſti, quæ competit ei ſecundum humanam na- 64. a 3.
turam; eſt cauſa noſtræ juſtificationis & meritoriè, & effectivè, non quidem per modum principalis agentis, ſive per auctoritatem, cum hanc in Sacramentis habeat in quantum Deus) ſed per modum inſtrumenti, in quantum humanitas eſt inſtrumen-
tum ejus, ait etiam Divus Thomas, (u) humani- u) p. 2. q.
tas Chriſti eſt, ſicut quodam organum divinitatis 112. a. 1.
ejus, & ideò humanitas Chriſti non cauſat gratiam propria virtute, ſed virtute divinitatis adjunctæ, ex qua actiones humanitatis Chriſti ſunt ſalutares. Et
propter hoc ſubdit Divus Thomas; (x) quia hu- x) a. 3. q. 2.
manitas Chriſti eſt inſtrumentum conjunctum divi- 119.

nitati

nitati in perſona, habet quandam principalitatem, & cauſalitatem reſpectu inſtrumentorum extrinſecorum, qui ſunt miniſtri Eccleſiæ, & ideò in quantum homo habent poteſtatem miniſterii principalis, ſive poteſtatem excellentiæ conſiſtentem; tùm in hoc, quod meritum, & virtus paſſionis ejus operatur in Sacramentis: dictum eſt enim, quod Sacramenta Eccleſiæ ſpecialiter habet virtutem ex paſſione Chriſti, cujus virtus copulatur nobis per Fidem, y Cap. 3. juxta illud ad Rom. (y) quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius; quam fidem per invocationem nominis Chriſti proteſtamur, & ideò ſecundò pertinet, quod in nomine ejus Sacramenta ſanctificantur. Et quia ex ejus inſtitutione Sacramenta virtutem obtinent, inde eſt, quod tertiò ad excellentiam poteſtatis Chriſti pertinet, quod ipſe; qui dedir virtutem Sacramentis, potuit inſtituere Sacramenta per eamdem poteſtatem excellentiæ. Et quia cauſa non dependet ab effectu, hinc eſt, quod ad excellentiam poteſtatis Chriſti pertinet, quod ipſe potuit effectum Sacramentorum ſine exteriori Sacramento conferre: & per hanc poteſtatem excellentiæ Chriſtus dimiſit peccata Mariæ Megdalenæ, cui, ut conſtat ex illo Lucæ (z) dixit z Cap. 7 remittuntur tibi peccata: & cui conſonat & illud a Cap. 9 Matth. (a) quando ipſe Dominus Jeſus dixit; ſcitis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimettendi peccata; poteſtatem quidem miniſterialem principalem tamen, & excellentiæ, non verò auctoritativam, quia tunc operabatur, ſecundum quod homo erat, & in quantum quod erat inſtrumentum conjunctum divinitati in perſona. (b) Unde bp. 3. q. 112. a. 4. Divus Thomas, ſicut in ipſa perſona Chriſti humanitas cauſas ſalutem noſtram per gratiam virtute divina principaliter operante, ita in Sacramentis novæ Legis, quæ à Chriſto derivantur, cauſatur gratia, inſtrumentaliter quidem per ipſa Sacramenta, principaliter tamen per virtutem Spiritu Sancti in Sacramentis operantis. Hanc autem poteſtatem excellentiæ, quam habuit Chriſtus Dominus in Sacramentis, potuit utique communicare miniſtris, c 3. p. q. 64. ar. 4. dando ſ. eis, ut docet Divus Thomas (c) tantam plenitudinem gratiæ, ut eorum meritum operaretur ad Sacramentorum effectus, ut ad invocationem nominum ipſorum ſanctifitarentur Sacramenta, & ut ipſi poſſent Sacramenta inſtituere, & ſine ritu Sacramentorum effectum eorumdem conferre ſolo imperio.

Verùm ne appareant ſtudioſa iſta verba Divi Th. d adv. fic. h. c. (d) notandam eſt, cum Eminentiſſimo Cajetano; auctor expreſsè hic dicit, quod Chriſtus potuit communicare homini puro, ut Sacramentorum effectum conferret ſolo imperio, quod colligitur e3. p. q. 64. ad 1. tiam ex illo, quod docet Div. Thomas, (e) Chriſtus non ex invidia prætermiſit poteſtatem excellentiæ Eccleſiæ miniſtris communicare; ſed propter utilitatem fidelium, ne in homines ſpem reponerent, & ne eſſent diverſa Sacramenta ſicut colligitur ex D. f tr. 5. Auguſtino, (f) potuit Jeſus Chriſtus, ſi voluiſſet tradere poteſtatem alicui ſervo, ut daret baptiſmum, tanquam vice ſua, & transferret à ſe baptizandi poteſtatem; hoc noluit; ideò ut in illo ſpes eſſet baptizatorum, à quo ſe baptizatos agnoſceret. Subdit poſteà Divus Thomas ibidem Ex quibus ſ. diverſis Sacramentis diviſio in Eccleſia oriretur, ſicut apud illos, qui dicebant, ego ſum Pauli; ego autem Apollo, ego verò (g) Cep. hæ. ad g 1. Cap. 1. Corint.

h ib. ad 3. Hoc idem roborat Divus Thomas, (h) dum ait, ad hoc inconveniens evitandum, ne ſcilicet multa capita in Eccleſia eſſent: Chriſtus noluit poteſtate ſuæ excellentiæ miniſtris communicare, at dato quod communicaſſet, ipſe eſſet caput principaliter, aliis verò ſecundariò. Et licet communicare potuerit aliis, ſ. miniſtris Eccleſiæ poteſtatem excellentiæ convenientem Chriſto Domino, ſecundum quod eſt homo, nihilominus adhuc ſtar, quod illis communicare non potuerit poteſtatem auctoritatis, cum iſta conveniat illi, ut Deus; & hoc eſt, quod docebat Divus Thomas, (i) Chriſtum Dominum non i p. 3. q. 13 a. potuiſſe communicare miniſtris, quod crearent cœlum, & terram, eò quia creatio ex parte modi agendi excedit quemcumque ordinem; & eſt maximum opus Dei, quia ex nihilo fit aliquid, immò eſt proprius effectus Dei creantis; & illud, ut habetur ex Divo Thoma; (l) quod eſt proprius effectus l 1. p. q. 45. a. 5. Dei creantis, eſt illud, quod præſupponitur omnibus aliis, ſ. eſſe abſolutè, unde non poteſt aliquid operari diſpoſitivè, & inſtrumentaliter ad hunc effectum, cum creatio non ſit ex aliquo præſuppoſito; quod poſſit diſponi per actionem inſtrumentalis agentis, ac per conſequens impoſſibile eſt, quod alicui creaturæ conveniat creare, neque virtute propria, neque inſtrumentaliter, ſive per imperium; attamen æque bene potuit communicare miniſtris juſtificationem impii mediantibus Sacramentis, non enim repugnat, quod poſſit dari inſtrumenta phyſica ad infuſionem gratiæ, & juſtificationem impii, repugnat tamen, quod dari poſſit inſtrumentum creationis.

Nec illud Divi Auguſtini ſuper illud Divi Joan- m 2. a. nis majora horum faciet, quod majus opus eſt, ut ex impio juſtus fiat, quàm creare Cœlum, & Terram; inferendum eſt à paritate rationis, quod ſi Chriſtus non potuerit communicare vim creandi, neque potuerit communicare vim juſtificandi. Siquidem ultrà quod doceat Divus Thomas (n) quod talis ob- n ad 2. ib. q. 64. a. 4. jectio procedit de poteſtate auctoritatis, quæ convenit Chriſto, ſecundum quod eſt Deus, licet & poteſtas excellentiæ poſſit auctoritas nominari per comparationem ad alios miniſtros. Unde ſuper illud Apoſtoli ad Corinth. (o) diviſus eſt Chriſtus, dicit o p. c. 1. Gloſſa, quod potuit eis dare auctoritatem baptiſmi, quibus contulit miniſterium.

Etiam ex eodem Divo Thoma (p) habetur, p 1. p. q. 13 ar. 3 in c. quod juſtificatio licet ſit majus opus, quàm creatio ex parte facti, cum creatio terminetur ad eſſe naturale, & juſtificatio ad eſſe ſupernaturale, attamen ex parte modi agendi, ſine ullo prorſus dubio, majus opus eſt creationis, quàm juſtificationis ob id, quod jam diximus; & ex ipſis verbis Divi Thomæ colligi poteſt, & ſunt. Opus aliquod poteſt dici magnum dupliciter; uno modo ex parte modi agendi, & ſic maximum opus eſt creationis, in quo ex nihil fit aliquid; Alio modo poteſt dici opus magnum ob magnitudinem ejus, quod fit, & ſecundum hoc majus opus eſt juſtificatio impii, quàm creatio cæli, & terræ, quæ terminatur ad bonum naturæ mutabilis. Et ideò Auguſtinus cum dixiſſet, quod majus eſt, quod ex impio fiat juſtus, quàm creare cœlum, & terram, ſubjungit, cœlum, & terra tranſibit, prædeſtinatorum autem ſalus, & juſtificatio impii permanebit. Unde voluit utique communicare miniſtris ſuis omnia, quæ ſpectant ad bonum ſalutis animarum, nullatenus verò illa, quæ ſolùm pertinent ad omnipotentiam ſuam, aliàs ſi hoc eſſet, quomodo ſtaret illud, quod dicebat Pſal. (q) quis ſimilis q Pſal. 82. erit tibi, & rurſus quod ajebat; non eſt ſimilis tui in diis Domine, & non eſt ſecundum opera tua. r Pſal (r) Et quomodo ſtaret illud Iſajæ, (ſ) ecce gen- ſ Cap. 40. tes, quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt, omnes gentes, quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt ei.

Communicavit ergo Chriſtus Dominus ſecundum quod homo eſt, poteſtatem, quæ in illo erat excellentiæ, utpotè caput totius Eccleſiæ, immò ut ajebat Petrus in Actib: Apoſtolorum, (t) ipſe eſt, qui t Cap. 10. conſtitutus eſt à Deo judex vivorum, & mortuorum, miniſterialem aliis, præcipuè miniſtris Eccleſiæ, & Sacramentorum, unde per dictam poteſtatem à Chriſto Domino acceptam habent vim miniſtrandi, ſicut & conferendi Sacramenta fidelibus & omnibus illis, qui aggregari volunt, & cupiunt

ad ve-

Digitized by Google

ad veram fidem Chriſti, & ſubjiti Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ verè Catholica, & Apoſtolica eſt: cœterum non accipiunt per illam facultatem vim inſtituendi Sacramenta, cum talis inſtitutio ſoli Deo conveniat, cum ſolus Deus det Sacramentis robur, & virtutem, hoc eſt gratiam, quæ à ſolo Deo eſt, ut jam diximus cum Pſalm. gratiam, & gloriam dabit Dominus; idcircò Chriſtus Dominus, ſecundum quod Deus eſt, inſtituere voluit Sacramenta, ut per iſtam gratiam in hac vita conſequi mereamur, & in alia gloriam adipiſci poſſimus, unde cum in Sacramentis detur gratia, & iſta ab alio non ſit, niſi à Chriſto, ſecundum quod Deus eſt, nam gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum, qui Deus eſt, facta eſt: hinc meritò deducere debemus ab ipſo Chriſto inſtitutionem habuiſſe Sacramenta, & hoc neceſſarium fatendum eſſe jam habemus per decreta, & ſtatuta Sac. Concilii Trident. (x) Et primò de Sacramentis in genere ſtatutum fuit, ſi quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuiſſe omnia à Chriſto Domino Noſtro inſtituta &c. anathema ſit.

u ſeſſ. 7. can. 1.

x ſeſſ. 14. c. 1.

Secundò de Sacramento Extremæ unctionis habetur. Inſtituta eſt autem hæc Sacra unctio infirmorum, tanquam verè, & propriè Sacramentum novi Teſtamenti à Chriſto Domino Noſtro apud Marcum quidem inſinuatum, per Jacobum autem Apoſtolum, ac fratrem Domini fidelibus commendatum, ac promulgatum.

Tertiò habetur de Sacramento Matrimonii ante Canones, (y) gratiam verò, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indiſſolubilem unitatem confirmaret, conjugeſque ſanctificaret, ipſe Chriſtus venerabilium Sacramentorum inſtitutor, atque perfector nobis paſſione promeruit. Deinde ſtatuit, Sacroſancta æcumenica, (z) & generalis Synodus in Spiritu Sancto legitimè, congregata hoc ſibi ante omnia perpetuò proponens, ut ſublatis omnibus erroribus, puritas ipſa Evangelii in Eccleſia conſervetur, quod promiſſum ante per Prophetas in Scripturis Sanctis, Dominus noſter Jeſus Chriſtus Dei Filius proprio ore primùm promulgavit; Deinde per ſuos Apoſtolos, tanquam ſontem omnis ſalutaris veritatis, & morum diſciplinæ omni creaturæ prædicari juſſit perſpicienſque hanc veritatem, & diſciplinam contineri in libris Chriſti, & ſine ſcripto, traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore, quæ ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus traditæ ad nos uſque pervenerunt; idcircò ſi quis traditiones prædictas ſciens, & prudens, contempſerit, anathema ſit.

y ſeſſ. 24.

z ſeſſ. 4. p decr.

Ante verò Concilium Tridentinum Divus Thomas (a) hanc veritatem ſemper docuit, atque ſuſtinuit, taliter quod, & dixit, quod virtus Sacramenti non poteſt eſſe ab eo, qui utitur Sacramento, quia non operatur, niſi per modum miniſterii. Quapropter relinquitur quod virtus Sacramenti ſit ab illo, qui inſtituit Sacramentum, eò quia diximus, virtus Sacramenti à ſolo Deo eſt, meritò infertur, quod ſolus Deus ſit Sacramentorum inſtitutor. Pariter & dixit, quod Apoſtoli, & eorum ſucceſſores geſſerunt Vicem Dei in terris, quantum ad regimen Eccleſiæ. non autem quantum ad novam inſtitutionem Sacramentorum.

a 3. p. q. 64. a. 2.

Idcircò & ſubdit, ſicut non licet eis conſtituere aliam Eccleſiam, ita non licet eis tradere aliam fidem, neque inſtituere alia Sacramenta, ſed per Sacramenta, quæ de latere Chriſti in Cruce pendentis fluxerunt, dicitur eſſe fabricata Eccleſia Chriſti, & ideò bene ajebat Apoſtalus Corinth. (b) ſic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti: & diſpenſatores Myſteriorum Chriſti, ſ. Sacramentorum, in quibus licet quædam agantur, de quibus nulla ſit mentio in Sacra Scriptura: nihilominus tamen quia, ut bene dixit Divus Thomas, (c) illa, quæ aguntur in Sacramentis per homines inſtituta, non ſunt de neceſſitate Sacramenti, ſed ad quamdam ſolemnitatem, quæ adhibetur Sacramentis ad excitandam devotionem, & reverentiam, in his qui Sacramenta ſuſcipiunt, ut patet diſcurrendo per ſingula; hinc eſt, quod non accipiunt novam inſtitutionem ipſa Sacramenta ab alio, niſi à Chriſto: quoniam ea, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti, ab ipſo Chriſto inſtituta ſunt, qui Deus, & homo eſt.

b a. c. 4.

c ib. ad 1.

Et quamvis non ſint omnia tradita in ſcripturis, habet tamen ea Eccleſia ex familiari Apoſtolorum traditione, ſicut Apoſtolus ad Corinth. (d) dixit, cœtera, cum venero, diſponam. Diſponam utique, quaſi diceret, non inſtituendo, ſiquidem jam reliquit in ſuis Epiſtolis, ut certum à Chriſto Domino inſtituita fuiſſe Sacramenta; ſed tradendo diſpoſitiones, ut ſuſcipientes Sacramenta; piè, devotè, ac reverenter illa ſuſcipiant.

d 1. cap. 11.

Nec recurrendum eſt ad res ſenſibiles, eò quia licet res iſta ſenſibiles, ex quibus conſtant Sacramenta, habeant aptitudinem quandam ad ſignificandum ſpirituales effectus ex ſui natura; tamen talis aptitudo determinatur ad ſpecialem ſignificationem ex inſtitutione divina; ſic & Ugo de Sancto Victore (e) lib. de Sacramentis dixit; quod Sacramentum ex inſtitutione ſignificat. Præelegit tamen Deus, ſubdit D. Thomas, (f) quaſdam res aliis ad ſignificationes Sacramentales, non quia ad eas contrahatur ejus effectus, ſed ut ſit convenientior ſignificatio:

e l. c. c. 2.

f ib. ad 1.

Communicavit ergo Chriſtus Dominus poteſtatem miniſterialem miniſtris Eccleſiæ miniſtrandi, & conferendi Sacramenta, & hanc omnibus ſive bonis, ſive malis communicavit, dix. enim quando inſtituit Apoſtolos, & illos ordinavit in Sacerdotes, bibite ex eo omnes, & biberunt ex illo omnes, inter quos fuit ille malignus proditor Judas Iſcariotes: nec per malos intelligi poſſunt peccatores, ſed etiam hæretici, Schiſmatici, & Infideles, dummodo tamen adhibeant ad illorum valorem omnia requiſita, juxta illud, quod decrevit Concilium Tridentinum (g) de Sacramentis in genere, ſi quis dixerit, miniſtrum in peccato mortali exiſtentem (modò omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, ſervaverit) non conficere, aut non conferre Sacramentum. Anathema ſit.

g ſeſſ. 7. can. 12.

Certum enim eſt, quod vel per peccatum, vel per infidelitatem non admittitur facultas, ſicut nec poteſtas ad Sacramenta miniſtranda. (h) Unde Divus Auguſtinus lib. de Baptiſmo, ſive Judæus, ſive Paulus baptizet, Chriſtus peccatum lavat, abſolvit, & delet, & alio in loco ait, (i) ſuperbus miniſter cum diabolo computatur, ſed non contaminatur donum Chriſti, quia per illum fluvius tranſit, & venit ad fertilem terram. De hac & David dixit, (l) terram fructiferam in ſalſuginem, à malitia inhabitantium in ea; terra namque fructifera ſunt Sacramenta, cum cauſent gratiam, augeant fidem, augeant ſpem, augeant charitatem, in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea, Miniſtrorum, ſcilicet cum male utantur Miniſtri, & Sacerdotes Dei Sacramentis.

h l. 1 c. 29.

i tr. 5. in Jo.

l Pſ. 106.

Et hoc propter peccata, vel hæreſes, vel ſchiſmata, quæ omnia proveniunt ex malitia malorum hominum, qui vel in Eccleſia Dei ſunt, vel ab illa receſi, adhuc perſeverant, vel diviſores facti ſunt Eccleſiæ, quaſi adulterantes ſponſam Chriſti, quæ eſt una.

Rurſus Divus Auguſtinus ſuper illud Divi Joanni (m) ſuper quem videris Spiritum &c. dicit, quid non noverat Ioannes poteſtatem baptiſmi, ipſum Dominum habiturum, & ſibi retenturum, ſed miniſterium plane tranſiturum in bonus, & malos; Quid ibi facit malus miniſter, ubi bonus eſt Dominus? (n) Et Divus Thomas docet, quod miniſtri Eccleſiæ neque à peccatis mundant homines ad Sacramenta accedentes, neque gratiam conferunt ſua virtute;) ſiquidem, ut jam diximus pluries, miniſtri Eccleſiæ inſtrumentaliter operantur in Sacramentis; immò, & diximus, quod inſtrumentum non agit ſecundum propriam virtutem, aut formam, ſed ſecun-

m c. 1.

n 3. p. q. 64. a. 5. ad 1.

Digitized by Google

ſecundum virtutem ejus, à quo movetur; & ideò accidit inſtrumento, in quantum eſt tale, qualemcumque formam, vel virtutem habeat, præter id, quod exigitur ad rationem Sacramenti,) ſed hoc facit Chriſtus ſua poteſtate per eos, ſicut per quædam inſtrumenta; Idcircò mali miniſtri, cum ſint immundi; utique poſſunt mundare à peccato per virtutem, quam acceperant ex Chriſto, & ex virtute paſſionis Chriſti, at proinde ſubdit Divus Thomas effectus conſequitur in ſuſcipientibus Sacramenta non ſecundum ſimilitudinem miniſtrorum, ſed ſecundum configurationem ad Chriſtum, Quod magis apparet ex illo, quod docet Divus Thomas, dum ait, mali, etſi præciſi ſint à Chriſto quantùm ad corpotis unionem, eò quia charitatem non habent, (*o*) unde, & dixit per charitatem membra Chriſti uniuntur ſuo capiti, ut ab eo vitam recipiant; juxta illud Joannis (*p*) qui non diligit, manet in morte: non tamen ſunt præciſi à Chriſto quantum ad quamdam motionem, & hinc eſt, quod poteſt aliquis operari per inſtrumentum carens vita, & à ſe ſeparatum quantùm ad corporis unionem, ut patet de baculo, & manu; dummodo ſit conjunctum per quamdam motionem; nam artifex v.g. aliter operatur per manum, & aliter per ſecurim. Ita Chriſtus operatur in Sacramentis, & per bonos tamquam per membra viventia, & illi conjuncta, & per malos, tanquam per inſtrumenta vita carentia, hoc eſt per membra abſciſſa, & ſeparata. Videtur ergo, quod etiamſi malus ſit miniſter, dummodo ſervat ea, quę ſunt de neceſſitate Sacramenti, & illi debita, efficitur ab illo aliquid in Sacramento.

o ibi. ad 2
p p. cap. 3.

Et illi debita, hoc dicitur, quia ut vult Divus Thomas, (*q*) aliquid eſt debitum in Sacramento dupliciter. Primò ſicut exiſtens de neceſſitate Sacramenti, quod quidem ſi deſit, non perficitur Sacramentum, ut ſi deſit debita forma, vel debita materia; ſecundo eſt aliquid debitum eſſe in Sacramento ſecundum quamdam decentiam, & hoc modo debitum eſt; ut miniſtri Sacramentorum ſint boni; debitum eſt, ut miniſtri ſint boni, quia Sancta Sanctè pertractari debent; qua de cauſa etſi ſancta ſanctè non pertractentur à miniſtris, per hoc tamen non tollitur poteſtas illis conferendi.

q ad 3. ib.

Debitum eſt, ut miniſtris miniſtrantes Sacramenta ſint boni, ne peccent, illa cum peccato mortali miniſtrando. Unde memoret eſſe debent illi miniſtri, qui ſunt tales ex officio, qui & miniſtri ſolemnitatis dicuntur, iſti enim ſunt, qui conficiunt Sacramenta ſpeciali conſecratione, & ad ea conficienda deputantur, uti ſunt Sacerdotes Miſſam celebrantes, abſolventes à peccatis, & cum omni ritu ſolemni baptizantes, ad differentiam illorum, qui quamvis dicantur miniſtri, non tamen ſunt ſimpliciter tales, unde potiùs nominentur tales, quàm quod ſint tales,& potius neceſſitatis dicuntur, quàm ſolemnitatis; eò quia ſine ſpeciali conſecratione, ſine aliqua deputatione ſacramenta miniſtrant: ut pat. de Sacramento baptiſmi, iſtud cum ſit neceſſarium neceſſitate medij; à quolibet ſine ſolemnitate conferri poteſt, nec peccant in tali miniſtrando, ut habetur ex Divo Thoma, (*r*) ille qui eſt in peccato mortali, non eſt perplexus ſimpliciter, ſi ex offitio ei incumbat miniſtrare, quia poteſt pœnitere de peccato, & licitè miniſtrare. Non eſt autem inconveniens, quod ſit perplexus ſuppoſito quodam, ſ. quod velit remanere in peccato.

r 1. p. q. 64. a. 6. ad 1.

At in articulo neceſſitatis non peccaret baptizando in caſu, quo etiam laicus poſſet baptizare, ſic enim patet, quod non exhiberet ſe miniſtrum Eccleſiæ, ſed ſubveniret neceſſitatem patienti: ſecus autem in aliis Sacramentis,quæ non ſunt tantę neceſſitatis, ſicut baptiſmus. Et hoc meritò, eò quia alia Sacramenta, quæ cum non ſint ita neceſſaria ad ſalutem,non poſſunt confici, niſi à miniſtro ex offitio ſpecialiter ad miniſterium divinum conſecrato. Matrimonio excepto, ſiquidem iſtud, cum ſit potiùs contractus civlis, non exigit miniſtrum conſecratum, ſed ipſi contrahentes ſunt miniſtri ipſius; ergo memores debent eſſe miniſtri Sacramentorum, & ad divinum cultum ſpecialiter deputati, tùm illius, quod ſcriptum eſt in libro Levitici. (*ſ*) Homo de ſemine tuo, (hoc eſt de genere Sacerdotali cum Dominus locuuts ſit ad Aaron) per familias, qui habuerit maculam non offeret panes Deo ſuo, (& per maculam intelligi poteſt peccatum) nec accedet ad miniſterium ejus, immò nec ad altare, quia maculam habet, & contaminare non debet ſanctuarium meum, ſed ſancti eſſe debebant, ſicut paulò ante Dominus dixit, Sancti ſint, quia & ego ſanctus ſum, ſicut & memores illius, quod ſcriptum eſt in lib. Levitici: (*t*) Cuſtodiant præcepta mea, ut non ſubjaceant peccato, & moriantur in Sanctuario, cum polluerint illud, ego Dominus, qui ſanctifico eos, quia memores horum videbunt, quomodo mali miniſtri multò magis peccat mortaliter in nova Lege, ſi accedant ad miniſtrandum: eo quia Sacramenta novæ Legis ſunt digniora, quàm Sacramenta veteris Legis, & ideò majori cultu veneranda veteribus Sacramentis,

ſ Cap. 21.
t Cap. 22.

Memores debent eſſe miniſtri illius, quod Paulus ad Hæbr. (*u*) dixit, irritam quis faciens Legem Moyſi ſine ulla miſeratione duobus, vel tribus teſtibus moritur, quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit?

u Cap. 10.

Memores debent eſſe miniſtri Dei illud, quod dixit Dionyſius (*x*) de Cœleſti Hierarchia, quod malis non eſt fas, nec tangere ſymbola, ſ. Sacramentalia, ſigna; Qua de cauſa Iſajas (*y*) repræhendens Sacerdotes dixit, mundamini, qui fertis vaſa Domini. Et in Epiſtola ad Demophilum Dionyſius ait talis, ſcilicet peccator audax videtur Sacerdotalibus manum apponens, & non timet, neque verecundatur divina præter divinitatem exequens. & Deum putans ignorare, quæ ipſe in ſemetipſo cognoſcit, & decipere æſtimat falſo nomine Patrem ab ipſo appellatum, & audet immundas infamias, (non dicam orationes) ſuper divina ſigna Chriſti forniter enunciare.

x Cap 1.
y Cap. 52

Memores eſſe debent miniſtri Dei illius, quod docet Divus Thomas, (*z*) miniſtri debent Domino conformari, juxta illud Levitici, (*a*) Sancti eritis, quia ego ſanctus ſum, quomodò autem conformamari poſſent Domino, ſi non operarentur, ſecundum quod oportet: attendite ad illud Eccleſiaſtici, (*b*) ſecundum Judicem populi, ſic & miniſtri ejus, Et ideò ſicut judex debet eſſe juſtus, & rectus in judicando, juſta judicate filii hominum, ita, & miniſtri in exequendo juſtitiam, & judicium rectè, & juſtè debent operari, aliàs non conformarentur judici. Sic ergo, & miniſtri Eccleſiæ in miniſtrando Sacramenta juſtè debent operari, & ſanctè pertractare divina, ut quantum poſſint, poſſint etiam conformari Domino; unde non eſt dubium, quin mali exhibentes ſe miniſtros Dei, & Eccleſiæ in diſpenſationes Sacramentorum peccent. Et rurſus ait Divus Thomas, (*c*) præexigitur in miniſtro Sanctitas juſtitiæ, ut congruat ſuo miniſterio: Et ideò incongruè agit, & peccat, ſi in peccato exiſtens ad tale miniſterium accedat.

z q. cit. a. 6.
a Cap. 19
b Cap. 10.
c ib. ad 1

Peccat utique, & peccat mortaliter, nam hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, & contaminationem Sacramentorum, quantum eſt ex parte ipſius peccatoris. Et licet non quælibet irreverentia Sacramentorum ſit mortalis propter imperfectionem aliquorum actuum irreverentialium, nihilominus tamen irreverentia miniſtrandi Sacramenta eſt peccatum mortale ex genere ſuo; inquit Divus Thomas. (*d*) Hinc Cajetanus ſequens Doctrinam hanc Divi Thomæ, ait, in quolibet genere peccati mortalis imperfectio actus excuſat à mortali; at miniſtrare Sa-

d Caie. hic

Digitized by Google

cramenta indignè non eſt actus imperfectus in genere ſacrilegii, nec reductivè ſpectat ad ſacrilegium tantùm, ſed directè ad contaminationem Sacramentorum pertinet. Et quamvis Sacramenta, quantum eſt in ſeipſis, incontaminabilia ſint, tamen ut obſervat Dominus Cajetanus poſſunt contaminari dupliciter; vel ut egrediuntur à miniſtro, vel ut applicantur ad aliquid. Et hoc ſecundo modo ſacrilegium eſt uti Sacramento ad alium finem, ut ſacrilegi faciunt. Primò modo ſacrilegus eſt miniſter malus à quo exit Sacramentalis actio indignè, quia quantum eſt ex parte miniſtri mali, maculatur actio illa, quoniam tractatur ut prophana, ſeù non ſancta; hoc explicatur ex auctoritate Apoſtoli dicentis, qui manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini: In qua auctoritate ratio peccati mortalis aſſignatur ex hoc, quod manducans non dijudicat corpus Domini, hoc eſt non diſcernit corpus Domini ab aliis cibis, ſed ſumit ipſum ut cibum prophanum, quoniam ſumit illum, ut indiſpoſitus ad illum, utpotè indignè. Hoc idem accidit miniſtro malo, quia miniſtrans Sacramentum indignè non dijudicat Sacramentum, dùm non diſcernit illud, ut à ſe egrediatur à prophanis, ſed ſe habet ad Sacramentalem actionem, ut prophanam, dùm indignè illam exercet; hoc eſt contaminare Sacramenta ex parte ipſius miniſtrantis, ſeù recipientis, & præſumptio miniſtri mali, non eſt qualiſcumque, ſed ſacrilega præſumptio, ſicut, & præſumptio audens indignè recipere Sacramenta ſacrilega eſt; & meritò eſt talis,
e ad 1. ibi.
cum, ut docet Div. Tho. (e) Sacramenta in ſeipſis ſanctificationem quandam habent per myſticam conſecrationem. Quapropter qui audebit contaminare Sacramenta, ſine dubio ſacrilegus erit, non erit tamen ſacrilegus, nec peccabit miniſter malus, miniſtrando Deo in operibus charitatis, cum opera charitatis non ſint aliqua conſecratione ſanctificata, ſed ipſa pertinet ad juſtitiæ ſanctitatem, ſicut quædam juſtitiæ partes: & ideò homo, qui ſe exhibendo Deo miniſtrum in operibus charitatis; ſi ſit juſtus, amplius ſanctificatur, ſi verò ſit peccator, per hoc ad ſanctitatem diſponitur, immò, eſt illi conſulendum juxta illud (f)
f cap. 4
Danielis, conſilium meum tibi placeat, peccata tua eleemoſynis redimet.

Peccant ergo, & peccant mortaliter mali miniſtri miniſtrando Sacramenta, at non peccat ille, qui ad Sacramentum accedit, & ſuſcipit Sacramenta à miniſtro, qui quamvis malus ſit, tamen ab illo non ſuſcipit Sacramentum, in quantum eſt talis perſona, ſed in quantum eſt miniſter Eccleſiæ. Unde non communicat in peccato ejus, communicaret utique
g ib. ad 2
peccato illius ſi conſentiret, vel faceret. (g) Quod totum habetur ex Div. Tho. quamdiù ab Eccleſia toleratur in miniſterio ille, qui ab eo ſuſcepit Sacramentum non communicat peccato ejus, ſed communicat Eccleſiæ, quæ eum tanquam miniſtrum exhibet.

Si verò ab Eccleſia non toleretur, (putà cum degradatur vel excommunicatur, vel ſuſpenditur) peccat, qui ab eo accipit Sacramentum, quia peccato ipſius communicat.

Memores eſſe debent miniſtri Eccleſiæ, & Sacramentorum, quod ſolùm ſibimetipſis data eſt à Deo, & à Chriſto Domino, ſecundum quod eſt Deus, poteſtas conficiendi, diſpenſandi, & miniſtrandi Sacramenta, & non aliis, nempe Angelis, ſervato tamen ordine naturæ, & ſervata Dei potentia ordinaria, juxta quàm operatur Deus ſecundum communem curſum ordinis jam inſtituti. Voluit ergo Deus, & Chriſtus Dominus, ut Sacramentum, non per Angelos, ſed per homines miniſtrarentur in Eccleſia, & meritò hoc voluit, quia,
h 3. p. q. 64. ar. 7.
ut benè ait Divus Dhomas, (h) tota virtus Sacramentorum à paſſione Chriſti derivatur, quæ eſt Chriſti ſecundum quod eſt homo, unde & paſſus eſt propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, & propter hæc omnia Verbum Dei factus eſt homo cui in natura conformantur homines, non autem Angeli, propter quos Chriſtus non eſt paſſus, neque mortuus, & ideò ſubdit Divus Thomas, ſed potius ſecundum paſſionem dicitur modico ab Angelis minoratus, ut habetur ex Apoſtolo ad Hæbr.
i cap. 2
(i) minuiſti eum paulominus ab Angelis.

l cap. 5
Immò ex eodem Apoſtolo ibidem ad Hæbr. (l) hanc veritatem colligimus, dùm dixit omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis, cum autem Angeli, ſive ſint boni, ſive mali, non ſint ex hominibus, rectè deducimus; quod nec ipſi conſtituuntur miniſtris in his quæ ſunt ad Deum ſ. in Sacramentis.

m lib. 3. de Sacerd.
Quapropter bene hæc omnia conſiderando Chryſoſtomus & excellentiam Sacerdotii admirando dixit, his qui in terra incolunt; & in ea verſantur, commiſſum eſt, ut ea, quæ in Cœlis ſunt, diſpenſent. Iis datum eſt, ut poteſtatem habeant, quam Deus Optimus, neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit: neque enim ad illos dictum eſt, quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlis &c. Quid mirum ergo, ſi ſolis hominibus datum ſit à Deo miniſtrari Sacramenta? Si jam & ipſe homo factus ſit, ut majorem vim Sacramentis daret; ob hoc uſus fuit & rebus ſenſibilibus, & verborum locutionibus, quibus & utuntur homines ad aliquid operandum, & ad aliquod intelligendum, hæc autem omnia impoſſibilia ſunt Angelis, inquit
n Ration.
& Cajet. (n) hic locutio requiſita ad miniſtrum Sacramenti eſt actus vitalis loquentis, at locutio Angeli in corpore aſſumpto eſt motus corporis non viventis: & quia iſte defectus invenitur in omni ſuppoſito rationali extra humanam ſpetiem, ideò oportet hominem eſſe, qui miniſtrat Sacramenta, juxta id, quod concludit Divus Thomas, idcircò ad homines pertinet diſpenſare Sacramenta, & in eis miniſtrare, & non ad Angelos.

o p. c. 4.
Ad homines utique, ad illos, ſcilicet, qui in ſtatu viæ ſunt, pertinet miniſtrare Sacramenta, de hominibus ergo viatoribus locutus fuit, & Paulus ad Corinth. (o) quod ſint miniſtri Sacramentorum, dum & dixit, ſic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei; & e-
p 2. cap. 6.
tiam dixit ad Corinthios (p) in omnibus exhibeamus noſmeptiſos, ſicut Dei miniſtrus, in multa patientia, in tribulationibus; in neceſſitatibus, in anguſtiis, quæ omnia ſingulis viatoribus competunt: Per hoc tamen non excluduntur homines Sancti in Patria exiſtentes, qui quamvis aſſimilentur Angelis in Cœlo quautum ad participationem gloriæ, non tamen quantum ad conditionem naturæ, ac per
q ad 2. ib.
conſequens, ait Divus Thomas, (q) neque quantum ad Sacramenta. Certum enim eſt, quod homo Beatus, & comprehenſor habet characterem Sacramentalem, qui indelebilis eſt, unde cum indelebiliter ſe habeat poſt hanc mortalem vitam, ſi miraculosè reaſſumeret corpus, poſſet adhibere omnia ad valorem Sacramenti eſſentialiter requiſita, ſc. debitam formam, & materiam, & intẽtionem faciendi, quod facit Eccleſia: videtur ergo, quod eſſet abſque novo miraculo miniſter idoneus Sacramentorum etiamſi non diceretur miniſter ordinarius, cum talis conditio ſoli viatori conveniat, ſed extraordinarius, non quod tunc opus eſſet potentia extraordinaria Dei ad Sacramenta extraordinaria, ſicut opus eſſet potentia ex-
r in c. ibid.
traordinaria Dei reſpectu Angelorum miniſtrantium Sacramenta, juxta Div. Thomam dicentem, ſicut Deus virtutem ſuam non alligavit Sacramentis, quin poſſit ſine Sacramentis effectum Sacramentorum conferre ita etiam virtutem ſuam non alligavit Eccleſię miniſtris, quin etiam Angelis poſſit virtutem tribuere miniſtrandi in Sacramentis.

Quod comprobari poteſt ex variis hiſtoriis, legitur namque de Beato Onophrio Anacoreta, quod ab Angelo ſolebar Dominico quoqua die accipere Euchari-

Digitized by Google

chariſtiam de Beata Agnete de Monte Politiano, ut apertè habetur ex Bulla Beatificationis data à Clemente Papa Octavo legitur, ſæpius eidem Angelus Euchariſtiam ſua manu porrexit. De Sancto Anglicodio in Deſerto narrat in Eccleſiaſtica hiſtoria Nicephorus lib. undecimo capite vigeſimo, quod fuit conſecratus ab Angelis in Epiſcopum, & quod ejus conſecratio rata ab aliis Epiſcopis habita fuit. Quod habetur etiam ex Divo Thoma dicente (ſ) quia boni Angeli ſunt nuntii veritatis, ſi aliquod Sacramentale miniſterium à bonis Angelis perficeretur, eſſet ratum habendum, quia deberet conſtare hoc fieri voluntate divina, ſicut quædam templa dicuntur Angelico miniſterio conſecrata.

ſ ibid. in c.

Et de Michaele Archangelo nonne videtur ſpecialiter in honorem illius in Monte Gargano templum conſecratum miniſterio Angelorum? Nam & celebratur feſtum die octava Maii in memoriam hujus.

Et quod dicitur de Angelis bonis in ordine ad miniſtranda Sacramenta ex voluntate Dei ſic permittentis, & illa rata habenda non eſt dicendum de Angelis malis, ut docet D. Th. ibidem ſi verò dæmones, qui ſunt ſpiritus mendacii, aliquod Sacramentalem miniſterium exhiberent, non eſſet ratum habendum, eſſet tamen ratum habendum illud, quod à malis hominibus conficeretur, quia licet per malitiam ſint filii diaboli, attamen per hoc non deperdunt poteſtatem; quam acceperunt in illorum ordinatione. Hoc totum habetur ex D. Thom., (t) mali homines non habent, quod poſſint miniſtrare in Sacramentis, ex hoc, quod per malitiam ſunt membra diaboli, ac proinde non ſequitur dicendum, quod diabolus, qui eſt eorum caput, magis hoc poſſit.

t ad 3. ib.

At quid de Sacerdote damnato? habet ne poteſtatem conſecrandi? habet utique illam, verum quia jam effectus eſt membrum diaboli, utpotè quia impænitens factus eſt propter ſuam damnationem, hinc eſt, quod Deus non fineret, ut eam exerceret.

Memores debent eſſe miniſtri Eccleſiæ, & Sacramentorum, quod ad perficienda, & miniſtranda Sacramenta debent ſeriò, & non jocosè, irriſoriè, vel fictè procedere, ita ut non tantùm res apponatur, & verba proferantur, verùm etiam hæc omnia adjuvari debent eorum intentionibus, ut Sacramenta ſuam validitatem habeant, & conſequantur. Quapropter damnatur à Conc. Tridentino hæreſis Lutheri aſſerentis Sacramentum perfici, ſi apponatur res, & verba proferantur à miniſtro joco, & mendaciter totum id exterius peragantur, nec admittebat, ſed potiùs negabat ad Sacramentorum valorem requiri intentionem miniſtri; damnatur ergo ab eodem Concilio (u, talis hæreſis, dum primò ſtatuit, ſi quis dixerit, in miniſtris dùm Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, anathema ſit. Ecce ergo quomodo Concilium ſuppoſitione facta de materia, & forma in Sacramentis requiſitis vult, & determinat ultrà illas eſſe neceſſarium intentionem miniſtri.

u ſeſſ. 7 de Sacram. in gen. can. 11.

Et quod ita ſit determinando de miniſtro, & abſolutione (x) Sacramenti pœnitentiæ definit, pænitentem non manere abſolutum, nec perfici Sacramentum, ſi Sacerdoti animus ſeriò agendi, & verè abſolvendi deſit. Verba autem Concilii ſunt, atque ideò non debet pœnitens adeò ſibi de ſua ipſius fide blandiri, ut etiam ſi multa illi adſit contritio, aut Sacerdoti animus ſeriò agendi, & verè abſolvendi deſit; putet tamen ſe propter ſuam ſolam fidem verè, & coram Deo ſe eſſe abſolutum; nec enim fides ſine pœnitentia remiſſionem ullum peccatorum præſtaret, nec ineſſet, niſi ſalutis ſuæ negligentiſſimus, qui Sacerdotem jocò ſe abſolventem cognoſceret, & non alium ſeriò agentem ſedulò requireret.

x ſeſſ. 14. c. 6.

Et poſtea decrevit ſi quis dixerit abſolutionem (y) Sacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem (nam ſi attendamus ad inſtitutionem Sacramenti, videbimus, quod quando Chriſtus Dominus inſtituit Sacramentum pœnitentiæ, & dixit, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, tunc Sacerdotes inſtituti ſunt judices, & ut judices abſolvendo proferunt ſententiam, quæ accipere debet ſuam validitatem ex interiori intentione, quam debent habere abſolvendi) ſed nudum miniſterium pronunciandi, & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti, modò tantum credat, ſe eſſe abſolutum, aut Sacerdos non ſeriò, ſed joco abſolvat; anathema ſit.

y ib. can. 9

Hoc magis apparet ex inſtitutione omnium Sacramentorum. Nam quando Chriſtus Dominus inſtituit Sacramentum Baptiſmi, præcepit diſcipulis ſuis, ut euntes docerent omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; Quomodo autem baptizare poſſent, ſi ſine interiori intentione faciendi, quod præceperit Dominus, hoc agerent?

Pariter quando Sacramentum Euchariſtiæ inſtituit, non ne dixit, hoc facite in meam commerationem? quænam autem commemoratio eſſet; ſi tantùm ſupra materiam proferentur verba, & intentio non adeſſet? Et de extrema unctione nonne dicitur, quod inducat Præsbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, quomodo autem oratio fieri poſſet, ſi intentio faciendi, quod præcipitur, non eſſet? (z) Certum enim eſt, inquit Divus Thomas ea, quæ ſunt præter intentionem eſſe caſualia, & cum hoc non ſit dicendum de operatione Sacramentorum, reſtat conſequenter dicendum, quod Sacramenta requirant intentionem miniſtri, maxime etiam quia miniſter, quamvis inſtrumentaliter operetur in Sacramento, attamen eſt inſtrumentum animatum, de cujus ratione eſt, & quod moveatur, & quod quodammodo moveat ſeipſum, in quantum ſua voluntate movet membra ad operandum, ac proinde docet (a) Divus Thomas; requiritur ejus intentio, quam ſe ſubjiciat principali agenti, ut ſcilicet intendat facere, quod Chriſtus, & Eccleſia, & hoc quia agit in perſona totius Eccleſiæ, cujus eſt miniſter. In verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad intentionem Sacramenti, niſi contrarium exterius exprimatur ex parte miniſtri, vel recipientis Sacramentum, quod eſt contra id, quod docuit Div. Thom. (b) ea, quæ in Sacramentis aguntur, poſſunt diverſimode agi, ſicut ablutio aquæ, quæ fit in baptiſmo, poteſt ordinari & ad munditiam corporalem, & ad ſanitatem corporalem, & ad ludum, & ad alia hujuſmodi; Oportet autem, quod determinetur ad unum, ideſt Sacramentalem effectum per intentionem abluentis, quæ intentio exprimitur per verba, quæ in Sacramentis dicuntur, putà cum dicit, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ecce ego, quod per hujuſmodi verba confirmat, quod docuit ultra applicationem materiæ, & prolationem verborum requiri in miniſtro intentionem faciendi Sacramentum formaliter, cum, ut videbimus infrà, dicat, ſi miniſter non intendat Sacramentum conferre, talis perverſitas tollit veritatem Sacramenti, & ut videbimus de Baptiſmo, dicat, ſi in adulto deeſſet intentio ſuſcipiendi Sacramentum eſſet rebaptizandus.

z 3. p. q. 64. a. 8. in arg. ſed contra.

a ib. ad 1.

b ib. in c.

Requiritur igitur intentio tàm miniſtri, quàm ſuſcipientis Sacramentum, ſive poſtea talis intentio ſit actualis, ſive virtualis, alterutra enim hæc intentio requiritur ad perfectionem Sacramenti, & una, vel altera ſufficit, ut illi, qui in Sacramentis miniſtrant, habeant; non autem ſufficit intentio habitualis, hoc colligitur ex Divo Thoma (c) docente, licet, qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen habitualem: (hoc eſt virtualem, ut conſtabit ex infra dicendis,) quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti; puta cum Sacerdos accedens ad baptizandum intendit facere circa baptizandum, quod facit Eccleſia, unde ſi poſtea in exercitio actus, cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum.

c ib. ad 3.

Et quamvis D. Thom. dicat, habet tamen intentionem

tionem habitualem, nihilominus tamen non ſolùm Caietan. hic obſervat, quod tunc Divus Thomas communicans, ut patet in vocabulis communi illius temporis uſui (quæ intentionem quidem, ſed non actualem, ſed habitualem vocabat) dixit hic intentionem habitualem, conſtat etiam hoc ex D. Bonav. (d) quo in loco aſſerit habitualem relationem ad Deum ſufficere operari meritorio: ſic ait, habitualem relationem dici, non quod habeat charitatem, per quam ſit habilis ad referendum; ſed quia in primordio illius operationis, vel alterius, ad quam illa conſequenter ſe habet, intentionem habet ad Deum directam; Iſte; ut videtur Sanctus Doctor manifeſte habitualem relationem ad Deum pro virtuali uſurpat; quæ propterea habitualis dici poteſt, quia per modum alicujus habitus perſeverat, licet actum precedentem ſupponat. Unde videtur, quod, & Divus Thomas accommodando ſe aſui temporis dùm de intentione locutus fuit, de tali loquitur non ut diſtinguitur à virtuali, ſed tantùm ab actuali.

d 2. ſent. d. 41. ad 1. quæſt. 3. ad 6.

Verùm etiam Pater Nicolay in ſcholijs aſſerit, quod de tali mutatione duo judicia manifeſta habentur: primùm quia exemplaria quædam Ann. 1540. intentionem virtualem, non habitualem legunt: ſecundum, quod eſt manifeſtius; habetur ex eodem Divo Thoma (e) in quæſtionibus diſputatis quo in loco ſic ait; Aliud eſt habitualiter referre in Deum, & aliud virtualiter, habitualiter enim refertur in Deum, & qui nihil agit, nec aliquid actualiter intendit, ut dormiens, ſed virtualiter referre in Deum aliquod eſt agentis propter finem ordinantis in Deum.

e q. de charit. a. 11 ad 3.

Unde habitualiter referre in Deum non cadit ſub præcepto, ſed virtualiter referre omnia in Deum cadit ſub præcepto charitatis, cum hoc nihil aliud ſit, quàm habere Deum, ut ultimum finem.

Colligitur itaque ex his, quod triplex eſt intentio, actualis; virtualis, & habitualis. Actualis non eſt neceſſaria ad valorem Sacramenti, adeòque non eſt neceſſaria ad actum humanum, & deliberatum, & licet talis intentio non ſit neceſſaria ad valorem Sacramenti, ſtudioſè tamen, ut ait Divus Thomas, (f) curare debet Sacramenti miniſter, ut etiam actualem intentionem adhibeat. Habitualis non ſufficit, cum habitualis intentio ea ſit, qua quis aliquid facit ex habitu, & indeliberatione. Virtualis denique ſufficit ad valorem Sacramenti, iſta enim eſt, quæ licet actu tranſierit; tamen manet in virtute ratione primi propoſiti quo quis ſe applicavit ad agendum humano modo, juxta Divum Thom. docentem, V. G. quando Sacerdos accedens ad baptizandum intendit facere circa baptizandum, quod facit Eccleſia. Unde ſi poſtea in ipſo exercitio actus cogitatio ejus ad alia rapiatur, (hoc eſt, ſi in exercitio actus Sacramentalis intentio actualis non ſit ob infirmitatem humanæ naturæ, & ob inſtabilitatem mentis hominum, qui infirmantur circa mundana, quæ ſemper ante oculos eorum ſunt, atque adeò vel delectabilia, vel concupiſcibilia, vel elevantia corda hominum ad hæc terrena appetibilia, ut autem hæc omnia à fidelibus, & præcipuè à miniſtris Dei ſpernantur, orandum eſt ad Dominum; ut & corda, & mentes ad ipſum directa ſint omni tempore, ut bene illis ſit, ſic & Paulus ad Corinth. (g) dicebat; Orabo & ſpiritu, orabo & mente. Pſallam ſpiritu, Pſallam & mente,) ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum, ſequitur ergo, quod ſufficiat intentio virtualis, quæ immediatè ſubſequitur ad intentionem actualem: & quamvis intentio virtualis imperfecta ſit ob variationem mentis reſpectu intentionis actualis, tamen non eſt imperfectiſſima, ſicut eſt illa habitualis intentio, caret enim iſta & actione humana, & deliberatione, quæ ex tali actione humana provenit.

f q. 64. & 10. ad 3.

g 1. cap. 14

Talis autem intentio ſive ſit actualis, ſive virtualis requiſita ad perficiendum Sacramentum ſeriò, & non ioco debet eſſe recta in ordine ad exequendum id, quod præcepit nobis Dominus noſter Jeſus Chriſtus in inſtitutione Sacramentorum; recta etiam in ordine ad faciendum, id, quod intendit facere Eccleſia in Sacramentis; Recta utique; quia miniſtri rectè debent cogitare, quod Deus eſt ſcrutator cordium, quod Deus eſt ſcrutans corda, & probans renes, quod omnia, quæ in corde, & in intelligentia hominis ſunt, Deus proſpicit, videt, penetrat, atque intelligit, unde, & in Paralipom. legitur (h) omnia enim corda ſcrutatur Dominus, & univerſas mentium cogitationes intelligit. Recta, quia ſemper cogitare, atque recogitare debent, quàm digna veneratione ſint pertractanda Sacramenta; quàm digna applicatione debent hæc fieri, & taliter recta, ut ſemper orandum ſit ad Dominum, ut cuſtodire dignetur voluntatem noſtram, ut in ipſum ſemper tendat, & perſeveret, juxta illud quod ſcriptum eſt in Paralipom. (i) Domine Deus cuſtodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, & ſemper in veneratione tui mens iſta permaneat; hoc eſt perſeveret in benè agendo, & nunquam pervertatur in malè operando. Recta ergo debet eſſe mens miniſtrorum Dei, & Eccleſiæ, atque Sacramentorum, numquam autem perverſa, ut operentur, ſicut neceſſe eſt illis operari.

h 1. c. 28.

i 1. 2. c. 29.

Verùm, quia intentio miniſtri, Divus Thomas docet, (l) dupliciter poteſt perverti, primo modo reſpectu ipſius Sacramenti, v. g. quando quis non intendit Sacramentum conferre, ſed deriſoriè aliquid agere, hinc eſt, quod per talem perverſitatem tollitur veritas Sacramenti, præcipuè quando ſuam intentionem exterius manifeſtat. Manifeſtat autem exterius ſuam intentionem, quando exprimit per verba de præſenti, *nolo*, vel per verba de præterito, *nolui*, facere, quod facit Eccleſia.

l 3. p. q. 64. 10.

Secundò quantum ad id, quod ſequitur Sacramentum, v. g. ſi Sacerdos intendat aliquam fæminam baptizare, ut abutatur, vel ſi intendat conficere corpus Chriſti, ut eo ad veneficia utatur.

Per hunc modum non tollitur veritas Sacramenti, quamvis perverſitas intentionis in miniſtro adſit, & malitioſè procedat; cum jam doceat Divus Thomas, (m) quod malitia miniſtri non tollit Sacramentum, & cum talis malitia non tollat Sacramentum conſequentur nec hujuſmodi perverſa intentio. Et hoc maximè quia prius non dependet à poſteriori; certum enim eſt, quod intentio perficiendi Sacramentum non tollitur per perverſitatem miniſtri applicantis ad malum talem perfectionem Sacramenti. Et hoc eſt; quod Divus Thomas ſubdit, & ind· eſt, quod talis intentionis perverſitas veritatem Sacramenti non tollit, ſed ipſe miniſter ex tali intentione graviter peccat, non ſolùm quia ſacrilegium committit, verùm etiam abutitur eo, ex qua parte potiùs ſacrilegus, quam ſacrificans nominatur.

m ibid. in argu. ſed contr.

Et in Confirmatione hujus ait Divus Thomas, (n perverſa intentio utique pervertit opus intendentis, non autem opus alterius; & ideò ex perverſa intentione miniſtri pervertitur id, quod agit in Sacramentis, in quantum eſt opus ejus, non in quantum eſt opus Chriſti, cujus eſt miniſter.

n ib. ad 3.

Quam doctrinam exemplificat exemplo, v. g. ſi miniſter alicujus hominis prava intentione deferret pauperibus eleemoſynam, quam Dominus recta intentione deferret, certum relinquitur, quod eleemoſyna perverteretur reſpectu miniſtri, non reſpectu Domini; qui jam habuit rectam intentionem perficiendi charitatem per eleemoſynam; eò quia datur in ſubventione pauperum, at miniſter ſolùm pervertit talem perfectionem, nec per hoc ſequitur, quod opus Domini non ſit redactum ad actum perfectionis; ſic pariter Eccleſia eſt Dominus, Sacerdos eſt miniſter, Eccleſiæ intentio ſemper eſt recta, intentio miniſtri poteſt eſſe perverſa; & ideò licet miniſter teneatur conformare intentionem ſuam Eccleſię quantum ad Sacramenti perfectionem, non tamen quantum ad Sacramenti uſum. (o) Unde Div. Thom. ait, miniſter, qui conformat intentionem

o ibi, ad 2

ſuam

Digitized by Google

ſuam Eccleſiæ quantum ad primam rectitudinem, hoc eſt, quantum ad perfectionem Sacramenti, non autem quantum ad ſecundam rectitudinem, hoc eſt, quantum ad Sacramenti uſum, perficit quidem Sacramentum, ſed non eſt ſibi ad meritum, quia malitioſè, & perverſa intentione agit. Econtra autem
p ad 2. ib. docet Divus Thomas, (*p*) intentio ludrica, vel jocoſa excludit primam rectitudinem intentionis, per quam perficitur Sacramentum. Ubi Cajetanus explicans hanc mentem Divi Thomæ ait, ludrica intentio, vel jocoſa in collatione Sacramenti poteſt inveniri dupliciter, vel relata ad ipſum Sacramentum, vel relata ad finem; aut motivum, quod adminiſtret Sacramentum. Exemplum primi, ſi quis non intendendo facere, quod facit Eccleſia, ſed facere exteriorem actum ſimilem actui, quem facit Eccleſia, vel deriſoriè, vel delectationis ſocialis gratia aliquos baptizaret, talis jocoſa intentio tollit veritatem Sacramenti, quia tollit intentionem miniſtri; Exemplum ſecundi, ſi quis ſocialis delectationis gratia aliquos baptizaret, intendens facere, quod facit Eccleſia, ſicut è contra, ſi quis delectationis gratia permitteret ſe baptizari, talis intentio jocoſa non tollit veritatem Sacramenti, cum nec tollat intentionem miniſtri reſpectu Sacramenti.

Memores tandem debent eſſe miniſtri Dei, & Eccleſiæ, atque Sacramentorum, quod quamvis intentio miniſtrorum intendentium tamen facere, quod facit Eccleſia, ac proinde quælibet illa ſit intentio', requiratur ad perfectionem Sacramentorum, nihilominus tamen fides miniſtrorum de neceſſitate Sacramenti non eſt; ſiquidem nonne diximus, quod in Sacramento baptiſmi omnes etiam infideles, & qui nullum teſtimonium Dei habent in ſe, (nam, qui non credit in filium Dei, quomodo poteſt habere
q 1 Jo. c. 5. teſtimonium Dei in ſe? (*q*) Ideòque dicebat Joannes, qui credit in Filium Dei, teſtimonium Dei habet in ſe, qui non credit filio, mendacem facit eum, qui non credit in teſtimonium, quod teſtificatus eſt Deus de filio ſuo), miniſtri hujus Sacramenti eſſe poſſunt.

Et miniſtrando hoc Sacramentum per miniſtros infideles non tollitur veritas Sacramenti, ſi tamen in miniſtris aliàs patientibus defectum fidei circa Sacramentum intendant facere id, quod facit Eccleſia
r 3. p. q. 64. a. 9. ad 1. juxta Divi Thomæ doctrinam, (*r*) ſi verò patiatur defectum fidei circa Sacramentum, quod exhibet, licet credat per id, quod agitur exterius, nullum ſequi interiorem effectum, non tamen ignorat, quod Eccleſia catholica intendit per hujuſmodi, quæ exterius aguntur, præbere Sacramentum. Unde non obſtante infidelitate poteſt intendere facere id, quod facit Eccleſia, licet æſtimet id nihil eſſe.

Et talis intentio ſufficit ad Sacramentum, quia miniſter Sacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, ex cujus fide ſuppletur id, quod deeſt fidei miniſtri.
ſ Cap. 3. Ob hoc autem et Apoſtolus ad Roman. (*ſ*) ajebat, numquid incredulitas illorum, miniſtrorum, ſcilicet Sacramentorum, qui per fidem non ſunt conjuncti Eccleſiæ, fidem Dei evacuabit? Abſit. Satis enim eſt; & quod faciant, vel intendant facere, quod Eccleſia facit, & quod ſervent ea, quæ Eccleſia ſervat in conficiendis Sacramentis; ſervat namque Eccleſia Catholica & debitam formam, & debitam materiam, & ideò ſi hæreticus, qui vera fide caret, (utpotè quia & informis eſt, nam caret charitate, & mortua, quia bonis operibus non videtur eſſe ſociata) ſervet formam Eccleſiæ, jam verum Sacramentum confert; juxta doctrinam Div.
t ib. ad 2. Thomæ (*t*) hæreticorum quidam ſervant Eccleſiæ formam, & tales conferunt quidem Sacramentum, licet non conferant rem Sacramenti. Quare autem hoc? quia ſubdit Divus Thomas, ſi ſunt ab Eccleſia præciſi, ex hoc ipſo, quod aliquis accipit Sacramenta ab eis, peccat, & per hoc impeditur, ne
u In lib. de Acta ad Petr. c. 16. effectum Sacramenti conſequatur. Veritas, quæ ex auctoritate Divi Auguſtini (*u*) magis elucet, dùm dixit, firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, extra Eccleſiam baptizatis, ſi ad Eccleſiam non redierint, Baptiſmo cumulari perniciem. Si ad Eccleſiam non redierint, in credendo v. omnia, quæ Eccleſia credit, & in ſequendo doctrinam fidei, & omnia illa, quæ per os altiſſimi Eccleſia docet, ac prædicat: taliter quod ſi non confiterentur, unà cum David in
Pſal. (*x*) quod rectum eſt verbum Domini, & omnia opera ejus in fide, ſalvus nunquam fiet, ne regnum Dei unquam poſſidebit, & ad hæreditatem cœleſtis Patriæ jus non habebit. x Pſal. 32

Ex Concilium Tridentinum videns hæc omnia eſſe neceſſaria, ut homines ſalvari poſſint ſtatuit, atque decrevit: (*y*) ſi quis dixerit Sacramenta novæ Legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua, & ſine eis, aut eorum voto per ſolam fidem homines à Deo gratiam juſtificationis adipiſci, anathema ſit. y Seſſ. 7. de Sacr. in gen. can. 4.

Si ad Eccleſiam non redierint Baptiſmo cumulari perniciem: Per hoc enim non vult Div. Aug., quod Baptiſmus ab hæreticis collatus nihil ſit, ſicut Divus Cyprianus credebat, ut notat Divus Thomas; Cyprianus (*z*) autem nullo modo Sacramentum conferre hæreticos poſſe credebat, at in hoc ejus ſententia non tenetur. Non quia ejus ſententia damnetur, quaſi proveniens ex errore, & ex malitia; ſed quia, ut benè advertit Cajetanus, dicit, quod purgatio Cypriani Martyris non niſi venialis peccati fuit, Tùm quia cum charitate ſtabat error ille: nam dixit in Epiſt. contra hæreticos, omnia, quæcumque faciunt hæretici, carnalia ſunt; (quia tantùm opera carnis faciunt,) & inania, quia pueri in ſtatu adulto, dùm aſſentiunt erroribus hæreticorum, baptiſmus in illis veluti nihil eſt, aut operatur (, & falſa) quia, & ſi Sacramenta ſuſcipiunt, tamen ſequentes eorum falſam Doctrinam, adducere non poſſunt verum teſtimonium de illis (ita ut nihil eorum, quę illi geſſerint non rectè facientes, à nobis probari, hoc eſt venerari veluti debeant, ut per venerationem noſtram majorem audaciam accipiant illi qui hæretici ſunt, & qui hæreticos ſequuntur. z 3. p. q. 64. a. 9. ad 2.

Verùm Div. Auguſt. dixit, Martyrem Cyprianum, qui apud hæreticos, vel ſchiſmaticos datum Baptiſmum nolebat cognoſcere, tanta merita uſque ad Martyrii triumphum ſecuta ſunt, ut charitatis, qua excellebat luce, obrumbratio illa fugaretur, & ſi quid purgandum erat, paſſionis falsè tolleretur.

Tùm quia tempore illo (ſubdit Cajetan.) non erat per Eccleſiam determinata efficacia Sacramentorum per miniſtros extra Eccleſiam, potentes, ſcil. conferre Sacramentum, non verò rem Sacramenti. Quo ſenſus locutus fuit, & Leo Papa in Epiſt. ad Leonem Auguſtum, dum dixit, manifeſtum eſt per crudeliſſimam, & inſaniſſimam vexaniam in Alexandrina ſede omnium Cœleſtium Sacramentorum lumen extinctum, intercepta eſt ſacrificii oblatio, defecit chriſmatis ſanctificatio; & parricidialibus manibus impiorum omnia ſubtraxere myſteria. Et quod ita ſit id, quod diximus, apertè habetur ex Divo Thoma ibidem dicente per hunc modum Leo Papa dicit in Sede Alexandrina lumen eſſe extinctum quantum ad rem Sacramenti, non tamen quantum ad ipſum Sacramentum. Non enim datur effectus Sacramentorum, qui eſt gratia per hereticorum manus, (hoc tamen intelligendum eſt de aliis Sacramentis preter baptiſmum in caſu neceſſitatis.) Idcircò dixit, lumen eſſe extinctum in Alexandrina ſede, quia vera lux, hoc eſt gratia illuminans non dabatur in illa; intercepta eſt ſacrificii oblatio, non quia bona non fuerit, cum & D. Aug. dicat, (*a*) memento te Sacramentis Dei nihil obeſſe mores malorum hominum, quod illa, vel non ſint, vel minus ſancta ſint: ſed quia interdictum eſt ab Eccleſia, ne fideles templa hereticorum ingrediantur, ne communicare cum illis videantur iu divinis. a l. 1. cont. Pet. c. 47.

Defe-

Digitized by Google

Defecit Chriſmatis ſanctificatio, non quia Sacramentum ullum ſit, ſed quia miniſtri ſanctificatione carent; certum eſt enim, ut jam diximus, quod miniſter in Sacramentis operatur inſtrumentaliter, & conſequenter non agit virtute propria, ſed in virtute Chriſti, ideòque etſi infidelis ſit, attamen poteſt verum Sacramentum præbere, dummodò inquit, Divus Thomas, (b) cœtera adſint, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti, adeòque, & peccatores Sacramenta conferre poſſunt. Verùm parricidialibus manibus impiorum omnia ſeſe ſubtraxere myſteria, quia non præbent ſuſcipientibus ſanitatem animæ, ſed damnationem ejuſdem, & ideò parricidæ, meritò nominantur, quia filios illos, qui ſubditi Eccleſiæ eſſe debebant, veluti deſtruunt, & occidunt. Nam aſſumendo ab hæreticis, (ſicut etiam ab excommunicatis, qui licet utique habeant poteſtatem miniſtrandi Sacramenta, cum hæc pertineat ad ſpiritualem characterem, qui indelebilis eſt, prohibeatur exercere tamen licentiam utendi tali poteſtate, adeòque peccant conferendo) Sacramentum peccant, & peccando moriuntur, nam per peccatum mors; Ergo unuſquiſque qui verè fidelis eſt, accedat ad miniſtrum fidelem, ad illum v. qui charitate viget, & veram fidem poſſidet. Talis enim debet eſſe in Eccleſia miniſter Dei, ut Deum diligat, & mandata ejus cuſtodiat, & invigilare debet, ne fides ab illis deficiat, qui ad Sacramenta accedunt. Lucernas quippe ardentes tenere debet, ut veniente Domino non excludatur à nuptiis, hoc eſt à regno Cœleſti, utpotè quia non habuit oleum charitatis, & lumen operationis, unde bene dixit Chriſtus Dominus Matth. (c) ſecundum fidem veſtram fiet vobis, immò dicendum eſt, quod ſecundum charitatem miniſtrorum judicabit illos Deus.

b Loc. cit. in a.

c Cap. 9.

Supra Quæſtionem 65. Divi Thomæ.

De numero Sacramentorum.

DE omnibus his, quæ tractantur à Divo Thoma in hac quæſtione, egimus in quæſt. 61. quo in loco, & Sacramenta novæ Legis enumeravimus, & enumerationem poſuimus non ex nobis; ſed ex auctoritate Scripturarum, Sanctorum Patrum, ex doctrina Divi Thomæ, tùm ex iis, quæ a Conciliis, & maximè à Concilio Tridentino ſtatuta fuerunt, v. non eſſe plura, quàm ſeptem, ſicut nec pauciora contra hæreticos noſtri temporis. Poſuimus pariter ordinem illorum, & ſicut inter ipſa primum locum aſſignavimus baptiſmo, cum per iſtum homines regenerentur ad Deum, & hæredes fiant Regni Cœlorum, juxta illud Joannis, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire regnum Dei;ità inter Sacramenta potiſſimum, ſive præcipuum diximus eſſe Sacramentum Euchariſtiæ, eò quia in hoc Sacramento continetur ſubſtantialiter ipſe Chriſtus, totus exiſtit in tota hoſtia, & totus in qualibet parte minutiſſima hoſtiæ ad differentiam aliorum Sacramentorum, in quibus ſolummodo continetur quædam virtus inſtrumentalis à Chriſto Domino participata; Qui quamvis per mortem ſuam voluerit ſalvos facere credentes, attamen inſtituere volut Sacramenta pro ſalute omnium, veruntamen quædam ſunt neceſſaria neceſſitate ſimpliciter, uti eſt baptiſmus, qui, & janua Sacramentorum meritò nuncupatur; Pœnitentia reſpectu eorum, qui poſt baptiſmum inciderunt in peccatum mortale, quapropter jure meritò hæc duo Sacramenta dicuntur Sacramenta mortuorum, utpotè quia iſta mortuos ſpiritualiter tamen per peccatum originale, ſ. vel actuale vivificant. Ordo etiam dicitur neceſſarium Sacramentum Eccleſiæ, unde videtur dicendum, quod Ordo, & Pœnitentia ſolummodo ſingulari perſonæ neceſſaria ſunt, Baptiſmus verò omnibus, & ſingulis, & ideò iſte neceſſarius ſimpliciter, & abſolutè, illa verò duo neceſſaria ſecundum quid. Cœtera verò Sacramenta utilia potiùs ſunt, quam neceſſaria de quibus vide ibi, ne addamus verba verbis.

Hæc de Sacramentis in Genere;

DE SA-

Digitized by Google

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

Supra Quæſtionem 66. Divi Thomæ.

De pertinentibus ad Sacramentum Baptiſmi.

HOc Sacramentum, ut diximus eſt janua ad cętera Sacramenta, & taliter eſt janua, ut abque ipſo reipſa ſuſcepto non eſt validus, neque licitus acceſſus ad reliqua Sacramenta; janua utique omnium Sacramentorum eſt Baptiſmus, ad ſuſcipienda Sacramenta, inter quæ meritò & dicitur, quod ſit primum ordine etiam naturæ, cum per iſtud ſit prima nativitas ſpiritualis, per quam in Chriſto renaſcimur, & de filiis iræ evadimus filii Dei; Ob hoc & Divus Auguſtinus (a) ajebat, duæ ſunt nativitates, una de terra, alia de Cœlo, una de carne, alia de ſpiritu; una de mortalitate, alia de æternitate; una de maſculo, & fœmina, alia de Deo, & Eccleſia; illa facit filios carnis, hæc ſpiritus; illa filios mortis, iſta filios reſurrectionis, illa filios irę iſta filios Miſericordiæ; illa filios ſeculi, iſta filios Dei; ac per hoc illa peccato originali obligatos, ita omni vinculo peccati liberatos. Ad hoc ut filii Dei nominemur, & ſimus per baptiſmum, ut fiat per ablutionem, (b) juxta illud Pauli, abluti eſtis, ſanctificati eſtis, per aquam tamen, lavamini, mundi eſtote, ſed non per quamlibet aquam, ſed per aquam ſimplicem, & naturalem, puta fluminis, maris, vel per aquam, in qua etiamſi tranſmutatio fieret, dummodo tamen non ſolvatur ſpecies aquæ naturalis, æquè benè fieri poteſt baptiſmus. Verùm non tantùm ex aqua, ſive ex elemento, ſed etiam ex verbis à Chriſto præordinatis, quæ ſunt, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, reſultat Sacramentum Baptiſmi juxta illud Auguſtini, ex verbis, & elemento fit Sacramentum; & hic ritus eſt maximè conveniens, & illo utitur Eccleſia, quæ regitur Spiritu Sancto, & hinc eſt, quod ille, qui unica vice baptizatus eſt, ſemper remanet baptizatus, etiamſi à fide apoſtataret, & evaderet infidelis, ac proinde ſicut impoſſibile eſt, ut non ſit indelebilis ab anima, ita impoſſibile eſt, ut iterùm iteretur.

a tr. 11. in Ioan.

b 1. Cor. cap. 6.

Creatus igitur à ſumma Omnipotentia Dei primus homo terrenus, Adam, ſcilicet & ad ipſius Dei ſimilitudinem factus, ut legitur & in lib. Gen. (c) faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & in lib. Eccleſiaſtici (d) Deus creavit hominem de terra, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum. Et quia opera Domini univerſa bona valdè, hinc eſt, quod & in ſtatu perfecto creavit illum quoad ornatum corporis non ſolùm, verùm etiam, quoad ornatum animi: Unde & inſignitus fuit omni perfectione corporali, ita ut non indigeret auxilio alterius, ſive in educando; ſive in adminiſtrando, ſive in exercendo ea, quæ proceſſu temporis neceſſaria ſunt ad rectè, perfectèque vivendum; ſicut etiam inſignitus omni ſcientia, unde intellectus ejus non erat obtenebratus, ſed lucidus in vivendo ſecundum illud dictamen rationis, quod modò à ſenſibus impeditur, ſicut, & ille poſt peccatum impediebatur, ne ſecundum illud viveret: cognoſcebat utique ſe ſubjectum Deo, & quomodo illi ſoli tenebatur obedire, atque ſervire: cognoſcebat per ſcientiam, quàm ab initio ſuæ creationis indutus fuerat à Deo, omnes creaturas animalium, rerumque omnium, & taliter cognoſcebat naturas rerum, ut nihil fuerit illi difficile impoſſibile imponere nomina omnium, quæ Deus adduxit ad illum, ſic enim habetur ex lib. Gen. (e) formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & omnibus volatilibus Cœli adduxit ea ad Adam, ut videret; quid vocaret ea: omne enim, quod vocavit Adam animæ viventis, ipſum eſt nomen ejus.

c cap. 1

d cap. 17.

e cap. 2

Creatus omni dono, & inter cœtera alia dona dono Prophetiæ claruit, & tunc fuit, quando dixit, hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, hæc vocabitur virago, quia de viro ſumpta eſt. Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuę, & erunt duo in carne una.

Relinquet utique homo patrem ſuum, & matrem non affectu, non obedientia, quia certum eſt, quod ſicut uſquedum remanet fundamentum & terminus, non perit relatio, ita uſquedùm, & pater, & filius vivunt non perit obedientia, nec ceſſat reverentia, quę debetur parentibus, quia numquam in tali caſu præceptum Domini de honoratione parentum deſtruitur, bene tamen relinquet homo patrem ſuum; & matrem quadam ſubjectionem, nam tunc tenetur adhęrere uxori ſuę, & rationabiliter quia iſta poteſtatem habet ſuper corpus viri ſui, hoc eſt ſuper ea, quę ad matrimonii vinculum ſpectant, in quibus tàm vir, quàm uxor ſit una caro propter conjunctionem carnalem ordinatam, immò tunc temporis præceptum à Deo, & ut augeatur populus, & ut mundus totus impleatur; propter quod legitur in Gen. (f) quod & vocavit Adam nomen uxoris ſuę Hevæ, eò quod mater eſſet cunctorum viventium: & Deus dixit, creſcite, & multiplicamini, & replete terram, ut cęlum etiam impleatur, maximè quia ordinavit Dominus Deus generationes hominum, ut per iſtos numerus illorum Angelorum, qui pręvaricati fuerant, & à Cœlo ceciderunt, & in profundū Abyſſi corruerunt, impleretur.

f cap. 3

Adhęrere ergo uxori ſuę tenetur homo, in iis tamen in quibus juſtitia relucet, & in iis, quæ de jure naturali ſunt, nullatenus verò in iis, quæ contra legem Dei ſunt. Contra quam utinam & noſter primus Protoparens Adam uxori ſuæ non adhęſiſſet; quia indubitatum eſt, quod tranſgreſſurus non fuit præceptum Domini jubenti, de ligno ſcientię boni, & mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eò, morte morieris, & tamen reliquit præceptum Domini, & adhęſit uxori ſuę, nam videns; quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile, tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro ſuo, qui comedit. Comedit cibum illum à Deo vetitum, & ſtatim ſervus peccati factus eſt, ſtatim ſenſus oppugnavit rationem, & rebellis evenit, ſtatim intellectus obſcuratus eſt, & voluntas operata eſt malum, ſtatim perdidit ſupremum Dominium, & velut abjectus, & neglectus videbatur; perdidit utiq; regnum, nam emiſit eū Deus de Paradiſo voluptatis ut operaretur terram maledictionibus plenam, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuę, ſpinas, & tribulos geminabit tibi, & comedes herbam terræ.

g cap. 3

Unde & ſtatum innocentiæ perdidit, & gratiam amiſit, adeòque & ſubditus pęnalitatibus, infirmitati, ſc. paſſionibus, miſeriis frigoris, & caloris, & deniq; morti, quæ eſt complementum omnium corporalium miſeriarum, & in tot faſtigia, quod peius eſt, effectus eſt miſerabilis propter culpam.

Culpa, quæ ab ipſo, tanquam à capite diffuſa eſt in

C mem-

Digitized by Google

membris omnibus, hoc eſt in omnibus illis, qui ex virili ſemine concipiuntur, & oriuntur. Culpa, quam licet omnipotentia Divina poſſet illam reparare, atque auferre aliis modis abſque Incarnatione Verbi Divini, quia, ut aſſerit D. Thom. Deus per ſuam Omnipotentem virtutem poterat humanam naturam multis aliis modis reparare. (i) Et D. Auguſtinus dixit, verùm etiam oſtendamus, non alium modum poſſibilem, Deo defuiſſe, (cujus poteſtati omnia æqualiter ſubjacent;) ſed ſanandæ miſeriæ noſtræ convenientiorem alium modum non fuiſſe: attamen voluit carnem aſſumere, & incarnari ad humanæ naturæ reparationem; ſic, teſtis eſt Joannes, (l) Deus dilexit Mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam, ac proinde dicitur, quod verbum divinum Incarnatum fuit, ut nos redimeret de poteſtate diaboli, & in hunc Mundum venit formam ſervi accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.

h 3 p. q. 1. ar. 2. in c.
i l. 13. de Trin. c. 10.
l cap. 3.

Verbum igitur divinum factum caro non dedignatum fuit accipere baptiſmum à Joanne Baptiſta, ſic enim legitur in Matt. (m) venit Jeſus à Galilea in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo: non quia indigeret mundari, ut inquit Ambroſius ſuper Lucam, (n) Baptizatus eſt Dominus non mundari volens, ſed mundare aquas, ut ablutæ per carnem Chriſti, qui peccatum non cognovit, baptiſmatis vim haberent, & ut ſanctificatas aquas relinqueret poſtmodum baptizandis; non enim opus eſt; ut reciperet remiſſionem peccatorum, nam in ipſa peccata non erant, nec poterant eſſe, quia verè filius Dei erat; ſicut nec opus erat, ut reciperet gratiam, quia plenus erat, ut teſtis eſt Joannes Evangeliſta (o) vidimus gloriam eis gloriam quaſi unigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis. Et ideò Gregorius in Oratione in Epiphania dixit, Chriſtus non eſt baptizatus, quia indigeret purgatione. Et D. Chryſoſtomus ſuper Matt. dixit, quamvis ipſe non eſſet peccator, tamen naturam ſuſcepit peccatricem, & ſimilitudinem carnis peccati; propterea etſi pro ſe baptiſmate non indigebat: tamen in aliis carnalis natum opus habebat.

m cap. 3.
n cap. ult.
o cap. 1.

Voluit tamen baptizari, inquit Auguſtinus in ſer. de Epiph. quia voluit facere, quod faciendum omnibus imperavit. Ex hoc, quod ad Joannem dicentem, (p) Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Ipſe Jeſus reſpondens dixit ei, ſine modò, ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam. Unde Ambroſius loc. cit. hæc eſt juſtitia, ut quod alterum facere velit, prior ipſe incipias, et tuo alios horteris exemplo. Sic, & prior voluit lavare pedes diſcipulorum, ut præberet humilitatis exemplum, unde dixit in Joan. exemplum dedi vobis, ut quemadmodum fecit vobis, ita & vos faciatis. Et D. Thomas, Chriſtus non fuit baptizatus, ut ablueretur, ſed ut ablueret, ut nos poſtea ablueremur, quapropter Paulus ad Corinth. (ſ) inquit, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Dom. N. Jeſu Chriſti, qui venit in Jordanem; ut baptizaretur à Joanne, qui ſolùm in aqua baptizabat; Ego legitur (t) in Mar. baptizavi vos aqua, & in Jo: legitur. Ego baptizo vos aqua, (u) ille verò baptizabit vos Spiritu Sancto. Ego, inquam, baptizo vos aqua, & hoc meritò, quia baptiſmus Joannis lavabat tantùm corpora; Ille verò baptizabit vos Spiritu Sancto, eò quia in baptiſmo Chriſti confertur gratia Spiritus Sancti. Qua tamen gratia cum Chriſtus non indiguerit, erat enim in illo plenitudo gratiæ, immò & in ſummo, hinc eſt; quod ſolùm voluit baptizari baptiſmate Joannis, non autem ſuo, & hoc eſt, quod docuit D. Th. (x) conveniens fuit quod Chriſtus non fuerit baptizatus baptiſmo ſuo, ſed baptiſmate Joannis, qui non baptizabat in Spiritu, ſed ſolùm in aqua: Chriſtus autem ſpirituali baptiſmate non indigebat, qui à principio ſuæ conceptionis gratia Spiritus Sancti repletus fuit, & taliter repletus fuit gratia Spiritus Sancti, quod illam non accepit ſecundum menſuram. Unde non indigebat ſpirituali baptiſmate. Nam baptiſmus Chriſti, ut ait D. Thom. (z) habet efficaciam mundandi à peccato, & gratiam conferendi. Chriſtus autem neque indigebat recipere remiſſionem peccatorum, quæ in eo non erat, ſicut Petrus dixit, (ſ) qui peccatum non fecit nec inventus eſt dolus in ore ejus; neque recipere gratiam, qua plenus erat, Immò ex hoc ipſo, quod Chriſtus eſt maximè perfectus, conveniens fuit, quod non baptizaretur perfectiſſimo baptiſmo, ſicut ille, qui eſt ſanus, non indiget efficaci medicina: Tantùm ergo voluit baptizari baptiſmate Joannis ut ſuo baptiſmo illum Joannes comprobaret: niſi etiam dicamus, quod Chriſtus voluit baptizari, ut nos ſuo exemplo induceret ad baptiſmum; idcircò ait D. Thom. ad hoc, quod eſſet efficacia ejus inductio, voluit baptizari baptiſmo, quo manifeſtè non indigebat, ut homines ad baptiſmum accederent, quo indigebant.

p cap. 3.
q cap. 13.
r 3 p. q. 39. ar. 1.
ſ 1 p. cap. 6.
t cap. 1.
u cap. 1.
x 3 p. q. 39. ar. 2.
y ib. ad 2.
z 1 P. cap. 2.

Unde Ambroſius dixit, nemo refugiat lavacrum gratiæ, quando Chriſtus lavacrum pœnitentiæ non refugit, nam venit jam Jeruſalem, ut baptizaretur à Joanne.

Venit ergo ad Joannem Chriſtus, hoc eſt Dominus ad ſervum, ut ipſe præcurſor teſtatus fuit, ut habetur ex Marco, (a) venit fortior me poſt me, cujus non ſum dignus procumbens ſolvere corrigiam calceamentorum ejus. Et ut habetur ex Joan. (b) ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt: cujus ego non ſum dignus, ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti. Et venit, ut baptizaretur à Joanne, & venit in ætate perfecta, ut denotaret nobis; quod vel perfectè accedere debemus, ad hoc Sacramentum, vel quod perficiamur hoc Sacramento. Quapropter legitur in Luc. (c) factus eſt autem, cum baptizaretur omnis populus, & Jeſu baptizato, & orante &c. Et ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta. Quod autem convenienter in trigeſimo anno fuit Chriſtus baptizatus, manifeſtat D. Th. (d) tum quia Chriſtus baptizabatur, quaſi tunc incipiens docere, & prædicare, propter quod legitur in Actibus Apoſtolorum, (e) primùm quidem ſermonem feci de omnibus ô Theophile, quæ cæpit Jeſus facere, & docere. Ad hoc autem miniſterium docendi, & miniſtrandi perfecta ætas requiritur, qualis eſt triginta annorum. (f) Et de facto legitur in Gen. de Joſeph, quod, triginta annorum erat, quando ſtetit in conſpectu Regis Pharaonis) & circuivit omnes regiones Ægipti. Similiter. Et in lib. Regum (g) legitur de David, quod filius triginta annorum erat David, cum regnare cæpiſſet. Et de Ezech. (h) legitur, quod in trigeſimo anno cæpit prophetizare. Et factum eſt in trigeſimo anno, in quarto in quinta menſis, cum eſſem in medio captivorum, juxta fluvium Chobat, & aperti ſunt Cœli, & vidi viſiones Dei.

a cap. 1.
b cap. 1.
c cap. 3.
d q. cit. a. 3.
e cap. 1.
f cap. 41.
g 2 Reg. c. 5.
h cap. 1.

Et meritò in ætate triginta annorum voluit Chriſtus baptizari, & poſt baptiſmum prædicare, & docere, ut non redarguerentur à Judæis ejus opera, & miracula, ſed plenè confiterentur, quod omnia benè fecerit Jeſus, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui; hoc eſt audire Verbi Dei, & prædicare illud, ut eſt illud Lucæ, (i) beati qui audiunt verbum Dei, (in corde tamen bono, & optimo) & cuſtodiunt illud, afferent fructum boni operis. Hæc autem utilitas, quæ à Chriſto provenit hominibus, præcipuè etiam fuit per fidem, & humilitatem, ad quorum utrumque valuit, quod Chriſtus in pueritia, vel adoleſcentia non cæperit docere, ſed in perfecta ætate, & benè ait D. Th (l) ad fidem, quia per hoc apparet in eo vera natura humanitatis, quod per temporum incrementa corporaliter perfecit, & ne hujuſmodi profectus putaretur eſſe phantaſticus, noluit ſapientiam ſuam vel virtutem manifeſtare ante perfectam corporis ætatem; Pariter ea ad humilitatem, ne (notent illi, qui honores quærunt, gradus aſſumunt, dignitates poſtulant) ante perfectam ætatem, aliquis præſumptuosè prælationis gradum, & docendi Officium aſſumat; ut ſtet illud Pauli ad Hæbr. (m) nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed quid vocatur à Deo

i cap. 11.
l ib. ad 2.
m cap. 5.

tan-

tamquam Aaron, & hoc quia ſubdit D.Th.Chriſtus proponebatur hominibus in exemplar omnium.

Quipropter adducere & illud Danielis, (n) ſcil. quod ſuſcitavit Dominus Spiritum Sanctum pueri Junioris, cujus nomen Daniel.

Et illud Salomonis, (o) de quo legitur in lib. Reg. ego autem ſum puer parvulus, & ignorans egreſſum, & introitum meum, & poſtea ſubditur, dabis ergo ſervo tuo cor docile, ut populum ſuum judicare poſſit, & diſcernere inter bonum, & malum &c. Et illud Jeremiæ (p) ad quem dixit Dominus. Priuſquam te formarem in utero novi te, & antequam exires de vulva ſanctificavi te, & prophetam in gentibus dedi te. Et ille dixit Ava Domine Deus ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum. Non tollit, quod de Chriſto dicitur, quod in ętate triginta annorum cępit prædicare, & docere, ſiquidem licet in Chriſto fuerint omnes virtutes infuſæ præter fidem, & ſpem, ſicut, & Sapientia, nam & in initio ſuæ conceptionis erat perfectiſſimus comprehenſor, nec ſucceſſu temporis eam acquiſivit, unde de Chriſto legitur Lucæ, (q) quod puer creſcebat, & confortabatur plenus Sapientia, taliter quod ſtupebant omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentia, & reſponſis ejus, & tunc erat annorum duodecim. Immò & Judæi mirabantur ſuper doctrinam Chriſti Domini, dicentes, ut legitur in Joan. (r) quomodo hic ſcit, cum non didicerit? non enim ſciebant, quod ille, qui verè filius Dei erat, non indigebat litteras diſcere, ſicut ipſe teſtis erat, dùm dixit, mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me, Pater, quaſi diceret, mea doctrina non eſt mea tantùm, ſed etiam Patris, nam ego, & Pater unum ſumus; propterea qui audit me, audit & Patrem meum.

Nihilominus, tamen in ętate illa voluit prædicare, & docere, quia oportuit in eo, ait D. Th. (ſ) oſtendi id, quod competit hominibus ſecundum legem communem, ut ſ. in perfecta ætate doceret, per quod patet, quid dicendum ſit ad illud Danielis, Salomonis, Jeremiæ, iſtis enim ex quadam ſpeciali diſpenſatione ſecundum divinæ Sapientię ordinem conceſſum eſt præter legem communem, ut ante perfectam ætatem officium præſidendi, vel docendi haberent.

Tùm quia ſicut Chryſoſtomus ſuper Matth. dixit, futurum erat, ut poſt baptiſmum Chriſti lex ceſſare inciperet. Unde hac ętate Chriſtus ad baptiſmum venit, qui poteſt omnia peccata ſuſcipere. (Nam ut legitur in Iſa. (t) quod ipſe peccata multorum tulit, & Petrus, (u) qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum; ut lege ſervata, non enim venit ſolvere legem, ſed adimplere) nullus dicat, quod ideò eam ſolvit, quia non potuit implere. Tùm denique quia per hoc, quod Chriſtus in ætate perfecta baptizatur, datur intelligi, quod baptiſmus parit viros perfectos, ſecundum illud Epheſ. (x) donec occuramus omnes in unitatem fidei; & agnitionis filii Dei, in virum perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: Unde & ipſa proprietas numeri ad hoc pertinere videtur, conſurgit enim trigenarius numerus ex ductu ternarii in denarium: per Ternarium autem intelligitur fides Trinitatis, Tres enim ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; per denarium autem impletio mandatorum legis, v. diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, & ex tota anima tua, & proximum tuum, ſicut teipſum, in his ergo duobus mandatis univerſa lex pendet, & Prophetæ; & in his duobus, ait D. Th. perfectio vitæ Chriſtianæ conſiſtit; ergo meritò voluit Chriſtus convenienti tempore baptizari, ita ut, nec primus voluit baptizari, ut non redargueretur de malitia, nec ultimus; ut non de deſperatione eſſet illis, qui ad Joannem accedebant; ut acciperent baptiſmum pœnitentiæ, illum v. quæ præparatorius eſſet ad eum, quæ accepturi erant credentes in Jeſum, juxta illud, quod docuit etiam Div. Thom. (z) Chriſtus, nec primus, nec ultimus debuit à Joanne baptizari, quia ut benè inquit Chryſoſtomus ſuper Matt. Chriſtus ad hoc baptizabatur, ut confirmaret prædicationem, & baptiſmum Joannis, & ut teſtimonium acciperet à Joanne. Non enim creditum fuiſſet teſtimonium Joannis, niſi poſtquam fuerint multi baptizati ab ipſo, ac proinde infert Div. Thom. non debuit primus à Joanne baptizari; Nec ultimus, quia ſicut ipſe inquit, lux Solis ſicut non expectat occaſum Luciferi, ſed eo procedente egreditur, & ſuo lumine obſcurat illius candorem, ſic & Chriſtus non expectavit ut curſum ſuum Joannes impleret; ſed adhuc eo loquente, & baptizante apparuit. Et quod ita ſit (a) Ex Marco habemus, quod fuit Joannes in deſerto baptizans, & prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum; & egrediebantur ad eum omnis Judeæ regio, & Jeroſolymitæ univerſi, & baptizabantur in Jordanis flumine, confitentes peccata ſua; & poſtea ſubditur, & factum eſt in diebus illis, venit Jeſu Nazareth Gallileæ; & baptizatus eſt à Joanne in Jordane; ſicut & Joannes Evangeliſta confirmat dicendo, altera die vidit Joannes Jeſum venientem ad ſe, & ait, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollis peccatum Mundi.

Baptizatus eſt ergo Jeſus ſ. à Joanne in Jordane, non autem legitur hoc factum fuiſſe in alio flumine, quia per hoc voluit, ut intelligamus, quod ſicut fluvius Jordanis fuit, per quem filii Iſrael in terram promiſſionis intraverunt, ita baptiſmus Chriſti habet hoc, quod introduit in regnum Dei, quod per terram promiſſionis utique ſignificatur, juxta illud, quod dicitur à Joanne, (c) niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire regnum Dei; & ſicut Elias diviſit Jordanis, quando erat in curru igneo rapiendus in Cœlum; ut hiſtoria Regum narrat, (d) tulitque Elias pallium ſuum, & involuit illud; & percuſſit aquas (Jordanis ſ. (quæ diviſæ ſunt in utramque partem; & tranſierunt ambo per ſiccum; ita tranſeuntibus per aquam baptiſmi, & per ignem Spiritus Sancti, patet aditus in regnum Cœlorum. Unde ſtat illud Pſal. (e) tranſivimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium, in cœleſtem Patriam, in qua neque luctus, neque clamor erit ultra, quia prima, hujus vitæ, videlicet abierunt.

Et quamvis, docet Div. Thom. (f) tranſitus maris rubri præfiguraverit baptiſmum quantum ad hoc, quod baptiſmus delet peccata, nihilominus tamen per tranſitum Jordanis hoc præfiguratur, quia, ut ſubdit D. Thom. tranſitus Jordanis, quantum ad hoc, quod aperit januam regni cœleſtis, qui eſt principalior effectus baptiſmi, & per ſolum Chriſtum impletus; & ideò convenientius fuit, quod Chriſtus in Jordane, quàm in Mari baptizaretur maximè quia per Jordanem figuratur humilitas, qua Chriſtus Dominus ſemper adamavit, hanc dilexit; Unde & ancillam humilem reſpexit Dominus, & humilibus dat gratiam, & denique humilia reſpicit in Cœlo, & in terra.

Baptizatus eſt Jeſus à Joanne in Jordane, & ut manifeſtaretur, cujus filius eſſet, non ſolùm aperti ſunt cęli; ſed etiam Spir. S. deſcendit ſuper eum, & vox Patris audita eſt, ut fateamur Trinitatem in perſonis adorandam eſſe. Unde habetur ex illo Luc. (g) Jeſu baptizato, & orante, apertum eſt Cęlum, & deſcendit Spir. S. corporali ſpecie, ſicut columba in ipſum, & vox de cęlo facta eſt, tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi. Jeſu autem baptizato apertum eſt cęlum, ut oſtenderetur, quod de cętero cęleſtis virtus baptiſmum ſanctificaret; & hęc eſt principalis efficacia, quàm habet baptiſmus, juxta D. Th. primò quidem principalis virtus, ex qua baptiſmus habet efficaciam & eſt virtus cęleſtis; Secundò operatur ad efficaciam baptiſmi fides Eccleſiæ, & ejus, qui baptizantur, unde, & baptizati fidem profitentur, & baptiſmus fidei dicitur Sacramentum, nam, ut diximus de lege, circumciſioni coreſpondet Baptiſmus, qui eſt fidei Sacramentum, de quo dicitur à Paulo ad Coloſſ. (i) circumciſi eſtis in circumciſione Chriſti, conſepulti ei in baptiſmo. Et meritò dicitur baptiſmus fidei Sacramentum, cum etiam dictum ſit de circumciſione, quod ſit ſignaculum juſtitiæ fidei.

n cap. 11.
o 1. 3. c. 3.
p cap. 1.
q cap. 2.
r cap. 7.
ſ ad 3. 3.
t cap. 53.
u 1 P. c. 2.
x cap. 4.
y 1 p. Io. c. 5
z ib. ad 4.
a cap. 1.
b cap. 1.
c cap. 3.
d l. 4. c. 2.
e Pſal. 19.
f ib. ad 2.
g cap. 3.
h ib. ar. 4. in c.
i cap. 2.
l ad Rom. cap. 4.

Per fidem, ſubdit Div. Th. perſpicimus cœleſtia, quæ ſenſum, & rationem humanam excedunt, & ad hoc ſignificandum Chriſto baptizato aperti ſunt Cœli. At ſciendum eſt, quod Cœli etſi dicantur aperti, non tamen dicuntur aperti in ſeipſis, ſed ſecundum viſionem Chriſti.

m art. ib. Sic D. Th. (m) tùm ex D. Hieron. ſuper Matt. dicente, Cœli aperti ſunt Chriſto baptizato, non reſeratione elementorum, ſed ſpiritualibus oculis; tùm ex D. Chryſoſt. ſuper Matth. dicente, quod ſi ipſa Creatura, ſc. Cœlorum rupta fuiſſet, non dixiſſet, aperti ſunt ei, quia quod corporaliter aperitur, omnibus eſt apertum; vult; tùm quia ſubdit, unde etiam Marci primo, expreſsè dicitur, quod Jeſus ſtatim aſcendens de aqua, vidit cœlos apertos, quaſi ipſa apertio Cœlorum ad viſionem Chriſti referatur.

Qualis autem fuerit iſta viſio vel corporalis, vel imaginaria, vel intellectualis, D. Th. ibid. indeterminatè ſe habet, circa hujuſmodi viſiones. Inquit enim, quidam referunt ad viſionem corporalem dicentes, quod circa Chriſtum baptizatum tantus ſplendor fulſit in baptiſmo, ut viderentur cœli aperti. Poteſt etiam referri ad imaginariam viſionem, per quem modum etiam Ezechielis vidit cœlos apertos. Poteſt etiam & ad viſionem intellectualem referri, prout ſ. Chriſtus vidit jam baptiſmo ſanctificato, ſic enim voluit baptizari ut ſuo baptiſmo conſecraret baptiſmum, quo nos baptizaremur; apertum eſſe cœlum hominibus, quod tamen etiam ante viderat fiendum. Aſſerit tamen Cajetanus hìc, quod licet quælibet poſſibilis dicatur, intellectualis tamen convenientior videtur; utpotè excellentior.

Tertiò, quia per baptiſmum Chriſti ſpecialiter aperitur nobis introitus regni cœleſtis, qui primo homini præcluſus fuerat per peccatum, in illud namque regnum non ingreditur, niſi ille qui habet veſtem nuptialem, hoc eſt, mundum à peccato.

Quapropter baptizato Domino aperti ſunt Cœli, ut oſtenderetur, quod baptizatis patet via in cœlum, cum per baptiſmum Chriſti gratia detur, per quam poſtea meretur gloria.

Verùm poſt baptiſmum neceſſaria eſt homini, (exiſtenti, ſc. in adulto ſtatu, vel in ſtatu, in quo poſſidetur uſus rationis) jugis oratio, ad hoc, quod Cœlum introeat: Quia etſi per baptiſmum remittuntur peccata, quælibet illa ſint, adhuc tamen remanet fomes peccati, nos impugnans interius, & Mundus, & dæmones, qui impugnant exterius. Et ideò dicitur ſignanter, quod Jeſu baptizato, & orante, (non pro ſe, quia non indigebat auxilio divino; ſiquidem erat ipſe filius Dei, nec orationibus adjuvari, ut ſalvus fieri poſſet, eò quia eſt ipſe caput omnium prædeſtinatorum; ſed pro aliis, v. pro illis, qui dati ſunt ei à Pa-
n Cap. 17 tri, unde, & ipſe dixit in Joanne (n) non pro Mundo rogo, ſed pro eis; quos dediſti mihi, quia tui ſunt,) apertum eſt cœlum, quia ſ. fidelibus neceſſaria eſt oratio poſt baptiſmum, ut Deus per ſuam infinitam Miſericordiam, ſicut dignatus eſt liberare nos à peccato, ita dignetur præſervare nos à peccatis: Liberavit nos utique Chriſtus Dominus à peccato, & hanc liberationem nobis donavit per baptiſmum, & præſervat nos à peccatis per virtutem paſſionis ſuæ; per quam
o ib. ad 3 licet aperitur etiam cœlum hominibus, attamen aperitur aliter, ac per baptiſmum, juxta D. Th. (o) dicentem, quod per paſſionem Chriſti, aperitur cœlum hominibus, ſicut per cauſam communem apertionis Cœlorum. Oportet autem cauſam communem apertionis Cœlorum ſingulis applicari ad hoc; quod Cœlum introeat, & hoc fit per baptiſmum: juxta illud
p cap. 6. Rom. (p) quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus; & hinc eſt, quod jure merito potiùs fit mentio de Cœlorum apertione in baptiſmo, quàm in paſſione Chriſti.

Jeſu baptizato deſcendit Spiritus Sanctus ſuper eum, ut habetur ex illo Lucæ citato, deſcendit Spi-
q ib. a. 4. ritus Sanctus corporali ſpecie, ſicut columba in ipſum, non quod Spiritus Sanctus ſit columba, ſed ſecundum Aug. de Trinitate dicentem, Spiritus Sanctus deſcendiſſe dicitur ſuper Chriſtum corporali ſpecie, ſicut columba, non quia ipſa ſubſtantia Spiritus Sancti videretur, quæ eſt inviſibilis, neque ita quod illa viſibilis creatura in unitatem divinæ perſonæ aſſumeretur, neque enim dicitur, quod Spiritus Sanctus ſit columba, ſicut dicitur, quod filius Dei ſit homo ratione unionis. Neque etiam hoc modo Spiritus Sanctus viſus eſt in ſpecie columbæ, ſicut Joannes vidit agnum occiſum in Apocalyp. (r) & vidi, ait, in me- r cap. 5.
dio ſeniorum ſtantem, tanquam occiſum &c. Illa enim viſio facta fuit in Spiritu per ſpirituales imagines corporum. De illa verò columba nullus unquam dubitavit, quin oculis viſa ſit. Unde & verum animal fuit columba, in qua apparuit Spiritus Sanctus.

Apparuit namque Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ ſuper Chriſtum baptizatum propter tria ait D. Th.
(ſ) Primò propter diſpoſitionem, quæ requiritur in s ib. ad 4.
baptizato, ut ſ. non fictus accedat, dicitur enim Sapientiæ, (t) Spiritus Sanctus diſciplinæ effugit fi- t cap. 1.
ctum, (propter quod & D. Th. (u) dicit, quod om- u ib. 10
nes, qui baptiſmo Chriſti baptizantur, Spiritum Sanctum recipiunt, niſi fictè accedant, hoc dictum roboratur ex illo Matth. (x) ipſe vos baptizabit Spi- x Cap. 3.
ritu Sancto, Columba autem eſt animal ſimplex aſtutia, & dolo carens; Unde & Chriſtus Dominus
mittens diſcipulos ſuos in Mundum dixit illis, eſtote y cap. 10.
ſimplices, ſicut columbæ.

Secundum ad deſignandum ſeptem dona Spiritus Sancti, quæ columba ſuis ſignificat proprietatibus, columba enim ſecus fluenta habitat, ut inde viſo accipitre (iſtud namque animal deſervit hominibus ad prædam, & ſignificat eos, qui miniſtrat potentibus ad deprædandum pauperes,) mergat ſe, & evadat, quod pertinet ad donum Sapientiæ, per quam Sancti ſecus Scripturæ divinæ fluenta reſident, ut incurſum diaboli evadant. Columba meliora grana eligit, quod pertinet ad donum ſcientiæ, qua Sancti ſententias ſanas, quibus paſcantur, eligant. Columba alienos pullos nutrit, quod pertinet ad donum Concilii, quo Sancti homines nutriant ex doctrina, & exemplo illos, qui fuerunt pulli, & imitatore diaboli. Columba non lacerat roſtro, quod pertinet ad donum intellectus, quo Sancti bonas ſcientias lacerando non pervertunt, hæreticorum more. Columba felle caret, quod pertinet ad donum pietatis, per quam Sancti ira irrationabili carent. Columba in cavernis Petræ nidificat, quod pertinet ad donum fortitudinis, qua Sancti in plagis mortis Chriſti, qui eſt firma petra, nidum ponant, ſc. ſuum refugium, & ſpem. Columba gemitum pro planctu habet, quod pertinet ad donum timoris, quo Sancti delectantur in gemitu pro peccatis.

Pariter in confirmationem hujus ait D. Th. (z) quod z ib. ar 7. ad 3.
proprietates columbæ eodem modo ducunt ad ſignificandum naturam columbæ, & ad ſignificandos effectus Spiritus Sancti. Per hoc enim, quod columba habet tales proprietates oſtenditur, quod columba ſignificat Spiritum Sanctum. Unde meritò Spiritus Sanctus apparuit in ſpecie columbæ ſupra Chriſtum baptizatum propter etiam depoſitionem requiſitam in baptizato, ut ſ. non fictus accedat, ut dix. propter quod etiam dicitur, quod meritò Spiritus Sanctus apparuit in ſpecie columbæ, quia effectus proprius baptiſmi eſt remiſſio peccatorum, & reconciliatio ad Deum. Nam columba animal & manſuetum dicitur: & de facto nonne in diluvio apparuit hoc animal, ramum ferens olivæ, & & communem orbis terrarum tranquilitatem annuncians. Ergo meritò Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ apparere debebat in Baptiſmo quia ſic voluit demonſtrare nobis libertatem, qui eſt Chriſtus Dominus ut habetur ex verbis æterni Patris dicentis, hic eſt filius meus dilectus; in quo mihi bene complacui, ipſum audite, quia ipſe veritas eſt. Unde præcepit nobis per illa verba, ut ejus doctrinam ſequamur, & amplectamur; & totis viribus per univerſum Mundum illam diffundamus. Columba eſt etiam animal amicabile, & gregale, & propter hoc dicitur, quod meritò Spiritus Sanctus apparuit ſub ſpecie colum-

Digitized by Google

columbæ ſuper Dominum baptizatum, ut per hoc deſignaretur communis effectus baptiſmi, qui eſt conſtructio Eccleſiaſticæ unitatis. Unde & Paulus ad Epheſ. dixit, (a) [a Cap. 5.] Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſeipſum pro ea, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi lavans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.

Sed quare Spiritus Sanctus ſupra Dominum baptizatum deſcendit in ſpecie columbæ, & ſupra Apoſtolos in ſpecie ignis?

Quare hoc? Hoc fuit, ut ait D. Th. ad oſtendendum ſervorem quo corda eorum erant commovenda ad hoc, ut Chriſtum ubique inter præſſuras prædicarent & ideò in igneis linguis apparuit. (b) [b tr. 6.] Et Div. Auguſt. ſuper Joan inquit duobus modis oſtendit viſibiliter Dominus Spiritum Sanctum, ſ. per columbam ſupra Dominum baptizatum, & per ignem ſuper diſcipulos congregatos; ibi ſimpliciter, hic ſervor oſtenditur: [c q. cit. a. 7] ergo concludit D. Th. ne Spiritu ſanctificati dolſi habeant in columba demonſtratus eſt, & ne ſimplicitas frigida remaneat, in igne demonſtratus eſt. Nec te moveat, quia linguæ diviſæ ſunt, unitatem in columba cognoſce. Quæ tamen columba, in qua Spiritus Sanctus apparuit, fuit, ut diximus, verum animal. Non enim, ut docet D. Th. decebat, ut filius Dei, qui eſt veritas Patris, aliqua fictione uteretur, nec ut in ejus opere aliqua fictio eſſet; & ideò verum corpus, & non phantaſticum accepit; aliàs, ut benè docuit Div. Thom. (d) [d 3 p. q. 5. a. 1.] ſi non fuit verum corpus ejus, ſed phantatiſcum, unde nec veram mortem ſuſtinuit, nec aliquid eorum, quæ Evangeliſtę de eo narrant, ſecundum veritatem geſſit, ſed ſolùm ſecundum apparentiam quamdam, unde nec conſequenter fuerit vera ſalus hominis ſubſecuta.

Diximus, nec ut in ejus opere aliqua fictio eſſet, quod tamen videtur clarum ex illo, quod Dominus Jeſus dixit diſcipulis ſuis, quando conturbati, & conterritl putabant ſe ſpiritum videre, & non verum corpus; unde dixit, palpate, & videte quia ſpiritus carnem, & oſſa non habent, ſicut me videtis habere? Sic de Chriſto. De Spiritu autem Sancto dicitur qui cum ſit ſpiritus veritatis, ſecundum illud Joannis [e cap. 16.] (e) cum autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omuem veritatem, & hinc eſt, quod ipſe veram columbam formavit, in qua appareret; licet non aſſumeret ipſam in unitate perſonæ, quod facit illud Aug. (f) [f cap. 22.] de Agone Chriſtiano, neque ita hoc dicimus, ut Dominum Jeſum Chriſtum dicamus ſolum verum corpus habuiſſe, Spiritum autem Sanctum fallaciter apparuiſſe oculis hominum, ſed ambo [g a. 6. ad 1.] illa corpora vera eſſe credimus. Et D. Thom. (g) ſic concludit, dicitur ergo Spiritus Sanctus deſcendiſſe ſuper Chriſtum, non ratione unionis ad columbam, ſed vel ratione ipſius columbæ ſignificantis Spiritum Sanctum, quæ deſcendendo ſuper Chriſtum venit. Vel ratione ſpiritualis gratiæ, quæ à Deo per modum cujuſdam deſcenſus in creaturam derivatur. Et rurſus [h a. 7. ad 1] ait, (h) Spiritus Sanctus dicitur deſcendiſſe in ſpecie; vel ſimilitudinem columbæ non ad excludendam veritatem columbæ, ſed ad oſtendendum, quod ipſe non apparuit in ſpecie ſuæ ſubſtantiæ; nec fuit ſuperfluum formare veram columbam, ut in ea Spiritus Sanctus appareret, quia per ipſam veritatem columbæ ſignificat, ut veritas Spiritus Sancti, & effectuum [i a. 6. ad 2.] ejus: Verum columba illa, ut ait D. Thom. (i) ad hoc tantùm ſignificandum repentè extitit, & poſtea ceſſavit, ſicut flamma, quæ in rubo apparuit Moyſi. Concludamus ergo cum D. Aug. loc. cit. de Agone Chriſtiano, & dicamus, quod ſicut non oportebat, ut homines fallieret fillus Dei; ſic etiam non oportebat, ut falleret Spiritus Sanctus; ſed Omnipotenti Deo, qui univerſam Creaturam ex nihilo fabricavit, non erat difficile, verum corpus columbæ ſine aliorum columborum miniſterio figurare; ſicut non fuit ei difficile verum corpus in Utero Mariæ ſine virili ſemine fabricare, cum creatura corporea & in viſceribus fœminæ ad formandum hominem, & in ipſo mundo ad formandum, columbam imperio Domini, voluntatique ſervierit.

Jeſu baptizato vox de Cœlo facta eſt, hic eſt Filius meus dilectus, in te complacui mihi, quod autem conveniens fuerit, ut in illo baptiſmo vox Patris fieret, demonſtrat D. Th. (l) ex hoc, quod in baptiſmo Chriſti, qui fuit exemplar noſtri baptiſmi, demonſtrari debuit, [l q. cit. a. 8] quod in noſtro baptiſmo perficitur, perficitur namque baptiſmus; quo baptizantur fideles, conſecratur in incarnatione, & virtute Sanctiſſimæ Trinitatis, ſicut & ipſemet Chriſtus Dominus præcepit diſcipulis ſuis, ut facerent, quando ad illos dixit; Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Unde mirum non fuit, ſi in baptiſmo Chriſti myſterium Trinitatis demonſtrari debuerit. Qua de cauſa benè dixit Hieronymus, quod Dominus in natura humana baptizatus, Spiritus Sanctus deſcendit in habitu columbæ, Patris vox teſtimonium Filio perhibentis auditur.

At non fiat vis in verbo, quod auditum eſt à Patre, [m ad 2. ib.] hic eſt filius meus &c. Sciendum eſt, ait D. Th. (m) quod Pater non demonſtratur in voce, niſi ſicut actor vocis, vel loquens per vocem.

Et quia proprium eſt Patris producere verbum, quod eſt dicere, vel loqui, ideò convenientiſſimè Pater per vocem manifeſtatut eſt, quæ ſignificat verbum; unde & ipſa vox à Patre emiſſa filiationem Verbi proteſtatur. Et ſicut ſpecies columbæ, in qua demonſtratus eſt Spiritus Sanctus, non eſt ipſa natura Spiritus Sancti, nec ſpecies hominis, in qua demonſtratus eſt ipſe filius, eſt ipſa natura filii Dei, ita etiam ipſa vox non pertiner ad naturam verbi, vel Patris loquentis, qui tunc voluit manifeſtare divinitatem Filii ſui, ut ejus doctrina credibilior fieret, à fidelibus, qui renaſcuntur in filios Dei adoptivos per baptiſmum. Filii autem Dei adoptivi, inquit D. Tho. (n) [n ib. ad 3] inſtituuntur ad ſimilitudinem filii naturalis, juxta illud, quod dictum eſt à Paulo ad Rom. (o) [o cap. 8.] quos præſcivit, hos & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui.

Quod ulterius per Hilar. (p) [p cap. 2.] habetur, dum ipſe dixit ſuper Matth. ſuper Jeſum baptizatum deſcendir Spir. S. & vox Patris audita eſt, dicentis, hic eſt Filius meus dilectus: ut ex iis, quæ conſumabuntur in Chriſto, cognoſceremus per lavacrum aquæ, & de cœleſtibus portis Sanctum in nos ſpiritum involare, & paternæ vocis adoptione Dei filios fieri.

Jeſu baptizato à Joanne Præcurſore Domini de Joan: dicitur illud Iſa. (q) [q Cap. 40.] vox clamantis in deſerto. Parate viam Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri; ab iſto proounciatum fuit illud de Chriſto Domino, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi. Ad iſtum exibat Jeroſolyma, & omnis Judæa, & omnis regio circa Jordanem. (r) [r Matt. 3. 1.] Et baptizabantur ab eo in Jordane confitentes peccata ſua.

Ab iſto voluit Chriſtus baptizari, qui jam alios baptizavit. Quod autem alios baptizaverit, antequam Chriſtus baptizaretur, videtur conveniens fuiſſe, quia, ut docet D. T. (ſ) [ſ 3. p. q. 3 ar. 1.] oportebat Chriſtum à Joanne baptizari, ut baptiſmum conſecraret, tum etiam quia oportebat, ut Chriſtus manifeſtaretur, ſicut & ipſe præcurſor dixit, ut [t cap. 1.] habetur ex Joanne, (t) ut manifeſtetur ſc. Chriſtus in Iſrael, propterea ego veni in aqua baptizans. Tum, ut ſuo baptiſmo aſſueſaceret homines ad baptiſmum Chriſti; unde Gregorius dixit, quod ideò Joannes baptizavit, ut præcurſionis ſuæ ordinem ſervans, qui naſciturum Dominum naſcendo prævenerat; baptizando quoque baptizaturum Dominum præveniret, idcircò legitur in Joan. (u) [u ibid.] qui me miſit baptizare in aqua, ille mihi dixit, ſupta quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum hic eſt, qui baptizat in Spir. S. Tùm ad pœnitentiam homines inducens, homines prępararet ad dignè ſuſcipiendum baptiſmum Chriſti, erat ſ. Joan: in deſerto prædicans baptiſmum pœnitentię, ſiquidem iſte præcurſorius erat baptiſmo Chriſti, qui certò erat daturus baptiſmum in aqua, & Spiritu S. eodem modo, quod icitur de Moyſe, qui præceſſit legem Chriſti, lex per Moyſen data eſt, plena ſcilicet figuris,

Digitized by Google

& enigmatibus, & gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt, ideò jure meritò dicitur, quod per Moyſen ſervum prænunciatio, per Dominum Jeſum ſalutis impletio.

Præcucurrit ergo Joannes in baptizando, & per hoc, quod præcucurrit baptiſmum Chriſti, non eſt deducendum, quod introduxerit novam legem: eò quia manifeſtum eſt, ait D. Th. (x) quod baptiſmus Joannis non erat per ſe Sacramentum, ſed quaſi quodam Sacramentale diſponens ad baptiſmum Chriſti, nec per hoc introduxit novum ritum ante Chriſtum, ſiquidem fuit terminus legis, & initium Euang. ſic D. Th. (y) Unde meritò dicitur, quod fuit Propheta, & pluſquam Propheta. Propheta utique, quia de Chriſto multa prænunciavit, atq; vaticinatus fuit. Pluſquam Propheta, quia etiam in Lege nova prænunciavit multa eſſe fienda, quæ alii Prophetæ non dixerunt, & præcipuè quando dixit, Ego baptizo vos in aqua, ille verò baptizabit vos in Spiritu Sancto.

x ib. ad 1.

y ib. ad 2.

Cum jam fuerit terminus Legis, & initium Evangelii, rectè ſequitur, quod magis pertinebat ad eum verbo, & opere inducere homines ad Legem Chriſti, quàm ad obſervantiam veteris Legis, & ideò bene ait D. Thom. quod baptiſmus Joannis aliqualiter pertinebat ad Legem Chriſti, non autem ad Legem Moyſi; ob hoc etiam excluduntur baptiſmata illa Phariſæorum, utpotè quia erant ad ſolam munditiam carnis ordinata, ut narrat Marcus Evang. (z) Phariſæi, & omnes Judæi ſi crebrò laverint manus, non manducãt, & à foro venientes niſi baptizentur, non comedunt; non enim hujuſmodi baptiſmata inducebant homines ad pœnitentiam, nec ordinabantur ad munditiam ſpiritualem, ut baptiſmus Joannis. Lavabant enim manus ſuas, & baptizabantur ante comeſtionem, eodem modo, quo baptizabantur calices, Urcei, lecti, juxta illud quod Marcus ib. ſubdidit, & alia multa, quæ tradita ſunt illis ſervare baptiſmata calicum, urceorum, & æramentorum, & lectorum. Omnia enim illa ordinabantur ab illis ad munditiam corporalem, nihil verò ad munditiam ſpiritualem animæ.

z cap. 7. 3

Etſi baptiſmus Joannis non mundabat animam, quia, ut videbimus, gratiam non conferebat, nihilominus tamen fuit ille baptiſmus à Deo quoad ritum tamen, non quoad effectum, ſic enim fuit ab homine. Unde D. Th. (a) ritus baptizandi non fuit ex hominibus, ſed à Deo, qui familiari Spiritus Sancti revelatione Joannem ad baptizandum miſit, ut habetur ex illo Joan. (b) qui me miſit baptizare, ille mihi dixit, hoc eſt revelavit, ſuper quem videris Spiritum deſcendentem, &c.

a ib. q. etc. a. 1.

b cap. 1.

Effectus autem illius baptiſmi fuit ab homine, quia nihil in illo baptiſmo efficiebatur, quod homo facere non potuiſſet; non enim conferebat aliquod ſpirituale. Et D. Th (c) ſubdit per baptiſmum novæ Legis homines interius per Spiritum Sanctum baptizantur, quod facit ſolus Deus: per baptiſmum autem Joannis ſolùm corpus mundabatur aqua; Unde dicitur Matth. (d) Ego, inquit Joannes, quidem baptizo vos in aqua, in penitentiam, præparando, ſ. viam ad penitentiam, inducebat enim homines ad penitentiam, penitentiam agite, dicebat ille; appropinquavit enim regnum Cœlorum, ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne remittendo peccata per illuminationem Spiritus Sancti, qui ignis dicitur propter vehementem charitatem, & amorem, propter autem vehementiam amoris dicitur ignis, amor namque ignis dicitur, & ut ignis habet conſumare omnia ea, quæ terrena ſapiunt, & dirigere corda noſtra in charitate Dei, & patientia Chriſti.

c ib. ad 1.

d Cap. 3.

Ego baptizo vos in aqua in pœnitentiam, ille vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne. Per quæ verba apparet maxima differentia inter baptiſmum Joannis, & baptiſmum Chriſti, & eſt, quod baptiſmus novæ Legis, Chriſti ſc. non denominatur à miniſtro, eo quia miniſter principalem effectum baptiſmi, qui eſt gratia, non agit, ſiquidem nullus præter Deum dare poteſt gratiam, utpote effectum principalem derivatum à cauſa ſupernaturali. Principalis autem effectus baptiſmi, cum jam ſit gratia importat emundationem interiorem animæ in anima recipitur gratia Dei, cæterum baptiſmus Joannis denominatur ab ipſo, quia ſc. in eo nihil agebatur, quod ipſe non ageret; non enim dabat gratiam, cum non ſit proprium hominum gratiam tribuere præparatorius utique erat, & ut præparatorius mirum non eſt, ſi non fuerit ordinatus à Deo, niſi ut modico tempore duraret, quia oportebat, ut jam diximus, Chriſtum à Joanne baptizari, ut baptiſmum conſecraret &c. & ideò cum ſolùm parvo tempore eſſet duraturus, non fuit, ait D. Thom. (e) commendatus aliquo præcepto communiter edito in Sacra Scriptura; ſed quadam familiari revelatione Spiritus Sancti, qui miſit illum, ut baptizaretur omnis populus: de Joanne namque dicitur, quod fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Joannes, hic venit &c. hoc eſt, fuit homo miſſus à Deo ad teſtificandum de lumine, patet enim, quod Joannes Baptiſta non tantùm verbo, ſed etiam baptiſmo ſuo teſtificatus eſt de Joanne, i. de Chriſto ad baptizandum in Spiritu Sancto.

e 6. ad 1.

f cap. 1.

Videtur ergo ex his, quod baptiſmus Joannis non conferebat gratiam, maximè quia jam ipſe Joannes teſtificatus eſt, quod ſolùm in aqua dabat ipſe baptiſmum; Ego, inquit ipſe, baptizo vos in aqua in pœnitentiam, ex qua auctoritate ſumpſit Gregorius fundamentum dicendi, Joannes non in ſpiritu, ſed in aqua baptizat, quia peccata ſolvere non valebat, ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, à quo gratia eſt, & per eam peccata tolluntur. Ex quibus rectè ſequitur illos baptiſmos diſtingui in effectu, ſiquidem effectus baptiſmi Chriſti eſt quid ſupernatrale, ſ. Spiritus Sancti gratia, & effectus baptiſmi Joannis eſt quid naturale; ſ. lotio aquæ, aliàs ſi idem effectus eſſet in baptiſmo Joannis, & Chriſti, jam & ipſe Joannes tenebatur inſtruere ipſos adultos, ut præpararentur ad gratiam Spiritus Sancti, cum jam in adultis neceſſariò prærequiratur diſpoſitio ad gratiam, juxta Concil. Tridentinum, (g) ſi quis dixerit quantò vehementius quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tantò eum gravius peccare: anathema ſit;) & ſic tenebatur etiam nominare ſaltem Spiritum Sanctum, ut per hoc baptizati ab eo audirent, quod Spiritus Sanctus erat, immò & conferendus per ſuum baptiſmum, quod ipſe non dixit, bene tamen affirmavit baptizare tantùm in aqua. Unde bene Div. Thom. (h) docuit, quod doctrina, & operatio Joannis præparatoria erat ad Chriſtum, per quem gratia & veritas facta eſt. Unde ſolùm per Chriſtum conferenda erat hominibus gratia, ac proinde ſolus baptiſmus Joannis præparabat ad gratiam tùm inducendo homines ad fidem Chriſti per doctrinam, tùm aſſuefaciendo homines ad ritum baptiſmi Chriſti, tùm per pœnitentiam præparando homines ad ſuſcipiendum effectum Chriſti. Et rurſus ait D. Th. (i) baptiſmus Joannis erat ſolum præparatorius ad baptiſmum Chriſti, & ideò ſubdit, non erat inſtitutus ad remedium peccati Originalis, cum nondum eſſet Sacramentum, de ratione autem Sacramentorum eſt, ut ex vi inſtitutionis habeant ſuum effectum. Et de facto taliter erat baptiſmus Joannis præparatorius, quod etiamſi dicatur ab Evangeliſta Matt. baptizabantur ab eo in Jordane (l) confitentes peccata ſua, nihilominus tamen aſſerit D. Thom. (m) quod illa confeſſio peccatorum non fiebat ad remiſſionem peccatorum ſtatim poſt baptiſmum exhibendam, ſed conſequendam per pœnitentiam conſequentem, & per baptiſmum Chriſti, ad quem pœnitentia illa præparabat, quod deducitur ex illo Iſaiæ præcinentis de Joanne, vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, hoc eſt, præparate vos ad recipiendum Chriſtum Dominum daturum vobis gratiam.

g ſeſſ. 6. can. 7.

h ib. ad 3

i ib. ad 3

l Cap. 3.

m ib. ad 2

n cap. 40.

Idcircò dicit D. Th. (o) quod baptizabat, & prędicabat baptiſmum pænitentiæ in remiſſionem peccatorum, non quia hoc ipſe perficeret, ſed quia pææparando ad hoc homines diſponebat. Diſponebat namque ad baptiſmum Chriſti homines, ſiquidem ille baptizabat in aqua in pœnitentiam, immò & prædicabat pœniten-

o ib. ad 1.

Digitized by Google

nitentiam, ut ait Div. Thom. prædicabat baptiſmum pœnitentiæ, ſ. inducentem ad pœnitentiam, quæ quidem pœnitentia ducit homines in remiſſionem peccatorum, quæ utique ſimpliciter habetur per baptiſmum Chriſti, per quem peccata gratis dimittuntur, & Spiritus Sanctus ſine munere recipitur.

Erat autem Joannes in deſerto prædicans baptiſmum pœnitentiæ, verùm non tantùm prædicabat,
p cap. 3. ſed & baptizabat, ſicut habetur ex Luca, (p) factum eſt autem, cum baptizaretur omnis populus hunc edocens de Chriſto venturo, dum dixit, qui poſt me venit, ante me factus eſt; juxta modum loquendi, quem homines faciunt. Nam verbum divinum non eſt factum, nec creatum, ſed tantùm genitum ab æterno.

Baptizabat ergo Joannes in Jordane, & baptizabat omnes, qui ad illum ibant, Unde antequam Chriſtus accederet ad baptiſmum Joannis recipiendo, ipſe alios baptizavit, quia certum eſt, quod ſi non debuiſſent illi, ſcilicet ſi non fuiſſet conveniens illos baptizari à Joanne procul dubiò Sanctus, & Juſtus eos non baptizaſſet, immò à ſuo baptiſmo libera increpatione eoſdem repuliſſet.

Quod autem fuerit conveniens illos à Joanne (q)
q tr. 4. & 5 ſup. Joan. baptizari, non ſolùm Div. Auguſt. hoc aſſerit, dùm dicit, ſi ſolus Chriſtus baptiſmo Joannis baptizatus eſſet, non defuiſſent, qui dicerent, baptiſmum Joannis, quo Chriſtus eſt baptizatus, digniorem eſſe baptiſmo Chriſti, quo alii baptizantur. Verùm etiam
r ib. ar. 4. ad 1. Div. Thom. (r) hoc aſſerit, dùm docet, quod non propter hoc ſolùm fuit baptiſmus Joannis inſtitutus, ut Chriſtus baptizaretur, ſed etiam hoc fuit, quia oportebat per baptiſmum Joannis alios ad baptiſmum Chriſti præparari: Subdit autem Div. Thom. ſi ad hoc ſolùm eſſet inſtitutus, ut Chriſtus eo baptizaretur, oportebat prædictum inconveniens vitari aliis hoc baptiſmo baptizatis, qui tamen accipiebant pœnitentiæ ſignum. Et quod ita ſit, ait Div. Thom.
ſ ib. ad 2. (ſ) pueri non baptizabantur baptiſmo Joannis, quia iſte baptiſmus erat pœnitentiæ, quæ pueris non convenit. Nec tantùm pueri non baptizabantur, verùm etiam nec gentiles, quod eſt id, quod docet D. Thomas, multò minùs conveniebat per Joannem Gentiles ad baptiſmum admitti, cum & ipſe Chriſtus inhibuerit Apoſtolis Evangelium gentilibus prædicare ante paſſionem, & reſurrectionem: & ideò pueri non baptizabantur non tantùm quia baptiſmus Joannis erat baptiſmus pœnitentiæ, ſed etiam quia non conferrebat aliquid, nec gratiam accipiebant illi, quibus baptizati erant tali baptiſmo; Unde conferre viam ſalutis gentibus ſoli Chriſto reſervabatur, qui eſt expectatio gentium, ut etiam habetur in Gen.
t cap. 49 (t) quando Jacob vocatis filiis ſuis ad Judam dixit, ut Propheta; non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de fæmore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt v. Chriſtus, & ipſe erit expectatio gentium.

Erat autem Joannes baptizans, non ſolùm antequam Chriſtus baptizaretur ab eo, verùm etiam & erat
u cap. 3. baptizans, poſtquam ipſe baptizatus fuerit, ut apertè habetur ex Evangeliſta Joanne, (u) poſt hæc venit Jeſus, & diſcipuli ejus in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat. Erat autem & Joannes baptizans in Ennon juxta ſalim; quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur.

Ex quibus apertè videtur, quod baptiſmus Joannis non ceſſavit baptizato Chriſto, immò nec debuit ceſſa-
x ib. ar. 5. re teſte (x) D. Th. docente, & D. Chryſoſt. (y) iſte enim
y hom. 28. in Joan. dixit, quod ſi ceſſaſſet Joannes baptizare Chriſto baptizato, exiſtimeretur, quod zelo, vel ira hoc faceret. Et ut vult Beda, quia permanebat umbra veteris legis, nec debuit præcurſor ceſſare, donec veritas manifeſtare-
z ib. ad 1. tur. Et D. Th. (z) nondùm Chriſtus erat plenè manifeſtatus eo baptizato, & ideò adhuc neceſſarium erat, quod Joannes baptizaret; maximè quia & præparatorius baptiſmus Joannis erat, non ſolùm ad hoc, quod Chriſtus baptizaretur, ſed etiã ad hoc, quod alii ad Chriſti baptiſmũ accederent; & ideò dicitur, quod perſiſtens in baptizando ſuos auditores mittebat ad Chriſtum, unde mirum non debet eſſe, ſi nondùm fuit impletum Chriſto baptizato. Nec D. Aug. voluit aſſerere oppoſitum, quando dixit baptizatus eſt Chriſtus, & ceſſavit a tr. 4 ſup. Joan.
Joannis baptiſmus. Siquidem non ſtatim ceſſavit baptiſmus Joannis Chriſto baptizato, ſed ſolùm ceſſavit eo Incarcerato, quæ doctrina D. Th. majorem vim facit, b Ib. ad 2.
utpote deſumpta ex illo Joannis, erat autem Joannes (c) baptizans in Ennon juxta ſalim, & poſtea, nondùm c cap. 3.
enim miſſus fuerat Joannes in Carcerem.

Erat autem Joannes baptizans, ſed quia in aqua tantùm hinc eſt, & quod illi, qui baptizati fuerant à Joanne, baptizandi poſtea erant baptiſmo Chriſti, & hoc quia baptiſmus Chriſti non ſolùm in aqua eſt, ſed etiam in Spiritu Sancto; ut ipſe perhibuit teſtimonium, ego baptizo vos aqua, ille verò baptizabit Spiritu Sancto; nec mirum ſi baptizandi denuò eſſent illi, qui baptizati erant à Joanne, cum jam baptiſmus Joannis neque gratiam conferebat, neq; characterem imprimebat, ſed ſolùm erat in aqua. Unde baptizatis fides, vel ſpes, quam habebant in Chriſto non poterat hunc defectum ſupplere. (d) Et etiam quia ait D. Th quando in Sacra- d ib. a. 6.
mento omittitur, quod eſt de neceſſitate Sacramenti, non ſolùm oportet ſupleri, quod fuerat ommiſtum, ſed oportet totaliter innovari. Cum autem de neceſſitate baptiſmi Chriſti ſit, quod fiat, & in aqua, & in Spiritu Sancto, juxta illud Joannis, niſi quis renatus fue- e Cap. 3.
rit (e) ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire regnum Dei, hinc meritò deducitur, quod illi, qui tantùm in aqua baptizati erant baptiſmo Joannis, erant etiam iteratò totaliter baptizandi in aqua, & Spiritu Sancto. Unde Aug. ait baptizatos à Paulo eos, qui in baptiſmo Joannis fuiſſent baptizati, legimus in Act. Apoſt. ubi (f) legitur, Paulum dixiſſe ad quoſdam f Cap. 19.
diſcipulos commorantes in Epheſum, in quo baptizati eſtis? qui dixerunt in Joannis baptiſmate. Quibus dixit Paulus; Joannes baptizavit baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens, in eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, ut crederent, hoc eſt in Jeſum, his auditis baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu.) non ob alind niſi quia baptiſmus Joannis non fuerat baptiſmus Chriſti, unde non renaſcebantur, qui baptiſmate Joannis baptibatur à quo, & Chriſtus baptizatus eſt.

Et D. Th. (g) in confirmationem docet, quod non eſt g ib. ad 4.
tota cauſa, quare illi fuerunt baptizati poſt baptiſmum Joannis, quia Spiritum Sanctum non cognoverant, ſicut & illi dixerunt; neque ſi Spiritus Sanctus eſt, audivimus, ſed quia non erant baptiſmo Chriſti baptizati, taliter quod, etſi fuiſſent aliqui, qui baptizati fuiſſent baptiſmo Joannis habentes pleniorem notitiam Trinitatis, adhuc tamen baptizandi eſſent baptiſmo Chriſti, quia, ut diximus, ille baptizabat tantùm in aqua.

Unde ſolùm præparatorius fuit ad Chriſti baptiſmum, & quod ita ſit, ulterius habetur ex D. Hier. dicente, baptiſmum pœnitentiæ dedit, baptiſmum in remiſſionem peccatorum prædicavit, non tamen dedit; ſicut prædicatione ſua Chriſti prædicationem præcurrit, ita baptiſmo pœnitentiæ remiſſionis baptiſmum. Et Beda, baptiſmus Joannis in remiſſionem peccatorum dari non potuit; remiſſio enim peccatorum in ſolo baptiſmate Chriſti nobis tribuitur. (h) Rurſus D. Aug. h tr. 5. ſup. Joan.
dixit, ideò poſt Joannem baptizatus eſt, quia non dabat baptiſmum Chriſti, ſed ſuum, & hinc eſt, quod iterum baptizandi erant baptiſmo Chriſti: (i) Quod i l. 19. c. 13.
magis à D. Aug. corroboratur, dùm contra Fauſtum inquit, Sacramenta noſtra ſunt ſigna præſentis gratiæ. Sacramenta verò veteris legis fuerunt ſigna gratiæ futuræ. Unde ex hoc ipſ, quod Joannes baptizavit in nomine venturi datur intelligi, quod non dabat baptiſmum Chriſti, qui eſt Sacramentum novæ Legis, ac per conſequens, quod erat tantùm ſignum futuri baptiſmi Chriſti.

At quia erat præparatorius ad baptiſmum Chriſti, hinc eſt, quod; dicitur, veluti Sacramentum medium inter Sacramenta veteris Legis, & novæ Legis, quod habetur ex D. Tho. ſic aſſerente; conveniebat l 4. d. 2. q. 2. a. 2. quæſt. 1.

Digitized by Google

utique cum Sacramentis veteris Legis in hoc; quod erant tantùm ſignum, & cum illis novæ Legis in materia, & quodammodo in forma, in materia namque, quoniam & Joannes baptizabat aqua; quodammodo in forma, ſiquidem, & ipſe dicebat, Ego baptizo vos &c. Et Ugo de Sancto Victore aſſerit, quod erat initiatio quædam Sacramentorum gratiæ, quamvis gratia in eo non conferentur, nam tantummodo baptiſmus Chriſti Sacramentum eſt conferens gratiã.

Verùm quia variis modis accipi poteſt hoc nomen baptiſmus, (*m*) nam & Divus Auguſtinus
m Ep. 8. 5 teſtatur Sacramentum fidei appellari, quod illud ſuſcipientes univerſam Chriſtianæ religionis fidem profiteantur. Alii illuminationem vocarunt deſumentes fundamentum ex auctoritate Apoſtoli ab Hæb. dicentis, rememoramini priſtinos dies, in quibus
n Cap. 10 illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum, tempus nimirum, quo baptizati erant, ſignificans, fide enim corda noſtra illuminantur, quam in baptiſmo profitentur Divus Chryſoſtomus in oratione,
o 10. cap. 5 quam ad baptizandos habuit, nominat tum expurgationem, quia per baptiſmum expurgamus vetus fermentum, ut ſimus nova conſperſio, juxta illud Pauli ad Corinth. (*p*) expurgate vetus fermentum, ne-
p 1. cap. 5. quitiæ ſcilicet & malitiæ propter infidelitatem, ut ſitis nova conſperſio, vel per ablutionem aquæ in baptiſmo, vel per ſanguinem Jeſu Chriſti, qui fuſus eſt pro nobis, ut emundaret noſtra delicta; tùm ſepulturam, tùm plantationem, tùm Crucem Chriſti, juxta illud ad Rom. (*q*) an ignorantis, quia qui-
q Cap. 6. cumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus? conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, (quod confirmat Apoſtolus ad Coloſſ. (*r*) conſepulti ei in
r Cap. 2. baptiſmo in quo, & reſurrexiſti per fidem operationis Dei) ita, & nos in novitate vitæ ambulemus.

Sic enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus. Accipi poteſt etiam baptiſmus pro omni genere ablutionum, ut colligitur tùm ex illo Marci, & à foro, niſi ba-
ſ cap. 7. ptizentur, (*ſ*) non comedunt, & alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſervare ba[illegible] calicum, & urceorum, & æramentorum, & lectorum; tum ex
t Cap. 9. illo Pauli ad Hæb. (*t*) Et variis baptiſmatibus.

At omiſſis omnibus acceptionibus enumeratis non ſolùm nos accipimus baptiſmum cum Sacris Eccleſiæ ſcriptoribus, quatenus declarat eum ablutionem corporis, quæ cum Sacramento conjungitur, & cum præſcripta verborum forma miniſtratur, verùm e-
u 3. p. q. 66. a. 1. tiam cùm Divo Thoma (*u*) aſſerente, baptiſmum eſſe ablutionem non quamcumque, ſed ablutionem cum forma verborum; quapropter & Div. Auguſtinus dixit, quod accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum, baptiſmi ſ.

In quo tria ſunt conſideranda, ſcilicet aliquid, quod eſt Sacramentum tantùm, aliquid, quod eſt res, & Sacramentum, aliquid quod eſt res tantùm.

In Baptiſmo id, quod eſt Sacramentum tantùm, tranſit, & eſt ipſa æqua, & ejus uſus, qui eſt ablutio; verùm in aqua non perficitur ſanctificatio, ſed eſt ibi quædam ſanctificationis virtus inſtrumentalis non permanens, ſed fluens in homine, qui eſt verè ſanctificationis ſubjectum, & ideò Sacramentum non perficitur, in ipſa aqua, ſed in applicatione aquæ ad hominem, quæ eſt ablutio, ſic & Paulus voluit,
x cap. 3. dùm ad Titum dixit; (*x*) ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis, hoc eſt per lavationem regenerationia: ubi videtur, quod ly lavacrum non dicit aquam, ſed aquæ uſum, per aquæ enim uſum
y ſeſſ. 13. cap. 3. nos ſalvi ſumus; hoc confirmat ex Concilium Tridentinum, dùm ſtatuit, quod reliqua Sacramenta (præter tamen Euchariſtiam) tunc primam ſanctificandi vim habent, cùm quis illis utitur: at in Euchariſtia ipſa ſanctitatis auctor ante uſus eſt. Et Magiſter ſententiarum à Divo Thoma citatus ait,
z ... d. 3. (*z*) baptiſmus eſt ablutio corporis exterior facta ſub forma præſcripta verbòrum, ſcilicet ego te baptizo in nomine &c.

Permanet ergo id, quod eſt Sacramentum, & res ſcilicet character, & id, quod eſt res tantùm; ſcli. interior ſanctificatio, (juxta Divum Thomam (*a*) *a a. 1. ibid. in fin.* res, & Sacramentum eſt character baptiſmalis, qui eſt res ſignificata per exteriorem ablutionem, & eſt ſignum Sacramentale interioris juſtificationis, quæ eſt res tantùm hujus Sacramenti, ſcilicet ſignificata, & non ſignificans) at cum hac differentia, quod character indelebiliter permanet in anima, anima enim eſt ſubjectum characteris ſecundum intellectivam partem, & quia iurellectus eſt perpetuus, & incorruptibilis, etiam character indelebiliter manet in anima non propter ſui perfectionem, ſed propter perfectionem Sacerdotii Chriſti, à quo derivatur character; juſtificatio verò permanet, ſed amiſſibiliter; nam homo ex peccatore fit juſtus, & ex juxto fit peccator, quod fit accedendo, vel recedendo a Deo, qui juſtitiam diligit; injuſtiam verò reſpuit.

Baptiſmus ergo, ut Sacramentum eſt, quam benè definiatur, conſtat ex iis; quæ habentur ex Patribus, eſt Sacramentum regenerationis per aquam in verbo. Natura enim ex Adamo filii iræ naſcimur, juxta illud Pauli ad Epheſ. (*b*) eramus natura filii iræ: per *b Cap. 2.* baptiſmum verò in Chriſto filii miſericordiæ renaſcimur, ſiquidem Evangeliſta Joannes teſtatur dedit hominibus poteſtatem filios Dei fieri, iis, qui cre- *c cap. 1.* dunt in nomine ejus, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluutate viri, ſed ex Deo nati ſunt; naſcimur ergo, & filii Dei vocamur, quando lavamur per baptiſmum, nam & Paulus dixit, abluti eſtis, ſanctificati eſtis. (*d*) Et Dionyſius definivit baptiſmum per ordinem ad alia Sa- *d lib. 7. de Cæl. Hier.* cramenta dicens, eſt quodam principium Sanctiſſimorum mandatorum Sacræ actionis ad eorum ſuſceptivam opportunitatem formãs noſtros animales habitus.

Et in ordine ad Cœleſtem gloriam, (quæ eſt ultimus finis Sacramentorum) cum, ſubdit ad ſupercœleſtis quietis anagogem. noſtrum [illegible] facieus. Et iterum [illegible] quantum ad principium ſpiritualis vitæ per hoc, quod ſubdit, ſacræ, & divinæ noſtræ regenerationis traditio.

Baptiſmus, de quo nunc loquimur, inſtitutus fuit ante paſſionem Chriſti, quod conſtat, tùm ex illo Matth. (*e*) quando Chriſtus dixit, ſic enim decet *e Cap. 3.* nos implere omnem juſtitiam, hoc eſt per hoc, quod ego à te baptixabor, ſaciam, ut baptiſmo meo in hominibus omnibus baptizandis inſundatur gratia. Et Divus Ambroſius de Sacramentis dixit, ſic decet nos implere omnem juſtitiam. Vide, quæ ſit omnis juſtitia, Chriſtus ad baptiſmum deſcendit, non ut caro mandaretur, quam ſuſcepit de noſtra conditione: non enim ablutio peccati neceſſaria fuit Chriſto qui peccatum non fecit, ſed nobis erat neceſſaria, qui peccato eramus obnoxii. Et paulò ante dixit, per aquam baptiſmi tranſitus eſt de terrenis ad cœleſtia, qui per hanc aquam tranſit, non moritur, ſed exurgit, non omnis aqua ſanat, ſed illa, quæ habet gratiam Chriſti. Quaſi Divus Ambroſius ad Evangelium propriùs accedendo dicat, aqua, antequam Chriſtus baptizaretur, non ſanabat, ſed poſtquam ipſe baptizatus eſt, implevit per aquam in nobis omnem juſtitiam. Tùm ex illo quod dicitur, & recitatur in Antiphona ad Benedictus in octava Epiphaniæ, baptizato Domino facta eſt orbis terrarum exultatio, facta eſt peccatorum noſtrorum remiſſio, ſanctificans aquas, ipſi omnes clamemus, miſerere nobis.

Et rurſus recitatur, Creator omnium in Jordane Expurgat noſtra facinora. Quomodo autem intelligatur illud, declarat ſubjungens; fontes aquarum ſanctificati ſunt, Chriſto apparente in gloria: Orbis terrarum haurite aquas de fontibus Salvatoris. Sanctificavit enim nunc omnem creaturam Chriſtus Deus noſter.

A Divo

Digitized by Google

A Divo Auguſtino inſinuatur, dum dicit, nedùm eramus in Mundo, & jam abluebamur in Baptiſmo, nam ipſa fuit baptiſmatis ratio, ut aquæ, quæ purgaturæ erant, ab ipſo purgarentur. Tunc enim Chriſtus Dominus non tantùm lavit unda, quàm lota eſt. Rurſus idem Auguſtinus, (*f*) ex quo Chriſtus in aqua mergitur, ex eo omnium peccata abluit aqua. (Ex his omnibus manifeſtum videtur ait Divus Thom., quod baptiſmus inſtitutus fuit ante paſſionem Chriſti quantum ad ipſum Sacramentum, eò quia tunc videtur aliquod Sacramentum inſtitui, quando accipit virtutem producendi effectum ſuum, ſcilicet gratiam, quam virtutem accepit baptiſmus; quando Chriſtus baptizatus fuit. Hoc tamen non obſtante dicendum eſt etiam, ſubdit Divus Thom. quod neceſſitas utendi hoc Sacramento indicta fuerit hominibus poſt paſſionem, & reſurrectionem, quia per baptiſmum configuratur homo paſſioni, & reſurrectioni Chriſti, in quantum homo peccato moritur, & incipit novam juſtitiæ vitam: quod magis docet Divus Thomas, (*g*) ante paſſionem ſuam baptiſmum inſtitutum non poſuit ſub præcepto, ſed voluit ad ejus exercitium homines aſſueſieri, & præcipuè in populo Judæorum, apud quem omnia facta figuralia erant. Poſtpaſſionem verò, & reſurrectionem non ſolùm Judæis, ſed etiam gentilibus ſub præcepto neceſſitatem baptiſmi impoſuit dicens, euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

f a 2. ibid. — *g ibi. ad 2*

Et rurſus ait, (*h*) Sacramenta non ſunt obligatoria, niſi quando ſub præcepto ponuntur; quod quidem non fuit ante paſſionem.

h ib. ad 1

Et quamvis Dominus Jeſus dixerit Nicodemo ante paſſionem, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire regnum Dei: attamen hoc magis videtur ad futurum reſpicere, quam ad illud præſens tempus: Unde prompſit, niſi renatus fuerit, non verò, niſi renaſceretur: quia indubitatum eſt, quod illi, qui mortui ſunt ante paſſionem Chriſti, & antequam baptiſmus prædicaretur per totum Mundum, ex populo tamen Judæo juxta obſervantiam legis, & cæremonias ejuſdem vel in ſinum Abrahæ iverunt, vel in aliquem alium locum, Purgatorii videlicet uſquedùm purgarentur peccata contra, vel præter Legem Dei commiſſa.

Per illa autem verba Joannis, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire regnum Dei, videtur denotare, quod aqua ſit propria materia baptiſmi, & hoc quantum ad effectum baptiſmi, quibus competunt aquæ proprietates, quæ ſua humiditate lavat, ex quo conveniens eſt, ad ſignificandam, & cauſandam ablutionem peccatorum, juxta etiam illud, lavamini, mundi eſtote: ſua frigidiate etiam temperat ſuperfluitatem caloris, & ex hoc competit ad mitigandam concupiſcentiam fomitis, & hoc eſt, quod dicebat Paulus ad Coloſſ. (*i*) mortificate corpora veſtra, quæ ſunt ſuper terram. Sua diapheneitate eſt luminis ſuſceptiva, unde competit baptiſmo, in quantum eſt fidei Sacramentum; per fidem enim illuminamur ad credendum, quod Chriſtus ſit filius Dei: Quapropter licet vinum, & oleum abluant, non tamen ita perfectè, ſicut aqua, cum ex eorum ablutione aliqua infectio remaneat, etiam quantum ad odorem: quod non contingit de aqua, nec ita communiter, & abundanter habeatur: unde & Divus Thomas (*l*) docet, quod etiam ratione ſuæ communitatis, & abundantiæ eſt conveniens materia, aqua ſcilicet hujus Sacramenti neceſſitati: quia poteſt de facili habere, & hoc eſt quod dicebat Chriſtus Dominus, niſi quis renatus fuerit ex aqua &c. quod apparet manifeſtum ex illo Actorum de Eunucho dicente ad ad Philippum, (*m*) ecce aqua, quid prohibet me baptizari? tum etiam Actorum, (*n*) quando Petrus reſpondit. Numquid aquam quis prohibere poteſt, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, ſicut & nos? & juſſit eos baptizare in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Propter quod ſequitur quàm male dicebant illi, qui volebant baptizandum eſſe non in aqua, ſed in igne.

i Cap. 3. — *l ib. a. 1* — *m Cap. 8.* — *n cap. 10.*

Contra quos non ſolùm Concilium Florentinum determinavit, quod materia hujus Sacramenti ſit aqua vera, & naturatis, nec refert, an ſit calida, vel frigida. Adeſt Concilium Tridentinum, (*o*) ſi quis dixerit aquam veram, & naturalem non eſſe de neceſſitate baptiſmi, atque ideò verba illa Domini Noſtri Jeſu Chriſti, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, ad metaphoram aliquam retorſerit. Anathema ſit.

o ſeſſ. 7. de Bapt. cã. 2.

Contra quos eſt etiam dicendum, quod dictum à Joanne Baptiſta venturum eſſe dominum, qui baptizaret in Spiritu Sancto, & ignè intelligendum eſt non de materia baptiſmi; ſed ad intimum Spiritus Sancti effectum; quod etiam colligitur ex Div. Th. (*p*) ille, qui baptizatur, non efficitur illuminans, (nam illuminatio pertinet ad ignem activè) ſed illuminatus per fidem, quæ eſt ex auditu, juxta illud ad Rom. (*q*) fides ex auditu, auditus autem per Verbum Chriſti; & ideò magis competit baptiſmo aqua, quàm ignis. Vel certe ad miraculum referri debet; quod dies pentecoſtes apparuit, ut legitur in Act. Apoſt. (*r*) & cum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco, & factus eſt repente de Cœlo ſonus, tanquam ad venientis ſpiritus vehementis, & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto. Et Divus Thomas dicit, (*ſ*) quod autem dicitur, baptizabit vos Spiritu Sancto, & ignè, poteſt per ignem, ut ait Hier. intelligi Spiritus Sanctus, qui ſuper Diſcipulos in igneis linguis apparuit; Vel per ignem poteſt intelligi tribulatio, ut dicit Chryſoſtomus, quia tribulatio peccata purgat, & concupiſcentiam diminuit. Vel ut ait Hilarius, baptizatis in Spiritu Sancto, reliquum eſt conſummari igne judicii.

p ibi. ad 1 — *q cap. 10.* — *r cap. 2.* — *ſ ad 2. ibi.*

Pariter licet ex latere Chriſti fluxerit ſanguis, & aqua, tamen aqua fluxit ad abluendum, ſanguis ad redimendum. Et hinc eſt, quod Divus Thomas, (*t*) docet, quod ſanguis competit Sacramento Euchariſtiæ, aqua verò Sacramento baptiſmi, qui habet vim ablutivam ex virtute ſanguinis Chriſti; quæ virtus derivata eſt ad omnem aquam, non propter continuitatem loci, ſed propter ſimilitudinem ſpeciei.

t ib. ad 3.

A Chriſto Domino, ſive à latere ejus exivit utique aqua, quæ verè aqua fuit, immò & pura miraculosè egrediens à corpore mortuo, unde non fuit humor phlegmaticus, & ideò relinguitur, & ut certum quod in tali humore, ut ait Divus Thomas, (*u*) non poſſet fiej baptiſmus, ſicut nec in ſanguine animalis, aut in vino, aut quocumque liquore alicujus plantæ. Sicut nec in aquis roſaceis, nec in aquis alchimicis, cum maximam proprietatem corporum mixtorum retineant; quod tamen non eſt dicendum de aquis pluvialibus, ait Divus Thomas, (*x*) utpotè quia & generantur ex majori parte ex ſublimitate vaporum reſolutorum ex aquis, & quia nullam proprietatem retinet alicujus corporis mixti; hoc idem dicendum eſt de lixivio, aut aquis ſulphureorum balneorum, ac de pluvialibus aquis, in illis ergo, ſicut & in iſtis, poteſt fieri baptiſmus, ſiquidem tales aquæ non incorporantur per artem, vel naturam aliquibus corporibus mixtis, ſed ſolùm alterationem quamdam recipiunt ex hoc, quod tranſeunt per aliqua corpora.

u a. 4. q. 66 ad 1. — *x ib. ad 3.*

Denique ex Divo Thoma (*y*) aſſerente, quod ſpeciem aquæ non habet, niſi aqua ſimplex; & circa tranſmutationem, quæ fieri poteſt circa aquam, etiam docet, quod ſi tranſmutatio circa aquam facta ſit per artem, ſive comiſcendo, ſive alterando, non traſmutatur ſpecies aquæ, ac prinde in tali aqua fieri poteſt baptiſmus, niſi fortè admiſceatur aqua per artem in tam parva quantitate alicui corpori, quod

y ib. a. 4.

Digitized by Google

ri, quod compoſitum magis ſit aliud, quàm aqua; Et quia poteſt fieri tranſmutatio etiam à natura, hinc ſequitur: quod hujuſmodi tranſmutatio quandoque quidem ſpeciem ſolvit aquæ, & tunc fit, quando aqua efficitur per naturam de ſubſtantia alicuius corporis mixti, ſicut aqua converſa in vini liquorem, eſt vinum, unde non habet ſpeciem aquę.

Aliquando autem fit per naturam trànſmutatio aquæ ſine ſolutione ſpeciei, & hoc tàm per alterationem, (ſicut patet de aqua calefacta à ſole) quam etiam permiſſionem, ut patet de aqua fluminis turbida ex permixtione terreſtrium partium: Ex quibus omnibus reſtat certum, quod in qualibet aqua qualitercumque tranſmutata, dummodo non ſolvatur ſpecies aquæ, poteſt fieri baptiſmus.

Signum ergo eſt, quod aqua ſimplex requiritur ad baptiſmum, ſic enim deſumitur & à Conciliis jam citatis decretantibus aquam veram, & naturalem eſſe de neceſſitate baptiſmi, & hanc requiri neceſſariò, tamquam materiam ad iſtud Sacramentum, ſive poſtea talis aqua ſit maris, ſive fluvii, ſive paludis, ſive putei, ſive fontis. Et quod benè à Conciliis decretatum fuerit de aqua ſimplici, naturali, vera, colligitur tùm ex figuris, tùm ex prophetiis, tùm ex Evang. tùm ex D. Th. Ex figuris, inquam, nam legi-
z 4.8. tur in Gen. (z) quod videns Deus, quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore: (Ubi nota, quod in ly omni tempore includitur, & tempus præteritum, præſens, & futurum: omnia namque proſpicit Deus in ſua æternitate, in qua præteſita, præſentia, & futura ſunt præſentia; & ab effectu videmus ita eſſe immò & experimur, quod & malitia hominis in terra non defecit, ſed potiùs incrementum poſuit in illa, & cogitationes humanorum cordium non ſolùm intentæ ſunt verùm etiam ſemper paratæ ad malum perpetrandum, & maxime in his noſtris tempeſtatibus.) Miſit Deus diluvium ſuper faciem terræ, ut Mundus purgaretur à malitia inhabitantium in eo: Legitur in Exodo, (a) quod ingreſſi ſunt filii
a Cap. 14. Iſrael per medium ſicci maris, erat enim aqua, quaſi murus à dextera eorum, & læva:

Murus enim & validus eſt baptiſmus, contra quem nec iniquiſſimus ille Pharao tartareus aliquid poteſt, cum ſit præcinctus fortitudine fidei, & omni ſanctitate. Unde & Paulus ad hanc rem dixit ſcribens ad Corinth. (b) nolo enim vos ignorare fratres, quo-
b p. cap. 10 niam Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt: & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari.

c cap. 55 Ex prophetiis etiam, nam in Iſ. (c) legitur, omnes ſitientes venite ad aquas, invitat enim Dominus per os Prophetæ omnem populum ad hanc aquam baptiſmi venire; maximè quia, ut ipſe dixit in Joannem, promittit daturum ſe aquam, per
d cap. 4. quam nemo ſitiet iterum, unde & dicit, aqua, quam ego dabo eis, fiet in eo aquæ ſalientis in vitam æternam,

e cap. 47. Et Ezechielis vidit in ſpiritu aquas egredientes à templo, à templo .n. egrediebantur aquæ propter multitudinem credentium. Et Zacharias prophetavit dicens, In die illa erit fons puteus domo David, & habitantibus Jeruſalem in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ; in die illa, in qua ſcilicet apparebit Dominus, qui verè fons vitæ eſt, juxta illud David in
f Pſ. 35. Pſalm. (f) quoniam apud te eſt fons vitæ, iſte ergo fons pavit, quando incarnatus eſt in utero Virginis de domo David; & de iſto fonte habetur
g Cap. 3. in Joell. (g) & fons de domo Domini egredietur. Et in Eccleſ. (h) legitur, fons ſapientiæ verbum
h Cap. 1. Dei in excelſis, iſte enim fons venit ad irrigandum Jeruſalem ut ipſe dixerit, non ſum miſſus, niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael, ut qui habitabant in ea, mundarentur ab iniquitatibus ſuis, & immunditiis ſuis; ideò dicitur habitantibus Jeruſalem in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ. Quia (i) & ipſe Jeremias tunc temporis dicit, facta eſt i Tre. 4. c. Jeruſalem quaſi polluta menſturis propter immunditias, quas in illa habitatores ejus fecerunt, ut pat. ex Oratione Jeremiæ, Mulieres in Sion humiliaverunt, & virgines in civitatibus Juda, adoleſcentuli impudicè abuſi ſunt, & pueri in ligno corruerunt, ſenes defecerunt de portis, & juvenes de Choro pſallentium.

Ex Evangelio, Nam Chriſtus Dominus in Jordane baptizari voluit, in quo flumine, nullum eſt dubium, quod aqua pura ſit, & ſimplex, habens veram ſpeciem aquæ.

In Jordane utique voluit Chriſtus baptizari. Etenim aqua huius fluminis, cum oriatur ad radices Libani, habet in ſe eximiam ſuavitatem, & Chriſtus cum ſit plenus gratia, & veritate, voluit augere in illa ſuavitatem ſanctitatis, qua ipſe pollebat. Pariter interpretatur fluvius Judicii, & hoc ad denotandum, quod niſi quis crediderit Chriſtum eſſe Filium Dei, ſalvus eſſe non poterit: (l) unde jam l tr. 14. in Joan. judicatus remanet juxta Divum Auguſtinum dicentem, jam judicatus eſt, qui non credit; quare judicatus? Quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei. Ex Divo Thoma jam conſtat ex dictis.

In cujus Sacramento aſſumitur aqua ad uſum ablutionis corporalis, per quam ſignificatur interior ablutio peccatorum. Quæ ablutio & poteſt fieri per modum immerſionis, & per modum aſperſionis, vel effuſionis; hæc enim omnia accidunt baptiſmo; unde quocumque modo fiat, ablutio per aquam, quæ per ſe requiritur ad baptiſmum, non tollitur unitas baptiſmi, juxta Divum Thomam dicentem, (m) m ib. a. 7. ad 1. quod ea, quæ ſunt per accidens, non variant ſubſtantiam rei: ſic & Apoſtolus voluit, cum dixit ad Hæb. (n) accedamus cum vero corde in plenitudine n Cap. 10 fidei, aſperſi corda à conſcientia mala, & abluti corpus aqua munda; per hoc enim, quod nomine ablutionis corporalis univerſaliter utitur Apoſtolus loquens de baptiſmo, monſtrat intentum, cum ablutio poſſit pluribus modis fieri, ſcilicet non tantùm per immerſionem, ſed etiam per aſperſionem, & effuſionem. Et Divus Cyprianus ait, nec quemquam debet movere, quod aſpergi, vel perfundi debentur ægri, cum gratiam Dominicam conſequuntur.

Et Divus Thomas, (o) quamvis tutiùs ſit baptizare per modum immerſionis, (quia hoc habet o ib. ſo. a. 7 communior uſus, & etiam quia ſubdit Divus Th. (p) in immerſione expreſſiùs repræſentatur figura p ibi. ad 2. ſepulturæ Chriſti, ideòque hic modus baptizandi videtur eſſe communior, & laudabilior), poteſt tamen fieri baptiſmus per modum aſperſionis vel etiam effuſionis, ſecundum illud Ezechielis, (q) effundam ſuper vos aquam mundam, q cap. 36. ſicut Beatus Laurentius legitur baptizaſſe. Et hoc præcipuè propter neceſſitatem, vel quia eſt magna multitudo baptizandorum, quemadmodum à Petro factum eſſe colligitur ex Actibus Apoſtolorum, r Cap. 2. (r) tùm, ubi dicitur, qui ergo receperunt ſermonem ejus baptizati ſunt; & appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia, tùm, (ſ) ubi legitur, quod ſ Cap. 4. multi eorum, qui audierunt verbum; crediderunt; & factus eſt numerus virorum quinque millia; Quandoque autem poteſt imminere neceſſitas propter paucitatem aquæ, vel propter debilitatem miniſtri, qui nequit ſubſtentare baptizandum, vel propter debilitatem baptizandi, cui poteſt imminere periculum mortis ex immerſione.

Ad quod periculum tollendum ſatis erit, ſi tantùm caput abluatur aqua, & non quælibet alia pars, cum in illo omnes interiores, & exteriores ſenſus vigeant; immò in illo præcipuè manifeſtantur opera animæ. Igitur remanet certum, quod ablutio aquæ ſit de neceſſitate baptiſmi, & quod modus ablutionis per accidens ſe habeat ad Sacramentum; & conſequenter debet remanere certum, quod immerſio, ſive effuſio, ſive aſperſio, ſive fiat una vice,

ſive

Digitized by Google

ſive tribus vicibus licitè fit ; quia per unam vicem ſignificatur unitas mortis Chriſti, & unitas deitatis, & talis modus quandoque ab Eccleſia inſtitutus fuit propter vitandum ſchiſmatis ſcandalum, vel hæretici dogmatis uſum ut ſtatutum fuit in Concilio Toletano, in quo ſic habetur ; propter vitandum ſchiſmatis ſcandalum, vel hæretici dogmatis uſum ſimplam teneamus baptiſmi immerſionem.

Per tres verò vices ſignificatur triduum ſepulturæ Chriſti, & Trinitas perſonarum, & talis modus etiam ab Eccleſia inſtitutus quandoque propter erorem quorumdam negantium, & malè ſencientium de Trinitate, & Chriſtum eſſe purum hominem exiſtimantium.

t p. q. 66. art. 8. Verùm, ait D. Th. (*t*) quod ceſſantibus talibus cauſis communiter obſervatur in baptiſmo trina immerſio, quapropter graviter peccaret aliter baptizans, quaſi ritum Eccleſiæ non obſervans, attamen eſſet baptiſmus ; quod magis apparet ex iis, quæ diximus facta in Actibus Apoſtolorum, ubi legimus, Apoſtolos una die baptizaſſe tria millia hominum, alia autem die quinque millia hominum ; nam certum eſt, quod non videtur poſſibile, quod unuſquiſque Apoſtolorum baptizaret unumquemque tot millium per trinam vel merſionem, vel aſperſionem, vel effuſionem, ſed magis inde eſt probabile, quod de facto ſemel tantùm vel mergerent, vel effunderent, vel aſpergerent.

u p. 2. n. 18. de Sac. Bapt. Et etiam manifeſtum relinquitur ex (*u*) Catech. Rom. in quo habetur, nihil referre exiſtimandum eſt, utrum unica, an trina ablutio fiat ; Utrovis enim modo & antea in Eccleſia baptiſmum verè *x lib. 1. Epiſt. 4.* confectum eſſe, & nunc confici poſſe ſatis enim apparet ex Divi Gregorii magni (*x*) Epiſtola ad Leandrum Epiſcopum ſcripta. Reprehenſibile eſſe nullatenus poteſt, infantem in baptiſmate ter, vel ſemel immergere ; quoniam, & in tribus immerſionibus perſonarum Trinitas, & una poteſt divinitatis ſingularitas deſignari ; & Divus Hieronimus *y in cap. 4.* (*y*) ſuper Epiſtolam ad Philip. dicit, quod licet ter baptizetur, ſcilicet immergatur, propter myſterium Trinitatis, tamen unum baptiſma reputatur. Miniſtri ergo hujus Sacramenti ſcire debent, quod qui intendunt unum baptiſmum dare trina immerſione, efficitur unum baptiſma ; ſi verò intenderent ad unamquamque immerſionem unum baptiſ- *z ſeſſ 7 de Sacr in ge. cro. 9.* ma dare ad ſingulas immerſiones repetens verba formæ, (*z*) peccaret, quantum in ſe eſt, pluries baptizans. Et hoc, quia certiſſimum eſt, baptiſmum numquam interari poſſe, maxime quia eſt de numero illorum Sacramentorum, quæ imprimunt characterem, ut definitum fuit à Concilio Trident. *a ſeſſ 23. cap. 4.* (*a*) ſi quis dixerit, in tribus Sacramentis, baptiſmo ; ſcilicet Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, anathema ſit. Et rur- *b lib. 2. cap. 13.* ſus idem Concilium ſtatuit, (*b*) quoniam verò in Sacramento Ordinis, ſicut & in baptiſmo, & Confirmatione character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri poteſt, &c. Unde & Divus Auguſtinus (*c*) dicit contra Epiſtolam Parmeniani, cha- *c cap. 3.* racter militaris non repetitur, & quod minus hæret Sacramentum Chriſti, quàm corporalis hæc nota ; cum videamus nec apoſtatas carere baptiſmate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus, non reſtituitur. Et hoc quia baptiſmus eſt quædam regeneratio, prout ſcilicet aliquis moritur veteri vitæ, & incipit novum vitam agere, cum autem unius non ſit niſi una regeneratio, hinc bene ſequitur, quod baptiſmus nequit iterari ; eò modo quò *d Seſſ. 14. cap. 2.* nec carnalis generatio. Juxta Divum Auguſtinum (*d*) dicentem ſuper illud Joannis, numquid poteſt in ventrem matris ſuæ iteratò introiere, & renaſci ? Sic tu intellige nativitatem ſpiritus, quomodo intellexit Nicodemus nativitatem carnis, quomodo enim uterus non poteſt repeti, ſic nec baptiſmus.

e p cap. 5. Sic & Concilium Tridentinum (*e*) ponens differentiam inter Sacramentum pœnitentiæ, & illud baptiſmi ſtatuit ; cæterum hoc Sacramentum multis rationibus baptiſmo differre dignoſcitur. Nam præterquam quod materia, & forma, quibus Sacramenti eſſentia perficitur, longiſſimè diſtent : conſtat certe, baptiſmi miniſtrum Judicem eſſe non oportere ; cum Eccleſia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipſam per baptiſmi januam fuerit ingreſſus. Quod enim mihi, inquit Apoſtolus ad Corint. (*f*) de his, qui foris ſunt, judica- *f cap. 5.* re ? Nam eos, qui foris ſunt, Deus judicabit. Secus autem de domeſticis (ut ibidem ſubdit Apoſtolus, nonne de iis, qui intus ſunt, vos judicatis.) Quos Chriſtus dominus lavacro Baptiſmi ſui corporis membra ſemel effecit ; nam hos, ſi ſe poſtea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito baptiſmo ablui, cum id in Eccleſia Catholica nulla ratione liceat ; ſed ante hoc tribunal tanquam reos ſiſti voluit, ut per ſacerdotum ſententiam non ſemel &c. Sic ex illo Pauli ad Epheſ. unus Deus, (qui eſt benedictus in ſecula) una fides, (ut & ipſe dicit, donec occurramus in unitatem fidei,) unum baptiſma, (nam & dixit, etenim in uno ſpiritu omnes nos in unum corpus) qui eſt Chriſtus Dominus) baptizati ſumus. Veritas iſta, quæ comprobata fuit miraculo, ut legitur in feſto Sanctæ Cæciliæ Virginis, Orante Sancto Urbano ſubitò ante facies eorum apparuit ſenior indutus niveis veſtibus, tenens titulum in manibus aureis litteris ſcriptum & dixit Valeriano, (*g*) lege hujus tituli textum. Scriptura *g ibid. ad 5.* autem hæc erat ; unus Deus, una fides, unum Baptiſma ; Unum inquam, baptiſma, nam & una Chriſti mors unum baptiſma conſecravit ; immò, ut ait Divus Thomas, in (*h*) in baptiſmo comme- *h cap. 6.* moratur mors Chriſti, in quantum homo Chriſto commoritur, & in novam vitam regeneratur. Unde iterari non debet, nam, ut inquit Apoſtolus ad Ro. quod enim ; Chriſtus ſcilicet, mortuus eſt peccato mortuus eſt ſemel, ſic & nos in morte Chriſti baptizamur, per quam morimur peccato, & reſurgimus in novitatem vitæ. Et hinc eſt quod Sancta Eccleſia ſe unum baptiſma credere palam profitetur. Et ratione etiam hoc manifeſtum redditur à D. Th. dùm docet, baptiſmus datur contra originale peccatum, unde ſicut iſtud non iteratur, ita nec baptiſmus ; juxta illud Rom. Igitur ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic per Junius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem.

Ex his omnibus jam videtur, quod baptiſmus numquam iterari poteſt, quamvis ab indignis, ab hæreticis, à ſchiſmaticis, ab infidelibus datus ſit : dummodo tamen datus ſit in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, juxta D. Th. (*i*) docentem, ſi qui apud illos hæreticos baptizati ſunt, qui in Sanctæ Trini- *i ibid. in o* tatis confeſſione baptizabant, & venient ad Catholicam fidem, recipiantur ut baptizati. Juxta etiam *l cap. 8.* Concilium Tridentiuum : (*l*) ſi quis dixerit, baptiſmum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, non eſſe verum baptiſmum, anathema ſit. Et hoc ut excludantur errores Paulianorum, Cataphrygarum, Benoſianorum exiſtimantium, vel Chriſtum non eſſe Deum, vel Spiritum Sanctum eſſe purum hominem ; propter quod ſi aliqui ex iſtis venirent ad Catholicam fidem, baptizentur. Juxta Leonem Papam dicentem, qui ſe baptizatos ſciunt, ſed cujus fidei fuerint, qui eos baptizarunt, ſe neſcire profitentur, rebaptizandi non ſunt, ſed per impoſitionem manus virtute Chriſti, (quam ab hæretici recipere non potuerunt,) Catholicis copulandi ſunt Unde bene Div. Auguſt. (*m*) ſuper illud Joanni ſed ego neſciebam eum, *m art. 9 q. ... ad 1.* ecce poſt Joannem baptizatum eſt, poſt homicidam non eſt baptizatum, quia Joannes dedit baptiſmum ſuum (hoc eſt in aqua tantùm,) homicida, Judas ſcilicet dedit baptiſmum Chriſti ; ex quo videtur,

quod

Digitized by Google

quod Sacramentum baptiſmi tàm ſanctum eſt, ut nec homicida miniſtrante polluatur. Quod eſt id, quod dicebat Beda hom. 36. ſive hæreticus, ſive ſchiſmaticus, ſive facinoroſus quiſque in Confeſſione Sanctiſſimæ Trinitatis baptizet, non valet ille, qui baptizatus eſt à bonis Catholicis rebaptizari, ne confeſſio; & invocatio tanti nominis videatur annullari. Hęc omnia robur magnum accipiunt ex Conc. Trid. (p) ſi quis dixerit, verè, & ritè collatum baptiſmum iterandum eſſe illi, qui apud infideles fidem Chriſti negaverit, cum ad pœnitentiam convertitur; anathema ſit.

p ſeſſ. 7. de Sac. Bapt. can. 11.

At quia poteſt dubitari de quibuſdam baptizatis, an ſint baptizati, ideò ut remaneat ſolutum tale dubium dicendum eſt tum ex D. Th. (q) deſumente reſolutionem ex Alexandro Tertio de Baptiſmo, & ejus effectu cap. de quibus dubium eſt, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmiſſis; Si baptizatus es, ego non te baptizo; ſed ſi nondum baptizatus es, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Non enim inquit D. Th. videtur iterari, quod neſcitur eſſe factum. Tum ex Catechiſmo Rom. (r) hoc idem affirmante, quod utendum ſit tali forma verborum, quando aliquem abluit, de quo incertus eſt, an baptizatus fuerit; ac per conſequens non impiè iterari, ſed ſanctè cum adjunctione baptiſmum miniſtrari dicendum eſt.

q 3. p. q. 66. ad 4.

r p. 2. de bapt. n. 36.

Hæc ergo eſt forma Sacramenti baptiſmi Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Immò & vera, utpotè à Chriſto Domino tradita Matt. (ſ) quando dixit, euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

ſ cap. ult.

In qua forma opus eſt, quod exprimatur, & cauſa principalis, à qua virtutem habet, quæ eſt Sancta Trinitas, & cauſa inſtrumentalis, quæ eſt miniſter, qui tradit exterius Sacramentum. Unde tangitur miniſter, dùm dicitur. Ego te baptizo, & cauſa principalis, dùm dicitur, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; (qualis autem debeat eſſe intentio miniſtri de hoc infrà). Et licet Patres Græci non attribuant naturam baptiſmi miniſtri, hoc faciunt ad evitandum antiquorum errorem, qui virtutem baptiſmi baptizantibus attribuebant dicentes, Ego ſum Pauli, & Ego Cephæ: Unde & dicunt, baptizetur ſervus Chriſti N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & eſt verum Sacramentum, immò & perfectum, cum exprimatur actus exercitus per miniſtrum cum invocatione Trinitatis, ſic etiam habetur ex definitione Concil. Trid. ſiquidem videtur manifeſtum, quod iis verbis ſatis explicatur id, quod ad baptiſmi veritatem attinet, nimirum ablutio, quæ tunc reipſa peragitur. Et eò maxime quia ait D. Th. (t) ly ego in forma noſtra non eſt de ſubſtantia formæ, ſed ponitur ad majorem expreſſionem intentionis. Talis verò expreſſio videtur neceſſaria, taliter quod ſi quis dixerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ſine exppreſſione actus baptiſmi, vel ſecundum modum noſtrum, vel ſecundum modum Grecorum non eſſet Sacramentum juxta deciſionem Alexandri Tertii, ſi quis puerum ter in aqua immerſerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; & non dixerit, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, non eſſet baptizatus.

t a. 5. ibid ad 1.

Sicut nec eſſet baptizatus, ſi daretur ſolùm in nomine Chriſti, eò quia quid quid deeſt ad plenam invocationem Trinitatis tollit integritatem baptiſmi; Non enim Chriſtus Dominus dixit, Euntes docete omnes gentes in nomine Chriſti, ſed in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ex quo benè D. Thom. (u) docet, quod ſi prætermittatur aliquid eorum, quæ Chriſtus inſtituit circa aliquod Sacramentum efficacia caret, niſi tamen ex ſpeciali diſpenſatione ejus, qui virtutem ſuam Sacramentis non alligavit. Sic & ſcripſit Pelagius Papa de Conſ. diſt. 4. cap. ſi revera Gaudentio Epiſcopo, ſi quis in locis dilectionis tuæ vicinis commorari dicuntur, ſe ſolummodò in nomine Domini baptizatos fuiſſe confiteatur ſine cujuſcumque dubitationis ambiguo, eos ad fidem Catholicam venientes in Sanctæ Trinitatis nomine baptizabis. Et Didimus in lib. 2. de Spiritu Sancto dixit, licet vis poſſit exiſtere mentis alienæ, qui ita baptizare conetur, ut unum de prædictis nominibus, (ſcilicet trium perſonarum) prætermittat, tamen ſine perfectione baptizabit. Et ex Apoſtolis hoc idem inſinuatur, per hoc, quod in Can. Apoſtolorum dicitur, ſi quis Epiſcopus, vel Præsbyter ſemel mergat in baptiſmate, quod dari videtur in Domini morte, damnetur. Et rurſus ex D. Th. habetur (y) quod ſi ille, qui nominat unam ſolam perſonam, haberet intentionem, ſeù veram fidem de tribus, non ſit Sacramentum, quia ſicut ad Sacramentum requiritur materia ſenſibilis, ita & forma ſenſibilis, ac proinde non ſufficit intellectus, vel fides Trinitatis ad perfectionem Sacramenti, niſi ſenſibilibus verbis Trinitas exprimatur.

u 3. p. q. 66. art. 6.

x can. 49.

y ibid. in c.

Trinitas utique debet exprimi; illa namque Trinitas perſonarum, quæ licet ſint diſtinctæ inter ſe per proprietates perſonales, non enim Pater eſt Filius, nec Filius eſt Pater, & idem de Spiritu Sancto, conveniunt tamen in unitate eſſentiæ, hoc diximus, ut excludamus errorem Arrianorum volentium Patrem eſſe majorem Filio, nec Filium eſſe conſubſtantialem Patri, unde baptizabat hoc pacto, ego te baptizo in nomine Patris majoris, & Filii minoris, per quam additionem ſine dubio tollitur veritas Sacramenti Baptiſmi, aſſerit D. Th. (z) verò non tollitur, ſi dicatur, ego te baptizo in nomine Patris Omnipotentis, & Filii ejus unigeniti, & Spiritus Sancti paracleti: non enim tunc aſſignatur aliquod tempus, in quo Pater fuit ſine Filio, & Pater, & Filius ſine Spiritu Sancto Trinitas exprimi debet in Sacramento baptiſmi, ut perficiatur cum & in baptiſmo Chriſti affuerit Trinitas in ſenſibilibus ſignis, ſ. Pater in voce, Filius in humana natura, Spiritus Sanctus in columba.

z 3. p. q. 60. ar. 8.

Etſi Apoſtoli in nomine Chriſti baptizabant, ut conſtat ex illo Actorum, (a) baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti, tùm ibidem baptizabantur in nomine Chriſti Jeſu viri, ac mulieres. Rurſus ibid. (c) & juſſit eos baptizari in nomine Domini Jeſu Chriſti, & ibid. (d) his auditis baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu Chriſti; hoc tamen faciebant, inquit D. Thom. (e) ex ſpeciali revelatione Chriſti; ut nomen Chriſti, quod erat odioſum Judæis, & Gentilibus, ut conſtat apertè ex illo Actor. quando Sacerdotes, & Principes Judæorum vocantes Petrum, & Joannem, qui in nomine Jeſu ſanaverunt virum illum, qui ex utero matris ſuæ claudus erat, ei præceperunt, ut ne omninò loquerentur, neque docerent in nomine Jeſu) honorabile redderetur per hoc, quod ad ejus invocationem Spiritus Sanctus in baptiſmo dabatur.

a cap. 2.
b cap. 8.

c cap. 10.
d cap. 19.

e 3. p. q. 66. ar. 6. ad 1.
f cap. 3.

Immò id Spiritu Sancti afflatu eos feciſſe nobis debet eſſe manifeſtum, ut initio naſcentis Eccleſiæ Jeſu Chriſti nomine prædicatio illuſtrior fieret, divinaque, & immenſa ejus poteſtas magis celebraretur. Juxta etiam Divum Ambroſium aſſignantem rationem, quare convenienter talis diſpenſatio fieri potuit in primitiva Eccleſia quia, ſcilicet in nomine Chriſti tota Trinitas intelligitur. Et ideò dixit ſi Chriſtum dicas, & Patrem, à quo unctus eſt, & ipſum, qui unctus eſt, Filium, & Spiritum Sanctum, quo unctus eſt, deſignaſti; propter quod docet Div. Th. (g) quod ideò ſervabatur ad minus integritate intelligibili forma, quàm Chriſtus tradidit in Evangelio.

g ib. ad 2.

Ex quo deducitur eſſe iſtam, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, verùm quia poteſt contingere, quod ſimul plures baptizentur à pluribus, ſicut de facto contingit, quando Apoſtoli baptizaverunt una die tria millia, & alia quinque millia, hinc eſt, quod licet poſſit dici, ego baptizo vos, non tamen poteſt dici; nos vos baptizamus, nam dicendo, Ego baptizo vos, Inquit Divus Thomas, non (h) erit mutatio formæ, quia vos nihil aliud eſt, quàm te, & te, & hoc modo credendum eſt Apo-

h 3. p. q. 66. ar. 5. ad 2.

Digitized by Google

Apoſtolos tot millia baptizandi diviſim, ſcilicet non conjunctim, v. g. Beatus Petrus in una die ex tot millibus baptizabat homines centum, Beatus Andreas ducentos, & ſic de aliis; Unde in forma ſinguli dixerunt, Ego te baptizo, vel vos, ſecundum quod baptizabant eodem actu, vel vnum, vel plures ſimul, quod poteſt fieri in caſu neceſſitatis. Poſſunt, ſubdit Div. Thoma, ſi neceſſitas exigit, plures ſimul baptizari, quia nullus eorum reciperet, niſi unum baptiſmum. Cæterum dicendo nos vos baptizamus, erit mutatio formæ, quia cum dicitur nos, non eſt idem dicere, quod ego, & ego, ſed ego, & tu; & ideò ſic jàm mutaretur forma, quæ etiam mutaretur, ſi quis diceret, ego baptizo me, quia certum eſt, quod nullus poteſt baptizare ſeipſum, ob hoc vidimus, & Jeſum voluiſſe à Joanne baptizari.

Quod autem hæc ſit forma baptiſmi, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, jam à Concilio Florentino determinatum fuit; & à Concilio Tridentino (*i*) approbante determinationem illius Concilii ſub illis verbis, ſi quis dixerit in Eccleſia Romana, quæ omnium Eccleſiarum Mater eſt, & Magiſtra, non eſſe veram de baptiſmi Sacramento doctrinam. Anathema ſit. Nam etiam certum eſt, quod ſub doctrina de Sacramēto baptiſmi continetur, quod hæc ſit vera forma. Ego te baptizo in nomine Patris, &c. in qua exprimitur & cauſa principalis, & inſtrumentalis, etſi alia ſint, quæ in batiſmo fiunt ſolùm videantur ad quamdam ſolemnitatem pertinere.

i Seſſ. 7. can. 4.

Et hinc eſt, quod docet Divus Thom. quod de neceſſitate Sacramenti ſit & forma deſignans principalem cauſam Sacramenti, quæ eſt Trinitas, in cujus virtute fit hoc Sacramentum, & miniſter, qui eſt cauſa inſtrumentalis: eſt pariter & uſus materiæ ſcilicet ablutio in aqua quæ deſignat principalem effectum Sacramenti. Alia verò omnia, quæ in ritu baptizandi obſervat Eccleſia, pertinent ad quamdam ſolemnitatem Sacramenti & ut excitetur devotio fidelium reverentia ad Sacramentum, ut per hoc diſtinguatur iſta ablatio aquæ à communi. Et ut inſtruantur fideles, non enim erudiuntur omnes literis; & ideò erudire oportet illos per aliqua ſigna ſenſibilia: & ut cohibeatur vis dæmonis ab impedimento Sacramentalis effectus, per orationes, benedictiones, & alia hujuſmodi.

l Ibid. cit. art. 10.

Verum hæc omnia, quæ ſpectant ad ſolemnitatem Sacramenti, quamvis non ſint de neceſſitate Sacramenti, non tamen ſunt ſuperflua ait D. Th. (*m*) quia ſunt ad bene eſſe Sacramenti; ſic & veſtis candida traditur utique baptizato, cum non ea ratione, quod non liceat ſed ei aliis veſtibus uti, ſed in ſignum glorioſæ reſurrectionis, ad quam homines per baptiſmum regenerantur, & ad ſignificandam puritatem vitæ, quam debet poſt baptiſmum (*n*) obſervare illud Pauli ad Rom. in novitate vitæ ambulemus.

m Ibid. ad 4.

n Cap. 6.

Pariter, ait Div. Thm. (*o*) uſus aquæ adhibetur in baptiſmo, quaſi pertinens ad ſubſtantiam Sacramenti; & uſus olei, vel chriſmatis adhibetur ad quamdam ſolemnitatem: unde in pectore inungitur, ut per Spiritus Sancti donum errorem, & ignorantiam abiiciat, & fidem rectam ſuſcipiat; vel quaſi athleta Dei, ſicut pugilles inungi conſueverunt; inter ſcapulas, ſive humeros, ut per Spiritus Sancti gratiam excutiant negligentiam, & torporem, & bonam operationem exerceant, fides enim ſine operibus mortua eſt: Unde bene Apoſtolus (*p*) Jacobus dixit, ſicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, Ita & fides ſine operibus mortua eſt. Et hoc fit prius, quàm baptizetur.

o Ibid. ad 2.

p Cap. 2.

Poſt baptiſmum verò ſtatim ſignatur in cerebro, à Presbytero cum Chriſmate, ſequente ſimul & oratione ut Chriſti regni particeps, fiat, vel ut dicit Ambroſius, (*q*) unguentum iſtud ſuper caput diffunditur, ut ſit paratus omni petenti de fide reddere rationem. Ut ſit utique paratus, quia quamvis requiratur & ætas, & ſapientia ad ſolvendas obiectiones, vel infidelium, vel hæreticorum, nihilominus tamen per baptiſmum etiam parvuli, opus eſt, ut parati ſint contra impugnantes veritatem fidei illos oppugnare & reddere rationem fidei, ac proinde mirum non eſt, ſi parvuli inter fideles enumerandi ſunt poſt ſuſceptum baptiſmum; etſi aliqui de hac doctrina male ſentiant, recte ſub judicio anathematis cadunt, ut etiam ſtatuit Concilium Tridentinum, (*r*) ſi quis dixerit parvulos eò quod actum credendi non habent, ſuſcepto baptiſmo inter fideles computandos non eſſe; anathema ſit.

q Lib. 1. de Sacram. cap. 1.

r Seſſ. 7. de bap. can. 3.

Ultra baptiſmum aquæ aſſignatur alia duo baptiſmata, ſcilicet Sanguinis, & fluminis, ſive pœnitentiæ, quæ licet conveniant cum baptiſmo aquæ, quantum ad effectum baptiſmatis, cum jam doceat Div. Thom. (*ſ*) quod præter baptiſmum aquæ poſſit aliquis conſequi Sacramenti effectum ex paſſione Chriſti, in quantum quis ei conformatur pro Chriſto patiendo, juxta illud Apocalyſis, (*t*) hi ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine agni. Et eadem ratione quis per virtutem Spiritus Sancti conſequitur effectum baptiſmi, non ſolum ſine baptiſmo aquæ, ſed etiam ſine baptiſmo ſanguinis in quantum ſcilicet alicujus cor per Spiritum Sanctum movetur ad credendum, & diligendum Deum, & pœnitendum de peccatis, unde etiam dicitur baptiſmus pœnitentiæ: ſicut & dicitur Iſaiæ, (*u*) ſi abluerit Dominus ſordes filiorum Sion, ſanguinem Jeruſalem laverit de medio ejus in ſpiritu judicii, & ardoris. Ac proinde utrumque horum nominatur baptiſmus, in quantum ſupplet vicem baptiſmi aquæ, (ut colligi poteſt ex illo Luce (*x*) de latrone, qui converſus ad Jeſum dixit, Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum; cui dixit Jeſus, hodie mecum eris in Paradiſo; ſic & Auguſtin. dixit (*y*) de baptiſmo parvulorum, baptiſmi vicem aliquando implere paſſionem de latrone illo, cui non baptizato dictum eſt, hodie mecum erit in Paradiſo,) non tamen dicuntur Sacramenta, quia non conveniunt cum baptiſmo aquæ quantum ad rationem ſigni. Pariter hæc omnia ex ſcripturis Sacris manifeſta redduntur, & primò quantum ad baptiſmum fluminis manifeſtatur ex Illo Joannis, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire regnum Dei. Secundò quantum ad baptiſmum flaminis redditur ex illo Actorum, (*z*) orationes tuæ & eleemoſynæ illius nondùm baptizati dicuntur placuiſſe Deo, per ly aſcenderunt in memoriam in conſpectu, Dei. Hinc Auguſt. dixit, meritò Centurio nondum baptizatus Simoni baptizato anteponitur, quia ille etiam ante baptiſmum Spiritu Sancto accepto repletus eſt, at ille etiam poſt baptiſmum Spiritu immundo inflatus eſt. De quibus etiam habetur exemplum in Gen. quod reſpexit Dominus ad Abel, (*a*) & munera ejus; ad Cain verò, & ad munera illius non reſpexit. Quare autem hoc? quia ait Paulus, ad Hebr. fide plurimam (*b*) hoſtiam Abel, quam Cain obtilit Deo, per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe juſtus, (*c*) (ut habetur ex ore Chriſti Domini vocantis Abel juſtum, unde dixit, à ſanguine. Abel juſti &c.) teſtimonium perhibeante muneribus ejus Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur.

ſ 3. p. q. un. num. 11.
t Cap. 7.
u Cap. 4.
x Cap. 23.
y Cap. 10.
z Lib. c. 23.
a Cap. 4.
b Cap. 11.
c Cap. 23.

Nec mirum ſi Cornelius nondum baptizatus Spiritu Sancto repletus fuerit, ſiquidem habetur ex Concil. Trid. (*d*) ſi quis dixerit ſine Sacramentis, aut eorum voto per ſolam fidem homines à Deo gratiam juſtificationis adipiſci, anathema ſit.

d Seſſ. 7.

Tertiò quanam ad baptiſmum ſanguinis apertè videtur ab Eccleſia inſinuatum per hoc, quod celebrat feſtum Sanctæ Emerentianæ martyris die vigeſima tertia Januarii; de hac enim legitur in Breviario noſtro antiquo, Emerentiana virgo Romana adbuc cathecumena fide, & charitate fragrans,

fruen-

Digitized by Google

fruentes in Chriſtianos idolorum cultores, cum vehementius accuſaret, à concitata multitudine lapidibus obruta eſt. Quæ in cruciatibus orans ad ſepulcrum Sanctæ Agnetis, (cui collectanea fuit) proprio ſanguine, quem pro Chriſto conſtanter effudit, baptizata, animam Deo reddidit. Juxta

e In ſup 4. etiam hæc omnia ait Div. Th. (e) quod Beatus Cyprianus non bene documentum aſſumit, quod etiam, atque etiam conſiderans, invenio non tantùm paſſionem pro nomine Chriſti id quod baptiſmo deerat, poſſe ſupplere; ſed etiam fidem, confeſſionemque cordis, ſi forte ad celebrandum myſterium baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt.

Et quamvis alia nominentur baptiſmata, figuralia tamen iſta ſunt, cum diluvium fuerit ſignum noſtri baptiſmi quoad ſalvationem fidelium in Eccleſia, tranſitus verò maris rubri ſignificat noſtrum baptiſmnm quoad liberationem à ſervitute peccati. Hæc poſuit Damaſcenus, qui etiam poſuit ablutiones diverſas, quæ fiebant in veteri lege præfigurantes noſtrum baptiſma quantum ad purgationem peccatorum; & tandem etiam poſuit baptiſmum Joannis, qui ſuit præparatorius ad noſtrum baptiſma. Cæterum inter illa tria baptiſmata fluminis, flaminis, & ſanguinis, videtur eſſe bapriſmus ſanguinis potiſſimus inter alias baptiſmata; cui Div. Auguſt.

f Libr. de Ec. dogm cap. 74. (f) nam loquens de comparatione baptiſmatum dixit, baptizans confitetur fidem ſuam coram Sacerdote, Martyr coram perſecutore, ille poſt confeſſionem aſpergitur aqua, (unde & Sacerdos inſtruere debet eos, doctrinam fidei Chriſtianæ qui in baptiſmo profiteri debent, hunc autem morem inſtitutionis nemo dubitare poteſt, manate à Domini Salvatoris præcepto, nam ille juſſit Apoſtolis, Ite in Mundum Univerſum, & docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis (hic ſanguine; ille per impoſitionem manus Pontificis recipit Spiritum Sanctum, hic templum efficitur Spiritus Sancti;) Non enim ipſe eſt, qui loquitur, ſed Spiritus Sanctus, qui in illo loquitur. Juxta illud, quod Chriſtus

g Cap. 10. Dominus dixit diſcipulis ſuis, Matt. (g) cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini, non enim vos eſtis, qui loquimini ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Teſtis hujus veritatis fidelis fuit Virgo illa Beata Lucia, quæ ad Tyrannum dixit: ancilla Chriſti ſum, qui dixit, quod Spiritus Sanctus loquitur in vobis, & ideò verba Dei ceſſare non poſſunt (Ille confitetur ſe Mundi actibus renunciare, hic ipſis renunciat. Illi peccata remittuntur, iſti extinguuntur.

h q. 66 a. 6, art. 1. 2. Et Div. Thom. (h) effuſio ſangninis pro Chriſto) ubi nota, quod ſi fiet effuſio ſanguinis abſque charitate, & dilectione Chriſti, & Dei, nullatenus habet effectum baptiſmi) & operatio interior Spiritus Sancti dicuntur baptiſmata, in quantum efficiunt effectum baptiſmi aquæ. Baptiſmus autem aquæ efficaciam habet à paſſione Chriſti, & à Spiritu Sancto. Quæ quidem duæ cauſæ operantur in quolibet horum trium baptiſmatum; excellentiſſimè tamen in baptiſmo ſanguinis; qui, ut ait

i Ibid. ad 1 Div. Thom. (i) præeminentiam habet non ſolum ex parte paſſionis Chriſti, ſed etiam ex parte Spiritus Sancti, quamvis eadem præeminentiam non habeat ſecundum rationem Sacramenti, ſed quantum ad Sacramenti effectum. Quod quidem videtur manifeſtum, tùm ex paſſione Chriſti, quæ operatur utique in baptiſmo aquæ per quamdam figuralem repræſentationem, in baptiſmo flaminis per quamdam affectionem, in baptiſmo ſanguinis per imitationem operis; nam Chriſtus pro nobis crucifixus eſt; unde & nos tormenta Crucis ſubire debemus, qua de cauſa Paulus ad Eph. (l) dixit,

l Cap. 5. eſtote imitatores Chriſti. Tùm ex virtute Spiritus Sancti, qui operatur in baptiſmo aquæ per quamdam virtutem latentem, in baptiſmo pœnitentiæ per cordis commotionem, in baptiſmo ſanguinis per potiſſimum dilectionis effectum; juxta illud (m) Joannis, majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis. m Cap. 15.

Super quæſtionem ſexageſimam ſeptimam

De Miniſtris, per quos traditur baptiſmi Sacramentum.

MAximæ neceſſitatis eſſe hoc Sacramentum baptiſmi, & pro tempore, & loco maximæ urgentiæ ad ſalutem animæ conſequendam, jam notum eſt omnibus Chriſtum ſequentibus, cum Ipſemet dicat, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire regnum Dei; hinc eſt, quod prævalente neceſſitate datum eſt omnibus, ſive poſtea ſit Epiſcopus, ſive Sacerdos, ſive Diaconus, ſive clericus, ſive vir, ſive mulier, ſive fidelis, ſive infidelis, dummodo intendat facere, quod facit Eccleſia Catholica, ut conficiatur Sacramentum iſtud. Verumtamen ne in tanta multitudine miniſtrorum pereat ordo, & confuſio inſurgat, triplex ordo aſſignatur circa hujuſmodi perſonas, quæ miniſtri ad hoc Sacramentum conficiendum evadere poſſunt. Primum ordinem tenent Epiſcopi, & Sacerdotes, & vocantur miniſtri ordinarii, quia utuntur jure ſuo, & non extraordinaria poteſtate, ſed illa ordinaria, quæ data fuit à Chriſto Domino Apoſtolis, qui primò Præsbyteri conſtituti fuerunt ab eodem in ultima cœna, deinde ante aſcenſionem ſuam præcipiente illis, euntes baptizate. Poſt aſcenſionem verò in Cœlos ordinati fuerunt in Epiſcopos, utpotè quia traditum ſuit illis docere populos, illos in fide inſeruere, in cujus defenſione corpora ſua tradiderunt voluntati Tyranorum, edocti ab eorum Magiſtro, nolite metuere eos, qui corpus occidunt, (a) nec habent amplias, a Matt. cap. 10 & Luc. cap. 12.
quid faciant, ſed potius timete eum, qui corpus, & animam poteſt perdere in gehennam ignis; & prædicare omnibus unum eſſe Jeſum Chriſtum filium Dei, verùm & baptiſmum, quoniam non ſatis eſt credere in Deum, ſed in nomine Trinitatis deificæ baptiſmum ſuſcipere, quoniam dictum eſt, qui drediderit, & Baptizatus fuerit, ſalvus erit. At quia onus Epiſcopi eſt prædicare, docere, argueret, hinc eſt, quod Sacerdotibus relictum eſt baptiſmum conficere, & miniſtrare cum ſolemnitate, & ex officio illum, ut ſtatutum fuit in Concilio Florentino ſub Eugenio & ut ſtatutum fuit ex doctrina Patrum, quod etiam præſente Epiſcopo Sacerdotes miniſtrare poſſint baptiſmum. Et ratio etiam ſuadet; quoniam cum ſoli Sacerdotes inſtituti ſint ad conficiendam Euchariſtiam, quæ eſt unitatis, & pacis Sacramentum, conſentaneum etiam fuit poteſtatem, iis dari omnia illa adminiſtrandi, per quæ neceſſariò hujus pacis, & unitatis quilibet particeps fieri poſſet. Sic ex Cat. Rom. Quod ſi aliquando antiqui Patres, ut Tertullianus lib. de Baptiſmo, Hieronymus dialogo adverſus Luciferianos dixerunt, Sacerdotes non poſſe ſine commiſſione Epiſcopi ſolemniter baptizare, hoc tamen intelligendum de illo baptiſmo, qui certis anni diebus, ſolemni cæremonia conſueverat in primitiva Eccleſia ab Epiſcopo adminiſtrari, puta in vigilia Paſchatis, vel Pentecoſtes. Vel intelligendum eſt, de ſimplici Sacerdote, qui quamvis in ſua ordinatione receperit poteſtatem baptizandi, ut eam ad praxim reducat, juriſdictione eſſet vel ab illo, cui Epiſcopus commiſerit, uti eſt Parochus, ſibi conceſſa; ut conſtat etiam de Sacramento Pœnitentiæ, utique ſimplex Sacerdos accipit poteſtatem abſolvendi in ſua ordinatione à peccatis, attamen non reducit eam ad praxim, niſi ab Epiſcopo

illi

Digitized by Google

Illi commiſſum fuerit prævio examine.

Secundum ordinem inter miniſtros baptiſmi teoent Diaconi, qui tamen non poteſtate ordinaria, ſed ex ſpeciali commiſſione Sacerdotis, vel Epiſcopi ſolemniter baptizare poteſt, ſic conſtat de Philippo Diacono, qui ab Apoſtolis miſſus eſt ad baptizandum, & prædicandum, nam & baptizavit Simonem magum, & Eunuchum ut habetur ex Actibus *b Cap. 8.* (*b*) Apoſtolorum.

Tertium locum miniſtrorum baptiſmi obtinent cæteri omnes, quicumque illi ſint, & dicuntur miniſtri neceſſitatis, & hoc juxta Concilium Florentinum, in caſu neceſſitatis non ſolùm Sacerdos, vel etiam Diaconus, ſed etiam Laicus, vel mulier, imò etiam paganus, & hæreticus baptizare poſſunt. *c Seſſ. 7. can. 4.* Et Concil. Trid. (*c*) jam ſtatuit, ſi quis dixerit, baptiſmum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, non eſſe verum baptiſmum; anathema ſit. Etſi plures videantur eſſe miniſtri, qui baptizare poſſint, non tamen plures debent ſimul unum baptizare, ſed unus debet eſſe, qui baptizat; Etenim unus eſt Chriſtus, & cum ſit unus, conſequenter oportet eſſe & unum miniſtrum, qui Chriſtum repræſenret. Et quia baptimus eſt quædam ſpiritualis regeneratio, hinc eſt, quod requiritur aliquis, qui levat baptizatum de Sacro fonte, & iſte gerit veluti vicem nutricis, & pædagogi informando, & inſtruendo eum de his omnibus, quæ pertinent ad fidem, & vitam Chriſtianam; nec ſolùm ad hoc tenetur ille, qui levat, & ſuſcipit aliquem de Sacro fonte, verùm etiam tenetur ad habendam curam de ipſo, ſi oeceſſitas jmminert.

Tria, ut dix; ſuot baptiſmata, ſanguinis, flaminis, & fluminis; & quamvis per iſta tria regenerentur homines ad Deum, cum per omnia illa recipiatur gratia, quæ ex Deo eſt, ut cauſa principalis, in cujus virtute, & in virtute Chriſti Domini omnia Sacramenta gratiam conferunt, tamen non in omnibus tribus Baptiſmatibus reqniritur miniſter Eccleſiæ qnilibet ille ſit, ſed etiam requiritur, quod ei extra corpus Eccleſiæ ſit, intendat tamen facere, quod facit Eccleſia, ſicut & determinatum fuit à Sacro Concilio Trident. loco paulò ante citato.

Verùm, quia in omnibus ordo ſervandus eſt, ut *d P. 1. c. 14* etiam videtur eſſe documentum traditum à Paulo Apoſtolo ad Corint. (*d*) dicente omnia autem honeſte, & ſecundum ordinem fiant; hinc eſt, quod nemo audere debet intempeſtive in alienam poſſeſſionem ingredi, vel ſnperbe irrumpere; ſcire ergo unnſquiſque debet, quod triplex eſt ordo miniſtrantium hoc Sacramentum Baptiſmi, Epiſcoporum ſcilicet Sacerdotum, Diaconorum; nam videmus, quod & Chriſtum Dominum Apoſtolis dixerit, euntes baptizate, licet poſtea Epiſcopi, ne graviorem illam docendi populi curam deſerere cogerentur, baptiſmi miniſterium Sacerdotibus relinquere ſoliti eſſent: Exemplum deſumptum ex Paulo ad Corint. *e P. 1. ca. 1.* (*e*) non enim miſit me Dominus baptizare, ſed *f Cap. 9.* Evangelizare (*f*) ſicut deſumitur ex illo Actorum, vas electionis eſt mihi iſte, ut poteſt nomen meum *g 3 p. q. 67 art. 1. ad 1.* coram gentibus, & regibus, & Filiis Iſrael. Et Div. Thom. (*g*) docet, quod utrumque nfficium ſcilicet docendi, & baptizandi Dominus inunxit Apoſtolis (Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.) quorum vicem gerunt Epiſcopi, aliter tamen, & aliter; Etenim officium docendi commiſit eis Chriſtus, nt ipſi per ſe iilud exercerent, tan- *h Cap. 10.* quam principaliſſimum, ſic babetur ex illo Matt. (*h*) Enntes autem prædicate dicentes, appropinquavit regnum Cœlorum; & ex illo Marci Euntes *i Cap. 16.* (*i*) in Mundum Univerſum prædicare Evangelium omni creaturæ. Et ex illorum Actorum, præcepit *l Cap. 10.* (*l*) nobis prædicare populo, & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo judex vivorum, & mortuorum; qua de cauſa dixerunt Apoſtoli, (*m*) noo *m Cap. 6.* eſt æquum nos relinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Officium autem beptizandi commiſit Apoſtolis, ut per alios exercendum; habemus hoc manifeſtum, exillo Pauli, non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare. In cujus ſignum nec ipſe Dominus, qui eſt ſummus Pontifex, baptizavit, ſed diſcipuli ejus, ut habetur ex Joanne, quamquam Je- *n Cap. 4.* ſus (*n*) non baptizaret, ſed diſcipuli ejus; per quod tamen non exclnditur, inqnit Div. Tho. quod etiam Epiſcopi oon poſſint baptizare, quia quod poteſt poteſtas ioferior, poteſt & ſuperior; & quod ita ſit, videtur aperte Paulum quoſdam baptizaiſe, ut ipſe teſtatur, ad Corint. (*o*) ibid. baptizavi & Stephanæ do- *o Ibid. 1. cap. 1.* mum: cæterum neſcio, ſi quem alium baptizaverim.

Ex iis jam ſequitur, quod Sacerdotes jure ſuo hanc functionem baptizandi exercent; itant præſente etiam *p l. 2. de Officiis c. 24.* Epiſcopo miniſtrare baptiſmum poſſint; certum eſt; Unde Iſidorus etiam (*p*) dixit, conſtat baptiſma ſolis Sacerdotibus eſſe traditum; & Div. Ambroſius, venit (*q*) Sacerdos ad fontem, dicit precem, invocat *q de Sacr.* nomen Patris, & Filii, & Spiritns Sancti, utitur verbis cœleſtibus, cœleſtia ſunt verba, quæ Chriſti ſunt. *r Ibid. ar. 2.*

Deſumitur ex Div. Th. (*r*) Sacerdotes ad hoc conſecrantur, ut Sacramentum corporis Chriſti conficiant, quod eſt Sacramentum Eccleſiaſticæ unitatis, juxta illud Pauli ad Corint. (*ſ*) quia unus panis, & *ſ P. ca. 10.* unum corpus multi ſumus, omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus; per baptiſmum autem aliquis fit particeps Eccleſiaſticæ unitatis, unde & accipit jus accedendi ad menſam Domini: & ideò ſicut ad Sacerdotem pertinet conſecrare Euchariſtiam, ita ad proprium officinm Sacerdotis pertinet baptizare, cum ejuſdem videatut eſſe operari totum, & partem in totum diſponere.

At quamvis proprius, & ordinarius baptiſmi miniſter ſit Sacerdos nihilominus tamen in abſentia Sacerdotis, & Diacono neceſſitate cogente committitur poteſtas baptizandi, ſicut habetur ex Gelaſio Papa dicente, Diaconns proptiam conſtitnimus obſervare menſuram; & ioſra, abſque Epiſcopo, vel Præſbytero baptizare non audeant, niſi prædictis ordinibus longiùs conſtitutis neceſſitas extremum compellat; ut iegimus de Philippo Diacono, qui baptizavit Eunuchum, non tantùm ex officio ſuo, ſed abſentibus Apoſtolis, & in caſu neceſſitatis.

Et Diooyſius, (*t*) baptiſmus non ſolùm habet pur- *t Lib. Eccl. hier.* gativam, verum etiam purgativam virtutem, & ideò excedit officium Diaconi, ad qnem pertinet ſolùm purgare, ſcilicet vei repellendos immundos, vel eos diſponendo ad Sacramenti ſuſceptionem. ex Div. Th. (*u*) baptiſmus eſt Sacramentum neceſ- *u Qu. cit. art. 1. ad 1.* ſitatis, & ideò permittitur Diaconibus neceſſitate urgente in abſentia majorum baptizare, & hoc modo beatus Laurentius Diaconus exiſtens baptizavit. Vide ergo tu, quomodo ad Diaconum pertinet, noo quaſi ex officio proprio tradere Sacramentum baptiſmi, ſed in collatione hujus Sacramenti, & aliorum aſſiſtere, & miniſtrare majoribus, ſicut dixit Iſidorus, ad Diaconum pertinet aſſiſtere, ei miniſtrare Sacerdotibus, in omnibus quæ aguntur in Sacramentis Chriſti, in baptiſmo, ſcilicet in Chriſmate, in patena, & calice.

Ex ſcripturis etiam hoc patet; nam legitur Matt. (*x*) dominum dixiſſe, euntes docete, &c. conſtat *x Cap. ult.* autem hoc dixiſſe non ſolùm Apoſtolis, ſed & diſcipuli, non verò aliis. Unde cum Epiſcopi in locum Apoſtoiorum, & Præsbyteri in locum ſeptuaginta duorum diſcipulorum ſuccedant, (juxta etiam illud, quod docet Div. Thom. (*y*) baptizare pertinet ad minores Principes Eccleſiæ ſcilicet ad Præſ- *y Cap. 10.* byteros, qui tenent locum ſeptuagiota duorum diſcipulorum Chriſti, juxta verbum, Do- *z Ibid. art. ad 2.* mini Jeſu dicentis Lucæ, (*z*) deſignavit Domi-

nus

Digitized by Google

nus, & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos ante faciem ſuam) reſtat dicendum, quod illi ſolis Epiſcopis, & Præsbyteris, non verò Diaconibus mandaverit Dominus baptizare, ac per conſequens ipſis non convenire ex proprio officio baptiſmum conferre, ſed ſolùm neceſſitate urgente.

In quo caſu, dùm urget ſ. neceſſitas, etiam Clerico hoc officium committitur, immò & Laico, ſive ſit vir, ſive fęmina, ſive, quod majus eſt, ſit non baptizatus.

De Laico habetur ex Gelaſio Papa, & ex D. Iſidoro dicentibus baptizare neceſſitate imminente laicis Chriſtianis plerumque conceditur, Habetur à ſimili ex illo Matt. (a) quo in locò Chriſtus Dominus dixit
a cap. 12. Phariſæis, non legiſtis, quid fecerit David, quando eſurit, & qui cum eo erant? Quomodo intravit in Domum Dei, & panes propoſitionis comedit, quos non licebat ei edere, neque is, qui cum eo erant, niſi ſolis Sacerdotibus? in quibus verbis demonſtrare voluit, quod quædam ſunt ſolis Sacerdotibus licita univerſaliter, quæ tamen laicis, aliàs eis illicita, in caſu neceſſitatis etiam corporalis licita ſunt, ſiquidem certum eſt, Deum non feciſſe Sabbatum propter hominem, ſed hominem propter Sabbatum, ergo ſi pro ſalute corporali caſus neceſſitatis facit licitum laicis id, quod ſolis Sacerdotibus dempto illo caſu eſt licitum, multò magis pro ſalute ſpirituali, & tanta qualem, ac quantum concernit baptiſmus, caſus neceſſitatis de univerſaliter illicito laicis faciet licitum eiſdem, & quod ſolis Sacerdotibus ex officio conveniebat, communicabit pro neceſſitate laicis.

b q. 65. a. 3. Denique habetur ex doctrina Divi Thomæ docentis, (b) inter omnia Sacramenta maximę neceſſitatis eſt baptiſmus, qui eſt regeneratio hominis ad vitam ſpiritualem; & ideò in hoc debemus admirari ſummam bonitatem, & ſapientiam Dei, immò & maximam miſericordiam ejuſdem, qui vult omnes ſalvos fieri, quia etiam ita bene diſpoſuit, ut in his, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, homo de facili remedium inveniat, nam & pueris aliter omninò ſubveniri non poteſt, & adulti non poſſunt aliter, quàm per baptiſmum plenam remiſſionem conſequi, & quantum ad culpam, & quantum ad pęnam. Idcircò cum hoc Sacramentum ſit ab hominibus neceſſariò percipiendum, hinc eſt, quod inſtitutum eſt à Deo, ut homo circa remedium tàm neceſſarium defectum pati non poſſit, ut & materia baptiſmi ſit communis, ſ. aqua; & miniſter baptiſmi etiam ſit quicumque non ordinatus, ne propter defectum baptiſmi homo ſalutis ſuæ diſpendium patiatur.

Ultrà quàm neceſſitatem laicus baptizando peccavet, licet Sacramentum baptiſmi conferret, nec rebaptizandus eſſet ille, qui ſic baptizatus eſt. Et hoc quia licet baptizare pertineat ad ordinem Sacerdotalem ſecundum quamdam convenientiam, & ſolemnitatem, quas cæremonias non omnibus licet adhibere, hoc tamen non eſt de neceſſitate Sacramenti;
a ib. ad 2. hæc omnia confirmat Divus Thomas, (c) illa, inquit, Sacramentalia baptiſmi pertinent ad ſolemnitatem, (uti ſunt catechizare, exorcizare, & aquam baptiſmalem benedicere,) non autem ad neceſſitatem baptiſmi; ideòque fieri non debent, nec poſſunt à laico, ſed ſolùm à Sacerdote, cujus eſt ſolemniter baptizare.

Hoc idem dicitur de muliere, quæ utique baptizare poteſt in articulo neceſſitatis, ut habetur ex Urba-
d 30. q. 1 no Papa in decretis, (d) ſuper quibus conſuluit nos tua dilectio, hoc videtur nobis hac ſententia reſpondendum, ut baptiſmus ſit, ſi inſtante neceſſitate fęmina puerum in nomine Sanctæ Trinitatis baptizaverit. Videtur ergo, quod non ſit major ratio de maſculo, ac de fœmina in Chriſto enim non eſt maſculus, neque fœmina, inquit Apoſtolus ad Galat. &
e cap. 3. iden ait Divus Thomas, (e) ſicut maſculus laicus
f q. 67. a. 4 baptizare poteſt, quaſi miniſter Chriſti, (qui eſt principaliter baptizans, juxta illud Ioannis (g) ſuper
g cap. 1.
quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem, hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto) ita etiam & fęmina, & ſicut laicus extra caſum neceſſitatis baptizando peccaret, ita & fęmina, & ſicut baptizatus à laico extra illum caſum rebaptizandus non eſſet, ita nec baptizatus à fęmina. Quæ tamen baptizare non debet, ſi marea adſint, cum, ut ait Paulus ad h 1. cap. 11.
Corinth. (h) caput mulieris ſit vir, & caput viri ſit Chriſtus; ſicut nec laicus præſente Clerico, nec Clericus præſente Sacerdote, qui utique baptizare poteſt præſente Epiſcopo, cum hoc pertineat ad officium Sacerdotis, ad quem ſpectat, cum ſolemnitate baptizare. Nam, inquit Divus Thomas, quando baptiſmus ſolemniter, & ordinariè celebratur debet aliquis Sacramentum baptiſmi ſuſcipere à Presbytero curam animarum habente, vel ab aliquo vice ejus. Hoc tamen non requiritur in articulo neceſſitatis, in quo mulier baptizare poteſt.

Nota, quod obſtetrices, quæ baptizare conſueverunt, improbandæ non ſunt, ſi interdum pręſente aliquo viro, qui hujus Sacramenti conficiendi minimè peritus ſit, ipſę exequantur.

At ne tantùm propter hoc, verùm etiam quia in earum miniſterio, quod eſt obſtare doloribus (etenim obſtetrices ab oſtando dictæ ſunt) & ne laxatis uteri genitalibus clauſtris in terram defluant, & recipere partum, in cujus receptione, vel ob aliquod impedimentum originatum ex debilitate parturientis, vel cauſatum ex infirmitate ejuſdem in conceptione fœtus, vel ex aliquo alio accidente poteſt è vita deficere, dùm in lucem emittitur partus, & de ſepulchro in ſepulchrum tranſire; hinc eſt, quod eiſdem permittitur etiam præſente viro baptizare ſtatim, ac partus naſcitur, cum non permittatur viro accedere ad illud opus perpetrandum, niſi in caſu ſummæ indigentiæ.

At quia in Chriſto cum non ſolùm non ſit maſculus, neque fęmina, verùm etiam non ſit Iudæus, neque Græcus, hinc eſt, quod etiam ſi non ſit baptizatus, poteſt Sacramentum baptiſmi conferre, dummodo neceſſitas cogat, & intendat facere, quod Eccleſia Catholica in tali adminiſtratione facit.
Unde Divus Thomas (i) ille, qui non eſt baptizatus, quamvis non pertineat ad Eccleſiam re, vel i q. 67. ar. 5.
Sacramento, poteſt tamen ad eam pertinere intentione, & ſimilitudine actus, in quantum ſ. intendit facere, quod Eccleſia facit, & forma Eccleſiæ in baptizando ſervat, & ſic operatur, ut miniſter Chriſti, qui virtutem ſuam non alligavit baptizatis. Et D. Iſidorus dicit, quod Romanus Pontifex non hominem judicat, qui baptizat, ſed Spiritum Dei ſubminiſtrare gratiam baptiſmi, licet paganus ſit, qui
baptizat Rurſus D. Thomas docet, (l) homo ba- l ib. ad 1.
ptizans adhibet tantummodo miniſterium exterius, ſed Chriſtus eſt, qui interius baptizat; & ideò poteſt uti omnibus hominibus, ad quodcumq; voluerit cum ſit Dominus omnium, & ut ait Apoſtolus ad Galat. loc. cit. qui poſtquam dixerit, non eſt Iudæus, neque Græcus, &c. ſubdit, omnes enim vos unum eſtis in Chriſto. Et Nicolaus Papa dixit, baptiſmus non eſt illorum, ſc. baptizantium, ſed ejus ſcil. Chriſti. Unde nihil refert, ſi qui baptizat, ſit fidelis, ſive infidelis, paganus, vel gentilis, dummodo in nomine Sanctæ Trinitatis baptizet, cum hoc ſit etiam determinatum ab Eccleſia. Quapropter Nicolaus
Papa hoc idem confirmat, dum dixit, à quodam m de Con ſecr. d. 4. ad Conſulta Bulg. c. 4.
(m) Judæo, neſcitis, utrum Chriſtiano, an Pagano, multos in patria veſtra baptizatos aſſeritis, & quid inde ſit agendum, conſulitis. Hi profectò, ſi in nomine Trinitatis baptizati ſunt, rebaptizari non debent; ſi autem forma Eccleſiæ non fuerit obſervata, Sacramentum baptiſmi non confertur.

Quo pacto etiam intelligendum eſt illud Gregorii ſecundi, quod à paganis baptizatos eſſe aſſeruiſti, (ita ſcripſit ad Bonifacium Epiſcopum) ſcil. Eccleſiæ forma non ſervata, ut de novo baptizet in nomine Trinitatis, mandamus baptiſmi Sacramentum ex eo, quod ſive vir, ſive mulier, ſive non baptizatus

zatus

Digitized by Google

zatus poſſit conferre, non tamen ſequitur, quod poſſint plures ſimul unum baptizare, cum Sacramentum baptiſmi præcipuè habeat virtutem ex forma, n cap. 5. quam Apoſtolus (n) nominat verbum vitæ, cum ait ad Eph. mundans eam, Eccleſiam ſcilicet, vel Eccleſiæ membra, lavacro aquæ, per quam tollitur præcipuè peccatum originale, in verbo vitæ; non enim ſufficit aqua, quæ eſt materia, ad mundandos fideles à peccatis, ſed requiritur & forma, quæ ſunt verba, ut ſanctificatio fiat, & anima ſancta reddatur; hæc autem omnia fieri debent ab uno miniſtro, qui etſi baptizet, baptizat tamen non propria virtute, ſed virtute Chriſti, qui cum ſit unus, (ut habetur ex Paulo ad Timot. (o) unus enim Deus, o 1. cap. 2. unus & mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus;) per unum miniſtrum perficit ſuum opus; non ergo plures ſimul debent baptizare, aliàs ſi hoc eſſet, uterentur hac forma, nos te baptizamus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; & hæc forma videtur eſſe contra rationem miniſterii, quia p q. art. 67. art. 6. ut ait Div. Th. (p) homo non baptizat, niſi ut miniſter Chriſti, & vicem ejus gerens; & quia unus eſt Chriſtus, opus eſt etiam, quod ſit unus miniſter, qui Chriſtum repræſentet, propter quod dicitur, unus Dominus, una fides, unum baptiſma, ideoque contraria intentio videtur excludere baptiſmi Sacramentum.

Verùm ſi uterque diceret, ego te baptizo &c. uterque utiquè exprimeret ſuam intentionem, quaſi ipſe ſingulariter baptiſmum conferret, quod poſſet contingere in caſu contentiôſo, at Div. Thom. relinquit tanquam certum, quod ille, qui prius verba proferret, daret baptiſmi Sacramentum, & alius nihil faceret pronunciando verba, immò eſſet puniendus, ut rebaptizator. Sicut ambo eſſent puniendi de inordinato modo baptizandi, ſi omninò ſimul verba proferrent, & hominem immergerent, aut aſpergerent, non tamen eſſent puniendi de iteratione baptiſmi, cum uterque jam intenderet non baptizatum baptizare; & uterque, quantum in ſe eſt, baptizaret, & ſic per utrumque unum Sacramentum reſultaret. Quod tamen non currit de duobus, quorum unus eſſet mutus, & alter manibus careret; & mutus actum baptiſmi exerceret, & mutilatus verba proferret; tunc enim certum eſt, q ib. ad 3. ait Div. Thom. (q) quod neque ille, qui tantùm verba profert, neque ille, qui immergit, baptizat, eò quia integritas baptiſmi conſiſtit & in forma verborum, & in uſu materiæ; ac proinde ſi unus verba proferret, & alter immergeret, nulla forma verborum eſſet conveniens; neque enim dici poterit, ego te baptizo, cum non immergat; igitur videtur, quod ille, quamvis in articulo neceſſitatis ſit poſitus ob ſubitum periculum mortis, in tali caſu baptizatus non eſſet.

At quia poteſt dari caſus, quod plures eſſent baptizandi, & non eſſet, niſi unus miniſter, & ſi ne ſtatim baptizarentur, decederent è vita ſine baptiſmo ob imminentem ruinam, vel ob alia pericula imminentia, quæ non paterentur moram, ideò ut omnes iſti ſalventur in tali caſu, qui eſt maximæ neceſſitatis, unus poſſet ſimul plures baptizare ſub hac forma, ego vos baptizo r ib. ad 2. &c. Nec per hoc, inquit Div. Th. (r) diverſificaretur forma Eccleſiæ, quia plurale non eſt, niſi ſingulare geminatum, ut deſumitur etiam ex Matt. dum dixit Dominus, baptizantes eos &c. Sic Div. Thom. qui approbando omnia, quæ jam dicta ſunt, aſſignat diſparitatem, quæ reperitur inter baptizantem, & baptizatum, vult enim, quod baptizans ſit tantùm unus cum Chriſto, qui principaliter baptizat, & quòd baptizati etiamſi ſint multi, hoc non officit, ad Sacramentum baptiſmi, cum multi per baptiſmum unum ſ cap. 3. efficiantur in Chriſto; juxta illud Pauli ad Galat. (ſ) omnes enim vos unum eſtis in Chriſto; & ut etiam tetigimus de illis quinque millibus, & tria millibus, qui baptizati fuerunt ab Apoſtolis una die, non enim videtur credibile, quod ſingulos ſinguli baptizarent. Et hæc quoad miniſtros baptiſmum conficientes.

Ultrà tamen hos miniſtros adſunt & alii, qui Patrini nuncupantur modò, eò quia temporibus anteactis, (t) (Tertuliano teſte) vocabantur ſuſceptores, ſponſores, & fidejuſſores, de quo & Div. Auguſt. ut infrà videbimus, & iſti ſunt, qui ad ſanctam, & ſalutarem ablutionem celebrandam adhiberi ſolent ex vetuſtiſſima Eccleſiæ Catholicæ conſuetudine. t Libr. de bapt. ca. 1. & de ſer. mult. c. 3. Immò ſi attendamus ad verba Domini, Matt. (u) dicentis, docete omnes gentes, baptizantes eos &c. docentes eos ſervare omnia, quæ mandavi vobis, jam hoc colligimus: u cap. ult. Unde illi, per quos executioni illud mandare intendunt Sacerdotes erga à ſe baptizatos, Patrini vocantur, & hi ſunt, qui de ſacro fonte baptizatos levant. Quibus, laicis tamen, & non Prælatis, hoc officium committitur inſtruendi ſcilicet baptizatos in iis, quæ ſunt fidei. Non Prælatis, cum iſtis tantùm temporis non ſuperſit, ut privatam illam curam pueros inſtruendi & in fide erudiendi ſuſcipere poſſint; quod deſumitur ex Div. Dionyſio de Cœleſt. Hierarc. x cap. 2. (x) Sacerdotes, inquit aſſumentes baptizatum, tradunt eum adductionis ſuſceptori, & duci; & ideò relinquitur, ait Div. Thom. quod aliquis ſuſcipiat baptizatum de ſacro fonte, quaſi in ſuam inſtructionem, & tutelam. Et hoc eſt, quod Dionyſius dicit Ibidem, (y) divinis noſtris ducibus, ſcilicet Apoſtolis, in y 9u. cit. ar. 7. in c. mentem venit, & viſum eſt, ſuſcipere infantes ſecundum iſtum ſanctum modum, quod naturales parentes pueri traderent puerum cuidam docto in divinis, veluti pædagogo, ſub quo, ſicut ſub divino patre, & ſalvationis ſanctæ ſuſceptore reliquum vitæ puer degeret. z 3. p. c. 3. Et hinc eſt, quod & Concilium Trident. ſeſſ. 24. can. 2. ſic ſtatuit, quod unus tantùm, ſive vir, ſive mulier juxta Sacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus, & una baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant.

Deinde Parochus, ibidem, antequam ad baptiſmum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant, & eos, vel eum tantùm ad illum ſuſcipiendum admittant; quàm ſi alii ultrà deſignatos baptizatum tetigerit, cognatione ſpirituali nullo modo contrahant.

Et ſano modo hoc determinatum fuiſſe videtur, tùm quia diſciplinæ, atque inſtitutionis ordo à multitudine magiſtrorum perturbari poterat; tùm quia providere oportebat, ne inter plures hujuſmodi affinitates conjungerentur, quæ impedirent, quo minùs legitimo matrimonii vinculo hominum inter homines ſocietates latiùs diffunderentur. Et rurſus ex Div. Tho. (a) hoc a q. cit. 67. art 7. meritò determinatum fuit, nam docet, baptiſmum eſſe quamdam ſpiritualem regenerationem, per quam filii Dei naſcimur, de qua habetur illud Petri, ſicut b P. cap. 2. modò geniti infantes rationabiles ſine dolo lac concupiſcite; & ideò quodammodo iſta ſpiritualis regeneratio aſſimilatur generationi carnali. Et de facto videmus, quod in generatione carnali parvulus nuper natus indiget nutrice, & pædagogo, quorum ope, atque opera educatur, ac doctrina, & bonis actibus erudiatur: ita & in ſpirituali regeneratione baptiſmi requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis, & pædagogi informando, & inſtruendo eum, quaſi novitium in fide de his, quæ pertinent ad fidem, & vitam Chriſtianam, & hoc uſque dùm viri perfecti, juvante Deo, evadant.

Confirmat hoc idem Div. Thom. (c) licet in genec ib. ad 2. ratione carnali non requiratur ex neceſſitate, niſi Pater, ac mater, nihilominus tamen ad facilem partum, & educationem pueri convenientem requiritur obſtetrix, & nutrix, & pædagogus, quorum vicem implet in baptiſmo ille, qui puerum de ſacro fonte levat. Verùm non eſt de neceſſitate Sacramenti, cum unus ſolus poſſit in aqua baptizare, neceſſitate imminente juxta ſententiam Higinii Papæ dicentis, in Catechiſmo, in Baptiſmo, & in Confirmatione unus patrinus fieri poteſt, ſi neceſſitas cogit, non tamen eſt conſuetudo Romana, ſed ut per ſingulos ſingula ſuſcipiant.

Digitized by Google

Nec irridendum eſt, ſi videatur, quod adulti baptizati, qui per ſeipſos ſuſtentare puſſunt, & de Sacro ſonte exire, ab alio ſuſcipiantur: ſiquidem baptizati à Patrinis non ſuſcipiuntur de ſacro fonte propter imbecillitatem corporalem, quam non habeot adulti, ſed ſolùm ob imbecillitatem ſpiritualem, quàm non habent, utpotè quia noodùm ſunt inter membra Chriſti enumerati per baptiſmum.

A patrinis ſuſcipiuntur nondùm regenerati in Chriſto Jeſu per lavacrum aquæ in verbo vitæ. Verùm non ſolùm ſuſcipi debent, & elevati de ſacro ſonte, ut mos eſt, verùm etiam illos inſtruere io fide, in dilectione, In charitate, ut Deum ſummuperè diligant, ut proximum ſuum ament, ut ea, quæ ſunt apta, ſectari, & quæ mala, reſpuere, ſed calamitas bodierna eſt, aſpicere, quod ea, quæ ſunt prima radix, primum fundamentum, ac baſis noſtræ reparationis, & ſalutis, ad vanitatem ſunt reducta; etenim videmus, quod magis patrini aſſumuntur à parentibus ad pompam ſecularem, quàm ut verè ſint pædagogi in fide ad educandos in eadem pueros; & hinc ſequitur remanere tantùm nomen Patrini, & non ad quod ſignificandum hoc nomen impoſitum fuit. Et de facto, (utinam pro magiſtra experientiam non haberemus?) multi ſunt patrioi, qui neſciunt, ad quid teneantur ex vi muneris ſuſcepti, neſciunt ſe eſſe lege ubitrictos, ut filios ſpirituales perpetuò commendatos habeaot; neſciuot, quomodo in iis, quæ ad Chriſtianæ vitæ inſtitutionem ſpectant, neſciunt, quanta diligentia uti debent, ut illi tales ſe omni tempore præbeant, quales eos futuros eſſe ſolemni cæremonia ſpoponderunt.

At ut ignorantia ne gravet conſcientiam eorum, damus illis tale documeotum conſiſtens in ſcientia eorum, quæ agenda ſuot circa hoc laudabile miniſterium; fundamentum hujus eſt dictum Dionyſii de Celeſti Hierarch. (d) de hac re ſcribentis;
d 3 p. 9. & verba ſponſoris exprimentis, ſpondeo puerum inducturum, cum ad ſacram intelligentiam venerit ſedulis adhortationibus meis, ut abrenunciet contrariis omninò, profiteatur, peragatque divina, quæ pollicetur.

Percipiant auribus, & corde teneant illud, quod dixit Auguſtinus de Conſecr. (e) vos ante omnia,
e d 4. cap. vos ante omnia. tàm viros, quàm mulieres, qui filios in baptiſmate ſuſcepiſtis, moneo, ut vos cognoſcatis fidejuſſores apud Deum extitiſſe pro illis, quo viſi eſtis de ſacro fonte ſuſcipere: fidejuſſores utique, nam ut tales debent eos admonere, ut caſtitatem cuſtodiant, juſtitiam diligant; charitatem teneant; ante omnia ſymbolum Apoſtulorum, in quo continentur præcipua myſteria fidei noſtræ, ſine qua ſicut nullus dicitur fidelis Chriſtianus, ita ſine ipſa nullus videtur acce-
f cap. 2. ptus Deo, teſte Paulo ad Hæbr (f) ſine fide impoſſibile eſt placere Deo; ut ergo Deo placeamus, oportet credere, quod Deus eſt unus, & trinus; Unus in eſſentia, & trinus in perſonis; Propterea dicitur in illo, credo in unum Deum, hoc enim eſt primum, quod debent credere fideles, quod ſcilicet ſit unus Deus, hoc eſt unus ſummus proviſor, & gubernator rerum omnium, immò & creator cœli, & terræ, ſub quibus omnia tàm viſibilia, quàm inviſibilia comprehenduntur. Patrem omnipotentem, & in Jeſum Chriſtum Filius ejus unicum Dominum noſtrum, Credo in Spiritum Sanctum; confiteri namque debemus unum ſolùm Deum eſſe, cum & ipſe dixerit, Ego ſum ſolus, & non eſt alius Deus præter
g Deuter. 6, 32. me, & fateri Trinitatem in perſonis, nempe Patrem ingenitum, Filium ejus unigenitum, & Spiritum Sanctum paracletum, & quamvis ſit alia perſona Patris, alia filii, alia Spiritus Sancti, tamen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, una eſt divinitas, æqualis gloria, coæterna majeſtas. Unde Pater nunquam ſine Filio fuit, & Spiritus Sanctus ab æterno ab utroque procedit,

Continetur Myſterium Incarnationis filii Dei, quod eſt magnum, atque admirabile Myſterium noſtræ reparationis, ac redemptionis. Deſcendit de cœlis Deus verus à Patre genitus; deſcendi, & ipſe dixit, de cœlo (b) non ut faciam voluntatem meam, h Jo. c. 6.
ſed voluntatem ejus, qui miſit me; & intravit in uterum Virginis, (i) nam & Verbum Caro factum eſt, i Io. cap. 1.
& habitavit in nobis, ut appareret viſibilis, indutus carne humana, (in ſimilitudinem hominum factus, formam ſervi accipiens.) à protoparente edita, ut nos liberaret de poteſtate diaboli: ſub qua eramus gementes per peccatum à protoplaſto noſtro contractum, unde Joannes exclamavit (l) dicens; ecce agnus l cap. 1.
Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi, nec tantùm tulit peccatum Mundi, nec tantum tulit peccatum, verùm etiam, & languores noſtros, & dolores noſtros ipſe portavit, propterea dicitur, paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus; hæc omnia operatus eſt Jeſus, ut nos redimeret, quoniam, ut benè ait Gregorius, nihil nobis naſci profuit, niſi redimi profuiſſet.

Paſſus, & crucifixus, non quando Judæi quærebant eum, ut interficerent, ſed quando ipſe voluit, oblatus eſt, quia ipſe voluit, ut ſtet illud Joannis, (m) quærebant ergo eum apprehendere, & nemo m cap. 7.
miſit in illum manum, quia nondùm venerat hora ejus; Interfecerunt ergo eum Judæi, at non eſt mortuus ſecundum divinitatem, benè verò ſecundum humanitatem, quam aſſumpſit; & idcircò credere debemus, non quod Chriſtus ita ſuſtinuerit mortem, ut Deitas mortua ſit, ſed quod humana natura in ipſo mortua ſit. Sepultus, de qua tamen ſepultura benè prophetavit Iſa. (n) & erit ſepulchrum ejus gloriosum. n cap. 11.

Deſcendit ad inferos, ut liberaret ſanctos, qui erant in inferno Quoniam Chriſtus ſicut voluit pati mortem, ut liberaret viventes à morte, ita etiam voluit deſcendere ad infernum, ut liberaret eos, qui erant ibid. Zachar. (o) Tu quoque in ſanguine teſta- o cap. 9.
menti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua. Deſcendit ad inferos, nec omnes ibi liberavit, ſed ſolùm illis, qui ſine peccato mortali erant; ſicut & illos, qui ſine peccato originali erant; ſed pro re peccatum naturæ; propterea dicitur in Oſea, (p) p cap. 13.
ò mors ero mors tua, morſus tuus ero inferne? Etenim quamvis mortem totaliter deſtruxerit Chriſtus, ut canit Eccleſia, qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, attamen infernum non omninò deſtruxit, ſed momordit, quia partem inde abſtulit; ſ. non omnes, ſed Sanctos Patres.

Tertia die reſurrexit à mortuis, ſecundum verba q cap. 18.
Domini Jeſu in Luc. (q) & poſtquam flagellaverint, occident eum, & tertia die reſurget; Propria tamen virtute reſurrexit, quia non ſolùm erat homo, ſed etiam Deus; & divinitas Verbi numquam ſeparata fuit, nec ab anima, nec à corpore, & conſequenter corpus animam, & anima corpus, quando voluit, reſumpſit hinc in Joannem dixit, (r) poteſta- r cap. 10.
tem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Unde & dicitur Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi non dominabitur, ut denotetur non ad preces alicujus reſurrexiſſe, ut conſtat de multis, qui quamvis ſurrexerint, non ſurrexerunt tamen propria virtute, ſed virtute Chriſti, qui plures reſuſcitare fecit, vel ad preces multorum Sanctorum, nam conſtat plures reſuſcitatos fuiſſe precibus Sanctorum; ſed propria virtute, quoniam Deus, & homo erat ipſe Chriſtus, qui verè filius Dei erat, ut Centurio confeſſus fuit, verè filius Dei erat iſte, ut legitur in ſ cap. 27
Matt.

Aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Dei Pa- t cap. ult.
tris Omnipotentis: (t) juxta illud Marci, & Dominus quidem Jeſus poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in Cælum, & ſedet à dextris Dei, & de ejus aſcenſione in Cælum, teſtes ſunt omnes Apoſtuli, (u) ut ſcriptum eſt in Actibus u cap. 1
Apoſtolorum, videntibus illis elevatus eſt, &

nubes

& nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Aſcendit, & ipſe dixit in Joann. (x) aſcendo ad Patrem meum, x cap. 20 per naturam, videlicet, & Patrem veſtrum, per gratiam, ſcil. Immò & dixit in Joannem (y) & nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius y cap. 3 hominis, qui eſt in cœlo: quod ſi Sancti cœlum aſcendunt, hoc non fit, niſi quia attracti ſunt à Chriſto, qui eſt caput Eccleſiæ, illi verò membra Chriſti. Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis; Hoc dicitur, non quod intelligi debeat quaſi corporaliter in Deo dextera, ſed metaphoricè; etenim in quantum Deus, dicitur ſedere ad dexteram Patris; id eſt ad æqualitatem Patris. In quantum verò homo, ſedet ad dexteram Patris, ſcil. in potioribus bonis: hic & Stephanus intendens in Cœlum vidit gloriam Dei, & Jeſum ſtantem à dextris Dei. Unde dixit in Actibus Apoſtolorum, Ecce video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei.

Niſi etiam dicamus, quod nomine dexteræ & poteſt intelligi gloria divinitatis, in quo ſenſu Damaſcenus ait, dexteram Patris dicimus gloriam, & honorem divinitatis, in qua Filius Dei extitit ante ſecula, ut Deus, & Patri conſubſtantialis; & poteſt intelligi Patris Beatitudo, juxta Auguſtinum, ſic Chriſtum credite habitare in dextera Dei Patris, & poteſt intelligi judiciaria poteſtas, unde Auguſtinus, ipſam dexteram intelligite ipſam poteſtatem, quam accepit ille homo à Deo ſuſceptus, ut veniat judicaturus, qui prius venerat judicari. Propterea ſubditur in ſymbolo.

Inde venturus eſt judicare vivos, & mortuos. Ad ipſum Chriſtum, qui aſcendit in Cœlum, ſicut Rex gloriæ, qui ſedet ad dexteram Dei, ſicut Filius hominis, ſpectat judicium facere; ſecundum illud Luc. (a) tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & majeſtate: immò & in Acti- a cap. 21 bus Apoſtolorum (b) hoc exprimitur, hic Jeſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet; quemadmodum vidiſtis eum euntem in Cœlum, ſic Angeli: b cap. 1. & Apoſtoli dixerunt ibidem, (c) præcepit nobis prædicare populo, & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſti- c cap. 10 tutus eſt à Deo judex vivorum, & mortuorum; ſive poſtea accipiantur per mortuos peccatores, & per vivos rectè viventes, juxta illud Matth. (d) eſurivi, d cap. 25. & dediſtis mihi manducare; ſitivi, & dediſtis mihi bibere; hoſpes eram, & non collegiſtis me; nudus, & non cooperuiſtis me: infirmus, & in carcere eram, & veniſtis ad me, hæc ſunt opera miſericordiæ à diligentibus Deum operata, & in proficuum proximi facta, & hinc eſt, quod tunc dicet Rex his, qui à dextris ejus erunt; Venite benedicti Patris mei; poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione Mundi. Per mortuos peccatores, quoniam de iſtis dicitur, Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare; ſitivi, & non dediſtis mihi potum, hoſpes eram, & non collegiſtis me, nudus, & non cooperuiſtis me: infirmus, & in carcere, non viſitaſtis me; propterea Rex, & Dominus omnium dicet his, qui à ſiniſtris ejus erunt; diſcedite à me maledicti in ignem æternum; qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus. Omnes itaque judicaturi ſunt, (e) juxta illud Pauli ad Corinth. e 2. cap. 5. omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. Ante Tribunal utique Chriſti, quoniam ſcriptum eſt in Joann. (f) poteſta- f cap. 5. tem dedit ei judicium facere, quia filius hominis eſt.

Credo in Spiritum Sanctum: hic eſt tertia perſona Sanctiſſimæ Trinitatis ejuſdem ſubſtantiæ cum Patre, & Filio, & amor dicitur, etenim ſicut Filius eſt Verbum Patris, ita Spiritus Sanctus eſt amor Patris, & Filii, unde ab utroque procedit, amor enim ſupponit amantem, & rem amatam, & minusquàm inter duo non poteſt eſſe, & tunc homo dicitur, quod habet Spiritum Sanctum, quando verè diligit Deum; juxta illud Pauli ad Roman. (g) g cap. 5 Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis; Eſt æqualis Patri, & Filio, dicente Chriſto Domino in Joann. (h) h cap. 4 veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate, Veritas eſt Filius, Spiritus eſt amor. Et hoc quantum ad cultum etiam, unde, & in Matth. præcepit Apoſtolis, ut docerent omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Propterea in Conciliis determinatum fuit in Symbolo Eccleſiæ publicè confiteri, & prædicare, hanc veritatem, de Spiritu Sancto, qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur.

Sanctam Eccleſiam Catholicam; Eccleſia namque eſt congregatio fidelium, ut colligitur etiam ex illo Eccleſ. (i) appropriate ad me indocti; & congrega- i cap. ult. te vos in domum diſciplinæ. Et eſt una, & per unitatem fidei, omnes enim Chriſtiani, qui ſunt de corpore Eccleſiæ (ad Excluſionem hæreticorum, qui non pertinent ad Eccleſiam, utpote quia diviſi in partes per diverſas ſectas,) idem credunt; juxta Paulum dicen- l 1. ep. c. 1. tem ad Corinth. (l) idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis Schiſmata; & ad Epheſ. (m) unus Deus m cap. 4 una fides, unum baptiſma, eſt una & per unitatem ſpei, omnes firmati ſunt in una ſpe perveniendi ad vitam æternam: unde ibidem ad Epheſ. dicitur, Unum corpus, unus Spiritus ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ. Et una per unitatem charitatis, quia omnes connectuntur in amore Dei, & ad invicem in amore mutuo, Hinc in Joan. (n) dixit Jeſus, chari- n cap. 17 tatem, quàm dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus. Hæc Eccleſia dicitur Catholica, hoc eſt Univerſalis, nam per univerſum Mundum diffuſa eſt, juxta illud Matth. (o) euntes in o cap. ult. Mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ, & Paulus ad Roman. (p) ait, fides veſtra annunciatur in univerſo Mundo, & hoc ad differen- p cap. 1. tiam Eccleſiæ Judæorum, nam tunc quando adorat illa Eccleſia, Deus ſolùm in Judæa notus erat, ut ait Pſalm. (q) notus in Judæa Deus, in Iſrael magnum q Pſ. 75. nomen ejus.

Sanctorum communionem. Per hæc enim magis declaratur id, quod in ſuperiori de unitate Eccleſiæ Catholicæ expreſſimus, Etenim cum Eccleſia ſit una unitate fidei, ſpei, & charitatis, hinc eſt, quod omnes fideles unanimiter conveniunt, qui etſi membra Chriſti, qui eſt caput totius Eccleſiæ, attamen in bonum totius corporis Eccleſiæ cedunt, ac proinde bonum unius alteri communicatur, juxta illud Pauli ad Roman. (r) ſinguli au- r cap. 12. tem alter alterius membra; hinc credendum eſt, quod Apoſtoli tradiderunt, videlicet Sanctorum communionem; Ob hoc & Joannes, (ſ) ajebat, ut & ſ 1 ep. cap. 1. vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum Patre, & Filio ejus Jeſu Chriſto; Quæ ſocietas in nullo alio ſita eſt, quam in communione Sanctorum, Igitur & credamus in hunc articulum, & gratias agamus Deo Patri, qui, ut ait Paulus ad t cap. 1. Coloſſenſes, dignus nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine.

Remiſſionem peccatorum. Hic articulus rectè conſequitur antecedentem, quoniam communicatio bonorum non fit, niſi per Sacramenta à Chriſto Domino inſtituta, & Eccleſiæ ſuæ tradita, in quibus operatur virtus paſſionis Chriſti, mediante qua confertur gratia, & remittuntur peccata. Et quis dubitari poteſt Sacramenta non eſſe plura, nec pauciora, quam ſeptem? ſi quis autem temerè aſſerere præſumpſerit, eſſe plura, vel pauciora; jam anathema eſt, ut definitur à Conciliis, præcipuè à Concilio Tridentino. Remittere autem peccata licet ſit proprium Chriſti, ut de facto remiſit Magdalenæ, & multis aliis, attamen dedit poteſtatem ligandi, atque ſolvendi Petro, & remittendi peccata omnibus Apoſtolis, juxta illud Joannis, (u) quorum u cap. 20. remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quam poteſtatem habent mi-

niſtri Eccleſiæ, ad quos derivata eſt ab Apoſtolis, & ad Apoſtolos à Chriſto, & hoc infallibiliter credendum à fidelibus Chriſtianis eſt, veluti articulus fidei.

Carnis reſurrectionem; hoc eſt corporum reſurrectionem, corpora namque reſurgent, & tranſibunt de corruptione ad incorruptibilitatem, & de mortalitate ad immortalitatem, juxta illud Pauli ad Corinth. (x) oportet corruptibile hoc induere incorruptionem: Et mortale hoc induere immortalitatem; nullatenus autem dicitur animæ reſurrectio, ſiquidem anima & incorruptibilis, & immortalis eſt, cum Deus fecerit hominem inexterminabilem, ut legitur in lib. Sapien. & in lib. Gen. (y) dicitur ad imaginem quippe Dei factus eſt homo, non quoad corpus, cum Deus ſit incorporeus, ergo quoad animam, cum Spiritus ſit Deus.

x 1 p. c. 15

y cap. 1.

Et hinc eſt, de fide credendam eſſe reſurrectionẽ mortuorum, teſte Paulo ibid. ad Cor. ſi reſurrectio mortuorum non eſt, neq; Chriſtus reſurrexit: quod ſi Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt fides noſtra. Quapropter rejiciendi ſunt tamquam hæretici illi, qui impiè dixerunt non eſſe reſurrectionem mortuorum, ut Sadducæi perversè cogitantes, quod unus ſit interitus hominum, & jumentorum, & æqua utriuſque conditio: quorum hæreſis à Chriſto Domino damnatur, dùm dixit Matth. (z) erratis, neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei.

In reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur, ſed erunt, ſicut Angeli in Cœlo.

z cap. 22

Et Job. (a) hanc veritatem confeſſus fuit, dùm dixit, ſcio, quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. Qui, ut dixit Jeſus ibid. in Matth non eſt Deus mortuorum, ſed viventium. Iſti profectò hæretici, ſicut & alii multi, negabant reſurrectionem mortuorum, eo quia ſicut defecerunt in fide, ita & in ſpe, & ſolùm omnes cogitationes eorum, ſicut & opera deditæ erant voluptatibus carnis, venite, legitur Sapient. (b) fruamur bonis, quæ ſunt, & utamur creatura, tamquam in juventute celeriter. Nos autem fideles in Chriſto firmiter credere debemus, quod per hæc quæ facimus, recipiemus bona æterna in reſurrectione, vel pœnas æternas, ſiquidem ſcriptum eſt, ibunt hi, qui bona egerunt, in vitam æternam, qui verò mala in ſupplicium æternum. Et clariùs in Joan. (c) & procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in reſurrectionem Judicii: Et Paulus prædicans hanc reſurrectionem carnis ita ait ad Theſſalonicenſes: (d) fratres nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent.

a cap. 19

b cap. 2

c cap. 5

d 1 p. cap. 4.

Credamus ergo hanc carnis reſurrectionem, & pro defunctis preces ad Deum mittamus, ut à pœnis, quibus pro peccatis puniuntur animæ, liberentur, & in die reſurrectionis gloriari cum Domino poſſimus.

Vitam æternam Amen. Homo dicitur animal creatũ à Deo propter beatitudinem conſequendam, & in hac ponit finem omnium deſideriorum ſuorum, & hic finis non alius excogitari poteſt à nobis, quod ſit, niſi vita æterna, per hanc vitam æternam homo conjungitur Deo, qui eſt præmium, & finis omnium laborum noſtrorum: Juxta illud Gen. (e) Ego protector tuus ſum, & merces tuas magna nimis.

e cap. 15

Per hanc intuetur Deus, nam vita æterna in viſione Dei conſiſtit, nam ut ait Paulus ad Corinth. (f) videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, illa vita æterna, ſicut videbimus Deum, ſicut eſt in ſe, ſic pariter illum ſemper amabimus, non enim poterimus non amare, ſemper illum laudabimus, ſecundum illud Iſajæ, (g) gaudium, & lætitia invenietur in ea: gratiarum actio, & vox laudis. In illa vita æterna erit ſatietas plena, cum dicat Auguſtinus libr. Confeſſ. (h) feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. Et David inquit, (i) ſatiabor, cum apparuerit gloria tua. Hæc omnia credenda ſunt à fidelibus omnibus, ſperandaque verumtamen operari debent, ut vitam æternam conſequantur, aliàs & fides ad nihilum valet, quoniam fides ſine operibus mortua eſt, & ſpes nihil prodeſt, quia non operatur, ſicut ſperatur; ergo credamus, ſperemus, & Deum diligamus, & illum puro corde exoremus, ut det nobis gratiam ſuam, quæ eſt vita æterna, ſecundum illud Pauli ad Rom. (l) gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Jeſu Domino noſtro; qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

f 1 p. c. 13.

g cap. 51.

h l 1 p. c. 1

i Pſ. 16

l cap. 6.

At non ſolum tenentur patrini, ſive fidejuſſores docere pueros de Sacro fonte ſuſceptos de iis, quæ in ſymbolo Apoſtolorum quoad fidem continentur, verùm etiam docere eos debent orationem Dominicam, quæ perfectiſſima eſt, utpote tradita à Chriſto Domino, qui & diſcipulis ſuis hanc formam orandi tradidit; Matth. (m) in iſta, ea, quæ ipſe Chriſtus Dominus orare docuit, rectiſſimè poſtulantur; hinc Auguſtinum ait, (n) quæcumque verba dicamus, nihil aliud dicimus, quàm quod in iſta oratione Dominica poſitum eſt, ſi rectè, & congruenter oramus. In iſta oratione ſunt ſeptem petitiones, quarum tres primę, inquit Auguſtinus in Enchiridio, (o) pertinent ad futuram beatitudinem, & ut ait Div. Th. (p) hę tres petitiones perfectè complebuntur in vita futura, aliæ verò quatuor pertinent ad neceſſitatem vitæ præſentis.

m cap. 6

n ad Prob.

o cap. 115

p 2. 2. q. 83. a. 9. ad 1

In hac oratione ſeptem ſunt petitiones, quas tamen Auguſtinus de ſer. Domini in Monte (q) adaptat donis, & beatitudinibus. Inquit enim ſi timor Dei eſt, quo beati ſunt pauperes ſpiritu, petimus, ut ſanctificetur nomen Dei in hominibus timore caſto. Si pietas eſt, qua beati ſunt mites, petamus, ut veniat regnum ejus, ut miteſcamus, nec ei reſiſtamus. Si ſcientia eſt, qua beati ſunt, qui lugent, oremus, ut ſic fiat voluntas ejus, & tunc non lugebimus.

q l. 2. c. 28.

Si fortitudo eſt, qua beati ſunt, qui eſuriunt, oremus, ut panis noſter quotidianus detur nobis. Si concilium eſt, quo beati ſunt miſericordes, debita dimittamus, ut nobis noſtra dimittantur. Si intellectus eſt, quo beati ſunt mundo corde, oremus, ne habeamus duplex cor temporalia ſectando, de quibus tentationes ſiunt in nobis. Si patientia eſt, qua beati ſunt pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur; oremus, ut liberemur à malis. Ipſa enim liberatio liberos nos faciet filios Dei: Attamen præmiſit Dominus Jeſus Chriſtus ad has petitiones, Pater noſter, qui es in Cœlis.

Hæc omnia juxta doctrinam Divi Thomæ, & Sanctorum Patrum, aliorumque Doctorum explicabimus, ut unuſquiſque ſciat, quomodo orandum ſit, & mittendæ ſint præces ad Deum, ut exaudiat orationem noſtram, & noſtra deſideria compleantur.

In primis enim dicitur Pater; Et verè Pater, cum ex ipſo omnis paternitas in cœlo, & in terra; inquit Paulus ad Epheſios. (r) Unde & dicitur pater ratione ſpiritualis creationis, quia creavit nos ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, juxta illud Deuteronom. (ſ) nonne ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creavit te?

r cap. 3

ſ cap. 32

Quam imaginem non impreſſit creaturis irrationalibus, ſed ſolùm ſimilitudinem veſtigii; dicitur pater ratione gubernationis, etenim cum omnia gubernet Deus, meritò dicitur Pater, ſecundum illud Sapient. (t) tua Pater providentia cuncta gubernas; Et ſecundum illud ibi. (u) & cum magna reverentia diſponis nos. Eſt autem reverentia dilectio mixta cum pavore, quo pacto punit, & affligit malos, & injuſtos cum quadam expectiatone, & reverentia, ut interim ſe emendent. Dicitur Pater ratione ſimilitudinis gratiæ, hoc eſt adoptionis, ſecundum quam ad hereditatem gloriæ per munus gratiæ acceptum, & hoc quia filii, nam ſi filii, & hæredes: unde Paulus ad Roman. (x) ait,

t cap. 14

u cap. 12

non

x cap. 8.

Digitized by Google

non accepiſtis ſpiritum ſervitutis in timore, ſed ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater: Tanto autem Patri debemus honorem, ne forte audiamus illud, quod per Malachiam protulit, ſi ego y cap. 1 Pater (y) ubi eſt honor meus? dicitur Pater noſter, ut per hoc intelligamus pertinere ad totam Trinitatem, eumadoptare homines in filios Dei conveniat toti Trinitati juxta Div. Thomam, (z) cum Deo dicimus, z 3.p.q.23 a.2.in ſed cont. Pater noſter, hoc pertinet ad totam Trinitatem, ſicut & cætera nomina, quæ dicuntur de Deo relativè ad Creaturam. (a) Et rurſus ait nos per adoptionem a 3.p. loc. cit. ad 2. efficimur fratres Chriſti, quaſi eumdem Patrem habentes eum ipſo, qui tamen alio modo eſt Pater Chriſti, & alio modo eſt Pater noſter. Eſt enim pater Chriſti, naturaliter generando, quod eſt proprium ſibi, eſt autem pater noſter voluntariè aliquid faciendo, quod eſt commune ſibi, & Filio, & Spiritui Sancto, appropriatur tamen Patri, ut actori, Filio, ut exemplari, Spiritui Sancto, ut imprimenti in nobis hujus ſimilitudinem exemplaris.

Dicitur, Pater noſter, quia in oratione Dominica non tantum pro ſeipſis debent fieri petitiones, verùm b 2.2 q.73 a.7. etiam pro omnibus, quoniam inquit D. Thomas, (b) illud debemus orando petere, quod debemus deſiderare; deſiderare autem debemus bona, non ſolùm nobis, ſed etiam aliis; debemus namque proximis amorem, quia omnes fratres ſunt, etenim omnes filii c ep.1.c.4. Dei ſunt; Propterea Joannes (c) inquit, qui enim non diligit fratrem ſuum, quem videt. Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere, & ideò pro aliis orare debemus, quia ut benè ait Chryſoſtomus ſuper Matt. pro ſe orare neceſſitas cogit; pro altero autem charitas fraternitatis hortatur. Dulcior autem ante Deum eſt oratio, non quam neceſſitas traſmittit, ſed quam charitas fraternitatis commendat. Debemus proximis d cap. 2. & reverentiam, quia filii Dei ſunt; (d) Unde Malachiæ legitur, numquid non Pater unus omnium noſtrum? Numquid non Deus unus creavit nos? quare ergo deſpicit unuſquiſque noſtrum fratrem ſuum. Dicitur Pater noſter, quaſi ex unanimi conſenſu, unde Ambroſius, multorum preces impoſſibile eſt, ut non e cap. 18 impetrent, ſecundum illud Matth. (e) ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in Cœlis eſt. Et ut ait Cyprianus libr. de Oratione Dominica à Divo Thom. citatus 2. 2. ideò non dicimus, Pater meus, ſed Pater noſter; nec da mihi, ſed da nobis, quia unitatis Magiſter noluit privatim precem fieri, ut ſ. qui pro ſe tantùm precetur.

Unum enim orare pro omnibus voluit, quoniam in uno omnes portavit. Hinc Jacobus ajebat, orate pro f cap. 5. g 2.2. ad 3 (f) invicem, ut ſalvemini. Quoniam, ait D. Thom. (g) loco citat. multorum preces faciliùs exaudiuntur. Unde Gloſſ. ſuper illud Pauli ad Rom. (h) adjuvetis h cap. 15 me in orationibus veſtris, dicit, bene rogat Apoſtolus minores pro ſe orare, multi enim minimi dùm congregantur unanimes, fiunt magni, & multorum preces, impoſſibile eſt, quod non impetrent illud ſc. quod eſt impetrabile.

Dicitur, qui es in Cœlis, & hoc meritò orando dicimus, quoniam Cœlum ſedes Dei eſt, ut ipſe dixit in i cap. 66 Iſajam, (i) cœlum ſedes mea eſt, nec hoc intelligere debemus, quaſi quod corporalibus cælis contineatur, cum non ſit locus, ubi non ſit Deus, hinc & in Jer. l cap. 23 m Ep. 57 c. 28 (l) dixit, cælum, & terram ego impleo, Unde Aug. in lib. (m) inquit, eſt ergo Deus per cuncta diffuſus, ſiquidem nomine cæli, & terræ, quæ ſunt veluti duo generalia loca rerum, omnia loca ſubintelliguntur.

n cap. 7. Propterea inquit ſapiens in lib. Sapientiæ; (n) attingit à fine uſque ad finem fortiter, ſc. à minima creatura uſque ad maximam, vel ab una extremitate uſque ad o Pſ. 138. alteram, ut jam inſinuavit David dicens; (o) ſi aſcendero in cœlum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades &c. ſed fas eſt, ut intelligamus, quod per hoc deſignetur Dei eminentia ſuper omnem creaturam; (p) Unde bene D. Th. docet, Deus eſt ſuper omnia per p p.1. q.8. p. ad 1. excellentiam ſuæ naturæ, & tamen eſt in omnibus rebus, ut cauſans omnium eſſe. Ex hac autem excellentia Dei, qua poteſt, fiduciam poſtulandi excitamus in nobis. (q) Quocirca D. Th. opuſc. ait, Dominus noſorare docens ea permittit, ex quibus in nobis fiducia q Opuſc. 2 generetur ex magnitudine poteſtatis; Unde dicit, qui es Cœlis; hinc Pſal. (r) canebat, ad te levavi oculos meos, r Pſ. 122 qui habitas in Cœlis, Verùm non tantum oculos noſtros, verùm etiam operationes noſtras, ſecundum illud ſ cap. 3 Thr. (ſ) levemus corda noſtra cum manibus ad Deū in cœlos, & hoc ex ſublimitate poteſtatis Dei, in quo virtus ejus innuitur, qua cœlus ſuſtinet, tranſcendit; hinc qui es in cœlis ad efficaciam exaudictis, ut per cœlos, corporeos cœlos intelligamus, non quod Deus corporalibus cœlis includatur, ſecundum illud Reg. (t) cœli cœlorum te t 3. Reg. 8 capere non poſſunt; ſed ut ſignificetur, quod Deus ſit perſpicax in conſideratione, etenim de alto videt Pſal. proſpexit de excelſo ſancto ſuo; & quia ſublimis in poteſtate, Dominus in cœlo paravit ſedem; ſuam; & quia ſtabilis in æternum; Tu autem in æternum permanes, & anni tui non deficient. Dicitur, qui es in cœlis, ut non ſolùm erudiamur de idoneitate, & congruitate petitionum, ut per cœlos ſpiritualia bona, & æterna intelligantur, ut ait Chryſoſtomus, à terra abducitur orantis animus, & excelſis regionibus efficitur; verùm etiam ut percipiamus, quod ſpecialiter augetur Sanctis ſpes, & orādi fiducia, quia propinquus eſt eis, & ſic qui es in cœlis ſ. in sāctis, in quibus Deus inhabitat, juxta illud Jer. Tu u cap. 14 in nobis es Domine; per gratiam utiq; inhabitat Deus in x cap. 15 ſanctis, ut habetur in Ioan. manete in me, & ego in vobis. & illud; qui manet in charitate, in Deo manet, & y cap. 4 ego in eo: Et illud Luc. (z) Simeon juſtus, & timoratus, z cap. 2 & Sp. S. erat in eo. At proinde Sancti cœli dicuntur juxta illud Pſ. Cœli enarrant gloriam Dei. Igitur dicamus Pater noſter, qui es in Cœlis, ut Deum exoremus, & ut Patrocinium Sanctorum impetremus.

His præmiſſis prima petitio in hac oratione Dominica eſt, Sanctificetur nomen tuum. In hac petitione exprimimus deſiderium noſtrum erga Deum, qui ſummè diligendus eſt, propterea benè docet D. Th. (a) quod a 2.2. q.83 ar. 9 oratio cum ſit quodammodo deſiderii noſtri interpres apud Deum illa, rectè ſolùm orando petimus, quæ rectè deſiderare valemus. Hinc meritò primò petimus gloriam Dei, ut l. nomen Dei in nobis manifeſtetur, & declaretur, & quamvis ſanctum ſit nomen ejus, quia potens, & mirabile, utpote quia in omnibus creaturis mirabilia operatur, ut conſtat ex illo Mar. (b) in nomine b c. ultim. meo dæmonia ejicient linguis loquentur novis, etſi mortiferum quid biberit, non eis nocebit, ſerpentes tollent. Quia amabile nonenim, legitur in Act. Apoſt. (c) eſt a- c cap. 4 liud nomen datum ſub cœlo, in quo oporteat nos ſalvos fieri, ſalvas autem ab omnibus diligenda eſt. Quia venerabile, Nam Apoſt. ad Phil. (d) ait ut in nomine Jeſu, d cap. 2 omne genuflectatur cœleſtium, (quantum ad Angelos, & Beatos,) terreſtrium, (quantum ad mundanos, qui ut docet Div. Th. (e) hoc faciunt, ex amore adipiſcendæ e Opuſc. gloriæ, vel timore fugiendæ pœnæ,) & infernorum, (quantum ad damnatos, qui hoc faciunt ex timore; nihilominus nos in hac petitione dicimus, ſanctificetur f l. 2. c. 10 nomen tuum, quia ut bene ait D. Aug. (f) de ſer. Domini in Monte, non hoc ponitur, quaſi non ſit ſanctum nomē Dei, ſed ut ſanctum ab hominibus habeatur, quod pertinet ad Dei gloriam in hominibus propagandam. Hoc idem habemus ex Cypr. apud D. Aug (g) lib. de bono per- g cap. 2 ſeverantiæ, dicimus, ſanctificetur nomen tuum, non quod optemus Deo, ut ſanctificetur orationibus noſtris ſed quod petamus ab eo, ut nomen ejus ſanctificetur in nobis. Cæterum à quo Deus ſanctificatur, qui ipſe ſanctificat? ſed quia ipſe dixit, Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum; id petimus, & rogamus, ut qui in baptiſmo ſanctificati ſumus in eo, quod eſſe cæpimus, perſeveremus. Hæc ſanctificatio, ut in nobis permaneat, oramus, perſeverantia, docet & Div. Th. (h) petitur etiam ab illis, qui ſunt per gratiam ſanctificati; quod intelligi- h p. 1. q. 110 a. 10. ſed contr. tur, cum diximus, ſanctificetur nomen tuum; Ab hac petitione non debent ceſſare etiam peccatores, quoniam D. Th. (i) etiam ea, quæ non meremur, orando impetramus; nam, & peccatores Deus audit, i 2.2. q. 114 a. 6. ad. 1

peccatorum veniam petentes, quam, non meremur, *Tr. 44.* ut colligitur ex D Auguſtin. Tract. in Ioan. ſuper illud; ſcimus, quia peccatores Deus non exaudit, alioquin fruſtra dixiſſet publicanus, Deus propitius eſto mihi peccatori. Exaudivit utique Deus orationem publicani, & miſericorditer, quoniam habemus ex *m cap. 18.* Luca, (*m*) quod deſcendit juſtificatus in domum ſuam. Unde bene docet Divus Thom. (*n*) orationem pecca- *n 2. 2. q. 83. a. 16.* toris ex bono naturæ deſiderio procedentem Deus audit, non quaſi ex juſtitia, quia peccator hoc non meretur, ſed ex pura miſericordia, obſervatis his conditionibus, v. ut pro ſe petat, neceſſaria ad ſalutem, piè & perſeveranter.

Secunda petitio, adveniat regnum tuum.

In prima petitione conſtat, quod homo diligit Deum, in quantum in ſe ipſo diligibilis eſt, & ideò deſiderat tanquam finem Dei gloriam; In hac verò petitione *o ib. a. 9.* deſiderium noſtrum fertur in eumdem finem ex dilectione, qua Deus in nobis diligitur: Juxta D. Th. (*o*) loco ult. cit. volumus frui gloria ejus, & hoc pertinet ad dilectionem, qua diligimus nos in Deo, unde ponitur, adveniat regnum tuum, per quam petimus ad gloriam Dei, & regni ejus pervenire. Et hinc eſt, quod quando dicitur, adveniat regnum tuum, non eſt intelligendum, quaſi Deus nunc non regnet; etenim in Sapientiæ libro legimus, (*p*) regnabit Dominus illo- *p cap. 3.* rum in perpetuum, & Eccleſia canit, cujus regni non erit finis: ſed ſicut dicit Auguſt. ad Probam, deſiderium (*q*) noſtrum ad illud regnum excitamus, ut il- *q Ep. 121. c. 11.* lud nobis veniat, atque in eo regnemus; Manifeſtum eſt enim, quod ipſe Deus ex ſe, & ex ſua natura eſt Dominus omnium, dixit enim, mea ſunt omnia, & non eſt, qui de manu mea poſſit eruere, ut denotetur, & poteſtas, & regnum; Quam poteſtatem, & regnum habet & Chriſtus Dominus, & in quantum Deus, & in quantum homo, juxta illud Joannis, po- *r cap. 5.* teſtatem (*r*) dedit ei judicium facere, quia filius hominis eſt; (*ſ*) Ille eſt enim, qui conſtitutus eſt à *ſ Act. c. 4. t cap. 7.* Deo judex vivorum, & mortuorum. (*t*) Et in Daniel. legitur de Chriſto, & dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum; poteſtas ejus; poteſtas æterna; quæ non auferetur: & regnum ejus, quod non corrumpetur; in ſignum quod omnes ſubjecti ſunt illi, aut voluntarii, aut inviti, ut docet D. Thom. (*a*) *u Opuſc 8* cum enim voluntas Dei, ſit ita efficax, quod oporteat penitus illam compleri, & Deus velit, quod omnia ſubjiciantur Chriſto; alterum duorum erit neceſſarium, ut ſc. aut homo faciat voluntatem Dei ſubjiciendo ſe mandatis ejus, & hoc facient juſti, aut Deus faciet de omnibus voluntatem ſuam, puniendo eos, & hoc faciet peccatoribus, & inimicis ſuis, & hoc erit in fine Mundi, juxta illud Pſal. (*x*) donec *x Pſ. 109.* ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum, & juxta illud Pauli ad Corint. (*y*) oportet illum regnare, do- *y 1. c. 15.* nec ponat inimicos omnes ſub pedibus ejus. Igitur non inviti, ſed voluntarii ſubjiciamus Chriſto, & Deo, obediendo præceptis ejus, & tunc verè dicemus, adveniat regnum tuum, in qua petitione excludimus peccatum, ne iſtud regnet in nobis, ſicut dicebat Paulus ad Roman. non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, quod eſt, ut ait D. Thom. loco cit. quando homo eſt ita diſpoſitus, quod ſtatim ſequi- *z cap. 52.* tur, & proſequitur appetitum peccati. Sed Deus debet regnare in nobis; ſecundum illud Iſajæ Sion regnabit Deus tuus.

Tertia petitio, fiat voluntas tua, ſicut in Cœlo, & in terra. Finis noſtræ beatitudinis cum ſit Deus, hinc ſequitur, quod ad hunc finem nos ordinat directè, & principaliter ſecundum meritum, quo beatitudinem meremur Deo obediendo, & quantum ad hoc ponitur fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra, hoc eſt ut obediatur præceptis ſuis, ſicut in cœlo, ſcilicet ab Angelis, & in terra ab hominibus.

a Opuſc. 8. Ubi nota cum Divo Thoma, (*a*) quod non dicit, fac, nec faciamus, benè verò fiat voluntas tua, quia ad vitam æternam duo ſunt neceſſaria, ſ. gratia Dei, & voluntas hominis. Et quamvis Deus fecerit hominem ſine homine, non tamen juſtificat eum ſine eo, quod eſt, quod ait Auguſtinus ſuper Joan. qui creavit te ſine te, non juſtificabit te ſine te; vult enim, ut homo cooperetur. Convertimini ad me, dixit per os Zachariæ, (*b*) & ego convertar ad vos. Igitur non *b cap. 1.* præſumas de te, ſed confidas de Deo; Nec negligas, ſed adhibeas ſtudium tuum. Propterea non dixit, faciamus, ne videretur nihil facere gratia Dei; nec dixit fac, ne videretur, quod nihil faceret voluntas, & conatus noſter; ſed dixit, fiat per gratiam Dei adhibito ſtudio, & conatu noſtro. Sic & Chriſtus Dominus, quamvis verè filius Dei ſit, attamen dixit in Jo. (*c*) deſcen- *c cap. 6.* di de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui me miſit, voluit namq; exprimere obedientiam, quàm ſemper præſtitit Deo Patri, unde *d ad Phil. cap. 2.* & dicitur (*d*) Chriſtus factus eſt obediens uſque ad mortem; propter quod & Deus exaltavit illum; ut diſcamus & nos, quod à Deo nihil petere debemus, niſi quod fiat de nobis voluntas ſua, ſc. ut voluntas compleatur in nobis; tunc enim eſt rectum cor hominis, quando concordat cum voluntate divina, ut patet de Sancto Martino Epiſcopo, qui dixit, Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem, fiat voluntas tua, paratus enim erat ad obediendum Deo, & præceptis ejus, vivere, & pati.

Quapropter & nos ad omnia ea, quæ evenire poſſunt, ut infirmitates, calumniæ, & cætera genera miſeriarum, ſemper dicamus, fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, ſcil. in Spiritu noſtro per juſtitiam, per cœlum namque accipimus ſpiritum, ita & in terra, id eſt in carne noſtra, cum per terram caro accipiatur, & hoc ut homo reſtituatur ad ſtatum primum, in quo creatus eſt, ut ſpiritus, & anima nullam repugnantiam ſentiat carnis, & ſenſualitatis, quod complebitur in reſurrectione mortuorum, quando reſurgent corpora glorificata, & incorruptibilia, ut fiet illud Pauli ad Corinth. (*e*) ſeminatur in ignobilitate, ſur- *e 1. cap. 15.* get in gloria, quæ præmium eſt humilitatis noſtræ; in humilitate noſtra memor fuit noſtri, & benedixit nobis, benedictio namque Dei eſt ſanctificatio noſtra.

Quarta petitio: Panem noſtrum ſuperſubſtantialem, ſive quotidianum, da nobis hodie. Jam conſtat, quod in tribus præcedentibus petitionibus petuntur ſpiritualia, quæ utique inchoantur in hoc Mundo; ſed non poſſunt perfectè haberi, niſi in vita æterna: manifeſtum eſt enim, quod dum petimus, ut ſanctificetur nomen Dei, petimus, quod cognoſcatur ſanctitas Dei, quæ perfectè attingitur à Beatis in Patria, & à nobis cognoſcitur, veluti per ſpeculum in ænigmate, dùm petimus, quod adveniat regnum Dei; petimus, quod ſimus participes vitæ noſtræ, tunc autem poſſeſſores erimus vitæ æternæ, ſicut ſcriptum eſt in *f cap. 25.* Matth. (*f*) venite benedicti, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione Mundi.

Dùm verò oramus, ut fiat voluntas Dei, petimus, ut compleatur in nobis voluntas ejus. Voluntas Dei eſt, ut ſervemus mandata, Matt. (*g*) ſi vis ad vitam ingredi, ſer- *g cap. 19.* va mandata: nos autem cooperari debemus, ut ſerventur ea, quæ præcepit, ut perficiatur voluntas Dei aſſignantis pro præmio vitam æternam, quoniam dixit, *h cap. 5.* Matt. (*h*) Ecce enim merces veſtra copioſa eſt in cœlis, hoc eſt in ſpiritualibus firmamentis, in quibus habitat, inquit Aug. ſempiterna juſtitia. Et hinc eſt, docet D. Th. *i Op. 18.* (*i*) in compendioſa expoſitione hujus orationis, quod dū oramus, ut fiat voluntas tua, quærimus juſtitiam ejus.

Præter autem hæc tria ſpiritualia neceſſarium fuit, aliqua petere neceſſaria, quæ perfectè poſſunt haberi vita præſenti. Sic & dixit Jeſus Chriſtus in Matth. *l cap. 6.* (*l*) Primum quærite regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis, ſcilicet temporalia, quæ utique non ſunt quærenda principaliter, ſed ſecundariò, ut habetur ex Div. Auguſt. cit. à Div. Th. *m 2. 2. q. 83. a. 6. ad 1.* (*m*) cum dixit illud, primò quærendum eſt, ſ. regnum Dei ſignificavit: quia hoc ſ. temporale bonum, poſterius quærendum eſt, non tempore, ſed dignitate: illud tanq̄

bonum

Digitized by Google

bonum noſtrum, hoc eſt tanquam neceſſarium noſtrum.

Et D. Th. ibid. (*n*) temporalia licet deſiderare, non *n ib. in c.* quidem principaliter, ut in eis finem conſtituamus, ſed ſicut quædam adminicula, quibus adjuvamur ad tendendum in beatitudinem, in quantum ſc. per ea vita corporalis ſuſtentatur, & in quantum nobis organicè deſerviunt ad actus virtutum.

Propterea in hac quarta petitione dicitur, panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Per hoc autem voluit nos retrahere ab omni vitio, & ab omni deſiderio rerum temporalium. Idcircò docuit nos petere panem, ſc. neceſſaria ad præſentem vitam ſecundum conditionem uniuſcujuſque, quæ omnia ſub nomine pa- *p 2.2.q.83 ar. 9.* nis intelliguntur, per panem docet D. Th. (*p*) om- *q cap. 27.* nis ſufficientia victus, unde, & in lib. Proverb. (*q*) dicitur tribue tantùm victui meo neceſſaria, & *r 1. ep. cap. 6.* Apoſt. ad Timoth. (*r*) ait habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus, panis namque, & Aug. ait, eſt præcipuus cibus. Unde & Hieronymus exponens ly ſuperſubſtantialem dicit, i. præcipuum. Et per ly panem noſtrum vult, ut non rapiamur aliena, quoniam, ait Aug. hoc vitium quidem docuit nos vitare, docens nos petere panem noſtrum, non alienum Raptores namque non comedunt panem ſuum, ſed alienum. Panem vult, ut petamus ad evitandum im- *ſ cap. 6.* moderatum appetitum rerum tempuralium. Propterea dixit in Matth. (*ſ*) Nolite ſolliciti eſſe dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo ope- *t 2.2 q 55. a. 6.* riemur? quoniam docet D. Tho. (*t*) huiuſmodi ſolicitudo eſt illicita, tùm ex parte ejus, quo ſolicitamur, ſi ſ. tamquam finem temporalia quæramus, tùm propter ſuperfluum ſtudium, quod apponitur ad procuranda temporalia, propter quod homo à ſpiritualibus, quibus principaliùs inſervire debet, retrahitur, unde dicitur *u cap. 13.* Matth. (*u*) ſolicitudo ſeculi ſuffocat verbum. Tùm ex parte timoris ſuperflui, quando ſ aliquis timet, ne faciendo quod debet, neceſſaria ſibi deficiant. Hanc ſolicitudinem certò fugiemus, ſi monitum Sapientiç ſequemur, & cum illo dicemus ad Dominum: divitias, & paupertatem ne dederis mihi, ſed tantùm tribue victui meo neceſſaria Panem noſtrum quotidianum, hoc eſt unius diei, vel temporis unius, ne fortè ſit ſuperflua ſollicitudo, edocemur / itaque nos petere, quod hodie detur nobis panis noſter, ſc. ea, quæ ſunt nobis neceſſaria ad præſens tempus. Unde & cavere debemus prodigæ conſumptioni, ne plurium dierum ſubſtantiam diſſipet quiſpiam, contra documentum *x cap. 23.* Sapientis in lib Proverb. (*x*) vacantes potibus, & dantes ſymbola conſummentur. Da nobis hodie, ut ingratitudinem vitemus, dum conſiderare debemus, omnia cujuſcumque generis ſint, ſpiritualia, ſcilicet, à temporalia à Deo eſſe, juxta illud Paralip. omnia *y cap. 29.* (*y*) tua ſunt, quç de manu tua accepimus.

Deinde dum dicimus panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, intelligi poteſt de pane Sacramentali, cujus quotidianus uſus proficit homini, in quo etiam intelliguntur omnia alia Sacramenta. Superſubſtantialem, quia, ut ait Auguſtinus Euchariſtia eſt præci- *z Ep. 121. cap. 11.* puum Sacramentum, (*z*) quod quotidie in Eccleſia conficitur, ut ſicut illud accipimus in Sacramento, ita detur nobis ad ſalutem, etenim fidelium tantùm panis eſt, nam ex quoquiſque fidelis baptizatus eſt, jus habet in iſto pane.

Quinta petitio: Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Quis eſt iſte, qui vixit, vivit, atque vivet, de quo dici poſſit, qui *a cap. 3.* peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in labiis ejus. Profectò excepto Chriſto Domino, in quo erat omnis plenitudo gratiæ. Etenim filius Dei erat, adeòque ſummum bonum, adeòque ſoli Chriſto datum eſt ſine peccato eſſe, de quo etiam Joannes teſtatur, quod non habuit Spiritum ad menſuram.

Hoc conſtat etiam de Beata Virgine, in qua nullum fuit peccatum, cum de illa dictum fuerit ab Angelo, Ave gratia plena, cæterum reliqui omnes, qui originem habuerunt ab homine, gloriari nequeunt, quod ad minus peccatum veniale non incurrerent, etenim ſi contrarium quis aſſereret, jam in mendacium, quod eſt peccatam, caderet, ſicut inquiebat Joannes, ſi dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi *b p. c. 1.* nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Si ergo ita eſt, quod nullus ſit immunis ſaltem à peccato veniali, meritò unuſquiſque debet ſic orare, & orando ſic petere, dimitte nobis debita noſtra; Manifeſtum eſt namque, docet D. Th. (*c*) quod nos ordinamur in bea- *c 2.2. q 83. a. 9.* titudinem per remotionem prohibentis, & primum, quod directè excludit à regno Dei, eſt peccatum, ut bene ait Paulus ad Corinth. (*d*) Neque fornicariis, *d p c. 6.* neque idolis ſervientes, &c. regnum Dei poſſidebunt. Hinc ergo videtur, quod per ly debita intelliguntur peccata, & hoc juxta mentem Divi Thomæ, docet (*e*) enim, debemus Deo, illud, quod auferimus à *e op. 8.* jure ſuo; Jus autem Dei eſt, ut faciamus voluntatem ſuam præferendo eam voluntati noſtræ, auferimus autem Deo jus ſuum, cum præferimus voluntatem noſtra voluntati ſuæ, & hoc eſt peccatum, peccata ergo ſunt debita noſtra, ergo juſtè, & devotè preces ad Deum mittere, quilibet ſit, debet, ut dimittantur peccata ſua; conſtat ergo, ſubdit Div. Th. quod omnibus Sanctis, & hominibus convenit dicere, pater noſter; in quo dicitur, dimitte nobis debita noſtra, in ſignum, quod omnes recognoſcunt ſe peccatores, vel debitores.

In hac petitione duo videntur incluſa, ſ. dilectio Dei, & dilectio proximi, dilectio Dei ſtat in hoc, quod orando petimus, dimitte nobis debita noſtra, etenim niſi diligeremus Deum, nihil de peccatis noſtris cogitaremus, & ſic nec miſericordiam ejus impetraremur; quod non fecit Maria Magdalene, cui in tantum remiſſa fuerunt peccata multa, in quantum dilexit multum. Dilectio proximi ſtat in hoc, ut nos dimittamus illi omnes offenſas nobis factas, quæ dicuntur debita, & debitores noſtri per illas conſtituuntur.

Propterea ſi non dimittimus: fruſtra rogamus Deum ut dimittet nobis peccata noſtra; Quoniam ipſe dixit, *f cap. 11* Luc. (*f*) dimittite, & dimittemini, attendire ad verba, quæ dicitur, ſiquidem ſi dimittis, dimettur tibi: ſcriptum eſt enim, ſi dimiſeritis hominibus peccaca eorum, dimittet & vobis Pater veſt r cœleſtis peccata veſtra, ſi autem non dimiſeritis hominibus; nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. Hoc comprobatur exemplo de ſervo illo nequam, cui Dominus dimiſit omne debitum, at quia noluit dimittere debitum conſervo ſuo. ideòque dicitur in Matt. (*g*) Quod Dominus ejus *g cap. 18.* tradidit eum tortoribus quoaduſque redderet univerſum debitum. Vidiſtis exemplum, audite hanc formidoloſam ſententiam; Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.

At dicet quis, ne cadat ſuper me talis horribilis ſententia, dicam, utique verba ilia dimitte nobis debita noſtra, verba tamen ſubſequentia non proferam Verum de iſto utique poteſt dici illud, quod Deus dixit de populo ſuo, hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me; Nam & iſte honorat Deum Patrem; rogando ut dimittat illi debita, quæ cum eodem contraxit peccando, at corde illum decipit, dum non vult dimittere proximo debita; quæ nullius, vel ſaltem parvi ponderis ſunt.

Poteſt etiam dari caſus, quod aliquis non proponat dimittere proximo ſuo, in quo caſu quæri poteſt, an debeat dicere, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris? Ex una parte videtur, quod mentitur, quia profert id, quod nullo modo vult adimplere. Ex alia verò parte pro certo aſſeritur, non mentiri juxta doctrinã D Th. (*h*) docentis, oratio dominica profertur ex *h 2.2. q 83. a. 16. ad 3.* perſona cõmuni totius Eccleſiæ; & ideò ſi aliquis nolens dimittere proximo, dicat, ſicut, & nos dimittimus debitoribus noſtris (ubi nota, quod hujuſmodi petitio ponitur in numero plurali) non mentitur, quamvis hoc, quod dicit, non ſit verum quantum ad ſuam perſonam; eſt .n. verum quantum ad perſonam Eccleſię, ex qua eſt meritum, & ideò fructu orarionis caret.

Sexta petitio, & ne nos inducas in tentationem.

Cum ad beatitudinem, propter quam homo crea

tus eſt, pervenire videamus, opus eſt, non ſolùm ut abſtineamus à peccato, quo mediante ingreſſus in regnum Dei impeditur, etenim in illo pervenire nequit aliquod coinquinatum, verùm etiam ut tentationes ſuperare poſſimus, illas videlicet tentationes quæ humanum genus opprimunt, & ſunt carnis, diaboli, & Mundi. Caro namque inſtigat ad malum, ſemper namque quærit ea, quæ ſua ſunt, nempe delectationes carnales, in quibus ut in plurimum eſt peccatum. Retrahit à bono, Nam ſpiritus quidem ſemper promptus eſt violentiam carnis ſuperare, ſed quia caro infirma aggravat ſpiritum, ne in tentationibus prævaleat; unde & Sapiens dixit, (i) corpus, quod corrumpitur, aggravat animam. [i cap. 9.] Et Paulus ad Rom. (l) inquiebat, [l cap. 7.] condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Et jure meritò hoc exprimitur à Paulo, quoniam rectè conſideravit, quod tentatio carnis valdè gravis eſt, utpote nobis ſemper conjuncta, quæ verè dicitur inimicus noſter. Poſt tentationem carnis advenit nobis tentatio diaboli, hic enim fortiſſimè tentat, non enim, inquit Paulus [m cap. 6.] ad Epheſ. (m) eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus principes, & poteſtates contra Mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus, etenim & tentator dicitur. Unde Gloſſa (n) ſuper illud Pauli ad Theſſ. [n 1. cap. 3.] ne fortè tentaverit vos is, qui tentat, ideſt diabolus, ait, cujus officium eſt tentare, qui ut bene docet D. Thomas, (o) ſemper tentat, ut noceat, in pecca- [o 1. p. qu. 114. a. 2.] tum præcipitando, & ſecundum hoc dicitur proprium officium ejus tentare; Iſte, & calidiſſimè tentat, propterea Petrus ſic præſcripſit nobis modum reſiſtendi tentationibus ſuis; fratres ſobrii eſtote, & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens, circuit quærens, quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide. Ebrietas namque, & acedia, ſi una ex iſtis eſt mater tentationis, alia eſt filia talis matris. Quod autem calidiſſime tentat, jam videmus apertè, nam dum tentat, tentat de illis vitiis, ad quę homines conculcata carne magis proni ſunt, ut de ira, de ſuperbia, & de aliis vitiis ſpiritualibus, eſt doctrina D. [p ib. ad 2.] Thomæ (p) diabolus tentat explorando interiorem conditionem hominis, ut de illo vitio tentet id, quod homo magis pronus eſt. Mundus tentat, & tentationes hujus omnes verſantur circa immoderatum appetitum rerum temporalium, ex quibus poſtea inſurgit [q 1. c. 6.] avaritia, quæ mediat inter peccata ſpiritualia, & carnalia, hinc Paulus ad Timoth. (q) dixit, radix omnium malorum eſt cupiditas. Deinde tentat per perſecutores, & tyrannos terrendo; contra hoc dixit Chriſtus Matth. (r) nolite timere eos, qui occidunt cor- [r cap. 10.] pus, animam autem non poſſunt occidere, ſed potius timete eum, qui poteſt & anima, & corpus perdere in gehennam. Et rurſus ait Paulus ad Timoth. [ſ 2. cap. 3.] (ſ) Omnes, qui volunt piè vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur. Ad vincendas autem hujuſmodi tentationes Chriſtus Dominus docet nos petere, non ut non tentemur, ſed ut non inducamur in tentationem, quoniam ſi homo vincit tentationem, meretur coronam, iuxta illud Jacobi, (t) Beatus [t cap. 1.] vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Et Divus Tho- [u Op. 80. [illegible]] mas, (u) quod quando dicitur, & ne nos inducas in tentationem, intelligendum eſt, ne nos permittat vinci à tentatione. Gloſſa in tentatione ducitur, qui in tentatione frangitur: non ergo precatur, ut non tentetur, quia tentatio neceſſaria eſt ad coronam, tanquam ſi cuique neceſſe ſit igne probari; ſed ut à tentatione non vincamur, quod eſt in tentationem induci, & ne exuramur, ut ait Auguſtinus; ſeſe ne deſerti divino auxilio, alicui tentationi, vel conſentiamus decepti, vel cedamus afflicti.

Septima petitio, Sed libera nos à Malo. Amen.

Hæc Petitio cum ſit ultima, ultimum complementum dat orationi Dominicæ. Quoniam & Chriſtus Dominus, qui eam tradidit præcepto, illam confirmavit exemplo, & tunc fuit, quando antequam pateretur, rogavit Patrem, ut ſervaret eos, quos dedit Filio, à malo. (x) Rogo dixit in Joann. ut [x cap. 17.] ſerves eos à malo. Sicut & nos precari debemus Deum, ut liberet nos à malo; non tamen à quocumque malo, ſiquidem ſunt quædam mala, quæ communiter mala putantur, quæ tamen ſunt fructuoſa illis, qui patiuntur: ut conſtat de ſtimulo illo, qui datus fuit Paulo; (y) Unde dixit, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Satanæ qui me [y 2. ſ. c. 12.] colaphizet; Propter hoc ter Dominum rogavi, ut diſcederet à me: & dixit mihi ſufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur, ſed ab omnibus illis malis, quæ nullam animæ utilitatem afferre poſſunt, propterea ſolummodo hæc petitio verſatur circa mala, & afflictiones hujus Mundi; ſicut docet Divus Thomas (z) hæc petitio eſt genera- [z Opuſ. 7.] lis; contra omnia mala, ſcilicet peccata, infirmitates, adverſitates, & afflictiones, ſic ſentit & Aug. dum ait, homo Chriſtianus in qualibet tribulatione conſtitutus, in hac petitione gemitus edit. Et David ſic rogabat Deum; ut illum eriperet de inimicis, eripe me de inimicis meis. (a) Multi namque inimici noſtri ſunt, [a Pſ. 139.] de quibus petimus, ut Deus liberet nos, alii ſunt interni, de quibus etiam in Litaniis petimus liberari, ut à ſpiritu fornicationis, ab immunditia mentis, & corporis, ab ira, & odio, & omni mala voluntate a cogitationibus peſſimis, & ſimilibus. Alii ſunt inimici externi, ut ſunt adverſitates, perſecutiones, afflictiones, quæ omnia adveniunt à calumniantibus, & perſequentibus nos. Aliæ denique ſunt pœnalitates præſentes, quæ impediunt ſufficientiam vitæ, & iſtæ ſunt infirmitates, peſtis, famis, bellum, ſicut etiam ſubitanea, & improviſa mors; Hinc precamur cum Eccleſia, ab omni malo libera nos Domine.

Verumtamen docet Divus Thomas, (b) quod [b Op. cit.] ab huiuſmodi afflictionibus, & malis hujus Mundi Deus liberat quadrupliciter: Primò ne ſuperveniat afflictio, ſed hoc raro contingit, quoniam Sancti in Mundo affliguntur, ut dicitur Timot: (c) omnes, qui [c 2. cap. 3.] piè volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur: at alicui Deus concedit aliquando, ut non affligatur à malo. quando ſcilicet cognoſcit eum impotentem, & non poſſe reſiſtere Apoc. quia modicam habet virtutem. Secundò liberat [d cap. 3.] quando in afflictionibus conſolatur, nam niſi Deus conſolaretur, non poſſet homo ſubſiſtere; ſic Paulus ad Corint. (e) ſed qui conſolatur humiles, con- [e 2. cap. 7.] ſolatus eſt nos Deus. (f) Et David ſic eòat, ſecundum [f Pſ. 93.] multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Tertiò, quia afflictis tot bona facit, quot tradunt mala oblivioni; Tobiæ, (g) poſt tempeſtatem, tranquillum facit. Quartò quia tentatio, et tribulatio [g cap. 3.] convertitur in bonum: & ideo non dicitur, libera nos à tribulatione, ſed à malo; quia tribulationes ſunt ſanctis ad coronam; & inde eſt quod gloriatur de tribulationibus. Sic Paulus teſtatur ad Rom. (h) non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribula- [h cap. 5.] tionibus, ſcientes, quod tribulatio patientiam operatur &c. (i) Et fidem facit Tobias dicens, in tempore tribulationis peccata dimittis. Oremus ergo ad [i cap. 3.] Dominum puro, & ſincero corde, & hac oratione dominica præ cæteris utamur, quoniam in iſta omnia nobis neceſſaria pauciſſimis petitionibus includuntur, & ideò mirum non eſt, ſi omnes alias orationes antecellat auctoritate, utilitate, & compendioſitate, unde fideliter, ferventer, & humiliter illam dicere debemus, ut quidquid noſtræ ſaluti expediens videtur, impetretur; ſic veritas ipſa teſtatur, dum in Joan. (l) dixit, ſi amen dico vobis; [l cap. 16.] ſicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis; ergo laudate omnes gentes Dominum, qui eſt benedictus in ſeculum, & in ſeculum ſeculi: Amen

hoc

hoc eſt ita fiat, hæc eſt enim confirmatio univerſalis omnium petitionum, docet D. Thom. Et Div. Hieron. (m) in Matt. hanc vocem, ſicuti eſt, ſignaculum orationis dominicæ appellat. Hoc verbum, Amen, hebræa vox eſt, & varie interpretatum fuit: nam ſeptuaginta interpretes verterunt, fiat. Alii reddiderunt, verè. Aquila fideliter convertit.

m Opſ. 7.

Videant igitur Patrini, qualiter tenentur inſtruere pueros de Sacro fonte ſuſceptos, & diligenter curare debent, ut ſciant illa, quæ in præceptis Decalogi continentur, etenim decem ſunt, quorum tria prima ordinantur ad Deum, & reliqua ſeptem ad proximum, & quamvis decem ſint, nihilominus tamen compendioſè omnia illa includuntur in illis duobus præceptis, ſcilicet dilectio Dei, & proximi, quia veritas dixit, (n) in his duobus præceptis univerſa lex pendet, & Prophetæ. De illis decem præceptis, quando de legibus agemus, & Deo favente, ſermo erit, hic tantum dicemus, omnia illa fundata eſſe ſupra jus naturale, ut cognoſcamus, & cognoſcendo fateamur, Deum impoſſibilia non præcipere; Hæc, & alia, quæ deſerviunt ad rectè, & piè vivendum docere debent illos, ſicut & illa, quæ ſunt prima Chriſtianæ Religionis rudimenta.

n Cap. 22.

Audiant denique & ſacræ ſcripturæ, præcipuè illud Matt. docentes, (o) ad Patrinos, eos ſervare omnia, quæ mandavi vobis, hoc eſt à Sacerdotibus baptizatos, quos in filios tunc eos de baotiſmo levantes ſuſcepiſtis, docete Chriſtianam doctrinam, juxta illud quod ſtatutum fuit à Sacro Concilio Tridentino, (p) ſi quis dixerit, baptizatos per baptiſmum ipſum ſolius tantùm debitores fidei fieri; non autem Univerſæ legis Chriſti ſervandæ. Anathema ſit.

o Cap. ult.
p Seſſ. 7. de Bapt. can. 7.

Audiant & Div. Th. (q) docentem, unuſquiſque obligatur ad exequendum officium, quod accepit; & quia qui ſuſcipit aliquem de ſacro fonte, aſſumit ſibi officium pædagogi; hinc eſt, quod & obligatur ad habendam curam de ipſo, ſi neceſſitas immineret, ſicut eò tempore, & loco, in quo baptizati inter infideles nutriuntur.

q 3 p. q. 67. art. 8.

At quia Div. Thom. uſque ad intima veritatis penetravit, hinc eſt, quod non utitur tanto rigore, quo alii ſancti Patres videntur uti; unde docet, quod ubi nutriuntur inter Catolicos Chriſtianos, ſatis poſſunt ab hac cura excuſari, præſumendo, quod à ſuis parentibus diligenter inſtruantur. (r) Immò docet, quod ubi hoc periculum non imminet, ob hoc, quod pueri nutriuntur inter Catholicos, admittuntur quicumque ad hoc officium; quia ea, quæ pertinent ad Chriſtianam vitam, & fidem, publicè omnibus nota ſunt, Adſunt namque Prædicatores prædicantes Evangelium, in quo continentur omnia, quæ obſervare debemus; Adſunt & Parochi, ad quos ſpectat inſtruere filios in Doctrina Chriſtiana, in qua poſita ſunt omnia ea, quæ unuſquiſque fidelium ſcire, & credere debet. Verùm addit Div. Thom. admonendos eos, qui patrini, ſponſores, ſuſceptores, & fidejuſſores dicuntur ob hoc, quod à ſacro fonte aliquem ſuſceperunt; ſi tamen quocumque modo ſentirent contrarium, tenerentur ſecundum ſuum modum ſaluti ſpiritualium filiorum curam impendere.

r Ibid. ad prim.

Ex quo ſequitur, quod non omnibus hominibus adminiſtratio hujus tutelæ committenda ſit; ſed ſolùm fidelibus debet talis adminiſtratio committi. Unde excluduntur hæretici, eò quia tradunt, & docent falſa dogmata, & impugnant vera, illa ſcilicet, quæ ſunt Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Catholicæ, atque Apoſtolicæ.

Excluduntur Judæi, utpotè quia veritatem fidei mendaciis ſemper obſcurant, & omnem pietatem Chriſtianam impiè evertunt. Excluduntur denique ab hoc munere infideles omnes, quia quomodo poterunt eſſe iſti fidejuſſores, ſi jam omnia, quæ ad fidem Chriſti credendo, ignorant? Itaque unà cum Div. Thom. concludendum eſt, quod ille, qui non eſt baptizatus, non poteſt ſuſcipere baptizatum; non enim eſt de neceſſitate Sacramenti perſona ſuſcipientis, ſicut eſt de neceſſitate ejuſdem Sacramenti perſona baptizantis; & hoc ut nemo ex hac vita decedat ſine baptiſmo, cum abſque baptiſmo impoſſibile ſit homini eſſe ſalutem æternam.

Supra quæſtionem ſexageſimam octavam.

De ſuſcipientibus baptiſmum.

OMnes cujuſcumque conditionis, ſtatus, atque ætatis, & ſexus ſunt capaces hujus Sacramenti baptiſmi, verumtamen non tantùm capaces ſunt, verùm etiam omnes tenentur baptiſmum ſuſcipere, quoniam per iſtum omnes regenerantur in Chriſto, in quo eſt, ſalus vita, & reſurrectio noſtra; per baptiſmum etiam regeneramur in Chriſto & de filiis iræ filii Dei nominamur per ipſum; Filii iræ eramus per peccatum originale, quale peccatum omnes contrahunt per naturalem generationem, Filii Dei ſumus per lavacrum regenerationis; etenim ſtat illud Pauli ad Corint. (a) ſicut in Adam omnes peccaverunt, ita in Chriſto omnes vivificabuntur. Omnes utique vivificabuntur, propter hoc dicitur, quod dato, quod aliquis eſſet ſanctificatus in utero matris, attamen non ſolùm capax eſſet baptiſmi, ſed etiam deberet baptizari, juxta doctrinam Div. Tho. (b) tùm propter acquirendum characterem, quo annumeretur in populo Dei (ſicut multos legimus in utero ſanctificatos in veteri teſtamento, & tamen circumciſi fuerunt, ut eſſent de numero filiorum Iſrael.) Tùm ut per baptiſmi perceptionem paſſioni Chriſti etiam corporaliter conformetur (ut per fidem Chriſti parati ſimus & in carcerem & in mortem iræ.) Tùm propter bonum obedientiæ, quia præceptum de baptiſmo omnibus datum eſt, & ab omnibus impleri debet; (juxta illud Joan. (c) niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire regnum Dei; (d) Tum ex illo Marci, qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; Credere namque oportet Chriſtum eſſe Filium Dei, ut teſtes ſimus veritatis, & fidei, juxta illud (e) Joannis, qui credit in filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe. Unde & Paulus ad Rom. (f) ajebat, corde creditur ad juſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Hæc omnia neceſſaria ſunt ad ſalutem animæ conſequenda, quoniam impoſſibile eſt credere, quod Eccleſia Catholica, quæ eſt mater, & Magiſtra omnium Eccleſiarum docet, & prædicat, & ore confiteri, & poſt baptiſmum non ſuſcipere, vel deſiderare, & hinc eſt, quod dato caſu, quod aliquis præveniatur morte, & baptiſmum deſideret, abſque dubio ſalutem conſequi poteſt, ob deſiderium baptiſmi, quod procedit ex fide per dilectionem operantem. Scire tamen debet iſte, qui deſiderat baptizari, quod utique deſiderium bonum eſt, ſed citiùs complendum, adeòque non eſt differendum tempus ſuſcipiendi baptiſmum, maximè tamen quando baptizandi ſunt pueri; ad differentiam adultorum, de quibus utique fatendum eſt, non ſtatim ac convertuntur baptizandos eſſe, & hoc quia indigent inſtructione eorum, quæ fide credenda ſunt, & ne decipiatur Eccleſia ob fictionem accedentis ad baptiſmum; & propter reverentiam Sacramenti; quoniam non eſt conferendum Sacramentum baptiſmi peccatoribus illis habentibus propoſitum perſiſtendi in peccato.

a P. ro 71.
b 4. diſt. 6. q. 1. art. 3. q. 3.
c Cap. 3.
d Cap. 16.
e P. cap. 5.
f Cap. 10.

Cæterum ſi peccatores ſint; & velint baptiſmum ſuſcipere, non ſunt imponenda opera ſatisfactoria, ne fiat injuria paſſioni, & morti Chriſti; quaſi quod ipſa non eſſet ſufficiens ad plenariam ſatisfactionem pro peccatis baptizatorum. Et cum non ſint imponenda peccato-

Digitized by Google

catoribus accedentibus ad baptiſmum opera ſatisfactoria, benè ſequitur, nec ab illis requirendam eſſe confeſſionem, exteriorem, ſcilicet illam, quæ fit Sacerdoti; quamvis requiratur ante baptiſmum confeſſio interior quæ fit Deo, ut ſcilicet de peccatis, quæ commiſerunt, doleat. Et hoc in ſignum, quod ex parte baptizatorum requiritur voluntas, ſive intentio ſuſcipiendi Sacramentum manifeſtum eſt enim, quod nemo renaſcitur ex aqua, & Spiritu Sancto, niſi volens. Et Divus Thomas hic ait, quod ſi in adulto deeſſet intentio ſuſcipiendi Sacramentum, eſſet rabaptizandus. Ut autem cum fructu baptizentur adulti, requiritur neceſſariò actus fidei, ſine quo gratia haberi non poteſt, quæ eſt ultimus effectus Sacramenti, juxta illud Pauli ad Rom. (g) juſtitia Dei eſt per
g Cap. 1. fidem Jeſu Chriſti. Et ut certi ſimus de veritate baptiſmi aſſerimus cum Divo Thoma pueros eſſe baptizandos, utpote quia contraxerunt peccatum originale naſcendo, quamvis ex parentibus fidelibus. Non ſic tamen de illis, qui ex Judæis, vel aliis infidelibus naſcuntur, dummodo vis inſeratur, ſiquidem contra naturalem juſtitiã eſſet, ſi pueri invitis parentibus baptizarentur. Sicut nec de illis, qui in maternis uteris exiſtunt, non enim prodierunt in lucem, ut cum aliis hominibus vitam ducant. Sed quid de furioſis & amentibus? Attendendum eſt quod aliqui ſunt amentes, qui numquam habuerunt, nec habent uſum rationis, & iſti baptizantur in fide Eccleſiæ, aliqui ſunt amentes, non quia habuerunt illam à nativitate, ſed quia inciderunt in amentiam; & tales ſunt judicandi ſecundum voluntatem, quam habuerunt, dum ſanæ mentis exiſtent. De de furioſis verò dicendum eſt, quod vel expectandum eſt tempus, in quo lucida intervalla appareant in illi, vel ſi appareat in iliis aliquod ſignum, in quo videtur, quod ratione utuntur, ut de ſua ſalute cogitare poſſunt, baptizari debent.

Impoſſibile igitur eſt ſalvari homines abſque Sacramento baptiſmi, & hoc eſſe pluſquam verum conſtat ex ore ipſius veritatis dicentis, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire regnum Dei, ſicut & ex illo, quod dixit, qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur. Unde benè Gregorius, neque credi fas eſt, eos, qui regenerationis non adepti ſunt Sacramentum, ad cultum Beatorum pertinere conſortium. Quapropter & Concilium Tridentinum (h) juxta doctrinam Chriſti
h Seſſ. 7 de baptiſ. can. 4. Domini decrevit, quod ſi quis dixerit, baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem: anathema ſit.

Et ideò omnibus hominibus lex baptiſmi ſuſcipiendi à Domino præſcripta eſt, ita ut niſi per baptiſmi gratiam Deo renaſcantur in ſempiternam miſeriam, & interitum, ſive fideles, ſive infideles ſint, procreentur; legitur namque in libro de (i) Eccleſiaſticis
i Cap. 24. dogmatibus, baptizatis tantùm iter ſalutis eſſe cre-
l 3 p. q. 68. art. 2. dimus. Propterea ex Div Thom. (l) hanc veritatem jam roboratam à Sacro Concil. Trident. habemus, ad illud homines tenentur, ſine quo ſalutem conſequi non poſſunt; certum enim eſt, quod nullus poteſt ſalutem conſequi, niſi per Chriſtum, hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcat te Deum ve-
m Cap. 17. rum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum: (m) ex Joanne. Et Paulus ad Rom. dixit; ſicut per unius
n Cap. 5. (n) delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ, ad quam habendam datur
o Cap. 3. baptiſmus, ut aliquis per ipſum regeneratus incorporetur Chriſto factus membrum (o) ipſius; unde dicitur ad Gal. quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, modò per baptiſmum, ſicut antea per circunciſionem, ſiquidem & per iſtam homines incorporabantur per fidem futuri adventus cujus fidei ſignaculum erat circumciſio; ut
p Cap. 4. Apoſtolus dicit ad Rom. (p) & ſignum accepit circumciſionis ſignaculum juſtitiæ fidei. Et ante circumciſionem homines incorporabantur Chriſto ſola fide cum ſacrificiorum oblatione, quibus ſuam fidem antiqui Patres profitebantur, & poſt adventum Chriſti homines per fidem Chriſto incorporantur, juxta illud Pauli ad Epheſ. (q) habitare Chriſtum q Cap. 3.
per fidem in cordibus veſtris. Et hac ratione dicit Div. Thom. (r) quod licet ipſum Sacramentum r Ib. ad 1.
baptiſmi non ſemper fuerit neceſſarium ad ſalutem, fides tamen, cujus baptiſmus Sacramentum eſt, ſemper neceſſaria fuit, ut vitam æternam conſequi poſſet. Et quamvis ſanctificati in utero conſequantur gratiam emundantem à peccato originali, nihilominus tamen ex hoc ipſo conſequuntur characterem, quo Chriſto configurentur; propter quod do- ſ Ib. ad 3.
cet Div. Thom. (ſ) quod ſi aliqui ſanctificarentur in utero etiam nunc, neceſſe eſſet eos baptizari, ut per ſuſceptionem characteris aliis membris Chriſti conformarentur.

Et licet ſine baptiſmo non poſſint ſalvari illi, qui nec baptizantur, nec baptizari volunt, ſpernendo Sacramentum baptiſmi, impoſſibile eſt enim, quod iſti incorporentur Chriſto, per quem ſolùm eſt ſalus, cum nec mentaliter per votum, nec Sacramentaliter per rem ſuſcipere velint baptiſmum: nihilominus tamen quando deſiderat quis baprizari, & aliquo caſu morte prævenitur, antequam baptiſmum re ſuſcipiat, talis poteſt conſequi ſalutem abſque actuali baptiſmo propter deſiderium baptiſmi, quod procedit ex fide per dilectionem operantem, per quam Deus interius hominem ſanctificat, & facit manſionem in eo, quod provenit ex eo, quod deſiderat ſervare ea, quæ à Chriſto præcepta fuerunt, & ſi non ſuſcipit re baptiſmum, in voto tamen dicitur illum ſuſcipere; ſic legitur de Valentiniano, qui Cathecumenus mortuus fuit, & tamen ſalvus factus eſt propter ſolum deſiderium ſuſcipiendi baptiſmum, de quo Ambroſius etiam dicit, quem regeneraturus eram, amiſi, verumtamen ille gratiam, quam popoſcit, non amiſit; propter quod t 3. p. q. 68. art. 2.
& Div. Thom. (t) ait, quod ille, qui deſiderat per baptiſmum regenerari ex aqua & Spiritu Sancto; corde quidem regeneratus eſt, quia Dominus intuetur cor, licet non corpore, quod comprobatur ex illo Pauli ad Rom. (u) circumciſio cordis eſt in u Cap. 2.
ſpiritu, non litera, cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt. Et rurſus ait Div. Tho. (x) quod x Ib. ad 3.
pro tanto dicitur Sacramentum baptiſmi eſſe de neceſſitate ſalutis, quia non poteſt eſſe homini ſalus, niſi ſaltem in voluntate habeatur, quæ apud Deum reputatur pro facto. Unde & Concil. Trident. pro (y) majori manifeſtatione doctrinæ Div Thom. y Seſſ. 7 de Sacram in gen. can. 4.
decrevit, quod ſi quis dixerit ſine Sacramentis, aut eorum voto per ſolam fidem homines à Deo gratiam juſtificationis adipiſci; anathema ſit.

Suſcepit ergo & Valentinianus baptiſmum in voto, & ideò ſalvus factus fuit; at non ſtatim pervenit ad vitam æternam, ſed paſſus fuit pœnam pro peccatis præteritis; certum enim eſt, docet Div. Thom. (z) quod nullus pervenit ad vitam æternam, z Ib. ad 2.
niſi abſolutus ab omni culpa & reatu pœnæ; quæ quidem univeſalis abſolutio fit in perceptione baptiſmi, & in martyrio, propter quod dicitur, quod in martyrio omnia Sacramenta baptiſmi complentur ſ. quantum ad plenam liberationem à culpa, & à pœna. Et hoc, quod docuit Div. Thom. habetur confirmatum ex Decreto Concilii Tridentini ſic; a Seſſ. 6. cap. 4.
itaque ſatisfactiones per Jejunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualia vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, vel Sacramento, vel Sacramenti voto unà cum culpa remittitur; ſed pro pœna temporali, quæ, (ut ſacræ literæ docent,) non tota ſemper, ut in baptiſmo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam receperunt ingrati, Spiritum Sanctum contriſtaverunt, & templum Dei violari non ſunt veriti. Illud ſ. templum, de quo & Paulus ad Corint. (b) dixit, ſi quis templum b 1. cap. 3.
Dei violaverit, diſperdet illum Deus. De martyrio

rio

c 3 p. q. 37. ar. 1. ad 2. rio autem habetur confirmatum ex (c) Div. Thom. dicente, paſſio pro Chriſto ſuſcepta obtinet vim baptiſmi, & ideò purgat ab omni culpa, & veniali, & mortali, niſi actualiter voluntatem peccato invenerit inhærentem.

Valentinianus ergo Cathec., factus talis & mortuus eſt, & nihilominus tamen liberavit animam ſuam ab igne infernali, quia ſuſcepit baptiſmum per ignem deſiderii, non enim ſuſcipere potuit, (& hoc quia vel fortè morte præventus, vel forſan quia repentino ictu obiit,) baptiſmum fluminis, quem tamen ſuſcipere debebat, & inſtructores illius tenebantur illi dare, utpotè in periculo mortis jam conſtituto, & nullo pacto differendus erat baptiſmus, quamvis adultus; ſiquidem ut docet Divus Thom. d 3 p. q. 68. art 3. (d) dilatio temporis in adultis prætermittenda eſt, & quando illi, qui ſunt baptizandi, apparent perfectè inſtructi in fide, & ad baptiſmum idonei, & e Cap 8. jam fidei myſteria plenè perceperint; (e) ſicut habemus, tùm ex illo Actorum de Philippo, qui ſtatim nulla interpoſita mora baptizavit Eunuchum Reginæ Candacis, legitur enim, quod dùm irent per viam, venerunt ad quamdam aquam, & ait Eunuchus, ecce aqua, quis prohibet me baptizari? dixit autem Philippus; ſi credis ex toto corde licet, & reſpondens ait, credo filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum; & juſſit ſtare currum, & deſcenderunt uterque in aquam Philippus, & Eunuchus, & f Cap. 10. (f) baptizavit eum. Tùm ex illo Actorum de Petro, qui baptizare juſſit Cornelium, & omnes, qui cum eo erant ſtatim, unde legitur, & juſſit eos baptizari in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Et denique quando videtur inſtare periculum vitæ, g Epiſt. 4. cap. 6 juxta id, quod ſcripſit Leo Papa, (g) hi, qui neceſſitate mortis, ægritudinis, obſidionis, perſecutionis, & naufragii urgentur, omni tempore debent baptizari.

Si tamen aliquis morte præveniatur articulo neceſſitatis Sacramentum excludente, dum expectat tempus ab Eccleſia inſtitutum, ſalvatur, licet per ignem; juxta Paulum ad Corint. ipſe tamen ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.

Cæterum hujuſmodi dilatio temporis, ceſſantibus talibus motivis, non eſt prætermittenda & in illis, qui rationis uſu præditi ſunt, ſed opus eſt differre uſque ad aliquod certum tempus. Primò quidem propter cautelam Eccleſiæ, ne decipiatur Sacramentum fictè accedentibus conſerens, ſecundum il- h P. cap. 4. lud Joannis. (h) Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint; addit, quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in Mundum, ſunt enim multi ex gentibus, qui veniunt ad baptiſmum, non ut confiteantur Jeſum Chriſtum, ſed potiùs ut nomen Domini Jeſu blaſphemetur; Utinam & olim, & noſtris temporibus hoc non accidiſſet; i Can. 25. propter quod & in Concilio Agathenſi (i) legitur, Judæi, quorum perfidia frequenter ad vomitum redit, ſi ad leges Catholicas venire voluerint, octo menſes inter Cathecumenos Eccleſiæ limen introeant, & ſi pura fide venire noſcantur, tunc demùm baptiſmi gratiam mereantur.

l Ib. ad 2. Et Div. Thom. (l) dicit, quod hoc fuit inſtitutum ad Eccleſiæ cautelam, nè ſimplicium fidem corrumpant, ſi non fuerint plenè converſi.

Secundò hoc eſt neceſſarium ad utilitatem eorum, qui baptizantur, quia aliquo temporis ſpatio indigent, ad hoc, quod plenè inſtruantur de fide, & excitentur in his, quæ pertinent ad vitam Chriſtianam. Ad hanc autem pertinent & nomen Do- m Cap. 10. mini invocare, ſicut ſcriptum eſt ad Rom. (m) omnis, quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit; & credere; quoniam ſubdit Paulus, quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?

Tertiò hoc eſt neceſſarium ad quamdam reverentiam Sacramenti, dùm in ſolemnitatibus præcipuis ſcilicet & Paſchæ, & Pentecoſtes homines ad baptiſmum admittuntur: & ita devotiùs Sacramentū ſuſcipiunt.

Ultra hæc tria aſſignata non eſt differendus baptiſmus ab adultis, ne peccent; ſi ab ipſis tardetur converti ad Dominum, ſecundum illud, quod ſcriptum eſt in lib. Eccl. (n) non tardes converti ad n Cap. 5. Dominum, & ne differas de die in diem; non peccabunt tamen, ſi ex cauſa neceſſaria, & licentia Prælatorum Eccleſiæ tardabunt. Et hoc, quod dicitur de adultis, nullo modo dicendum de pueris, ac proinde horum baptiſmus non eſt differendus; ſiquidem habetur ex Cat. Rom. (o) cum pueris infantibus nulla alia ſalutis comparandæ ratio, niſi o 2. par de Bapt. n. 34. eis baptiſmus præbeatur, relicta ſit, facilè intelligitur, quod gravi culpa illi ſeſe obſtringunt, qui eos Sacramenti gratia diutiùs, quàm neceſſitas poſtulat, carere patiuntur: cum præſertim propter ætatis imbecillitatem infinita pœne vitæ pericula illis impendeant; juxta illud, quod docet Div. Thom. (p) non eſt differendum baptiſma puerorum propter p 3 pa. cit. art. 3. periculum mortis, quia non poteſt eis alio remedio ſubveniri, niſi per Sacramentum baptiſmi; & etiam quia non expectatur in eis major inſtructio, aut etiam plena converſio. Unde erraverunt illi, qui dixerunt, neminem eſſe baptizandum, niſi in ea ætate, qua Chriſtus baptizatus eſt; ſicut erraverunt & illi, qui dixerunt, neminem eſſe baptizandum, niſi in ipſo mortis periculo; & taliter erraverunt, ut de iſtis poteſt repeti illud Pſalmi (q) erraverunt ab utero, hoc eſt à principio ſuæ cognitionis, vel q Pſal. 57. ut ait Paulus ad Timot. (r) erraverunt à fide, locuti ſunt falſa, protulerunt ſcilicet blaſphemias contra Deum, denigraverunt per falſa dogmata Ec- r P. cap. 6. cleſiam, quæ ſponſa Chriſti appellatur. Baptizandi ergo ſunt pueri, nam & iſti indigent gratia, ut ſalventur, & ut liberentur à peccato originali jam contracto ab Adam, indigent & reparatione, & remedio; ut bene ait Apoſtolus ad Rom. (ſ) ſi unius ſ Cap. 5. delicto mors regnavit per unum, ſcilicet per Adam, certum enim eſt, omnes in quocumque gradu ſint, eſſe mortalitati ſubiectos, hæc enim per peccatum primi hominis in omnes pertranſiit, idcircò ſubdit Apoſtolus, regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen etiam in eos, qui non peccaverunt, in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, qui eſt forma futuri; multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & juſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum; qui dignatus eſt in hunc Mundum venire, ut ſalvetur Mundus per ipſum: cum manifeſtum ſit, quod non eſt in aliquo alio ſalus, nec eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri. Nos itaque, at non tantum nos adulti, verùm etiam parvuli ſalvantur per ipſum; cum & iſtis baptiſmum Sacramenti non denegaverit, ſicut nec gratiam.

Non denegavit illis baptiſmi Sacramentum; ſiquidem præceptum poſuit, quod non præteribit de ſuſcipiendo baptiſmo. & tunc fuit, quando dixit, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c. Naſcitur enim quilibet nativitate temporali, hoc eſt generationi naturali, & naſcendo contrahit peccatum originale, per quod ſubiectatur morti; ergo renaſci debet, ut acquirat vitam æternam, quam nemo poteſt habere, niſi per baptiſmum, cum ad ſalutem acquirendam ſit neceſſarius ſimpliciter. Et taliter eſt neceſſarius baptiſmus etiam pueris, ut ſi quis oppoſitum ſenſerit, anathematizatur à Sacro Concilio Trident. (t) ſtatuente: ſi quis parvulos re- t Seſſ. 5. can. 4. centes ab uteris matrum, baptizandos negat, etiam ſi fuerint à baptizatis parentibus orti, aut dicit in remiſſionem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro neceſſe ſit eos expiari ad vitam æternam conſequendam, unde ſit conſequens, ut in eis forma baptiſmatis in remiſſionem peccatorum, non vera, ſed falſa intelligatur: anathema ſit.

Igitur verè baptizantur & verè ſuſcipiunt Sacramentum baptiſmi, nam etſi non ipſi pueri habeant tunc intentionem ſuſcipiendi baptiſmum, cum &

tunc

Digitized by Google

tunc uſu liberi arbitrii careant, tamen illi, qui offerunt, hanc habent, & hunc exercent, quod ſatis eſt, ait Div. Thom. (u) ut poſſint dici intendentes, non per actum propriæ intentionis, cum ipſi quandoque contaminentur, vagitus emittant, atque plorent, ſed per actum eorum, à quibus offeruntur. Et ideò damnat eos Concilium Tridentin. (x) qui oppoſitum ſentiunt, ſi quis dixerit parvulos, eò quod actum credendi non habent, ſuſcepto baptiſmo, inter fideles computandos non eſſe, ac propterea cum ad annos diſcretionis pervenerint, eſſe baptizandos, aut præſtare, omitti eorum baptiſma, quam eos non actu proprio credentes, baptizari in ſola fide Eccleſiæ, anathema ſit. Rurſus, (y) ſi quis dixerit, hujuſmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos eſſe, an ratum haberi velint, quod Patrini eorum nomine, dum baptizerentur, polliciti ſunt, & ubi ſe nolle reſponderint ſuo eſſe arbitrio relinquendos: anathema ſit. Quare autem hoc? Quia, ut benè docet Div. Thom. (z) regeneratio ſpiritualis, quæ fit per baptiſmum, eſt quodammodo ſimili nativitati carnali, quantum ad hoc quod ſicut pueri in maternis uteris conſtituti, non per ſeipſos nutrimentum accipiunt, ſed ex nutrimento matris ſuſtentantur; ita etiam pueri nondum habentes uſum rationis, quaſi in utero matris Eccleſiæ conſtituti, non per ſeipſos, ſed per actum Eccleſiæ ſalutem ſuſcipiunt.

u 1.p.q.68. art. 9. ad 2.
x Seſſ.7. de baptiſ. can. 13.
y Ibi. can. 14.
z loc. cit. ad 1, Ibid.

Quam doctrinam roborat Div. Auguſt. (a) lib. de remiſſione peccatorum, & meritis, dum inquit, Mater Eccleſia os maternum parvulis præbet; ut ſacris myſteriis imbuantur, quia nondum proprio corde credere poſſunt ad juſtitiam, nec ore proprio confiteri ad ſalutem.

a Lib. 1, ca. 25.

Non denegavit pueris Chriſtus Dominus gratiam, unde & eos vocavit, ſicut habetur ex Matt. (b) ſinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire, talium eſt enim regnum Cœlorum; & illos amplexus fuit; ut legitur Mar. (c) & complexans eos, & imponens manus ſuper illos benedicebat eos: Hanc ergo gratiam ſuſcipiunt pueri & in baptiſmo, ſic deſumitur ex Cathechiſmo Rom. (d) neque enim dubitare licet, quin infantes fidei Sacramenta, cum abluantur, accipiunt, non quia mentis ſuæ aſſenſione credant, ſed quia parentum fide, ſi parentes fideles fuerunt, ſin minus fide, inquit Auguſtinus ad Boniſacium, (e) univerſæ ſocietatis Sanctorum muniuntur.

b Cap. 19.
c Cap. 10.
d 2. par. de bapt. n. 11.
e Epiſt. 23.

Ab omnibus namque, ſubdit Div. Thom. (f) offerri rectè intelliguntur, quibus placet, quod offeruntur, & quorum charitate ad communionem Sancti Spiritus adjunguntur; ac proinde infidelitas propriorum parentum, etiam ſi eos poſt baptiſmum dæmoniorum ſacrificiis imbuere conentur, pueris non nocet, quia, ut ait Auguſtinus ibidem, puer ſemel generatus per aliorum voluntatem, deinceps non poteſt vinculo alienæ iniquitatis obſtringi, ubi nulla ſua voluntate conſentit; ex quibus videtur, quod maximè neceſſarium ſit pueros baptizari, ut à pueritia nutriti in his, quæ ſunt chriſtianæ vitæ, firmiùs & credent ea, quæ ſunt fidei, & ſtabiliùs permaneant in illis, uſque ad ultimam finis vitæ periodum, hinc ſtat illud Proverb. (g) adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.

f Ib. ad 2.
g Cap. 22.

Verùm ſcire debet unuſquiſque fidelium, quod non ſufficit dicere, Domine, Domine, ſed requiritur neceſſariò ſervare, quæ præcepit Dominus, juxta illud Chriſti Domini Matt. (h) non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum Cœlorum; ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum Cœlorum. Voluntas autem Patris Cœleſtis tunc fit; quando adimplentu ea, quæ per legem ordinata ſunt, nec adimpleri dicuntur tantùm per principium intentionis, ſed per ultimum finem executionis, & ideò dixit, non qui inceperit, ſed qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.

h Cap. 7.

Baptiſmus quamvis ſit omnibus ad ſalutem neceſſarius, nihilominus tamen baptizandi ſunt illi tantùm, qui liberè ad aquam baptiſmalem veniunt: Qua de cauſa numquam licebit baptiſmum conferre pueris Judæorum, ſive aliorum infidelium invitis parentibus, & ultrà quod determinatum videatur ex Concilio Toletano à Divo Thom. (i) citato, præcepit ſancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre, non enim tales inviti ſalvandi ſunt, ſed volentes, ut integra ſit forma juſtitiæ, etiam à Divus Thom. (l) manifeſtatur, docet namque, pueri nondum habentes uſum liberi arbitrii ſecundum jus naturale, ſecundum jus naturale ſunt ſub cura parentum, unde eſſet contra juſtitiam naturalem, ſi tales pueri invitis parentibus baptizarentur, quæ ratio etiam currit, ſi aliquis baptizaretur invitus habens uſum rationis, propterea non eſt conſuetudo Eccleſiæ hoc facere, maximè etiam quia ſemper vult, ut ſervetur jus naturale, cum multoties prævaleat etiam juri divino, & pro maxima poſuit, quod nemini ſit facienda injuria, quæ profectò injuria fieret Judæis, ſi eorum filii baptizarentur eis invitis; ſiquidem jus patriæ poteſtatis in filios jam fideles amitterent.

i 3. p. q. 68. a. 10. in ſed c.
l Ib. in c.

Pariter eſſet contra juſtitiam naturalem, ſi puer antequam haberet uſum rationis à cura parentum ſubtraheretur, vel de eo aliquid ordinaretur invitis parentibus. Item eſſet contra ordinem juris naturæ, uti manifeſtat Div. Thom. (m) à paritate rationis, inquit enim, ſicut à morte corporali non eſt aliquis eripiendus contra ordinem juris civilis, V. G. ſi aliquis à ſuo judice condemnetur ad mortem, nullus debet eum violenter à morte eripere; ita nec debet aliquis irrumpere ordinem juris naturæ, quo filius eſt ſub cura patris, ut eum liberet à periculo mortis æternæ. Maximè etiam quia Judæi licet ſint ſervi Principum, & Regum, ſunt tamen ſervi ſervitute civili, quæ non excludit ordinem juris naturalis, vel divini: unde uſque dum pueri ſub cura parentum ſunt, nemo ſit, qui vel ex temeritate, vel nimio zelo audeat invitis parentibus illos baptizare. Quia ſi ex temeritate duplex malum oriretur; Primum injuria, quæ nemini facienda eſt, utpotè malum proximi, & contra proximum nihil mali eſt operandum. Secundum, injuſtitia ſiquidem tunc non daretur unicuique, quod ſuum eſt, pueri enim debentur patri, cum pater teneatur providere filiis, quantum ſpectat ad ordinem juſtitiæ. Si verò ex zelo, malum unum utique oriretur, ultrà illa duo, & eſſet propter periculum fidei, periculoſum namque eſſet filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent, ob naturalem affectum ad parentes, inquit Div. Thom. (n) & alio in loco ait, ſi pueri nondum uſum rationis habentes baptiſmum ſuſciperent, poſtmodum cum ad perfectam ætatem pervenirent, de facili poſſent parentibus induci, ut relinquerent, quod ignorantes ſuſceperunt, quod vergeret in fidei detrimentum. Quod nequit dicit de pueris Judæorum, vel infidelium habentibus uſum rationis, & uſum liberi arbitrii, proprii ſcilicet, ſiquidem certum eſt, quod incipientes eſſe poteſtatis ſuæ, poſſunt conſequenter & propria voluntate invitis parentibus baptiſmum ſuſcipere, ſicut & matrimonium contrahere, utpotè quia poſſunt quantum ad ea, quæ ſunt juris divini, vel naturalis ſibi ipſis providere. Immò tales poſſunt moneri licitè, & induci ad baptiſmum ſuſcipiendum; inducendi etenim poſſunt ad fidem; at (nota) quod non coactione, ſed perſuaſione ex zelo Dei inducendi ſunt, ut conſentiant fidei, & conſentiendo invitis parentibus tunc poſſunt baptizari.

m Ibid. ad 1.
n Ibid. in c.

At quid dicendum de pueris in maternis uteris exiſtentibus; iſti ne ſunt baptizandi, vel non?

Ut certum ab incerto ſeparetur, & claritas veritatis manifeſtetur, dicendum eſt, quod quamvis pueri in maternis uteris exiſtentes poſſint ſanctificari,

Digitized by Google

ficari, ut ſanctificatos legimus fuiſſe, (o) Jeremiam, de quo dicitur, antequam exires de vulva, ſanctificavi te, Joannem baptiſtam, de quo Lucæ dicitur, (p) Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ; ut ſanctificatam credimus Beatiſſimam Virginem Mariam, & rationabiliter hoc credendum eſt, inquit Div. Auguſt. nam rationabiliter argumentatur, quod cum corpore ſit aſſumpta in cœlum, (quod tamen ſcriptura non tradit,) ita etiam rationabiliter argumentari poſſumus, quod fuerit ſanctificata in utero. Et Divus Thom. (q) hoc rationabiliter credendum eſſe aſſerit, ſiquidem docet, rationabiliter creditur, quod illa, quæ genuit unigenitum à Patre plenum gratiæ, & veritatis, præ omnibus aliis majora privilegia gratiæ acceperit; & de facto inquit Divus Thom. (r) Beata Virgo, quæ fuit à Deo electa in Matrem ampliorem ſanctificationis gratiam obtinuit, quàm Joannes Baptiſta, & Jeremias, qui ſunt electi ut ſpeciales Præfiguratores Chriſti; Cujus ſignum eſt, quod Beatæ Virgini præſtitum eſt, ut de cætero non peccaret, nec mortaliter, nec venialiter, aliis autem ſanctificatis creditur præſtitum eſſe, ut de cætero mortaliter non peccarent, divina eos gratia protegente.

Nihilominus tamen firmiter credendum eſt, quod pueri in maternis uteris exiſtentes baptizandi non ſunt; & hoc quia ait Iſidorus, qui natus adhuc ſecundum Adam non eſt, ſecundum Chriſtum renaſci non poteſt; neque regeneratio in eum dici poteſt, quem generatio non præceſſit. Et Divus Thomas, quia nondum prodierunt in lucem, ut cum aliis hominibus vitam ducant, & ideò non poſſunt ſubiici actioni humanæ, ut per eorum miniſterium Sacramenta recipiunt ad ſalutem, quamvis poſſint ſubiici actioni, & operationi Dei, apud quem vivunt; ſicut dicebat David in Pſalm. (ſ) apud te eſt fons vitæ, in lumine tuo videbimus lumen, cum quodam privilegio gratiæ ſanctificationem conſequantur; ergo Baptizandi non ſunt, dùm exiſtunt in maternis uteris, maximè etiam quia de neceſſitate baptiſmi eſt, quod corpus baptizandi aliquo modo abluatur, nam & baptiſmus eſt quædam ablutio.

Nec ex eo, quod corpus matris lavetur, ſequitur quod ad filium in ventre matris exiſtentem talis ablutio proveniat, eò quia non eſt nec idem corpus cum corpore matris, licet in corpore matris exiſtat, nec eſt eadem anima cum anima matris; nec eſt eadem anima, quia anima pueri, ad cujus ſanctificationem ordinatur baptiſmus, diſtincta eſt ab anima matris, quæ cum ſit fidelis, ſupponitur etiam ſanctificata per baptiſmum; non eſt idem corpus, quia corpus pueri animati jam eſt formatum, & per conſequens à corpore matris diſtinctum. Et licet membrum interius matris ſit aliquid ejus per continuationem, & unionem naturalem partis ad totum, tamen puer in utero matris exiſtens, etſi ſit aliquid matris, eſt tamen aliquid ejus per quamdam colligationem corporum diſtinctorum. Et ideò ait Div. Thom. (t) baptiſmus, quo mater baptizatur, nequit redundare in prolem in utero matris exiſtentem. Et Div. Auguſt. (u) contra Julianum dixit, ſi ad matris corpus id, quod in ea concipitur, pertinet, ita ut ejus pars imputetur, non baptizaretur infans, cujus mater baptizata eſt, aliquo mortis urgente periculo, cum eum geſtaret in utero, nec baptizandus eſt, inquit Divus Thom. (x) etiam ſi adeſſet periculum mortis æternæ ipſius fætus animati, qua de cauſa non debet homo occidere matrem, ut puerum baptizet, non enim ſunt facienda mala, ut veniant bona; non tamen erit malum aperiri ventrem matris, ſi mortua fuerit vivente prole in utero, ut puer baptizetur; ut conſtat hoc contigiſſe de pluribus. Nunc verò, ſubdit Divus Auguſt. cum etiam ipſe, ſcilicet infans baptizetur, non utique ad maternum corpus, cum eſſet in utero, pertinebat. Et ideò vel expectanda eſt totalis egreſſio pueri ex utero ad baptiſmum, niſi mors immineat, vel ſi ca-

o Cap. 1.
p Cap. 1.
q 3 p. q. 27. art. 1.
r Ib. ar. 6 ad pr.
ſ Pſal. 35.
t 3 p. q. 68. art. 11
u Lib. 6. c. 5
x Ib. ad 3

put primò egrediatur, in quo fundantur omnes ſenſus, debet baptizari periculo imminente, etſi contigerit eum perfectè naſci, non eſt poſtea rebaptizandus, quod idem faciendum eſt de qualibet alia parte, quæ egreditur, ſuppoſito, quod immineat periculum.

At circa hoc videtur apud quoſdam eſſe dubium, maximè quia videtur, quod in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita conſiſtit, ſicut in capite, hinc dicitur ab iſtis, ut tollatur omne dubium, quod puer, de quo quælibet alia pars corporis abluta fuerit, poſt perfectam nativitatem ſit baptizandus ſub hac forma, ſi non es baptizatus, ego te baptizo.

Si verò quæratur de amentibus, & furioſis, an baptizari debeant, & quando poſſint, ſicut & quando non poſſint baptizari? Reſpondendum eſt ad hoc, quod dantur quidam amentes, & furioſi, qui à nativitate ſunt tales, & iſti baptizari debent, cum idem judicium faciendum ſit de iſtis, ac de pueris, qui baptizantur in fide Eccleſiæ, & maximè quia nulla videntur habere iſti tales lucida intervalla; hoc confirmatur à Divo Thom. (y) dicente, amentes, qui nunquam habuerunt, vel habent uſum rationis, (quod intelligitur per accidens, ſcilicet propter aliquod impedimentum organi corporalis, non verò propter defectum animæ rationalis, & hoc ut diſtinguantur à brutis animalibus) baptizantur ex intentione Eccleſiæ ſicut & ex actu Eccleſiæ credunt, & pænitent, ut dictum eſt de pueris.

Dantur & quidam amentes, & furioſi, qui ex ſana mente in inſaniam deinde inciderunt, & iſti tales judicandi ſunt ſecundum voluntatem, quam habuerunt, dum ſanæ mentis exiſterent; ideòque ſi tunc apparuit in eis voluntas ſuſcipiendi baptiſmum, debet eis exhiberi in furia, & amentia conſtitutis; (ſicut & dormientibus, ſi tamen adſit illis periculum mortis;) etiam ſi tunc actu contradicant, juxta id, quod à Divo Thom. ibidem additur, illi verò qui aliquo tempore habuerunt, vel habent uſum rationis ſecundum propriam intentionem, baptizantur, quam habent, vel habuerunt tempore ſanæ mentis, & ſic creditur Div. Aug. (a) feciſſe de quodam amico ſuo, ſicut & ipſe narrat. Cum enim laboraret ille febribus, jacuit diù ſine ſenſu in ſudore lethali. Et cum deſperaretur, baptizatus eſt neſciens, me non curante, & præſumente id retinere potiùs animam ejus, quod à me acceperat, non quod in neſcientis corpore fiebat; longè autem aliter erat, nam recreatus eſt, & ſalvus factus. E' contra autem ſubdit Div. Thom. ſi nulla voluntas ſuſcipiendi baptiſmum in eis appareat, dùm ſanæ mentis eſſent, non ſunt baptizandi.

Dantur & quidam, qui etſi à nativitate fuerint furioſi, vel amentes, habent tamen aliqua lucida intervalla, in quibus recta ratione uti poſſunt; Unde ſi baptizari tunc voluerint, baptizari poſſunt etiam in amentia conſtituti: & debet eis Sacramentum tunc conferri, ſi periculum timeatur, alioquin melius eſt, ut tempus expectetur, ut ſint ſanæ mentis, ad hoc, quod devotiùs ſuſcipiant Sacramentum; cæterum ſi tempore lucidi intervalli non appareat in eis voluntas ſuſcipiendi Sacramentum baptiſmi, baptizari non debent in amentia conſtituti. Dantur denique & alii, qui etſi non omninò ſanæ mentis exiſtant, in tantùm tamen ratione utuntur, quod poſſunt de ſua ſalute cogitare, & intelligere Sacramenti virtutem, & de talibus idem eſt judicium, ſicut & de his, qui ſanæ mentis exiſtunt, qui baptizantur volentes, non autem inviti.

Dantur & quidam alii amentes, qui verè amentes dicuntur, non quia uſum perfectum liberi arbitrii non habeant, ſed quia uſu perfecto rationis carent; & iſti ſunt peccatores, illi ſcilicet, de quibus ſcriptum eſt in lib. Regum, (b) quoniam dereliquerunt dominum Deum ſuum, ſpreverunt illum; & præcepta Altiſſimi irritaverunt; Et iſti venientes ad baptiſ-

y 3. p. q. 68. a. 12. ad 2
a Lib. 4. confeſſ. c. 4. num. 2.
b L. 3. c. 9.

Digitized by Google

baptiſmum baptizandi non ſunt ; utpotè quia accedunt ad baptiſmum, non ad illum ſuſcipiendum, ſed ad illum irridendum, non enim ſe pæniteot admiſſorum ſcelerum, ſed cogitant, quomodo perpetrare poſſunt oova ſcelera, oec ſtatuunt ſe in poſterum abſtinere à peccatis omnibus, ſed proponunt quamplura alia de novo committere ; Unde ſine dubio iſti tales repellendi ſunt à baptiſmo, utpotè noleotes emendare conſuetudinem peccaodi. Et meritò tales peccatores repellendi ſunt, quia, ut bene docet Div. Thom. (c) quamdiù aliquis habet voluntatem peccandi, & perſiſtendi in peccato propoſitum, impoſſibile eſt, quod poſſit eſſe Chriſto conjunctus ; ob hoc dicebat Paulus ad Corint, quæ (d) participatio juſtitiæ cum iniquitate? Et Divus Auguſt. (e) dicit, quod oullus ſuæ voluntatis arbitrer conſtitutus poteſt novam vitam inchoare, oiſi eum veteris vitæ pæniteat ; igitur cum hujuſmodi peccatores per pœoitentiam non ſe diſponant ad Sacramentum baptiſmi ſuſcipiendum, conſequenter nec ſe diſponunt ad deponendum veterem hominem & induendum novum, juxta illud Pauli ad Eph. deponete vos veterem hominem, & induite novum hominem. Et à Catechiſmo Romano de baptiſmo dicitur, quod planè conſtat, meritò à ſacra ablutione rejiciendum eſſe, cui in vitiis, & peccatis perſeverare propoſitum eſt ; præſertim verò quia nihil eorum, quæ ad Chriſtum, & Eccleſiam pertineot, fruſtra ſuſcipiendum eſt.

c 3 p. q. 68. a. 2

d 2. c. 6.

e Libr. de pœnitentia.

Fruſtra enim, inquit Div. Thom. ibidem, eſt, quod non pertingit ad finem, ad quem eſt ordinatum, & ideò nullus habens voluntatem peccandi, ſimul poteſt à peccato mundari, ad quod ordinatur baptiſmus, nam hoc eſſet ponere contradictoria eſſe ſimul. Quomodo namque poteſt ſtare ſimul peccatum, & gratia? Contradictoria enim ſunt, unde quidquid verificatur de uno, non poteſt verificari de altero, vel eſt peccator, vel eſt in gratia conſtitutus; ſi peccator, ergo non eſt indutus gratia ; ſi in gratia, ergo non eſt peccator. Peccator itaque eſt, & maximus peccator, qui propoſitum perſiſtendi in peccato habet ; & de iſtis peccatoribus utique poteſt dici, quod non ſecundum ſpiritum ambulant, ſed ſecundum carnem, quia quæ terrena ſunt, ſapiunt. Deinde etiam ex alio capite repellendi ſunt iſti à ſacro baptiſmate, quia falsò accedunt ad illud, non enim, inquit Div. Thom. ibidem (f) in Sacramentalibus ſignis debet eſſe aliqua falſitas, eſt autem ſignum falſum, cui res ſignificata oon reſpondetur, ex hoc autem, quod aliquis lavandum ſe præbet, per baptiſmum, ſignificatur, quod ſe diſponat ad interiorem ablutionem, quod noo contingit de eo, qui habet propoſitum perſiſtendi in peccato, incapax enim eſt ſalutis æternæ. Non ſic tamen poteſt dici de illis peccatoribus, qui accedunt ad hoc Sacramentum baptiſmi cum propoſito emendandi à vita præterita, & cum deteſtatione peccatorum admiſſorum, & cum inchoatione novæ vitæ ; iſti utique baptizandi ſunt, cum hoc Sacramentum ſit ad hoc ſpecialiter inſtitutum, ut per ipſum ſordes peccatorum mundentur. De iſtis etiam habetur ex Concilio Trident. (g) propterea monentur adverſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem, hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet ; denique proponunt ſuſcipere baptiſmum, inchoare novam vitam, & ſervare divina mandata. De hac diſpoſitione ſcriptum eſt ad Hebr. accedentem (h) ad Deum oportet credere, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit. Et Matt. (i) dicitur, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et Eccl. (l) timor Domini tollit peccatum. (m) Et in actibus Apoſtolorum legitur, quod compuncti ſunt corde, his auditis, & dixeruot ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos, quid faciemus viri fratres? Petrus verò ad illos, pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti ; cui conſonat & illud Actorum, tunc reſpondit Petrus, (n) numquid aquam, quis prohibere poteſt, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, ſicut & nos? Et juſſit eos baptizari in nomine Domini Jeſu Chriſti. Et denique à Concilio Tridentino (o) ſic etiam ſtatuitur, fuit quidem pœnitentia univerſis hominibus, qui ſe aliquo peccato mortali inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam, & juſtitiam conſequendam neceſſaria, illis etiam, qui baptiſmi Sacramento ablui petiviſſent, ut perverſitate abiecta, & eliminata tantam Dei offenſionem cum peccati odio, & pio animi dolore deteſtarentur.

f loco cit. art. 4. in c.

g Seſſ. 6. cap. 6.

h Cap. 11.

i Cap. 9.

l Cap. 1.

m Cap. 2.

n cap. 10.

o Seſſ. 14. cap. 1.

Ex quibus omnibus ſatis conſtat, peccatores, illos ſcilicet, quos delictorum ſuorum pæoitet, non quos veſana libido peccandi adhuc tenet, ſunt ad hoc Sacramentum recipiendi, eò quia & habent fidem formatam, quæ ſecundum Div. Auguſt. per dilectionem operatur. Sic & illud Zachariæ, (p) io die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Jeruſalem in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ, intelligendum eſt, ait Div. Thom. de peccatoribus, qui habent voluntatem recedeodi à peccato. Verùm ut non ſolùm à peccato recedant, verùm etiam ut ſanentur ab infirmitate peccati, indigent medico ſpirituali, ut interiùs operetur per ſeipſum, & ſic operando præparet voluntatem hominis, ut bonum velit, & malum odiat, indigent etiam illo, ut etiam exteriùs operetur per miniſtros adhibendo Sacramenta, & hoc pacto operatur exterius perficiendo id, quod interiùs eſt inchoatum ; hoc modo intelligitur illud Matt. (q) non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus. Idcircò Div. Thom. (r) coocludit, Sacramentum baptiſmi, non eſt exhibendum, oiſi ei, in quo interioris converſionis aliquod ſignum apparet, eò modo quò medicina corporalis adhibetur infirmo, io illo ſcilicet, in quo aliquis motus vitalis naturæ apparet.

p cap. 13.

q cap. 9.

r ib. ad 2.

Talibus ergo peccatoribus accedentibus ad baptiſmum pœnitentiam agentibus, hoc eſt propoſitum habentibus emendandi decætero nulla ſunt imponenda ſatisfactoria, & rationabiliter, ſiquidem regeneratio ſpiritualis permultum ſuperexcedit generationem carnalem ; per generationem namque carnalem homo naſcitur mundus à peccato acturali, & veniali, immundus tamen per peccatum originale liberè contractum à primis parentibus, & per regenerationem ſpiritualem renaſcitur homo & mundus à peccatis, & offenſis actualibus jam contractis in ordine ad Deum, (etenim de offenſis, & iniuriis illatis proximo ſuo homo oumquam redditur mundus, niſi vel reſtituat malè ei illata, vel niſi ſatisfaciat de injuriis, & ideò ait Div. Thom. quod (ſ) hoc ipſum, quod eſt detinere aliena, & proximum læſum non placare, eſt peccatum. Quapropter peccatoribus baptizatis iniungendum eſt, quod ſatisfaciaot proximis, & quod deſiſtant à peccato ; & mundus etiam à peccato origioali, juxta illud Job:, (t) quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonnè tu qui ſolus es? (u) Et Joannes exclamavit dicens, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi, ſcilicet peccatum Adæ, per quem intravit mors in Mundum, & ideò dixit Apoſtolos ad Rom. (x) per peccatum mors: ad quod deſtruendum præcipuè venit in Mundum ipſum Verbum divinum, ut ſanaret genus humanum, & illud mundaret à contagione peccati ; & hinc eſt, quod & Apoſtolus dicebat ad Epheſ. (y) Mundans eam, ſcilicet Eccleſiam, lavacro in verbo vitæ ; ex eo enim, quod tale lavacrum, inquit Apoſtolus, à Deo Eccleſiam mundari, ut pro illo tunc non habeat maculam, ſcilicet peccatum mortale, aut rugam, ſcilicet peccatum veniale, aut aliquid hujuſmodi, ſcilicet reatum alicujus pœnæ, demonſtrat cuique ſapienti, quod noviter baptizatis nulla opera ſatiſ-

ſ 1 p. q. 68. art. 3. ad 1.

t cap. 14.

u Cap. 1.

x Cap. 5.

y Cap. 5.

Digitized by Google

ſatisfactoria injungenda ſunt. Sic & Concilum Tridentinum (*a*) determinavit, dum dixit, conſtare certè baptiſmi miniſtrum judicem eſſe non oportere, cum Eccleſia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipſam per baptiſmi januam fuerit ingreſſus: & poſtea ſubdit, ibidem, alius eſt præterea baptiſmi, & alius pœnitentiæ fructus; per baptiſmum enim Chriſtum induentes nova prorſus in illo efficimur creatura plenam, & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes; Et Div. Ambroſius (*b*) ſuper illud Rom. ſine pœnitentia ſunt dona, & vocatio Dei, dixit, gratia Dei in baptiſmo non requiret gemitum, neque planctum, vel etiam opus aliquod, ſed ſolùm fidem, & omnia gratis condonat; Unde ſolùm nuper baptizati exercitandi ſunt ad juſtitiam, non per opera pœnalia, ſed per opera facilia, ut quaſi quodam lacte facilis exercitii promoveantur ad perfectiora, juxta illud, quod Petrus Apoſtolus (*c*) dixit, ſicut modò geniti infantes lac concupiſcite, ut in eo creſcatis in ſalutem. Et tandem hoc totum habemus ex Div. Th. (*d*) docente, quod peccatoribus baptizatis pro quibuſcumque peccatis non ſunt imponenda opera ſatisfactoria; nam hoc eſſet injuriam facere paſſioni, & morti Chriſti, quaſi ipſa non eſſet ſufficiens ad plenariam ſatisfactionem pro peccatis baptizatorum. Unde mirum non eſſe debet, ſi jam quod plus eſt, mors ipſius Chriſti Domini ſatisfactoria fuit ſufficienter pro peccatis non ſolùm noſtris, ſed etiam totius Mundi, ut habetur apertè ex illo Joannis, (*e*) ipſe, ſcilicet Chriſtus Jeſus, eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius Mundi; & hoc eſſe verum & Iſaias (*f*) prophetando de Chriſto dixit; verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit. Ipſe vulneratus eſt propter ſcelera noſtra, attritus eſt propter iniquitates noſtras, diſciplina paſci noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus; & hinc eſt, quod Apoſtolus ad Rom. (*g*) ajebat, quicumque baptizati ſumus in Chriſto, in morte ipſius baptizati ſumus.

a Seſſ. 14. cap. 2.
b Cap. 11.
c P. cap. 2.
d Ibid. ar. 3. 106.
e P. cap. 2.
f Cap. 53.
g Cap. 6.

Et quamvis dixerimus, quod peccatoribus baptizatis accedentibus ad baptiſmum pœnitentiam agentibus: nihilominus modò non accipimus ly pœnitentiam, pro pœna, quæ peccatis debetur, ſed pro deteſtatione peccati commiſſi, & pro propoſito emendandi, nec iterum committendi aliud peccatum, maximè quia ut diximus ex Div. Ambroſio, gratia Dei in baptiſmo non requirit gemitum, neque planctum, ex quo deducimus unà cum Div. Tho. quod peccatores ad baptiſmum accedentes non tenentur ſua peccata confiteri; At ut hoc meliùs percipiatur, aſſignat Div. Tho. (*h*) duplicem peccatorum confeſſionem, interiorem unam, & hæc fit Deo. & talis confeſſio peccatorum requiritur ante baptiſmum, ut ſcilicet homo ſua peccata recogitans de eis doleat, non enim poteſt inchoare novam vitam, niſi pæniteat veteris vitæ. Exteriorem alteram, & hæc fit Sacerdoti, & talis confeſſio non requiritur ante baptiſmum. Primò quidem quia talis confeſſio cum reſpiciat perſonam miniſtri, pertinet ad pœnitentiæ Sacramentum, quod non requiritur ante baptiſmum, qui eſt janua omnium Sacramentorum, ut paulò ante etiam diximus ex Concilio Tridentino.

h 3. p. q. 68. art. 6.

Secundò, quia confeſſio exterior, quæ fit Sacerdoti ordinatur ad hoc, quod Sacerdos confitentem abſolvit à peccatis, & ligat ad opera ſatisfactoria, quæ baptizatis non ſunt imponenda. Juxta determinationem ejuſdem Concil. ex inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ (*i*) jam explicata, univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe à domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere. Subdit autem Div. Thom., nec etiam baptizati indigent remiſſione peccatorum per claves Eccleſiæ, quibus omnia remittuntur per baptiſmum. Et Concilium Tridentinum ibidem ſubdit; quia dominus noſter Jeſus Chriſtus è terris aſſenſurus ad Cœlos, Sacerdotes ſui ipſius vicarios reliquit, tanquam præſides, & judices; ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint; quo pro poteſtate clavium remiſſionis, aut retentionis peccatorum pronuncient ſententiam.

i Seſſ. 14. cap. 5.

Tertiò, quia ipſa particularis confeſſio homini facta eſt pœnoſa propter verecundiam confitentis, baptizato autem nulla exterior pœna imponitur. Propter quod & Concilium Trid. determinavit fundatum ex Apoſtolo ad Corint. (*l*) quid enim mihi de his, qui foris ſunt, judicare? (*m*) Secus eſt de domeſticis, quos Chriſtus Dominus lavacro baptiſmi ſui corporis membra ſemel effecit, nam hos, ſi ſe poſtea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito baptiſmo ablui, cum id in Eccleſia Catholica nulla ratione liceat, ſed ante hoc tribunal tanquam reos ſiſti voluit, ut per Sacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis, ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſent liberari. Et ideò, ſubditur à Div. Thom. à baptizatis non requiritur ſpecialis confeſſio peccatorum ſed ſufficit generalis, quam faciunt, cum ſecundum Eccleſiæ ritu abrenuntient ſatanæ, & omnibus pompis ejus.

l Seſſ. 14. cap. 2.
m P. cap. 5.

Hoc corroborat Div. Thom. dùm ait, baptizatis ſufficit, confeſſio interior Deo facta, & etiam exterior generalis ad hoc, quod dirigantur, & miſericordiam conſequantur; nec requiritur confeſſio ſpecialis exterior; ſiquidem iſta nedùm debet eſſe cum fletu, verùm etiam dicitur quod ſit pars pœnitentiæ ſacramentalis, quæ ante baptiſmum non requiritur.

n Ibid. ad 2.

At quia poteſt dari caſus, quod baptizandi ex devotione ſua peccata confiteri vellent; ideò dicitur, quod utique tunc eſſet audienda eorum confeſſio, non tamen ad hoc, quod eis ſatisfactio imponeretur, neque impenderetur abſolutio ſed ad hoc, quod contra peccata conſueta eis ſpiritualis informatio vitæ traderetur; & Eccleſia per miniſtros prudentes in cognitionem veniat, quod baptizandi non fictè accedunt ad hoc ſalutiferum Sacramentum.

Ex quibus etiam deducendum eſt, quod magnum diſcrimen reperitur inter baptiſmum Joannis, & baptiſmum Chriſti, quod in baptiſmo Joannis non remittebantur peccata, ſed erat baptiſmus pœnitentiæ, juxta illud Hier. baptiſmum pœnitentiæ dedit, baptiſmum in remiſſionem peccatorum prædicavit, non tamen dedit. In baptiſmo verò Chriſti remittuntur peccata, & ideò convenienter accedentes ad illud baptiſma Joannis ſcilicet confitebantur peccata, ut ſecundum qualitatem peccatorum eis pœnitentia determinaretur; non ſic accedentes ad hoc baptiſma Chriſti, unde meritò dicitur, quod baptiſmus Chriſti eſt ſine exteriori pœnitentia, utpotè quia nec requiritur gemitus, neque planctus; ſiquidem jam prima abierunt, & nova facta ſunt per gratiam baptiſmi in regeneratis.

Tunc autem verè regenerantur homines per baptiſmum, quando accedentes ad hoc Sacramentum ad ſalutem animæ maximè neceſſarium, verùm propoſitum emendandi non ſolùm habere debent, ſed etiam deponendi omne illud, quod ad concupiſcentiam carnis, & allicientiam ejus attinere poteſt, non enim, inquit Petrus, carnis diſpoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum per reſurrectionem Jeſu Chriſti ſalvat homines; unde ſic accedentes ad baptiſmum ſine dubio ſpoliabunt ſe veſte illa, quæ ob vetuſtatem peccati, dilacerata omninò eſt, & induunt ſe veſte munda à peccato, quia de mortuis vivi fient per novitatem vitæ, quam acquirunt per hoc lavacrum regenerationis: hoc totum deſumimus ex Div. Thom. dicente per baptiſmum (*o*) aliquis moritur veteri vitæ peccati, & incipit quamdam vitæ novitatem, ſicut ex Paulo ad Rom. (*p*) dicente, conſepulti ſumus Chriſto per baptiſmum in mortem, ut quomodo Chriſtus ſurre-

o 3. p. q. 68. art. 7.
p Cap. 6.

xit

Digitized by Google

xit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.

Pariter deſumimus hoc, quod dicimus ex Div. Paulo ad Rom. (q) dum dixit, cum enim eſſemus in carne, hoc eſt in peccatis involuti paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, ut fructificarent morti, per voluntatem illis adhærentem; nunc autem ſoluti ſumus à legem mortis, quia abluri per lavacrum baptiſmi, quia ſanctificati per ſanguinem Chriſti; in qua detinebamur per peccatum originale, quod nobis attulit mortem, ita ut ſerviamus in novitate ſpiritus, emundantes conſcientiam noſtram à peccatis, & non in novitate literæ, nam ſpiritus quidem vivificat, litera (r) verò occidir; ex eodem ad Corint. deſumimus illud ex Paulo ad Rom. (ſ) inquit enim, nolite conformari huic ſeculo, in quo ſcilicet & abundantia carnis, plenitudo iniquitatis, inclinatio ad avaritiam, promptitudo ad fraudem, & denique via ſemper ad malum parata, ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri, cognitionis ſcilicet, per quam accelerati eſtis ad fidem, ut probetis, quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens. Ergo videte fratres, deducitur ex Apoſt. ad Epheſ. (t) quomodo cautè ambuletis, non quaſi inſipientes, ſicut illi, de quibus dicebat David in Pſal. (u) dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus; ſed & ſapientes, cognoſcentes veritatem, illam ſcilicet, quæ ex ore Altiſſimi prodiit, hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite. Nam ipſe eſt veritas principium, quo & loquor vobis. Redimentes tempus, illud ſcilicet, in quo fuiſtis ſervi peccati, nam qui facit peccatum, ſervus eſt peccati, quoniam dies mali ſunt, quia appropinquavit hora judicii ejus, propterea nolite fieri imprudentes, de numero ſcilicet illorum, quorum proprium eſt odire ſcientiam, ut habetur ex illo Proverb. (x) imprudentes odibunt ſcientiam, ſed intelligentes, quæ ſit voluntas Dei, ex Joan. (y) ut cognoſcat te Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Ergo cum hoc propoſito relinquendi vetuſtatem vitæ, amplexandi novitatem ſpiritus, accedere debent, qui volunt in Chriſto baptizari. Ideòque, ſubdit Div. Thomas, (z) ſicut ad hoc, quod homo moriatur veteri vitæ, requiritur ſecundum Auguſtinum in habente uſum liberi arbitrii voluntas, qua eum veteris vitæ pœniteat, (non enim æquum eſt, invito cuiquam, aut recuſanti, ſed illis tantùm, qui ſponte ſua, & libenti animo accipiunt, baptiſmum præberi;) ita requiritur voluntas, qua intendit vitæ novitatem, cujus principium eſt ipſa ſuſceptio Sacramenti; taliter quod ait Div. Thom. (a) ſi in adulto deeſſet intentio ſuſcipiendi Sacramentum, eſſet rebaptizandus; ut autem inconveniens hoc tollatur, & quomodo tolli debet, habetur ex Cathechiſmo Romano (b) de baptiſmo; quare ex Sancta traditione ſemper ſervatum animadvertimus, ut nemini baptiſmum miniſtretur, niſi prius interrogatus fuerit, an velit baptizari; per quæ verba videtur, quod etiam ex parte recipientis baptiſmum requiritur intentio illum ſuſcipiendi: maximè etiam quia, ait Div. Thom. in juſtificatione, quæ fit per baptiſmum, (ſiquidem juxta Concil. Trident. (c) eſt translatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ in ſtatum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum, quæ quidem translatio poſt Evangellum promulgatum ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto, (per quod intelligitur intentio, etenim votum à voluntate dependet, & liberè fit, & nemo promittit aliquid, niſi quod intendit,) fieri non poteſt, (ſicut ſcriptum eſt, niſi quis renatus fuerit &c.,) non eſt paſſio coacta, ſed voluntaria; ac proinde requiritur intentio recipiendi id, quod ei datur. In adultis utique, nam ſi de pueris loquatur, in iſtis tanquam certum exiſtimandum eſt, non deeſſe hanc voluntatem, ſed Eccleſiæ voluntas, quæ pro illis ſpondet, obſcura eſſe non poſſit. Quod magis explicatur per Div. Thom. dicentem; baptiſmus non ſolùm ordinatur contra originale peccatum, quamvis non contrahatur cum intentione naſcentis, nam ſufficit, quod fuerit contractum per voluntatem, & intentionem protoparentum noſtrorum, verùm etiam ordinatur contra peccata actualia, quæ cauſantur per voluntatem, & intentionem perſonalem, ſcilicet & quæ in adultis liberè reſidet.

q Cap. 7.
r 2. cap. 3.
ſ Cap. 12.
t Cap. 5.
u Cap. 52.
x Cap. 1.
y Cap. 4.
z Ib. in
a Ib. ad 2.
b par. n. 1.
c Seſſ. 6. cap. 4.

In quibus præter baptiſmi voluntatem, & præter propoſitum emendandi à vita præterita requiritur & fides, ſive poſtea ſit fides recta, ſive non; requiritur fides recta ex neceſſitate ad baptiſmum, cum fides ad conſequendum gratiam Sacramenti maximè neceſſaria ſit, ſic & Chriſtus Dominus docuit, Matt. (d) qui crediderit, & baptizatas fuerit ſalvus erit; videtur enim hic loqui Dominus Jeſus Chriſtus de baptiſmo, ſecundum quod perducit homines ad ſalutem per gratiam juſtificantem, quod quidem ſine fide recta eſſe non poteſt; juxta illud, quod docet Divus Thomas (e) dupliciter aliquid requiritur ex neceſſitate ad baptiſmum, uno modo ſine quo gratia haberi non poteſt, quæ eſt ultimus effectus Sacramenti, & hoc modo requiritur recta fides ex neceſſitate ad baptiſmum, juxta illud Pauli ad Rom. (f) juſtitia Dei eſt per fidem Jeſu Chriſti; ſic & Eccleſia, dum intendit homines baptizare, ut emundentur à peccato, juxta illud Iſaiæ, (g) iſte eſt omnis fructus, ut auferatur peccatum, tamen quantum eſt de ſe, non intendit dare baptiſmum, niſi habentibus fidem rectam, ſine qua non eſt remiſſio peccatorum, & propter hoc interrogat accedentes ad baptiſmum, an credant? Non requiritur recta fides baptizati ex neceſſitate ad baptiſmum, ſicut nec recta fides baptizantis, dummodo adſint cætera omnia, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti. Ob hoc additur à Div. Thom. ibidem, alio modo requiritur aliquid ex neceſſitate ad baptiſmum, ſine quo character baptizantis imprimi non poteſt. Et hoc maximè quia Sacramentum non perficitur per juſtitiam hominis dantis, vel ſuſcipientis baptiſmum, ſed per virtutem Dei: (h) quod eſt illud, quod decrevit Concilium Tridentinum, ſi quis dixerit; baptiſmum, qui etiam ab hæreticis datur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi. quod facit Eccleſia, non eſſe verum baptiſmum; Anathema ſit; ſubdit deinde Div. Thom. (i) ſi tamen ſine recta fide aliquis baptiſmum ſuſcipiat extra Eccleſiam, non percipit illum ad ſuam ſalutem; juxta illud Div. Aug. (l) Eccleſia Paradiſo comparata indicat nobis, poſſe quidem baptiſmum ejus homines etiam foris accipere, ſed ſalutem beatitudinis extra eam neminem accipere, vel tenere. Ulteriùs addit, quod ſicut Sacramentum batiſmi non eſt conferendum ei, qui non vult ab aliis peccatis recedere, ita etiam nec ei, qui non vult infidelitatem deſerere. Et nihilominus ſi talibus conferretur baptiſmus, utique ſuſciperent illum, non tamen ad ſalutem, quia non reciperent primarium effectum Sacramenti, qui eſt gratia, licet reciperent ſecundum effectum ejuſdem Sacramenti, qui eſt character. Et hæc omnia quantùm ad illos, qui ſuſcipiunt hoc Sacramentum baptiſmi.

d Cap. 16.
e 3. p. q. 68. art. 8.
f Cap. 3.
g Cap. 27.
h Seſſ. 7. de baptiſ. can. 4.
i Ib. ad 2.
l Lib. 4. de baptiſ.

Super quæſtionem ſexageſimam nonam.

De effectibus baptiſmi.

CUm baptiſmus ſit regeneratio ſpiritualis, etenim per ipſum homo moritur veteri vitæ, & incipit novam vitam agere; immò incipit eſſe filium Dei adoptivum, cum ptius eſſet filius iræ; unde dicamus cum Div. Auguſt. quod renaſcuntur homines per baptiſmum in filios Dei adoptivos, qui prius erant nati in peccatis. Et inde fit, quod à Div. Thom. æquè benè inveſtigatur, quales effectus cauſet ipſemet baptiſmus. Multi profectò ſunt effectus, quos cauſat baptiſmus, inter quos præcipui nominantur character, & gratia; ille indelebiliter ſe habet, utpotè in anima impreſſus, iſta ſanctificat animam ſuſcipientis baptiſmum, & taliter ſanctificat animam, ut non ſolùm mundet eam à peccato originali, ut in pueris, verùm etiam emundat & à peccato originali, & à quocumque alio peccato actuali, ut in adultis, præcedenti tamen ad baptiſmum. Igitur pet baptiſmum renaſcimur in Chriſto ſpiritualiter, verumtamen fas ſit, ut poſt quam renati ſumus, in augmentum proficiamus, quoniam ſic agendo, ſequemur doctrinam doctoris Gentium ad Eph. (*a*) veritatem autem facientes, in charitate creſcamus, In illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus. Si caput ergo nos membra ipſius ſumus, & cum ſit caput, libravit per mortem ſuam nos omnes à morte ęterna, & pro nobis omnibus ſatisfecit; & hinc eſt, quod baptizati gaudent plena remiſſione totius pœnę peccato debitę abſque ſatisfactione, cum paſſio Chriſti ſit ſufficiens ſatisfactio pro omnibus peccatis omnium hominum, adeòque ſi accideret alicui, quod poſt baptiſmum ſine novo peccato moriretur, jam abſque dilatione haberet immediatus aditus in regnum cœlorum, juxta etiam Decretum Concilii Florentini in decreto Eugenii; ubi habetur, hujus Sacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpę originalis, & actualis, omnis quoque pœnę, quę pro ipſa culpa debetur. Prętereà baptizatis nulla pro peccatis prętereritis iniungenda eſt ſatisfactio, ſed morientes antequam culpam aliquam committant. ſtatim ad regnum cœlorum & Dei viſionem perveniunt. At quamvis ab omni reatu pœnę pro culpa debita liberetur ille, qui ſuſcipit baptiſmum, nihilominus tamen non ſequitur, quod per eumdem baptiſmum anferantur à baptizatis omnes pœnalitates hujus prę ſentis vitę; iſtę autem ſunt concupiſcentia carnis, fomes peccati, famis, ſitis, morbus, dolores, & prope modum alię infinitę miſerię, adeòque bene dicitur, quod gementes atque flentes ſumus in hac lachrymarum ſcilicet miſeriarum valle. Hinc Auguſtin. (*b*) Videntur parvulos poſt lavacrum regenerationis diverſorum malorum afflictione cruciari, ut intelligamus totum, quod ſalutaribus agitur Sacramentis, magis ad ſpem futurorum bonorum, quàm ad retentionem, vel adoptionem prę ſentium pertinere. Et ut diffusè cum Div Thom. videbimus totum hoc: Cum baptiſmus ſit Sacramentum perfectè regenerativum hominis in Chriſto, hinc eſt, quod habet & conferre gratiam, & virtutes, cęteraque dona gratiam concomitantia, inde bene Div. Proſper de vocat. Gent. (*c*) ait originem verę juſtitię in regenerationis Sacramento poſitam eſſe, ut ubi homo renaſcitur, ibi etiam ipſarum virtutum veritas oriatur, adeòque conſequenter dicitur, quod baptizati illuminantur à Chriſto circa cognitionem veritatis, & fęcũdantur ab eo fęcunditate bonorum operũ per gratię infuſionẽ; quam infuſionem gratię non minus pueri, quàm adulti in baptiſmo conſequuntur, ſiquidem non minus pueri, quàm adulti efficiuntur membra Chriſti, & hinc eſt, quod uterque, opus eſt, ut à capite recipiant influxum gratię, & virtutis; Ita ut per ipſum evadimus filii Dei, quod ſi filii, & hęredes, quam hęreditatem accepimus per Chriſtum, qui lavit in Jordane noſtra crimina, & per paſſionem, mortemque ſuam ſatisfecit ſuperabundanter pro delictis noſtris, & totius Mundi, & per reſurrectionem ſuam præbuit nobis certitudinem reſurrectionis noſtræ, dicente Paulo ad Rom. (*d*) ſi enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus; ſimul & reſurrectionis erimus; & per aſcenſionẽ ſuam in cœlum voluit, ut certò credamus, quod aſcendit in cœlum, ut præpararet nobis locum; qui locus præparatur utique nobis per gratiam, quàm in baptiſmate accipimus, ſiquidem per ipſum baptiſma tollitur omnis culpa, & omnis reatus pœnæ, quæ erant impedimentum introeundi januam regni cœleſtis. Iſti, & plures alii ſunt effectus baptiſmi, qui ab omnibus æqualiter participantur, dum ſuſcipiunt illum, cum æqualiter omnes in Chriſto regenerentur per ipſum, verumtamen de pueris, & de adultis eſt diverſimode diſcurrendum, nam pueri, cum non in fide propria, ſed in fide Eccleſiæ baptizentur, omnes æqualiter ſe habent ad baptiſmum, & æqualiter effectum baptiſmi percipiunt. Adulti verò, quia per fidem propriam ad baptiſmum accedunt, non omnes æqualiter ſe habent ad illum, nam quidam majori, quidam minori devotione accedunt, adeòque quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt. Addamus & nos, & dicamus, quod quidam nihil de gratia accipiunt per baptiſma, quia fictè accedunt ad illud, quæ fictio certè impedit effectum baptiſmi; & ob hoc dicitur, quòd licet omnes induant Chriſtum per configurationem characteris, nõ autem per conformitatem gratiæ, quam tamen accipiunt recedente fictione, & hoc fit per pœnitentiã ſubſequentem, ſiquidem fictio non removetur per baptiſmum, ſed per pœnitentiam ſubſequentem, ait D. Th. qua remota, baptiſmus aufert culpam, & reatum omnium peccatorum præcedentium baptiſmum, & etiam ſimul exiſtentium cum baptiſmo; & poſtea ſubdit, recedente fictione peccata ſequentia remittuntur quidẽ, ſed per pœnitentiam, non per baptiſmum. Unde non remittuntur quantum ad totum reatum, pœnæ, ſicut peccata præcedentia baptiſmum.

Ut omnes, præcipuè tamen adulti, ſciant, quàm devotè, quam ſanctè, ac Religiosè ſuſcipere debeant baptiſmum, attendere debent ad effectus mirabiles, quos ipſe baptiſmus cauſat, atque producit; de quibus meritò Tertulianus lib. (*e*) de baptiſmo exclamando dixit, quot prodigia naturæ, quot privilegia gratiæ, quot ſolemnia diſciplinæ, figuræ, præſtructiones, precationes religionem aquæ ordinaverunt. At quia multi ſunt effectus ejus, ideò ne ſit confuſio in enumerando illos, ſecundum ordinem eorum hos enumerabimus.

Primus ergo effectus baptiſmi eſt, quod omnium, quę invenit peccatorum maculas, abluit: deſumitur hoc in primis ex illo Pauli ad Corint. (*f*) qui poſt multas maculas peccatorum enumeratas, & ſunt, neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque capaces, regnum Dei poſſidebunt; ſtatim ſubdit, & hæc quidem fuiſtis (antequam .ſ. baptiſmum reciperetis verùm poſtquam baptiſmum recepiſtis) ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri. At quia unus eſt Spiritus Dei, qui loquitur in nobis, hinc eſt, quod non ſolùm per Apoſtolum Paulum hunc effectum baptiſmi nobis patefecit, ſed etiam per os Ezechielis, per quem ſic locutus fuit, Effundam dixit, ſuper vos aquam (*g*) mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. Ob hoc dixerunt Sancti Patres, hunc verè eſſe effectum baptiſmi tollere omnia peccata; præcipuè tamen D. Aug. (*h*) in lib. de Baptiſmo parvulorum dixit, generante carne tantummodo trahitur peccatum originale, regenerante autem ſpiritu non ſolùm originalium, ſed etiam voluntariorum fit remiſſio peccatorum; & taliter remiſſio fit peccatorum, ut de illis etiam nulla fiet mentio, ut ſtet illud Ezechielis, (*i*) omnium, dixit Dominus, iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor. Propterea bene dicitur, quod per baptiſmũ proiiciuntur in profundũ maris omnia peccata noſtra, ut Michæas prædixerat, ſicut

a cap. 4.
b in Ench. cap. 64.
c cap. 18.
d cap. 6.
e Cap. 3.
f 1. cap. 6.
g Cap. 36.
h Libr. de pec. mer. & remiſſ. c. 25
i Cap. 18.

olim in mari rubro immerſi, & extincti ſunt omnes ægyptii, hac de re Greg. Magnus (*l*) inquit, qui dicit peccata in baptiſmate non dimitti, dicat in mari rubro ægyptios non veraciter mortuos. Et Div. Hieron. (*m*) ad Oceanum loquendo de hoc effectu baptiſmi ait, omnia in baptiſmate condonata ſunt crimina: nec mirum, docet D. Th. (*n*) nam peccatum Adæ non tantùm poteſt, quantùm poteſt donum Chriſti, quod in baptiſmo (*o*) percipitur, juxta illud ad Romanos, non ſicut per unum peccatum, ita & donum; nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in juſtificationem, ſic enim unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & juſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum, per quem fit remiſſio omnium peccatorum; teſte Div. Th. (*p*) nullius peccati remiſſio fieri poteſt, niſi per virtutem paſſionis Chriſti; juxta illud ad Heb. (*q*) ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio, peccati .ſ. originalis tantùm, ſed omniū peccatorum, ſiquidem Chriſtus Dñs, qui per ſanguinem ſuum nos redemit, voluit nobis præbere hanc univerſalem medecinam, ut per ſuſceptionem illius emundaremur ab omnibus peccatis. Quantò magis, inquiebat Paulus ad Rom. (*r*) ſangnis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emūdabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi. Et D. Th. baptiſmus cum operetur (*ſ*) in virtute paſſionis Chriſti, quæ eſt univerſalis medicina omnium peccatorum, per ipſum etiam omnia peccata tolluntur. Hæc autem doctrina D. Th. (*t*) corroboratur ex auctoritate Concil. Trid. ſtatuentis, ſi quis per Jeſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in baptiſmate confertur, reatum peccati originalis remitti negat; aut etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet, ſed illud tantùm radi, aut non imputari; anathema ſit. In renatis autem nihil odit Deus, quia nihil eſt damnationis iis, qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſma in mortem, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed veterem hominem exuentes, & novum induentes, qui ſecundum Deum creatus eſt; innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti ſunt; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti; ita ut nihil prorſus eos ab ingreſſu Cœli remoretur. Et infra, hanc concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Eccleſiam Catholicā numquam intellexiſſe, peccatum appellari, quod verè, & propriè peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat, ſi quis autem contrarium ſenſerit; anathema ſit.

Secundus effectus baptiſmi eſt, quod peccatorum, & ſcelerum omnes pœnæ à Deo benignè condonantur, ut deſumitur ex illo D. Ambroſii ad Rom. (*u*) ſine pœnitentia ſunt dona, & vocatio Dei; gratia inquit, Dei in baptiſmo gratis omnia condonat; omnia, inquam, condonat, ne hoc ad iniuriam tanti Sacramenti reſultaret, ſi ei, qui baptiſmo expiandus, opera ſatisſactoria imponerentur. Nam ait D. Th. (*x*) per baptiſmū incorporatur paſſioni, & morti Chriſti, quæ communicatur omni baptizato ad remedium, ac ſi ipſe paſſus, & mortuus eſſet. Paſſio verò Chriſti eſt ſufficiens pro omnibus peccatis omnium hominum, ideòque ille, qui baptizatur, liberatur à reatu totius pœnæ ſibi debitæ pro peccatis, ac ſi ſufficienter ſatisfeciſſet pro omnibus peccatis ſuis; (*y*) quod etiā corroborat dicendo, pœna paſſionis Chriſti communicatur baptizato, in quantum fit membrum Chriſti, ac ſi ipſe pœnam illam ſuſtinuiſſet, & ideò ejus peccata remanent ordinata per pœnam paſſionis Chriſti. Omnia, inquam, gratia Dei in baptiſmo gratis cōdonat, illa .ſ., quæ in ordine ad Deum pertinent, non verò illa, quæ perſolvenda ſunt ob aliquod grave ſcelus, condonantur, utpotè quia ſub judicio humano cadunt unde non liberatur ille à civili judicio, nec à pœna; quæ legibus conſtituta eſt per baptiſmū: quod totum habetur ex D. Th. (*z*) in pœnis, quæ judicio humano inferuntur, non ſolùm attenditur, qua pœna ſit homo dignus quoad Deum, ſed etiam is quo ſit obligatus quoad homines, qui læſi, & ſcandalizati ſunt per peccatū alterius. Et ideò licet homicida per baptiſmum liberetur à reatu pœnæ quoad Deum, remanet tamen obligatus adhuc quoad homines, quos juſtum eſt ædificari de pœna, ſicut ſunt ſcandalizati de culpa. Nihilominus tamen eſſet vehementer laudanda eorum Principum, religio, & pietas, qui eam quoque animadverſionem, ut Dei gloria in ſuis Sacramentis illuſtrior fieret, ſtatim remitterent, ac condonarent, juxta Div. Thom. dicentem, piè tamen talibus Princeps poſſet pœnam indulgere.

Omnia, inquam, gratis condonat gratia Dei in baptiſmo, nam & remittuntur pœnæ omnes, quæ conſequuntur peccatum originale, nam merito mortis Domini factum eſt, ut hæc conſequi poſſemus; baptiſmo autem ei commorimur, ac proinde dicebat Paulus ad Rom. (*a*) ſi mortui ſumus cum Chriſto, credimus, quia ſimul etiam vivemus cum eo. Unde & præmittit, ſi enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus; fas ſit ergo Deus, ut in die reſurrectionis cum Domino gloriemur.

Et quamvis tollantur peccata, ſicut & pœnæ, quæ pro peccatis debentur per ipſum baptiſmum, per quem reparatur peccatum Adæ, ex cujus ſemine infecto omnes nos naſcimur, attamen per eumdem baptiſmum non tolluntur moleſtiæ, cruciatus, atque dolores præſentis vitæ, quæ non pœnæ, ſed pœnalitates dicuntur: non enim dicitur pœna, cùm pœna propriè ſit id, quod arbitrio judicis in delinquentes decernitur, Chriſtus autem, qui jam conſtitutus eſt judex vivorum, & mortuorum; liberavit per mortem, & paſſionem ſuam ab iſta pœna, quæ pro peccato juſtè merebamur; bene verò pœnalitates dicuntur, & meritò quia pœnalitas eſt id, cui homo abſque ullo judicis decreto eſt obnoxius, ſed ex ſua natura; & licet etiam iſtæ deriventur à peccato originali, nihilominus, quia iſtud peccatum & infecit perſonam, & infecit naturam, hinc eſt, quod etſi perſona liberetur à pœna, quæ illi debetur propter hoc peccatum, natura tamen non liberatur à pœnalitatibus, per quas obnoxia facta eſt, immò & per ſententiā Domini, Gen. (*b*) in quocumque die comederis ex eo, morte morieris; & per illam, in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es. Videtur eſſe etiam juxta Div. Th. (*c*) dicentem, peccatum originale hoc modo præceſſit, quod primò perſona fecit naturam, poſtmodum natura infecit perſonam: Chriſtus verò converſo ordine prius reparat id, quod eſt perſonæ, & poſtmodum ſimul in omnibus reparabit id, quod eſt naturæ. Et ideò culpam originalis peccati, & etiam pœnam carentiæ viſionis divinæ, quæ reſpiciunt perſonam, ſtatim per baptiſmum tollit ab homine; ſed pœnalitates præſentis vitæ, ut mors, fames, ſitis, &c. reſpiciunt naturam, ex cujus principiis cauſantur, prout eſt deſtituta originali culpa; ac proinde iſti defectus non tollentur, niſi in ultima reparatione naturæ per reſurrectionem glorioſam. Et hinc eſt, quod priùs docuit Div. Tho. (*d*) quod baptiſmus habet virtutem auferendi pœnalitates præſentis vitæ, non tamen eas aufert in præſenti vita; ſed ejus virtute auferentur à juſtis in reſurrectione, quando mortale hoc induet immortalitatem.

Etſi quæratur ultrà id, quod jam diximus modò, quare autem hoc? quod ſcilicet tollatur pœna per baptiſmum, & non tollantur per eumdem pœnalitates? Quia nobis, qui per baptiſmum Chriſti corpori conjuncti, atque ejus membra effecti ſumus, plus aliquid dignitatis tribuendum non erat; quam ipſi capiti noſtro tributum eſſet. Cum igitur Chriſtus Dominus, etſi ab initio ortus ſui gratiæ, & veritatis plenitudinem habuit, tamen humanæ naturæ fragilitatem, quam ſuſcepit, non ante depoſuit, quàm paſſionis tormenta, & mortem pertulerit, ac deinde ad immortalitatis vitæ gloriam reſurrexit; quis miretur, cum videat fideles, qui jam per baptiſmū cœleſtis juſtitiæ gratiam adepti ſunt; adhuc tamen caduco, & fragili corpore ve-

l 1.9 Epiſt. Epiſt.39.
m Epiſt.83
n 1.p q.69. art.1.
o Cap.5.
p Ib. ad 2.
q cap.9.
r Cap.5.
ſ Ib. ad 3
t Seſſ.5.
u Cap.11.
x 3 p q.69. art.2.
y ad 1. ib.
z Ib. ad 3.
a cap.6.
b Cap.2.
c 1. 2. q. 69. art. 1. ad 1.
d Ib. in c.

Digitized by Google

re veſtiri, ut poſtquam multis laboribus pro Chriſto perfuncti, & ob ita denuò ad vitam revocati fuerint; tandem digni ſint, qui cum Chriſto ævo ſempiterno per- [e 2. p. n. 48.] fruantur. Hæc ex Catechiſmo Rom. (e) de baptiſmo, & veritas iſta, quæ ab illo edocetur, jam à D. Thom. [f Ib. art. 4.] (f) manifeſtata fuit, dum docuit, quia per baptiſmum homo incorporatur Chriſto, & efficitur membrum ejus, ideò conveniens eſt, ut id agatur in membro incorporato, quod eſt actum in capite. Chriſtus autem à principio ſuæ conceptionis fuit plenus gratia, & veritate: habuit tamen corpus paſſibile, quod poſt paſſionem, & mortem eſt ad vitam glorioſam reſuſcitatum. Unde & Chriſtianus in baptiſmo gratiam conſequitur, quantum ad animam, habet tamen corpus paſſibile, in quo pro Chriſto poſſit pati, ſed tandem reſuſcitabitur ad im- [g Cap. 8.] paſſibilem vitam. Unde Apoſtolus ad Rom. (g) qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitãtem Spiritum ejus in nobis; & poſtea hæredes quidẽ Dei, cohæredes autẽ Chriſti, ſi tamen compatimur, ut ei ſimul glorificemur.

Altera eſt ratio, quæ aſſignatur in Catechiſmo Ro. loco cit., cur in nobis poſt baptiſmum infirmitas corporis, morbus, dolorum ſenſus, concupiſcentiæ motus relinquatur, illa eſt, ut .ſ. tanquam ſegetem, & materiam virtutis haberemus, ex qua deinde uberiorem gloriæ fructum, atque ampliora præmia conſequeremur: nam cum patiẽti animo vitæ incommoda omnia toleramus; pravaſque animi noſtri affectiones ſub rationis imperiũ divina ope ſubiicimus, certa ſpe niti debemus fore, ut [b 2. cap. 4.] cum Apoſt. ad Timot. (b) certamen bonum certaverimus, curſum conſummaverimus, fidem ſervaverimus, repoſitam quoque juſtitię coronam reddat nobis Dominus in illa die juſtus judex: Sic verò etiam cum filiis Iſrael videtur Dominus egiſſe, quos etſi ab ægyptiorum ſervitute, Pharaone, atque ejus exercitu in mare demerſo liberavit, tamen non ſtatim in beatam illam promiſſionis terram introduxit, ſed prius in multis, variiſque caſibus exercuit, ac deinde cum eos in promiſſæ terræ poſſeſſionem miſiſſet, cæteros quidem incolas è patriis ſedibus exturbavit; Quaſdam verò nationes reliquas fecit, quas delere non potuerunt, ut populo Dei bellicæ virtutis, & fortitudinis exercendæ occaſio numquam deeſſet. Hæc ex Catechiſmo, quæ tamen à Div. Th. jam prius cognita, & manifeſtata fuerunt. Inquit .n. D. Th. ibid. Secundò hoc eſt conveniens propter ſpirituale exercitium, ut .ſ. contra concupiſcentiam, & alias [i Cap. 6.] paſſibilitates pugnans homo victoriam coronæ acciperet. (i) Unde ſuper illud Rom. deſtruatur corpus peccati, dicit Gloſſa, ſi poſt baptiſmum vixerit homo in carne, habet concupiſcentiam, cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo ſuperet. (l) In cujus figuram dici- [l Cap. 3.] tur Judicum, hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Iſraelem, & poſtea diſcerent: filii eorũ certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliãdi. Et hæc, quæ dicuntur ex Gloſſa, & ex Div. Thom. docentur, confirmata videntur à Sacro Conc. Trid. (m) [m Seſſ. 5. dec. ſi quis per Ieſu Chriſtus.] ſtatuente, manere autem in baptizatis concupiſcentiã, vel fomitem hæc ſancta ſynodus fatetur, ac ſentit, quæ quidem cum ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, & viriliter per Jeſu Chriſti gratiam repugnãtibus non valet; quinimò qui legitimè certaverint, coronabuntur; & ſi quis hoc negaverit. Anathema ſit.

Alia denique ratio, quæ ex Catechiſ. ibid. adducitur, & eſt, ſi per baptiſmum præter dona cœleſtia, quibus anima ornatur, corporis etiam bona tribuerentur, dubitari meritò poſſet, quin multi, præſentis potius vitæ commodo; quam futuræ ſperatam gloriam, conſectantes ad baptiſmum venirent, cum tamen non falſa hæc, & incerta, quæ videntur, ſed vera, atque æterna, quæ non videntur, bona Chriſtiann homini ſemper propoſita eſſe debeant: etiam ex D. Th. inquit enim ipſe ibid. Tertio hoc fuit conveniens, ne homines ad baptiſmum [n 1. cap. 15.] accederent propter impaſſibilitatem præſentis vitæ, & non propter gloriam vitæ æternæ: ſic & Ap. ad Cor. (n) dicebat, ſi in hac vita tantùm ſperantes ſumus in Chriſto, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus; illis .ſ., qui vita vivunt in Mundo, ut non ſolùm rebus Mundi perfruantur, & humanis abutantur, iſti enim repetunt illud impiorum; (o) Venite ergo, & fruamur bonis, [o Cap. 2.] quæ ſunt, & utamur creatura, tanquam in juventute celeriter. Illis utique, quibus ſubſtinere malum impatientia eſt, .ſ. ſtultitia quædam eſt his, qui neſciunt ſubſtinere malum, nec mirum ſi in verba obſcæna prorrumpunt, atque in blaſphemias, cum jam dicat ſapiens in Proverbiis (p) qui impatiens eſt, exultat ſtultitiam ſuam; & [p Cap. 14.] quænam major ſtultitia, quàm injuriam inferre Deo per blaſphemias, vel verba præcipitoſa proferre? Illis .ſ., qui potius quàm tolarare iniuriam aliquam ad odium ſolùm ſe convertunt, nunquam ſuo parcendo proximo, ſed vindictam ſemper quærendo; ex quo poſtea ſequitur, quod ſolùm rixas quærunt, nomen pacis abhorrent, proximum perſequuntur, occaſionem quærunt, immò inveſtigant, quomodo perpetrari poſſint, nihil de Deo cogitãtes. Iſti ſunt, de quibus dicitur, circumveniamus juſtum, quoniam contrarius eſt operibus noſtris. Neſcientes, quod de talibus legitur in lib. Sapientiæ, (q) [q Cap. 5.] erravimus ergo à via veritatis, & juſtitiæ, lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis; laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit ſuperbia? aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis? hæc, & ſimilia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt. Ergo melius eſt cũ Chriſto pati, in hoc Mundo, & ita intrare in gloriam ſuam. Nam & ipſe dixit Matt. (r) Beati, qui perſecutionem [r Cap. 5.] patiuntur, quoniam ipſorum eſt regnum Cœlorum. Et rurſus Paulus ad Timot. (ſ) omnes, qui volunt piè in [ſ 2. cap. 3.] Chriſto Jeſu vivere, perſecutionem patientur. Scitote, cum fidelibus ſuis loquitur Dominus, quod ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Scitote, quod ego ſum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo; hic fert fructum multum, ergo unuſquiſque fidelium tollere debet crucem ſuam, & ſequi Chriſtum, & tunc inter fideles verè computabuntur illi, qui renati fonte baptiſmatis veſtigia Chriſti ſequentur; quapropter dicebat Paulus ad Corint. (t) ſemper mortificationem Jeſu in [t 2. cap. 4.] corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in carne noſtra mortalis.

Tertius effectus baptiſmi eſt conferre baptizato gratiam, & virtutes; ſic deſumitur ex Paulo ad Titum (u) ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis, .ſ. per [u Cap. 3.] baptiſmum, & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè. Sed remiſſionem peccatorum, & copiam virtutum, ut Gloſſa interliner. exponit. Et ex D. Auguſt. (x) dicente lib. de baptiſmo parvulorum, [x Lib. 1. cap. 16.] ad hoc baptiſmus valet, ut baptizati Chriſto incorporentur, ut membra ejus, propter quod ſubdit D. Thom. (y) cum à capite Chriſto in omnia membra ejus gra- [y 3. p. q. 69 num. 4.] tiæ, & virtutis plenitudo derivetur, ſecundum illud, quod habetur ex Jo: (z) de plenitudine ejus nos omnes [z Cap. 1.] accepimus, iam benè ſequitur, quod per baptiſmum aliquis conſequitur gratiam, & virtutes; immò augmentum gratiæ, & virtutum; juxta D. Th. (a) docentem; [a Ib. ad 2.] licet ante baptiſmum conſequi poſſit gratiam, & virtutem per fidem Chriſti, & deſiderium baptiſmi implicitè, vel explicitè, ut pat. de Corn. & aliis ſimilibus, tamen in baptiſmo majorem copiam gratiæ, & virtutum conſequuntur illi, qui ſuſcipiunt baptiſmum, ut habetur ex illo Gloſſ. interlin. ſuper illud Pſal. ſuper aquas refectionis educavit me, per augmentum .ſ. virtutis, & bonæ operationis educavit in baptiſmo. Etſi in baptizato inveniantur & difficultas ad bonum, & pronitas ad malum hoc tamen non eſt propter defectum habitus virtutum, ſed propter concupiſcentiam, quæ non tollitur in baptiſmo, verùm diminuitur, ut non dominetur, & ſic utrumque dictorum etiam diminuitur, ne homo ab his ſuperetur. Et hinc eſt, quod in Cat. Rom. (b) ha- [b loc. cit. num. 58.] betur in confirmationem doctrinæ Div. Thom. quod per baptiſmum nos liberamur & à malis, quæ verè mala dicenda ſunt, & augemur eximiis bonis, & muneribus. Ac proinde animus noſter divina gratia repletur, qua juſti, & filii Dei effecti, æternæ quoque ſalutis hæredes inſtituimur, nam ut ſcriptum eſt Marc. (c) qui [c Cap. 16.] crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; mundatamque Eccleſiã lavacro aquæ in verbo; Apoſtolus teſtatur. Eſt autem gratia; non ſolùm per quam peccatorum fit

Digitized by Google

remiſſio, ſed divina qualitas in anima inhærens, (ut etiã e p.3 q.110 a.1 ad 6. docuit D. Th. (e) donum gratiæ qualitas quædã ſupernaturalis eſt) ac veluti ſplendor quidam, & lux, quæ animarum noſtrarum maculas omnes delet; ipſaſque animas pulchriores, & ſplendidiores reddit. Sicut colligitur etiam ex Sacris literis, cum gratiam effundi f Cap. 5. dicunt; ut habetur ex Paulo Apoſtolo ad Rom. (f) Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sãctum, qui datus eſt nobis, & cum eam Spiritus Sancti pignus ſoleant appellari, ut patet ex illo Pauli ad Co- g 2. cap. 1. rint. (g) qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris; (h) Et denique ad Ephеſ. (i) ſcribens h Ib. c. 5. dixit, in quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſ- i Cap. 1. ſionis Sancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ in redẽptionem acquiſitionis, in laudem gloriæ ipſius.

Quartus effectus baptiſmi eſt connexio Chriſto capiti, hoc eſt, quod membra ſcilicet fideles incorporantur per baptiſmum Chriſto. Nam certum eſt, inquit D. l 3 p. q. 69. a. 5. Th. (l) quod per baptiſmum aliquis regeneratur in vitam Spiritualem, quæ eſt propria fidelium Chriſti. Un- m Cap. 2. de Paulus dicebat ad Gal. (m) quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo filii Dei; quaſi dicat, nam & ego mẽbrum ſum Chriſti, qui verè filius Dei eſt, & illi incorporor per fidem; per fidem namque unimur Chriſto, & per charitatem nunquam ab illo ſeparamur, ſicut & n Cap. 8. ipſe dixit, ad Rom. (n) qui nos ſeparabit à Charitate o Cap. 3. Chriſti? Et ad Galatas; (o) quicumque in Chriſtu baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, quod eſt incorporari p Lib. 1 c. Chriſto. Et Div. Auguſt. (p) lib. de baptiſmo parvulorum, quod ad hoc valet baptiſmus, ut baptizati Chriſto incorporentur.

Quid autem intelligatur, per ly mundaret, aperitur ex illo ad Epheſ. (r) mundans eam lavacro aquæ in r Cap. 5. verbo vitæ, hoc eſt in baptiſmo dato in nomine Patris, & filii, & Spiritus Sancti; per quem ſine dubio incorporamur Chriſto, quaſi membra ejus. Quapropter ſub- ſ art. 5. ib. in c. dit Div. Th. (ſ) ſicut à capite naturali derivatur ad membra ſenſus, & motus; ita à capite ſpirituali, quod eſt Chriſtus, derivatur ad membra ejus ſenſus ſpiritualis, qui conſiſtit in cognitione veritatis, & motus ſpiritualis, qui eſt per gratiæ inſtinctũ; & hoc eſt, quod dicebat Joannes Evangeliſta, (t) de plenitudine ejus nos t Cap. 1. omnes accepimus: ſiquidem certum eſt, quod ex Chriſti Domini plenitudine in omnes, qui juſtificantur, divina virtus, & gratia diffunditur, quæ nos ad omnia Chriſtianæ pietatis officia habiles reddit; quod eſt deſumptum ex D. Th. (u) dicente, conſequens eſt, quod u Ib. a 5 baptizati illuminẽtur à Chriſto circa cognitionem veritatis, & fæcundentur ab eo, fæcunditate bonorum operum per gratiæ infuſionem.

Illuminantur utique baptizati circa veritatis cogni- x Cap 3. tionem, ſiquidem & Dionyſius de cœleſti Hier. (x) illuminationem tribuit baptiſmo, illam ſcilicet illuminationem, de qua Zacharias plenus Spiritu Sancto pro- y Cap. 1. phetavit dicens, Lucæ, (y) illuminare his, qui in tenebris, (gentilibus ſcilicet, nam iſti in obſcuro omninò ſedebãt etiam in tempore legis Moyſi, de venturo Meſſia, ac proinde omninò ignorabant, quid eſſet facturum:) & in umbra mortis ſedent; Hæbræis ſcilicet, expectabant enim iſti redemptionem Iſrael non per alium, quàm Meſſiam Chriſtum eſſe facturum: at in umbra mortis ſedebant, ſicut & ſedent, quia lex umbra futurorum eſt, & umbra mortis dicitur; tum quia non ſolvebantur à lege mortis, ſicut nos ſoluti ſumus ab illa, ut teſtis eſt z Cap. 7. Paulus ad Rom. (z) tum quia non glorificabantur, ſed veluti captivi retinebãtur in loco umbroſo, nec liberati fuerunt, donec apparuit dies, illa, inquam, dies, in qua glorificatus eſt ſol juſtitiæ Chriſtus Deus, noſter, qui de tenebris facit lucem ſplendeſcere; (ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis;) fidelibus utique, & in Chriſto renatis per baptiſmum, iſti enim, ut benè dixit Paulus a Cap. 4. ad Corint (a) per fidem ambulant, & non per ſpeciem, unde de iſtis non equit dicit illud, quod David, (b) de in- b Pſal. 13. ſipientibus dixit, viam pacis non cognoverunt, benè ta- c Cap. 14. men quod de fidelibus Chriſti dixit Paulus ad Rom., (c) quæ ſunt pacis, ſectemur; ea autem, quæ ſunt pacis, dicuntur, quæcumque pudica ſunt, quæcumque juſta ſunt, quæcumque ſancta, hæc enim omnia libenter cogitare debemus, ſicut & alacri animo agere, ut Deus pacis ſit nobiſcum, ut ajebat Paulus ad Corint. (d) de d 2. ca 13. cætero, fratres, gaudete, perfecti eſtote, ex hortamini idem ſapite, pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiſcum. Fæcundantur etiam fæcunditate bonorum operum, & hæc eſt fæcunditas baptiſmi, ut docet D. Th. (e) effectus baptiſmi ponitur fæcunditas, e Ib. ad 5. qua aliquis producit bona opera, in ſe ſcilicet ad differentiã ordinis Sacri, qui non in ſe, ſed in aliis opera bona producit; & ideò ſubdit D. Th. non autem fæcunditas, qua aliquis generat alios in Chriſto, de hac fæcunditate utique dicebat Paulus ad Corint. (f) In Chriſto f 1. cap. 4. Jeſu per Evangelium ego vos genui.

Fæcundantur ergo à Chriſto Domino fæcunditate bonorum operum per gratiæ infuſionem, & taliter fæcundantur, ut teneantur opera bona producere, hinc Concil. Trident. (g) ſi quis dixerit, baptizatos liberos eſſe ab omnibus Sanctæ Eccleſiæ præceptis, quæ vel g Seſſ. 7. de bapt. can. 8. ſcripta, vel tradita ſunt, ita ut ea obſervare non teneãtur, niſi ſe, ſua ſponte illis ſubmittere voluerint; anathema ſit. Et Gloſſa ſuper illud, ſuper aquam refectionis dicit, quod anima peccatorum ariditate ſterilis fæcundatur per baptiſmum.

Quintus effectus baptiſmi eſt, quod non minus pueri, quàm adulti in baptiſmo conſequuntur gratiam, & virtutes, cum non minus illi, quàm iſti efficiantur mẽbra Chriſti, & ideò non minus illi, quàm iſti, neceſſe eſt, ut à capite recipiant influxum gratiæ, & virtutis, aliàs ſi hoc non eſſet, ſequeretur, quod pueri decedentes poſt baptiſmum non pervenirent ad vitam æternam, nec renaſcendo morirentur illi peccato, quod contraxerunt naſcendo, contra D. Auguſt. (h) in Enchiridion h Cap. 52. dicentem, parvuli renaſcendo moriuntur illi peccato, quod contraxerunt naſcendo. Contra etiam determinationem Concilii Trid. (i) ſtatuentis, ſi quis dixerit, i Seſſ. 7. de Sacramen. can 7. non dari gratiam per hujuſmodi Sacramenta ſemper, & omnibus, quantum eſt ex parte Dei, etiam ſi rite ea ſuſcipiant, ſed aliquando, & aliquibus, anathema ſit.

Et quamvis pœnæ anathematis non ſubjaceant illi, qui dixerunt, quod pueris in baptiſmo non dantur gratia, & virtutes, ſed imprimitur eis character Chriſti, cujus virtute, cum ad perfectam ætatem venerint, conſequuntur gratiam, & virtutes. Nihilominus tamen ſubjacent illi tales pœnæ ignorantiæ, quia, ut benè docet D. Thom. (l) neſcierunt diſtinguere inter habitum, & l 3. p. q. 69. art. 6. actum. Unde mirum non eſt, ſi poſtea videntes pueros inhabiles ad actus virtutum crediderint eos poſt baptiſmum nullatenus habitus virtutum habere. Ignorantia hæc à D. Th. corrigitur, & illi ab eodem edocentur dicente, quod iſta impotentia operandi non accidit pueris ex effectu habituum, ſed ex impedimento corporali. Et m Ib. ad 1. de facto docet D. Th. (m) quod etſi gratia, & virtutes non habeantur, niſi per fidem, & charitatem; attamen hoc non obſtat, quod in pueris non ſit fides, & charitas, cum in illis non ſit habitus harum, & aliarum virtutum requirentes potentiam voluntatis; licet poſtea non ſint actus virtutum, qui requirunt actum voluntatis, qui in illis non eſt Juxta etiam Div. Auguſt. (n) de ba- n Epiſ. 23. ad Boniſ. ptiſmo parvulorum dicentem, quod parvulum, etſi nõdùm illa fides, quæ in credentium voluntate conſiſtit, jam tamen ipſius fidei Sacramentũ (quod cauſat habitũ fidei,) fidelem facit, utpotè quia etſi non credant pueri per actum proprium, credunt tamen per fidem Eccleſię, quæ eis communicatur, & hujus virtute fidei conferuntur eis gratia, & virtutes, maxime quia mater Eccleſia aliorum pedes accommodat, ut veniant; aliorum cor, ut credant, aliorum linguam, ut fateantur. Propter o Seſſ. 7 de bapt. can. 13. quod & Concil. Trid. (o) hanc veritatem, quam Div. Th. docuit, & fideliter ſuſtinuit, corroboravit per Can., ſi quis dixerit, parvulos eò quod actum credendi non habent, ſuſcepto baptiſmo inter fideles computandos non eſſe, ac propterea cum ad annos diſcretionis pervenerint eſſe baptizãdos, aut præſtare omitti eorũ baptiſma, quã eos non actu proprio credentes baptizari, in ſola fide Eccleſiæ; anathema ſit Sicut nec baptizandi iterũ ſunt pueri ex eo, quod deferantur ad baptiſmũ carnali intentione, ut ſcilicet corporaliter ſanentur; quia, ut benè docet D. Th. carnalis intentio deferentium pueros ad baptiſ-

Digitized by Google

baptiſmum nihil eis nocet, ſicut nec culpa unius nocet *p Epiſt. 23.* alteri, niſi conſentiat. Sicut & Div. Auguſt. dicit ad Bonifacium, non illud te moveat, quod quidam non ex fide ad baptiſmum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia ſpirituali ad vitam regenerentur æternam: ſed hoc eos putant remedio corporalem retinere, vel recipere ſanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab iſtis hac intentione offeruntur.

Sextus effectus baptiſmi eſt, quod per ipſum aperitur janua regni cœleſtis, tanquam per cauſam: eò quia per baptiſmum tollitur quævis culpa, & pœnæ omnis reatus; unde ſine dubio credendum ipſam januam regni *q loc. cit. ad 4.* cœleſtis aperire; cum, ut D. Th. ait, impedimentum introeundi januam regni cęleſtis, quod eſt culpa, & reatus pœnę, tollatur per baptiſmum, qui in tantum aperit baptizato januam regni cœleſtis, in quantum eum incorporat paſſioni Chriſti, virtutem ejus homini applicando; Et hinc eſt, air D. Cajetanus hic, quod aperire januam regni cœleſtis per ſe primò eſt effectus mortis Chriſti; attribuitur autem baptiſmo, eò quod in ſui inſtitutione cœli aperti ſunt; legitur .n. Lucæ, *(r)* apertum *r Cap. 3.* eſt cœlum, ut Beda, virtus hic baptiſmatis oſtenditur, de quo quiſquam egreditur, regni cœleſtis & janua aperitur: & quia Sacramentum eſt inchoans quoad vim obligativam à morte Chriſti, & quia ſufficienter cauſat apertionem Cœli cuilibet baptizato, dùm tollit omnem culpam, & pœnam, tàm perſonæ, quàm naturæ, non ſtatim aſſequendo totum ſuum effectum, ſed tempore congruo, ita ut ſicut virtute baptiſmi auferentur à juſtis in reſurrectione omnes pœnalitates, ita virtute baptiſmi aperitur janua cœleſtis tempore congruo, exhibitum ingreſſum; & propterea baptizati ante mortem Chriſti non niſi poſt mortem Chriſti ingreſſi ſunt regnũ Cœlorum, juxta D. Th. *(ſ)* dicentem, quando paſſio *ſ Ib. ad 2.* Chriſti nondum erat realiter perfecta, ſed ſolùm in fide credentium, baptiſmus proportionaliter cauſabat janue apertionem, non quidem in re, ſed in ſpe. Baptizati enim tunc decedentes ex certa ſpe, introitum regni cęleſtis expectabant. At quia modò realiter perfecta eſt paſſio Chriſti, hinc eſt etiam, quod in re baptiſmus cauſat januæ apertionem, à cujus introitu non impeditur, quando anima ſeparatur à corpore per mortem; quaſi jam reſoluto, eo quod naturæ debebatur, quoniam baptizatus non eſt obnoxius morti, & pœnalitatibus vitæ præſentis propter reatum perſonæ, ſed propter ſtatum naturæ.

Iſti ergo ſunt omnes effectus baptiſmi, & quamvis videantur eſſe plures, attamen in uno conveniunt, quia omnes ab una, & eadem cauſa oriuntur, qui eſt baptiſ- *t Cap. 4.* mus, qui unus eſt, ut aſſerit Paulus ad Epheſ. *(t)* Unus Deus, Una fides, unum baptiſma, unde quilibet ſuſcipiens baptiſmum ſuſcipit ex vi ipſius Sacramenti æqualiter omnes prædictos effectus, cum omnes æqualiter regenerentur ad Chriſtum per ipſum baptiſmum, juxta *u 3. p. q. 69. art. 8.* doctrinam D. Th. *(u)* docentis, quod per ſe quidem effectus baptiſmi eſt id, ad quod baptiſmus eſt inſtitutus, .ſ. ad regenerandum homines in vitam ſpiritualem. Et hunc effectum æqualiter facit in omnibus, qui æqualiter ſe habent ad baptiſmum. Maximè loquendo de pueris, iſti enim cum non in fide propria, ſed in fide Eccleſiæ baptizentur, omnes & ęqualiter ſe habent ad baptiſmũ, & æqualiter effectum baptiſmi percipiunt. Quoniam ſi fiat ſermo de adultis, aliter dicendum eſt, ut benè etiã *x loc. cit. n. 58.* habetur ex eodem D. Th. *(x)* & ex Catechiſmo Romano ipſam doctrinam D. Th. ſequente, & approbante, ut veridica. Ex iſto habetur, quod hi quidem ſunt baptiſmi fructus, quos ſiquidem Sacramenti vim ſpectemus, æque ad omnes pertinere dubitari non poteſt, ſin autem quo quiſque animi affectus ad illum ſuſcipiendũ acceſſerit, conſideremus, plus, minuſve cœleſtis gratiæ, & fructus ad unum aliquem, quàm ad alium pervenire omninò fateri oportet. Ex D. verò Th. habetur adulti, qui per propriam fidem ad baptiſmum accedunt, non æqualiter ſe habent ad baptiſmum, quidam enim cum majori, quidam cum minori devotione accedunt. Et ideò quidam plus, quidam minus de gratia novitatis *y ad 2. ib.* accipiunt; confirmat hoc idem Div. Th. *(y)* dùm ait, hoc, quod in baptizatis major, vel minor gratia apparet, poteſt contingere dupliciter: Uno modo, quia unus in baptiſmo percipit majorem gratiam, quàm alius propter devotionem majorem; quod etiam exemplificatur à Div. Th. ſic, ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat, licet ignis, quantum ex ſe eſt, æqualiter ad omnes ſuum calorem effundat. Er hoc quantum ad effectum per ſe ipſius baptiſmi. Nam quantum ad effectum baptiſmi per accidens diverſimodè proceditur; ut benè ait D. Th. ibid. effectus verò baptiſmi per accidens eſt, ad quem baptiſmus non eſt ordinatus. ſed divina virtus hoc in baptiſmo miraculosè operatur, Quapropter ſuper illud Rom. *(z)* ut ultrà non ſerviamus peccato, dicit Gloſſa, non hoc præſtatur in baptiſ- *z Cap. 6.* mo, niſi fortè miraculo ineffabili Creatoris, ut lex peccati, quæ eſt in membris, prorſus extinguatur. Et tales effectus non ęqualiter ſuſcipiuntur ab omnibus baptizatis, etiam ſi cum æquali devotione accedunt, ſed diſpenſãtur hujuſmodi effectus ſecundum ordinem divinæ providentiæ. Et hinc eſt, quod ſubdit D. Th. alio modo, quia etiam ſi æqualem gratiã percipiant, non ęqualiter ea utuntur, ſed unus ſtudioſus in ea proficit, aliùs per negligentiam gratiæ Dei deeſt. Inter quem effectum per accidens enumeratur à D. Th. *(a)* ſanitas corpora- *a Ib. ad 4.* lis; dum ait, ſanitas corporalis non eſt per ſe effectus baptiſmi, ſed eſt quodam opus divinæ Providentiæ.

Per quam tamen doctrinam D. Th. videtur quomodo ipſe locutus ſit abſolutè, non verò particulariter; Et hoc benè eſt conſiderandum ſiquidem licet videatur, quod ipſe reſpondeat argumento facto de Conſtantino, qui in baptiſmo mundatus ſit à lepra: nihilominus in reſpõſione nullam mentionem facit de eodẽ Conſtantino, ſignum evidens, quod etiam ipſemet D. Th. utique cognovit hoc, quod dicitur de Conſtantino cadere ſub dubio. Maximè quia non eſt dicendum, quod qui omnia perſcrutatus fuerit, de iſto facto ignorantiam paſſus fuerit, ſed ſolita modeſtia utens in reſponſione nihil de hoc tangit, ſed ſolùm dicit, & quod non eſt per ſe effectus baptiſmi ipſa ſanitas corporalis, & quod eſt opus miraculoſum providentiæ divinæ, quaſi diceret, ſi hoc eveniret, eveniret per opus divinæ providentiæ: Unde nec ſentit fuiſſe liberatum à lepra in virtute baptiſmi, nec diſſentit: non diſſentit, ſiquidem & in Breviario hoc habetur in feſto Sancti Sylveſtri, nec hoc ſentir, eò quia *b In Oratione de Conſtantino.* benè vidit quod D. Amb. dicit Cõſtantinũ in ultimo cõſtitutum baptizatum fuiſſe; cui conſonat illud, quod legitur in Voragine, in feſto utique ipſius Sancti Sylveſtri Papæ; quod totum ſit in reverentia aliorum, qui aliter dixerunt.

Diximus, quod etiamſi æqualem gratiam percipiãt, non æqualiter ea utuntur, ſed unus ſtudioſus in ea proficit, alius per negligentiam gratiæ Dei deeſt. Hoc diximus, quia ut certum ſupponimus, quod ſicut mentis integritas, & ſinceritas ad baptiſmi ſalutares effectus percipiendos neceſſariæ ſunt, ita etiam fictione, & perverſitate certum eſt, hos eoſdem effectus impediri, & prohiberi. Verùm quando diximus, quod alius per negligentiam gratiæ Dei deeſt, non intelligimus loqui de negligentia, quæ vera negligentia eſt, ſed potiùs de negligentia, quę aliquam repiditatem dicit. Unde non iſta, ſed prima fictio dicitur, & cum fictionem exprimat, hinc eſt, quod ſi quis accederet ad hoc Sacramentum baptiſmi fictè, non reciperet effectum baptiſmi, qua de cauſa benè ſapiens, Sapientiæ dixit, quod Spiritus Sãctus *(c)* diſciplinæ effugiet fictum, & quia effectus ba- *c Cap. 1.* ptiſmi à Spiritu Sancto eſt, hinc mirum non eſt, ſi poſtea dum quis accedit fictè ad baptiſmum, per ejus fictionem impediatur effectus baptiſmi. Maximè quia in- *d lib. 2. cap. 30* quit Div. Damaſcenus, *(d)* Deus non cogit hominem ad juſtitiã; Idcircò docet D Th. *(e)* ad hoc, quod aliquis *e 3. p. q. 69. art. 5.* juſtificetur per baptiſmum, requiritur, quod voluntas hominis amplectatur baptiſmum, & baptiſmi effectum.

At ut hæc omnia magis intelligantur ſciendum eſt, quod aliquis dicitur fictus per hoc, quod voluntas ejus contradicit baptiſmo, vel ejus effectui. Juxta D. Aug. quatuor modis dicitur aliquis fictus: Uno modo ille, qui

Digitized by Google

non credit, cum tamen baptiſmus ſit fidei Sacramentū, & talis non ſolùm non accipit effectū primarium Sacramenti baptiſmi, qui eſt gratia, ſed nec accipit characterem, quia nullo modo credit baptiſmum ſuſcipere.

Alio modo per hoc, quod contemnit ipſum Sacramentum: (& talis licet non accipiat effectum primum Sacramenti, poteſt tamen aliquando ſuſcipere characterem baptiſmalem, & ſucceſſivè etiam gratiam.) Tertio modo per hoc, quod aliter celebrat Sacrameotum non ſervans ritum Eccleſiæ, (& talis cum non ſit baptizatus, conſequēter nec recipit effectū illius.) Quarto modo per hoc, quod aliquis indevotè accedit. (Et tunc talis indevotè accedit, quando in peccato
f Ib. ad 3. mortali reperitur) juxta Div. Thom. (f) docentem, cuicumque peccato vult homo inhærere, ſi ad baptiſmum accedit, fictus accedit, quod eſt indevotè accedere. Et hoc intelligendum eſt de peccato mortali, quod gratiæ contrariatur, non autem de peccato veniali. Ergo oemo fictus accedat, nemo fucato animo, ad hoc Sacramentum, maximè quia per iſtud Sacramentum regeneratur ad Chriſtum, unde & conformari debeot Chriſto, qui propter maximam ſuam charitatem, qua dilexit nos, tradidit ſemetipſum pro nobis, ut nos expoliati veteris hominis ipſum indueremus. Juxta Div. Th. (g) dicentem quicumque baptizantur in Chriſto
g Ib. ad 1. conformati ei per fidem, & charitatem, induunt Chriſtum per gratiam ad differentiam illorum, qui quamvis dicantur baptizari in Chriſto, dicuntur tamen in illo baptizari, in quantum accipiunt Sacramentum baptiſmi; nam iſti tales licet induant Chriſtum per configurationem Characteris, non tamen per cooſormitatem gratiæ; quam tamen accipiunt recedente fictione; ſiquidem iſta non removetur per baptiſmum jam ſuſceptum, benè verò removetur per pœnitentiam ſubſequentem.
h Lib. 1. ad cap. 2. Unde Div. Aug. (h) lib. de Baptiſmo contra Donatum dicit, tunc valere incipit ad ſalutem baptiſmus, cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit; quæ corde in malitia, vel Sacrilegio perſeverante peccatorum ablutionem, vel abolitionem non ſinebat fieri. Et Div.
i 3. p. q. 69. art. 10. ad 2. Th. (i) remota fictione per pœnitentiam baptiſmus ſtatim conſequitur ſuum effectum, qui eſt auferre culpam, & reatum omnium peccatorum præcedentium baptiſmum, & etiam ſimul exiſtentium cum baptiſmo, juxta illud D. Aug. (l) de baptiſmo parvulorum; ſol-
l Lib. 1. cap. 12. vitur heſternus dies, & quidquid ſupereſt, ſolvitur & ipſa hora, momentumque ante baptiſmum, & in baptiſmo; deinceps autem continuò reus eſſe incipit; ſubdit autem Div. Tho. & ſic ad baptiſmi effectum conſequendum concurrit baptiſmus, & pœnitentia, cum hoc tamen diſcrimine, quod baptiſmus ſicut cauſa per ſe agens; pœnitentia, ſicut cauſa per accidens removens
m Ib. ad 3. prohibens. Rurſus ait Div. Thom. (m) effectus baptiſmi non eſt tollere peccata futura, (nam iſta ſubiiciuntur clavibus Eccleſiæ) ſed præſentia, vel præterita, (nam peccata ante baptiſmum commiſſa non cadunt ſub juriſdictione Eccleſiæ, etenim Eccleſia non habet poteſtatem ſupra hominem nondùm baprizatum, & cōſequenter neque ſuper peccata, quæ ante bapriſmum committit;) ideoque recedente fictione peccata ſequentia remittuntur per pœoitentiam, non per baptiſoium, ſicut nec per recordationē, & fidem ſuſcepti baptiſmi, ut perverſè ſentientes dixerunt, horum tamen perverſitatem damnat & Concilium Trid. (n) ſemper appro-
n Seſſ. 7. de bapt. can. 10. bans doctrinam Div. Th. dùm ſtatuit, ſi quis dixerit, peccata omnia, quæ poſt baptiſmum fiunt, ſola recordatione, & fide ſuſcepti bapriſmi, vel dimitti, vel venialia fieri; anathema ſit. Et quamvis remittantur per pœnitentiam, ſubdit tamen Div. Th. ibidem, non remittuntur quantum ad totum reatum, ſicut peccata præcedentia baptiſmum.

Super quæſtionem Septuageſimam.

De Circumciſione, quæ præceſſit baptiſmum.

Circumciſionem incæpiſſe tempore Abrahæ nullum poteſt eſſe dubium, hoc eſt pactum meum.
a cap. 17. dixit Dominus Abrahæ, Gen. (a) quod obſervabitis inter me, & vos, & ſemen tuum poſt te: circumcidetur ex vobis omne maſculinum.

Quod ſi inquiratur; quare Deus circumciſionem præceperit tempore Abrahæ, & non tempore Adæ.

Ratio hujus manifeſta eſt, quoniam Adæ tempore adhuc fides, & ratio naturalis in tantum vigebat in homine, quod non oportebat determinari hominibus aliqua ſigna fidei, & ſalutis, ſed unuſquiſque pro ſuo libito fidem ſuam aliquibus ſignis proteſtabatur. Tempore verò Abrah. diminuta erat fides plurimis ad Idololatriam declinantibus, obſcurata etiam erat ratio naturalis per augmentum carnalis concupiſcentiæ; adeòque convenienter tunc, & non antè fuit à Deo percepta circumciſio ad profitendam fidem,) juxta D. Th. (b) dicentem, ratio principalis circumciſionis fuit ad proteſtationem fidei unius Dei; etenim ipſe Dominus b par. 2. q. 102. a. 5. ad 1. de ſe dixit, ego ſum ſolus, & non eſt alius Deus præter me. Et quia Abraham fuit primus, qui ſe ab infidelibus ſeparavit, exiens ſecundum mandatum Dei de terra ſua, de cogoatione ſua, & de domo patris ſui: ideò ipſe primus circumciſionem accepit. Hanc rationem colligimus etiam ex Paulo ad Rom. (c) ſignum c cap. 4. accepit circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei; quæ eſt in præputio. Quia ſcilicet in hoc legitur fides Abrahæ reputata ad juſtitiam, quia contra ſpem in ſpem credidit, ſcilicet contra ſpem naturæ in ſpem gratiæ, ut fieret pater multarum gentium, cum ipſe eſſet ſenex, (erat enim nonaginta, & novem annis, quando circumcidit carnem præputii ſui) & uxor ejus anus, (poſtquam conſenuit, ipſa dixit, Gen. (d) & Dominus d cap. 18. meus vetulus eſt, voluptati operam dabo? (hoc dixit, quia noo erat percipiens, quod apud Deum nihil redditur impoſſibile, immò nec difficile, cum ipſe ſit Dominus omnium, & ſuper omnia,) & ſterilis. Et ut hæc proteſtatio, & imitatio fidei Abrahæ firmaretur in cordibus Judæorum, acceperunt ſignum in carne ſua, cujus oblivіſci non poſſent, & ſic ſemper proteſtarentur unum eſſe Deum. Et ideò bene ait D. Thom. (e) quod per circumciſionem antiqui aggrega- e 1. p. q. 70. art. 1. bantur collegio fidelium. Ut patet de Achior, in lib. de Judith. (f) qui relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, & circumcidit carnem præputii ſui, & appoſitus eſt ad f cap. 14. populum Iſrael.

Tuoc, & non ante fuit à Deo percepta circumciſio ad minuendum carnalem concupiſcentiam; Et hoc meritò, quoniam carnalis concupiſcentia præcipuè in mēbro illo viget, in qno fit circumciſio propter abundantiam delectationis venereorum. Unde Gloſſa ſuper illud Gen. circumcidetis carnem præputii veſtri, ait, quia in hac parte eſt propagatio corruptionis, ut ſcilicet io eo membro circumciſionis, in quo libido ſolet dominari, caſtitatem ſibi ſervandam, & impudentiam reſcindendam cognoſceret. Unde & in hoc membro fiebat circumciſio, ut per eam peccatum originale tunc tolleretur, cum per generationem, in qua probatur naturalis concupiſcentia, peccatum originale contrahatur. Principaliter namque inſtituta fuit in remedium illius peccati, ſicut & in remiſſionem ejuſdem; hinc Bernardus dicebat, quod aqua baptiſmi abluit, hoc petra circumciſionis abraſit. Et Div. Gregorius io Mor. (g) inquit, quod apud nos valet aqua baptiſ- g Lib. 4. c. 2. vel 3. matis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis ſola fides, vel pro majoribus virtus ſacrificii, vel pro his, qui ex Abrahæ ſtirpe prodierant, myſterium circumciſionis.

Circumcidebantur ergo Judæi per cultellum, ob hoc ſciendū eſt, quod cultellus lapideus non erat de neceſſitate circumciſionis, ut notat D. Th. (h) neque cōmuniter h 3. p. q. 70. ar. 3. ad 1. tali inſtrumeoto Judæi (i) utebantur ad circīcidendum. Etſi legantur aliquæ circumciſiones ſamoſæ cultello i cap. 4. lapideo factæ, ut conſtat in lib. Exodi de Sephora: (l) Et in lib. Joſue legitur, fac tibi cultros lapideos, & l cap. 5. circumcide ſecundò filios Iſrael; hoc factum non caret myſterio, quoniam per hoc figurabatur, circumciſionem ſpiritualem eſſe fiendam per Chriſtum, de quo dicitur ad Corint. (m) Petra autem erat Chriſtus. m 1. c. 10.

At cum præceperit Dominus circumciſionem omnibus, qui ex ſemine Abrahæ naſcebantur, quare poſtea

popu-

populus prætermiſit in deſerto per quadraginta annos hoc mandatum?

Multæ de hoc quæſito redduntur rationes, quarum prima eſt, quod neſciebant Iſraelitæ, quando caſtra movenda erant, etenim caſtra tunc ſe movebant ad motum columnæ ignis, & nubis, juxta illud Pſalm. (n) & deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis, qui motus incertus erat; .ſ. ignotus erat illis, utpotè quia ſolùm erat dependens à voluntate Dei, qui ſicut non indiget conſilio hominum, ita nec loco, aut tempore, ut operetur. Secunda, quod ſemper debebant eſſe parati ad pugnandum contra hoſtes, unde ex hac parte excuſabiles erant, ſi non circumcidebãtur; quoniam certũ eſt, quod ex circumciſione maximus dolor cauſatur, & ideò rationabiliter fuit prætermiſſa circumciſio illo tempore, ne inhabiles redderentur ad præliandum; dicant, ſi tamen narrare poſſunt, Nemor, & Sichẽ, & cuncti habitatores urbis Sichemitarum, quid acciderit illis tertia die circumciſionis illorum? Etenim narrabunt, quod die tertio, quando graviſſimus vulnerum dolor eſt, ingreſſi ſunt urbem confidenter duo filii Jacob Simeon, & Levi fratres Dinæ, arreptiſque gladiis interfecerunt Regem, & filium ejus, & omnes maſculos civitatis illorum abſque eo, quod defendere ſe poſſent præ nimio dolore ex circumciſione cauſato. Damaſcenus aliam cauſam adducit, & conſiſtit in hoc, quod non erat neceſſe Judæos aliquod ſignum diſtinctionis habere, quando ſeorſim ab aliis populis habitabant.

n Pſal. 77.

D. verò Th. addidit aliam rationem dicens, quod nulli incircumciſi in deſerto mortui fuerunt; ut teſtimonium perhibet de hoc David in Pſal. (o) non erat in tribubus eorum infirmus; ſed illi ſoli videntur mortui in deſerto, qui fuerunt in Egypto circumciſi, ut legitur in lib. Joſue; omnis populus, qui egreſſus eſt de (p) Egypto generis maſculini, univerſi bellatores viri mortui ſunt in deſerto per longiſſimos viæ circuitus, qui omnes circumciſi erant. Verùm quia non poſſumus eſſe ita certi, quod per ſpatium tot annorum aliquis mortuus non fuerit, hinc eſt, quod docet ibid. Div. Thom. ſi tamen aliqui incircumciſi mortui ſunt, eadem ratio eſt de his, & de his, qui moriebantur ante circumciſionis inſtitutionem. Subdit poſtea Div. Thom. quod tamen intelligendum eſt etiam de pueris, qui moriebantur ante octavum diem tempore legis.

o Pſ. 104.
p Cap. 5.

In hoc fateor eſſe ſub obſcuro cauſa meæ imbecillitatis; Siquidem quamvis notum mihi ſit, quod ante circumciſionis inſtitutionem peccatum originale tollebatur per preces, vel per aliquam benedictionem, vel per ſacrificia immò antequam fuiſſet inſtituta circumciſio juſtificabantur tàm pueri, quàm adulti per ſolam fidem Chriſti futuri, adeòque illi, qui tunc temporis moriebantur, non erant damnati; ſi hoc de illis, pariter hoc idem dicendum eſt & de illis, qui incircumciſi mortui ſunt in deſerto, non fuiſſe damnatos, ſed liberatos à peccato originali per ſolam fidem Chriſti futuri, & hoc per preces, vel ſacrificia, quæ Deo offerebant in deſerto, maxime etiam quia ut docet Div. Thom. populus in deſerto prætermittens mandatum de circumciſione excuſabatur, non apud homines, ergo apud Deum, cujus ſolùm eſt remittere culpam, & pœnam pro peccato nedùm originali, ſed etiam quodlibet illud ſit, debitam. At de iſtis, & de illis utique admittimus eamdem eſſe rationem. Sed quod cadit ſub dubitatione, eſt illud de pueris, qui moriebantur ante octavum diem tempore legis; iſti, quod non damnarentur, juxta doctrinam Div. Th. opus eſt aſſerere; & eò magis quia Deus præcepit, quod fieret circumciſio puerorum octavo die poſt nativitatem eorumdem, ergo ſi aliquis puer ante octavum diem moriebatur, non erat damnandus, quia non operabatur contra legem, ſed juxta obedientiam legis, adeòque fatendum eſt, quod Deus, qui vult omnes ſalvos facere, & neminem perire, peccatum originale illis remiſit per preces ſuorum parentum, vel per Sacrificia, vel per aliquam benedictionem eis adhibitam, ultra fidem Chriſti futuri neceſſariò requiſitam ad ſalvationem illorum. Quod magis patet eſſe verum, quod docet D. Th. nam fœminæ, quæ naſcebantur, non circumcidebantur, & tamen ſi mortuæ fuiſſent, antequam perveniſſent ad octavum diem, non damnabantur, ergo ne pueri eſſent ſub deteriori conditione puellarum, dicendum eſt, quod nec iſti damnabantur; ſuppoſitis omnibus illis, quæ ad hæc neceſſaria, erant ut dix: Manifeſtum eſt enim, quod circumciſio tantùm pro maſculis inſtituta fuit, & rationabiliter, quia & ſolus vir eſt caput mulieris, & ipſe vir fuit cauſa, & origo peccati originalis, quoniam juxta doctrinam Div. Th. ſi Adam non peccaſſet, Chriſtus incarnatus non fuiſſet, hoc eſt non deſcendiſſet de ſinu Patris in uterum Virginis, ut liberaret genus humanum à peccato originali; Idcircò benè Div. Th. (q) hic ait, quod peccatum originale, contra quod ſpecialiter ordinabatur circumciſio, trahitur à Patre, non à matre.

q 1. p. q. 70 ar. 3. ad 4.

Hæc autem circumciſio præceſſit baptiſmum, unde & præparatoria fuit ad baptiſmum, quantum ad profeſſionem fidei, quæ in illo requiritur, qui utique dicitur Sacramentum fidei, in quantum .ſ. in baptiſmo fit quædam fidei profeſſio, & per eumdem homo aggregatur congregationi fidelium; fuit & præfigurativa ipſius baptiſmi, etenim ſcriptum eſt, quod omnia in figura contingebant antiquis Patribus. Et Div. Tho. docet, (r) quod quædam Sacramenta novæ legis habuerunt in veteri lege Sacramenta figuralia ſibi coreſpondentia; inter quæ eſt circumciſio, cui utique reſpondet baptiſmus, qui eſt fidei Sacramentum; Et fides noſtra, & antiquorum eadem eſt; nam unum Deum credimus, & ter idem colimus, & profitemur fidem unius Dei; & Paulus ad Coloſſ. (ſ) ait, circumciſi eſtis circumſione non manufacta, in expoliatione corporis carnis, ſed circumciſione Chriſti conſepulti ei in baptiſmo. Præceſſit ergo circumciſio baptiſmum, & tanquam præparatoria ad ipſum, & tanquam præfigurativa illi. Etenim circumciſio data fuit uni populo derivato ex ſemine Abrahæ, in cujus ſemine omnes gentes benedicentur; immò ex ejus ſemine derivata eſt Virgo Maria, quæ genuit Regem Cœlorum, ac Dominum, qui eſt benedictus in ſecula, propterea Sanctè, ac piè in ſalutatione Virginis exclamavit Eliſabeth dicens, & benedictus fructus ventris tui, nempe Chriſtus dominus, qui circumcidi voluit, ut legem impleret, adeòque noluit ſtatim baptizari, ſed multo tempore legem ſervavit, quaſi conſtitutus ſub lege. Cæterum baptiſmus omnibus populis exhibetur, ut verificetur illud Pauli ad Timot. (t) Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & hoc per baptiſmum, nam niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire regnum Dei; juxta quod & dicitur, qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; & hoc in ſignum, quod in baptiſmo continetur perfectio ſalutis, quam non continebat circumciſio, teſte Div. Th. (u) circumciſio non continebat perfectionem ſalutis, ſed ipſam figurabat; ut fiendam per Chriſtum, qui erat ex Judæorum populo naſciturus.

r pa. 2. qu. 103. ar. 4. ad 1.
ſ Cap. 2.
t 1. Cap. 2.
u 3. p. q. 70. a. ad 3.

Et quamvis figuraret perfectionem ſalutis, nihilominus tamen quia valebat ad ſanctificationem purgationis parvulis originalis, veteriſque peccati, in illa tamen conferebatur gratia quantùm ad omnes gratiæ effectus, aliter tamen ac in baptiſmo: Nam, ut docet Div. Th. (x) in baptiſmo confertur gratia ex virtute ipſius baptiſmi, quam habet, in quantum eſt inſtrumentum paſſionis Chriſti jam perfectè, in circumciſione verò conferebatur gratia, non ex virtute circumciſionis, ſed ex virtute paſſionis Chriſti, cujus ſignum erat circumciſio, ita .ſ. quod homo, qui accipiebat circumciſionem, profitebatur ſe ſuſcipere talem fidem, vel adultus pro ſe, vel alius pro parvulis. Ob hanc rem benè dixit Paulus, Abrahã accepit ſignũ circumciſionis, ſignaculũ juſtitiæ fidei. Tale verò ſignũ proteſtativũ hujus fidei non requirebatur in lege naturæ, hoc eſt tempore Adæ, quia nondum homines fideles ſeorſim ab infidelibus cæperant adunari ad cultum unius Dei. Ex qua Doctrina Div. Thom. reiicitur, ſicut ipſe rejecit, opinio Magiſtri ſententiarum, opinabatur enim, quod per circumciſionem non conferebatur gratia,

x 3. p. q. 70 art. 4.

Digitized by Google

ſed ſolùm auferebatur peccatum; propterea docet S. D. quod hoc non poteſt eſſe, quia homo non juſtificatur à peccato, niſi per gratiam, juxta illud ad Rom. (y) juſtificati gratis per gratiam ipſius. Imò ibid. ait, quod culpa non remittitur, niſi per gratiam; cum autem in circumciſione remittebatur etiam per Magiſtrum ſententiarum peccatum originale, quod in ſe dicit privationem gratiæ, rectè debet deduci, quod in illa gratia habitualis infundebatur, utpotè oppoſita forma privationi ejuſdem.

y Cap. 3.

Pariter circumciſio cum inſtituta fuerit ad diminuendam concupiſcentiam carnalem, hinc Div. Th. propter hoc reiicit opinionem quorumdam dicentium in circumciſione conferri utique gratiam etiam quantùm ad aliquem effectum poſitivum, qui eſt facere dignum vita æterna, ſed non quantùm ad omnes effectus, quia non ſufficiebat reprimere concupiſcentiam ſomitis, nec ad implenda mandata legis. Hæc fuit opinio antiquorum, cui conſentiit olim & Div. Thom. ut ipſe confeſſus eſt, dum dixit, quod etiam mihi aliquando viſum eſt; ſed hic apertè oppoſitum docet, dum ait; ſed diligenter conſideranti apparet hoc non eſſe verum; quia minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, (maximè quia concupiſcentia non ſemper eſt peccatum, licet ad peccatum inclinet,) & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in tranſgreſione mandatorum legis; minima enim charitas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri, & argenti: Ut teſtis fidelis eſt David in Pſalm. (z) dicens, bonum mihi lex oris tui, ſuper millia auri, & argenti. Pro nihilo namque computavit aurum, & argentum in comparatione dilectionis Dei, mandatorumque ejus; Hæc de circumciſione, de qua multa diximus agendo de Sacramenti in genere.

z Pſal. 118

Supra quæſtionem ſeptuageſimam primam.

De Præparatoriis, quæ ſimul concurrerunt cum Baptiſmo.

CUm baptiſmus ſit fidei Sacramentum, propter quod & illi, qui baptiſmum ſuſcipiunt, fideles vocantur, ex profeſſione fidei, quam emittunt, dum renaſcuntur fonte baptiſmatis; etenim profitentur unitatem in divinis, Trinitatem in perſonis, ſiquidem interrogati à miniſtris Dei omnipotentis, an credant in Deum, Sana mente reſpondet, Credo; & hanc profeſſionem faciunt tàm pueri, quàm adulti, cum hoc tamen diſcrimine, quod Pueri per Patrinos, adulti verò per ſeipſos faciunt, ſuppoſita tamen inſtructione in fide, nam primò docendi ſunt circa ea, quæ ſunt fidei, & poſtea baptizandi, juxta Domini Jeſu præceptum, qui dixit in Matt. (a) euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Itaque convienter dicitur ante baptiſmum, ut debeat præcedere Catechiſmum.

a Cap. 28.

At nedùm Catechiſmus baptiſmum præcedere debet, verùm etiam exorciſmus, eò quia antequam quis ſuſcipiat baptiſmum, debent expelli dæmones ſemper infeſti hominibus, ne ſalutem animarum ſuarum impediant; & rationabiliter, quoniam certum eſt, quod omnes non baptizati poteſtati dæmonum ſubiiciuntur ſaltem propter peccati originalis reatum. Propter quod ſequitur, quod illa, quæ aguntur in exorciſmo, aliquid efficiunt; ſiquidem per ea, quæ in exorciſmo aguntur, excluduntur duo impedimenta, unum extrinſecum, prout dæmones hominis ſalutem impedire conantur; quod impedimentum excluditur per exufflationes, quibus poteſtas dæmonis pellitur, quantum .ſ. ad hoc, quod non præſtet impedimentum Sacramento ſuſcipiendo. Aliud intrinſecum, prout ſcilicet homo ex infectione originalis peccati habet ſenſus præcluſos ad percipienda ſalutis myſteria. Quæ impedimenta tolluntur per miniſtrum idoneum, nempe per Sacerdotem, cujus officium eſt catechizare, & exorcizare baptizandum, cum potior ſit operatio Sacerdotis, in quantum confert ipſum Sacramentum, quapropter & operationem non miniſterialem habet ſicut miniſtri, ſed principalem.

Baptiſmus, quamvis ab omnibus ſuſcipiendus ſit, quoniam Sacramentum maximæ neceſſitatis eſt, nihilominus tamen cum & Sacramentum fidei ſit, & conſequenter quædam profeſſio fidei Chriſtianæ, rectè ſequitur, quod illi, à quibus ſuſcipiendum ſit hoc Sacramentum baptiſmi, antequam illud ſuſcipiant, in fide, & in iis, quæ ſunt fidei, inſtrui, (non enim ſufficit, quod nomen Religionis mutent, & de infidelibus fideles fiant, ſed ultrà neceſſariò requiritur, & ut religiosè vivant, & firmiter credent ea, quæ in religioſe Chriſtiana profitentur,) quod & catechizare dicitur. Quem inſtitutionis modum à Chriſti domini Salvatoris noſtri præcepto manaſſe non eſt dubitandum, ſiquidem ipſe Dominus Jeſus præceptum baptizandi diſcipulis tradens præmittit doctrinam baptiſmo dicens, euntes, docete omnes gentes, hoc eſt inſtruite illos in fide, quod ſi verè credantur, baptizentur, & ideò ſtatim addidit, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spir. Sancti. Et in Marc. (b) legitur, euntes in Mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ: (ecce quomodo homines prius inſtruendi ſunt de veritate noſtræ fidei) qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur (& ecce, quomodò prius credere debent, & poſtea ſunt baptizandi,) ſic enim legitur in Actibus Apoſtolorum, (c) qui ergo receperunt ſermonem ejus, ſcilicet Petri, (d) baptizati ſunt. Et rurſus tunc reſpondit Petrus, numquid aqua prohibere poteſt, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, ſicut & nos? Et juſſit eos baptizari in nomine domini noſtri Jeſu Chriſti. Ex quibus jam apertè conſtat, quod prævia doctrina fidei Apoſtoli (e) baptizabant; ſic conſtat & Philippum Diaconum baptizaſſe Eunuchum Reginæ Candacis, legitur enim, quod aperiens Philippus os ſuum, incipiens à ſcriptura iſta Evangelizavit illi Jeſum, & dum irent per viam, venerunt ad aquam; & ait Eunuchus, ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus, ſi credis ex toto corde, licet. Et reſpondens, ait, Credo filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum: & juſſit ſtare currum & deſcenderunt uterque in aquam Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum. Ob hoc à Martino Papa dictum fuit, oportet, ut qui baptizandi ſunt, ſymbolum diſcant. (f) Et in Catech. Romano ſic habetur, deinde interrogatur à Sacerdote hoc modo, Credis in Deum Patrem Omnipotentem? Cui ille reſpondit; Credo. Sic ex Cyrillo Jeroſolimitano, (g) atque ita deinceps de reliquis Symboli articulis rogatus fidem ſuam ſolemni religione profitetur. (h) Et Rabanus de inſtitutione Clericali ait, ante baptiſmum catechizandi debet hominem prævenire officium, ut fidei primum Catechumenus accipiat rudimentum. Et Div. Th. (i) docet, quod Catechiſmus debet præcedere baptiſmum, & convenienter, ſiquidem quod aliquis fidem accipiat, requiritur, ut de fide inſtruatur, fundamento deſumpto ex illo Rom. (l) quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante? & quantum ad profeſſionem fidei, quod illi, qui pro puero baptizato reſpondet, Credo, non prædicit puerum crediturum, cum ad legitimos annos pervenerint, alioquin diceret, credet; ſed profitetur fidem Eccleſiæ in perſona pueri, cui communicatur, cuius Sacramentum ei tribuitur, & ad quam obligatur per alium. Non enim eſt inconveniens, quod aliquis obligetur per alium in his, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis. Similiter & Patrinus pro pueris reſpondens promittit ſe operam daturum ad hoc, quod puer credat. Quod tamen non ſufficeret in adultis uſum rationis habentibus. Quod corroboratur à Catec. Romano (m) quoniam verò Catechiſmi ratio ex multis interrogationibus conſtat, ſi is, qui inſtituitur, adulta ætate fuerit ad ea, quæ rogantur, ipſe per ſe reſpondet. Si autem infans ſit, pro illo ſponſor ritè reſpondet; ſolemnem ſponſionem facit.

b Cap. 16.
c Cap. 2.
d Cap. 10.
e Cap. 8.
f De bapt. num. 70.
g Catec. 3. & 5.
h Lib. 1. cap. 25.
i 3. p. q. 71. art. 1.
l Cap. 10.
m Par. 2. de bapt. n. 64.

At non ſolùm Catechiſmus præcedere debet baptiſmum, verum etiam & exorciſmus, qui

ad

ad expellendum diabolum, ejuſque vires frangendas, & debilitandas ſacris, & religioſis verbis, ac precationibus conficitur: Et ideò Divus Thomas docet, (*n*) convenienter ante baptiſmum expelluntur dœmones, ne ſalutem hominis impediant, quam quidem expulſionem ſignificat exuflatio: juxta etiam Cæleſtinum Papam ad Epiſcopos Galliæ dicentem, (*o*) ſive parvuli, ſive juvenes ad regenerationis veniant Sacramentum, non prius fontem vitæ adeant, quàm exorciſmis, & exuflationibus clericorum ſpiritus immundus ab eis abjiciatur, & iſte ſpiritus immundus diabolus eſt, qui poteſtatem aliquam habet in hominem ex hoc ipſo, quod ſubditur peccato originali, vel actuali. Et licet non omnes ad baptiſmum accedentes, inquit Divus Thomas, (*p*) corporaliter ab eo vexentur, omnes tamen non baptizati poteſtati dæmonum ſubjiciuntur ſaltem propter originalis peccati reatum. Unde cum ſit hoſtis humanæ ſalutis, homo nequit liberari ab ejus tyrannide, niſi per baptiſmi ſuſceptionem: in quo licet per ablutionem peccati excludatur poteſtas dæmonis ab homine, quantùm ad hoc, quod impedit eum à perceptione gloriæ, nihilominus tamen per exorciſmos excluditur poteſtas dæmonis, in quantùm impedit hominem à perceptione Sacramenti, Sicut licet & ad arcendam dæmonum poteſtatem introducta ſit aqua benedicta, tamen, ait Divus Thomas, (*q*) iſta datur contra impugnationes dæmonum; quæ ſunt ab exteriori; & hoc ad differentiam exorciſmi, qui ordinatur contra impugnationes dæmonum, quæ ſunt ab interiori, unde & energumeni dicuntur, quaſi interiùs laborantes illi, qui exorcizantur. Et idcircò, ut omnia impedimenta removeantur; (ſiquidem ut docet Divus Thomas quicumque ſapienter aliquod opus facere proponit, prius removet impedimenta ſui operis, ſicut dicitur in Jeremia, (*r*) novate vobis novale, & nolite ſerere ſuper ſpinas,) non tantùm benedictio cum manus impoſitione requiritur, cum per iſtam præcludatur expulſo via, ne redire poſſit, Sal verò in os miſſum, & narium, & aurium ſputo linitio, ſignificat, ſubdit Divus Dhomas, ibidem, receptionem doctrinæ fidei quantum ad aures, & approbationem, quantum ad nares, & confeſſionem quoad os. Quæ Divi Thomæ doctrina (*ſ*) magis ampliatur à Catech. Roman. etenim legitur, cum Sal in illius os, qui ad baptizatum adducendus eſt, inferitur, hoc ſignificari perſpicuum eſt, eum fidei doctrina, & gratiæ dono conſecuturum eſſe, ut à peccatorum putredine liberetur, ſaporemque bonorum operum percipiat, divinæ Sapientiæ pabulo delectetur. Poſtea verò illi nares, & aures ſaliva liniuntur, ſtatimque ad baptiſmi fontem mittitur, ut quemadmodum cęcus iſte Evangelicus, quem Dominus juſſerat occulos lutos illitos Siloe aqua abluere, lumen recuperavit; ita etiam intelligamus ſacræ ablutionis eam vim eſſe, ut menti ad cœleſtem veritatem percipiendam, lumen afferat.

Hæc autem omnia, quæ in exorciſmo aguntur, non dantur ad ſignificandum, ſed ad efficiendum, in cujus ſignum Eccleſia in exorciſmis imperativis verbis utitur, ad expellendam dęmonis poteſtatem, quando dicit, ergo maledicte diabole exi ab eo, &c. ſicut legitur, Chriſtum Dominum imperaſſe illi ſpiritui immundo, obmuteſce, & exi de homine.

Quapropter dicendum eſt, ait Divus Thomas (*t*) quod aliquem effectum habeat, differenter tamen ab ipſo baptiſmo; ſiquidem per baptiſmum datur homini gratia ad plenam remiſſionem culparum; per ea verò, quæ in exorciſmo aguntur, quamvis non tollatur culpa, propter quam homo punitur poſt mortem, tolluntur tamen impedimenta recipiendi remiſſionem culpæ per Sacramentum, unde poſt mortem exorciſmus non valet ſine baptiſmo. Hinc eſt ergo, quod per ea, ſubdit Divus Thomas, quæ in exorciſmo aguntur, excluditur duplex impedimentum ſalutaris gratiæ percipiendę. Quorum unum eſt extrinſecum, prout dæmones hominis ſalutem impedire conantur. Et hoc impedimentum excluditur per exuflationes, quibus poteſtas dęmonis pellitur, quantum ſcilicet ad hoc, quod non pręſtet impedimentum Sacramento ſuſcipiendo, ut deſumitur etiam ex Divo Auguſtino (*u*) libr. de Symbolo, parvuli exuflantur, & exorcizantur, ut pellatur ab eis diaboli poteſtas inimica, quæ decipit hominem. Manet tamen poteſtas dęmonis in homine quantum ad maculam peccati, & reatum pœnę, quouſque peccatum per baptiſmum tollatur. Secundum hoc autem Cyprianus dicit, (*x*) hujus diaboli nequitiam poſſe remanere uſque ad aquam ſalutarem, in baptiſmo autem omnem nequitiam amittere.

Quod poteſt comprobari ex illo Regum, quandocumq; (*y*) Spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat cytharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leviùs habebat: recedebat enim ab eo Spiritus malus. Quia ſi ad ſonum Cytharę à David pulſatę efficiebatur hoc, quod Spiritus malus à vexatione, Saulis ceſſabat, & ab eo recedebat; ſic & multo magis ad lectionis exorciſmi devotum ſonum à Sancta Matre Eccleſia per miniſtros editum Spiritus malus, ſcilicet diabolus à vexatione hominis baptizandi ceſſabit, & ab eò recedet.

Aliud verò impedimentum intrinſecum eſt, prout ſcilicet homo ex infectione originalis peccati habet ſenſus pręcluſos ad percipienda ſalutis myſteria. Ob hoc autem Rabanus (*z*) de inſtitutione Clericorum dicit, quod per Salivam typicam, & Sacerdotis tactum, ſapientia, & virtus divina ſalutem Catechumeni operatur, ut aperiantur ei nares ad percipiendum odorem notitię Dei: ut aperiantur ei aures ad audiendum mandata Dei; & ut aperiantur illi ſenſus in intimo corde ad reſpondendum. Hęc ergo omnia aguntur in exorciſmo; & illa omnia ordinantur ad removendum impedimenta.

At utique verum eſt, quod ſine exorciſmo ęquè bene poteſt quis conſequi effectum baptiſmi, ſed verum eſt etiam, quod non ſunt omnia pręd icta pretermittenda, niſi in neceſſitatis articulo, quo tamen ceſſato, debet ſuppleri, ut ſervetur uniformitas in baptiſmo.

Et hęc quantum ad illa, quę ante baptiſmum aguntur: nam quantum ad ea, quę aguntur per baptiſmum circa baptizatum: ſciendum eſt, quod aliquid eorum & ſignificat. & efficit; ut inunctio, quę fit in vertice, quę operatur conſervationem gratię baptiſmalis: & ab ipſo Catechiſmo Romano (*a*) habetur, poſtquam baptiſmus abſolutus eſt, Sacerdos ſummum baptiſmi verticem Chryſmate perungit, ut intelligat ſe ab eo die Chriſti capiti tanquam membrum conjunctum eſſe, atque ejus corporis inſitum, & ea re Chriſtianum à Chriſto, (ut deſumitur ex Divo Thoma, (*b*) Chriſtianus dicitur, qui Chriſti eſt, ſcilicet, qui fidem Chriſti habet, qui Spiritu Chriſti virtuoſè operatur, & ad imitationem Chriſti peccatis moritur;) Chriſtum verò à Chriſmate appellari.

Subdit tamen Divus Thomas ibidem, aliquid autem eſt, quod nihil efficit, ſed ſolùm ſignificat, ſicut quod datur eis veſtis candida ad ſignificandum novitatem vitę. Et in Catechiſmo Romano (*c*) habetur, quo ſymbolo Sancti Patres ſignificari docent, tùm reſurrectionis gloriam, ad quam per baptiſmum renaſcimur, tùm nitòrem, & pulchritudinem, qua dilutis peccatorum maculis anima in baptiſmo ornatur, tùm innocentiam, atque integritatem, quam in omni vita baptizatus ſervare debet. Traditur, & cereus ardens in manum, ut oſtendat fidem charitate inflammatam, quam in baptiſmo accepit bonorum operum ſtudio alendam, atque augendam eſſe. Hęc autem omnia ſunt, quę in exorciſmo aguntur:

A quibus autem hęc dicta agi debeant, vel quorum ſit officium exorcizandi, & catechizandi baptizandum

n 3.p.q.71. a.2.
o Ep. 1. c. 12.
p ib. ad 1.
q ib. ad 3.
r cap. 4.
ſ de Bapt. n.66.
t 3.p.q.71. ar.3.
u l.1. c.1.
x l.4. Ep.7.
y 1.1. c.16.
z l.1. c.27.
a de Bapt. n.64.
b 2.2.q.124 ar.1.
c ib. num. 73.74.

Digitized by Google

dum breviter dicendum eſt unà cum Divo Thom.
d 3 p. q. 37. a. 4. (*d*) quod proprium eſt officium Sacerdotis hæc omnia peragere. Nam Sacerdos eſt agens principale, miniſter verò eſt agens inſtrumentale, & ut inſtrumentale, & ſecundarium agens non habet agere ſine principali agente, licet cooperetur principali agenti in operando. Verùm quantò eſt potior operatio, tantò etiam principale agens potioribus inſtrumentis indiget, ſeù miniſtris: Et quia potior eſt operatio Sacerdotis, in quantum confert ipſum Sacramentum, quàm in præparatoriis ad Sacramentum; hinc eſt, quod ſupremi miniſtri, qui dicuntur Diaconi, cooperantur Sacerdoti in ipſa collatione Sacramentorum, juxta Iſidorum dicentem, ad Diaconum pertinet aſſiſtere Sacerdotibus, & miniſtrare in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis Chriſti, in baptiſmo, ſcilicet in Chriſmate, patena, & calice. Inferiores autem miniſtri cooperantur Sacerdotibus in iis, quæ ſunt præparatoria ad Sacramentum, ſicut lectores in Catechiſmo, & exorciſtæ in exorciſmo, quod confirmat Divus Tho-
e ad 3. ib. mas, (*e*) lectores, & exorciſtæ habent officium exorcizandi, & catechizandi; non quidem principaliter, ſed ſicut in his Sacerdoti miniſtrantes. Et rurſus aſſignando quatuor inſtructiones docet, quod
f ad 3. ib. una (*f*) eſt converſiva ad fidem, & poteſt competere cuilibet prædicatori, & cuilibet fideli. Secunda eſt, qua quis eruditur de fidei rudimentis, & qualiter ſe debent habere in ſuſceptione Sacramentorum, & hæc pertinet ſecundariò quidem ad miniſtros, principaliter autem ad Sacerdotes. Tertia eſt de converſatione Chriſtianæ vitæ, & hæc pertinet ad patrinos.

Quarta de profundis myſteriis fidei, & perfectione Chriſtianæ vitæ, & hæc ex officio pertinet ad Epiſcopos. Doctrina Divi Thomæ habet fundamentum ex auctoritate Chriſti Domini, quando dixit diſcipulis ſuis; Lucæ, (*g*) ecce dedi vobis po- g Cap. 10.
teſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnes virtutes inimici, & nihil vobis nocebit. Et quid per ſerpentes, & ſcorpiones? niſi ipſa dæmonia, ſupra quæ poteſtas calcandi data eſt à Chriſto Apoſtolis. Et quid per virtutes inimici? niſi inſidiæ diaboli, unde ut ab omnibus ipſi fideles Chriſti eruantur, dedit ei poteſtatem ſuper omnia dæmonia.

Ex quibus meritò intelligere debemus datum fuiſſe officium Apoſtolis à Chriſto exorcizandi, quando ipſis ejiciendi dæmones ab hominibus contulit facultatem; ſiquidem ad expulſionem dæmonum, ne hominibus noceant, ordinantur principaliter exorciſmi. Hæc de baptiſmo, & de omnibus ad baptiſmum attinentibus, in laudem, honorem, & gloriam Dei, Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & Divi Thomæ Aquinatis Angelici Doctoris.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Supra Quæſtionem Septuageſimam ſecundam.

CONfirmatio, ſi conſideretur ejus primarius effe-ctus, profectò videbimus, quod dicitur talis à ſpirituali corroboratione ad fidem intrepidè profitendam; quilibet enim confirmatus poſt ſuſceptionem baptiſmi, per quem, ut diximus regeneratur in Chriſto, & de filio iræ filius Dei efficitur, etſi filius, & hæres regni Cælorum, adſcribitur militiæ Chriſti ad firmiter fidem defenſandam, ſi, & quando oportuerit coram Tyranno, & inimicis fidei. Sic Melchiades Papa habet, in baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt baptiſmum confirmamur ad pugnam. Unde & complementum baptiſmi dicitur, non quia quaſi quod ſine confirmatione baptiſmus non ſit completum Sacramentum, ſed quia datur ad augumentum gratiæ, ob hoc dicitur Sacramentum plenitudinis gratiæ, per quam conformamur Chriſto, qui à primo inſtanti ſuæ conceptionis ſuit plenus gratiæ, et veritatis, ac proinde Divus Thomas hìc docet, quod in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quæ non erat danda ante Chriſti reſurrectionem, & aſcenſionem, juxta illud Joſnnis, nondùm e- [a cap. 17.] rat Spiritus datus; quia Jeſus nondùm erat glorificatus.

Sacramentum igitur eſt confirmatio, & unum de ſeptem inſtitutis à Chriſto Domino: Inſtituit au- [b Ep. 2.] tem Dominus Jeſus ſecundum Fab. Papam (b) in nocte cœnæ, inquit enim, in illa die Dominus Jeſus, poſtquam cœnavit cum diſcipulis ſuis, & lavit eorum pedes, ſicut à Sanctis Apoſtolis prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt, Chriſma conficere docuit; Verùm à Divo Thoma edocetur, quod Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum non exhibendo, ſed promittendo, ſecundum illud Joannis; ſi non abiero; Paracletus non veniet ad vos: Si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum ſit Sacramentum, oportet in illo etiam aſſignari materiam, & formam. Materia, iſta eſt duplex, remota, & proxima. Materia remota eſt Chriſma, Chriſma autem componitur ex oleo olivarum, & balſamo, ab Epiſcopo conſecrato benedictum, ſicut ex Div. Thoma accipitur, oleum competit materiæ hujus Sacramenti, admiſcetur autem balſamo propter fragrantiam odoris, quæ redundat ad alios, juxta Apoſtolum ad Corinth. (c) Chriſti bonus odor ſumus [c 2. cap. 2.] &c. Materia verò proxima, cum nihil aliud ſit, quàm applicatio materiæ remotæ, hinc benè ſequitur quod materia proxima eſt chriſmatis applicatio, ſeù unctio ab Epiſcopo facta pollice manus dexteræ in fronte ſuſcipientis, & hoc meritò ſtatuit Concilium Florentinum debere fieri in fronte, ubi verecundiæ eſt ſedes, ne confirmandus Chriſti nomen confiteri erubeſcat. Et debet fieri in modum Crucis, ut declaretur, Chriſtianum non debere erubeſcere Crucem Chriſti, quæ Judæi fuit ſcandalum, gentibus autem ſtultitia. Et ut ait Tertullianus, non perficiuntur Sacramenta (d) Chriſtianorum, niſi ſigno Crucis. Forma autem hujus Sacramenti eſt illa, qua utitur [d de Reſ. carn. c. 8.] Eccleſia Romana; conſigno te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, amen. In qua tria ſunt; primum eſt cauſa conferens plenitudinem roboris ſpiritualis; quæ eſt Sancta Trinitas; ſecundum eſt ipſum robur ſpirituale, quod homini confertur per Sacramentum materiæ viſibilis ad ſslutem. Tertium eſt ſignum, quod pugnatori datur; unde dicitur conſigno te ſigno Crucis.

Cum per Confirmationem abſcribatur quilibet fidelis Militiæ Chriſti ad confitendum nomini Domini & ad pugnandum viriliter contra impugnantes tale nomen, hinc ſequitur, quod in confirmatione accipit homo baptizatus, (manifeſtum eſt enim, quod Confirmatio exigit baptiſmum,) poteſtatem ad agendum ea, quæ pertinent ad pugnam ſpiritualem contra bolles fidei. Et dicitur homo, quia opus eſt, ut ad perfectam ætatem pervenerit; juxta etiam illud Joannis, (e) ſcribo vobis juvenes, quoniam for- [e p. c. 2.] tes eſtis, & verbum Dei manet in vobis, & viciſtis malignum, ob hoc, & Divus Thomas docet, quod Confirmatio imprimit characterem, & quod talis character eſt ſignum diſtinctivum, non infidelium à fidelibus, ſed ſpiritualiter provectorum ab his, quibus dicitur, ſicut modò geniti infantes. Datur & gratia gratum faciens in hoc Sacramento, cum detur baptizato Spiritus Sanctus ad robur, datio autem Spiritus Sancti, non eſt, niſi cum gratia gratum faciente.

Et quia præſupponit baptiſmum, ideò ſequitur, quod omnibus, qui in Eccleſia ſunt, debet exhiberi abſque diſtinctione perſonarum, ac ſexus, quoniam inquit Chryſoſtomus; (f) quod in agonibus [f Familia Machab.] cæleſtibus omni perſonæ, ſexui, & ætati, & indiſcreta facultate ſtadium patet. Qui omnes, tàm viri, quàm mulieres, tàm homines, quàm pueri, tàm ſenes, quàm juvenes cum pugnare debeant pro nomine Jeſu, in quo eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra, convenienter ſignantur in fronte, ut neque propter timorem, neque propter erubeſcentiam, nomen Chriſti confiteri prætermittant. Verùm ne timor ſuperveniat illis, ſicut nec erubeſcentia oriatur in illis ob aliquam tepiditatem, oportet, quod ab aliis inſtruantur, ut relictis illis, quæ impedire poſſunt pugnam contra hoſtes, & hinc eſt, quod ab aliis teneri debent, quaſi per alios in pugna ſpirituali erudiendi, nondùm enim dicuntur adulti ſpiritualiter, quamvis ſint adulti corporaliter.

Ordinarius autem miniſter hujus Sacramenti eſt Epiſcopus, ut jam definitum fuit tùm in Concilio Florentino, tùm in Concilio Tridentino, ut videbimus, & ex ipſa Sacra Scriptura hoc, quod definitum fuit, colligimus; nam in Jeroſolymis dicuntur miſſi in Samariam Petrus, & Joannes, ad confirmandos eos, qui baptizati erant à Philippo Diacono, legitur enim in Actib. Apoſtolorum, cum autem (g) audiſſent Apoſtoli, qui erant Jeroſolymis, quod [g cap. 8.] recepiſſet Samaria Verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Joannem, qui cum veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum, Nondum enim in quemquam illorum venerat; ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jeſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum, & cum dicatur Ordinarius miniſter eſſe Epiſcopus, ex hoc deducitur, quod poteſt eſſe aliquis

mini-

Digitized by Google

miniſter hujus Sacramenti extraordinarius, & iſte non poteſt eſſe, niſi ſimplex Sacerdos habita tamen facultate à Summo Pontifice, quæ in Eccleſia habet plenitudinem poteſtatis. Deinde fatendum eſt, ritum, quem Eccleſia ſervat in Confirmatione danda, eſſe convenientem, utpote quia Eccleſia Sancta Catholica à Spiritu Sancto gubernatur.

Confirmationem eſſe veram cœremoniam vel ritum quemdam ab Eccleſia inventum, non autem unum ex Sacramentis novę Legis affirmabat impius, atq; perverſus Lutherus, cujus tanta perverſitas fuit, ut quantum fuiſſet ex ſe, deſtruere voluiſſet veram Eccleſiam Dei, immò ſubmergere illam naviculam Petri, de qua legitur Marci, (h) & facta eſt procella magna venti impetus, ſcilicet hæreticorum, & fluctus mittebat in navim hereſis, ſcilicet, ita ut impleretur navis propter multitudinem illarum. Ignorans quod navicula iſta Eccleſia eſt, cujus caput eſt Chriſtus, de quo ibid. dicitur, quod exurgens comminatus eſt vento, & dixit mari; Tace, obmuteſce, & ceſſavit ventus, & facta eſt tranquillitas magna. Impius utique, de quo ſtat illud, quod legitur in Proverb. (i) impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Impius ergo, nam & contempſit auctoritatem Eccleſiæ: quæ ſemper in confirmatione veram, & propriam rationem Sacramenti agnovit, & auctoritatem Sanctorum Patrum. Etenim & Clemens Papa Epiſt. ad Julianum dixit; (l) omnibus feſtinandum eſt ſine mora renaſci Deo, & demum ab Epiſcopo conſignari, ſcilicet ſeptiformem gratiam Spiritus Sancti percipere, cum alioqui perfectus Chriſtianus nequaquam poſſit eſſe Is, qui injuria, & voluntate, non autem neceſſitate compulſus hoc Sacramentum prætermiſerit: ut a Beato Petro accepimus, & cęteri Apoſtoli pręcipiente Domino docuerunt.

h cap. 4.
i cap. 18.
l Epiſt. 4.

Hanc verò eamdem fidem doctrina ſua confirmarunt, qui eodem ſpiritu pleni pro Chriſto ſanguinem profuderunt. Urbanus, Fabianus, & Euſebius Romani Pontifices, ſicut ex eorum decretis licet proſpicere.

Et Dionyſius Areopagita dùm dixit, (m) baptizatum Sacerdotes induunt veſte congrua munditiæ, ut ad Pontificem ducant; ille verò ſacro, atque prorſus divino unguento baptizatum ſignans Sacratiſſimę communionis participem facit. Euſebius Cęſarienſis dixit, quod Novatus hereticus Spiritum Sanctum promereri non potuerit, quia cum baptizatus eſſet in gravi ęgritudine, ſignaculo Chriſmatis, non eſt ſignatus. Ambroſius, & Auguſtinus veritatem hujus Sacramenti comprobarunt per Scripturas Sacras, tum Apoſtoli dicentis ad Epheſ: (n) nolite contriſtari Spiritum Sanctum Dei, in quo ſignati eſtis; tùm ex illo Davidis in Pſalm. (o) ſicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, tùm ex illo Roman. (p) Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.

m de Eccl. Hier c. 2. 3.
n cap. 4.
o Pſ. 132.
p cap. 5.

Contempſit et doctrinam Divi Thomę dicentis, (q) Confirmationem eſſe ſpeciale Sacramentum, ſiquidem ordinatur ad ſpecialem gratię effectum, unde & ait, cum de ratione omnium Sacramentorum ſit, quod iſta ordinetur ad ſpeciales gratię effectus, hinc eſt, quod ubi occurrit ſpiritualis gratię effectus, ibi jam ordinatur ſpeciale Sacramentum. Quod exemplificatur in vita corporali, in qua ſpecialis quędam perfectio eſt, ut homo ad perfectam ętatem perveniat, & perfectas actiones hominis agere poſſit. (r) Sic & Apoſtolus Paulus ad Corinth. dicebat de ſeipſo, cum eſſem parvulus, loquebar ut parvulus, ſapiebam, ut parvulus, cogitabam, ut parvulus quando autem factus ſum vir, evacuavi, quę erant parvuli: Inde eſt, quod pręter motum generationis, quo aliquis vitam corporalem accipit, eſt motus augumenti, quo aliquis perducitur ad perfectam ętatem.

q 3. p. q. 72. ar. 1.
r 1. 2. 4. 13.

Habito ergo exemplo de vita corporali in ordine ad tranſitum de ſtatu imperfecto ad ſtatum perfectum, ſcilicet utilitatis, devenitur clarè ad manifeſtandum, quomodo per baptiſmum accipiendo vitam ſpiritualem, quæ eſt ſpiritualis regeneratio, per hunc ſcilic. per baptiſmum tranſit homo de ſtatu puerilitatis ad ſtatum perfectum per Confirmationem, in iſta enim accipit homo, quaſi quamdam perfectam ætatem ſpiritualis vitæ.

Et quamvis videatur baptiſma eſſe maximè conjunctum Confirmationi, attamen non idem Sacramentum, ſed à baptiſmo, ſicut & à cæteris aliis diſtinctum eſt; ut colligitur ex Melchiade Papa (ſ) ſcribente ad Epiſcopos Hiſpaniarum, inquit enim, de his, ſuper quibus rogaſtis nos, vos informari, utrum majus ſit Sacramentum, manus impoſitio Epiſcoporum, an baptiſmus, ſcitote, utrumque eſſe magnum Sacramentum. Ecce ergo quomodo diſtinctum ab aliis Sacramentum dignoſcitur Sacramentum Confirmationis, & rationabiliter, nam & tribuit ſpecialem effectum gratiæ ab illo diſtinctum. Nam per baptiſmi gratiam homines in novam vitam regenerantur, & per gratiam Confirmationis homines in illam augeſcunt, & perfectum animi robur aſſumunt. Super quod ſubdit ibidem Melchiades Papa; In baptiſmo homo ad militiam recipitur, & in Confirmatione coarmatur ad pugnam.

ſ de Conſ. d. 5. cap. de his quib.

Spiritus Sanctus, qui ſuper aquas baptiſmi ſalutifero deſcendit lapſu, in fonte baptiſmi plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præſtat ad gratiam. In baptiſmo regeneramur ad vitam poſt baptiſmum confirmamur ad pugnam. In baptiſmo abluimur, poſt baptiſmum roboramur. Regeneratio per ſe ſalvat in pace baptiſmum recipientes, Confirmatio armat, atque inſtruit ad agones.

Quapropter docet Divus Thomas, (t) quod illi, qui Confirmationem accipiunt, quæ eſt Sacramentum plenitudinis gratiæ, Chriſto conformantur, in quantum ipſe à primo inſtanti ſuæ Conceptionis fuit plenus gratiæ, & veritatis, ut Joan. Teſtatur, dum dicit, (u) & Verbum Caro factum eſt, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis. Hæc autem plenitudo eſt declarata in Baptiſmo, quando Spiritus Sanctus deſcendit corporali ſpecie ſuper eum, ut teſtis eſt Lucas Evangeliſtas, dum ait, Jeſus autem plenus Spir. S. egreſſus eſt à in Jordane; Quare autem hoc? quia cum Chriſtus Dominus foret Sacramentorum autem, non conveniebat ejus dignitati, ut à Sacramento plenitudinem gratiæ acciperet, & ideò merito Chriſtus non indiguit Confirmatione.

t 3. p. q. 72. a. 1.
u cap. 1.
x cap. 4.

Et ex eo, quod Confirmatio Sacramentum plenitudinis gratiæ, non potuit habere aliquid reſpondens in veteri teſtamento, nam ut docet etiam Divus Thom. (y) nondùm advenerat tempus plenitudinis eo, quod nihil ad perfectum adduxit lex. Et ideò ait Divus Th. (z) ſtatus legis erat ſtatus imperfectionis, ac proinde hoc Sacramentum non habuit aliquid ſibi reſpondens in veteri Lege, licet aliquo modo ſit figura, tùm in unctione Pontificum, quę ſignificabatur unctio Chriſti à quo hæc unctio derivatur.

y ibid.
z 3. q. 101.
p. ad 1. 4.
diſt. 7. q.
a. 1. q. 1.

Verùm quamvis detur in Confirmatione plenitudo copiæ gratiæ ad fortiter ſiſtendum contra preſſuras Mundi non per hoc ſequitur, quod ſine Confirmatione non poſſit eſſe ſalus, eò quia, ut ait Divus Thomas, (a) Confirmatio non eſt de neceſſitate ſalutis, licet ſit Sacramentum neceſſitatis quoad bene eſſe ſpiritualis vitæ.

a ibid. q. 2.

Cæterum certum eſt, quod contemptus hujus Sacramenti, ſicut, & cujuslibet, periculoſus eſt, & hoc corrobat Divus Thomas (b) docendo, Confirmatio eſt de neceſſitate ſalutis, in quantum operatur ad perfectionem ſalutis, licet poſtea ſine ea poſſit eſſe ſalus, dummodo tamen non prętermittatur ex contemptu Sacramenti.

b 3. p. q. 72. ad 3.

Ex quibus habetur, quod non omnia Sacramenta ſunt æqualiter neceſſaria ad ſalutem, nec inter ſe paria, ut deſumitur ex Concilio Tridentino, (c) ſi quis dixerit, hæc Septem Sacramenta, ita eſſe inter

c Seſſ. 7. de Sac. in gen. can. 3.

ſe

Digitized by Google

ſe paria, ut nulla ratione aliud ſit alio dignius, anathema ſit. Si ergo anathematizatur, qui hoc de Sacramentis dixerit, multò magis anathematizari debet Lutherus, qui Sacrilegè dixit, Confirmationem non eſſe Sacramentum, ſed meram cæremoniam; & de d ib can. 1 facto anathematizatur à Concilio Trid. tùm (d) quando ſtatuit, ſi quis dixerit, Sacramenta novæ Legis aut eſſe plura, vel pauciora, quàm ſeptem; ſ. baptiſmum, Confirmationem, &c. anathema ſit. (e) Tùm e ibid. de Confirm. can. 1. quando decrevit, ſi quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otioſam cæremoniam eſſe, & non potius verum, ac proprium Sacramentum; anathema ſit.

Sicut & anathematizatur ab eodem Concilio, ſi f ibi quis dixerit, Sacramenta novę Legis non fuiſſe omnia à Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta. Unde firmiter tenendum eſt, quod Confirmationis Sacramentum Chriſtus Dominus inſtituit, ſicut & alia Sacramenta, nam & ipſe manus pueris imponebat, ut habetur Matt. g cap. 19. (g) & cum impoſuiſſet eis parvulis, ſ. de quibus dixit Apoſtolis, ſinite parvulos, & nolite prohibere eos venire ad me, manus. Verùm hęc impoſitio manus, quàm Dominus pueris exhibebat, non erat propriè Sacramentum Confirmationis, ſiquidem non conveniebat ante ipſius glorificationem, ſed vel erat ſignum quodam futurę confirmationis, vel erat talis manus impoſitio, qualis fit in Catechiſmo, & exorciſmo; Unde, & Divus Thomas ait. (h) Sacra- h ad 1. qu. 72. 3 p. mentum hoc inſtituit Dominus, non exhibendo, ſed promittendo, juxta illud Joannis, (i) ſi enim non i cap. 16. abiero, paracletus non veniet ad vos, ſi autem abiero, mittam eum ad vos. Et juremeritò eò quia in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quæ non erat danda ante Chriſti reſurrectionem, & Aſcenſionem: ſicut legitur Joannis, nondum erat Spiritus datus, quia nondùm erat Chriſtus glorificatus.

Confirmationis Sacramentum cum ſit Sacramentum plenitudinis gratiæ, & cum in illo detur plenitudo Spir. Sancti ad robur ſpirituale, quod competit perfectę ętati, hinc eſt, quod conveniens materia hujus Sacramenti eſt Chriſma; quo nomine à Gręcis accepto, & ſi profanis ſcriptores, quodlibet unguenti genus ſignificant, illud tamen, qui res divinas tradunt, communi loquendi conſuetudine ad illud tantummodo unguentum accommodarunt, quod ex oleo, & balſamo ſolemni Epiſcopi conſecratione conficitur: compoſitum eſt ergo Chriſma ex oleo, & balſamo, & hoc meritò cum oleum pingue ſit, & natura ſua manet, ac diffuat gratiæ plenitudinem exprimit; Unde Div. Thomas, (l) gratia Spiritus Sancti in oleo deſigna- l 3 p. q. 72. tur, qua de cauſa Chriſtus dicitur eſſe unctus oleo lætitiæ propter plenitudinem Spiritus Sancti, quam habuit, & de ejus plenitudine nos omnes accepimus; ideòque oleum competit materiæ hujus Sacramenti.

Admiſcetur autem balſamum propter fragrantiam odoris, quæ redundat ad alios. Unde cum Chriſtus dicatur unctus oleo lætitię, dicitur etiam perfuſus odore, quo mediante, & nos omnes ſumus grati Deo, ſic & Apoſtolus aiebat, Chriſti bonus odor ſumus Deo. Quod totum etiam habetur ex Concilio Florentino ſub Eugenio Quarto in conſtitut. ſuper union. Armenorum, ſecundum Sacramentum eſt Confirmatio, cujus materia eſt Chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat, conſcientiæ, & balſamo, quod odorem bonæ famę ſignificat per Epiſcopum benedictum.

Et à Concilio Tridentino ſtatuitur, ſi quis dixerit m ſeſſ. 7. de Confir. can. 2. injurios eſſe Spiritui Sancto eos, qui Sacro Confirmationis Chriſmate, virtutem aliquam tribuunt; anathema ſit. Et quamvis multa alia odoriſera ſint, tamen præcipuè accipitur balſamum propter hoc, quod habet præcipuum odorem juxta illud Ecc. (n) quaſi balſamum non mixtum odor meus. Et quia etiam incorru- n cap. 24. ptionem præſtat, habet enim hanc vim balſamum, ut quidquid eo circumlinitum fuerit, putreſcere non ſinat, quod quidem ad hujus Sacramenti virtutem ſignificandam valdè accommodatè videtur, cum planè conſtet fidelium animos cœleſti gratia, quæ in confirmatione tribuitur præparatos, facilè à ſcelerum contagione deffendi poſſe.

At non ſolùm in oleo deſignatur gratia Spiritus Sancti, verùm etiam in illius proprietatibus. Nam proprietates Olei, quibus ſignificatur Spiritus Sanctus, magis inveniuntur in oleo olivarum, quàm in quolibet alio oleo, unde & ipſa oliva ſemper frondibus virens virorem, & miſericordiam Spiritus Sancti ſignificat ſicet in alio loco Divus Thomas, oliva ipſa propter virorem perpetuum, quem conſervat, adjuvat ad ſignificationem myſterii. Ac proinde nullus alius liquor debet aſſumi in uſum hujus Sacramenti, ſed ſolùm oleum olivarum debet aſſumi in hujus, & quorumdam aliorum uſum, ſicut aqua ſola aſſumitur, ut materia ad baptizandum. Verùm inter materiam horum duorum Sacramentorum adeſt quædam differentia, quę conſiſtit in hoc, quod oleum, quod aſſumitur ut materia ad confirmandum in fide, licet non inveniatur ubiq; ſatis tamen eſt, quod poſſit de facili ad omnia loca deferri, non enim eſt Sacramentum tantæ neceſſitatis; cæterum aqua, quę aſſumitur ut materia ad baptizandum, invenitur ubique abſque eo, quod deferatur, & hoc provenit, ait Divus Thomas, (o) o ib. ad 4. quia eſt Sacramentum abſolutæ neceſſitatis, juxta illud Joannis, (p) niſi quis renatus fuerit ex aqua & p ib. ad 2. Spiritu Sancto non poteſt introire regnum Dei.

Nec ex eo, quod aliquid conforme materię hujus Sacramenti exhibitum fuerit Apoſtolis ſenſibiliter in collatione Spiritu Sancti, debet deduci quod loco olei aliquid aliud poſſit aſſumi in uſum hujus Sacramenti. Non ergo hoc deduci debet, ait Divus Thomas, (q) ſiquidem, ut ipſe dixit, quod ſenſibiliter Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos deſcendit in ſpecie ignis, ad eamdem ſignificationem refertur, ad quam refertur oleum, niſi quod ignis habet vim activam, oleum verò habet vim paſſivam, in quantum eſt materia, & fomentum ignis. Et hoc ſatis competebat, nam per Apoſtolos gratia Spiritus Sancti erat ad alios derivanda. Super quos etiam Spiritus Sanctus deſcendit in figura linguæ, quod ad idem ſignificandum refertur, quod ſignificat balſamum, niſi quod lingua per locutionem eſt communicativa ad alterum, & balſamum per odorem, quia ſ. Apoſtoli replebantur Spiritu Sancto, ut fidei Doctores, alii verò fideles, ut operatores eorum, quæ pertinent ad ædificationem fidelium, ſic Divus Thomas, (q) qui et- q 4. diſt. 7. a. 2. quæ. 2. iam dicit, quod meritò facta eſt apparitio Spiritus Sancti linguis igneis, ut verbis eſſent proflui ad divulgandum Chriſti fidem, & charitate fervidi aliorum ſalutem quærentes. Sic & legitur in Actibus Apoſt. (r) apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tamquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum, & repleti ſunt r cap. 2. omnes Spiritu Sancto, & cæperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis; Et meritò talem apparitionem factam in linguis igneis fuiſſe convenientem; docet Divus Thomas, dùm ſubdit, igni autem nihil convenientius accipi potuit, loco ejus in materia Confirmationis, quàm oleum; tùm quia lucet, tùm quia maximè eſt nutritivum ignis; pariter figurę linguæ nihil convenientius eſſe poſſit, quam balſamum propter odorem, quia propter confeſſionem linguę odor bonæ notitiæ Dei diffunditur in omni loco. Et de facto legitur in Actibus Apoſtolorum, (ſ) quod Petrus dixit; cum cæpiſſem ſ cap. 11. loqui, cecidit Spiritus Sanctus ſuper eos, ſicut & in nos initio. In quo tamen caſu non erat neceſſaria ſenſibilis materia Sacramentalis, ubi ſenſibilia ſigna miraculosè exibebantur divinitùs: de cœtero utebantur Apoſtoli communiter Chriſmate in exhibitione Sacramenti, quando hujuſmodi viſibilia ſigna non exhibebantur.

Confirmatio quodammodo perficit Sacramentum baptiſmi, & ita debet ei conformari, ac per hoc non ſequitur, quod ſi in baptiſmo ſit materia, ſimplex elementum, ſcilicet aqua, quod etiam in Confirmatione, ſit materia oleum ſimplex, ſcilicet, nam,

ut ait

Digitized by Google

t ad 2. dii. ut ait Divus Thomas, (t) cum baptiſmus detur ad ſpiritualem vitam ſimpliciter conſequendam competit illi Sacramento materia ſimplex; hoc autem Sacramentum datur ad plenitudinem Spiritus Sancti conſequendam, cujus eſt multiformis operatio; juxta illud Sapientiæ (u) eſt enim in illa, ſcilicet Sapientia ſpiritus intelligentiæ ſanctus, unicus, multiplex, & juxta illud Pauli ad Corinth. (x) diviſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus, convenienter ergo materia hujus Sacramenti eſt compoſita, ſcilicet oleum balſamatum, & hoc ad deſignandum, quod oleum pertinet ad conſcientiam, quàm oportet nitidam habere eos, qui confeſſores divinæ fidei conſtituuntur; & quod balſamum pertinet ad famam, quàm oportet diffundere & verbis, & factis fidei Confeſſores; & hoc oleum, ut diximus, dicitur Chriſma, quod etiam ſolemni conſecratione conficitur, Epiſcopi tamen: juxta etiam doctrinam Divi Thomæ (y) dicentis, quod tale Chriſma debet eſſe conſecratum ab Epiſcopo, non verò ab alio, juxta illa, quæ habemus in Sacris litteris, à quibus, tanquam à figuris ad figurata procedendo, hoc videtur inſinuatum per hoc, quod ad Moyſem, qui pro tunc pontificem repreſentabat dicitur à Domino, Exodi, (z) facieſque oleum ſanctum unctionis, unguentum compoſitum opere unguentarii, & poſtea, nec juxta compoſitionem ejus facietis aliud, quia ſanctificatum eſt, & Sanctum erit vobis. Homo, quicumque tale compoſuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo ſuo. Ob hanc autem rationem à Gelaſio Papa dicitur præsbyteros ultra ſuum modum conſcendere prohibemus, nec Epiſcopali faſtigio debita ſibimet audacter aſſumere non conficiendi Chriſmatis, non conſignationis Pontificalis exhibendæ arripere facultatem.

u cap. 7.

x 1. cap. 12.

y 3. p. q. 72. a. 3.

z cap. 30.

Unde reſtat certum, quod ab Epiſcopo ſolùm debeat conſecrari Chriſma, quod eſt materia hujus Sacramenti; ad differentiam materiæ quorumdam Sacramentorum, quæ etſi non conſecretur, hoc provenit ex hoc, quod illa Chriſtus uſus fuerit, ut patet de baptiſmo, & de Euchariſtia, Chriſtus namque & voluit baptizari à Joanne in Jordanem, & ſumpſit Euchariſtiam in cœna: ideòque ex ipſo uſu Chriſti materiæ horum Sacramentorum aptitudinem acceperunt ad perfectionem Sacramenti.

Sic aſſerit & Chryſoſtomus, dùm dixit, aqua baptiſmi purgare peccata credentium numquam poſſent, niſi tactu Domini Corporis ſanctificata fuiſſet. Sic habemus ex Evangelio, quod ipſe Dominus accipiens calicem, ſicut & panem, benedixit, ac proinde non eſt de neceſſitate horum Sacramentorum, quod materia prius benedicatur, cum ſufficiat benedictio Chriſti.

Cum ergo Chriſtus Dominus hanc Confirmationis materiam uſu ipſo, & tractatione non ſervaverit, ideò videtur neceſſarium eſſe, ut ſanctis, ac religioſis benedictionibus conſecretur; neque ad alium ea confectio, niſi ad Epiſcopum pertinere poteſt, qui ejuſdem Sacramenti ordinarius miniſter inſtitutus eſt; ut etiam ſtatutum fuit à Concilio Tridentino (a) ſi quis dixerit, Sanctæ Confirmationis Ordinarium Miniſtrum non eſſe ſolùm Epiſcopum, ſed quamvis ſimplicem Sacerdotem: Anathema ſit. Et jam à D. Thoma (b) hoc colligitur, licet Chriſma ſit materia ſenſibilis confecta ex oleo, & balſamo, per hoc ſolùm ſequitur, quod non ſit capax gratiæ, quaſi gratiæ ſubiectum, benè tamen, quod ſit capax gratiæ, ſicut inſtrumentum ejuſdem; certum enim eſt, quod non poteſt cauſare gratiam, niſi Deus, & ideò ait Divus Thomas (c) ad hoc, ſcilicet quatenus eſt gratiæ inſtrumentum, materia Sacramenti conſecratur, vel ab ipſo Chriſto, qui tamen unctionibus ſenſibilibus non eſt uſus, & hoc ne fieret injuria inviſibili unctioni, qua eſt præ conſortibus ſuis, vel ab Epiſcopo, qui in Eccleſia Dei gerit perſonam Chriſti.

a ſeſſ. 7. de Confirm. can. 3.

b 3. p. q. 72. ar. 3.

c ibid. ad 3.

Confirmatio, quod ſit Sacramentum novæ Legis non ſolùm ſatis conſtat ex aſſignatione materiæ, quæ eſt oleum balſamatum, ut diximus, verùm etiam magis conſtare videtur ex aſſignatione formæ ejuſdem, & meritò poſt explicationem materiæ devenitur ad explicationem formæ, ſcilicet verborum, quæ ad Sacram unctionem adhibentur. Forma igitur conveniens hujus Sacramenti eſt iſta, conſigno, ut ait Divus Thomas, (d) & ut legitur in Concilio Florentino, ſigno te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Quam formam eſſe convenientem non ſolùm habetur ex auctoritate Eccleſiæ, quæ hac forma communiter utitur, & illam deſumpſit ex Sacris Scripturis, & traditionibus Apoſtolorum. Quapropter Concilium Tridentinum (e) in primis decrevit, Sacroſancta œcumenica, & generalis Tridentina Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata: per ſuos Apoſtolos, tanquam fontem omnis ſalutis veritatis, & morum diſciplinæ, omni creaturæ prædicare juſſit, perſpicienſque hanc veritatem, & diſciplinam, contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore, quæ ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus traditæ ad nos uſque pervenerunt. Orthodoxorum Patrum exempla ſecuta, omnes libros, tàm veteris, quàm novi teſtamenti (cum utriuſque unus ſit Deus auctor), necnon traditiones ipſas, tùm ad fidem, tùm ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus à Chriſto, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſervatas pari pietatis affectu, ac reverentia ſuſcipit, ac veneratur: Et deinde per Canonem ſtatuit, (f) ſi quis autem libros ipſos integros, ab omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt; & in veteri vulgata latina editione habentur pro ſacris, & Canonicis, non ſuſceperit; traditiones prædictas ſciens, & prudens, contempſerit; anathema ſit.

d 3. p. q. 72. ar. 4.

e ſeſſ. 4. decr.

f ibi. can. 6.

Ex Divo Thoma pariter habetur convenientia formæ hujus Sacramenti, docet enim, quod in hoc Sacramento datur Spiritus Sanctus ad robur ſpiritualis pugnæ. Et ut magis appareat hujuſmodi convenientia, tria in Confirmatione dantur, quæ ſunt neceſſaria, & in ipſa obſervanda.

Et ſunt divina poteſtas, quæ ut principalis cauſa, in Sacramento operatur, robur animi, & ſpiritus, quod per ſacram unctionem fidelibus ad ſalutem tribuitur, & ſignum, quo notatur is, qui in certamen Chriſtianæ religionis, & militiæ deſcenſurus eſt. Et Divus Thomas, primum eſt cauſa conferens plenitudinem roboris ſpiritualis, quæ eſt Sancta Trinitas, quæ exprimitur, cum dicitur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Secundum eſt ipſum robur ſpirituale, quod homini confertur per Sacramentum materiæ viſibilis, ad ſalutem, quod tangitur, dum dicitur, Confirmo te Chriſmate ſalutis. Tertium eſt ſignum, quod pugnatori datur, ſicut & in pugna corporali milites inſigniis Ducum inſigniuntur: Et hoc fit, dum dicitur conſigno te ſigno Crucis, in quo, ſ. Rex noſter triumphavit, & in qua Cruce Chriſtus triumphavit, & mors mortem ſuperavit in æternum.

Et licet Chriſtus hanc formam non inſtituerit, ſicut nec Apoſtoli ea uſi fuerint, tamen ait D. Thom. (g) quod per miniſterium Apoſtolorum, quandoque dabatur effectus hujus Sacramenti ? plenitudo Spiritus Sancti, quibuſdam viſibilibus ſignis miraculosè à Deo effectis, qui poteſt effectum Sacramenti ſine Sacramento conferre: Et de facto non fuiſſet inconveniens, ſi Chriſtus Dominus confirmaſſet ſine materia, vel ſine forma, quia ipſe habebat poteſtatem excellentiæ in Sacramentis, unde & poterat effectum Sacramenti abſque Sacramentalibus præbere. Et ideò tunc non erat neceſſaria nec materia, nec forma hujus Sacramenti. Quandoque verò tamquam miniſtri Sacramentorum hoc Sacramentum præbebant, & tunc, & ſicut materia, ita forma ex mandato Chriſti ſutebantur. Multa enim ſervabant Apoſtoli in collatione

g ib. ad 1.

Sacramentorum, quæ in Scripturis communiter propoſitis non ſunt tradita, ſic & Paulus Apoſtolus ad Corinth. (*b*) de celebratione Euchariſtiæ loquens dixit, cætera, cum venero, diſponam.

h 1 p. 9. 29

Diximus, quod Chriſtus Dominus habebat poteſtatem excellentiæ in Sacramentis, ut ſciamus, quod ipſe Chriſtus Dominus non debuit ſuſcipere Sacramentum Confirmationis, ſicut nec Sacramentum Ordinis, ſiquidem in ipſo à ſui conceptione fuit poteſtas excellentiæ, & plenitudo Spiritus Sancti, & ſic non oportebat, ait D. Thom. (*i*) niſi quod in ipſo erat innoteſcere, quod factum eſt per adventum Columbæ ſupra ipſum. Et ſi voluit baptizari, voluit baptizari, quamvis in baptiſmo nihil ſuſciperet, ſed magis contulerit, ut forma obediendi mandatis omnibus præberet per ipſum, ſic enim veniens ad baptiſmum dixit, ſic nos decet implere juſtitiam, juſtitia autem conſiſtit in obedientia legis.

i 4 d 7. q 3 a 3 q 1.

Diximus quod forma hujus Sacramenti eſt iſta, ſigno te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, eò quia licet iſta ſit propria forma hujus Sacramenti, nihilominus tamen illa, quæ datur à quibuſdam ſcil. confirmo te Chriſmate ſanctificationis, non eſt diſtincta, nam ut ait D. Th. Sanctitas eſt ſalutis cauſa, unde in idem redit, quod dicitur Chriſmate ſalutis, & ſanctificationis.

l 3 p q 72. a. 4 ad 2

Confirmationis Sacramentum non debet conformari baptiſmo in omnibus, quia, ut docet Divus Thomas, (*m*) hoc Sacramentum non ſolùm ordinatur ad hoc, quod homo ſanctificetur in ſeipſo, ſed ulteriùs exponitur cuidam pugnæ exteriori, & ideò non ſolùm fit mentio de interiori ſanctificatione, quando dicitur, confirmo te Chriſmate ſalutis, ſed etiam conſignatur homo exteriùs, quaſi vexillo Crucis ad pugnam ſpiritualem, quod ſignificatur, dum dicitur, conſigno te ſigno Crucis; Unde, ſubdit Divus Thomas, in forma baptiſmi non ponitur, niſi unus actus ad ipſum hominem ſanctificandum pertinens, immò in ipſo verbo baptizandi, quod ablutionem ſignificat, poteſt intelligi, & materia, quæ eſt aqua abluens, & effectus ſalutis, quæ non intelliguntur in verbo confirmandi; deinde licet in forma baptiſmi exprimatur perſona baptizantis, dum dicitur ego te baptizo, tamen hoc, quod dicitur, ego, non eſt de neceſſitate formæ baptiſmalis, (nam ly ego non eſt de neceſſitate formæ, ſed tantùm ponitur ad majorem expreſſionem intentionis,) quia intelligitur in verbo primæ perſonæ, apponitur tamen ad exprimendam intentionem, quod non eſt ita neceſſarium in Confirmatione, quæ non exhibetur, niſi ab excellenti miniſtro.

m ib. ad 3

Miniſter ergo hujus Sacramenti excellens eſt ſolus Epiſcopus, à quo etiam ſolùm confertur. Etſi poſſit conferri à ſimplici Sacerdote, hoc non erit ex proprio jure, ſed ſolùm ex commiſſione Papæ, quia, ut ait Divus Thomas, (*n*) promovere ad illas perfectiones, quæ non reſpiciunt corpus Domini verum, ſed ſolùm corpus myſticum, poteſt à Papa qui habet plenitudinem poteſtatis, committi Sacerdoti, qui habet actum ſummum ſuper corpus Domini verum, non autem Diacono, vel alicui inferiori, qui non habet perficere Corpus Domini verum. Videtur ergo, quod ſolis Epiſcopis recenſetur collatio hujus Sacramenti, juxta mentem Divi Thomæ docentis, (*o*) confirmationis Sacramentum eſt quaſi ultima diſpoſitio Sacramenti baptiſmi, ita ſcil. quod per baptiſmum ædificatur homo in domum ſpiritualem, & conſcribitur quaſi quædam ſpiritualis Epiſtola: cum ergo fideles Chriſti & ſint quodam divinum opus, ſecundum illud Pauli ad Corinth. (*p*) Dei ædificatio eſtis; Et ſint etiam quaſi quædam Epiſtola ſpiritu Dei ſcripta, juxta etiam illud Pauli ad Corinth. (*q*) manifeſtati, quod Epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata à nobis, & ſcripta, non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi, rectè ſequitur, quod per hoc Sacramentum Confirmationis, quaſi domus ædificata dedicata in templum Spiritus Sancti, & quaſi Epiſtola conſcripta ſignatur ſigno Crucis.

n 4 d 7. q. 1 a. 1. quæ 3.
o 3 p q 72 ar. 11.
p 1 c. 3.
q 2. c. 3.

Et per hæc omnia meritò hujus Sacramenti collatio Epiſcopis reſervatur, qui obtinent ſummam poteſtatem in Eccleſia. Sic & ſtatuit Concilium Tridentinum, (*r*) Et quando dixit, Epiſcopos Sacramentum Confirmationis conferre, & quando ſtatuit; ſi quis dixerit, Epiſcopos non eſſe Præsbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem Confirmandi, & ordinandi, vel eam, quam habent eſſe illis cum præsbyteris communem, anathema ſit. Fundamentum hujus deſumitur ex Actibus Apoſtolorum, (*ſ*) in quibus habetur, cum autem audiſsent Apoſtoli, qui erant Jeroſolymis, quod recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Joannem, qui cum veniſsent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum, nondum enim in quemquam illorum venerant, ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jeſu, tunc imponebant manus ſuper illus, & accipiebant Spiritum Sanctum.

r ſeſſ. 23. c. 4. & can 7.
ſ cap. 8.

Quo in loco licet videre eum, qui baptizaverat, quod tantùm eſset Diaconus, confirmandi poteſtatem nullam habuiſse; ſed munus illud perfectioribus miniſtris; hoc eſt Apoſtolis, reſervatum eſſe.

Et de facto Urbanus Papa Epiſtola ad omnes Chriſtianos dixit, omnes fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum Sanctum poſt baptiſmum accipere debent, ut plenè Chriſtiani inveniantur; ſic & Divus Thomas ait, (*t*) hoc Sacramentum eſt efficacius ad proficiendum in bono, quia eſt quodam ſpirituale augmentum de eſſe imperfecto ad eſſe perfectum, & propter hoc committitur digniori miniſtro. Et quamvis baptizatus ſignetur Chriſmate in ſummitate capitis per Sacerdotem, tamen per Pontificem in fronte ſignatur; & rationabiliter, nam in priori unctione ſignificatur ſuper ipſum Spiritus Sancti deſcenſio ad habitationem Dei conſecrandam; in ſecunda verò, ut ejuſdem Spiritus Sancti ſeptiformis gratia cum omni plenitudine Sanctitatis, & ſcientiæ, & virtutis venire in hominem declaretur, Non ergo propter digniorem partem, ſed propter potiorem effectum hæc unctio Epiſcopis reſervatur.

t ib. a. 11.

Sed quare in fronte unguntur confirmati?

Quia frons, ait Divus Thomas, (*u*) eſt pars magis aperta, & imaginationi, ex qua procedunt paſſiones prædictæ, vicina. Immò datur in fronte, quia & Confirmatio datur ad liberam Confeſſionem nominis Chriſti, & quia libera confeſſio, non debet fieri in loco occulto, ſed publico, hinc eſt, quod & loco publico dari debet, ut verè defenſores fidei ſint, ſiquidem & confirmatio datur ad fortiter defendendam dignitatem acceptam. Nec datur hoc Sacramentum ad confeſſionem ſimpliciter, ſed ad libertatem confeſſionis, ideòque dari debet, ubi apparent illæ paſſiones, quæ liberam confeſſionẽ impedire poſsunt.

u 4. diſt 7. q 1. a 1 q 1 n per tot.

Nec obſtat, quod frons ſit locus nudus, et patens, & de facili ſordes contrahat. Et Chriſma ex alio capite ſit ſervandum ab omni inquinamento: Unde per hoc non ſequitur, quod congruè non fiat in fronte unctio, cum, ut ait Divus Thomas, ex hoc non ſit periculum; ligatur enim frons, quoadúſque deſiccetur locus, immò ex Ugone debet eſse ſub quadam diſciplina cuſtodiendi Chriſma, ne ſcilicet caput lavet uſque ad dies ſeptem propter ſeptem dona Spiritus Sancti, & etiam quia Eccleſia ſeptem diebus adventum Sp. S. celebrat. Et taliter hæc unctio Epiſcopis reſervatur, ut etiam Euſebius Papa dixit manus impoſitionis Sacramentum magna veneratione tenendum eſt, quod ab aliis perfici nequit, niſi à Sum. Pontif. nec tempore Apoſtolorum ab aliis, quàm ab ipſis Apoſtolis, ut jam ex dictis conſtat, legitur, aut ſcitur peractum eſse, nec ab aliis, quam qui eorum locum tenent, unquam perfici poteſt, aut fieri debet, quod ſi aliter præſumptum fuerit, irritum habeatur, & vacuum, nec inter Eccleſiaſtica unquam reputabitur Sacramenta. Igitur eſt de neceſſitate hujus Sacramenti; quod

Digitized by Google

ti, quod dicitur Sacramentum manus impoſitionis, quod ab Epiſcopo tradatur.

A ſolis ergo Epiſcopis datur hoc Sacrameutum, unde cum detur ab illis ſolis, opus fuit, quod etiam quantum ad communem uſum hoc Sacramentum etiam in alia tempora differatur, & hoc propter multitudinem fidelium, propter quam cum poſſint imminere multa pericula, hinc eſt, quod ſuſtinetur, ut etiam à non jejunis hoc Sacramentum Confirmationis detur, vel accipiatur. Et hoc rationabiliter, ſiquidem ut ait D. Th. *x 1. p. q. 72. a. 12. per tot.* (x) manifeſtum eſt, quod unus Epiſcopus non ſufficeret ad tot homines Confirmandos maximè in magna Diœceſi; hoc itaque dicitur, quia ubi congruè obſervari poteſt, convenientius eſt, ut à jejuniis detur, & accipiatur, à quo tamen jejunio excipiuntur infirmi, & morte periclitantes.

Diximus, quod cum Chriſma ſit quodam ſignum plenitudinis Spiritus Sancti, & talis plenitudo ſit data fidelibus in diem Pentecoſtes, in qua deſcendit Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos, qui poſtquam receperuut promiſſum à Patrem Spiritum veritatis, loquebantur variis linguis magnalia Dei, nihilominus tamen ut habetur ex Concilio Martini Papæ omni tempore licebat Chriſma conficere. At quia ſolemnis baptiſmus, ad quem requiritur uſus Chriſmatis, in vigilia Paſchæ celebratur, congruè ordinatum eſt, ut per biduum ante ab Epiſcopo Chriſma benedicatur, ut poſſit per diœceſim deſtinari; unde ſeguitur, quod & ille dies ſatis congruat ad materias Sacramentorum benedicendas, eò maximè quia ante illud biduum fuit Euchariſtiæ Sacramentum inſtitutum, ad quod omnia alia Sacramenta quodadmodo ordinantur, ut ſatis conſtat ex dictis de Sacramentis in genere.

Confirmationis Sacramentum eſt unum de illis tribus Sacramentis imprimentibus Characterem, ut etiam definitum fuit à Conc. Trid. *y ſeſſ. 7. de Sac. in gen. can. 9.* (y) tùm ſi quis dixerit, in tribus Sacrameutis, baptiſmo ſ. Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, anathema ſit. *z ſeſſ. 23. c. 4.* (z) Tùm quoniam verò in Sacramento Ordinis, ſicut & in Baptiſmo, & Confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri poteſt. Contra Lutherum nullum Sacramentum, & conſequenter nec Confirmationem imprimere characterem, noluit enim iſte intelligere, ut benè ageret, nam ſi ſecutus eſſet doctrinam D. Th. in hæreſim non incidiſſet, nec in tenebris ignorantiæ remanſiſſet, ſi ſe applicuiſſet ad lucem hujus irradiantis ſolis.

Effudit namque radios ſuos, inter quos apparuit veritas iſta, Confirmationis Sacramentum imprimit Characterem, cum per iſtud Sacramentum detur homini ſpiritualis poteſtas ad quaſdam alias actiones ſacras præter illas, ad quas datur ei poteſtas in baptiſmo; in quo utique accipit homo poteſtatem ad ea agenda; quæ ad propriam ſalutem pertinent, prout ſecundum ſeipſum vivit. Sic enim Sacramentum baptiſmi dicitur quædam regeneratio in ſpiritualem vitam, qua homo vivit in ſeipſo: at in Confirmatione accipit homo poteſtatem ad ea agenda; quæ pertinent ad pugnam ſpiritualem contra hoſtes fidei, hoc prius docuit *a 4. d. 7. q. 1. a. 3. q. 1.* Divus Thomas, (a) Confirmationis Sacramentum datur ad perſiſtendum fortiter in pugna, qua quis nomen Chriſti impugnat; & ut invitus confeſſor Chriſti permaneat, & huic pugnæ non omnes exponuntur, ſed ſolùm confirmati, hoc autem fit per characterem, quem imprimit Confirmatio, cum character ſit ſignum diſtinctivum, quo quis ab aliis diſtinguatur ad aliquod ſpirituale deputatus. Unde ſubdit, ut ſpiritualia quis in notitiam ducat per eorum ſortem confeſſionem, & ad hoc quis deputatur in Confirmatione, & ob hoc tempore perſecutionis eligebantur aliqui, qui deberent, in locum perſecutionis remanere ad publicè nomen Domini confitendum aliis occultè credentibus.

b 3. a. ad 3. Immò ait Divus Thom (b) quamvis cujuslibet baptizati, & credentis ſit confiteri, quando confeſſio ab eo expectatur, cum competat etiam baptizatis confiteri nomen Chriſti, præcipuè ubi confeſſio exquiritur, quia tunc eſt neceſſitatis, etiam ſi non ſint confirmati, ſecundum etiam id, quod docet Divus Thomas (c) *c q. 3. ad 1.* licet hæc baptizati non habeant ex offitio characteris in Sacramento Confirmationis ſuſcepti, non tamen eſt cujuslibet ſe exponere, ſed tantùm confirmati; Hoc patet in Apoſtolis, in quibus hoc Sacramentum initium ſumpſit, quia ante adventum Spiritus Sancti confirmantis eos erant ſores clauſæ propter metum Judæorum, poſtea repleti Spiritu Sancto cæperunt loqui cum fiducia, & publicè verbum Dei. Quod Div. Thom. (d) magis explicavit, dùm dixit, quapropter & Apoſtoli antequam plenitudinem Spiritus Sancti accipe- *d 3. p. q. 72. ar. 5.* rent, erant in cænaculo perſeverantes in oratione, poſtmodum verò egreſſi non verebantur, publicè fateri fidem etiam coram inimicis fidei Chriſtianæ.

Pugnare ergo debent confirmati contra inimicos inviſibiles, ſed etiam contra viſibiles; Nam contra primos omnibus competit pugnare, pugna ſpirituali, cæterum contra hoſtes viſibiles, ſ. contra perſecutores fidei pugnare nomen Chriſti publicè confitendo eſt confirmatorum, qui jam ſunt perducti ſpiritualiter ad virilem ætatem. Idcircò Div. Thom. ait, (e) Confir- *e ib. ad 1.* matio eſt quodam ſpirituale augumentum promovens hominem in ſpiritualem perfectam ætatem, ſic & legi- *f p. cap. 2.* tur in Joann. (f) ſcribo vobis juvenes, quoniam fortes eſtis, & verbum Dei manet in vobis, & viciſtis malignum.

Ex quibus etiam ſequitur, quod character Confirmationis ſit ſignum diſtinctivum non infidelium à fidelibus, ſed ſpiritualiter provectorum ab his, quibus dicitur, ſicut modò geniti infantes.

Imprimitur itaque character in Sacramento Confirmationis, & taliter imprimitur, ut iterari non debeat, *g 4. loc. cit. q. 2. a. 2. q. 3.* & juxta doctrinam Divi Thomæ, (g) non ſolùm dicentis, Confirmatio non poteſt reiterari, cum habeat effectum ſemper permanentem; unde per illam character imprimitur indelebiliter, & rurſus ait, Confirmatio datur contra (h) infirmitatem, prout eſt contra- *h ib. ad 1.* cta per peccatum Originale, & ſic non redit, licet infirmitas peccati actualis redeat. Verùm etiam juxta doctrinam D. Gregorii dicentis de homine, qui à Pontifice confirmatus fuerit denuò, talis iteratio prohibenda eſt, ſicut in lege veteri, quia in circumciſione imprimebatur character, ſolùm tamen in corpore, & non in anima, cum eſſet Sacramentum veteris legis, de quorum Sacramentorum ratione erat ſolùm hoc, quod dicebantur juſtitiæ carnis, ſiquidem, ut docet Divus Thomas; (i) nihil interius efficiebant; denuò *i 3. p. q. 70. ar. 3. ad 1.* non erat circumciſio iteranda, ſic à fortiori de Confirmatione dicendū eſt, cum Confirmatio ſit Sacramentum novæ Legis, unde in illa cum charactere corporali imprimitur ſimul character ſpiritualis, qui nec deleri, nec auferri poteſt, juxta illud, quod ſtatutum fuit à Conc. Trid.

Confirmatio etſi characterem in anima imprimat, nihilominus tamen character ipſius Confirmationis ex neceſſitate præſupponit characterem ſpiritualem: certum enim eſt, quod nullus promoveri poteſt in ætatem perfectam, niſi primò fuerit natus; ſic ergo & promoveri in ætatem perfectam, quod eſt de ratione Confirmationis, nullus poterit, niſi prius fuerit renatus fonte baptiſmatis, ac per conſequens niſi fuerit prius baptizatus, non poterit Sacramentum Confirmationis accipere. Et taliter non poterit Sacramentum Confirmationis accipere, quia ſi quis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet; ſed oporteret ipſo reiteratò confirmari poſt baptiſmum. Et de hoc ratio eſt, quia ſicut ſe habet confirmatio ad baptiſmum, ita & augmentum ad generationem. Et Rabanus noviſſimè, inquit, à Summo Sacerdote per impoſitionem manus Paracletus traditur baptizato, ut roboretur per Spiritum Sanctum ad prædicandum.

Hoc autem dicitur juxta ſtatutum ordinem cum ſupra ordinem nullum ſit dubium, quod Deus poſſit conferre homini ſpirituale robur ad confitendum publicè fidem Chriſti abſque Sacramento Confirmationis, non enim virtus divina eſt alligata Sacramentis.

Verùm

Digitized by Google

l ad 3. Verùm licet hoc dicatur, inquit D. Th. (*l*) de Sacramento Confirmationis, non tamen dicitur de effectu ejuſdem, immò de effectibus. Eò quia quadruplex videtur eſſe effectus Confirmationis, quorum primus eſt communis cum aliis Sacramentis, ut niſi impedimentum aliquod ex parte ejus, qui recipit, inferatur, novam gratiam tribuat.

Secundus eſt particularis ipſi Sacramento Confirmationis, effectus, ſ. baptiſmi gratiam conficere. Tertius eſt nedùm confirmare, ſed etiam augere, nec auget modò, ſed admirabili quadam ratione auget. Et hoc pulcherrimè indumenti translatione ſcriptura ſignificavit, atque expreſſit, etenim Dominus noſter poſtquam reſurrexerit, & de hoc Sacramento locutus fuerit, prius dixit ad illos; m Lucæ c. 24. (*m*) vos autem teſtes horum eſtis, at ut poſtea poſſitis prædicare ubique ea, quæ ego docui vos, mittam ego promiſſum Patris mei in vos, vos autem ſedete in Civitate, quoadusque induimini virtute ex alto. n cap. 1 Hoc conſonat cum illo Act. (*n*) accipietis virtutem Spiritus Sancti ſupervenientis in vos, per quæ verba exprimitur Sacramentum Confirmationis, & per verba ſequentia, ſ. & eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ exprimitur, quod contra hoſtes viſibiles, ut diximus, ſ. contra perſecutores fidei habeant pugnare illos, qui nomen Chriſti pugnant.

Quartus verò effectus eſt, quod characterem imprimat, ut nulla unquam ratione iterari poſſe. Et de quarto effecto loquitur D Th. dum ſubdit, ſicut nullus conſequitur effectum baptiſmi ſine baptiſmi voto, ſic nullus conſequitur effectum Confirmationis ſine voto ipſius, quale votum poteſt utique haberi etiam ante ſuſceptionem baptiſmi, (& ſic verificatur, quod multi etiam ante baptiſmum ſunt fidem Chriſti publicè confeſſi ſanguinem fondentes pro fide,) ſic & patet de illis, qui audientes prædicationem Petri acceperunt effectum baptiſmi miraculosè, non tamen Confirmationis Sacramentum, adhuc loquente Petro cecidit Spirit. Sanctus ſoper eos, qui audiebant verbum, & audiebant eos loquentes linguis, & poſtea juſſit eos baptizari.

Ex quibus non deber inferri, quod poſſint alii priùs confirmari, quàm baptizentur; eò quia, ut ait D. Th. o ad 3. a 6 3. p. q. 72. (*o*) ſicut effectus Confirmationis, qui eſt robur ſpirituale, præſupponit effectum baptiſmi, qui eſt juſtificatio, ita Sacramentum Confirmationis præſpppoint Sacramentum baptiſmi.

Hæc omnia clarè etiam babentur in Act. Apoſt. (*p*) p cap. 2. his autem auditis, ſ. reſurrectionem Chriſti Domini ex mortuis, & aliis ad myſterium noſtræ Redemptionis ſpectantibus compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos, quid faciemus viri fratres? Petrus autem ad illos, pænitentiam, inquit, agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorom veſtrorum, & accipietis donum Spiriru Sancti. Ubi per ly compuncti ſunt corde, apparet, quod receperunt effectum Confirmationis in voto, per ly verò pænirentiam agite, ut baptizetur unuſquiſque veſtrum &c. & poſtea accipietis donum Spiritus Sancti, ſatis conſtat, quod Sacramentum Confirmationis præſupponit Sacramentum baptiſmi.

Quod & colligitur ex illo Act. (*q*) q cap. 19. quo in loco apparet hoc manifeſtum, & id; quod diximus uſque modò. Videtur nãq; quomodo Paul. Apoſt. voluiſſet eos, quos apud Eph. invenit, baptizari prius baptiſmo Chriſti, quàm ipſis per manum impoſitionem daret Spir..

Unde legitur ibi, factum eſt autem ut Paul. peragratis ſoperioribus partibus veniret Epheſum, & inveniret quoſdam diſcipulos, dixitq; ad eos, ſi Spir. S. accepiſtis credentes? At illi dixerunt, neque ſi Spir. S. eſt, audivimus &c. & poſtea, his auditis, baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu; & cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. Per quod factum à Paolo clarum remanet baptiſmum ante Confirmationem requiri; quod magis clarum hoc videtur eſſe ex eo, quod baptiſmus dicitur janua omnia aliorum Sacramentorum, & à Conciliis, & à Sanctis Patribus ſatis declaratum fuit Sacramentum Baptiſmi præcedere ſemper debere Sacramentum Confirmationis..

In quo tamen Sacramento confertur gratia gratum faciens, & hoc meritò, inquit D Th. (*r*) cùm detur baptizato Sp. S. ad robur, r 3 p q. 72 a 7. ſicut Apoſtolis datus eſt in die Pentecoſtes, & ſicut dabatur baptizatis per impoſitionem manus Apoſtolorum. Unde cum miſſio, ſive datio Spir. S. non ſit, niſi cum gratia gratum faciente, cujus primus effectus, ut ait D. Th. (*ſ*) eſt remiſſio culpæ, ſ id ad 2. licet, & habeat alios effectus, hinc bene ſequitor, quod detur & ad remiſſionem culpæ, & etiam ad augmentum gratiæ, ut habetur ex Melchiade Papa dicente (*t*) t Epiſt. ad Hiſp. Ep. in Confirmatione augmentum præſtat ad gratiam; & tandem detur ad firmitatem juſtitiæ. Cum autem detur ad culpæ remiſſionem, jam, ut ait D. Th. (*u*) non debet u ib. ad 2. dari his, qui gratiam non habent, ac proinde inferri poteſt; & benè, quod ſicut non datur non baptizatis, ita nec debet dari adultis peccatoribus, niſi per pænitentiam reparatis. Unde, & in Conc. Aurel. dicitur (*x*) ut x de Conſ. d. 5. cap. ut jejuni. jejuni ad Confirmationem veniant, ut moneantur confeſſionem prius facere, ut mundi donum Spiritus S. valeant accipere; & tunc per hoc Sacramentum perficitur pœnitentiæ effectus, ſicut & baptiſmi; quia per gratiam collatam in hoc Sacramento conſequitur pœnitens pleniorem remiſſionem peccati.

Etſi aliquis adultus in peccato exiſtens, cujus conſcientiam non habet, vel ſi etiam non contritus perfectè accedat, dummodò non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento conſequitur remiſſionem peccatorum, utpote quia accedit cum charitate, quæ nos facit gratos apud Deum. Verùm charitas perfecta debet eſſe, ut magis donet nobis Dominus Spiritum ſuum: Illa ſ. charitas, de qua Apoſt. ad Rom. (*y*) dixit y Cap. 5. charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Sp. S. qui datus eſt nobis, quia tunc unà cum S. S. datur gratia gratũ faciens Deo. Quæ gratia gratum faciens licet conferatur homini per baptiſmum, ex hoc tamen non ſequitur, quod per hoc Sacramentum, cum non exhibeatur, niſi baptizato, gratia gratum faciens non conferatur; Quia ut inquit D. Th. (*a*) ſi conſideretur gratia in hoc Sacra- a ad 3. ib. mento collata, quantum ad id, quod eſt commune, ſic per hoc Sacramentum non confertur aliqua alia gratia quàm per baptiſmum, ſed quæ prius inerat, augetur. Si verò conſideretur quantum ad illud ſpeciale, quod ſuperadditur, ſic non eſt ejuſdem ſpeciei cum ipſa. Et ut magis credatur doctrinæ D. Th. illam magis corroborat Cajet. dicendo, gratia gratum faciens extenſa ad firmandum Chriſtianum, ut liberè Chriſtum Crucifixum confiteatur, ſecundum eſſentiam gratiæ eſt ejuſdem ſpeciei cum gratia collata in baptiſmo, ſed ſecundum auxilium firmitatis procedentis à gratia, (& vocatur gratia Sacramentalis) ſpecie differt à gratia baptiſmali; Juxta etiam ea, quæ jam D Th. (*b*) prius do- b 4 d. 7 q. 2 a. 1. q. 2 cuit, gratia Confirmationis reſpicit magis iraſcibilem, ad quam pertinet fortitudo, & robur. Unde eſt diſtinctæ ſpeciei à gratia baptiſmi, illa n. ex eſſentia animæ derivatur intellectu, quod jeſt ad rectè, & perfectè credendum. Et licet in baptiſmo dentur virtutes, & dona, ſicut in Confirmatione, attamen non eſt eadem gratia Sacramentalis utrobique. Siquidem eſſentia Confirmationis perficit removendo infirmitatis morbum; Et rurſus docet, confiteri, ubi ex confeſſione imminet c ad 1 ib 4 diſt. 5 mortis periculum, non eſt tantùm fidei, ſed indiget alio auxilio alterius virtutis ſ. fortitudinis, & ſimiliter indiget alia gratia Sacramentali, quæ removeat effectum oppoſitum fortitudini.

Et ideò omnes fortes in fidei confeſſione ſint, & permaneant, omnes etiam ſuſcipere debent Sacramentum hoc, omnes, inquam, ſine differentia ſexuum, dummodò tamen baptizati ſint; ac perinde omnes illi Sacro chriſmate confirmari debent, quibus ſpirituali inſtrumento opus eſt, & qui ad perfectum Chriſtianę religionis habitum perducendi ſunt. Et D. Th. (*d*) docet, quod d 3 p q. 72 a. 8. omnibus eſt exhibendum hoc Sacramentum Confirmationis, cum per idem Sacramentum promoveatur homo ſpiritualiter in ætatem perfectam, eò quia ſine

F dubio

Digitized by Google

dubio de intentione Dei optimi Max. eſt omnia ad perfectionem perducere, ſic & dicitur Deuter. (e) Dei perfecta ſunt opera; Et Ecc. (f) opera Domini univerſa bona valdè. Unde cum creaverit Dominus animam rationalem, ut immortalis ſit, opus eſt etiam dicere, quod creaverit eam perfectè, & ideò mirum non eſt, ſi ad ipſam pertineat, & ſpiritualis nativitas, & ſpiritualis ætatis perfectio; ac proinde nec mirum, quod ſicut poteſt tempore ſenectutis nativitatem ſpiritualem conſequi, ita & tempore juventutis, vel pueritiæ conſequi perfectam ætatem, non enim inquit D. Th. tales corporales ætates animæ præjudicant. (g) Ita & ſubdit, ætas corporalis non præjudicat animæ, & ideò etiam in puerili ætate homo poteſt conſequi perfectionem ſpiritualis ætatis, & de facto multi in puerili ętate propter robur Spiritus Sancti perceptum uſque ad ſanguinem fortiter certaverunt pro Chriſto; ut conſtat de Beata Agnete Virgine, quæ cum eſſet tredecim annorum mortem fortiter ſuſtinuit pro fide Chriſti, pro cujus amore ea, quæ ſunt ſeculi contempſit; igitur nullus ob hoc Sacramento excludi debet, qui ſit baptizatus, & cum dicitur nullus cujusvis ſexus ſit, ita ut non excludantur mulieres, quoniam & iſtæ multæ glorioſum in pugna ſpirituali reportaverunt ab hoſte triumphum, ut Eccleſia teſtatur, dùm in Collecta de Virginibus, & Martyribus ſic orat ad Deum, Deus, qui inter cætera potentiæ tuæ miracula etiam in ſexu fragili victoriam martyrii contuliſti &c.

e cap. 32. f cap. 39. g ib. ad 2.

Pariter non excludi debent ſenes, ſervi, pueri, quia ut ait Chryſoſtomus in hom. de Machabæis, in cæleſtibus omni perſonæ & ætati, ac ſexui indiſcreta facultate ſtadium patet. Et rurſus in homilia de Spirituali militia dixit, apud Deum fæmineus etiam militat ſexus; Multæ enim fæminæ animo virili ſpiritualem vitam geſſerunt, quædam enim interioris hominis virtute viros æquaverunt, in agonibus martyrum; quædam etiam fortiores viris extiterunt; & i. deò infert D. Th. etiam mulieribus hoc Sacramentum conferendum eſt; adeòque & mulieres cadunt ſub ly omnibus; ſub quo etiam comprehenduntur muti, quia licet iſti non poſſint confiteri ore, ſufficit tamen, quod nutibus conſiteri poſſint, & etiam quod habeant, vel habere poſſint voluntatem, & propoſitum confitendi; unde illi non eſt denegandum, ſed & illis, & omnibus aliis exhibendum eſt, omnibus, inquam, aliis, ut comprehendantur etiam morituri, quibus ſine dubio dandum erit hoc Sacramentum, ut in reſurrectione perfecti apparere poſſint.

Ob hoc dicebat Ugo de Sancto Victore, omninò periculoſum eſſet, ſi ab hac vita ſine Confirmatione migrare contingeret, non quia damnaretur, niſi fortè propter contemptum, ſed quia detrimentum perfectionis pateretur. Unde etiam pueri confirmati majorem gloriam decedentes conſequuntur, ſicut & hic majorem obtinent gratiam.

Qua verò ætate ſint admittendi ad Sacramentum iſtud ipſi fideles, habemus ex Catechiſmo Roman. quod illud (h) obſervandum eſt, omnibus quidem poſt baptiſmum Sacramentum Confirmationis poſſe adminiſtrari, ſed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri uſum rationis habuerint, quare ſi duodecimus annus expectandus non videatur, uſque ad ſeptimum certè hoc Sacramentum differre maximè convenit.

h p. n. it de Confir.

i cap. 2. Omnibus itaque exhibendum eſt hoc Sacramentum, ut ſatis etiam colligitur ex Actibus Apoſtolorum, ubi habetur, quod Spiritus Sanctus adveniens replevit totam domum, per quam ſignificatur Eccleſia, & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, per quod ſignificatur, quod omnibus, qui in Eccleſia ſunt, exhibendum eſt, cum detur jam hoc Sacramentum ad illam plenitudinem conſequendam.

Confirmationis Sacramentum exhibendum eſt per conſignationem hominibus in fronte, nec perperam, ut ſciamus eos nullo metu, nulla verecundia, quarum affectionum ſigna maximè in fronte ſolent apparere, à libera Chriſtiani nominis confeſſione abſterrendos eſſe, ſicut deſumitur ex Ariſt. in Ethic. (l) verecundati erubeſcunt, timentes palleſcunt: & etiam ex D. Th. (m) dicente, in fronte ſignatur Chriſmate, ut neque per timorem, neque propter erubeſcentiam nomen Chriſti confiteri prætermittat. Juxta quem dicitur, quod convenienter ſignum Chriſmate in fronte ſigno Crucis, quia inſignitur ſigno Crucis, ſicut miles ſigno Ducis; unde evidens, & manifeſtum eſse debet, eò maximè quia inter omnia loca corporis humani frons eſt manifeſta, & ideò linitur confirmatus Chriſmate in fronte, ut in manifeſto demonſtret ſe eſſe Chriſtianum, ſicut & Apoſtoli poſt acceptum Spiritum Sanctum ſe manifeſtaverunt, qui priùs in cænaculo latebant, & hoc quia in hoc Sacramento homo accipit Spiritum Sanctum ad robur ſpiritualis pugnæ, ut fortiter etiam inter adverſarios fidei Chriſti fidem confiteantur, ob hoc ponitur ſignum evidens, ut ab omnibus videatur, & ut omnes cognoſcant fidelem eſse propter defenſionem fidei ſemper paratum ad ſuſtinenda quæcumque tormenta ad gloriam Chriſti, & Dei. In Confirmatione, ſubdit D Th. (n) roboramur ad pugnam, cujus ſignum ferendum eſt in fronte, quaſi in evidenti loco. Propterea ſubditur à Catech. Rom. (o) nota illa, qua Chriſtianus à cæteris veluti miles inſignibus quibuſdam ab aliis diſtinguitur, ut illuſtriori corporis parte imprimenda erat. Et ideò licet principium fortitudinis ſit in corde, nihilominus tamen ſignum apparet in fronte, juxta illud Ezech. (p) ecce dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum, & hoc maximè quia ad Sacramentum Confirmationis requiritur ſignum fortitudinis ad alios, hoc eſt ad reſiſtendum aliis tyrannis, ſ. adeòque in fronte exhibetur, ne quis impediatur à libera confeſſione nominis Chriſti propter timorem, & propter verecundiam; Utriuſque horum ſignum, manifeſtum eſt; quod maximè manifeſtatur in fronte ob propinquitatem imaginationis, & ob hoc etiam, quod Spiritus à corde directè ad frontem aſcendunt.

l l. 4. c. ult. m 3 p. q. 72 a. 9. n ib. ad 1. o 2 p. de Conf. n. 21. p cap. 3.

In fronte ergo, hoc ſignum debet eſse, eò quia hoc Sacramentum datur ad liberè confitendum, non verò ad ſimpliciter confitendum, nam ut ait D. Th. hoc, (q) quod eſt ſimpliciter confiteri, fit etiam in baptiſmo, ac per conſequens non debet dari in ore, ſed in fronte, ubi apparent ſigna paſſionum, quibus libera confeſſio impeditur. Hinc Aug. in Pſ. (r) ajebat, uſq; adeò de Cruce non erubeſco, ut non in occulto loco habeam Crucem Chriſti, ſed in fronte portem.

q ad 3. ib. r Pſ. 140.

Exhibetur non ſolùm hoc Sacramentum homini in fronte, & homo inſignitur ſigno Crucis, verùm etiam in ejus collatione datur ulteriùs Confirmato alapa, ut meminerit ſe tanquam fortem athletam paratum eſse oportere ad omnia adverſa invicto animo pro Chriſti nomine ferenda, manu leviter in maxilla ab Epiſcopo cæditur.

Tandem datur & Confirmato pax, ut intelligat ſe gratiæ cæleſtis plenitudinem, & pacem, quæ exuperat omnem ſenſum conſecutum eſse. Juxta illud Pauli ad Philip. (ſ) & pax Dei erat, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, ad reſiſtendum in fide, ad permanendum in charitate Dei, & cuſtodiat intelligentias veſtras, ut non confundantur per ſcientias vanas & inutiles, ſicut ad Hæb dixit Paul. (t) doctrinis variis, & peregrinis nolite adduci ne confundantur per falſa dogmata hæreticorum.

ſ cap. 4. t cap. 13.

Verùm ut confirmati exercere ſe poſſint ad pugnam ſpiritualem, opus eſt, ut ab aliquo doceantur, manifeſtum eſt enim, quod ſi qui gladiatoriam dimicationem ſubeunt, alicujus indigeat, cujus arte, & concilio doceantur, quibus ictibus, ac petitionibus, ſalvis ipſis, conficere adverſarium poſſint; at ſi hoc de iſtis, quantò magis fideles cum Sacramento Confirmationis, quaſi firmiſſimis armis tecti, ac moniti in ſpirituale certamen, cui æterna ſalus propoſita eſt, deſcendunt, ducis, ac monitoris indigebunt? Hoc totum deſumptum fuit à D. Th. (u) docente, ille, qui ad hoc Sacramentum accedit, ſuſtentatur, quaſi adhuc ſpiritualiter imbecillis, & puer, & docendo, quaſi adhuc ſpiritualiter

u 3 p. q. 72 a. 10.

liter imbecillis, & puer, voluit, ut nos intelligamus, quod licet ille, qui confirmatur, ſit adultus corporaliter, nondùm tamen eſt adultus ſpiritualiter, ergn meritò dicitur, quod ſit adhuc ſpiritualiter imbecillis, ac puer.

Hoc autem magis exemplificat, & exemplificando roborat exemplum adductum, inquit enim, ille, qui de novo natus eſt, indiget inſtructore in his, quæ pertinent ad conſervationem vitæ; ſicut & illi, qui aſſumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus, à quibus inſtruantur de his, quę pertinent ad modum certaminis; quapropter ſicut in bellis materialibus conſtituuntur Duces, & Centuriones, per quos alii gubernantur; ita & ille, qui accipit hoc Sacramentum, ab alio tenetur, quaſi per alium in pugna ſpirituali erudiendus; Iſte verò, qui tenetur erudire illum, qui ad pugnam ſpiritualem ſe præparat, & ſemper paratus debet eſſe, debet & ille eſſe confirmatus, aliàs ſi ipſe non eſt edoctus de pugna, quomodo poterit alios edocere.

Nec ſufficit, quod ſit baptizatus, quia ſecundum D. Th. licet baptizatus ſit effectus membrum Eccleſiæ, nondùm tamen adſcriptus militiæ Chriſtianæ; & ideò Epiſcopo, tanquam duci exercitus, per alium exibetur jam militiæ Chriſtianæ aſcriptum, ac proinde rectè ſequitur, quod non debet alium ad Confirmationem tenere, qui nondùm eſt confirmatus. a 16, ad 2.

Et, ut diximus, cum detur hoc Sacramentum ad robur ſpirituale, non eſt attendendum, an illi, qui tenent illos, qui confirmandi ſunt, ſint viri, an mulieres? Juxta D. Th. dicentem; (y) licet magis, vigeat hoc robur ſpirituale in viris, quàm in mulieribus, tamen quia in Chriſto Jeſu non eſt maſculus, neq; fœmina, ideò non differt, utrum maſculus, vel fœmina teneat aliquem in Confirmatione; juxta etiam ea, quæ docuit, quamvis Sacramentum Confirmationis ſit Sacramentum fortitudinis, cum in eo detur Spiritus Sanctus ad robur, ad hoc tamen non ſequitur diſcrimen, utrum, vir mulierem, vel mulier virum teneat, cum fortitudo, ſpiritualis ſit per Chriſtum, in quo non eſt maſculus, neque fœmina. y ibi ad 3. b 3. p. q. 72 a 5. ad 2.

Iſti verò, qui tenent aliquem ad Confirmationem, vocantur Patrini, quorum munus erit, erudire illos, qui accipiunt hoc Sacramentnm. Non ergo ſine quare vocantur Patrini.

Quod autem requiratur iſti jam Innocentius.

Papa dixit, & habetur in decr. (a) ſi quis ex conjugio filium, aut filiam alterius de Sacro fonte ſuſceperit, aut ad Chriſma tenuerit, &c. ubi videtur, quod ſicut requiritur, quod aliquis de ſacro fonte levet, ita debet aliquis teneri ad Sacramentum Confirmationis accipiendum. Concludamus ergo, & dicamus, quod ad hujus Sacramenti adminiſtrationem rectè patrini advocandi ſunt, quibus cum eadem ſpiritualis affinitas conjungitur, quæ legitima nuptiarum fœdera impedit, quod colligitur ex Conc. Trid. (b) ſtatuente, ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illuſque Patrem, & Matrem non egrediatur, omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis impedimentis omninò ſublatis. a d. 3. c. 4 b ſeſſ. 24. c. 2

Hæc de Sacramento Confirmationis, in quo tamen non continetur ipſe Chriſtus, licet ex alio capite Chriſtus nos confirmet per hoc Sacramentum in ſeptem, ſ. in fide, in ſpe, in charitate, in bono opere, in tentatione, in accuſatione, & in remuneratione.

In fide utique juxta illud Pauli ad Corinth. (c) fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. c p1 cap.

In ſpe juxta illud ad Hæb. fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpē. d cap. 6 e Cap. 3.

In Charitate, juxta illud ad Epheſ. (e) in charitate fundati, & radicati, juxta illud Luc. (f) ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi, ut accendatur? f Cap. 12.

In opere, juxta illud ad Philip. (g) Deus eſt, qui operatur in vobis, velle, & perficere pro bona voluntate. g Cap.

In tentatione, fidelis Deus, ait Apoſt. ad Cor. (b) qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis. h p c. 10.

In accuſatione, advocatum habemus apud Deum Patrem Jeſum Chriſtum, ait Joannes. In Remuneratione, faciam illum columnam in templo Dei, legitur in Apocalypſi, (l) & foras non egredietur amplius. i p. c. 2 l cap. 3.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

Supra Quæſtionem Septuageſimam tertiam.

De Sacramento Euchariſtiæ ſecundum ſe.

EUchariſtia cum detur fidelibus dignè tamen illam ſumentibus ad quodam animæ ſpirituale alimenſum, rectè ſequitur, verè eſſe Sacramentum ad aliis diſtinctum, etenim ſicut baptiſmus datur ab hoc, ut regenerentur homines ad vitam ſpiritualem, & Confirmatio ad hoc datur, ut augeantur renati fonte baptiſmatis ad vitam perfectam, ita Sacramentum Euchariſtiæ datur, ut per ipſam alimententur ſpirituali ser illi, qui non ſucato animo, ſed puro corde ad revetendum altare accedunt, ut ſumant veram carnem, & ſanguinem Chriſti Domini in illo præſentialiter exiſtentis. Et quamvis ſint duo in hoc Sacramento, ſ. ſpiritualis cibus, & ſpiritualis potus, ſecundum il-
a cap.6. lud Joann. (*a*) caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, attamen non propter hoc deduci debet eſſe duo Sacramenta, ſed unum tantùm, juxta quod etiam appellatur Sacramentum Eccleſiaſticæ unitatis, ob hoc & Catechiſmus Romanus (*b*) ſic loquitur, li-
b 2.p.c.4. cet duo ſint elementa panis ſcil. & vinum, ex quibus integrum Sacramentum Euchariſtiæ conficitur, non tamen plura, ſed unum tantùm Euchariſtiæ Sacramentum, Eccleſiæ auctoritate ducti confitemur.

Et Quamvis ſit magnum, atque admirabile Sacramentum, nihilominus tamen aſſerere oportet, non eſſe neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem, multi namque ſunt, qui vel ob ætatem, ut parvuli, vel ob infirmitatem, ut ſunt illi, qui vomitum patiuntur, vel ob alia accidentia, quæ contingere poſſunt hominibus, his penalitatibus ſubjectis, vel ob aliquam reiſatem, per quam damnantur aliqui ad mortem, non percipiunt hoc Sacramentum, & tamen erroneum eſſet dicere, quod iſti omnes vitam æternam conſequi non poſſent; Verumtamen dicitur neceſſarium ad ſalutem, in quantum per baptiſmum ordinatur homo ad Euchariſtiam, & ideò ex hoc ipſo, quod pueri baptizantur, ordinatur per Eccleſiam, & ſic ſicut ex fide Eccleſiæ credunt, ſic ex intentione Eccleſiæ, deſiderant Euchariſtiam.

At non tantùm Euchariſtia hoc Sacramentum nominatur, ſed & ſacrificium, & communio, ſive ſynaxis. Sacrificium dicitur, in quantum eſt commemorativum Dominicæ paſſionis, quod eſt reſpectu præteriti; reſpectu verò rei præſentis, ſ. Eccleſiaſticæ unitatis, cui homines aggregantur per hoc Sacramentum, dicitur communio, ſive ſynaxis, Euchariſtia denique reſpectu futuri, in quantum, ſ. hoc Sacramentum eſt præfigurativum fruitionis Dei, quæ eris in patria, propter quod & dicitur (*c*) bona gra-
c cap.6. tia, quia ſecundum Apoſtolum, ad Rom. gratia Dei vita æterna.

Inſtitutum fuit hoc Sacramentum, ſicut, & cætera alia, à Chriſto Domino, & inſtitutum fuit in nocte cœnæ, quando cum diſcipulis ſuis ultimò Chriſtus converſatus fuit; tunc enim in memoriam ſui dedit corpus ſuum, & carnem ſuam ſub ſpecie panis, & vini diſcipulis ſuis, quibus dixit, hoc facite in mei commemorationem. In qua cæna agnum Judæi manducabant, adeòque dicitur, quod agnus paſchalis fuit præcipua, figura hujus Sacramenti; Sic ſeutis Paulus dum ait ad Corint. (*d*) paſcha noſtram immo- d p.c.5.
latus eſt Chriſtus, itaque expulemur in axymis ſinceritatis & veritatis: & juxta illud Deut. (*e*) Edent car- e cap.12.
nes, & axymos panes; & Iſajas dixit, & quaſi agnus f cap 53.
coram tondeate ſe obmuteſcet, & non aperies os ſuum. Et ſicut per ſanguinem Agni Paſchalis protecti ſunt filii Iſrael à devaſtante Angelo, & educti de Ægyptiaca ſervitute, ita Agnus noſter Chriſtus redemit nos per ſuum ſanguinem à ſervitute dæmonis.

Euchariſtiam abſque ullo præjudicio cæterorum Myſteriorum, atque Sacramentorum novæ Legis eſſe maximum, potiſſimum, atque nobiliſſimum Sacramentum fatendum eſt.

Maximum itaque, cum per hoc Sacramentum magis, ac magis exprimatur liberalitas, & ſumma largitas divina erga fideles.

Liberalitas utique exprimitur, cum jam videatur in ipſo Sactamento Euchariſtiæ, quod donator venit in donum, & datum eſt idem penitùs cum datore. O magna ergo, & admirabilis liberalitas divina, ſiquidē per iſtā bonitas ipſa divina in ſummo relucet erga nos, qui quamvis mereamur in pœnam noſtrorum ſcelerum vita privari; nihilominus voluit ipſe, & pati, & mori, ut nos non pateremur, neque moreremur, & ut mors nobis non eveniret, præbuit nobis carnem ſuam in cibum, & ſanguinem ſuum in potum, ut vitam habeamus, & abundantiùs illam habeamus. Idcirco, ut ejus ſumma liberalitas reſplendeat, hoc Sacramentum inſtituit: quam tamen inſtitutionem non propter ſuam utilitatem fecit, non enim indiget auxilio alterius, cum Deus ſit, unde ipſe ſolus, qui omnia gubernat maxima providentia, nec eſt alius Deus
præter ipſum: Videte, (*g*) inquis et ipſe Dominus, g Deuter.
quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me. Ego occidam, & ego vivere faciam, (ut certò ſciamus, vitam, & mortem in manu Domini eſſe:) percutiam, & ego ſanabo, (ut cognoſcamus juſtitiam, & miſericordiam ex ipſo Domino Deo oriri;) & non eſt, qui de manu mea poſſit eruere, (cum mea ſint omnia.) Solùm ergo illam Inſtitutionem Sacramenti Euchariſtiæ fecit propter ſuam maximam bonita-
tem, quod eſt id, quod docet D. Th. (*h*) ipſe ſolus h p.1.q.44
Deus eſt, maximè liberalis, quia non agit propter a.4.ad 1.
ſuam utilitatem, ſed ſolùm propter ſuam bonitatem

Exprimitur & ſumma divina largitas, quia nedùm voluis humanam naturam aſſumere ad hominum reparationem, verùm etiam factus homo inſtituit hoc Sacramentum, & ſeipſum dedit in pabulum omnibus ſive dignè, ſive indignè ſumentibus non tamen pari ratione, juxta D. Th. in ſequentia Corporis Chriſti dicentem ſumunt boni, ſumunt mali, ſorte tamen, inæquali vitæ, vel interitùs; nec tantùm præbendo corpus, ſed quod majus eſt & ſanguinem, unà cum anima, & divinitate.

O ma-

Digitized by Google

O magna ergo, & admirabilis largitas divina, & ipſius Chriſti Domini? qui non ſolùm dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, *i cap. 2.* ut Apoſtolus ad Titum dixit, (*i*) verùm etiam dedit nobis corpus ſuum, & ſanguinem, ut liberaret nos à *l Io. 6.* morte ſpirituali, & donaret nobis vitam æternam. (*l*) Qui manducat, inquit Chriſtus Dominus, meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, ergo qui manducat hunc panem, non moritur, quia ego ſum, dicit Dominus, panis vivus, qui de cælo deſcendi, ergo qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

Etſi Patres veſtri manducaverunt Manna, quæ etiam de Cœlo deſcendit, nihilominus tamen mortui ſunt, eò quia Manna umbra erar, iſte panis veritas eſt; quapropter hic eſt panis de cælo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur. Hunc ergo panem Chriſtus Dominus nobis dedit, ut ſciamus, quod non Moyſes dederit nobis panem de cælo verum, ſed ut inquit Chriſtus Dominus, Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Et tunc illum nobis dedit, quando Myſterium corporis, & ſanguinis ſui Diſcipulis tradidit, & quando ſemetipſum Deo Patri obtulit in ara Crucis. Ergo omnes clamemus, O magna, & admirabilis liberalitas? O Magna, & ſumma largitas divina erga nos? Unde ſtat illud Joann. (*m*) *m cap. 13.* cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos, dando nobis hoc Sacramentum charitatis, & pacis.

Potiſſimum, atque præcipuum inter cætera Sacramenta, ut nullum ſit Sacramentum, quod huic Sacramento comparari poſſit; certum eſt enim, immò & maximè manifeſtum, quod in hoc Sacramento continetur ipſe Chriſtus ſubſtantialiter, verè, realiter, atque præſentialiter, ſicut etiam decrevit Conc. Trid. (*n*) *n ſeſſ. 13. c. 1* ubi habetur, ſi quis negaverit in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento contineri verè, realiter, ac ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem unà cum anima, ac divinitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ac proinde totum Chriſtum: anathema ſit. In aliis verò Sacramentis continetur quædam virtus inſtrumentalis participata à Chriſto, quapropter docet Divus Thomas, *o 3. p. q. 65 ar. 3.* (*o*) quod id, quod eſt per eſſentiam, potius eſt eo, quod eſt per participationem. Et ob hoc à nonnullis comparatur Euchariſtia fonti, cætera Sacramenta rivulis: Et meritò, quia Euchariſtia continet in ſe fontem ipſum omnium Chriſmatum cæleſtium, & donorum, omniumque Sacramentorum auctorem Chriſtum Dominum, à quo tamquam à fonte ad alia Sacramenta, quidquid boni, & perfectionis habeat, derivatur. Ob hoc pariter docet Divus Thomas, quod omnia Sacramenta ordinantur ad hoc Sacramentum Euchariſtiæ, ſicut ad finem; ſic ergo Sacramentum baptiſmi ad receptionem Euchariſtiæ ordinatur, ſicut ad finem, in quo etiam perficitur aliquis per Confirmationem, ut non vereatur ſe ſubtrahere à tali Sacramento, licet poſtea ex alio capite, ſcilicet in via neceſſitatis videatur Sacramentum baptiſmi potiſſimum, Sacramentum de quo poteſt dici illud, quod Chriſtus (*p*) Dominus de ſemetipſo dixit, Ego ſum *p Ioa. 10.* oſtium, ſi quis per me introierit, ſalvabitur, ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet. Ego ſum oſtium, nam janua ſum omnium Sacramentorum aliorum; ſi quis per me introjerit, ſalvabitur, niſi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire regnum Dei, & ingredietur ad fidem, & egredietur ad ſpem, & paſcua inveniet in æterna ſatietate. Sic & Sacramentum Ordinis ordinatur ad Euchariſtiæ conſecrationem, ſic per pænitentiam, & extremam unctionem præparatur homo ad dignè ſumendum Chriſti corpus; Matrimonium etiam ſaltem ſua ſignificatione attingit hoc Sacramentum, in quantum ſignificat conjunctionem Chriſti, & Eccleſiæ, cujus unitas per Sacramentum Euchariſtiæ figuratur, ſicut & Apoſtolus dixit, Sacramentum hoc *q ad Epheſ. cap. 5.* magnum eſt, (*q*). ego autem dico vobis in Chriſto, &: in Eccleſia, inter quæ etiam Sacramenta obſervandum eſt, quod Matrimonium, & Euchariſtia ordinantur utique ad bonum commune, ſed cum hoc diſcrimine, quod Matrimonium ordinatur ad bonum commune corporaliter, cum ordinetur ad bonum commune ſpeciei humanæ per generationem; Euchariſtia verò ordinatur ad bonum commune ſpiritualiter, ut docet Divus Thomas, (*r*) bonum commune *r q. cit. 65. ar. 3. ad 1.* totius Eccleſiæ continetur ſubſtantialiter in ipſo Euchariſtiæ Sacramento.

Ulteriùs apparet veritas ipſa ex ipſo ritu Sacramentorum: ſiquidem ferè omnia Sacramenta in Euchariſtia conſummantur, ut teſtatur Dionyſius de Cæleſt. *ſ cap. 3.* Hierarch. (*ſ*) non contingit, inquit, aliquem perfici perfectione hierarchica, niſi per diviniſſimam Euchariſtiam. Eſt ergo potiſſimum, atque præcipuum, & inter alia digniſſimum Sacramentum, nam ſecundum Divi Thomæ doctrinam, in ipſo Chriſtus ſumitur, in ipſo recolitur memoria paſſionis ejus, mens impletur gratia, & per ipſum futuræ gloriæ nobis pignus datur.

Nobiliſſimum, atque Excellentiſſimum Sacramentum iſtud Euchariſtiæ eſt ſuper omnia alia Sacramenta, nobilitas, quæ naſcitur nedùm ex eo, quod totus Chriſtus continetur in illo, verùm etiam oritur ex multiplicatione nominum, non tamen Mundi hujus, cum *t cap. 1.* de iſtis ſcriptum ſit in Eccleſ. (*t*) vanitas vanitatum, & omnia vanitas: ceſſant enim ceſſantibus hominibus, & pereunt illis pereuntibus, & ſi aliquid permanet, ſolùm remanet præteritum, præſens autem tranſivit, & futurum non erit ob hoc, quod jam perit memoria eorum cum ſonitu. Oritur ergo ex multiplica- *u cap. 39.* tione nominum, de quibus ſcriptum eſt in Eccl. (*u*) & nomen ejus in æternum permanet, & nomen ejus requiretur in generatione, & generationem:

Nec inconveniens eſt, quod hoc Sacramentum ex eo, quod unum ſimpliciter ſit, quod pluribus nominibus nominetur ſecundum tamen diverſas proprietates, vel *x 3. p. q. 73 a. 4.* effectus, etenim, ut docet D. Th. (*x*) hoc Sacramentum habet triplicem ſignificationem.

Quarum prima eſt reſpectu præteriti, in quantum, ſ. eſt commemorativum dominicæ paſſionis, quę jam prętcriit, ſicut ipſe docuit, hoc facite in meam commemo- *y 1. ad Cor. cap. 11* rationem; & Paulus ad Corint. (*y*) jam teſtatus eſt, quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat; commemorationem Dominicæ paſſionis, quæ verum Sacrificium fuit, & ſecundum hoc nominatur ſacrifi- *z 3. p. q. 48 a. 3.* cium, & meritò, quia ſacrificium, ut docet D. Th. (*z*) propriè dicitur aliquod factum in honorem propriè Deo debitum ad eum placandum; Chriſtus .n. ait D. Th. obtulit ſeipſum in paſſione pro nobis, & hoc ipſum opus, quo voluntariè paſſionem ſuſtinuit, Deo maximè acceptum fuit, utpotè ex charitate proveniens. Verùm paſſio Chriſti conſideranda non eſt ex parte illorum, qui ipſum crucifixerunt, nam ſic conſiderata non ſacrificium, ſed maleficium potiùs dicenda eſt; conſideranda tamen eſt paſſio Chriſti ex parte ipſius Chriſti ex charitate patientis, certum eſt .n. quod ipſemet ſe obtulit Deo in ſa- *a cap. 53.* crificium laudis, ſicut habetur Iſ. (*a*) oblatus eſt, quia ipſe voluit, & ideò conſiderata hoc modo paſſio Chriſti ve- *b 3. p. q. 48 a. 1. ad 1.* rum ſacrificium dicitur. Deſumitur hoc ex D. Th. (*b*) paſſio Chriſti ex parte occidentium ipſum maleficium fuit, ſed ex parte ipſius ex charitate patientis fuit ſacrificium; ideoq; hoc ſacrificium ipſe Chriſtus obtuliſſe dicitur, non autem illi, qui eum occiderunt. Dicitur, & nominatur hoſtia, quæ licet non videatur eſſe idem, ac ſacrificium ſecundum eamdem rationem, bene tamen ſecundum diverſam. Etenim ſacrificium dicitur reſpectu rei præteritę, quæ eſt paſſio Chriſti, unde etiam à D. Th. dictum fuit, quod eſt commemorativum Dominicæ paſſionis, quæ fuit verum ſacrificium. Et hoſtia dicitur reſpectu rei præſentis, quæ eſt continentia ipſius *c 3. q. 77 a. 4. ad 3.* Chriſti, ſic habetur ex D. Th. (*c*) hoc Sacramentum dicitur ſacrificium, in quantum repræſentat ipſam paſſionem Chriſti, dicitur verò hoſtia; in quantum continet ipſum Chriſtum, qui eſt hoſtia ſalutaris, tradendo ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis.

Quam doctrinam D. Thomæ corroborat Concil. Trideotinum, (*d*) in quo habetur, quoniam in divino hoc ſacrificio, quod in Miſſa peragitur, idem ille Chriſtus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis ſemel ſeipſum cruente obtulit, docet Sancta Synodus, ſacrificium iſtud verè propitiatorium eſſe, per ipſumque fieri, ut ſi vero corde, & recta fide, & cum metu, & reverentia contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno, & poſtea ſubdit, una, eademque eſt hoſtia, idemque nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in Cruce obtulit, cum offerendi ratione diverſa, cujus quidem oblationis (cruentæ inquam,) fructus per hanc incruentam uberrimè percipiuntur, tantùm abeſt, ut illi per hanc quovis modo derogetur.

d ſeſ. 22. c. 2

Secunda ſignificatio eſt reſpectu rei præſentis, Eccleſiaſticæ, ſcil. unitatis, cui homines aggregantur per hoc Sacramentum, & ſecundum hoc nominatur latinè communio à Con, quod eſt ſimul, & unio, quaſi unio. Unde D. Aug. ait, ſicut enim ex multis granis unus panis efficitur, & ex multis racemis vinum confluit, ſic per receptionem corporis, & ſanguinis Chriſti fideles ad invicem ſpiritualiter uniuntur: & tale nomen communio videtur eſſe deſumptum ex illo Pauli ad Corinth. (*f*) ubi Apoſtolus inquit: Calix benedictionis, cui benedicimus, nonnè communicatio Sanguinis Chriſti eſt? Et panis, quem frangimus, nonnè communicatio Corporis Domini eſt? Et D. Damaſcenus ait, quod dicitur communio, quia communicamus per ipſum Chriſto, & quia participamus ejus carne, & Deitate, & quia communicamus, & unimur ad invicem per ipſum.

e tr. 26. in Ioan.

f 1. c. 10.

g l. 4. fid. Orthod. c. 14

Dicitur communio, quia eſt ſymbolum unitatis, & charitatis, qua nos inter nos in eodem Chriſto copular, ac conjungit, ut habetur ex Concilio Tridentino (*b*) quia antequam ſtatuat de hoc Sacramento Euchariſtiæ, de eadem Euchariſtia dicit, quàm aliquin Salvator noſter in Eccleſia ſua, tamquam ſymbolum reliquit ejus unitatis, & charitatis, qua Chriſtianos omnes inter ſe conjunctos, & copulatos eſſe voluit. Unde meritò dicitur communio latinè, Græcè verò dicitur Synaxis, ſ. conciliatio, vel communio, quia omnes de uno pane, & de uno calice participamus.

h ſeſ. 13 in præſ.

Ex quo factum eſt etiam, ut hoc Sacramentum & pacis, & charitatis nominetur, & ſit. Quapropter multum valet Sacramentum iſtud ad pacificandos animos inter ſe diſcordes, ac proinde indigni ſunt nomine Chriſtiano, qui inimicitias exercent, odia, diſſidia, atque diſcordias. Idcircò obtupeſco, ut ubi frequentiores ſint communiones, ibi ſint familiares diſcordiæ.

Utinam, hoc non videretur manifeſtum, nedùm inter illos, & inter illas, qui, & quæ inter clauſtra morantur, verùm etiam inter communitates omnes, immò & inter domeſticos parietes, præcipuè quando reficiuntur hoc venerabili Sacramento. De quo poteſt repeti id, quod Chriſtus Dominus dixit, pacem relinquo vobis, ob inſtitutionem hujus Sacramenti, idcircò, quando hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis; pacem meam do vobis, præbendo vobis carnem meam, & meum ſanguinem, ut pacem habeatis cum Patre meo, ſi tamen dignè hunc panem accipietis; ergo non quomodo Mundus dat, Ego do vobis. Mundus enim dat vobis panem uſitatum, in laboribus acquiſitum, & in ſudoribus paſtum, Ego autem do vobis panem de cœlo verum, omni charitate plenum, in quo non tantùm ſignum fœderis reponitur, ſed pax ipſa continetur, ergo ut tetterrimas peſtes, diſcordias, odia, atque diſſidia exterminate, & ſolùm habete pacem cum Chriſto, ut Deus pacis, & dilectionis ſit ſemper vobiſcum. Scitote, quod, ut Paulus dixit, ipſe Chriſtus eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum, & medium parietem macceriæ ſolvens inimicitias in carne ſua, legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem faciens pacem.

i ad Epheſ. cap 2.

Tertia ſignificatio eſt reſpectu futuri, unde & futurum prænunciat, quod eſt jucunditatis, & gloriæ fructus, quem in cœleſti patria ex Dei promiſſione capiemus. Et de facto ait Divus Thomas, hoc Sacramentum eſt præfigurativum fruitionis Dei, quæ erit in Patria. & ob hoc dicitur viaticum, quod eſt idem, ac dicere cibus ſpiritualis animæ, & ut cibus ſpiritualis præbet fidelibus viam, ut pervenire poſſint ad montem Dei Oreb, ideſt ad cæleſtem Patriam, & ad perpetuam manſionem. Quare ex veteri Eccleſiæ Catholicæ inſtituto ſervari videmus, ut nemo fidelium ſine hoc Sacramento è vita decedat.

Secundum hoc etiam dicitur Euchariſtia, quaſi bona gratia, eò quia vitam æternam, de qua dicitur gratia Dei vita æterna, præſignificat; vel quia continet realiter Chriſtum, qui eſt plenus gratia, ut Joannes teſtatur, (*l*) vidimus enim eum plenum gratiæ, & veritatis. Vel quia Chriſtus eſt fons omnium Chriſmatum, ſicut & ipſe Joannes dicit, ibid. de plenitudine ejus nos omnes accepimus, hoc confitetur & Paulus ad Roman. (*m*) dum ait, per quam accepimus gratiam, & Apoſtolatum, de quibus gloriatur, dùm dixit, gratia Dei ſum id, quod ſum.

l cap. 1.

m cap. 1.

Deinde nominatur & cæna, & deducitur ex illo Salvatoris myſterio, quando à Chriſto Domino fuit inſtituta, colligitur ex Sacra Scriptura, tùm ex illo Matth. (*n*) cænantibus autem eis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & ait, accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum: tùm ex illo Joannis, (*o*) & cæna facta cum diabolus miſiſſet in cor, ut traderet eum Judas Iſcariotes; & poſtea dicit, ſurgit à cæna; & iterum cum intinxiſſet panem, dedit Judæ Simonis Iſcariotæ. Tùm ex D. Thoma in ſequentia Corporis Chriſti dicente, quem in Sacræ menſa cænæ turbæ fratrum duodenæ datum non ambigitur. Denique à Conc. Trid. (*p*) nominatur cæna, legitur enim in cæna noviſſima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ ſuæ ſponſæ Eccleſiæ, viſibile, (ſicut hominum natura exigit) relinqueret ſacrificium, quo cruentum illud ſemel in Cruce peragendum repreſentaretur, ejuſque memoria in finem uſque ſæculi permaneret, atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ à nobis, quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, Sacerdotem ſecundum Ordinem Melchiſedech in æternum conſtitutum declarans corpus, & ſanguinem ſuum, ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit.

n cap. 26.

o cap. 13.

p ſeſ. 22. c.

Ex his omnibus ſatis conſtat, Euchariſtiam & eſſe Sacramentum, & unum de ſeptem, quæ à Chriſto Domino inſtituta fuerunt, ut habetur etiam per decretum Conc. Trid. (*q*) ſtatuentis, quod ſi quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia à Chriſto Jeſu Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura, vel pauciora, quàm ſeptem, ſ. Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremã unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut aliquod horum ſeptem non eſſe verè, & propriè Sacramentum; anathema ſit. Nec ſolùm in dicto canone aſſerit Conc. Euchariſtiam eſſe Sacramentum, ſed in pluribus aliis locis, præcipuè verò in ſeſ. 13. per tot. quia in tali ſeſs agit ſpecialiter de Sacramento Euchariſtiæ; tùm in ſeſ. 21. ubi agit de Communione ſub utraq; ſpecie, tùm in ſeſ. 22. ubi agit de Sacrif. Miſſæ; verùm ante hanc determinationem Conc. jam ab Eccleſia Catholica vocabatur Sacramentum, ut conſtat manifeſtè in collecta Corporis Chriſti, Deus, qui nobis ſub Sacramento mirabili paſſionis tuæ memoriam reliquiſti, & quando dicitur hoc tuum Sacramentum non ſit nobis reatus ad pœnam; & in hymno feſti Corporis Chriſti, quando canitur, Tantum ergo Sacramentum &c & ab Urbano IV. Pontifice Maximo tale nominatur, dùm ex dixit, Salvator noſter Chriſtus Dominus in memoriam mortis ſuæ inſtituit ſummum, & magnificum ſui corporis, & ſanguinis Sacramentum.

q ſeſſ. 7. can. 1.

Deni-

Denique à Divo Thoma (*r*) aſſeritur Euchariſtiam eſſe Sacramentum inſtitutum à Chriſto Domino ad hoc, ut detur homini alimentum Spirituale, juxta illud, quod Dominus Jeſus dixit, caro mea verè eſt cibus, (*ſ*) & ſanguis meus verè eſt potus, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Ad hoc enim venit Chriſtus Dominus in Mundum, ut vitam æternam habeamus, & abundantiùs illam habeamus. Et licet vitam æternam per baptiſmum habeamus, cum per iſtam regenerentur homines vita ſpirituali, ſicut licet habeamus vitam æternam per Confirmationem, per quam habetur augmentum in vita ſpirituali, nihilominus tamen illam abundantiùs habemus per Euchariſtiam, per quam nutriuntur fideles cibo, potuque cœleſti in vitam æternam; quapropter unà cum D. Th. dicimus, quod proceſſus vitæ ſpiritualis conſiſtere debet in hoc, quod prius per baptiſmum generetur ad vitam ſpiritualem, deinde quod augeatur in illam per Confirmationem, & denique perducatur ad perfectionem vitæ ſpiritualis per Sacramentum Euchariſtiæ.

r 3. p. q. 73 a. 1.

s Jo. cap. 6.

Et licet ad perfectionem ordinetur & Confirmatio, non tamen eodem modo, ac Euchariſtia, nam ad perfectionem Confirmationis ordinatur, quatenus perfectio eſt in ipſo homine, ad perfectionem autem Euchariſtiæ ordinatur ſolùm, quatenus ſequitur homini de extrinſeco conſecrante: quo pacto cibus licet ſit de neceſſitate ſimpliciter tali ad conſervationem vitæ, attamen non eſt de intrinſeca ratione ſubjecti, non enim eſt pars eſſentialis illius; quod habetur aperte ex D. Th. (*t*) duplex eſt perfectio, una, quæ eſt in ipſo homine, ad quam perducitur per augmentum: & talis perfectio competit Confirmationi. Alia eſt perfectio, quam homo conſequitur ex adjunctione alicujus extrinſeci hominem conſecrantis, v. g. ex adjunctione cibi, veſtimenti, vel alicujus hujuſmodi, & talis perfectio competit Euchariſtiæ, quæ eſt ſpiritualis refectio.

t 3 p. q. 73 a. 1. ad 1.

Euchariſtia convenit in aliquo cum aliis Sacramentis, & etiam differt in aliquo ab illis. Convenit in hoc, quod ſicut licet omne Sacramentum efficiat effectum ſpiritualem, non tamen illum efficit virtute propria, ſed virtute Spiritus Sancti in illo contenta. Sic aqua baptiſmi non cauſat aliquem effectum ſpiritualem propter ipſam aquam, ſed propter virtutem Spiritus Sancti in aqua exiſtentem. Ita Sacramentum Euchariſtiæ non cauſat, ſive non efficit aliquid, niſi virtute corporis Chriſti veri; Unde D. Th. (*u*) ſicut ſe habet virtus Spiritus Sancti ad aquam baptiſmi, ita ſe habet Corpus Chriſti verum ad ſpecies panis, & vini, ac proinde ſpecies panis, & vini non efficiunt aliquid, niſi virtute Corporis Chriſti veri.

u ibid. ad 2.

Differt tamen Sacramentum Euchariſtiæ ab aliis, quod illud Sacramentum perficitur, eſtque eſſentialiter Sacramentum in ipſa conſecratione materiæ: nam continet ipſum Chriſtum, quod eſt continere aliquod ſacrum abſolutè; Corpus namque Chriſti dicitur per ſeipſum, & in ſeipſo ſacrum, tùm ratione unionis, quam habet ad divinitatem, tùm quia anima Chriſti eſt gratia plena, quæ plenitudo illi attribuitur, in quantum eſt unigenitus à Patre, ut habetur ex illo Joannis, vidimus eum, quaſi unigenitum à Patre plenum gratiæ, & veritatis: unde in ipſo eſt plenitudo gratiæ, et quantum ad quantitatem ejus intenſivam, quia, ut docet Divus Thomas, (*x*) habuit eum in ſummo ſecundum perfectiſſimum modum, quo haberi poteſt; & non ſolùm ex propinquitate animæ Chriſti ad gratiæ cauſam, anima autem Chriſti propinquius conjungitur Deo inter omnes creaturas rationales: unde ex tali propinquitate ad Deum maximam recipit influentiam gratiæ ejus. Verùm etiam ex comparatione ejus ad effectum, nam ſic recepit anima Chriſti gratiam, ut ex ea quodammodo transfunderetur in alios, non poſſet autem transfundere in alios illam, niſi haberet maximam gratiam; Pariter quantum ad virtutem gratiæ plenè habuit gratiam, quia habuit eam ad omnes operationes, vel effectus gratiæ, & hoc quia collata ei gratia tamquam cuidam univerſali principio in genere habentium gratiam; & quia virtus primi principii alicujus generis univerſaliter ſe extendit ad omnes effectus illius generis, hinc eſt, quod plenitudo gratiæ ſecundum virtutem extenditur in Chriſto, in quantum ſe extendit ejus gratia ad omnes gratiæ effectus, qui ſunt virtutes, dona, & alia hujuſmodi; quod autem plenitudo gratiæ ſit propria Chriſti, Divus Thomas utitur, (*y*) diſtinctione circa hoc, quæ eſt, quod plenitudo gratiæ poteſt attendi & ex parte ipſius gratiæ, & ex parte habentis gratiam. Ex parte ipſius gratiæ dicitur eſſe plenitudo ex eo, quod aliquis pertingit ad ſummum gratiæ, & quantum ad eſſentiam, & quantum ad virtutem, quia, ſcilicet habet gratiam, & in maxima extenſione ad omnes gratiæ effectus, & talis gratiæ plenitudo eſt propria Chriſti, & non alterius, quapropter Beata Virgo etſi dicta fuerit gratia plena, quando ab Angelo fuit ſalutata. Ave gratia plena, non tamen habuit plenitudinem gratiæ ex parte ipſius gratiæ, quia non habuit illam in ſumma excellentia, qua poteſt haberi, nec ad omnes effectus gratiæ, ſed ſolùm dicitur fuiſſe plena gratia per comparationem ad ipſam, in quantum, ſcilicet habebat gratiam ſufficientem ad ſtatum illum, ad quem erat electa à Deo, ut eſſet mater unigeniti ejus. A fortiori, nec Stephanus habuit plenitudinem gratiæ ex parte ipſius gratiæ, quamvis dicatur plenus gratia, quia habebat gratiam ſufficientem ad hoc, quod eſſet idoneus miniſter, & teſtis Dei, ad quod erat electus.

x 3. p. q. 7. a. 9.

y 3. p. q. 7. a. 10. ad 1.

Cæterum ex parte ſubjecti dicitur gratiæ plenitudo, quando quis habet plenè gratiam ſecundum ſuam conditionem, ſive ſecundum intenſionem, prout in eo eſt intenſa gratia uſque ad terminum præfixum ei à Deo. Unicuique noſtrum, ajebat Apoſtolus ad Ephes. (*z*) data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti; ſive etiam ſecundum virtutem, in quantum ſ. habet facultatem gratiæ ad omnia, quæ pertinent ad ſuum officium, ſive ſtatum; unde dicebat Paulus ad Epheſ. (*a*) mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc illuminare omnes, & hæc communicatur aliis per Chriſtum, nec eſt ei propria.

z cap. 4.

a cap. 3.

Diximus, quod corpus Chriſti dicitur per ſeipſum, & in ſeipſo ſacrum ratione unionis ad Verbum, & modò addimus, quod ſi dicatur res ſacra in ordine ad aliud, hoc ſolùm dicitur, in quantum eſt caput Eccleſiæ, & ut caput in corpus ſuum myſticum influit, & cauſat gratiam in membris ſuis, ſic ex D. Th. (*b*) cujus doctrina accepta fuit à Conc. Trid. (*c*) ſic enim ſtatuit atque decrevit. Statuit, Commune quidem eſt Sanctiſſimæ Euchariſtiæ cum cæteris Sacramentis ſymbolum eſſe rei ſacræ, & inviſibilis gratiæ formam viſibilem, verùm in illa illud excellens eſt, & ſingulare reperitur, quod reliqua Sacramenta, tunc primùm ſanctificandi vim habeat, cum quis illis utitur: at in Euchariſtia ipſe ſanctitatis auctor; ante uſum eſt. Nondum enim Euchariſtiam de manu Domini Apoſtoli ſuſceperant, cùm verè tamen ipſe affirmaret corpus ſuum eſſe, quod præbebat, & ſemper hæc fides in Eccleſia fuit, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini Noſtri corpus, verumque ejus ſanguinem ſub panis, & vini ſpecie, unà cum ipſius anima, & divinitate exiſtere, ſed corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub ſpecie vini ex vi verborum, ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub utràque vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui jam ex mortuis reſurrexit, non amplius moriturus, inter ſe copulantur divinitatem verò propter admirabilem illam ejus cum corpore, & anima hypoſtaticam unionem.

b 3 p. q. 73 a. 1. ad 1.

c ſeſſ. 13. c. 3.

d 13. can. 4. Decrevit,(u) ſi quis dixerit, peracta conſecratione in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non eſſe corpus, & ſanguinem Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ſed tantùm in uſu dùm ſumitur, non autem ante, vel poſt, & in hoſtiis, ſeù particulis conſecratis, quæ poſt communionem reſervantur, vel ſuperſunt, non remanere verum corpus Domini: anathema ſit.

Hæc ſtatuit, atque decrevit Concilium Tridentinum contra hæreticos noſtræ tempeſtatis, nempe contra Calviniſtas, iſti, ſicut & multi alii ex temporibus anteactis, quamvis non negaverint Euchariſtiam eſſe verum novæ Legis Sacramentum, attamen auſi ſunt temerè negare hoc Sacramentum conſiſtere in aliqua re permanente, aſſerebant tamen conſiſtere in ſolo uſu, ſive ſumptione; unde dicebant, qood ſicut aqua in baptiſmo non habet rationem Sacramenti, niſi quando actu applicatur, ita pariter nec Euchariſtia, niſi cum actu manducatur, non verò quando conſecratur in pixide. Non rectè percipientes differentiam inter hoc Sacramentum, & inter alia; etenim Sacramentum Euchariſtię continet rem ſacram, vel ut meliùs dicamus cum D. Th. (e) conti-
e 1. p. q. 73. a. ad 3. net aliquid Sacrum abſolutè, ſcilicet Chriſtum ipſum, cætera verò Sacramenta continent aliquid ſacrum in ordine ad aliud, ſcil. virtutem ad ſanctificandum eos, quibus applicantur. Et ideò, bene ſubdit, Sacramentum Euchariſtiæ perficitur in ipſa conſecratione materiæ, alia verò Sacramenta perficiuntur in applicatione materiæ ad hominem ſanctificandum. Manifeſtum eſt enim, quod aqua baptiſmi continet aliquod ſacrum in ordine ad aliud, ſcilicet virtutem ad ſanctificandum, non enim per ſeipſam, & in ſeipſa aqoa baptiſmi dicitur Sacra, ſed ſolùm quatenus eſt ordinata à Deo ad hominem ſanctificandum, maximè quia materia hujus Sacramenti baptiſmi, quæ eſt aqua, elevatur à Deo, tamquam inſtrumentum ad cauſandam rem ſacram, & gratiam in homine, & quod dicitur de aqua baptiſmi, dicitur & de oleo Chriſmatis, & de materia aliorum Sacramentorum, & magis applicatur dicta differentia per hoc, quod in conficiendis aliis Sacramentis nulla fit materiæ, atque elementi in aliam naturam mutatio, ut manifeſtum patet, tùm in aqua baptiſmi, tùm in oleo Chriſmatis, quæ quando adminiſtrantur, illa Sacramenta non amittunt naturam olei, aut aquæ priorem; cæterum in Sacramento Euchariſtiæ id, quod panis, & vinum ante conſecrationem erat, facta conſecratione verè eſt corporis, & ſanguinis Domini ſubſtantia.

Pariter hoc Sacramentum Euchariſtiæ differt ab aliis Sacramentis, quod in ipſo Sacramento Euchariſtiæ id, qood eſt res, & Sacramentum, eſt in ipſa materia; id verò, quod eſt res tantùm, eſt in ſuſcipiente, ſcilicet gratia, quæ confertur; cæterum in Baptiſmo, (& idem de aliis Sacramentis), utrumque eſt in ſuſcipiente, ſcil. & character, qui eſt res, & Sacramentum, & gratia remiſſionis peccatorum, quæ eſt res tantùm. Et ratio hojus differentiæ eſſe poreſt, qoia materia aliorum Sacramentorum non eſt ſignum alicujus ſacri in ipſa contenti, ſed eſt ſignum rei ſacræ, ſcilicet gratiæ, quam cauſat in ſuſcipiente. At ſpecies Sacramentales ſunt ſignum rei ſacræ, ſcilicer corporis Chriſti in illo contenti, & res ſacra per ipſas ſignificata; vid. corpus Chriſti in illis exiſtens: ideòque materia Euchariſtiæ conſecrata eſt Sacramentum: eum quo tamen ſtat, quod etiam in Sacramento Euchariſtiæ res ſacras, ſcilicet gratia eſt in ſuſcipientibus materiam Euchariſtiæ conſecratam, cum etiam iſta materia cauſet in ſuſcipientibus gratiam.

Euchariſtia ex hoc, quod conveniat cum aliis Sacramentis, & differat ab illis, de illa convenienter etiam traditur definitio; quæ eſt. Euchariſtia eſt Sacramentum virtute conſecrationis, ſeù ex vi verborum ſuper determinatam materiam prolatorum ſub ſenſibilibus ſpeciebus panis, & vini ſignificans, cauſans, & continens corpus Chriſti. Eſtque talis definitio juxta mentem Conc. Tridentini decretum (f) ponentis, ſi quis nagaverit in Euchariſtiæ Sacramento non contineri verè, & realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem unà cum anima, & divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac proinde totum Chriſtum, ſed dixerit, tantummodò eſſe in eo, ut in ſigno, vel figura, aut virtute; anathema ſit. f ſeſſ. 13. can. 1.

Hæc definitio, quæ traditur de Sacramento Euchariſtiæ, etiam explicatur, per ly enim, quod dicitur Euchariſtia eſt Sacramentum, aſſignatur genus, per quod habet convenire cum omnibus aliis Sacramentis; per ly virtute conſecrationis aſſignatur differentia, quia materia hujus Sacramenti utique conſecratur; materia verò aliorum Sacramentorum potiùs benedicitur; per ly ſeù ex vi verborum ſuper determinatam materiam prolatorum habetur cauſa materialis, quæ alia non eſt, niſi panis, & vinum: per ly ſignificans, cauſans, continens ſub ſpeciebus ſenſibilibus habetur cauſa efficiens, inſtrumentalis tamen, conotans cauſam ipſam principalem, quæ eſt Deus: per ly corpus, & ſanguinem Chriſti Domini habetur cauſa formalis cauſans intrinſecè, & formaliter, atque eſſentaliter hoc Sacramentum. Cauſa verò finalis tunc à quolibet cognoſci poterit, quando ponet in judicium ſemetipſum, & tunc ponet ſemetipſum in judicium, quando ſumet hoc Sarramentum, in ſumptione ergo hujus videbit, ſi gratiam ſumpſerit ſacrificantem & tunc ſi firmè crediderit ſumpſiſſe hoc Sacramentum unà cum graria, jam cognoverit de ſe cauſam finalem hujus inſtitutionis Sacrameoti, quæ eſt dare per gratiam gloriam. Quod plenè nobis hanc veritatem manifeſtat Paulus ad Corinth. (g) g [illegible]
dùm dixit, probet autem ſeipſum homo, quaſi dicat, conſideret unuſquiſque conſcientiam ſuam, quomodo ſe habeat ad Deum per fidem, & charitatem, conſideret ſi odio habet inimicum ſuum, conſideret, ſi in voluptatibus carnis animus etiam remaneat involutus, conſideret ſi res Mundi magis ſibi placeant, quàm res ſpirituales, & benè his conſideratis de pane illo edat, & de calice bibat. Quapropter & dixit Apoſtolus ad Corinth. (h) voſmet- h 2. Cor. 13.
ipſos tentatè, ſi eſtis in fide, ipſi uos probate, & tunc cognoſcetis, quod qui manducat, & bibit indignè judcium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini.

Et ut appareat differentia ab aliis Sacrameotis, ſciendum eſt, quod nec cauſar, nec ſignificar gratiam in ſumentibus illud, tamquam inſtrumentum ſeparatum, ſicut alia Sacramenta faciunt, ſed ut conjunctum divinitati immediatè rarione corporis Chriſti.

Euchariſtiæ Sacramentum licet integrum conficiatur ex duobus elementis, ſcilicet pane, & vino, nihilominus tamen non duo Sacramenta, ſed unum tantùm Sacramentum dicendom eſt, & hoc tùm auctoritate Eccleſiæ ſtatuentis in diverſis Conciliis, Lateranenſi, videlicet Florentino, & denique Tridentino Sacramenta à Chriſto Domino inſtituta eſſe ſeptem, nec eſſe plura, quàm ſeptem.

At quomodo ſeptem enumerari poſſent Sacramenta, ſi Sacramentum Euchariſtię non eſſet unum, ſed plura Sacramenta?

Unum ergo eſt, & unum, non quia individuum ſit, ſed quia unius rei ſignificationem habet; exemplum à ſimili jam habemus in Sacramento Extremę Unctionis, eſr enim onicum Sacramentum, quamvis non habeat unitatem baptiſmi, eſr enim iſte unica ablutio, & Extrema unctio conſtet ex pluribus unctionibus, quę tamen omnes ordinantur ad unum finem, & ad unum effectum, ſcilicet ad tollendum omnes reliquias peccatorum, quæ ex ſenſibus oriuntur, & animam deprimunt. Et hoc quia unum ſolùm dicitur, quod eſt indiviſibile, vel quod eſt continuum, ſed etiam quod eſt perfectum, ut docet D. Th. (i) ex Ariſt. & manifeſtat exemplo do- i 1. 2. q. 73. a. 1. Metaph. text. 9.
mus, quæ eſr una ſimpliciter, licet non habeat unitatem,

quæ

Digitized by Google

quæ requiritur in genere ſubſtantiæ, cum conſtet ex ſubjectis realiter diſtinctis, & homo eſt unus in ordine perfectionis, quamvis conſtet ex pluribus partibus integrantibus, qua de cauſa ait Div. Thom. quod unum in perfectione eſt, ad cujus integritatem concurrunt omnia, quæ requiruntur ad finem ejuſdem. Cum ergo ad integritatem hujus Sacramenti duo concurrant, ſcilicet ſpiritualis cibus & ſpiritualis potus juxta illud, *l cap. 6.* quod legitur in Joann. (*l*) caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, jam iſta duo requiruntur, ut ad finem ejuſdem Sacramenti, & ideò non poteſt dici, niſi unum Sacramentum, maximè quia ordinantur ad ſpiritualem refectionem, quæ corporali conformatur, ad hanc autem ſpiritualem refectionem requiritur, tùm cibus, qui eſt alimentum ſiccum, tùm potus, qui eſt alimentum humidum, & quamvis ſint duæ res, nihilominus tamen dicitur unica comeſtio. Hoc colligitur ex illo Lucæ (*m*) dicentis, *m Cap. 14.* homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos, & miſit ſervum ſuum hora cœnæ dicere invitatis, ut venirent, quia jam parata ſunt omnia, omnia ſcilicet, quæ neceſſaria ſunt ad ſpiritualem refectionem; & quod de iſta loquatur Evangeliſta, nullum eſt dubium, cum *n cap. 19.* & Joannes (*n*) in ſua Apocalypſi ſcribat, Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt. Ad hanc ergo cęnam omnes Chriſti fideles vocantur, cum præceptum ſit omnibus venire ad hanc cęnam Agni, ſaltem in *o Seſſ. 13. can. 6.* Paſchate; ſicut decrevit Concilium Trid. (*o*) ſi quis negaverit omnes, & ſingulos Chriſti fideles utriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis ſaltem in Paſchate ad communicandum juxta præceptum Sanctæ Matris Eccleſiæ: anathema ſit.

Nemo ergo excuſare ſe debet, nemo dicere debet, non poſſum venire. Relinquantur omnia terrena, & accedatur ad cęnam agni. Si villam emiſti, quænam neceſſitas erit tibi videre prius illam, quàm ad hanc cęnam venire? Nonne vides, quod Dominus te invitat, venite comedite, panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis ad hanc cęnam; & ad villam videndam ſola cupiditas terrenorũ te movet? *p Matth. cap. 6.* (*p*) Nonne ipſe Dominus tibi dixit, quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis? & pro regno Dei tunc debent intelligi ea omnia, quæ neceſſaria ſunt, ut pervenire poſſit homo ad regnum Dei.

Si juga bovum emiſti, quænam neceſſitas erit tibi, ut hæc cęna relinquatur, & ut eas probare illa? Forſan illud jugum ſuave erit tibi, & non illud Domini? *q Cap. 11. Matt.* (*q*) An mentitus eſt Dominus, qui dixit jugum meum ſuave, & onus meum leve? Hoc aſſerere temerarium, immò & perverſum eſt. Quanam ergo excuſationem habebis non veniendi ad hanc cęnam.

Si uxorem duxiſti, quænam neceſſitas erit tibi, ſemper cum illa copulari, ut cum Domino non copuleris? forſan prævaricatum eſt cor tuum propter amorem mulieris, ut non poſſis & Dominum Deum tuum diligere, qui fecit te, & creavit te? Memento, quod Deus ſine te Deus eſt, tu autem abſque Deo nihil *r 1 p Cap. 7.* es Memento, quod & Paulus dixit ad Corint. (*r*) qui habent uxores, tanquam non habentes ſint, ergo quomodo poteris dicere Domino te invitanti, venite ad nuptias, non poſſum venire, quia uxorem duxi? Vide, ne iraſcatur Dominus, & dicat tibi, quod dixit Paterfamilias illis, qui invitati noluerunt venire, dico vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati *ſ Proverb. cap. 1.* ſunt, guſtabit cœnam meam. (*ſ*) Quia vocavi, & renniſtis. Itaque exi citò in plateas, & vicos civitatis, & pauperes, qui non habent, unde à cupiditatibus retardentur, & debiles, qui nihilominus jugum meum portare non ſpreverunt, & cæcos, qui neſcierunt diffundere cor ſuum circa amorem mulierum, & claudos, qui tales facti ſunt, quia bajulaverunt crucem ſuam, & ſecuti ſunt me, introduc huc ſcilicet in vitam æternam, qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

Iſte ergo panis, qui caro Chriſti dicitur, & vinum quod in ſanguinem Chriſti convertitur per verba conſecrationis, unum tantùm Sacramentum conſtituunt formaliter, atque eſſentialiter, & perfectivè, quamvis ſint materialiter plura, ut apertè docet, Div. Th. *t 3 p. q. 73. a. 2. ad 2.* (*t*) dum ait panis, & vinum materialiter quidem ſunt plura ſigna, formaliter verò, & perfectivè unum, in quantum ex eis perficitur una refectio.

Sed quomodo materialiter plura, ſi jam in collecta dicitur, purificent nos Domine Sacramenta, quæ ſumpſimus? nonne tunc loquitur de hoc Sacramento?

At quid mirum, ſi hoc dicatur, cum hoc ſolùm dicatur ad oſtendendum, quod hoc Sacramentum quodammodo eſt multa, nihilominus tamen ſimpliciter eſt unum; & quod ita ſit, recitetur tota illa collecta, & videbitur clarum, quod aſſerimus ſimpliciter eſſe unum Sacramentum; ſi quidem poſtquam dicitur in illa, purificent nos Domine Sacramenta, quæ ſumpſimus, poſtea ſubditur ſingulariter, hoc tuum Sacramentum non ſit nobis reatus ad pœnam; quod utique non diceretur, niſi unum ſimpliciter, & formaliter eſſet Sacramentum. Hæc eſt doctrina D. Th. attamen *u Ib. ad 1.* ſi vobis placet, ego dicam, quod quando dicitur in illa collecta, purificent nos Domine Sacramenta, quæ ſumpſimus, per ly Sacramenta intelligi debent corpus, & ſanguis Chriſti Domini, ſicut habetur manifeſtum in alia collecta, in qua dicitur, Sacramenta corporis, & Sanguinis Domini, ex quibus autem nullum eſt dubium, quod conficiatur unum Sacramentum. Quod & roboratur ex Div. Thom. (*x*) dum aſſerit, quod *x Ib. ad 3.* quamvis duplex ſit conſecratio materiæ hujus Sacramenti, attamen unum Sacramentum eſt dicens plura materialiter. Eucharistiæ Sacramentum propter dignitatem, quam poſſidet, ita ut nulli Sacramento comparari queat, & inter cætera omnia præſtantiſſimum ſit, attamen abſolutè, & ſimpliciter non eſt de neceſſitate ſalutis in re ſcilicet quod in re ſuſcipiatur, aliàs parvuli excedente è vita abſque hoc Sacramento in re, ſalutem æternam non conſequerentur, quod apertè videtur eſſe contra illud Chriſti Domini Matt. (*y*) ſinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire, *y Cap. 19.* talium enim eſt regnum Cœlorum. Certum eſt enim, quod parvuli non habent capacitatem ad dijudicandum corpus Domini, ſcilicet ad diſcernendam cibi hujus ſpiritualis differentiam ab aliis cibis; unde videtur, quod parvuli dummodo baptizati ſint, non ſunt de neceſſitate communicandi, quia acceſſus ad Sacram communionem requirit & maximam reverentiam, maximam devotionem, multam cognitionem de myſteriis noſtræ fidei, quibus omnibus parvuli carent, & tamen dubitandum non eſt, utpotè ex veritate ipſa confirmatum, quod illis poſt baptiſmum datur regnum cœlorum, ſi moriantur in illa ætate.

Hoc, quod docet veritas ipſa, ſequitur & Concil. Trident. (*z*) primò namque ſtatuit, Eadem ſancta *z Seſſ. 21. cap. 4.* Synodus docet, parvulos uſu rationis carentes nulla obligari neceſſitate ad Sacramentalem Euchariſtiæ communionem; ſiquidem poſt baptiſmi lavacrum regenerati & Chriſto incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt. Secundò per decretum determinavit, quod ſi quis di- *a Ib. can. 4.* xerit, parvulis, (*a*) antequam ad annos diſcretionis pervenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem; anathema ſit. Et Div. Auguſt. (*b*) ſequendo *b Lib. 4. c. duas Epiſt. Pelag. c. 2.* dictum Chriſti Domini ſcriptum reliquit, nec illud cogitatis, parvulos vitam habere non poſſe, qui ſunt expertes corporis, & ſanguinis Chriſti.

Ex quibus ſequitur, quod quamvis non ſit de neceſſitate ſalutis in re, eſt tamen de neceſſitate ſalutis in voto, ut apertè docet Div. Thom. (*c*) in Sacramen- *c 3 p. q. 73. num. 3.* to, inquit, & eſt conſiderandum Sacramentum ipſum, quod eſt ſignum rei Sacræ, ſcilicet ipſæ ſpecies Sacramentales, quia & ſunt ſignum rei ſacræ, ſcilicet corporis Chriſti in ipſis contenti, & res ſacræ per ipſas ſignificatæ, ſcilicet corpus Chriſti in illis exiſtens; & eſt conſideranda res Sacramenti; & res hujus Sacramenti eſt unitas corporis Chriſti, ſine qua non poteſt eſſe ſalus, cum nulli pateat aditus ſalutis extra Eccleſiã,

eò

Digitized by Google

eò ferè modò, quò extra arcam Noè, quæ ſignificat Eccleſiam, nullus ſalvus factus fuit, ſed omnes perierunt præter octo animas, ut habetur ex Petro Apoſtolo, (d) qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noè, cum fabricaretur arca, in qua pauci, ſcilicet octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam. Quapropter etſi non percipiatur in re hoc Sacramentum ſufficit, quod in voto percipi intendatur, ſic docet Div. Thom. (e) res alicujus Sacramenti haberi poteſt ante perceptionem Sacramēti ex ipſo voto Sacramenti percipiendi; ac proinde ante perceptionem hujus Sacramenti poteſt homo habere ſaltem ex voto percipiendi hoc Sacramentum, ſicut & ante baptiſmum ex voto baptiſmi, ut quando quis deſiderat baptizari, ſed aliquo caſu prævenitur morte, antequam baptiſmum ſuſcipiat, talis ſine baptiſmo actuali ſalutem conſequi poteſt propter deſiderium baptiſmi, quod procedit ex fide per dilectionem operantem, per quam Deus interius hominem ſanctificat, cujus potentia Sacramentis viſibilibus non alligatur. Et licet quantum ad hoc nulla ſit differentia inter Sacramentum Euchariſtiæ, & Sacramentum baptiſmi, attamen adeſt multiplex differentia inter utrumque Sacramentum ex alio capite, ſcilicet, quod baptiſmus eſt janua omnium Sacramentorum, & eſt principium ſpiritualis vitæ, & ejus perceptio eſt neceſſaria ad inchoandam vitam ſpiritualem, taliter quod ut habetur ex Joanne, (f) niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire regnum Dei. Sacramentum Euchariſtiæ eſt quaſi communicatio ſpiritualis vitæ, & omnium Sacramentorum finis, & ejus perceptio eſt neceſſaria ad conſummandam ipſam non ad hoc, quod ſimpliciter habeatur, ſed ſufficit eam habere in voto, ſicut & finis habetur in deſiderio, & intentione. Ut etiam docet Div. Thom. (g) hoc Sacramentum ex ſeipſo virtutem habet gratiam conferendi, nec aliquis habet gratiam ante ſuſceptionem hujus Sacramenti, vel niſi in aliquo voto ipſius, vel per ſeipſum, ſicut adultis, vel voto Eccleſiæ ſicut parvulis. Et Div. Auguſt. (h) exponens illud Joannis, niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, inquit, hunc itaque cibum, & potum, ſcilicet carnis ſuæ, & ſanguinis ſocietatem vult intelligi corporis, & membrorum ſuorum, quod eſt Eccleſia in prædeſtinatis, & vocatis, & juſtificatis, & glorificatis ſanctis, & fidelibus ejus. Et in Epiſtola ad Bonifacium hoc idem ferè repetit; Nulli eſt aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis, & ſanguinis Domini participem fieri, quando in baptiſmate membrum Corporis Chriſti efficitur, nec alienari ab illis panis, caliciſque conſortio, etiamſi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc ſeculo in unitate Corporis Chriſti conſtitutus abſcedat. (i) Et libro de peccatorum meritis ita ait, ſupra eumdem locum Joannis; an verò quiſquam hoc dicere accedit, quod ad parvulos hæc ſententia Domini non pertineat, poſſintque ſine participatione corporis hujus, & Sanguinis in ſe habere vitam.

d 1. cap. 3.
e 3. p. q. 73. num. 3.
f Cap. 3.
g 3. p. q. 79. a. 1. ad 1.
h tract. 26.
i Lib. 1. c. 20.

Pariter per baptiſmum ordinatur homo ad Euchariſtiam, ſive ad Euchariſtiæ receptionem, & ob hoc, quod pueri baptizantur, ordinantur per Eccleſiam ad Euchariſtiam, & ſic ſicut ex fide credunt, ſic ex intentione Eccleſiæ deſiderant Euchariſtiam, alimentum, ſcilicet illud ſpirituale, quod habet convertere hominem in ſeipſum, ac per conſequens recipiunt rem ipſius, nam, ut ait Div. Thom. (l) poteſt aliquis in Chriſtum mutari, & ei incorporari voto mentis, etiam ſine hujus Sacramenti perceptione. Ad Baptiſmum verò non ordinatur per aliud Sacramentum præcedens, ac proinde ante ſuſceptionem baptiſmi pueri non habent aliquomodo baptiſmum in voto, bene tamen adulti, & conſequenter pueri rem Sacramenti non poſſunt percipere ſine perceptione Sacramenti, qua de cauſa breviter dicitur, quod fundamentum harum differentiarum ſtat in hoc, quod Sacramentum Euchariſtiæ per ſe habet ſalvare & in re, & in voto, cum ſufficiat deſiderium percipiendi: At Sacramentum baptiſmi per ſe habet ſalvare in re, ut conſtat in pueris, per accidens verò in voto, ut pat: in adultis, ut habetur de Valentiniano, ut refert Div. Ambroſius, (m) qui inquit, cathecumenus mortuus fuit, quem regeneraturus eram, amiſi, verumtamen ille gratiam, quam propoſcit, non amiſit.

l 3. p. q. 73. a. 3. ad 2.
m Lib. ...

Adeſt & alia differentia inter utrumque horum Sacramentum, quod licet utrumque ſit dominicæ paſſionis Sacramentum, tamen in ratione finis utrumque variat; nam baptiſmus eſt Sacramentum paſſionis Chriſti, prout homo regeneratur in Chriſto virtute paſſionis ejus; Euchariſtia verò, eſt Sacramentum paſſionis Chriſti, prout homo perficitur in unione ad Chriſtum paſſum.

Ex quo ſequitur, quod baptiſmus, qui dat eſſe primum vitæ ſpirituali, eſt ordine naturæ prior, & primo loco neceſſarius; Euchariſtia verò eſt ordine perfectionis prior, cum ſit ultima perfectio, & conſummatio omnium Sacramentorum, ut habetur ex Div. Thom. (n) baptiſmus dicitur Sacramentum fidei, quæ eſt fundamentum vitæ ſpiritualis, & ecce prioritas naturæ collocata in baptiſmo; Euchariſtia verò dicitur Sacramentum charitatis, quæ eſt vinculorum perfectionis, ut ipſemet Paulus (o) teſtatur ad Coloſſenſes, qui, poſtquam admonet illos, ut induant viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, & ſupportent invicem, & donent ſibimetipſis, ſubdit, ſuper autem hæc omnia charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis. Et quod ſit tale, manifeſtat idem Apoſtolus ad Corint., (p) dum probat omnia a charitate ſuperari, & nihil eſſe boni, quando non eſt aſſociatum unà cum charitate, unde ait, cum venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt, quaſi dicat per amorem, & charitatem, quæ ſemper remanet etiam in patria, transfuſi erimus in Deum, evacuabitur fides noſtra. Euchariſtia, cum ſit Sacramentum charitatis, à Chriſto Domino convenienter inſtituta fuit, cum ipſe ſit fons charitatis, & dilectionis, propter quam voluit non solùm tradere ſemetipſum pro nobis, ut habetur ex Apoſtolo (q) propter charitatem, qua dilexit nos Chriſtus, tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis; ſed etiam voluit, ut caput Eccleſiæ communicare bonitatem ſuam membris, ſcilicet Chriſtifidelibus, ut magis videatur ab illis manifeſtum, quod omnia benè fecit, ut habetur ex Marco, (r) benè ergo fecit Chriſtus Dominus, quando inſtituit hoc Sacramentum, maximè quia hoc Sacramentum ad ſeipſum pertinet; benè fecit ergo inſtituere hoc Sacramentum cum omnibus circumſtantibus tantæ rei convenientibus. Et Concilium Trident. (ſ) conſiderando hanc beneficientiam, quam attulit Mundo inſtitutio hujus Sacramenti, ſic ſtatuit; ergo Salvator noſter diſceſſurus ex hoc Mundo ad Patrem, Sacramentum hoc inſtituit, in quo divitias divini ſui erga homines amoris velut effudit; memoriam faciens mirabilium ſuorum; & in illius ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit, ſuamque annuntiare mortem, donec ipſe ad judicandum Mundum veniat; Quid enim mirabiliùs, quàm quod Chriſtus Dominus contineatur in Euchariſtia, ſicut in Sacramento, ut ait Div. Thom. (t) qui, antequam Concilium illa verba proferret; jam ipſe protulit; quando ipſe Chriſtus in propria ſpetie diſceſſurus erat, in Sacramentali ſpecie ſeipſum eis reliquit; de quo adducit & exemplum, ſicut in abſentia Imperatoris exhibetur veneranda ejus imago, ita nos dicimus, quod in abſentia Chriſti Domini exhibetur hoc Sacramentum, ut adoretur ejus imago in illo adoratione latriæ, ut ſtatuit & Concil. Trident. (u) nullus itaque dubitandi locus relinquitur, cum omnes Chriſtifideles pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepta latriæ cultum, qui Deo vero debetur, huic Sanctiſſimo Sacramento in veneratione adhibeant; Neque enim minus eſt adorandum, quod fuerit à Domino, ut ſumatur, inſtitutum. Nam illum eumdem Deum præſentem

n ibi ad 3.
o Cap. 3.
p 1. ad Cor. 13.
q ad Eph. cap. 5.
r Cap. 7.
ſ Seſſ. 13. cap. 2.
t 3. p. q. 73. art. 5.
u Seſſ. 13. cap. 5.

in

in eo adeſſe credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dixit, & adorent eum omnes Angeli Dei, quem Magi procidentes adoraverunt, quem denique in Galilæa ab Apoſtolis adoratum fuiſſe ſcriptura teſtatur. Et Div. Thom. (x) jam docuit, quod Chriſtus Dominus eſt adorandus adoratione latriæ propter unionem, quam ad divinitatem dicit, inquit enim, adoratio latriæ non exhibetur humanitati Chriſti ratione ſui ipſius, ſed ratione divinitatis, cui unitur, ſecundum quam Chriſtus non eſt minor Patre.

x 3 p. q. 25. art. 2. ad 1. & 3.

Inſtitutum fuit ergo & convenienter à Chriſto Domino hoc Sacramentum in cœna, in qua ultimò cum diſcipulis ſuis fuit converſatus, & hoc meritò ut non ſolùm eſſet apud homines aliquod repræſentativum Dominicæ paſſionis, verùm etiam ut in futurum eſſet memoriale ejuſdem paſſionis, ea perfecta, ideòque ſucceſſit veteri teſtamento, in quo præcipuum Sacramentum erat agnus Paſchalis in novo teſtamento Euchariſtiæ Sacramentum, quod eſt rememorativum præteritæ paſſionis, quapropter dixit, hoc quotieſcumque feceritis in mei memoriam facietis; ſicut illud fuit præfigurativum futuræ, ac per conſequens conveniens fuit, ut imminente paſſione Chriſtus Dominus celebrato priori teſtamento novum inſtitueril teſtamentum. Unde Leo Papa (y) ait, ut umbræ cederent corpori, & ceſſarent imagines ſub præſentia veritatis, antiqua obſervantia novo excluditur Sacramento. Hoſtia in hoſtiam tranſit, ſanguine ſanguis aufertur, & legalis feſtivitas, dùm mutatur, impletur.

y Serm. de paſſ. Dom.

Inſtitutum fuit & convenienter hoc Sacramentum Euchariſtiæ in ultima cœna, ut magis inflammarentur homines erga hoc Sacramentum. Sciebat enim, quod in receſſione amicorum ea, quæ dicuntur, magis memoriæ mandantur. Unde Div. Auguſt. (z) dixit; Salvator, quo vehementius commendaret myſterii hujus altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus, & memoriæ diſcipulorum, à quibus ad paſſionem digreſſurus erat; Quapropter voluit uſque ad cœnam differre hoc Sacramentum, & non antea, quia utique ſciebat, quod nondùm venerat hora ejus, ut tranſiret ex hoc Mundo ad Patrem, & ideò antequam pateretur, voluit inſtitutionem facere hujus Sacramenti Euchariſtiæ, cum illa ſit Sacramentum perfectum Dominicæ paſſionis, tanquam continens ipſum Chriſtum paſſum.

z Ep. 118. cap. 6.

Sed ſi quis diceret, quare hoc? Si jam Chriſtus eſt caput omnium hominum etiam illorum, qui fuerunt ab initio Mundi, ac proinde ut non remanerent illi privati tanto beneficio, dicendum eſt, fuiſſe potiùs conveniens inſtituere hoc Sacramentum ante Incarnationem.

At dicatur mihi quæſo, quomodo hoc fieri poterat, ſi Chriſtus Dominus ſolùm tempore paſſionis immò imminente paſſione, ut loquamur cum Div. Thom. dixit in Cœna, hoc eſt corpus meum, hic eſt calix ſanguinis mei. Quomodo ergo ante hoc tempus poterat contineri ipſum corpus Chriſti, ſi in Incarnationis Myſterium nondùm apparebat; at fuit ſatis, quod ante Incarnationem haberent locum Sacramenta illa, quæ erant præſignativa Dominicæ paſſionis, ſi autem iſta fuerint ſatis, ſatis etiam ſit ipſa ratio quærendi.

Sed quomodo, dicet quis, poteſt tolli ratio dubitandi, ſi jam ex dictis oritur quædam alia dubitatio, quæ eſt, dictum fuit, quod per baptiſmum aliquis ordinatur ad Euchariſtiam, quæ non niſi baptizatis dari debet, cum ſit Sacramentum primum, & nullum aliud præſupponat ante ipſum, ſi jam baptiſmus inſtitutus fuit poſt paſſionem, & reſurrectionem; ut apertè conſtat ex illo Matt. (a) euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti; & hoc Sacramentum Euchariſtiæ à Chriſto Domino inſtitutum fuerit imminente paſſione, ſi ergo per baptiſmum aliquis ordinatur ad Euchariſtiam, jam ille debebat præcedere iſtam.

a Cap. 28.

Verùm ut hæc etiam ratio dubitandi tollatur, dicendum eſt cum Div. Thom. (b) licet Sacramentum Euchariſtiæ ſit poſterius baptiſmo in perceptione, eſt tamen prius in intentione, ac per conſequens debuit prius inſtitui. Vel ut ſubdit Div. Thom. baptiſmus jam erat aliqualiter inſtitutus in ipſo Chriſti baptiſmo, Unde etiam aliqui ipſo Chriſti baptiſmo erant baptizati, ut habetur Joann. (c) poſt hæc venit Jeſus, & diſcipuli ejus in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat. At quomodo ſtat hoc dictum Joannis cum ſequenti? dixit prius Evangeliſta, poſt hæc venit Jeſus &c.; & illic demorabatur cum eis, & baptizabat; & poſtea dixit, quamquam Jeſus non (d) baptizaret, ſed diſcipuli ejus. Videtur ex his contradictorium aſſerere.

b 3 p. q. 73. a. 5. ad 4.

c Cap. 3.

d Cap. 4.

Sed tollitur omne contradictorium, quod apparet eſſe ex dictis Joannis; ſiquidem in re nullum eſt contradictorium. Baptizabat Chriſtus infundendo virtutem Spiritus Sancti aquis, quam virtutem virtute propria non poterant infundere Apoſtoli; non baptizabat Chriſtus, quia non agebat, ut inſtrumentum, ſicut agebant Apoſtoli, iſti enim miniſtri ſunt Sacramentorum, Chriſtus verò auctor illorum eſt & ideò tollitur contradictorium illud, quod videtur eſſe.

Diximus, quod in veteri teſtamento præcipuum Sacramentum erat agnus Paſchalis, quia volumus cum Div. Thom. (e) quod & præcipua figura hujus Sacramenti fuerit agnus Paſchalis. Aderat, non eſt dubium, oblatio Melchiſedech, qui obtulit panem, & vinum; & iſta fuit figura hujus Sacramenti, quantum ad id, quod eſt Sacramentum tantùm, quod eſt panis, & vinum. Aderant omnia ſacrificia veteris legis, præcipuè verò ſacrificium expiationis, quod erat ſolemniſſimum. Nam ſemel in anno ſolus Pontifex introibat cum ſanguine in Sancta Sanctorum, quod erat ſecundum tabernaculum, ad differentiam primi, in quod introibant Sacerdotes ſacrificia conſummantes, ut habetur ex Paulo (f) & erant figuræ hujus Sacramenti quantum ad id, quod eſt res, & Sacramentum, ſcilicet Corpus Chriſti paſſum.

e ad Heb. 3 p. qu. 73. art. 6.

f ad Hebr. cap. 9.

Aderat & Manna, quod habebat in ſe omnis ſaporis ſuavitatem, & erat figura hujus Sacramenti quantùm ad id, quod eſt res tantùm; ſcilicet effectus hujus Sacramenti. Verùm quia agnus Paſchalis quantum adhæc tria ſimul enumerata continebat in figura hoc Sacramentum, hinc eſt, quod præcipua figura ejuſdem fuit agnus Paſchalis. Et de facto agnus Paſchalis manducabatur cum panibus azymis, juxta illud Exod. (g) edent carnes, & azymos panes; Agnus immolabatur ab omni multitudine filiorum Iſrael, quartadecima luna, ut habetur ibidem, & ſervabitis eum, ſcilicet agnum uſque ad quartamdecimam diem menſis hujus, immolabitque eum univerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam; & fuit figura paſſionis Chriſti, qui propter innocentiam dicitur agnus: Præcepit enim Dominus in Exod: ibidem, quod eſſet agnus abſque macula, maſculus anniculus; & quis eſt iſte agnus abſque macula, niſi Chriſtus Dominus? de iſto enim ſolùm dicitur, non ex virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine Verbum Dei factum caro. De iſto ſolùm dicitur, Lucæ, (h) quod naſcetur ex te, ſcilicet ex Virgine, ſanctum, vocabitur Filius Dei; & rurſus quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.

g Cap. 12.

h Cap. 1.

Maſculus, ut denotetur perfectio naturæ Unde legitur Lucæ ibidem, ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum; Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur.

Anniculus, ut denotetur ejus innocentia, & de iſto dicitur, & ego tanquam agnus innocens ductus ſum ad victimam ad immolandum pro vobis; ipſe enim eſt, de quo dicitur Iſaiæ, (i) quod languores noſtros tulit, & dolores noſtros ipſe portavit; ipſe eſt, qui vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra; ipſe eſt, de quo & Paulus dixit ad Corint., (l) paſcha noſtrum, ſcilicet agnus noſter paſchalis, immolatus eſt Chriſtus. De iſto dicitur, ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi; Et ab Eccleſia ante communionem ter repetitur, ac ſi apertiùs diceret, te voco agnum magis, quàm Manna, vel

i Cap. 53.

l 1. ep. cap. 5

panem

Digitized by Google

panem, ac vinum, quia ſic plenius eſt figuratus ab agno paſchali, quàm à reliquis figuris; deinde ſi attendamus quantum ad effectum, videbimus etiam, quod agnus paſchalis ſit præcipua figura hujus Sacramenti, cum per ſanguinem agni Paſchalis protecti ſint filii Iſrael (*m*) à devaſtante Angelo. Erit autem, legitur in Exodo, ſanguis vobis in ſignum in ædibus, in quibus eritis, & videbo ſanguinem, (ſuper utrumque poſtem, & in ſuperliminaribus domorum, in quibus comedent illum,) & tranſibo vos; nec erit in vobis plaga diſperdens, quando percuſſero terram Ægypti, immò & de ſervitute ægyptiaca; Sic & nos per Sanguinem Chriſti Domini protecti ſumus ab Angelo, qui ſeducebat univerſum Mundum, & liberati ſumus ab illius ſervitute, taliter quod & nos canere poſſumus cum Eccleſia, protecti paſchæ veſpere à devaſtante Angelo, erepti de duriſſimo Pharaonis Imperio; & ideò ex his omnibus videtur, quod quantum ad iſta tria agnus Paſchalis continebat in figura hoc Sacramentum, juxta doctrinam Div. Thom. (*n*) tùm hic docentis, quantùm ad hoc ponitur præcipua figura hujus Sacramenti agnus Paſchalis, quia ſecundum omnia ipſum repræſentat. (*o*) Tùm in alio loco, agnus Paſchalis præcipuè fuit figura hujus Sacramenti, quantum ad paſſionem Chriſti, quæ repræſentatur per hoc Sacramentum.

m Cap. 12.
n 3. p. q. 73. num. 6.
o 3. p. q. 80. a. 10. ad 2.

Super quæſtionem ſeptuageſimam quartam.

De Materia Euchariſtiæ quantum ad ſpeciem.

CUm hoc Sacramentum Euchariſtiæ detur fidelibus per modum alimenti ſpiritualis; hinc eſt, quod debet deſcribi materia illi conveniens; hæc autem non poteſt eſſe, niſi panis, & vinum aqua tamen permixtum, ut excludantur errores tùm antiquorum, tùm noviſſimorum hæreticorum circa hanc materiam inſanientium, quarum hæreſum excluſio habetur ex ipſa veritate, quæ errare nequit, neque habet deludere mentes hominum; ſiquidem quando inſtituit hoc Sacramentum, voluit illud inſtituere ſub ſpecie panis, & vini, ut conſtat ex Matt. (*a*) & cæteris Evangeliſtis, accepit namque Jeſus panem, benedixit, fregit, deditque diſcipulis ſuis dicens, accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum; & accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens, accipite ex eo omnes, hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti &c. In quo calice erat vinum de vite, ut teſtatur Lucas, (*b*) dico vobis, quod non bibam degeneratione vitis, &c.

a Cap. 26.
b Cap. 22.

De quantitate verò materiæ ad hoc Sacramentum deſervienti videtur dicendum, quantitatem materiæ hujus Sacramenti determinari per comparationem ad uſum fidelium abſolutè, licet numerus fidelium indeterminatus ſit, ex quo capite dicitur quantitas materiæ hujus Sacramenti indeterminata. Panis ergo, & vinum eſt materia hujus, verumtamen non omnis panis eſt materia ejuſdem, ſed tantùm triticeus, & rationabiliter, quoniam creditur & Chriſtus inſtituiſſe hoc Sacramentum in hujus panis triticei ſpecie, & quia magis conſortat hominem, & quia convenientiùs ſignificat effectum hujus Sacramenti. Quapropter utique neceſſariam eſt, quod ut perficiatur Sacramentum, ſit panis triticeus; verumtamen non eſt de neceſſitate Sacramenti, quod ſit azimus, vel fermentatus, cum in unoquoque confici poſſit. Obſervandum tamen eſt, quod tàm Latini conficiendo in azymo, quàm Græci in fermentato debent ſervare ritum ſuæ Eccleſiæ, ne peccent. Et ſicut panis triticeus eſt materia propria hujus Sacramenti, ita vinum ex vite ad excluſionem aliorum liquorum, qui ſolùm dicuntur vinum ſecundum quamdam ſimilitudinem ad vinum vitis, ad excluſionem aceti ob corruptionem jam factam de vino in acetum, ad excluſionem agreſtæ, quæ cum ſit in via generationis, nondùm habet ſpeciem vini; debet ergo eſſe vinum ex vite, cui tamen debet permiſceri aqua, & hoc principaliter ob repræſentationem Dominicæ paſſionis, eò quia ex latere Chriſti in Cruce pendentis exivit ſanguis, & aqua, quæ tamen permixtio aquæ ad vinum non eſt de neceſſitate Sacramenti; conſtat enim, quod effuſio ſanguinis directè pertinet ad Chriſti paſſionem, quoniam naturale eſt corpori humano, ut ex eo profluat ſanguis. Effuſio verò aquæ non fuit de neceſſitate paſſionis, ſed ad demonſtrandum effectum paſſionis, qui eſt ablutio à peccatis, & refrigerium contra ardorem concupiſcentiæ. Non debet tamen apponi aqua in magna quantitate, ne ſolvatur ſpecies vini, ſed in parva, & maximè quando vinum eſt debile.

Euchariſtia, cum ſit Sacramentum, debet habere omnia illa, quæ ad Sacramenti rationem requiruntur; ad rationem autem Sacramenti in Communi ſcilicet non ſolùm requiritur, quod ſit aliqua res ſenſibilis, quæ rationem materiæ habet, & elementum dicitur, juxta illud Auguſtini tract. in Joan. (*c*) accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, quo in loco indubitatum eſt, ipſum Sanctum Doctorem loqui de elemento ſenſibili, puta de aqua, oleo, pane, vel vino; verùm etiam requiritur, quod ſint aliqua verba, quæ rationem formæ habent; ſicut & Apoſtolus apertè dixit ad Epheſ. (*d*) Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ. Si ergo requirantur & res determinatæ ſenſibiles, & determinata verba in omnibus Sacramentis, non erit poſtea dubitandum; quod & in hoc Sacramento Euchariſtiæ, cum ſit præcipuum inter alia, ut jam diximus, requirantur & determinatæ res ſenſibiles, quæ ſunt panis, & vinum, & determinata verba, quæ ſunt forma, eò maximè, quia hæc omnia habemus tradita à Chriſto Domino, quando hoc Sacramentum inſtituit. Habemus namque Matt. (*e*) quod Jeſus accepit panem, benedixit, fregit, deditque diſcipulis ſuis dicens, accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum, & accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens, accipite ex eo omnes, hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, quod pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.

c tract. 8.
d cap. 5.
e Cap. 26.

Ex quibus apertè videmus & materiam, ſive elementum, ſive rem ſenſibilem, & formam, & etiam utramque determinationem explicare. Ergo materia hujus Sacramenti non eſt, niſi panis, & vinum, aqua tamen permixtum, ut colligitur non ſolùm ex Epiſtola Alex. Papæ, (*f*) in Sacramentorum oblationibus panis tantùm, & vinum aqua permixtum in Sacrificium offeratur; ſed etiam ex Doctrina Div. Thom. (*g*) dicentis, quod in tantùm vinum debet aqua miſceri, in quantum & creditur probabiliter, quod Dominus hoc Sacramentum inſtituerit in vino aqua permixto, & ut habeat etiam locum illud Proverb. (*h*) bibite vinum, quod miſcui vobis; & in quantum quod eſt repræſentativum Dominicæ paſſionis, eò quia ex ejus latere exivit ſanguis, & aqua, ut habetur ex Joan. Evangeliſta; (*i*) Ideòq; inquit Alex. Papa loco citato, non debet in calice Domini, aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed utrumque permixtum, quia utrumque ex latere ejus in ſua paſſione profluxiſſe legitur: & in quantum hoc convenit ad ſignificandum effectum hujus Sacramenti, qui eſt unio populi Chriſtiani ad Chriſtum, unde Julius Papa Epiſt. ad Epiſcopos Ægypti, dicit, videmus in aqua populum intelligi, in vino verò oſtendi ſanguinem Chriſti, quod deſumpſit ex illo Joannis in ſua Apocalypſi (*l*) in qua legitur, quod aquæ populum deſignant, aquæ, quas vidiſti, ubi meretrix ſedet, populi ſunt, & gentes, & linguæ.

f ad eod. fideles.
g 3 p. q. 74 num. 6.
h Cap. 6.
i Cap. 19.
l Cap. 17.

Hæc Doctrina Div. Thom. confirmata fuit ab eodem dum ait. (*m*) In aqua intelligitur fides, quæ latet, & nutritur in aquis; In vino, quod lætificat, & accendit, intelligitur ſpes. In pane, qui confirmat, & reficit, intelligitur charitas. Vel in pane, qui corroborat, intelligitur Pater, qui eſt omnium fortitudo. In vino, quod lætificat, intelligitur Filius, qui

m Opuſc. 58.

eſt

Digitized by Google

eſr gaudium omnium noſrrum, quod nemo tollet à
nobis. In aqua, quæ mundat, & lavat, intelligitur
n Cap. 36. Spiritus Sanctus. Unde Ezech. (*n*) effundam ſuper
vos aquam mundam, & mundabimini abomnibus in-
quinamentis veſtris. Vel in aqua intelligitur munditia
caſtitatis, in pane fortitudo, & opera pietatis, in vi-
no, quod accendir, rectitudo intentionis: Myſticè.
Prædicta doctrina Div. Thom. corrobata videtur ex
o Seſſ. 22. cap 7. Concilio Tridenr. (*o*) in quo ſtatutum fuir, monet ſan-
cta ſynodus, præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdoti-
bus, ut aquam vino in calice offerendo miſcerent:
tùm quod Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur,
tùm etiam quia è latere ejus aqua ſimul cum ſanguine
exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur,
& cum aquæ in Apocalypſi Beati Joannis populi di-
cantur, ipſius populi fidelis cum Capire Chriſto unio
p Cap. 9. repræſentatur. (*p*) Et rurſus decrevit, ſi quis dixerit,
aquam non miſcendam vino in calice offeren-
do, quod ſit contra Chriſti inſtitutionem; anathema
ſit.

Concilium ſtatuit, præceptum eſſe ab Eccleſia Sa-
cerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miſce-
rent, per quæ verba Concilii jam videtur, quod illa
permixtio aquæ non ſit de neceſſitate Sacramenti,
aliàs ſi eſſet, non eſſet opus, quod hæc admixtio ab
Eccleſia præciperetur. Er de facto ultrà auctoritatem
u Seſſ. 3. Epiſt. 3. Div. Cypriani (*q*) dicentis, ſi aliquis de anteceſſori-
bus noſtris, vel ignoranter, vel ſimpliciter non ob-
ſervavit, ut ſcilicet aquam vino miſceret in Sacra-
mento, poteſt ſimplicitati ejus veniam concedi, quæ ta-
men venia concedenda non eſſet, ſi aqua eſſet de ne-
ceſſitate Sacramenti, & requireretur ex vi Sacramen-
ti, quod vino admiſceretur.

Ultrà auctoritatem Concilii Florentini, ubi Euge-
nius Quartus repræhendit Armenos, quod relinquen-
tes hanc mixtionem ab univerſæ Eccleſiæ obſervatio-
ne recederent; ex qua auctoritate videtur manifeſtè,
quod illa permixtio aquæ non eſr de neceſſitate Sacra-
menti, aliàs quomodo Pontifex amitteret hanc gravio-
rem repræhenſionis cauſam, & non aſſignaret illis pœ-
nam contra præceptum Domini amiſſum.

3 p q. 74. ſap. 7. Ultrà has auctoritates docet Div. Thom. (*r*) quod
iſta admixtio aquæ in hoc Sacramento non eſt de neceſ-
ſitate ejuſdem, id enim, quod in Sacramento confi-
ciendo adhibetur, ut ſignum, non eſt materia Sa-
cramenti neceſſaria, & quia adhibetur, ut ſignum in
confectione Sacramenti, nam ait Div. Thom. appoſi-
tio aquæ ad vinum refertur ad ſignificandam participa-
tionem hujus Sacramenti à fidelibus, & quantum ad
hoc, quod per aquam mixtam vino ſignificatur popu-
lus adunatus Chriſto, & quia per aquam ſignificatur
ablutio peccatorum, quæ fiebat per paſſionem Chriſti,
in qua licet exierit ſanguis, & aqua, nihilominus ta-
men effuſio ſanguinis directè, & immediatè ad paſſio-
ſ ib. ad 2. nem Chriſti pertinebat, non autem effuſio aquæ, ſed
tantùm indirectè, & mediatè; juxta Div. Th. (*ſ*) effu-
ſio ſanguinis directè pertinebat ad ipſam Chriſti paſſio-
nem, cum naturale ſit corpori vulnerato, ut ex eo
ſanguis profluat; effuſio verò aquæ non fuit de neceſ-
ſitate paſſionis, ſed ad demonſtrandum effectum paſ-
ſionis, qui eſt ablutio à peccatis, & refrigerium con-
tra ardorem concupiſcentiæ. Etſi admixtio aquæ ad
farinam ſit de neceſſitate Sacramenti, non per hoc ſe-
quitur deducendum eſſe, quod etiam admixtio aquæ
ad vinum debeat eſſe de neceſſitate hujus Sacramenti:
Siquidem nonnè videtur manifeſtum, quod niſi admi-
ſceretur aqua ad farinam, numquam reſultaret panis;
reſultaret tamen vinum etiam abſque ulla admixtio-
t ad 1. ib. ne aquæ ad vinum; & ideò ait Div. Thom. (*t*) quod
aqua eſt de eſſentia panis, non autem de eſſentia vini.
Unde non eſt de neceſſitate, quod aqua admiſceatur
vino in hoc Sacramento: & ita aqua, quæ admiſceri
debet in hoc Sacramento vino, debet eſſe pura, non
verò admixta aliqua qualitate, pura roſacea, vel al-
terius qualitatis accidentaliter illi advenientis: nam
ex aqua cum iſtis qualitatibus, ſive liquoribus adiun-
ctis non poteſt confici hoc Sacramentum, ſed debet
eſſe pura, ſicut Chriſtus purus eſt. Quapropter ait Div.
Thom. (*u*) quod quia admixtio aquæ ad vinum non u ad 3. ib.
eſt de neceſſitate Sacramenti, non refert quantum ad
Sacramenti neceſſitatem, quæcumque aqua miſcea-
tur vino, ſive naturalis, ſive artificialis, ut roſacea.
Quamvis quantum ad convenientiam Sacramenti pec-
cet, qui aliam aquam miſcet, niſi naturalem, & ve-
ram. Quoniam de latere Chriſti in Cruce pendentis
aqua vera profluxit, non humor phlegmaticus, &
hoc quia Corpus Chriſti erat verè compoſitum ex qua-
tuor elementis, quæ ſunt terra, aqua, aer, & ignis,
ſicut per ſanguinem fluentem videbatur eſſe compoſi-
tum ex quatuor humoribus, qui ſunt ſanguis, chole-
ra, phlegma, & melancolia, idcircò cum corpus
Chriſti verè eſſet compoſitum ex quatuor elementis, &
inter iſta quatuor enumeretur aqua, & aqua, quæ eſt
elementum, ſit vera aqua, jam conſtat, quod aqua,
quæ fluxit ex latere Chriſti in ejus paſſione, vera aqua
fuit; & iſta aqua, licet aqua pura fuent, miraculosè
tamen egreſſa fuir à corpore Chriſti mortuo, ut aſſe-
rit Div. Thom. (*x*) comprobando ſimul etiam quæ x 3. p q 66 n. q. ad 3.
diximus modò. Aqua fluens de latere Chriſti penden-
tis in Cruce non fuit humor phlegmaticus, fuit autem
vera aqna, ſed miraculosè egrediens à corpore mor-
tuo, ſicur & ſanguis ad comprobandam veritatem
Dominici corporis, (contra Manichæorum errorem,
aſſerebant enim iſti, Chriſtum non fuiſſe verum ho-
minem, ſed phantaſticum) ut ſcilicet per aquam,
(quæ eſt unum quatuor elementorum) oſtenderetur
corpus Chriſti verè fuiſſe compoſitum ex quatuor ele-
mentis, per ſanguinem verò oſtenderetur eſſe compo-
ſitum ex quatuor humoribus.

Iſta autem aqua, quæ miſceri debet in hoc Sacra-
mento Euchariſtiæ, non debet in magna quanritate,
ita quod ſenſibiliter cadat ſub guſtu, ſed debet eſſe in
parva quantitate, ita ur ſenſibiliter ſub viſu cadat;
ſic habetur ex Concilio Florentino decreto pro arme-
nis, materiam calicis eſſe vinum de vite, cui ante
conſecrationem modiciſſima aqua admiſceri debet.
Nec hoc caret myſterio, nam in vino Chriſtum, in
aqua populos, & grates deſignari confirmatur ex Julio
Papa dicente, ſi vinum tantùm quis offerat, ſanguis
Chriſti eſſe incipit ſine nobis, ſi verò aqua ſit ſola,
plebs incipit eſſet ſine Chriſto. Et denique docet Div.
Thom. (*y*) ſufficit ad Sacramenri hujus ſignificatio- e 3. p. q 74. n. 8, ad 1.
nem, quod ſentiatur aqua ſcilicet, quod videatur
aqua, quando apponitur vino, non verò oportet,
quod ſit ſenſibilis poſt mixtionem ſcilicet quod guſte-
tur. Eò maximè quia ſequitur opinionem probabilio-
rem illorum, qui dicunt aquam converti in vinum, &
vinum in ſanguinem. Sic & Innocentius Tertius de
celebratione Miſſarum (*a*) ſentit, & rurſus ſuam a ca. Martha.
mentem expreſſir (*b*) his Verbis; Quibuſdam non
abſurdum eſſe videtur, quod aqua cum vino tranſit in b Lib. . de myſteriis Miſſae. 10
ſanguinem, ea .ſ. ratione, quod aqua per admixtio-
nem tranſit in vinum, & vinum per conſecrationem
in ſanguinem; quis enim ambigat aquam in vinum
tranſire, cum multo vino modicum aquæ inſunditur.
Concordar etiam Catechiſmus Romanus (*c*) de Eu- c num. 18.
chariſtia, dum ibi legitur, illud aurem Sacerdotibus
animadvertendum eſt, ut quemadmodum in ſacris my-
ſteriis aquam vino adhibere oportet, ſic etiam modi-
cam infundendam eſſe; nam Eccleſiaſticorum ſcri-
ptorum ſententia, & judicio aqua illa in vinum con-
vertitur. Quomodo autem fieri hoc poſſet, quod aqua
converteretur in vinum, ſi apponeretur non modi-
cum, ſed magna quantitas de aqua? Tutiùs ergo eſt,
parum de aqua apponere, & præcipuè ſi vinum ſit de-
bile, quia ſi tanta fieret appoſitio aquæ, ut ſolveretur
ſpecies vini, non poſſet perfici Sacramentum; & ſe-
quendo hanc opinionem non ſolùm reiicit errores mul-
torum, & eorum ſcilicet, de quibus fit mentio in Con-
cilio Bracharenſi Tertiò, iſti namque lac pro vino
conſecrabant, alii mel; alii aquam, ut refert Epi-
phanius hæreſi trigeſima, unde & aquarii appellantur.
Alii, quos ſupreſſo nomine Div. Thom. (*d*) itar,
& fortaſsè ſuntArariſtæ, Cataphrigæ, Gnoſtici, d 3 p. q 74. n 8.
Mani-

Digitized by Google

Manichæl, ſervabant pannum lineum muſto intinctum per totum annum, & tempore ſacrificii partem illius panni linei lavabant, & illam aquam conſecrabant; verùm etiam ſequendo illam reprobat aliorum opiniones, quarum prima eſt, quod aqua adiuncta vino per ſe remanet vino converſo in ſanguinem. Secunda eſt; quod ſicut vinum convertitur in ſanguinem, ita aqua convertitur in aquam, quæ de latere Chriſti fluxit, & meritò illas reprobat, & primam, tùm quia totum quod eſt in calice, non poſſet adorari adoratione latriæ, ſi ibi aqua remaneret, & totum, quod eſt in calice, non converteretur in ſanguinem; tùm quia in Sacramento Altaris poſt conſecrationem nihil eſt, niſi corpus, & ſanguis Chriſti; Unde Div. Ambro-
e Lib. de offic. cap. 9. ſius (e) ait, ante benedictionem illa ſpecies nominatur, poſt benedictionem corpus Chriſti ſignificatur.

Reſpuit & ſecundam, quia eſſet aſſignanda duplex converſio cum duplici forma, una qua aqua in aquam, fluxam à latere Chriſti, & alia, qua vinum in ſanguinem Chriſti converteretur, quod eſt, quod dicit Div. Thom., ſecundum hoc aqua ſeorſum conſecraretur à vino, ſicut vinum à pane. Unde ſequitur Div. Tho. opinionem, & ut melius dicamus, ſententiam, & judicium Eccleſiaſticorum ſcriptorum, quæ eſt, quod aqua in vinum convertitur, hæcque non poſſet converti in vinum, niſi apponeretur parum de aqua, ut habetur etiam per Honorium Pontificem, (f) perni-
f Lib. 3. decret. de celebr. Miſſæ 13. cioſus, inquit, in tuis partibus inolevit abuſus, ſcilicet quod in majori quantitate de aqua in ſacrificio ponitur, quod de vino, cum ſecundum conſuetudinem rationabilem Eccleſiæ generalis longè plus vini, quàm aquæ adhibendum ſit; ergo non in magna, ſed in parva quantitate apponenda eſt aqua, ut in vinum converſa habeat & ſuam ſignificationem .ſ. quod populus incor-
g loc. cit. ad 2. poretur Chriſto, quod eſt, quod docet Div. Thom. (g) ſi aqua omninò non apponeretur, excluderetur totaliter ſignificatio; ſed cum aqua in vinum convertitur, ſignificatur, quod populus Chriſto incorporatur: nec ſatis eſt, quod apponatur aqua ante celebrationem Sacramenti, ſiquidem ultrà quod eſſet ridiculum ponere guttam aquæ in toto dolio, cum nullus ſit, qui velit celebrare cum dolio ante ſe poſito, eſſet etiam falſum, & erroneum; requiritur ergo ſolùm, quod ponatur aqua circa ipſam celebrationem Sacramenti, quod non eſt ridiculum, ut habetur etiam ex Div. Thom.,
h Ib. ad 3. (h) ſi aqua apponeretur dolio, non ſufficeret ad celebrationem hujus Sacramenti: ſed oportet aquam vino apponi circa ipſam celebrationem Sacramenti; Quando verò apponenda ſit aqua, vel antequã incipiatur Miſſa privata (excludimus ſolemnem, cum prò iſta non militet ratio,) vel antequam offeratur calix; quamvis uterque modus in Eccleſia ſit receptus, attamen Patres noſtri à primordiis Religionis elegerunt tutiorem partem, unde & juſſerunt non ſolùm pauciſſimam aquam, verùm etiam ipſam aquam ante Miſſæ privatæ initium Calici infundi, ne quantitas aquæ obeſſet, & ut majus adeſſet tempus, quo vinum in ſuam naturam aquam traheret, & fieret materia idonea conſecrationis. Ex hucuſque ergo dictis remanet explicatum circa illa verba Alexandri Papæ, in Sacramentorum oblationibus panis tantùm, & vinum aqua permixtum in ſacrificium offeratur; & præcipuè circa ly vinum aqua permixtum.

Modò autem circa totam illam auctoritatem dicemus, quod Div. Thom. (i) illam aſſumit pro fun-
i 3p. q. 74. art. 1. damento, ut excludantur errores multorum, immò & diverſorum malè ſentientium circa materiam hujus Sacramenti; Quidam namque fuerunt, qui offerebant panem, & caſeum in hoc Sacramento; dicebant enim, quod à primis hominibus oblationes de fructibus terræ, & oviũ celebratæ fuerunt fundantes ſuum dictũ
l Cap. 4. in illo Gen. (l) factum eſt autem poſt multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino, Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum: non tamen conſiderabant iſti, quod hæc potiùs expectabant ad legem ſcriptam, in qua ex præcepto Domini, (ut habetur ex illo Exodi, (m) omne, quod aperit vulvam generis maſculini, meum m Cap. 34.
erit; Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo Domini Dei tui) offerebantur primitiæ frugum terræ, & offerebantur, Deo oves, & boves, quorum carnes licet expreſſius repræſentent paſſionem Chriſti, nihilominus tamen minus competant ad communem uſum hujus Sacramenti, quam panis, & vinum, quæ ſunt materia hujus Sacramenti conveniens; ſicut ait Divus Thom., (n) quantum ad uſum Sacramenti, qui eſt n Ib. in c.
manducatio; quia ſicut aqua aſſumitur in Sacramento Baptiſmi ad uſum ſpiritualis ablutionis, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua, ita panis, & vinum, quibus communiùs homines reficiuntur, aſſumuntur in hoc Sacramento ad uſum ſpiritualis manducationis, ſubdit etiam Divus Thom., (o) minus o 3. p. q. 74.
etiam competunt carnes animalium occiſorum ad Ec- p. ad 1.
cleſiaſticam unitatem ſignificandam, quod eſt id, quod docet Div. Thom., quantùm etiam ad effectũ reſpectu totius Eccleſiæ, quę conſtituitur ex diverſis p 1. Corin. cap. 10.
granis, & vinum fluit ex diverſis racemis, ut ait Gloſſa (p) ſuper illud Pauli, quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes, qui de uno pane participamus.

Sed quare non dicitur, omnes, qui de uno pane, *& de uno calice* participamus? Ad hoc pro nunc dicitur, quod non eſt neceſſe, ut omnes, qui accipiunt corpus Chriſti, etiam ſanguinem accipiant, maximè loquendo de laicis, quod non currit de Sacerdotibus offerentibus, qui verum offerunt ſacrificium, unde iſti & ſumere debeant corpus, & ſanguinem. Ideòque ait Div. Thom., quod panis, & vinum quantum ad paſſionem Chriſti, in qua ſanguis eſt à corpore ſeparatus, conveniens materia eſt hujus Sacramenti, ac proinde in hoc Sacramento, quod eſt memoriale Dominicæ paſſionis, ſeorſum ſumitur panis, ut Sacramentum corporis, & vinum, ut Sacramentum Sanguinis. Quod totum confirmat Concilium Trident. q Seſſ. 21. cap. 1.
(q) ubi habetur, ſancta ipſa Synodus à Spiritu Sancto edocta, atque ipſius Eccleſiæ judicium, & conſuetudinem ſecuta, declarat, ac docet, nullo divino præcepto laicos, & clericos non conficientes obligari ad Euchariſtiæ Sacramentum ſub utraque ſpecie ſumendum, neque ullo pacto (ſalva fide) dubitari poſſe, quin illis alterius ſpeciei communio ad ſalutem ſufficiat. Nam etſi Chriſtus Dominus in ultima cœna, venerabile hoc Sacramentum in panis, & vini ſpeciebus inſtituit, & Apoſtolis tradidit, non tamen illa inſtitutio, & traditio eò tendunt, ut omnes Chriſti fideles, ſtatuto Domini ad utramque ſpeciem accipiendum aſtringantur. Sed neque ex ſermone illo apud Joannem Capite ſexto rectè colligitur, utriuſque ſpeciei communionem à Domino præceptam eſſe. Utrumque juxta varias Sanctorum Patrum, & doctorum interpretationes intelligatur. Namque qui dixit, niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, dixit quoque, ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et qui dixit, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: dixit etiã panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro Mundi vita. Et denique qui dixit, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo: dixit nihilominus, qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Inſuper declarat, quamvis Redemptor noſter, (ut antea dictum eſt) in ſuprema illa cœna hoc Sacramentum in duabus ſpeciebus inſtituerit, & Apoſtolis tradiderit, tamen fatendum eſſe etiam ſub altera tantùm ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, utrumque Sacramentum ſumi, ac propterea quoad fructum attinet, nulla gratia neceſſaria ad ſalutem eos defraudari, qui unam ſpeciem ſolam accipiunt.

Rurſus, ſi quis dixerit, Sanctam Eccleſiam Catholicam (r) non juſtis cauſis, ac rationibus adductam r can. 2 Ib.
eſſe, ut laicos, atque etiam clericos non conficientes ſub panis tantummodò ſpecie communicaret, aut in

eo

Digitized by Google

f can. 3. Ib. eo erraſſe; anathema ſit. (f) Rurſus, ſi quis negaverit totum, & integrum Chriſtum omnium gratiarum fontem, & actorem ſub una ſpecie panis ſumi, quia, ut quidam falsò aſſerunt, non ſecundum ipſius Chriſti inſtitutionem ſub utraque ſpecie ſumatur, anathema ſit.

Quidam fuerunt, ut Cataphrigæ, & Pepuſiani, quod de infantis ſanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquebant, quaſi Euchariſtiam ſuam conficere perhibebantur, miſcentes enm farinæ, panemque inde faciente.

Sed quæſo, dicant mihi iſti, vel alii pro ipſis, ubi hæc didicerunt, à qua ſcriptura, à quo codice, à quo doctore hæc perceperunt? Conſiderent iſti, & reflectent, quod illud, quod eſt horribile, Deo non eſt ſacrificandum; quid enim horribilius eſt miſcere panem cum ſanguine? Erat nauſea populo Iſraelitico manducare Manna in deſerto, etiam ſi continebat in ſe omnis ſaporis ſuavitatem, & non erit poſtea nauſea populo Chriſtiano panem cum ſanguine manducare? Aut ignorantia, aut malitia eſt iſta; ſi ignorantia eſt, non verecundentur diſcere ea, quæ dignè præcipienda ſunt de hoc Sacramento; Si verò malitia eſt, digni ſunt, ut enumerentur inter hæreticos. Quidam fuerunt, qui offerebant aquam ſolam ſub ſpecie ſobrietatis in hoc Sacramento; ſed iſti non videbant, quomodo inſtitutionem Chriſti Domini circa hoc Sacramentum rejiciebant, & novam faciebant; Chriſtus namque Dominus inſtituit hoc Sacramentum ſub ſpecie panis, & ſub ſpecie vini, & non ſub ſpecie aquæ, quapropter non aqua, ſed vinum, & panis ſunt materia hujus Sacramenti conveniens; ideòque corpus Chriſti ſub ſpecie panis pro ſalute corporis, ſanguis verò ſub ſpecie vini pro ſalute animæ offertur; (t) ſicut dici-
t Cap. 17. tur Levit. quod anima carnis in ſanguine eſt: Quia tamen per concomitantiam corpus Chriſti ſub ſpecie panis eſt unà cum ſanguine, hinc eſt, quod veriſſimum eſt, quod diximus, non eſſe neceſſe, ut omnes, qui accipiunt corpus, & ſanguinem accipiant; & hoc totum, quod eſt dictum à nobis unà cum Div.
u Seſſ. 13. cap. 3. Thom. pleniùs habetur ex Sacro Concil. Trid. (u) determinante, quapropter veriſſimum eſt tantumdem ſub altera ſpecie, aut ſub utraque contineri, totus enim, & integer Chriſtus ſub ſpecie panis, & ſub quavis ipſius ſpeciei parte, totus item ſub ſpecie vini, & ſub ejus partibus exiſtit; & rurſus ſtatuit, (x) ſi
x Ib. can. 3. quis negaverit, in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub unaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione ſacta, totum Chriſtum contineri; Anatema ſit.

Diximus, quod requiruntur determinatæ res ſenſibiles, puta vinum, & panis, ad hoc ut unà cum determinatis verbis confici poſſit hoc Sacramentum Euchariſtiæ; & hoc ut intelligamus, quod licet determinetur materia circa hoc Sacramentum, non tamen determinatur quantitas circa idem: quapropter erraverunt illi, qui dixerunt, Sacerdotem non poſſe conſecrare immenſam quantitatem panis, aut vini; V. G. totum panem, qui venditur in foro, & totum vinum, quod eſt in dolio; & magis erraverunt, dicentes, hoc eſſe ad irriſionem Sacramenti, eò quia ignoraverunt, quod & poteſtas Sacerdotis ad duo ordinatur, & ad effectum proprium, & ad finem effectus; & ſecun-
y 3 p. q. 74. art. 2. ad 2. dum non tollit primum, ait Div. Thom., (y) qua de cauſa ſi Sacerdos intendat conſecrare corpus Chriſti propter aliquem malum finem, V. G., ut irrideat, vel veneficia faciat, peccat utique propter intentionem mali finis, ſed perficit Sacramentum propter poteſtatem ſibi datam.

Et etiam quia ignoraverunt, quod in omnibus habentibus materiam ratio determinationis materiæ ſumitur ex ordine ad finem, ut clarè patet in ſerra, cujus materia eſt ferrum, ut ſit apta ſectioni, ſiquidem per illam ordinatur ad ſcindendum, ut ad finem; cum autem ratio determinationis materiæ hujus Sacramenti debeat ſumi in ordine ad finem, & finis hujus Sacramenti ſit uſus fidelium, quorum numerus eſt indeterminatus, ut ait Div. Thom. (z) numerus fidelium, z Ib. ad 1.
ad quorum uſum ordinatur hoc Sacramentum, non eſt determinatus; jam benè ſequitur, quod illi ignoraverunt dicentes, Sacerdotem non poſſe conſecrare totum panem, qui venditur in foro, nec totum vinum, quod eſt in dolio. Et eò maximè quia ignoraverunt hæc dicentes, quia non viderunt, neque intellexerunt, quomodo quantitas materiæ hujus Sacramenti determinatur non per comparationem ad uſum fidelium, qui hic, & nunc occurrunt, alioquin Sacerdos paucos habens parochianos, non poſſet multas hoſtias conſecrare, ſed determinatur per comparationem ad uſum fidelium abſolutè, quorum numerus, ut jam diximus, non eſt determinatus; ſi ergo numerus fidelium indeterminatus eſt, quomodo poſtea dicendum erit, quod quantitas materiæ hujus Sacramenti debeat eſſe determinata? Forſan dicetur hoc, quia videtur, quod ſi quis baptizetur in mari, non tota aqua maris ſanctificatur per formam baptiſmi, ſed ſolùm illa aqua, qua corpus baptizati abluitur? ſed & circa hoc etiam ignoraverunt, nam aſſerere hoc idem dicendum eſſe de Sacramento Euchariſtiæ in ordine ad quantitatem materiæ ejuſdem Sacramenti eſt pati igno- a Ib. ad 3.
rantiam; quod apertè manifeſtat Div. Thom., (a) dùm docet, Sacramentũ baptiſmi perficitur in uſu materiæ, ideòque per formam baptiſmi non plus de aqua ſanctificatur quàm quanta venit in uſum; hoc eſt, tanta aqua ſanctificatur, quanta ſufficere poteſt, ut corpus baptizati abluatur, quod fit, vel per immerſionem, vel per aſperſionem, vel per effuſionem; cæterum hoc Sacramentum perficitur in conſecratione materiæ, ideòque quanta erit materia, tanta poterit à Sacerdote conſecrari, ſi pauca, pauca, ſi magna, magna; ſufficit enim, quod reperiatur ſubſtantia ad hoc, ut reperiatur vera materia hujus Sacramenti, quod idem dicitur de vino, ad hoc ut poſſit à Sacerdote conſecrari; nõ enim determinavit Chriſtus Dominus quantitatem materiæ hujus Sacramenti.

Diximus, requiri determinatam panis materiam, ut hoc Sacramentum confici poſſit, quamvis illa determinata materia afferat ſecum indeterminatam quantitatem panis ejuſdem; verùm quia ex multis frugibus terræ confici poteſt panis, cum confici poſſit ex tritico, hordeo, ſpelta, & Farre; hinc eſt, quod nos determinare debemus, de quo pane fieri debeat debita, ac propria materia hujus Sacramenti; Quapropter nos rejicimus omnia alia genera panis præter ipſum genus panis triticei, & noſtra rejectio fundamentum accipit ab ipſo fonte veritatis, qui eſt Chriſtus Dominus, ipſe enim hoc manifeſtum reliquit, quando & ſeipſum grano frumenti comparavit; unde habetur ex Joanne, (b) niſi granum frumenti cadens in b Cap. 12.
terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.

Dicatur mihi quæſo, ſi Chriſtus mortuus non fuiſſet, nos à peccatorum vinculis fuiſſemus liberati? Neutiquam. Nam venit filius hominis quærere, & ſalvum c Cap. 19.
facere, quod perierat, ut habetur Lucæ, (c) ergo quia mortuus fuit, multum fructum, ſalutem ſcilicet attulit Mundo: eò quia à ſervitute iniqui Pharaonis tartarei regni principis liberati, & hoc quia redempti ejus ſanguine ſumus; ob quam redemptionem vocari filii Dei meruimus, ut ipſe Joannes (d) dixit, ut filii d 1. p. cap. 3.
Dei nominemur, & ſimus; ob illam utique redemptionem, ut nos ne in ſuperbiam elati, ſed in humilitate noſtra morantes cognoſcamus, & fateamur ſimul, quod non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſolùm ſecundum ſuam magnam miſericordiam (e) ſal- e ad Tit. cap. 3.
vos nos fecit, ut Paulus teſtis eſt: ergo ex Chriſto Domino, qui verè granum frumenti eſt, noſtra ſalus advenit.

Et quod ita ſit, nonne iſtud granum frumenti fuit illud, ex quo multiplicatæ fuerunt ſegetes, ſcilicet Apoſtoli, ut poſtea rederent fructum temporibus ſuis? Ad Apoſtolos utique dixit Jeſus, Joannis, (f) poſui vos, f Cap. 15.
ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat; Eatis utique in Mundum univerſum, & fructum affe-

Digitized by Google

afferatis prædicando, unde prædicare Evangelium omni creaturæ, omnibus populis, & fructus veſter maneat, nam qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.

Iſtud granum frumenti, quod eſt Chriſtus Dominus, fuir illud, ex quo multiplicatæ fuerunt ſegetes ſcilicet Martyres, qui non metuentes ſupplicia, atque tormenta deriſerunt inſaniam Tyrannorum, utpotè quia iſti non habent majorem poteſtatem, niſi occidendi corpus, ultrà hoc non habent amplius, quid faciant; ac proinde non timendi ſunt, ſicut & Chriſtus g Cap. 10. nos docuit Matt. (g) nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed potius timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam. Iſti irrigaverunt agros ſanguine ſuo, & ſecerunt fructum æternitatis.

Granum iſtud fuit, quod raliter pullulavit, ut citò produxerit ſrumentum, unde Div. Ignatius, quamvis ad martyrium traheretur, & ad beitias damnatus eſſet, nihil expavit, ſed forti animo dixit, frumentum Chriſti ſum, dentibus beſtiarum mollar, ut panis mundus inveniar; recordabatur illius verbi ſummi Magiſtri, dùm cæpit lavare pedes diſcipulorum, dixit h Cap. 13. enim illis, Joannes, (h) vos mundi eſtis, ſed non omnes, nam & Judas accepit illud granum frumenti, quando accepit bucellam, & tamen immundus remanſit, propterea dixit, nos eſtis mundi omnes, etenim qui manducat indignè, judicium ſibi manducat, & bibit. Unde reus erit corporis, & ſanguinis Domi- i Cap. 27. ni, ſic Reus ſuit Judas, (i) qui reatus ſui pœnam præmium ſumpſit, dum laqueo ſe ſuſpendit Matt. Iſtud eſt illud granum ſrumenti, quod licet ab infidelibus, & hæreticis conculcetur, attamen in Eccleſia Dei ſemper pullulat, & creſcit, raliter quod in horreis Eccleſiæ ſemper ſrumentum perſeverat, hoc eſt Sacramentum Euchariſtiæ, quia eſt unitatis Sacramentum, & ideò jure meritò Chriſtus Dominus, ut omnes eſſent unanimes in Domino, inſtituere voluit Sacramentum hoc ſub ſpecie panis triticei, & propter unitatem denotandam, & quia etiam magis videtur conſonum Dominicæ paſſionis propter ſuavitatem, l Cap. 9. ut verificetur illud Matt.; (l) quod Chriſtus dixit, jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve; quapro- m loc. cit. ad 4. pter ait D. Thom., (m) quod hoc Sacramentam pertinet ad jugum ſuave Chriſti ad veritatem jam manifeſtatam, quia lux venit in Mundum, ut illuminaret omnes, qui in tenebris ſedebant, ad populum ſpiritualem, ad illum ſcilicet populum, qui fuit carnali commercio teparatus per Myſterium Incarnationis; ob hanc rationem excluditur panis ordaceus, utporè quia cum aſperior ſit, haber eriam magis exprimere duritiem veteris legis propter ipſam duritiem panis, immò & ipſum populum nondum expoliatum carnali deſiderio, quod tanquam palea cordi ejus inhærebat.

Nec tantùm excluditur panis ordeaceus, ut non ſit materia hujus Sacramenti, verùm etiam & ille panis, qui conficitur ex ſpelta, & ſarre, quia licet aliquam ſimilitudinem figuræ cum tritico habeant, nihilominus tamen, quia talis ſimilitudo figuræ videtur ſignificare magis propinquitatem, quàm identitatem ſpeciei, hinc eſt, quod ex ſimilibus ſpeciebus panis confecti ex ordeo, ſpelra, & ſarre, non poteſt confici hoc Sacramentum, ideòque ex talibus frumentis, quæ nullo modo poſſunt ex ſemine tritici generari, nequit confici panis, qui ſir materia debita hujus Sacra- n Ib. ad 2. menti; non ſic de ſiligine, cum ſiligo generari poſſit ex ſemine tritici: Unde Div. Thom., (n) ſi frumenta ſunt, quæ ex ſemine tritici generari poſſunt, (ſicut ex grano tritici ſeminato in malis terris, puta in terra humida, & arenoſa, naſcitur ſiligo.) ex tali frumento panis confectus poteſt eſſe materia hujus Sacramenti ſicut & poteſt eſſe materia ejuſdem ille panis, qui aliquam parvam permixtionem haber alterius frumenti, cum illa parva permixtio ſpeciem non ſolvat; id enim, o Ib. ad 3. air Div. Thom., (o) quod eſt modicum, quodammodo aſſumitur à plurimo, quod nequit dici, ſi magna permixtio fieret, tunc enim ſpeciem mutaret, ac per conſequens panis ex iſta confectus non eſſet debita materia hujus Sacramenti, & eadem ratio currit de corruptione panis, ſi tanta eſſet, quod ſolveretur ſpecies panis, ſicut quando continuitas ſolvitur, & ſapor, & color, & alia accidentia mutantur, unde ex tali materia non poteſt confici corpus Chriſti, poteſt tamen confici hoc Sacramentum, ſi non eſſet tanta corruptio, quæ ſpeciem ſolvat, licet eſſer tantùm aliqua diſpoſitio ad corruptionem, quod declarat aliqualis immutatio ſaporis, nihilominus tamen docet Divus Thom., (p) quod conficiens ex rali pane peccaret p Ib. ad 4. propter irreverentiam Sacramenti; iſta enim reverentia Sacramenti anteponenda eſt cuicumque neceſſitati, cum hoc Sacramentum in re ſuſceptum non ſit ſimpliciter neceſſarium, quando commodè haberi non poteſt.

Et quia poteſt dari caſus neceſſitatis maximæ, V. G. vel quis moriatur, vel curreret dies magnæ ſolemnitatis, hinc eſt, quod diximus, quod ſi quis in tali caſu neceſſitatis conſecraret, in pane facto ex ſiligine, non peccaret; etiam per Div. Thom., ſiquidem ex eodem Div. Thom. habetur, quod panis ex tali materia confectus poteſt eſſe materia hujus Sacramenti, utpotè quia non eſt diſſimilis à frumento, ſed ex ipſius ſemine generari poteſt.

Deinde excluditur amidum, cum ſit ex tritico corrupto, ac proinde panis ex eo confectus non videtur, quod poſſit fieri corpus Chriſti per Div. Thom. (q) q Ib. ad 4.

Ex quibus omnibus ſatis conſtat, quod ex omnibus terræ frugibus nulla ſit magis apta, immò & neceſſaria pro materia hujus Sacramenti, quàm ipſe panis triticeus, neceſſarium quidem eſt, ait Div. Thom., ut ſit panis triticeus, ſine quo non perficitur Sacra- r 3. p. q. 74. art. 4. mentum.

Verùm cum panis triticeus dividatur in azymum, & fermentatum, hinc eſt, quod non de neceſſitate materiæ circa hoc Sacramentum conſideratio hujus diviſionis venit, ſed ſolùm de convenientia ejuſdem, juxta Div. Thom. dicentem, non eſt autem de neceſſitate Sacramenti, quod ſit azymus, vel fermentatus, quia in utroque confici poteſt; & de facto videmus, quod latini in azymo, & græci in fermentaro conficiunt ritè hoc Sacramentum.

Diximus, quod Græci conficiunt hoc Sacramentum in fermentato, quia pro Græcis intelligimus loqui pro Eccleſiis Græcis, & præsbyteris abſolutè, & non pro ſchiſmaticis; & quod ſic debeat intelligi, jam habetur maniſeſtè ex Div. Thom. dicente, ſuper hoc autem ſunt diverſæ Eccleſiarum conſuetudines, ac proinde conveniens eſt, ut unuſquiſque ſervet ritum ſuæ Eccleſiæ in celebratione Miſſarum. Sic etiam definitum ſuit à Concilio Florentino ſeſ. ultima in literis Sanctæ unionis, his verbis, definimus in azymo, ſive fermentato pane triticeo, corpus Chriſti veraciter confici; quid quid ſomniaverunt Calviniſtæ afferebant enim panis deficientis loco ſubrogari omne eſculentum Relinquamus narrare deliramentum cujuſdam, de quo refert Adrianus Hoſtadius, (ſ) non dubitavit quidam ſ Serm. 8. de Euch. miniſter impiæ ſuperſtionis, fruſtulis panis deficientibus ad cœnam, orbicularem particulam ſarciminis, quod vulgò appellatur *Salciccia* ſingulis porrigendi.

Nihilominus tamen conſuetudo de pane azymo celebrandi rationabilior videtur eſſe, tùm quia ipſe Chriſtus Dominus die Azymorum, quo nihil fermentatum in domibus Judæorum eſſe debebat, (ut haberur Exodi, (t) in die primo non erit fermentum in t Cap. 12. Domibus veſtris,) inſtituit hoc Sacramentum; ſicut haberur & Matt. (u) ubi legitur, prima autem die u Cap. 26. azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum dicentes: ubi vis, paremus tibi comedere Paſcha? & poſtea ſequitur, veſperè autem facto diſcumbebat cum duodecim diſcipulis ſuis, & edentibus illis dixit, amen dico vobis, quia unus veſtrum me traditurus eſt: & quod tunc inſtituerit hoc Sacramentum, conſtat ex jis, quæ ſequuntur, cænantibus autem eis accepit Jeſus panem (qui eſſe non poterat, niſi azymus juxta legalia, in die

primo

primo Azymorum non erit fermentum in domibus veſtris) & benedixit, ac fregit, doditque diſcipulis ſuis, & ait, accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum. *x Cap. 14.* Habetur & Marc., (*x*) & primo die Azymorum, quando paſcha immolabant, dicunt diſcipuli, quò vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Paſcha? & poſtea, veſpere autem facto venit cum duodecim, & diſcumbentibus eis, & manducantibus, ait Jeſus, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum, & deinde, & manducantibus illis, accepit Jeſus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait, ſumite, hoc eſt corpus meum. Habetur & Lucæ, (*y*) venit autem dies azymorum, in qua *y Cap. 22.* neceſſe erat occidi paſcha, & miſit Petrum, & Joannem dicens, euntes, parate nobis paſcha, ut manducemus, & cum facta eſſet hora, diſcubuit & duodecim Apoſtoli cum eo, & accepto pane gratis egit, & fregit, & dedit eis dicens, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem.

Et ne quis nobis redarguat, dicendo, quod prima dies azymorum erat ſolemniſſimus, in quo celebrabatur ſolemnitas azymorum, ſicut & græci volunt, quod Judæi ſecundum legem incipiebant uti azymis in die Paſchæ, quod celebratur quartadecima luna: ideò dicendum eſt, quod quando legitur in Exodo, in primo die non erit fermentum in domibus veſtris, per primam diem intelligi debet veſpere diei antecedentis, & quod ita ſit, apertè colligitur, tùm ex illo Exodi, ubi *z Cap. 12.* (*z*) loquendo de agno, quem immolare debebant, ſic legitur, & ſervabitis eum, uſque ad quartamdecimam diem menſis hujus, (qui apud nos dicitur Martius,) immolabitque eum univerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam, nec tantùm immolare, & manducare illum debebant veſpere, ſicut ſequitur, & edent carnes noſte ilia, (quæ erat ſcilicet præcedens ad diem ſolemnitatis) aſſas igni, & azymos panes cum lactucis agreſtibus, ergo ſignum eſt, quod veſpere in domibus Judæorum non debebat reperiri fermentum, ergo ſi Chriſtus Dominus inſtituit hoc Sacramentum in cœna, illud inſtituit in azymo, ut legalia [illegible], maximè quia ipſemet Chriſtus Dominus dixit, non veni *a Cap. 5.* (*a*) ſolvere legem, ſed adimplere.

Tum ex illo Levitici, Menſe primo quartadecima *b Cap. 23.* die menſis (*b*) hujus ad veſperum Phaſe Domini eſt, *c Cap. 12.* ſcilicet tranſitus Domini; ut legitur Exodi, (*c*) ubi ſtatim ſubditur, & tranſibo per terram Ægypti nocte illa, ſi nocte tranſivit, & nox præcedit diem, in quo tenebantur poſtea Judæi celebrare ſolemnitatem Domino in generationibus ſuis. Quid clariùs, quod in veſperis non debebat eſſe fermentum in domibus Judæorum? Maximè etiam quia in eodem loco dicitur primo menſe quartadecima die menſis ad veſperum comedetis azyma uſque ad diem vigeſimam primam ejuſdem menſis ad veſperam. Et poſtea in Levit. loco citato legitur, & quintadecima die menſis hujus ſolem- *d Cap. 28.* nitas azymorum Domini eſt; tùm ex illo Num: (*d*) ubi legitur menſe autem primo quartadecima die menſis Phaſe Domini eſt, & quintadecima dies ſolemnitas Et *e 3. p. q. 74. art. 4. ad 1.* Div. Thom. (*e*) ait, ſolemnitas paſchalis incipiebat in veſperis decimæ quartæ lunæ, & tunc Chriſtus poſt immolationem agni Paſchalis hoc Sacramentum inſtituit.

Ex quibus omnibus deducendum eſt, Joannem non *f Cap. 13.* diſſentiri huic veritati, quando dixit, (*f*) ante diem feſtum Paſchæ; ſiquidem vorba Joannis faciunt hunc *g Il ad 1.* ſenſum, ante illam primam diem feſtivam, ut explicat Div. Thom., (*g*) dum ait hæc dies à Joanne dicitur præcedere diem Paſchæ, & à tribus aliis Evangeliſtis dicitur prima dies Azymorum, quod fermentatum in domibus Judæorum non inveniebatur. Et hoc juxta il- *h 3. p. q. 46. art. 9. ad 1.* lud, quod docuit Div. Th. cum autem, inquit dicitur à Jo: (*h*) ante diem feſtum Paſchæ, intelligitur hoc fuiſſe decima quarta luna, quod tunc evenit feria quinta, nam luna exiſtente decima quinta erat dies Solemniſſimus Paſchæ apud Judæos. Et ſic eumdem diem, quem Joannes nominat ante diem feſtum Paſchæ propter diſtinctiooem naturalem dierum, Matthæus cum reliquis Evangeliſtis nominat primum diem azymorum, quia ſecundum ritum Judaicæ feſtivitatis ſolemnitas incipiebat à veſpera præcedentis diei; & ſic unanimi conſenſu omnium Evangeliſtarum conſtat, quod Chriſtus Dominus cum prima die azymorum ad præcedentem veſperam cænaverit, & azymis tantùm uſus fuerit, jam ſequitur, ſecundum omnes illos in azymo, non in fermentato Chriſtum confeciſſe hoc Sacramentum.

Pariter nec redarguat quis nobis dicendo, quod ſtantibus omnibus his, adhuc tamen non eſt conficiendum in azymis, ne fortè judaizemus. Siquidem eſſemus utique digni repræhenſione, ſi conficiendo ex azymo intenderemus ſervare cæremonias legis: at quia conficiendo ex azymo ſolùm intendimus conformare inſtitutioni Chriſti, ideò non judaizamus, ſed illam judaizationem omninò tollimus, atque deſtruimus, ſequendo ſententiam Leonis Papæ (*i*) dicentis, & quod anti- *i Ser. 7. de Paſ. Dom.* qua obſervantia novo excluditur Sacramento, & quod legalis feſtivitas, dùm mutatur, impletur; ergo nos non judaizamus celebrando hoc Sacramentum in azymo, ſicut & tenemus, quod nec illi, qui contra nos arguunt, judaizent conficiendo hoc Sacramentum in fermentato, cum nec illi intendant ſervare legalia, nam & Judæi panes primitiarum fermentatos offerebant; quapropter ſi iſti non judaizant, quare nos poſtea judaizabimus conficiendo in azymo? cum hoc etiam magis competat ſinceritati fidelium, quæ requiritur ad uſum hujus Sacramenti, & quod conſecratio azymi panis conveniat integritati, & mentis munditiæ, quam fideles ad hoc Sacramentum afferre debent; Apoſtolus nos *l p. cap. 5.* docet, ad Corint. (*l*) dùm inquit, expurgate vetus fermentum, emundate ſcilicet conſcientiam veſtram, ſi corrupta eſt per peccatum, (nam & fermentum habet aliquid corruptionis,) ut ſitis nova conſperſio, lavati ſcilicet per ſanguinem Chriſti, ſicut eſtis azymi, propter ſinceritatem fidei, in qua ſemper permanere debetis, etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, itaque epulemur non in fermento malitiæ, & nequitiæ, cum prava ſcilicet voluntate accedendi ad hoc Sacramentum, ſed in azymis ſinceritatis, & veritatis cum propoſito emendandi, & non redeundi ad priſtinas iniquitates, ut nos etiam admonet Paulus ad Co- *m Cap. 3.* loſ. (*m*) expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum; Unde Div. Thom. ibid. dicit, quod propter hoc magis convenit ſinceritati fidelium in azymo celebrare, cum ſinceritas fidelium magis requiratur ad uſum hujus Sacramenti. Deinde *n 3. p. q. 74. art. 4.* ait Div. Thom., (*n*) quod rationabiliter in azymo confici debet à Latinis hoc Sacramentum, quia panis eſt propriè Sacramentum corporis Chriſti, (quod ſine corruptione conceptum eſt,) magis quàm divinitas ipſius; quapropter ut nos infrà videbimus, Corpus Chriſti in hoc Sacramento eſt ex vi Sacramenti, anima autem, & divinitas ex concomitantia. Et diximus, quod ſine corruptione conceptum eſt, ut magis exprimatur ratio conficiendi hoc Sacramentum in azymo; quia quamvis fermentum ſignificet charitatē propter aliquem effectum, quia ſcilicet panem facit ſapidiorem, & majorem, attamen corruptionem ſignificat ex ipſa ratione ſuæ ſpeciei; & quia poteſt eſſe tanta corruptio fermenti, ut ex ipſo confici non poſſit hoc Sacramentum, ideò rationabilior videtur conſuetudo ex pane azymo conficiendi, & celebrandi. Rationabilior utique conſuetudo, ſiquidem ex hoc nolumus conſuetudinem, qua Patres Græci utuntur in conficiendo ex fermento, eſſe irrationabilem, cum & talis conſuetudo habeat aliquam rationem propter ſignificationem, quam tangit Gregorius in deteſtationem hæreſis Nazaræorum, qui legalia Evangelio miſcebant. Sic notat Div. Th. (*o*) lib. contra Gentes, ex eodem Gregorio, Romana *o Libr. 4. cap. 49.* Eccleſia offert azymos panes, propterea quod Dominus ſine ulla commixtione carnem ſuſcepit: ſed cæteræ Eccleſiæ offerunt fermentatum pro eo, quod Verbum Patris indutum eſt carne, & eſt verus homo, ſicut & fermentum commiſcetur farinæ. Et ut aſſerunt quidam

G ex

Digitized by Google

ex Patribus latinis, uti ſunt Richardus, Scotus, Durandus, & alii, Romana Eccleſia aliquando infermentato conſecravit; Et Div. Thomas (p) in libr. Sent. ſit teſtatur; Hunc morem (celebrandi in azymo) Romana Eccleſia ab Apoſtolis, qui ipſam fundaverunt, accepit, ut Innoc. Tertius dicit. Sed poſtea, ut dicit Leo Papa, imminente hæreſi Ebionitarum, qui dicebant ſimul cum Evangelio legalia obſervanda, Sancti Patres ne eis conſentire viderentur, voluerunt ad tempus, inſtinctu Spiritus Sancti, ex fermentato confici Sacramentum; poſtea ceſſante illa hæreſi Eccleſia Romana ad priſtinum morem rediit. [p nist. 12. q. 2. art. 2. quæst. 3.]

Utraque ergo conſuetudo conficiendi in azymo, & in fermentato rationabilis eſt, & cum ſit laudabilis, nemo ſit, quod privata auctoritate, aut potiùs temeritate laudabilem Eccleſiæ ſuæ ritum immutare præſumat; ſed quilibet Sacerdos ſervare debet ritum ſuæ Eccleſiæ per ſe loquendo, ne incurrat aliquo crimine non ſervando has conſuetudines. Obligatur itaque Sacerdos Græcus, dummodò vivat inter Græcos, & Sacerdos Latinus, dummodò vivat inter Latinos, conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ ſervare. Hoc diximus, quia ſi non viverent apud ſe, non peccaret Sacerdos Græcus conficiendo in azymo, utpotè quia hoc videmus clarum, dum Eccleſia Romana permittit Romæ templa græca, in quibus ex azymo conficiunt.

Et deſumitur totum, quod diximus ex Div. Thom. ſicut peccat Præsbyter in Eccleſia Latinorum celebrans de pane fermentato, ita peccaret Præsbyter Græcus in Eccleſia Græcorum celebrans de pane azymo, quaſi pervertens Eccleſiæ ſuæ ritum.

Euchariſtiæ Sacramentum habet pro materia panem, & vinum & de pane ſatis dictum fuit, quod debet eſſe triticeus; de vino autem modò dicendum eſt, quod debet eſſe vinum ex vite, ut excludantur alii liquores, ſicut illos excludit Div. Thom. (q) [q 3. p. q. 74. art. 5. ad 2] malorum granatorum, mororum, aut ſimilium, qui liquores non dicuntur propriè vinum, ſed ſecundum multitudinem: & rurſus ait Div. Thom., propriè vinum dicitur, quod de vite ſumitur, alii verò liquores vinum dicuntur ſecundum quamdam ſimilitudinem ad vinum vitis; quod propria materia hujus Sacramenti eſt, cum ad materiam Sacramentorum aſſumi debeat id, quod propriè, & communiter habet talem ſpeciem.

Vinum ergo ex vite debet eſſe, & neceſſariò, quia ſicut Chriſtus Dominus comparavit ſe grano frumenti, quando dixit, niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, ita comparavit ſe viti, quando dixit, ego ſum vitis vera; & ideò (r) ſicut [r Joannes cap. 15.] panis triticeus eſt materia hujus Sacramenti, ita & vinum & hoc, meritò, quia ex vite vinum propriè, & fideliter fit.

Bene autem dixit, ego ſum vitis, quia caput exiſtit omnium Sacramentorum, vos autem palmites, quia tantùm miniſtri illorum. (ſ) [Cap. 6.] Ego ſum vitis, ſed Pater meus agricola eſt; quia veni in Mundum, non ut facerem voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me. Ego ſum vitis, vos autem palmites, quapropter mementote, quod ſicut palmes non poteſt facere fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi in me manſeritis; manete ergo in me, & ego in vobis, nam qui manet in me, & ego in eo; hic fert fructum multum, non tamen ex ſemetipſo, ſed gratia mei, eo quia ſine me nihil poteſtis facere; ac proinde ſine me, hoc eſt abſque mea inſtitutione Sacramentorum facere non poteſtis, quod vinum ex vite, cui me comparavi, tranſeat in ſanguinem.

Vinū ex vite, hoc eſt in ſua natura ad excluſionē aceti, in quo non reperitur ſpecies vini, cum vinum fiat acetum per corruptionem; non ſic de vino aceſſenti, cum iſtud non ſit totaliter corruptum, ſed ſolùm in via ad corruptionem; peccat tamen conficiens propter irreverentiam Sacramenti. Pariter debet eſſe vinum ex vite ad excluſionem agreſte, quæ eſt in via generationis, & nondum habet ſpeciem vini; Unde Div. Thom. (t) de ea non poteſt confici Sacramentum. Non tamen ad excluſionem muſti, ſiquidem iſtud [t q. art. 74. a. 5. ad 3.] jam habet ſpeciem vini, ac proinde de iſto poteſt confici Sacramentum. Etſi prohibeatur, ne muſtum ſtatim expreſſum de uva in calice offeratur, hoc ſolùm prohibetur ob impuritatem muſti: & dicitur, Nota, prohiberi, non autem omninò vetari, quia in neceſſitate poteſt fieri teſte Jnlio Papa dicente, ſi neceſſe fuerit, botrus in Calice prematur.

Ad excluſionem tandem uvarum integrarum, quæ non debent miſceri huic Sacramento, quia jam eſſet ibi aliquid præter vinum, de primo ergo ad ultimum vinum ex vire requiritur neceſſariò ad hoc Sacramentum, & hoc ut obediamus auctori Sacramentorum, qui eſt Chriſtus Dominus, cum jam ipſemet inſtituerit hoc Sacramentum ex vino vitis, ut habetur manifeſtum tùm ex illo Matt. (u) non bibam amodò de [u Cap. 26] hoc genimine vitis uſque in diem illum; Quo in loco Chriyſoſtomus (x) ait, de genimine vitis, quæ certè vinum, non aquam producit; & hoc etiam, ut de- [x Hom 83. in Matt.] ſtruatur hæreſis illorum, qui, ut diximus, aquam ſolam in hoc Sacramento adhibendam ſenſerunt, propterea Aquarii appellantur. Tùm ex Marco idem dicente, tùm ex Luca non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et meritò debet eſſe vinum ex vite etiam quantum ad effectum, cum ut ait Div. Thom., vinum vitis magis competit ad effectum hujus Sacramenti, qui eſt ſpiritualis lætitia, (y) ſicut [y Pſ. 103.] ſcriptum eſt in lib. Pſalmorum, & vinum lætificat cor hominis. Quænam eſt major lætitia, quam quod gratia Dei fruatur, quæ eſt effectus hujus Sacramenti? de quo poteſt etiam dici illud, quod in proverbio dici ſolet, in vino veritas; nam ex hoc vino verè fit ſanguis Chriſti, ſicut ex pane caro Chriſri; Unde habemus in ſequentia Corporis Chriſti ex Div. Thom. dogma datur Chriſtianis, quod in carnem tranſit panis, & vinum in ſanguinem. Et noſter Magiſter Gonet hic inquit, panis, & vinum ſunr cibus, & potus corporis, ita Sacramentum hoc inſtitutum per modum convivii eſt cibus, & potus animæ. & in utroque ſenſum reddunt verba Sapientiæ, (z) venite, & comedite panem [z Proverb. cap. 9.] meum, bibite vinum, quod miſcui vobis.

Super Quæſtionem ſeptuageſimam quintam.

De converſione panis, & vini in corpus, & Sanguinem Chriſti.

NOn defuerunt quidam hæretici male ſentientes de veritate hujus Sacramenti, aſſerebant enim iſti corpus, & ſanguinem Chriſti eſſe in hoc Sacramento, ſicut in figura, vel ſigno; Capur horum fuit Berengarius, qui de abyſſo in abyſſum deſcendens dixit etiam, quod integra natura ſubſtantiæ panis, & vini remanet poſt conſecrationem in Euchariſtia accidentaliter coniuncta Corpori Chriſti; Quos tamen errores ut ſpurios rejecit Berengarius, & ſub Nicolao ſecundo, & ſub Gregorio ſeptimo; Hos & coactus fuit revocare, & veritatem fidei confiteri; Verumtamen proh dolor exclamat quidam Gulielmus de ipſomet Berengario, iſte planè quamvis ſententiam correxerit, omnes tamen, quos ex totis terris depravaverat, convertere nequivit, adeò peſſimum eſt alios exemplo, aut verbo à bono infirmare, quia fortaſſis peccatum te gravabit alienum, cum deletum fuerit tuum. Proculdubio prophetavit ille Gulielmus, ſiquidem inſurrexerunt duo falſi teſtes oppugnantes veritatem fidei Orthodoxæ, nempe Calvinus, & Lutherus; primus negabat veram præſentiam, & realem Corporis, & ſanguinis Chriſti in hoc Sacramento Euchariſtiæ. Secundus defendit integram ſubſtantiam panis, & vini

rema-

remanere poſt conſecrationem. Contra quos ſtat doctrina D. Th. in primo, & in ſecundo articulo hujus quæſtionis; Tùm ob illud, quod ſpectat ad perfectionem novæ legis; Sacramenta veteris legis illud verum ſacrificium paſſionis Chriſti continebant ſolùm in figura, ſecundum illud Apoſtoli ad Hebræos, umbram habens (*a*) lex futurorum bonorum, non ipſam rerum imaginem; ideòque oportuit, ut aliquid plus haberet Sacramentum novæ legis à Chriſto inſtitutum, ut ſcilicet contineret ipſum Chriſtum paſſum, non ſolùm in ſignificatione, vel figura, ſed etiam in rei veritate, properea dicitur, corpus Chriſti non eſt in hoc Sacramento, ſicut corpus in loco, quod ſuis demenſionibus loco commenſuratur, ſed quodam modo ſpeciali, qui eſt proprius huic Sacramento; hinc & dicitur, quod corpus Chriſti eſt in diverſis altaribus, non ſicut in diverſis locis, ſed ſicut in Sacramento. Tum quia error Lutheri contrariatur formæ hujus Sacramenti, in qua dicitur, hoc eſt corpus meum, quod non eſſet verum, ſi ſubſtantiam panis remaneret, numquam enim ſubſtantia panis eſt corpus Chriſti, ſed potius eſſer dicendum, hìc eſt corpus meum: Et Div. Ambr. (*b*) lib. de myſteriis initiandis, inquit; Quantis utimur exemplis, ut probemus non hoc eſſe, quod natura formavit, ſed quod benedictio conſecravit? majoremque eſſe vim benedictionis, quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipſa mutatur? Virgam tenebat Moyſes, projecit eam, & facta eſt ſerpens. Et paulò poſt ſubdit; quod ſi tantùm valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipſa conſecratione divina, ubi verba ipſa homini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum iſtud, quod accipit, Chriſti ſermone conficitur. Quod ſi tantùm valuit ſermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret, non valebit Chriſti ſermo, ut ſpecies mutet elementorum? de totius Mundi operibus; legitis; quia ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt. Sermo ergo Chriſti, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non poteſt, quæ ſunt in id mutare, quod non erant? non enim minus eſt novas rebus dare, quàm mutare naturae

a Cap. 10.

b Cap. 9.

Ex quibus ſequitur, quod ſubſtantia panis, & vini non annihiletur poſt conſecrationem, quoniam Corpus Chriſti incipit eſſe in hoc Sacramento per converſionem ſubſtantiæ panis in ipſum, ſi per converſionem ſubſtantiæ panis in ipſum, cum converſio non poſſit ſtare cum annihilatione, importat enim iſta totalem deſitionem, per quam quod deſinit, tendit ad purum nihil, jam non annihilatur. Propterea dicit Div, Thomas, quod ſubſtantia panis, vel vini facta conſecratione neque ſub ſpeciebus Sacramenti manet, neque alibi. Non tamen ſequitur, quod annihiletur; convertitur enim in corpus Chriſti. Quæ converſio non eſt ſimilis converſionibus naturalibus, nam iſtæ fiunt per corruptionem formæ antecedentis, & acquiſitionem formæ ſubſequentis manente eodem ſubiecto, ſed eſt omninò ſupernaturalis, ſola Dei virtute effecta, eſtque mutatio totius panis categorematice accepti, hoc eſt totum in actu, & ſimul acceptum, in totam ſubſtantiam corporis Chriſti. Hinc Div. Tho. ait, Deus cum ſit actus infinitus, habet perficere converſionem totius entis, ut ſcilicet tota ſubſtantia hujus convertatur in totam ſubſtantiam illius. Et hoc agitur divina virtut in hoc Sacramento, nam tota ſubſtantia panis convertitur in totam ſubſtantiam Corporis Chriſti, & tota ſubſtantia vini in totam ſubſtantiam ſanguinis Chriſti; unde hæc converſio non eſt formalis, ſed ſubſtantialis; nec continetur inter ſpecies motus naturalis, ſed proprio nomine poteſt dici tranſubſtantiatio.

Et quamvis tota ſubſtantia panis tranſubſtantietur in totam ſubſtantiam corporis Chriſti, (& ſic de ſubſtantia vini,) tamen adhuc manent accidentia panis, & vini, & congruenter per divinam providentiam hoc factam fuit, non enim conſuetum eſt homini, ſed illi horribile & carnem hominis manducare, & bibere ſanguinem, adeòque juxta ſtatutum naturæ proponuntur nobis caro, & ſanguis Chriſti ſumenda ſub ſpeciebus panis, & vini; & ne fiat irriſio infidelium malè dicentium de nobis, quod nos deſttueremus Deos, ſi ſub ſpecie propria Dominum noſtrum manducaremus; & tandem ut fides locum habeat; cum fides ſit de eo, ad quod ſenſus non attingit. Remanent igitur accidentia panis, & vini, ſine ſubiecto, hoc eſt abſque eo, quod remaneat forma ſubſtantialis panis, certum eſt enim, quod ſi forma ſubſtantialis panis remaneret, nihil de pane converteretur in corpus Chriſti, niſi ſola materia, & ſic ſequeretur, quod non converteretur in corpus Chriſti totum, ſed in ejus materiam, quod repugnat formæ Sacramenti, qua dicitur, hoc eſt corpus meum.

Hujuſmodi autem converſio, cum ſit infinitæ virtutis Dei, de cujus poteſtate eſt ſubitò operari, conſequenter eſt inſtantanea; ſtatim namque poteſt materiam ad formam diſponere. Ut patet quando Chriſtus dixit Ephetha, quod eſt adaperire, ſtatim namque apertæ ſunt aures hominis, & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus. Concludamus tamen, & dicamus, quod dum dicimus, quod de pane fit corpus Chriſti, vel quod panis fit corpus Chriſti, vel quod panis erit corpus Chriſti, utique poteſt concedi ſecundum quamdam ſimilitudinem; ſi tamen nomine Panis non intelligatur ſubſtantia panis, ſed in univerſali hoc, quod ſub ſpeciebus panis continetur, ſub quibus prius continerur ſubſtantia panis, & poſtea corpus Chriſti; diximus enim, quod aliquid de pane remanet, ſcilicet accidentia panis.

Euchariſtiæ Sacramentum, ut potiſſimum inter cætera Sacramenta, gaudet hoc peculiari modo, ſcilicet quod in illo ſolo Chriſtus Dominus continetur verè, realiter, ac ſecundum veritatem, nullatenus autem in ſigno, vel ſecundum figuram; taliter quod ſi quis auderet hoc aſſerere, incideret in hæreſim, in quam olim incidit Berengarius primus auctor hujus erroris, dùm aſſeveranter dixit, panem, & vinum Euchariſtiæ eſſe ſolùm ſignum corporis Chriſti, ac per conſequens Euchariſtiam verè, & realiter non continere Chriſti carnem, & ſanguinem, ſed ſolùm figurativè; fuiſſe autem tunc temporis hæreſim, nullum eſt dubium, cum jam in Concilio Vercellenſi ſub Leone Papa nono illa propoſitio Berengarii anathematizata fuerit: Et in Concilio Romano ſub Nicolao ſecundo, in quo retractavit ſuum errorem his verbis, ego Berengarius, indignus Sancti Mauritii Andegavenſis Eccleſiæ diaconus, cognoſcens veram, Catholicam, & Apoſtolicam fidem, anathematizo omnem hæreſim, præcipuè eam, de qua hactenus infamatus ſum, quæ aſtruere conatur, panem, & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem, ſolummodo Sacramentum, & non verum corpus, & ſanguinem Jeſu Chriſti eſſe. Et in alio Concilio Romæ celebrato ſub Gregorio Septimo alium errorem, in quem inciderat, abiuravit, ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, per myſterium ſacræ orationis, verba noſtri Redemptoris, ſubſtantialiter converti in veram, ac propriam, & vivificam carnem, & ſanguinem Jeſu Chriſti Domini noſtri, & poſt conſecrationem eſſe verum Chriſti corpus, quod natum eſt ex Virgine, & quod pro ſalute Mundi in Cruce pependit. Unde ut tu vides & ejus errores damnati fuerunt, & ipſe fuit coactus illos revocare, & veritatem fidei confiteri.

Sed proh dolor veritatem, quam ipſe confeſſus fuit, alii facti ipſo pejores rejicierunt, inter quos fuit Calvinus, qui veluti Lucifer traxit multos poſt ipſum ut veritatem, quam ſemper Eccleſia Catholica docuit, oppugnarent; immò & Evangelium, in quo continetur omnis veritas; cum omnia, quæ in ipſo continentur, fuerint facta, & pronunciata ab ore Chriſti Domini, qui verax eſt, & in cujus ore numquam inventum fuit mendacium. Ipſe enim dixit, *Lucæ*, (*c*) hoc eſt cor- c Cap. 22.

pus meum, quod pro vobis datur Verba iſta ita ſunt certa, ut Cyrillus ſuper hunc locum non poteſt niſi dicere, non dubites, an hoc verum ſit, ſed potius ſuſcipe verba ſalvatoris in fide, cum .n. ſit veritas, non mentitur. Et D. Hilarius (*d*) ſcripſit de veritate carnis, & ſanguinis Chriſti, cum ex ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra caro ejus verè ſit cibus, relictum non eſſe ambigendi locum. Et Div. Ambroſius (*e*) inquit, ſicut verus Dei Filius eſt Dominus Jeſus Chriſtus, ita vera Chriſti caro eſt, quam accipimus, & verus ſanguis ejus eſt potus. (*f*) Rurſus ait, verum Chriſti corpus in hoc Sacramento ſumi, ſicut verum ex Virgine ſumptum eſt; idque certiſſima fide tenendum eſt; & alio in loco, ante conſecrationem panem ibi eſſe, poſt conſecrationem autem carnem Chriſti.

d De Trinitate.
e Libr. de Sacram.
f Lib. 4. Ib.

Nec mirum ſi ſenſu deprehendi non poteſt, ſiquidem ſenſu ſolùm viſibilia attingimus; corpus autem Chriſti Domini in hoc Sacramento cum ſit modo ineffabili, eſt etiam modo inviſibili, ac proinde attingere inviſibile non eſt ſenſus, ſed proprium fidei, cum teneamus credere auctoritati divinæ ſic dicenti, hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus: Unde Div. Thom., (*g*) fides eſt inviſibilium, quapropter ſicut divinitatem ſuam nobis exhibet Chriſtus inviſibiliter. Ita & in hoc Sacramento carnem ſuam nobis exhibet inviſibili modo. Et Div. Chryſoſtomus, (*h*) pareamus Deo, neque contradicamus, licet vel cogitationibus, vel oculis noſtris videatur adverſari, quod dicitur; ipſius enim ſermo infallibilis eſt, ſenſus noſter facilè ſeducitur.

g 3. p. q. 7. art. 1.
h Hom. 41. 45. in Jo.

Verùm ne dùm ſenſus hæreticorum facilè ſeductus fuit ad firmandum intellectum in malum, verùm etiam & eorum voluntas ad adhærendum ſenſui, & conſequenter ad affirmandum Corpus Chriſti in hoc Sacramento non eſſe, niſi in ſigno, & figurativè; non videntes quomodo defecerunt à via recta, quomodo inciderunt in laqueum diaboli ob ignorantiam, quæ excuſabilis non eſt, tùm propter veritatem à Chriſto Domino manifeſtatam, tùm propter auctoritates Sanctorum Patrum jam citatorum, & aliorum; etenim Damaſcenus (*i*) ita ait, non eſt figura panis, & vini corporis, & ſanguinis Chriſti: abſit enim hoc, ſed eſt ipſum corpus Domini deificatum, ipſo Domino dicente, hoc eſt corpus meum: non figura corporis, ſed corpus; non figura ſanguinis ſed ſanguis: & Theophilatus in Matt. & in Marc., (*l*) verba illa Chriſti, hoc eſt corpus meum, exponens ait; Oſtendit, quod ipſum corpus Domini eſt panis, qui ſanctificatur in altari, & non reſpondens figuræ: non enim dixit, hoc eſt figura, ſed hoc eſt corpus meum. Tùm propter auctoritatem Sacrorum Conciliorum, & denuò Sacri Concilii Tridentini (*n*) ſtatuentis Principiò docet Sancta Synodus & apertè, ac ſimpliciter profitetur in almo Sanctæ Euchariſtiæ Sacramento poſt panis, & vini conſecrationem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum verum Deum, atque hominem verè, realiter, ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri. Ita enim majores noſtri omnes quotquot in vera Chriſti Eccleſia fuerunt, qui de Sanctiſſimo hoc Sacramento diſſeruerunt, apertiſſimè profeſſi ſunt; hoc tam admirabile Sacramentum in ultima cœna Redemptorem noſtrum inſtituiſſe, cum poſt panis, vinique benedictionem: ſe, ſuum ipſius corpus, illis præbere, ac ſuum ſanguinem diſſertis, ac perſpicuis verbis teſtatus eſt; quæ verba à Sanctis Evangeliſtis cõmemorata, & à Div. Paulo poſtea repetita, cum propriam illam, & apertiſſimam ſignificationem præſeferant, ſecundum quam à Patribus intellecta ſunt; indigniſſimum ſanè flagitium eſt, ea à quibuſdam contentioſis, & pravis hominibus ad fictitios, & imaginarios tropos, quibus veritas carnis, & ſanguinis Chriſti negatur contra univerſum Eccleſiæ ſenſum detorqueri, quæ tanquam columna, & firmamentum veritatis, hæc ab impiis hominibus excogitata commenta, velut ſathanica, deteſtata eſt, grato ſemper, & memore animo præſtantiſſimum hoc Chriſti beneficium agnoſcens. Pariter anathematizatur omnis, qui hanc veritatem negaverit, ut facit per decretum in Can. 1. jam recitatum ſupra.

i Lib. 4. fidei cap. 4.
l cap. 26. & cap. 14.
m Seſſ. 13. cap. 1.

Ignorantes fuerunt, utpotè non cognoſcentes differentiam, quæ reperitur inter Sacramenta veteris, ac novæ legis; illa repræſentabant ſolùm in figura, & erant ſigna futuræ paſſionis Chriſti; Unde Div. Th. ait, Sacramenta veteris legis illud verum ſacrificium paſſionis Chriſti continebant ſolùm in figura, ſicut colligitur ex Paulo ad Heb. (*n*) umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipſam rerum imaginem; iſta, novæ legis ſcilicet non repræſentant in figura paſſionem Chriſti, ſed verè, & realiter exprimunt; quia oportuit, ſubdit Div. Thom., ut aliquid plus haberet Sacramentum novæ legis à Chriſto inſtitutum, ut ſcilicet contineret ipſum Chriſtum paſſum non ſolùm in ſignificatione, vel figura, ſed etiam in rei veritate; ex quibus comprobatur id, quod diximus de hoc Sacramento, quod eſt potiſſimum omnium aliorum, cum hoc habeatur etiam ex Div. Dion. (*p*) hoc Sacramentum, quod ipſum Chriſtum realiter continet, eſt perfectivum omnium aliorum Sacramentorum, in quibus virtus Chriſti participatur; non poſſet autem dici perfectivum aliorum Sacramentorum, niſi actu exiſteret in illo, ſiquidem manifeſtum eſt, quod id, quod perfectivum eſt, actu eſt, atque exiſtit in illa re, quæ perficitur.

n Cap. 10.
o Lib. 3. Eccl. Hier.

Ignorantes fuerunt, utpotè quia non intellexerunt illud Pauli ad Corint., (*p*) quando dixit, probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini. Ex his utique colligitur, quod ſi nihil aliud venerandum eſſet in hoc Sacramento præter memoriam, & ſignum paſſionis Chriſti, quid opus erat tam gravibus verbis fideles hortari, ut ſeipſos probarent? Gravi enim illa judicii voce declaravit Apoſtolus, nefarium aliquod ſcelus ab eo admitti, qui impurè ſumens corpus Chriſti Dñi, quod ſcilicet Euchariſtia occultè latet, ab alio ciborum genere non diſtingui.

p 1. Cor. cap. 11.

Ignoraverunt non percipientes verum, & Catholicum ſenſum, in quo locutus fuit Auguſtinus, (*q*) quando ſuper illud Joannis niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, dixit; (Multi ergo audientes ex diſcipulis ejus dixerunt, durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? Quibus ipſe dixit, Spiritus eſt, (*r*) qui vivificat, caro non prodeſt quidquam) ſpiritualiter intelligite, quæ locutus ſum vobis, non hoc corpus, quod videtis manducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent, Sacramentum autem, quod vobis commendavi, ſpiritualiter intellectum, vivificabit vos, caro autem non prodeſt quidquam. Nam Div. Auguſtinus per ly non hoc corpus, quod videtis, manducaturi eſtis, non intendit excludere veritatem corporis Chriſti, quod non erat manducandum in hac ſpecie, in qua ab eis videbatur: & per ly quod ſubdit, Sacramentum, quod vobis commendavi ſpiritualiter intellectum vivificabit vos, non intendit, quod corpus Chriſti ſit in hoc Sacramento ſolùm ſecundum myſticam ſignificationem, ſed ſpiritualiter dici inviſibiliter, & virtute Spiritus Sancti. Unde ſuper Joannem exponens id, quod dicitur, caro non prodeſt quidquam, dicit, ſed quomodo illi intellexerunt, ſcilicet Capharnaitæ, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, (ecce manifeſta ignorantia eorum,) non quomodo ſpiritus vegetatur, accedat ſpiritus ad carnem, & prodeſt plurimum. Nam ſi caro nihil prodeſſet, Verbum caro non fieret, ut habitaret in nobis. Quæ omnia habentur ex Div. Thom. volente per verba D. Auguſtini confundere ignorantiam illorum, ſi tamen confundi poſſint, dùm ignorantia illorum protervia facta eſt, & quod ita ſit, nõ ceſſant pro ſe adducere multa loca D. Auguſt (*ſ*) quando exponens, illud Matt., ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi, dixit, donec ſeculum finiatur,

q Cap. 6.
r Sup. v. 89.
ſ Cap. D. Thom.

tur, ſurſum eſt Dominus, ſed tamen nobiſcum eſt veritas Domini, corpus enim, in quo reſurrexit, in uno loco oportet eſſe, veritas autem ejus ubique diffuſa eſt, non intelligentes, quomodo & iſtud, & omnia alia, quæ ſimilia ſunt, intelligi debent de corpore Chriſti, ſecundum quod videtur in propria ſpecie; quod conſonat dicto Matt., (t) quando ipſe Chiſtus Dominus dicit, me autem non ſemper habebitis; ſed inviſibiliter ſub ſpeciebus hujus Sacramenti eſt, ubicumque hoc Sacramentum perficitur: & de facto docet Divus Thomas, (u) quod corpus Chriſti non eſt eo modo in hoc Sacramento, ſicut corpus in loco, quod ſuis dimenſionibus loco commenſuratur, ſed quodam ſpeciali modo, qui eſt proprius huic Sacramento. Unde dicimus, quod corpus Chriſti eſt in diverſis altaribus, non ſicut in diverſis locis, ſed ſicut in Sacramento, per quod non intelligimus, quod Chriſtus ſit ibi ſolùm, ſicut in ſigno, licet Sacramentum ſit in genere ſigni denotanris maximam charitatem, & noſtræ ſpei ſublevamentum ex tanta familiari conjunctione Chriſti ad nos; ſed intelligimus Corpus Chriſti hic eſſe ſecundùm modum proprium huic Sacramento, verè ſcilicet, cum ibi ſit modo inviſibili, & non naturali, quod competit perfectioni noſtræ fidei, ut docet Div. Thomas, (x) quæ ſicut de divinitate Chriſti, ita de ejus humanitate, juxta illud Joannis, (y) creditis in Deum, & in me credite. Hoc totum etaim corroboratur à Concilio Tridentino, (z) ubi habetur, nec enim inter ſe pugnant hæc, ut ipſe Salvator noſter, ſemper ad dextram Patris in Cœlis aſſideat, juxta modum exiſtendi naturalem, & ut multis nihilominus aliis in locis ſacramentaliter præſens, ſua ſubſtantia nobis adſit, ea exiſtendi ratione, qua etſi verbis exprimere vix poſſumus, poſſibilem tamen eſſe Deo cognitione per fidem illuſtrata conſequi poſſumus, & conſtantiſſimè credere debemus, quid ergo dicent amplius cum teſtimonia ita certa ſint, ut nullum reprobari poſſit; ergo ſileant iſti.

t Cap. 26.
u 3 p. q. 76. ad 5.
x Ib. a. 1.
y cap. 14.
z Seſſ. 13. cap. 1.

Sicut & tacere debent illi, qui ſequentes errorem, in quo olim Beregantius jacebat, dixerunt cum eodem, integram naturam ſubſtantiæ panis, & vini remanere poſt conſecrationem in Euchariſtia accidentaliter conjuncta corpori Chriſti., & inter primates enumeratur Lutherus, contra quem, & contra omnes illos impiè eum ſequentes ſtat auctoritas Chriſti, qui inſtituendo hoc Sacramentum uſus fuit hac forma, hoc eſt corpus meum, per quæ verba ſatis oſtenditur, ſubſtantiam panis poſt conſecrationem non remanere, ſiquidem ly *hoc* hanc vim facit, ut omnem rei præſentis ſubſtantiam demonſtret, quod ſi ſubſtantia panis remaneret, nullo modo verè dici videretur, hoc eſt corpus meum; hoc jam docuit Div. Thomas, (a) dum dixit, hæc poſitio ſcilicet, quod ſubſtantia panis remaneat poſt conſecrationem, contrariatur formæ hujus Sacramenti, in qua dicitur, hoc eſt corpus meum, quod non eſſet verum, ſi ſubſtantia panis remaneret ibi, numquam enim ſubſtantia panis eſt corpus Chriſti, ſed potius eſſet dicendum, hic eſt corpus meum; hoc autem nullo modo dicendum eſt, ſi cadere quis non vult ſub anathemate; nam & Concilium Tridentinum (b) aſſentiens ad id, quod docet Div. Thom., hoc ponit decretum, ſi quis dixerit, in Sacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis, & vini unà cum corpore, & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti; anathema ſit: & meritò damnandus erit, ut hæreticus, qui oppoſitum ſenſerit, utpotè quia oppugnator ipſius veritatis exiſtit; eò quia Chriſtus Dominus apertè hoc docuit, & docendo illud maniſeſtavit, dum dixit in Joann. (c) niſi manducaveritis carnem filii hominis, (quam vobis pono ſub ſpecie panis) & biberitis ejus ſanguinem, (quem trado nobis ſub ſpecie vini,) non babebitis vitam in vobis; quomodo ergo poſſumus aſſeveranter dicere, quod manducamus carnem Chriſti, & bibimus ejus ſanguinem, ſi jam remanet poſt conſecrationem integra ſubſtantia panis, & vini? Etſi hæc remaneret, ad quid dicere, caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus? Si autem caro Chriſti eſt & ſanguis ejus, quæ manducatur, & qui bibitur in hoc Sacramento, reſpuatur opinio illa hæreticorum malè ſentientium de hoc Sacramento, quia poſitio illorum, ut ait Div. Thomas, contrariatur venerationi hujus Sacramenti, ſi aliqua ſubſtantia creata ibi eſſet, quæ non poſſet adoratione latriæ adorari.

a 3. p. q. 75. art. 2.
b Seſſ. 13. can. 2.
c Cap. 6.

Adorandum eſt namque hoc Sacramentum adoratione latriæ, (quæ ſoli Deo debetur,) ut ſtatuit etiam Concilium Tridentinum, ſi quis dixerit, in Sancto Euchariſtiæ (d) Sacramento Chriſtum unigenitum filium Dei non eſſe cultu latriæ etiam externo adorandum; Anathema ſit; ſignum ergo eſt, quod in hoc Sacramento non remanet ſubſtantia panis, & vini poſt conſecrationem, quod utique illa remaneret, ſi remanerer aliquid creatum in illo; quod autem non remaneat aliquod creatum in illo venerabili Sacramento, maniſeſtat Div. Thom., (e) dùm docet, reperiri maximam differentiam inter hoc Sacramentum, & inter alia Sacramenta, quod in aliis Sacramentis ſubſtantia materiæ manet, ut videtur clarum in Sacramenro Baptiſmi, in quo manet ſubſtantia aquæ; in Sacramento Confirmationis, in quo manet ſubſtantia Chriſmatis, in hoc autem Sacramento non manet ſubſtanria panis, & hoc quia in iſto manet Chriſtus realiter, non verò in aliis, ſed ſolùm virtus participata à Chriſto: propter quod jam bene diximus nos, quod hoc Sacramentum eſt potiſſimum inter cætera Sacramenta. Et quod nos diximus de hoc venerabili Sacramento, quod debet adorari adoratione latriæ, jam & à Patribus Græcis fuit expreſſum Indicatione 20. Menſis Januarii 1672. ſub his verbis, Sacramentum hoc vera adoratione dignum eſt, in eo enim non minori venerationis cultu, corpus Jeſu Chriſti Salvatoris à divinitate aſſumptum, proſequimur, quam ipſam divinitatem adoremus. Pro omnibus Chriſtianis ortodoxis, tùm vivis, tùm vita functis in Sacrificium offertur.

d Seſſ. 13. can. 6.
e loc. cit. ad 1.

Contrariatur poſitio hæreticorum etiam ritui Eccleſiæ, ſecundum quem poſt corporalem cibum non licet ſumere corpus Chriſti, cum jam præceperit, ut unuſquiſque ſumat jejunio naturali Corpus Chriſti, & tamen poſt unam hoſtiam conſecratam licet ſumere aliam, ſignum ergo eſt, quod ibi non eſt panis, ſed ſolùm, quod continetur corpus Chriſti ſub illis ſpeciebus, ac proinde poſitio illa malorum hominum, non ſolùm, ut ait Div. Thom., vitanda eſt, tanquam hæretica, ſed & damnanda ut talis, ſicut de facto damnata fuit à Concilio Tridentino locis citatis.

Contrariatur denique auctoritatibus Sanctorum Patrum, præcipuè verò Div. Ambroſii (f) dicentis, tu fortè dicis, meus panis eſt uſitatus, ſed panis iſte, panis ante verba Sacramentorum, ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti. Et rurſus, (g) dicentis: licet figura panis, & vini videatur, nihil tamen aliud, quàm caro Chriſti, & ſanguis poſt conſecrationem credenda eſt. Etſi appelletur panis ab Apoſtolo, dùm ad Corint. (h) dixit, panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt? Appellatur tamen talis, eò quia retinet ſpeties, proprietates, & operationes panis, non quia ipſa Euchariſria ſit tanrùm panis, hoc eſt, quod retineat integra ſubſtantia panis.

f Lib. 4. de Sacr. c. 4.
g Ib. ca. 5.
h 1. Cor. ca. 10.

Et Div. Hilarius (i) ait, quamvis extrinſecus panis, & vinum videatur, verè tamen corpus, & ſanguinem Domini eſt; & hoc quia Deus, ut air Div. Thom., (l) conjugavit divinitatem ſuam ſcilicet, divinam virtutem pani, & vino, non ut remaneant

i 8 de Trin. cap. 14.
l loc. citat. ad 2.

in hoc Sacramento, ſed ut ſaciat inde corpus, & ſanguinem ſuum, quod utique fit per converſionem panis ſubſtantiæ in ipſum; ergo non remanet ipſa ſubſtantia panis, ſi jam converſa eſt in ſubſtantiam corporis Chriſti, juta Div. Thomam, quod autem convertitur in aliquid, facta converſione non manet: facta autem converſione ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti non manet amplius ſubſtantia panis, (quamvis accidentia remaneant, ut infrà videbimus) ſed ſolùm verum corpus Chriſti in hoc Sacramento exiſtit, juxta Div. Thom. docentem, ad veritatem hujus Sacramenti pertinet, ut verum Corpus Chriſti in hoc Sacramento exiſtat, quod quidem non eſt ante conſecrationem, ergo ſi poſt conſecrationem eſt verum corpus Chriſti ſub panis, & vini ſpecie, omninò neceſſe eſt, cum ibi antea non eſſet, hoc vel loci mutatione, vel alterius rei in ipſum converſione factum eſſe; ut ait Div. Thom., non autem aliquid poteſt eſſe alicubi, ubi prius non erat, niſi vel per loci mutationem, vel per alterius converſionem in ipſum: fieri autem non poteſt, ut corpus Chriſti in Sacramento ſit, quod ex uno in alium locum venerit; ſiquidem manifeſtum eſt, quod nullum corpus quantum ad ſuas dimenſiones poteſt eſſe in pluribus locis, quod utique eſſet, ſi corpus Chriſti per motum localem inciperet eſſe in hoc Sacramento, quoniam ſequeretur, quod tunc deſineret eſſe in cœlo, & deſerendo cœlum, inciperet eſſe in hoc Sacramento, quod non eſt dicendum; ut ait Div. Thom., manifeſtum eſt, quod corpus Chriſti non incipit eſſe in hoc Sacramento per motum localem; nam & ſequeretur, quod deſineret eſſe in cœlo, non enim quod localiter movetur, pervenit de novo ad aliquem locum, niſi deſerat priorem. Et etiam quia omne corpus localiter motum pertranſit omnia loca media inter terminum *à quo*, & terminum *ad quem* interpoſita, quæ ſine tempore pertranſiri non poſſunt; & quia Corpus Chriſti remanet in Cœlo, & in ultimo inſtanti prolationis Verborum conſecrationis eſt in hoc Sacramento, jam benè ſequitur, quod per motum localem non incipit eſſe in illo; & denique quia impoſſibile eſt, quod unus motus ejuſdem corporis localiter moti terminetur ſimul ad diverſa numero loca, cum autem corpus Chriſti in pluribus locis eſſe incipiat ſub hoc Sacramento, jam ſequitur, quod impoſſibile ſit, ut corpus Chriſti localiter eſſe incipiat in hoc Sacramento; ac proinde relinquitur ut certum, concluditur à Div. Th. quod non poſſit Corpus Chriſti aliter incipere eſſe de novo in hoc Sacramento, niſi per converſionem ſubſtantiæ panis in ipſum, & ideò ſemper verum eſt, quod diximus uſque modò, quod ſubſtantia panis remanere non poſſit poſt conſecrationem in hoc potiſſimo Sacramento. Adeſt auctoritas Cyrilli Jeroſolymitani, Chriſtus, inquit, aquam aliquando mutavit in vinum, quod eſt ſanguini propinquum, in Cœna Galilææ, ſola voluntate; & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in ſanguinem tranſmutavit? Quare omni cum certitudine corpus, & ſanguinem Chriſti ſumamus: nam ſub ſpecie panis datur tibi corpus; & ſub ſpecie vini datur ſanguis. Auctoritate Div. Damaſceni; (m) Quæſivit Virgo, quomodo fiet mihi iſtud? Reſpondit Gabriel Archangelus; Spiritus Sanctus ſuperveniet in te; Tu quoque nunc quæris, quomodo panis nunc fiat corpus Chriſti, & vinum aqua mixtum fiet ſanguis Chriſti? Tibi quoque reſpondeo, Spiritus Sanctus ſupervenit, eaque efficit, quæ orationis facultatem, & mentis intelligentiam excedunt; & hæc juxta fidem Ortodoxam.

m Li. 4. fi. de. c. 14

Ex hoc autem, quod ſubſtantia panis reemanere non poſſit poſt conſecrationem in hoc venerabili Sacramento, in quo dogma datur Chriſtiania, quod in carnem tranſit panis, & vinum in ſanguinem, ex hoc utique non ſequitur, quod ſubſtantia panis, vel vini poſtea annihiletur, ſive quod reſolvatur in præjacentem materiam, ſive in elementa, poſt ipſam conſecrationem. Et de facto quomodo poteſt fieri reſolutio in præjacentem materiam, ſi jam per Divum Thomam (n) materia exiſtere non poteſt ſine forma? Quod magis roboratur à Div. Thoma, in ultimo inſtanti conſecrationis jam eſt ibi ſubſtantia corporis, vel ſanguinis Chriſti, ſiquidem ſubſtantia panis, vel vini manet uſque ad ultimum inſtans conſecrationis, unde jam patet ex omnibus his, quod non erit dandum aliquod inſtans, in quo ſit ibi præjacens materia; in quam paulatim dicere, quod reſolvatur ſubſtantia panis, vel vini, erit etiam dicere, quod in ultimo inſtanti materia exiſteret ſine forma, contra jam dicta; unde non poteſt hoc dici, ſicut nec poteſt dici, quod egrediatur ſucceſſive de loco ſpecierum; nam talis egreſſus fieret per motum localem, quod non poteſt eſſe, aliàs ſenſu perciperetur: quod autem ſenſu percipitur, ſub fide non cadit; & ſic talis converſio non eſſet de fide, contra illud, quod canit Div. Thomas in hymno Corporis Chriſti, præſtet fides ſupplementum ſenſuum defectui; ſic nec egreſſus fit ſucceſſivè de loco ſpecierum, nec & reſolutio in præjacentem materiam, ſed per conſecrationem convertitur ſubſtantia panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, & ſubſtantia vini in ſubſtantiam ſanguinis ejus; ut habetur etiam ex Concilio Tridentino, (o) in quo habetur, nunc denuò declarat ſancta Synodus, per conſecrationem panis, & vini converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis ejus: (p) & ſi quis hoc negaverit, rurſum decrevit idem Concilium, quod anathema ſit.

n 1. p. q. 75. art. 3.

o Seſſ. 13. cap. 4.

p Ib. can. 2.

Quomodo poteſt fieri reſolutio in elementa, ſi jam poſt conſecrationem nihil remanet niſi corpus, & ſanguis Chriſti Domini? Quod eſt, quod dicitur à Div. Thom., cum poſt conſecrationem nihil ſub ſpeciebus Sacramenti reemaneat, niſi corpus, & ſanguis Chriſti, oportebit dicere, quod elementa, in quæ reſoluta eſt ſubſtantia panis, & vini, inde diſcedant per motum localem, quod ſenſu perciperetur.

Et quomodo poteſt dici, quod ſubſtantia panis, vel vini annihiletur, ſi jam corpus Chriſti incipiat eſſe in hoc Sacramento per converſionem ſubſtantiæ panis in ipſum?

Certum enim eſt, quod vera converſio nequit ſtare cum vera annihilatione, ſiquidem iſta eſt totalis deſitio, per quam quod deſinit, tendit ad purum nihil, & ideò nec erit dicendum, quod ſubſtantia panis annihiletur, bene tamen firmiter fatendum erit, quod convertitur in corpus Chriſti, & hoc juxta Div. Thom. (q) docentem, ſubſtantiam panis, vel vini facta conſecratione neque ſub ſpeciebus Sacramenti manere, neque alibi, ex hoc tamen non ſequitur, quod annihiletur, (hoc idem docet Div. Thom., (r) quamvis non maneat panis, neque in ſe, neque in alio, manet tamen corpus Chriſti, in quod converſus eſt panis, & ideò non ſequitur, quod annihiletur.) quia convertitur in corpus Chriſti; & ſic etiam ſequitur, quod ſubſtantia panis poſt conſecrationem eſt aliquid, non eſt aliquid, non tamen eſt nihil; Eſt aliquid, ſcilicet illud, in quod converſa eſt; non eſt aliquid, ſcilicet non eſt illud, quod prius erat; non tamen eſt nihil, quia illud, in quod converſa eſt, non eſt nihil; Et hoc juxta Div. Thomam (ſ) dicentem, licet poſt conſecrationem hæc ſit falſa, ſubſtantia panis eſt aliquid, id tamen, in quod ſubſtantia panis eſt converſa, eſt aliquid; & ideò ſubſtantia panis non eſt annihilata; & hoc eſt, quod vult etiam Div. Ambroſius, dùm dicit, iſta eſt vera, poſt conſecrationem, id quod erat

q q. 75. art. 3. ad 1.

r In 4. d. 2. q. 1. art. 3. ad 4.

ſ 3. p. q. 75. art. 3. ad 1.

panis,

panis, eſt aliquid, ſcilicet corpus Chriſti; tunc enim loquitur de ſubſtantia panis non in ſe, ſed ut mutata in corpus Chriſti, & quod hoc ſit de mente Div. Ambroſii, patet manifeſtè, dicit enim, poſt conſecrationem eſt aliquid, ſcilicet corpus Chriſti, in quod panis eſt mutatus; Unde panis poſt conſecrationem remauet, quia remanet corpus Chriſti, in quod panis eſt tranſubſtantiatus; & ideò iſta converſio panis in corpus Chriſti etiam tranſubſtantiatio dicitur juxta Concilium Tridentinum, (t) quæ converſio totius, ſcilicet ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, & totis ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis ejus convenienter, & propriè à Sancta Catholica Eccleſia tranſubſtantiatio eſt appellata; & rurſus decrevit, (u) ſi quis negaverit mirabilem illam, & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem manentibus dumtaxat ſpecibus panis, & vini, quam quidem converſionem Catholica Eccleſia aptiſſimè tranſubſtantiationem appellat; anathema ſit.

[t Seſſ. 13. c. 4] [u Ib. can. 2.]

Sed antequam Concilium Tridentinum hanc veritatem, decreverit, illam jam docuit, ac tenuit Div. Thom., (x) dum firmiter aſſerit, quod iſta converſio propriè dicitur tranſubſtantiatio, cum convertatur tota ſubſtantia panis in totam ſubſtantiam corporis Chriſti, & tota ſubſtantia vini in totam ſubſtantiam ſanguis Chriſti, & idcircò non eſt converſio formalis, hoc eſt, ſimilis converſionibus naturalibus, nam de ratione converſionis naturalis eſt, quod fiat per converſionem formæ antecedentis, & acquiſitionem formæ ſubſequentis manente eodem ſubjecto, & hoc proprium eſt agentis creati, nam ejus virtus tantùm ſe extendit ad converſiones naturales, ſeù formales, quod eſt, quod dicit Div. Thom., nullum agens creatum utpotè finitæ virtutis poteſt agere niſi ad immutationem formæ, unde agens creatum non poteſt forma in formam mutari, nec materia in materiam, hoc enim propriam, eſt agentis infiniti, utpotè quia ejus actio ſe extendit ad totam naturam entis, (intellige tamen non de ente communiſſimè ſumpto, quatenus eſt commune Deo, & creaturis, ſed de ente, prout eſt commune ſolis creaturis, & ideò cum habeat actionem in totum ens, poteſt etiam virtute illius talis converſio fieri, quia utrique formæ, & utrique materiæ eſt communis natura entis, & id, quod eſt entitatis in una, poteſt actio entis convertere in id, quod eſt entitatis in alteris; ſublato eo, per quod ab illa diſtinguebatur, ſic Div. Thom., (y) & hoc, quia jam docuit ex propria ſententia, quod nedùm Deus (z) poteſt perficere converſionem formalem, ut ſcilicet diverſæ formæ ſibi in eodem ſubjecto ſuccedant, ſed etiam converſionem totius entis, ut ſeilicet tota ſubſtantia hujus convertatur in totam ſubſtantiam illius.

[x 3. p. q. 75. art. 4.] [y 3. p. q. 75. a. 4. ad 3.] [z Ib. in c.]

Cum ergo tota ſubſtantia panis convertatur in totam ſubſtantiam Corporis Chriſti, & tota ſubſtantia vini in totam ſubſtantiam ſanguinis Chriſti, & hoc per verba conſecrationis, jam benè ſequitur, quod docet Div. Thom., (a) & quod à Sacro Concilio Tridentino (b) approbante doctrinam Angelici Magiſtri, & noſtri Præceptoris, nempe quod facta conſecratione non remaneat in hoc Sacramento forma ſubſtantialis panis; quia manifeſtum eſt, quod ſi forma ſubſtantialis panis remaneret, nihil de pane converteretur in corpus Chriſti, niſi ſola materia, ac per conſequens ſequeretur, quod non converteretur in corpus Chriſti totum, ſed in eius materiam, quod utique repugnat formæ hujus Sacramenti, quæ eſt, hoc eſt corpus meum. Et Concilium Tridentinum confirmans hanc doctrinam Div. Thomæ declarat, per conſecrationem panis, & vini converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam Corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis ejus; (c) immò & decrevit, quod ſi quis dixerit, in Sacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis, & vini unà cum corpore, & ſanguine Domini Noſtri Jeſu Chriſti; anathema ſit. Non remanet ergo ſubſtantia panis in hoc Sacramento facta conſecratione, aliàs ſi remaneret ſubſtantia panis, vel vini facta conſecratione, dicatur mihi, qumodo poſſet hoc Sacramentum adorari adoratione latriæ? ſi jam ibi eſſet ſubſtantia panis, vel vini? ſi ergo adoratur adoratione latriæ, ut etiam ſtatuit Concilium Tridentinum (d) illud eſſe adorandum, dùm dixit, nullus itaque dubitandi locus relinquitur, cum omnes Chriſti fideles pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic Sanctiſſimo Sacramento inveneratione adhibeant; convenienter ergo, & congruè dicendum eſt, non remanere ſubſtantiam panis, ſed quod ipſa ſubſtantia panis convertatur in ſubſtantiam corporis Chriſti, ſicut ſemper diximus, & quia per hoc volumus animadvertere, quod non dicitur, ut ſubſtantia panis convertatur in anumam, juxta Div. Thom. (e) docentem, convertitur utique forma panis in formam corporis Chriſti, ſed ſecundum quod dat eſſe corporeum, non autem ſecundum quod dat eſſe animatum.

[a 3. p. q. 75. art. 6.] [b Seſſ. 13. cap. 4.] [c Ib. can. 2.] [d Seſſ. 13. cap. 5.] [e Ib. ad 2.]

Etſi illud, quod remanet in hoc Sacramento, nutriat, & omnem operationem faciat, quam faceret panis exiſtens; per hoc tamen non debet deduci, quod forma ſubſtantialis panis remaneat in eodem, eò quia bene conſiderandum eſt, ait Div. Thom., (f) quod quædam operationes panis conſequuntur ipſum ratione accidentium; ut immutare ſenſum, & tales operationes inveniuntur in ſpeciebus panis poſt conſecrationem propter ipſa accidentia, quæ remanent; quod autem remaneant accidentia panis, vel vini poſt conſecrationem, nullum eſt dubium, docet Div. Thom. (g) eò quia & hoc fit, ut tollatur horribilitas, quæ eſſet comedere carnem hominis, & bibere ſanguinem: & ut tollatur irriſio infidelium; ſi enim comederemus Dominum noſtrum ſub ſpecie propria, ſcilicet carnem, & ſanguinem, jam nos irriderent, dicendo, quod nos deſtruimus Deos, & nobis dicerent, væ hominibus iſtis, qui non contenti comedere carnes taurorum, hircorum, & aliorum animalium, quæ Deus dedit illis in cibum, volunt etiam comedere Deos ſuos, unde benè de illis dicitur, quorum Deus venter eſt. Et denique fit, ut fides magis augeatur quod enim cadit ſub ſenſu, non pertinet ad fidem, bene tamen illud, quod cadit ſub intellectu, ſub quo etiam quod cadit, inviſibilitdr cadit, nec decipitur intellectus, ex eo quòd intendat ſumere corpus, & ſanguinem Chriſti Domini inviſibiliter, ut ait Div. Thomas, (h) intellectus, cujus eſt proprium objectum, ſubſtantia, per fidem à deceptione præſervatur; immò fides magis augetur, quia etiam magis proficit ad meritum fidei, quando intendimus ſumere inviſibiliter corpus, & ſanguinem Chriſti Domini, ut alio in loco docet Div. Thomas, (i) quod accidentia ſine ſubjecto in eodem ſubſiſtunt, ut fides locum habeat; dum inviſibile viſibiliter ſumitur aliena ſpecie occultatum, & ſenſus à deceptione immunes reddantur, qui de accidentibus judicant ſibi notis, juxta omnia, quæ habentur in hoc articulo, dùm ait, & quod converſio hæc ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti non propriè habet ſubiectum, ſed accidentia, quæ remanent, habent aliqualem ſimilitudinem ſubiecti, & quod in hoc Sacramento ſunt ſecundum rei veritatem accidentia, quæ ſenſibus diiudicantur, & quod fides non eſt contra ſenſum, ſed eſt de eo, ad quod ſenſus non attingit; quod utique hoc fit per providentiam divinam, unde virtute Del, ait Div. Thomas, (l) qui eſt cauſa prima omnium, fieri poteſt, ut remaneant poſteriora prioribus ſublatis. Totum hoc confirmat Concilium Tridentinum, (m) dum ſtatuit, ſi quis negaverit mirabilem illam, & ſingularem

[f 3. p. q. 75. art. 5.] [g 3. p. q. 75. art. 5.] [h Ib. ad 2.] [i Opuſc. 57] [l Ib. ad 4.] [m Seſſ. 13. can. 2.]

Digitized by Google

converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem manentibus dumtaxat ſpeciebus panis, & vini, anathema ſit.

Quædam verò operationes conſequuntur panem, vel ratione materiæ, ſicut quod convertatur in aliquid, vel ratione formæ ſubſtantiali, ſicut eſt operatio conſequens ſpeciem ejus, puta, qnod confirmat cor hominis, quæ operationes inveniuntur in hoc Sacramento non propter formam, vel materiam, quæ remanent, ſed quia miraculosè conferuntur ipſis accidentibus.

Hæc autem converſio cum non ſit formalis, vel naturalis, ſed omninò ſubſtantialis, utpotè proveniens ex virtute Dei habentis facultatem, & abſolutam potentiam ſupra quaſcumque creaturas, & omnipotentiam producendi ex nihilo omnia, hinc eſt, quod non eſt mirum, ſi poſtea convertendo per verba conſecrationis ſubſtantiam panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, & ſubſtantiam vini in ſubſtantiam ſanguinis ejus, talis converſio fiet in inſtanti, eò quia, ut ait

n 1. p. qu. 75. a. 7. Div. Thom., (n) hæc converſio perficitur ratione virtutis infinitæ Dei, cujus eſt ſubitò operari; & de

o Cap. 7. facto apertè legitur in Marc., (o) quando Chriſtus Dominus dixit illi ſurdo, & muto, Ephetha, quod eſt adaperire, ſtatim apertæ ſunt aures ejus, & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè. Ex quibus maniſeſtè videtur, quod in ultimo inſtanti prolationis verborum jam fuerit ſolutum linguæ ejus vinculum; ſicut ei in ultimo inſtanti prolationis horum verborum, ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum, Unigenitus Deus in utero Virginis carnem induit, & homo factus eſt; Hinc

p Lib. 18. cap. 15. Gregorius lib. Moralium (p) inquit, Angelo nunciante, & Spiritu Sancto adveniente, mox verbum in utero, mox intra uterum verbum caro. Et Div.

q 3. p. q. 13. art. Thom. (q) docet, quod ipſa formatio corporis, in qua principaliter ratio conceptionis conſiſtit, fuit in inſtanti, & hoc propter virtutem agentis infinitam, ſcilicet Spiritus Sancti, per quem corpus Chriſti eſt

r Cap. 1. formatum, teſte Luca (r) aſſerente, quod Spiritus Sanctus ſupeɼveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Tantò enim aliquod agens citius poteſt materiam diſponere, quantò majoris virtutis eſt. Unde agens infinitæ virtutis poteſt in inſtanti materiam diſponere ad debitam formam. Vide Divum Thom. Ita pariter in ultimo inſtanti prolationis verborum Sacramentalium, unigeniti Dei corpus, & ſanguis per converſionem toties præmiſſam in hoc Sacramento fiunt, & horum unum ſcilicet Incarnatio Chriſti fuit quædam à ſimili inſinuatio alterius, ſcilicet converſionis Sacramnntalis hujus, utpotè quia jam perficitur talis converſio per verba Chriſti, quæ à Sacerdote proferuntur, ita ut ultimum inſtans prolationis verborum ſit primum inſtans, in quo eſt in Sacramento corpus Chriſti, in toto autem tempore præcedenti eſt ibi ſubſtantia panis, cujus temporis non eſt accipere aliqnod inſtans proximo præcedens ultimum, non enim tempus componitur ex inſtantibus conſequenter ſe habentibus: quapropter ſemper eſt attendendum, quod licet ſit dare primum inſtans, in quo ſit corpus Chriſti, non tamen eſt dare ultimum inſtans in, quo ſit ſubſtantia panis, utique tamen eſt dare ultimum tempus. Et ſic ſemper etiam conſiderandum eſt, qnod in formis Sacramentorum licet prolatio verborum fiat ſucceſſivè, tamen in ultimo inſtanti prolationis verborum fit Sacramentum, quia tunc impletur verborum ſignificatio, quæ eſt efficax ad

ſ 3. p. q. 75. art. 7. cauſandum Sacramentum; (ſ) quod deſumitur ex Divo Thom., dùm ait, tunc completur verborum ſignificatio, quæ eſt efficax in Sacramentorum formis, & ideò non ſucceſſivè, ſed in inſtanti converſio iſta panis ſcilicet, & vini in corpus, & ſangninem Chriſti Domini fit, atque eſt; nec

t L. 4. c. 4 contrarium ſentit Divus Ambroſius, (t) dùm ait, iſtud Sacramentum Chriſti ſermone conficitur, ſiquidem ejus intentio alia non eſt, niſi quod in ultimo inſtanti prolationis verborum formæ Sacramenti compleatur ſignificatio verborum, in quo ultimo inſtanti prolationis fit Sacramentum, & ideò non ſucceſſivè, ſed in inſtanti.

Et ut melius percipatur hæc converſio panis in corpus Chriſti, attendatur ad id, quod docet Divus Thom., (u) hæc converſio panis in corpns Chriſti quantum ad aliquid convenit cum creatione, ſiquidem in neutra earum eſt aliquod commune ſubjectum utrique extremorum, nam videmus, qnod creatio eſt mutatio de nihilo ad eſſe, unde non datur ſubjectum repertum ſub utroque extremo ſcilicet eſſe, & non eſſe; pariter nec converſio Sacramentalis habet ſubjectum commune pani, & corpori Chriſti, quia totus panis convertitur in corpus Chriſti, neque materia, neque forma panis reperitur in corpore Chriſti poſt talem conſecrationem: pariter quantum ad aliquid convenit cum tranſmutatioee naturali in duobus, licet non ſimiliter; primò quia in utraque unum extremorum tranſit in aliud, ſicut panis in corpus Chriſti, & aer in ignem: Secundò quia utrobique remanet aliquod idem, nam in tranſmutatione naturali remanet eadem materia, vel ſubjectum, in hac autem converſione Sacramentali remanent eadem accidentia, adeòque differunt. u 1. p. q. 75. art. 8.

Quantum verò ad aliquod converſio iſta Sacramentalis differt à craatione; nam in converſione Sacramentali unum extremum ſcilicet panis convertitur in aliud ſcilicet in corpus Chriſti; in creatione verò nihil non convertitur in aliquid; ideòque benè Divus Thom. (x) ait, quod verbum converſionis recipitur in hoc Sacramento, non verò in creatione, ac proinde in hac converſione Sacramentali plura ſunt difficilia, quàm in creatione, in qua hoc ſolùm difficile eſt, quod aliquid fit ex nihilo: in iſta verò converſione non ſolùm eſt difficile, quod hoc totum convertatur in illud totum, ita ut nihil prioris remaneat, ſed etiam hoc habet difficile, quod accidentia remaneant corrupta ſubſtantia. x Ib. ad 3.

Pariter etiam quantum ad aliquid differt à naturali tranſmutatione, nam in converſione ſacramentali totum in totum convertitur, in tranſmutatione naturali totum non convertitur in totum, ſed materia unius ſuſcipit formam alterius priori forma depoſita. Idcircò in tranſmutatione naturali uti non poſſumus nomine tranſubſtantiationis ex eo, quod ſubſtantia tota unius extremi non convertatur in aliud extremum; non enim poſſumus dicere, quod homo ſit tranſuhſtantiatus in cadaver, ſicut poſſumus dicere in converſione Sacramentali, quod tota ſubſtantia panis in totam ſubſtantiam corporis Chriſti mutatur, ac proinde propriè tranſubſtantiatio dicitur: ſicut nec in creatione, ut diximus, uti poſſumus nomine converſionis, cum unum extremum non tranſeat in alterum, non enim poſſumus dicere, quod non ens convertitur in ens; benè tamen dicere poſſumus, quod ex non ente fit ens: ſicut licet non poſſimus dicere panis eſt corpus Chriſti, poſſumus tamen dicere, & verè, & propriè, quod ex pane fit corpus Chriſti, quia præpoſitio *ex* deſignat ordinem, qui talis eſt, ex pane ſcilicet poſt panem fit corpus Chriſti.

Unde Div. Thom. ibidem propter ordinem extremorum poſſumus uti in omnibus hac præpoſitione *ex*, quæ ordinem deſignat; cæterum in nullo horum trium, ſcilicet converſionis, tranſmutationis naturalis, & creationis, poteſt unum extremum de altero prædicari per verbum ſubſtantivum temporis præſentis, ut non ens eſt ens, panis eſt corpus Chriſti, aer eſt ignis, album eſt nigrum.

Et

Et licet poſſimus propriè dicere, ex pane fit corpus Chriſti, non tamen propriè dicere poſſumus, de pane fit corpus Chriſti, quia hæc propoſitio, *de*, deſignat cauſam conſubſtantialem: in hac autem converſione Sacramentali nulla pars ſubſtantialis ſive ſit forma, ſive ſit materia panis, fit forma, vel materia corporis Chriſti, cum nihil remaneat panis, niſi accidentia; unde propriè dici nequit quod ſe pane fit corpus Chriſti, poſſumus tamen dicere, quod de aere fit ignis, et hoc quia ignis eſt de ſubſtantia aeris, non verò quod tota ſubſtantia aeris ſit facta ſubſtantia ignis, ſed ratione partis, ex quo magis relucet differentia inter has duas converſiones, quod in iſta Sacramentali corpus Chriſti non eſt de ſubſtantia panis; nec ratione partis; in illa verò naturali tranſmutatione ſubſtantia aeris eſt facta ſubſtantia ignis ratione partis tantùm. Unde Divus Thomas, hæc præpoſitio, *de*, deſignat cauſam conſubſtantialem, quæ quidem conſubſtantialitas extremorum in tranſmutationibus naturalibus attenditur penes convenientiam in ſubjecto.

Verùm tamen eſt, & hoc ſecundum Divum Thomam, quod licet concedi non poſſit, nec propriè dici, de pane fit corpus Chriſti, ſecundum tamen quamdam ſimilitudinem poteſt utique concedi, de pane fit corpus Chriſti, vel panis eſt corpus Chriſti, vel panis erit corpus Chriſti, cum hac tamen præſuppoſitione, quod nomine panis non intelligatur ſubſtantia panis, ſed in univerſali hoc, quod ſub ſpeciebus panis continetur, ſub ſpeciebus prius continetur ſubſtantia panis, & poſtea corpus Chriſti; quo pacto etiam eſt intelligendum dictum Divi Ambroſii,
y l 4. de Sacr. cap. 4. (y) quando ait, ubi accedit conſecratio, de pane fit corpus Chriſti; tunc enim ſecundum quamdam ſimilitudinem loquitur, & hoc etiam quia numquam dixit, quod remaneat aliquid panis in corpore Chriſti, ſed ſemper expreſsè docuit, quod nihil panis remanet, in hoc Sacramento: nihil panis, hoc eſt materia, & forma panis, non verò nihil accidentium, nam accidentia manent, juxta Divum Thomam hic, in hoc Sacramento facta conſecratione aliquid idem manet, ſcilicet accidentia panis; Vel dicendum erit, quod Divus Ambroſius ſumit ly fit pro converti, unde ſit ſenſus, de pane fit corpus Chriſti, ideſt panis convertitur in corpus Chriſti.

Deinde dici non poteſt, quod panis poteſt eſſe corpus Chriſti; Nam Divus Thomas ait, quod in hac converſione Sacramentali, & ſimiliter in creatione cum nullum ſit ſubjectum: non dicitur quod unum extremum poſſit eſſe aliud, non enim dicitur; quod non ens ratione ſubjecti, quod eſt in potentia ad eſſe, poſſit eſſe ens, ſic nec dicitur, quod panis poſſit eſſe corpus Chriſti, cum hæc ſit falſa, panis ratione ſubjecti, quod eſt in potentia paſſiva naturali ad corpus Chriſti, poteſt eſſe corpus Chriſti, & hoc quia docet Divus Thomas, (z) non conceditur, quod panis
z 1. p. q. 75 a. 1. ad 6. poſſit eſſe corpus Chriſti, ſiquidem hæc converſio non fit per potentiam paſſivam creaturæ, ſed per ſolam potentiam activam Creatoris, quæ omnia ſub recto judicio cadere debent, ne erremus cum iniquis.

Supra Quæſtionem ſeptuageſimam ſextam,

De modo, quo extitit Chriſtus in hoc Sacramento.

ITa ineffabile eſt hoc Sacramentum, ut nullum aliud ab iſto prægaudeat tanta dignitate quoniam in ipſo adeſt præſentialiter Chriſtus, & in ipſo totus Chriſtus continetur, ex vi tamen Sacramenti continetur ipſa caro Chriſti, quæ pro toto corpore accipitur, ut percipiamus contineri & carnem, & oſſa, & nervos, & omnia, quæ ad integritatem corporis ſpectant; propter quod dicitur, hoc eſt corpus meum Relictis tamen dimenſionibus, corporis Chriſti, quæ ſub hoc Sacramento ex vi Sacramenti non ſunt; ſed ſola ſubſtantia corporis, ſicut & ſanguinis eſt.

Ex naturali, & reali concomitantia anima, & divinitas Chriſti eſt in hoc Sacramento, & rationabiliter, ſiquidem converſio panis, & vini cum non terminetur ad divinitatem, vel animam Chriſti, hinc eſt etiam, quod divinitas, vel anima Chriſti non ſit in hoc Sacramento ex vi Sacramenti, ſed ex reali concomitantia.

At quia duplex eſt ſpecies hujus, ſcilicet panis, & vini, hinc ſequitur, quod licet ſub utràque ſpecie Sacramenti ſit totus Chriſtus, aliter tamen, ac aliter; Nam ſub ſpeciebus panis eſt corpus Chriſti ex vi Sacramenti, ſanguis verò ex reali concomitantia, & è converſo ſub ſpeciebus vini eſt ſanguis ex vi Sacramenti, corpus verò ex reali concomitantia, ut divinitas, & anima ejus, & hoc quia nunc non eſt ſeparatus ſanguis Chriſti ab ejus corpore, ſicut fuit tempore paſſionis, & mortis: propter quod ſeorſum in hoc Sacramento conſecratur ſanguis à corpore.

Eſt autem totus ſub qualibet parte ſpecierum panis, vel vini; etenim cum Chriſtus ſit ſub hoc Sacramento ratione ſuæ ſubſtantiæ, non debet eſſe mirum, ſi totus Chriſtus ſit ſub qualibet parte ſpecierum panis etiam hoſtia integra manente, & non ſolùm cum frangitur: Totus igitur Chriſtus etiam cum ſua quantitate dimenſiva, non quidem ex vi Sacramenti, cum tantùm in hoc Sacramento ex vi Sacramenti ſit illud, in quod directè converſio terminatur; hæc autem converſio, quæ fit in hoc Sacramento, directè terminatur ad ſubſtantiam corporis Chriſti, & non ad dimenſiones ejuſdem, benè tamen ex reali concomitantia, quoniam ſubſtantia corporis Chriſti realiter non denudatur à ſua quantitate dimenſiva, & ab aliis accidentibus.

Et ideò rectè etiam deducitur, quod corpus Chriſti in hoc Sacramento non ſit, ſicut in loco, cum non ſit ſecundum modum proprium quantitatis dimenſivæ, ſed per modum ſubſtantiæ, quæ tamen ſubſtantia corporis Chriſti comparatur ad locum illum mediantibus dimenſionibus alienis, ita quod è converſo dimenſiones propriè corporis Chriſti comparantur ad locum illum mediante ſubſtantia, quod eſt contra rationem corporis locati.

Et ſicut non eſt Chriſtus in hoc Sacramento, ut in loco, ita non movetur per ſe ſecundum locum, ſed ſolum per accidens; Unde corpus Chriſti remanet ſua hoc Sacramento non ſolùm in craſtino, ſed etiam in futuro quouſque ſpecies Sacramentales menent: Quibus ceſſantibus deſinit eſſe corpus Chriſti ſub eis; non quia ab eis dependeat, ſed quia tollitur habitudo corporis Chriſti ad illas ſpecies.

Per hoc autem, quod verè, & realiter ſit corpus Chriſti in hoc Sacramento, non ſequitur, quod ſit aliquis oculus corporeus, qui attingere poſſit per potentiam viſivam corpoream, quoniam accidentia corporis Chriſti ſunt in hoc Sacramento mediante ſubſtantia, ita ſcilicet, quod accidentia corporis Chriſti non habent immediatam habitudinem, neque ad hoc Sacramentum, neque ad corpora, quæ ipſum circumſtant, adeòque non poſſunt immutare medium, ut ſic ab aliquo oculo corporali videri poſſint. Tùm etiam quia corpus Chriſti eſt in hoc Sacramento per modum ſubſtantiæ, hæc autem in quantum hujuſmodi non eſt viſibilis oculo corporali, neque ſubjacet alicui ſenſui, ſicut nec imaginationi, ſed ſoli intellectui, cujus objectum eſt, quod quid eſt.

At quid dicendum de apparitione miraculoſa, quæ contingere poteſt in hoc Sacramento? dicendum eſt, quod quandoque contingit ex parte videntium, quorum oculi immutantur tali immutatione,

ec ſi

Digitized by Google

ac ſi expreſsè viderent exterius carnem, vel ſanguinem, vel puerum, tamen immutatione facta ex parte Sacramenti. Quod videtur contingere, quando uni videtur ſub ſpecie carnis, vel pueri, aliis autem ſub ſpecie panis; vel quando eidem ad horam videtur ſub ſpecie pueri, vel carnis, & poſtmodum ſub ſpecie panis. Nec hoc pertinet ad aliquam deceptionem, ſed ut manifeſtetur verè corpus Chriſti eſſe ſub hoc Sacramento. Quandoque contingit talis apparitio non per ſolam immutationem videntium, ſed ſpecie, quæ videtur, realiter exterius exiſtente.

Et hoc quidem videtur eſſe, quando ſub tali ſpecie ab omnibus videtur, & non ad horam, ſed per longum tempus ita permanet. In quo caſu dicitur, quod manentibus dimenſionibus, quæ prius fuerant, fit miraculosè quædam immutatio circa alia accidentia (puta figuram, & colorem, & ſimilia) ut videatur caro, vel ſanguis, vel etiam puer.

Nec eſt deceptio, quia fit in figuram cujuſdam veritatis, ſcil. ad oſtendendum per hanc miraculoſam apparitionem, quod in Sacramento eſt verè corpus, & ſanguis Chriſti. Et ſic relinquitur, ut certum, quod remanentibus dimenſionibus, quæ ſunt fundamenta aliorum accidentium, remanet verè corpus Chriſti in hoc Sacramento. Hæc D. Thom.

Veriſſimum eſt enim, quod ex pane fit corpus Chriſti, & hoc non ob aliud; niſi quia tota ſubſtantia panis convertitur in totam ſubſtantiam corporis Chriſti, & tota ſubſtantia vini in totam ſubſtantiam ſanguinis ejus, ita ut nihil maneat de materia, & forma panis in hoc Sacramento præter accidentia, quæ à ſenſu percipiuntur, & fuat rotunditas in hoſtia, (hoſtia namque adhibetur in forma rotonda juxta antiquiſſimam conſuetudinem, ut mentionem facit Chryſoſtomus in Matt (a) & ut denotetur, quod Mundus per ipſum Verbum Divinum factus eſt, ut teſtatur Joannes, (b) & quod ipſius eſt orbis terrarum, & univerſi, qui habitant in eo, ut cecinit David, (c) Unde ipſe Jeſus filius Dei hoſtiam Deo Patri ſe tribuit pro ſalute humani generis in ara Crucis, in qua offerens ſemetipſum triumphavit, & mors mortem ſuperavit in æternum) ſapor, color, quantitas, quæ inter accidentia in hoc Sacramento manentia primum locum tenet, & de facto gerit vicem ſubjecti in ſuſtentando alia accidentia, quæ reperiuntur in hoc Sacramento. Unde cum amplius non ſit ſubſtantia panis propter tranſubſtantiationem in corpus Chriſti, & idem de ſubſtantia vini, veriſſimum erit etiam, quod in hoc Sacramento et corpus Chriſti contineatur, & quidquid ad veram corporis rationem pertinet, ut ſunt caro, oſſa, & nervi, verùm etiam & totus Chriſtus, in quo licet ſit unum ſuppoſitum, nempe Verbum Divinum, ſunt tamen duæ naturæ, humana, ſcil. & divina, hypoſtatica unione conjunctæ. Hoc totum Divus Thomas vult, (d) quando docet, quod totus Chriſtus contineatur ſub hoc Sacramento, nec per ly totus Chriſtus vult, quod intelligatur ejus corpus, & ſingulæ partes ipſius corporis; pariter quod intelligatur anima, immò & humanitas conſtans ex anima, & corpore, & ulterius ejus divinitas, ſcilicet perſona Verbi ſubſiſtens in duabus naturis, humana, ſcilicet & divina.

a hom. 83. cap. 26.

b cap. 1.

c Pſ. 23.

d 3. p. q. 76. a. 1.

Et quod docet Divus Thomas, de fide eſt tenendum, cum hac tamen diſtinctione, quod aliquid Chriſti eſt in hoc Sacramento, & ex vi Sacramenti, & ex naturali concomitantia: ex vi namque Sacramenti eſt ſub ſpeciebus hujus Sacramenti id, in quod directè convertitur ſubſtantia panis, & vini præexiſtens; prout ſignificatur per verba formæ, quæ ſunt effectiva in hoc Sacramento, ut cum dicitur, hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus, hoc corroborat Divus Thomas docendo, (e) quod ex vi Sacramenti ſub hoc Sacramento continetur quantum ad ſpecies panis non ſolùm caro, ſed totum corpus Chriſti, ſcil. oſſa, nervi, & alia hujuſmodi, quod apparet in forma hujus Sacramenti, in qua dicitur hoc eſt corpus meum, non verò hæc eſt caro mea, quapropter quando Chriſtus Dominus dixit, caro mea verè eſt cibus, ſciendum eſt, quod tunc caro ponitur pro toto corpore, & hoc quia ſecundum conſuetudinem humanam videtur eſſe magis manducationi accommodata, prout ſcilicet homines carnibus animalium veſcuntur communiter, non autem oſſibus, vel aliis hujuſmodi.

e ib. ad 2.

Ex naturali verò concomitantia eſt in hoc Sacramento illud, quod realiter eſt conjunctum ei, in quod prædicta converſio terminatur, & quia converſio panis, & vini non terminatur ad divinitatem, vel animam Chriſti, jam benè ſequitur, quod divinitas, vel anima Chriſti non ſit in hoc Sacramento ex vi Sacramenti, ſed ex reali concomitantia, & hoc, quia divinitas corpus aſſumptum nunquam depoſuit, ſed ubicumque eſt corpus Chriſti, neceſſe eſt & ejus divinitatem eſſe; ac proinde, ait D. Thomas (f) in hoc Sacramento neceſſe eſt eſſe divinitatem Chriſti concomitantem ejus corpus. Hoc totum, quod docet Divus Thomas confirmationem accipit à Concilio Tridentino (g) his verbis, & ſemper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem, verum Domini noſtri corpus, verumque ejus ſanguinem ſub panis, & vini ſpecie, unà cum ipſius anima, & divinitate exiſtere, ſed corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub ſpecie vini, ex vi verborum, ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub utraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui jam ex mortuis reſurrexit, non amplius moriturus, inter ſe copulantur, divinitatem porrò propter admirabilem illam ejus cum corpore, & anima, hypoſtaticam unionem: (h) Et rurſus, ſi quis negaverit in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento contineri verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem, unà cum anima, & divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac proinde totum Chriſtum; Anathema ſit.

f ib. ad 1.

g ſeſſ. 13. c. 3.

h ſeſſ. 13. can. 1.

Ex quibus verbis Concilii non ſolùm videtur, quod confirmatur id, quod docet Divus Thomas (i) de accidentibus, quæ manent ſine ſubjecto in hoc Sacramento, & cum illa maneant, jam manifeſtum redditur, quod non convertuntur in aliquid Chriſti Domini, & ſic concedendum erit, quod dimenſiones panis, vel vini non convertuntur in dimenſiones corporis Chriſti, unde non erunt ex vi Sacramenti dimenſione corporis, & ſanguinis Chriſti; & hoc meritò, quia corpus Chriſti eſt in hoc Sacramento per modum ſubſtantiæ, & non per modum quantitatis De ratione autem totalitatis ſubſtantiæ eſt indifferenter ſe contineri in magna, & parva quantitate, eò modò, quò tota hominis natura in magno, vel parvo homine. Verùm etiam videtur confirmari id, quod docet Divus Thomas. (l) quod ſi in triduo mortis fuiſſet hoc Sacramentum celebratum, non fuiſſet ibi anima Chriſti, neq; ex vi verborum, neque ex reali concomitantia, eò quia non erat conjuncta, ſed ſeparata à corpore, ac per conſequens nec per concomitantiam in Sacramento eſſe poterat, in corpore, ſcilicet, & ſanguine Chriſti; Verùm quia ex mortuis reſurrexit, & non amplius moriturus, ut ait Concilium, & deſumpſit ex illo Pauli ad Roman. (m) Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur; anima ejus ſemper eſt realiter corpori ejus unita, ac proinde in hoc Sacramento corpus quidem Chriſtus eſt ex vi Sacramenti, ſeù verborum, anima autem Chriſti ex reali concomitantia.

i ib. ad 3.

l ib. ad 3.

m ſeſſ. 13. cap. 6.

Nec tantùm totus Chriſtus continetur ſub hoc Sacramento, ſed totus Chriſtus continetur etiam ſub utraque ſpecie hujus Sacramenti, & hoc eodem pacto quo anima Chriſti & ejus humanitas, atque

que ipſius divinitas continetur in eodem Sacramento.

Unde ſub ſpeciebus panis eſt quidem corpus Chriſti ex vi Sacramenti, ſed ſanguis ex reali concomitantia, ſub ſpeciebus verò vini eſt quidem ſanguis Chriſti ex vi Sacramenti, corpus autem Chriſti ex reali concomitantia; ſicut anima, & divinitas: & illud, quod modò dicitur de reali concomitantia & corporis, & ſanguinis, non poterat dici tempore paſſionis, ac mortis, teſte Divo Thoma, (n) nunc
n 3 p. q. 76 a. 2. ſanguis Chriſti non eſt ab ejus corpore ſeparatus, ſicut fuit tempore paſſionis, & mortis: ac proinde nunc eſt ex vi Sacramenti corpus Chriſti, & ex reali concomitantia ejus ſanguis, & è converſo, tunc autem tempore paſſionis, ſcilicet & mortis, non: & ideò ait, ſi tunc fuiſſet, quando ſcilicet paſſus, & mortuus eſt, hoc Sacramentum celebratum ſub ſpeciebus panis, fuiſſet corpus Chriſti ſine ſanguine, & ſub ſpeciebus vini ſanguis ſine corpore; ſicut erat in rei veritate, & quod dicitur de ſanguine, non poteſt dici de aliis partibus corporis, nam in paſſione Domini aliæ partes corporis ab invicem ſeparatæ non fuerunt, ſicut ſanguis, ſed, ut ait Divus Thomas,
o ib. ad 2. (o) corpus indiſſolutum permanſit, ut verificetur il-
p cap. 12. lud Exodi, (p) nec os illius confrigetis, loquendo de agno, qui præcipua figura erat agni noſtri immaculati Chriſti Domini; Quapropter mirum non debet eſſe, ſi in hoc Sacramento ſanguis, & non aliqua alia pars ſeorſum conſecratur à corpore: & hoc optimo jure inſtitutum eſt, ut ſeparatim duæ conſecrationes fierent: Siquidem & hoc factum eſt, ut paſſio Domini, in qua ſanguis à corpore diviſus eſt, magis referatur, cujus rei cauſa in conſecratione ſanguinem effuſum eſſe meminimus, quod deſumitur ex
q ad 3. Divo Thoma (q) dicente, in hoc Sacramento ſeorſum conſecratur ſanguis à corpore, non autem aliqua alia pars ab alia, quia in paſſione Chriſti, cujus hoc Sacramentum eſt materiale, non fuerunt aliæ partes corporis ab invicem ſeparatæ, ſicut ſanguis.

Pariter & hoc factum eſt, quia maximè conſentaneum fuit, ut quoniam Sacramento ad alendam animam utendum nobis erat, tamquam cibus, & potus inſtitueretur, ex quibus perfectum corporis alimentum conſtare perſpicuum eſt; quod deſumitur ex illo Joannis, caro mea verè eſt cibus, & ſanguis
r cap. 6. meus verè eſt potus; ut manifeſteretur per hoc Sacramentum illud eſſe quodam ſpirituale convivium ad cujus perfectionem requiruntur & cibus, & potus, unde mirum eſſe non debet, ſi etiam ad perfectionem hujus Sacramenti, quod eſt convivium ſpirituale, utraque ſpecies panis, & vini conſecra-
ſ ib. ad 2. ri debeat; nam ut ait Divus Thomas, (ſ) hoc eſt conveniens uſui hujus Sacramenti, ut ſeorſum exhibeatur fidelibus corpus Chriſti in cibum, & ſanguis in potum.

Et quamvis temporibus primitivæ Eccleſiæ conveniens fuerit, ut fideles ſub utraque ſperie ſumerent corpus, & ſanguinem Chriſti Domini, tamen à Patribus, & à Conciliis, præcipuè verò à Concilio Tridentino magis expediens viſum fuit, ut fideles ſumere debeant ſolùm ſub ſpecie una ipſum corpus Chriſti, non verò ſub alia ſpecie ipſius ſanguinem, unde legitur; quare agnoſcens Sancta Ma-
t ſeſſ. 21. cap. 2. ter Eccleſia (t) hanc ſuam in adminiſtratione Sacramentorum auctoritatem licet ab initio Chriſtianæ religionis non infrequens utriuſque ſpeciei uſus fuiſſet, tamen progreſſu temporis latiſſimè jam mutata illa conſuetudine gravibus, & juſtis cauſis adducta, hanc conſuetudinem ſub altera ſpecie communicandi approbavit, & pro Lege habendam decrevit, quam reprobare, aut ſine ipſius Eccleſiæ auctoritate pro libito mutare non licet.

Nec per hoc, quod fideles ſumant ſolùm ſub una ſpecie corpus Chriſti, inferendum eſt, quod totus, & integer Chriſtus non ſumatur a fidelibus, ſiquidem Concilium Tridentinum corroborando doctrinam Divi Thomæ aſſerentis, quod ſub ſpeciebus panis eſt corpus Chriſti ex vi Sacramenti, ex reali u ſeſſ. 2. cap. 13
concomitantia ſanguis ejus, ſtatuit, quod totus, & integer Chriſtus ſumitur ſub qualibet ſpecie, unde habetur, quamvis Redemptor noſter in ſuprema illa cœna hoc Sacramentum in duabus ſpeciebus inſtituerit, & Apoſtolis tradiderit, tamen fatendum eſt etiam ſub altera tantùm ſpecie totum, atq; integrum Chriſtum, verumq; Sacramentum ſumi; ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia neceſſaria ad ſalutem eos defraudari, qui unam ſpeciem ſolam accipiunt: x ib. can.
Unde & decrevit idem Concilium, (x) ſi quis dixerit ex Dei præcepto, vel neceſſitate ſalutis omnes, & ſingulos Chriſti fideles utramque ſpeciem Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſumere debere, anathema ſit. Quod colligitur ex Sacris literis, in quibus licet habeatur, niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, habetur etiam, ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et quamvis habeatur, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam, habetur etiam panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro Mundi vita: & licet habeatur, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet; & ego in illo; habetur etiam, qui manducat hunc panem, vivet in æternum: ergo concludamus, quod & ſub una ſpecie totus, & ſub utraque totus Chriſtus contineatur in hoc Sacramento. Et ſub utraque ſpecie idem, & totus Chriſtus ſumitur, quod deſumitur ex Gloſſa ſuper illud Pau- y p. c. 9.
li ad Corinth. (y) & calicem, ubi dicitur, ſub utraque ſpecie panis, ſcilicet & vini eidem ſumitur.

At nedum totus Chriſtus continetur ſub hoc Sacramento, & ſub utràque ſpecie panis, & vini, verùm etiam ſub qualibet parte ſpecierum panis, vel vini, & hoc tùm ex mente Divi Auguſtini dicentis, z de Conſ. 2.
(z) ſinguli accipiunt Chriſtum Dominum, & in ſingulis portionibus totus eſt, nec per ſingulas minuitur, ſed integrum ſe præbet in ſingulis: tùm ex mente Divi Thomæ (a) docentis, quod corpus Chriſti eſt in a 3 p. q. 76 a. 3.
hoc Sacramento per modum ſubſtantiæ, ſcilicet per modum, quo ſubſtantia eſt ſub dimenſionibus, non autem per modum dimenſionum, ſcilicet non per modum illum, quo quantitas dimenſiva alicujus corporis eſt ſub quantitate dimenſiva loci, & ideò relinquitur, quod totus Chriſtus eſt ſub qualibet parte ſpecierum panis, etiam hoſtia integra manente, & non ſolùm quando frangitur, ut etiam in ſequentia corporis Chriſti canit, dum ait, facto demùm Sacramento, ne vacilles, ſed memento, tantùm eſſe ſub fragmento, quantum toto tegitur; propter quod de- b ibid.
ſtruit Div. Thomas (b) exemplum illorum ponentium utique totum Chriſtum ſub qualibet parte ſpecierum panis manente integra hoſtia eſſe, non verò quando frangitur, in confirmationem dicti ponebant exemplum de Imagine apparente in ſpeculo, in integro enim una apparet, at in fracto apparent ſingulæ in ſingulis partibus.

Verùm quia iſti non intellexerunt, quod de ratione totius eſſentialis, de quo loquitur hic Divus Thomas, ſit, quod non ſolùm totum in toto, ſed etiam totum in qualibet parte ſit, juxta eumdem docentē, ſub qualibet parte aeris eſt tota natura aeris, ſub qualibet parte panis tota natura panis, cum ergo totus Chriſtus ſit in hoc Sacramento per converſionem ſubſtantiæ panis in ipſum, jam bene ſequitur quod ſicut ſubſtantia, panis erat tota in tota hoſtia & tota in qualibet parte, ſic & Chriſtus, totus eſt in tota hoſtia, & totus in qualibet parte ſecundum ſuam ſubſtantiam; ideò etiam malè poſuerunt exemplum de imagine, non enim viderunt, quàm valdè diſſimile ſit, eò quia multiplicatio imaginum accedit in ſpeculo fracto propter diverſas reflexiones ad diverſas partes ſpeculi; At hic non eſt, niſi una conſecratio, propter quam corpus Chriſti eſt in hoc Sacramento, & ideò videtur manifeſtum, quod non requiri-

quiritur multiplicatio corporis Chriſti ad diverſas partes hoſtiæ, etiam ſi frangatur; unde non eſt pars, etiam ſi minutiſſima ſit, in qua non contineatur totus, & integer Chriſtus in hoc Sacramento, ac proinde Divus Thomas poſtquam dixerit etiam in ſequentia. Caro cibus, ſanguis potus, manet tamen Chriſtus totus ſub utraque ſpecie, ſubdit illicò, à ſumente non conciſus, non confractus, non diviſus integer accipitur; quæ Divi Thomæ doctrina à Concilio Tridentino (c) accepta, & corroborata fuit, dùm ſtatuit,

c ſeſſ. 13. c. 3 in fin.

Quapropter veriſſimum eſt, tantumdem ſub altera ſpecie, atque ſub utraque contineri, totus enim, & integer Chriſtus ſub panis ſpecie, & ſub quavis ipſius ſpeciei parte, totus item ſub ſpecie vini & ſub ejus partibus exiſtit.

d ib. can. 3

Item decrevit, ſi quis negaverit in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub unaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri: Anathema ſit.

Diximus, quod corpus Chriſti eſt in hoc Sacramento per modum ſubſtantiæ, & non per modum quantitatis, & noſtrum dictum deſumitur ex Divo Thoma, (e) dum ait, corpus Chriſti comparatur ad hoc Sacramentum non ratione quantitatis dimenſivæ, ſed ratione ſuæ ſubſtantiæ; & hoc quia vult Divus Thomas, (f) quod quantitas dimenſiva corporis Chriſti non ſit in hoc Sacramento ex vi verborum, ſeù ex vi Sacramenti, ſiquidem ex vi Sacramenti eſt in hoc Sacramento illud, in quod directè converſio terminatur, & cum converſio panis in corpus Chriſti ſolùm directè terminetur ad ſubſtantiam corporis Chriſti, nullatenus autem ad ejus dimenſiones, hinc eſt, quod quantitas dimenſiva corporis Chriſti non eſt ex vi Sacramenti in hoc Sacramento: certum enim eſt, quod quantitas dimenſiva panis remanet facta conſecratione ſola ſubſtantia panis tranſeunte.

e 3. p. q. 76 a. 3. ad. 1.

f 3. p. q. 76 a. 4.

Quamvis autem quantitas dimenſiva corporis Chriſti non ſit ex vi Sacramenti in hoc Sacramento, eſt tamen ex reali concomitantia; non enim denudatur ſubſtantia corporis Chriſti, realiter à ſua quantitate dimenſiva, & aliis accidentibus; ac proinde non eſt quantitas dimenſiva corporis Chriſti ſecundum trinam dimenſionem, ſecundum ſcilicet longitudinem, latitudinem, & profunditatem, quod eſt eſſe in illo extenſè, ſed indiviſibiliter, juxta etiam Divum Thomam dicentem (g) quantitas dimenſiva corporis Chriſti non eſt in hoc Sacramento ſecundum modum commenſurationis, qui eſt proprius quantitas, ad quem pertinet, quod major quantitas extendatur ultrà minorem, ſed eſt ibi per modum ſubſtantiæ, quæ indiviſibilis eſt, (h) Unde & ait, quia igitur ex vi hujus Sacramenti eſt in altari ſubſtantia corporis Chriſti, quantitas ejus dimenſiva eſt ibi concomitanter & quaſi per accidens, ideò quantitas dimenſiva corporis Chriſti eſt in hoc Sacramento non ſecundum modum proprium, (ut ſcilicet ſit tota in toto, & ſingulæ partes in ſingulis partibus) ſed per modum ſubſtantiæ, cujus natura eſt tota in toto, & tota in qualibet parte; Nec hoc mirum, ſi jam per Div. Thomam quantitas dimenſiva panis remanet facta conſecratione; Certum enim eſt, inquit Divus Thomas, (i) quod duæ quantitates dimenſivæ non poſſunt naturaliter ſimul eſſe in eodem; ita ut utraque ſit ibi ſecundum modum proprium quantitatis dimenſivæ cum autem in hoc Sacramento quantitas dimenſiva panis ſit ſecundum modum proprium, ſcil. ſecundum commenſurationem quamdam non autem quantitas dimenſiva corporis Chriſti, cum ſit ibi per modum ſubſtantiæ, jam benè ſequitur quantitatem dimenſivam corporis Chriſti non eſſe in hoc Sacramento, niſi ex reali concomitantia; quod eſt eſſe in illo modo indiviſibili, in ordine tamen ad locum, non verò in re ipſa, & ſecundum ſeipſum, & in ordine ad ſe, quia habet poſitionem partium permanentium, & continuarum, unde in ordine ad ſe, nec per ſe, nec per accidens eſt indiviſibilis, & hoc ſicut & omne illud, quod diximus ex Divo Thoma, corroboratur ex Concilio Tridentino dicente (l) & quoniam in divino hoc Sacrificio, quod in Miſſa peragimus; idem ille Chriſtus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis, ſemel ſeipſum cruentè obtulit, ſe obtulit Chriſtus Dominus cum quantitate dimenſiva corporis, & cum omnibus ejus accidentibus, unde & Sacerdos offerendo Deo Patri Sacrificium illud, offert corpus Chriſti cum illa, & omnibus illis, quia verum corpus Chriſti, realiter præſentialiter, & ſubſtantialiter in Sacramento Euchariſtiæ continetur, & de facto ſubdit idem Conc. una enim, eademque eſt hoſtia, idemque nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in Cruce obtulit.

g ib. ad 3.

h ib. ad 2.

i ib. ad 2.

l ſeſſ. 22. c. 2

Diximus, quod ſubſtantia panis in ſubſtantiam utique corporis Chriſti convertitur, ſed numquam in magnitudinem, aut quantitatem, eſt hoc confirmavimus dicendo, quod corpus Chriſti & in hoc Sacramento per modum ſubſtantiæ, & non per modum quantitatis; ideòque numquam dicendum eſt, quod Chriſtus Dominus ſit in hoc Sacramento ut magnus, aut parvus eſt, cum hoc ad quantitatem pertineat, ſed dicendum eſt, quod ſit in hoc Sacramento, ut ſubſtantia eſt, de cujus totalitatis ratione eſt, indifferenter ſe contineri in parva, & magna quantitate, & cum ſit in hoc Sacramento, ut ſubſtantia eſt, benè ſequitur, ipſum corpus Chriſti eſſe in hoc Sacramento, ſed non ſicut in loco, maximè quia ex Concilio Tridentino jam vidimus, corpus Chriſti quantum eſſe modo indiviſibili in hoc Sacramento, & ſub ſpeciebus Sacramentalibus, ſcilicet totum in tota ſpecie, & totum in qualibet parte minima illius ſpecies; ad differentiam corporis quanti, illud enim licet totum ſit in toto loco, non tamen eſt totum in qualibet parte loci, ſed ſecundum unam partem eſt in una parte loci, & ſecundum aliam in alia parte loci; cum autem corpus Chriſti ſit totum in tota hoſtia, & totum in qualibet parte minima hoſtiæ, non erit in Sacramento, ſicut in loco, eò maximè quia, ait Div. Thomas, (m) non eſt in hoc Sacramento corpus Chriſti definitivè, aliàs non eſſet alibi, quàm in hoc altari, eò modò quo Angelus, cum ſit in loco definitivè, taliter eſt in uno loco, quod non poteſt eſſe in pluribus aliis ſimul adæquate ſumptis, & nihilominus corpus Chriſti eſt per ſe in Cælo ſub propria ſpecie, & in multis aliis altribus ſub ſpecie Sacramenti: Nec eſt in hoc Sacramento circumſcriptivè, cum non ſit ibi ſecundum commenſurationem propriè quantitatis, non enim eſt ibi per modum quantitatis, nec quantitas dimenſiva corporis Chriſti eſt in hoc Sacramento ſecundum modum commenſurationis, qui eſt proprius quantitas, nec comparatur corpus Chriſti ad hoc Sacramentum ratione quantitatis dimenſivæ, ſed eſt ibi ſolùm per modum ſubſtantiæ, relinquitur ergo, ait Divus Thomas, (n) quod corpus Chriſti non ſit in hoc Sacramento, ſicut in loco, ſed per modum ſubſtantiæ, eò modò quò ſubſtantia continetur à dimenſionibus; ſuccedit enim ſubſtantia corporis Chriſti in hoc Sacramento ſubſtantiæ panis.

m 3. p. q. 76 a. 5. ad 1.

n ib. ign.

Unde ſicut ſubſtantia panis non erat ſub ſuis dimenſionibus localiter, ſed per modum ſubſtantiæ, ita nec ſubſtantia corporis Chriſti, verùm tamen eſt, quod ſubſtantia corporis Chriſti non eſt ſubjectum illarum dimenſionum, ſicut erat ſubſtantia panis; ideòque ſubſtantia panis erat ibi localiter ratione ſuarum dimenſionum, quia comparabatur ad locum illum mediantibus propriis dimenſionibus; ſubſtantia autem corporis Chriſti comparatur ad locum illum mediantibus alienis dimenſionibus, Ita ut è converſò dimenſiones propriæ corporis Chriſti comparantur ad locum illum mediantè ſubſtantia, quod eſt contra rationem corporis locati.

Et rurſus ait Divus Thomas, (o) locus ille, in quo eſt corpus Chriſti, non eſt vacuus, neque tamen propriè eſt repletus ſubſtantia corporis Chriſti, quæ non eſt ibi localiter, ſed eſt repletus ſpeciebus Sacramentorum, quæ habent replere locum, vel

o ib. ad 1.

pro-

Digitized by Google

propter naturam dimenſionum, vel ſaltem miraculosè, ſicut & miraculosè ſubſiſtuot per modum ſubſtantiæ; unde oullo modo corpus Chriſti eſt in hoc Sacramento localiter; nullo modo, quia etiam ſi corpus Chriſti ſit in hoc Sacramento cum ſua quantitate dimenſiva, & cum omnibus ſuis accideotibus ſecundum realem concomitantiam, nihilominus tamen, ait Divus Thomas, (p) illa acci-
p ib. ad 3. dentia in hoc Sacramento, quæ ſuut ei intrinſeca, ut patet de quantitate, figura, &c. at eſſe in loco non eſt accidens intrinſecum, ſed eſt accidens per comparationem ad extrinſecum continens; Ideòque non oportet, quod Chriſtus ſit in hoc Sacramento, ſicut in loco: maximè etiam quia locus, & locatum oportet, quod ſiot æqualia, locus autem ubi eſt hoc Sacrameutum, eſt multò minor, quàm corpus Chriſti, & ſic de primo ad ultimum ſemper ſatendom erit, quod corpus Chriſti non ſit in hoc Sacramento, ſicut in loco.

Cum ergo in hoc Sacramento non ſit corpus Chriſti, ſicut in loco, conſequenter nec erit mobiliter in eodem, & hoc per ſe loquendo; nam per accidens utique movetur localiter ad motum ſpecierum, juxta
q 3. p q. 76 a. 6. doctrinam Divi Thomæ dicentis, (q) quod non eſt in loco, noo movetur per ſe in loco, ſed ad motum ejus, in quo eſt; Chriſtus autem ſecundum eſſe ſub hoc Sacramento non movetur per ſe ſecundom locum, ſed ſolùm per accidens; unde non eſt in hoc Sacrameoto, ſicut in loco, ac proinde immobiliter eſt in ipſo Sacramento per ſe loquendo; Nam certum eſt, quod per accidens corpus Chriſti movetur localiter unà cum ſpeciebus, & quod habetur ex doctrina Di-
ſeſ. 13. c. 5. vi Thomæ, confirmatur auctoritate Concilii Trid. (r) ubi habetur declarat Sancta Syoodus piè, ac religiosè admodum in Dei Eccleſia inductum fuiſſe hunc morem, ut ſingulis annis peculiari quodam, & ſeſto die præcelſum hoc, & venerabile Sacramentum ſingulari veneratione, ac ſolemnitate celebraretur; utque in proceſſionibus reverenter, & honorificè illud per vias, & loca publica circumferretur: & rurſus
ſ ſeſ. 13. c. 6 habetur, (ſ) porrò deferri ipſam Sacram Euchariſtiam ad infirmos: & poſtea decrevit idem Concilium, (t) ſi quis dixerit, nec feſtiva peculiari cele-
t ib. can. 5 britate venerandum, neque in proceſſionibus ſecundum laudabilem, & uoiverſalem Eccleſiæ ſanctæ ritum, & conſuetudinem ſolemniter circumgeſtandum; anathema ſit. (u) Et rurſus ſi quis dixerit, non licere,
u ib. can. 7. ut Sacra Euchariſtia ad infirmos honorificè deferatur, anathema ſit. Quapropter videtur & juxta mentem Divi Thomæ, & juxta Concilium Tridentinum corpus Chriſti moveri localiter ad motum ſpecierum: ſiquidem quomodo poſſet verificari, corpus Chriſti deferri proceſſionaliter, & ad infirmos, niſi moveretur localiter?

Et licet moveatur localiter ad motum ſpecierum, quod eſt moveri per accidens, numquam tamen per ſe movetur quacumque alia mutatione, puta augeri, calefieri, corrumpi ad corruptionem ſpecierum, quod eſt, quod dicit Divus Thomas, quantum ad hoc, quod deſinat eſſe ſub hoc Sacrameoto, & manifeſtatur ab illo; illud enim, inquit, quod habet eſſe de ſe indeficiens, noo poteſt eſſe deficiendi principium, ſed deficiente alio, ſcilicet re, in qua reperitur, deſinit eſſe in eo, ut clarè videtur in Deo, cujus eſſe eſt indeficiens abſolutè, & omnibus modis, ſicut, & immortale; unde ſi deſinit eſſe in aliqua creatura corruptibili, ſolùm deſinit eſſe in illa per hoc, quod creatura corruptibilis deſinit eſſe, ac proinde non deſinit eſſe per ſe, ſed per accidens ratione creaturæ.

Sic à ſimili dicendum eſt de corpore Chriſti in hoc Sacramento exiſtente; illud enim, ſcilicet corpus Chriſti, cum habeat eſſe ſub hoc Sacramento indeficiens, & incorruptibile, non deſinit eſſe ſub eodem Sacramento per motum localem, neque per hoc, quod ipſum deſinat eſſe; nam corpus iocorruptibile non augetur, nec minuitur, nec remittitur calore, ſed ſolùm deſinit eſſe per hoc, quod deſinunt eſſe ſpecies hujus Sacramenti, unde deſinit eſſe ſolùm per corruptionem ſpecierum. Hinc Divus Thomas, cor- x 3. p q. 75 a. 6 ad 1
pus Chriſti remanet in hoc Sacrameoto non ſolùm in craſtino, ſed etiam in futuro quouſque ſpecies Sacramentales manent: Quibus ceſſantibus deſinit eſſe corpus Chriſti ſub eis; non quia ab eis dependeat, ſed quia tollitur habitudo corporis Chriſti ad illas ſpecies, per quem modum Deus deſinit eſſe Dominus creaturæ deſinentis: per quam Doctrinam Divus Thomas (y) y ib. ad 2.
intendit excludere errorem quorumdam ponentium, quod corpus Chriſti non remanet ſub hoc Sacramento, ſi in craſtinum reſerventur, quæ inſania convincitur à Cyrillo dicente, inſaniunt quidam dicentes myſticam benedictionem ceſſare à ſanctificatione, ſi quæ ejus reliquiæ remanſerint in diem ſubſequentem; non enim mutatur ſanctum Chriſti corpus, ſed virtus benedictionis, & vivificativa gratia jugis in eo eſt; ſicut & omnea aliæ conſecrationes immobiliter maneot permanentibus rebus conſecratis, propter quod non iterantur.

Et hunc errorem, quem excludit Divus Thomas,
(z) et Divus Cyrillus etiam reſpuit, ut talis & à z ſeſ. 13 c. 5
Concilio Tridentino damnatur; conſuetudo aſſervandi in Sacrario ſacram Euchariſtiam adeò antiqua eſt, ut eam ſecundum etiam Niceni Concilii agnoverit. Quare hæc Sancta Synodus, retinendum omninò ſalutarem hunc, & neceſſarium morem ſtatuit: (a) Unde a ſeſ. 13 c. 7
& decrevit, ſi quis dixerit, non licere ſacram Euchariſtiam io ſacrario reſervari, ſed ſtatim poſt conſecrationem aſtantibus neceſſariò diſtribuendam: anathema ſit. De cætero ſolùm circa hoc reſtat dicendum, ut intelligamus id, quod diximos, ſcilicet quod corpus Chriſti movetur per accidens ad motum ſpecierum, hoc enim non intelligitur, ita ut reſultet alius motus in ipſo corpore Chriſti, eò ferè modò, quò ex motu navis reſultat alius in Nauta; ſed intelligitur, ita ut per eumdem motum ſpecierum, tamquam per formam dicatur corpus Chriſti moveri nullo motu intrinſecè recepto in ſe, eò quia Chriſtus prout eſt in Euchariſtia, non eſt in loco per ubi ſibi intrinſecum, & inhærens, ſed per ubi extrinſecum, & inhærens ipſi quantitati, & ideò motus localis, qui eſt variatio illius ubi, non eſt intrinſecè in corpore Chriſti, ſed ſolùm extrinſecè, & inhærens ſpeciebus.

Corpus Chriſti cum non ſit in hoc Sacramento per modum quantitatis, de cujus ratione eſt occupare locum, & commenſurari, & circumſcribi loco, ſed ſit in illo per modum ſubſtantiæ, & cum illa non ſolùm ab oculo corporali inviſibilis reddatur, verùm etiam ab oculo intellectuali, (ſic enim dicitur per ſimilitudinem,) ab illo tamen qui propter unionem ad corpus impedimentum accipit, ne videat, hoc eſt ne proſpiciat ſubſtantiam rei, quamvis illam intendat. Unde be- b 3. p q. 76 a. 7.
ne dicitur à Divo Thoma, (b) quod corpus Chriſti à nullo oculo corporali videri poteſt, prout eſt in hoc Sacramento, nam accidentia corporis Chriſti ſunt in hoc Sacramento mediante ſubſtantia, ita ut accidentia corporis Chriſti non habeant immediatã habitudinem, neque ad hoc Sacramentum, neque ad corpora, quæ ipſum circomſtant, unde non poſſunt immutare medium imprimendo ſpecies illius corporis in medio corpore, ut ſic ab aliquo oculo corporali videri poſſint accidentia, & per iſta ſubſtantia corporis Chriſti: immò remanet certum ex iis, quæ ſupradiximus, ſcil. quod corpus Chriſti in hoc Sacramento eſt per modom ſubſtantiæ, ſubſtantia autem in quantum hujuſmodi non eſt viſibilis oculo corporali, neque ſubjacet alicui ſenſui, nec imaginationi, ſed ſoli intellectui ſit cognoſcere de objecto, quod quid eſt, & conſequenter videre eſſentiam illius, ideòque corpus Chriſti, propriè loquendo, ſecundum modum eſſendi, quem habet in hoc Sacramento, neque ſenſu, neque immaginatione eſt perceptibile; & de facto ait Divus Thomas, (c) quod oculus noſter corporeus per ſpecies Sa- c ib. ad 1.
cramentales impeditur à viſione corporis Chriſti ſub eis exiſtentis, non ſolùm per modum tegumenti, ſi-
cut

Digitized by Google

cur impedimur videre id, quod eſt velatum quocumque corporali velamine, ſed quia corpus Chriſti non habet habitudinem ad medium, quod circumſtat hoc Sacramentum mediantibus propriis accidentibus, ſed mediantibus ſpeciebus Sacramentalibus, ſi autem eſt perceptibile, eſt perceptibile ab intellectu ſolo, qui dicitur oculus ſpiritualis.

Verùm de intellectu diverſimodè etiam diſcurrendum eſt, nam ab intellectu divino eſt ſecundum ſe viſibile corpus Chriſti, nam viſibilium, & inviſibilium creator eſt Deus, unde nihil poteſt eſſe illi abſconditum, ſed omne & naturale, & ſupernaturale eſſe habens ab illo perceptibile eſt, & ideò Divus Thomas ait; quia modus eſſendi, quo Chriſtus eſt in hoc Sacramento, eſt penitus ſupernaturalis, à ſupernaturali intellectu, ſcilicet divino, ſecundum ſe viſibilis eſt, ad differentiam intellectus Angelorum, vel Beatorum, utique enim ab intellectu horum videri poteſt corpus Chriſti, ut eſt in hoc Sacramento, ſed non ſecundum ſe, ſed ſolùm ſecundum quamdam participationem, nempe ſecundum quamdam participatam claritatem divini intellectus videndo ea, quæ ſunt ſupernaturalia per viſionem divinæ eſſentiæ, in cujus claritate relucet modus eſſendi, quo Chriſtus eſt in hoc Sacramento; & hoc etiam ad differentiam tùm intellectus hominis viatoris, cui ſupernaturalia non ſunt nota, niſi per fidem, & ideò ab intellectu illius non poteſt concipi; niſi per fidem, ſicut, & cætera ſupernaturalia, tùm intellectus Angelici ſecundum ſua naturalia, propter quæ non eſt ſufficiens ad intuendum corpus Chriſti in hoc Sacramento, quia modus, quo Chriſtus eſt in hoc Sacramento, quia modus, quo Chriſtus eſt in hoc Sacramento eſt omninò ſupernaturalis, & objectum cognitionis naturalis Angelorum non excedit entia naturalia, nec ex ſola facultate naturæ extendi poteſt ad cognitionem ſupernaturalem.

Tùm deniq; dæmonum, qui non poſſunt videre per intellectum in hoc Sacramento Chriſtum, niſi per fidem, aut licet voluntariè non aſſentiant, ſunt tamen convicti per evidentiam ſignorum, hoc eſt per tot miracula, quæ ab illis obſervata fuerunt, & ab hoc Sacramento præſtita, propter quod ab Apoſtolo Jacobo dicitur *(d)* dæmones credunt, & contremiſcunt. Væ Calvino; Væ Luthero, væ omnibus illis, qui male ſentiunt de hoc ineffabili Sacramento, utpotè quia pejores facti ſunt dæmonibus; quoniam iſti, ut diximus, credunt, & contremiſcunt, illi increduli facti ſunt, & abſque pavore ſpernunt illud: Verumtamen quia Dei Judicium abyſſus multa, quid mirum ſi jam judicium Dei venit ſuper illos, etenim ſecutum eſt judicium, & deſcenderunt in profundum, quaſi lapis, ob gravitatem ſcilicet ſuorum ſcelerum, & ſi in centro abyſſi poſiti, in illo tamen numquam acquiſituri ſunt requiem; ſiquidem vermis eorum, conſcientia, ſc. ipſorum non morietur, unde ſemper in deſperatione erunt.

d cap. 2.

Sed quid dicendum de oculo corporali Chriſti? De iſto utique dicemus, quod dicit Divus Thomas *(e)* quod oculus corporalis Chriſti, videt utique ſeipſum ſub hoc Sacramento exiſtentem, non tamen poteſt videre ipſum modum eſſendi, quo eſt in hoc Sacramento, quod pertinet ad ſolum intellectum, unde & dicitur, quod nec anima Chriſti cognitione naturali intuetur modum, quo corpus Chriſti eſt in hoc Sacramento, ſicut cognitione naturali non intuetur Myſterium Incarnationis, & hoc quia modus eſſendi in hoc Sacramento eſt penitus ſupernaturalis, & ideò non niſi à ſupernaturali intellectu, vel ipſius participatione eſt in ſe intelligibilis.

e 3 p. q. 76. a. 7. ad 2.

Sed quid dicam de apparitione miraculoſa carnis, vel pueri in hoc Sacramento? Eſt ne enim ibi verè corpus Chriſti?

Utique dicam cum Divo Thoma, quod facta apparitione carnis, vel pueri, adhuc Chriſtus eſt ſub hoc Sacramento; verùm per talem apparitionem non videtur corpus Chriſti, ut eſt in ſe, & hoc quia corpus Chriſti non poteſt in propria ſpecie videri, niſi in uno loco, in quo continetur definitivè, & circumſcriptivè, utroque autem modo eſt in cælo, & cum in cælo in propria ſpecie videatur, & adoretur in cælis, jam non erit definitivè idem in hoc Sacramento, & conſequenter nec videri poterit ſub propria ſpecie in eodem.

f 3 p. q. 76. a. 8.

Nec per talem apparitionem ſequitur, quod ſit deceptio, ut accidit in Magorum præſtigiis, & hoc quia fit in figuram cujuſdam veritatis ad oſtendendum, ſcilicet per hanc miraculoſam apparitionem eſſe verè corpus Chriſti ſub hoc Sacramento, eo modò quò Chriſtus abſque deceptione apparuit diſcipulis euntis in Emaus, ſic legitur Lucæ, & factum eſt, dum fabularentur, *(g)* & ſecum quærerent, & ipſe Jeſus appropinquans ibat cum illis; oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent. Quod fecit ad oſtendendum, quod non debebant dubitare de Morte, & de Reſurrectione ipſius Chriſti Domini, ſed credere debebant ipſum verè eſſe Redemptorem generis humani, ipſum eſſe verè filium Dei, immò credere debebant omnia, quæ & ipſis duobus, & aliis Apoſtolis dixit de ſeipſo, quapropter intelligendo, quomodo in fide ſtabiles non erant, ſed dubitabant de ejus Reſurrectione, dixit ad illos, O ſtulti, & tardi corde ad credendum in omnibus; quæ locuti ſunt Prophetæ. Nonnè hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Idcircò videtur manifeſtum, quod talis apparitio facta illis Diſcipulis fuit figura veritatis ipſius Chriſti Domini, nec per illam apparitionem decepti ſunt Apoſtoli, ſed magis corroborati ſunt in fide, dùm dixerunt, nonnè cor noſtrum ardens erat in nobis, cum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas. Sic & in præſenti dicitur, quod non eſt deceptio, quando apparet in hoc Sacramento caro, vel puer, ſed eſt figura veritatis, quæ eſt, ut ibi ſit verè corpus, & ſanguis Chriſti. Unde dicendum eſt; quod licet in tali apparitione non videatur propria ſpecies Chriſti, videtur tamen ſpecies miraculoſè formata, vel in oculis intuentium, vel in ipſis dimenſionibus Sacramentalibus, quæ ſunt fundamenta aliorum accidentium, puta figuræ coloris, &c. ut ait Divus Thomas. *(h)* Unde illis remanentibus remanet etiam corpus Chriſti in hoc Sacramento, eò quia, vel remanent ſpecies Sacramentales totaliter in ſeipſis, vel ſecundum id, quod eſt principale in his, juxta Divum Thomam facta tali apparitione ſpecies Sacramentales quandoque quidem totaliter manent in ſeipſis, quandoque autem ſecundum quod eſt principale in eis:

g cap. 24.

h ib. ad 1.

Si in ſeipſis remanent ſpecies Sacramentales, indubitatum eſt, eſſe corpus Chriſti, & ideò dixit Divus Thomas, *(i)* quod per hunc modum, quia nulla immutatio fit ex parte Sacramenti, manifeſtum eſt, quod non deſinit eſſe Chriſtus ſub hoc Sacramento facta tali apparitione. Si ſecundum, quod eſt principale in eis, ſc. ſecundum quantitatem dimenſivam cum iſta ſit fundamentum, & ſubjectum accidentium, remanentium in hoc Sacramento, non eſt dubitandum, an in illis ſit, vel deſinat eſſe corpus Chriſti, ſed certiſſimè tenendum eſt eſſe verè illud, eò maximè quia illa hoſtia non indiget alia conſecratione, quod eſt, quod docet Divus Thomas *(l)* dimenſiones panis, vel vini conſecrati manent immutatione circa eas miraculosè facta, quantum ad alia accidentia, puta figuram, colorem, & alia hujuſmodi, unde de primo ad ultimum dicendum eſt, quod remanentibus dimenſionibus verè remanet corpus Chriſti in hoc Sacramento, cum apertè etiam dicat Divus Thomas, *(m)* quod eadem reverentia exhibetur ei, quod apparet, quæ etiam primo exhibebatur, hoc autem non fieret, ſi verè corpus Chriſti, vel Chriſtus ibi non eſſet, cui reverentiam hoſtiæ exibemus.

i 3 p. q. 76. a. 8. in c.

l ib. ad.

m ib. in fi. circa.

Reliquum eſt, ut dicamus, quod ſi miraculoſè corpus Chriſti in altari ſub ſpecie carnis appareat, aut ſanguis ſub ſpecie vini, non eſt ſumendum, ſed debet cum reliquiis poni, quinimò legitur, ait Divus Thomas, *(n)* quandoque eſſe incluſum, & multorum Epiſcoporum Concilio in Pixide reſervatum, Nec propter hoc Sacerdos tranſgreſſor efficitur, quia ea, quæ

n ib. in 9.

mira-

miraculosè fiunt, non ſubduntur legibus, ac propterea, ait Divus Tho. (o) conſulendum eſſet Sacerdoti, quod iteratò corpus, & ſanguinem Domini conſecraret, et ſumeret. o 3.p.q.83 a.4 ad 3

Super Quæſtionem ſeptuageſimam ſeptimam.

De remanentibus in Sacramento accidentibus,

MAnifeſtum eſt, quod non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum, ſic Angelus pronunciavit ex ore Altiſſimi, ut teſtatur Lucas, (a) & de facto videmus, quod juxta promiſſiones, quas fecit Dominus Abrahæ, Sara genuit in ſenectute Iſaac, ſiquidem Deo non eſt difficile quidquam. Eliſabeth in ætate provecta, non fuit impoſſibile illi, ut pareret filium, de quo dicitur, inter natos mulierum non ſurrexit major Joanne Baptiſta, non fuit impoſſibile, quod Virgo pareret filium ſuum primogenitum, & vocatum eſt nomen ejus Jeſus, utpote de Spiritu Sancto plena, ut Angelus ad Mariam dixit, Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbabit tibi; quod enim naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei, ſi ergo hæc, & alia, quæ operatus eſt Deus ſecundum imperium voluntatis ſuæ, & ſecundum virtutem ſuæ omnipotentiæ, quamvis difficilia, atque impoſſibilia juxta ſtatura naturæ, facta ſunt, quid mirum erit poſtea, ſi accidentia panis, & vini in Sacramento Euchariſtiæ remaneant ſine ſubjecto? An Deus eſt virtutis limitatæ, quod unum, vel alterum poterit, & non omnia facere? Certum eſt enim, quod effectus magis dependet à cauſa prima, quàm à cauſa ſecunda, ſi hoc verum eſt, quare poſtea dubitandi locus erit, quod Deus, qui eſt prima cauſa ſubſtantiæ, & accidentis, per ſuam infinitam virtutem conſervare poteſt in eſſe accidens, ſubtracta ſubſtantia, per quam conſervabatur in eſſe, ſicut propriam cauſam.

a Cap. 1

b Cap. 18

Inter quæ tamen accidentia, quæ remanent ſine ſubjecto, primum locum tenet quantitas dimenſiva panis, vel vini, utpote quia omnia ſubjectantur in illa, in illa, quaſi gerente vicem ſubſtantiæ; & principii receptivi, & ſuſtentativi; etenim ſi rotunditatem videmus in hoſtia, hanc per quantitatem videmus, ſi figura, per dimenſivam quantitatem, ſi colorem, utpote ſubjectatum, & ſuſtentatum à quantitate, quæ ſecundum ſe habet quamdam individuationem.

Quæ accidentia ſive ſpecies Sacramentales remanentes in hoc Sacramento & immutare poſſunt aliquod extrinſecum, hoc eſt poſſunt habere omnes ſeparationes, quas habebunt in Sacramento, nam divina virtute datum eſt talibus ſpeciebus, ut remaneant in ſuo eſſe, quod habebant ſubſtantia panis, & vini exiſtente, & licet ſint formæ ſine materia, retinent tamen idem eſſe, quod habebant prius in materia, & cum retineant idem eſſe, quod prius habebant, quid mirum, ſi poſtea eſſe ſpecierum Sacramentalium corrumpi poſſit ſubſtantia panis, vel vini abeunte? Ultra quod experientia nobis hanc veritatem manifeſtat, cum videamus ex illis ſpeciebus conſecratis generari vermes ob humiditatem, vel cineres, ſi comburantur, & talis corruptio non eſt miraculoſa, ſed naturalis; ſicut nec generatio, etenim quidquid poſſet generari ex materia panis, vel vini, ſi adeſſet, totum poteſt generari ex prædicta quantitate dimenſiva panis, vel vini: non quidem novo miraculo, ſed ex vi miraculi prius facti. Poſſunt denique, & nutrire, & hoc deducitur ex præmiſſis, nam ſi poſſunt converti in ſubſtantiam aliquam, quæ ex eis generatur, per eamdem rationem poſſunt converti in corpus humanum, per quam poſſunt converti in cineres, vel vermes, & ideò manifeſtum eſt, quod nutriunt.

Pariter tales ſpecies franguntur in hoc Sacramento quoniam certum eſt, quod nec corpus Chriſti frangitur, cum ſit incorruptibile, neque ſubſtantia illarum ſpecierum, cum non maneat, unde ſolùm franguntur ſpecies illæ, utpote quia remanet quantitas, quæ ſub diviſione cadit, non enim dividitur, niſi illud, quod eſt quantum.

Denique vino conſecrato miſceatur aliquis liquor ſicut de facto commiſceri poteſt, dicendum eſt, quod ſi fiat tanta permixtio liquoris, ut pertingat ad totum vinum conſecratum, & fiat permixtum, erit aliud numero, & non remanebit ibi ſanguis Chriſti. Si verò fiat tam parva alicujus liquoris adjunctio, quod non poſſit diffundi per totum, ſed uſque ad aliquam partem ſpecierum deſinet eſſe ſanguis Chriſti ſub illa parte vini conſecrati, remanebit tamen ſub alia. Hæc D. Thom.

Diximus ſupra, & jam ſatis demonſtravimus, corpus Domini, & ſanguinem ejus in hoc Sacramento eſſe, non autem amplius reperiri ſubſtantiam panis, & vini, cum jam & converſa ſit in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti, & facta ſit tranſubſtantiatio; quod nequit dici de accidentibus panis, & vini, utpote quia talia accidentia Chriſti corpori, & ejus ſanguini inhærere non poſſunt; unde relinquitur, quod accidentia illa panis, & vini ſine ſubjecto maneant; quod autem maneant ſine ſubjecto, eſt ſupra ordinem naturæ communem, juxta quem ordinem certum, & indubitatum eſt, quod accidens nequit eſſe ſine ſubjecto; at ſi reſpiciatur ad ordinem gratiæ, non erit nec etiam negandum, quod accidentia in hoc Sacramento ſine ſubjecto ſint: unde Divus Thomas, (c) licet ſit ſecundum communem naturæ ordinem, quod accidens ſit in ſubjecto, ex ſpeciali tamen ratione ſecundum ordinem gratiæ accidentia ſunt in hoc Sacramento ſine ſubjecto; (d) Quapropter Gregorius dixit, quod ſpecies Sacramentales ſunt illarum rerum vocabula, quæ ante fuerunt, ſcilicet panis, & vini, & quia jam remanet ſubſtantia panis, & vini videtur, quod hujuſmodi ſpecies remaneant ſine ſubjecto, & Divus Thomas ait, (e) quod licet hujuſmodi accidentia acquiſierint eſſe individuum in ſubſtantia panis, & vini, nihilominus tamen ſubſtantia panis, & vini converſa in corpus, & ſanguinem Chriſti, remanent virtute divina accidentia in illo eſſe individuato, quod prius habebant; ideòque ſingularia ſunt, & ſenſibilia, ac proinde hoc non fit, ſicut nec datur ad decipiendum, ſed ſolùm propter fidem, quæ, ut inquit Gregorius, non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum; & hoc ultra rationem, quam adducit D. Thomas, & nos in hanc formam illam reducimus, ſubſtantia humani corporis eſt ſolùm capax, ut afficiatur accidentibus propriis, & quia accidentia panis, & vini ſunt impropria corpori humano, maximè impaſſibili, de cujus ratione eſt non alterari ad ſuſcipiendum id, quod illi convenit, certum enim eſt, quod tunc alteraretur, quoniam ſuſciperet accidentia non ſua, ut colligitur ex Boetio dicente, manifeſtum eſt etiam, quod hujuſmodi accidentia non ſunt in ſubſtantia corporis, & ſanguinis Domini, ſicut in ſubjecto, quia ſubſtantia humani corporis nullo modo poteſt his accidentibus affici, neque etiam eſt poſſibile, quod corpus Chriſti glorioſum, & impaſſibile exiſtens alteretur ad hujuſmodi qualitates ſuſcipiendas.

c 3.p.q.77 a.1

d de conſ. diſt. 2 cap Species.

e ad 3

f de Trin.

Ultrà ergo rationem, & auctoritatem adductam firmiter, fideliterque eſt credendum accidentia hujuſmodi in hoc Sacramento ſine ſubjecto ſubſiſtere; & quod ſit de fide credendum ſtatuit, atque decrevit Concilium Tridentinum, (g) in quo habetur, ſi quis negaverit mirabilem illam, & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem manentibus dumtaxat ſpeciebus panis, & vini: Anathema ſit.

g Seſſ. 13. can. 2.

Idcircò correctione indigent illi, qui dicunt, quod talia

talia accidentia ſunt, ſicut in ſubjecto in aere circumſtante, eò quia non animadverterunt, quomodo aer talium accidentium non eſt, nec poteſt eſſe ſuſceptivus; ſicut nec talia accidentia ſunt, ubi eſt aer, quinimò ad motum harum ſpecierum aer depellitur, & illa ingrediuntur ad motum aeris: Et quia etiam ignoraverunt, quod accidentia non tranſeunt de ſubjecto in ſubjectum, non enim poteſt fieri, quod idem numero accidens, quod primò fuit in uno ſubjecto, poſtmodum in alio ſit; accidentia enim numerum accipiunt à ſubjecto, unde non poteſt eſſe, quod idem numero manens, ſit quandoque in hoc, quandoque in illo ſubjecto; ſicut quia cum aer non expolietur accidentibus propriis, non poteſt induere aliena:

N. ergo recurrendum eſt ad miraculum, ſiquidem licet hoc ſit opus divinæ virtutis, Omnipotentiæ, & ſummæ Providentiæ, attamen hoc non ſit miraculosè per conſecrationem, eò quia ut diximus ſæpè ſæpius verba conſecrationis non efficiunt, niſi id, quod ſignificant; cum autem non ſignificent, quod in aere ſubjectentur, jam ſine dubio concedendum erit, eſſe ſine ſubjecto, & hoc per virtutem Dei, qui cum ſit prima cauſa ſubſtantiæ, & accidentis per ſuam infinitam virtutem conſervare poteſt in eſſe accidens, ſubtracta ſubſtantia; per quam conſervabatur in eſſe, ſicut per propriam cauſam, & quod dicitur de eſſe exiſtentiæ accidentis, dicitur etiam de aliis effectibus naturalium cauſarum, cum Deus ſit potens producere aliarum cauſarum naturalium ſine cauſis naturalibus, quis namque formavit humanum corpus ſine virili ſemine, niſi Deus? juxta illud, quod docuit Div. Th.

h 1 p. q. 22 a. 4 ad 4. (h) virtus ſupernaturalis divina cum ſit infinita, ſicut non eſt determinata ad unum effectum, ita non eſt determinata ad producendi modum quemcumque effectum; & ideò ſicut virtute divina fieri potuit, ut primus homo de limo terræ formaretur, ita etiam fieri potuit, ut divina virtute corpus Chriſti formaretur de Virgine abſque virili ſemine: Quid ergo mirum ſi etiam virtute divina accidentia panis, & vini in hoc Sacramento exiſtant abſque ſubjecto: eſſet tamen mirum, ſi ab aliquo gerente virem ſubſtantiæ, quod eſt quantitas dimenſiva exiſterent, & hoc, quia ipſa primum locum tenet inter omnia alia accidentia. Unde D.

i 3 p. q. 77 a. 2 ad 1. Th. (i) docet, quod alia accidentia etiam ſecundum, quod erant in ſubſtantia panis, individuabantur mediante quantitate dimenſiva, juxta illud, quod docuit, (l) individuationis principium eſt quantitas dimenſiva, & ideò potius quantitas dimenſiva eſt ſubjectum aliorũ accidentiũ remanentiũ in hoc Sacramento, quàm è converſo, & de facto accidentia materialia ſubjectantur in materia, non immediatè, ſed mediante quantitate, quæ eſt ſubjectum immediatum eorum, & quantitas eſt primum accidens materiale, teſte etiam Philoſopho dicente, (m) quod diviſio accidit ſubſtantiæ ratione quantitatis, cum autem quantitas ex eo, quod eſt à ſubſtantia panis ſeparata, non perdat per hoc ſuam rationem ſubſtantialem, hinc eſt, quod rectè ſequitur, quod ſicut erat prius ſubjectum accidentium, ita etiam ſeparatione facta à ſubſtantia remanet ſubjectum eorum, & licet materia ſit primum ſubjectum, quia tamen diſpoſitio materiæ eſt quantitas dimenſiva, conſequens eſt; ut omnia alia accidentia referantur ad ſubjectum mediante quantitate dimenſiva, ſicut ut ait Divus Thomas, (n) primum ſubjectum colorum dicitur eſſe ſuperficies, & quia ſubdit Divus Thomas, ſubtracto ſubjecto remanent accidentia ſecundum eſſe, quod prius habebant, hinc ſequitur, quod omnia accidentia remaneant fundata ſupra quantitatem dimenſivam; dicitur, omnia accidentia, quia non intendimus excludere rarum, & denſum, quæ accidentia licet non poſſint eſſe in quantitate dimenſiva præter materiam exiſtente ſecundum modum naturalem, poſſunt tamen eſſe in illa ſecundum modum ſupernaturalem, teſte D. Th. docente (o) non enim debet eſſe magis mirabile, quod per divinam virtutem conſerventur alia accidentia, ſubtracta ſubſtantia quàm quod per eamdem virtutem divinam ſubtracta materia conſerventur qualitates materiam conſequentes, ſicut rarum, & denſum; ſicut licet ordine naturali accidens per ſe non poſſit eſſe ſubjectum alterius accidentis, quia accidens per ſe non exiſtit, neque ſubſiſtit nihilominus tamen ordine ſupernaturali accidens per ſe poteſt eſſe ſubjectum alterius accidentis, juxta Divum Thomam, (p) quando accidenti datur divinitùs, ut per ſe ſit, poteſt etiam per ſe alterius accidentis ſubjectum eſſe; ac proinde dicendum utique eſt, & firmiter aſſerendum, quod in hoc Sacramento dividuntur qualitates remanentes in hoſtia, ut ſunt albedo, color, ſapor, &c. per diviſionem quantitatis, quæ ſolùm remanet extenſa, & de facto dividitur ad diviſionem, cujus etiam dividitur albedo, ut patet ad ſenſum; Unde Divus Thomas ait, neceſſe eſt dicere, accidentia alia, quæ remanent in hoc Sacramento eſſe, ſicut in ſubjecto, in quantitate dimenſiva panis, & vini remanente, cum etiam quantum ad ſenſum appareat aliquid quantum eſſe coloratum, & aliis accidentibus affectum, nec in talibus ſenſus decipitur, ſicut nec decipi debet intellectus ad firmiter concedendum, nec voluntas ad fideliter credendum; quod etiam quacumque diviſione facta ipſius hoſtiæ ſemper totus, & integer Chriſtus perſeveret, ut habetur etiam ex Divo Thoma in ſequentia corporis Chriſti, fracto demùm Sacramento, ne vacilles, ſed memento, tantum eſſe ſub fragmento, quantum toto tegitur. Nulla rei fit ſciſſura, ſigni tantùm fit fractura; qua nec ſtatus, nec ſtatura ſignati minuitur.

Cum autem accidentia remaneant in hoc Sacramento ſecundum illud eſſe, quod prius habebant, rectè ſequitur, quod nedùm ſpecies Sacramentales, (hoc eſt accidentia panis, & vini) ſub quibus etiam ſi diverſis abſcondantur res eximiæ, ſignis tamen, non rebus, ut benè canit Divus Thomas in ſequentia corporis Chriſti ſub diverſis ſpeciebus ſignis tantùm, & non rebus latent res eximiæ, in hoc Sacramento remanentes immutare poſſunt aliquod extrinſecum, verùm etiam & corrumpi, & ex illis aliquid generari, ſicut & nutrire. Et quod primò immutare poſſint aliquod extrinſecum hoc eſt, quod poſſint habere omnes operationes, quas habebant in hoc Sacramento, habetur ex Divo Thoma, jam conſtat, (q) quod ſpeciebus Sacramentalibus datum ſit divina virtute, ut remaneant in ſuo eſſe, quod habebant, ſubſtantia panis, & vini exiſtente, quapropter meritò & dicitur, quod ſecundum ſuum eſſe aſſimilantur formis, quæ ſunt in materia; cum jam retineant idem eſſe, ait Divus Thomas, (r) quod habebant priùs in materia, etiam ſi ſint formæ ſine materia exiſtentes; Unde conſequens videtur eſſe, quod etiam remaneant in ſuo agere, ideòque omnem actionem, quàm poterant agere, ſubſtantia panis, & vini exiſtente, poſſunt etiam agere, ſubſtantia panis, & vini tranſeunte in corpus, & ſanguinem Chriſti, quòd magis explicando hoc docuit, (ſ) ſicut divina virtute datur ſpeciebus Sacramentalibus, ut poſſint eſſe ſine ſubſtantia, ita datur eis, ut poſſint agere ſine forma ſubſtantiali virtute Dei, & hoc quia ab illo, ut à primo agente, dependet omnis actio formæ ſubſtantialis. Idcircò nullum dubium eſſe debet, quod ſpecies Sacramentales poſſint immutare exteriora corpora, eò maximè quia tunc non agunt virtute propria, ſed virtute principalis agentis, propterea certum, & indubitatum eſt, quod nihil agit ultra ſuam ſpeciem virtute propria, ſed virtute principalis agentis, ut benè ait Divus Thomas, (t) immutatio, quæ eſt ad formam ſubſtantialem, non fit à forma ſubſtantiali immediatè, ſed mediantibus qualitatibus activis, & paſſivis, quæ agunt in virtute formæ ſubſtantialis, quæ tamen virtus inſtrumentalis conſervatur in ſpeciebus Sacramentalibus divina virtute, ſicut & prius erat; ideòque poſſunt agere ad formam ſubſtantialem inſtrumentaliter, & per hunc modum aliquid poteſt agere ultra ſuam ſpeciem, non quaſi vir-

ſi virtute propria, ſed virtuto principalis agentis.

Secundò quod corrumpi poſſint ſpecies Sacramentales, deducitur ex iis, quæ dicta fuerunt, ſcilicet quod illæ ſpecies retinent idem eſſe, quod prius habebant, ſubſtantia panis, & vini exiſtente, (quod utique ſit virtute divina, in cujus poteſtate cum jam ſint omnia, non videtur poſtea admiratione dignum, nec locus eſſe dubitationis, ut poſſit per omnipotentiam ſuam ſubſtentare accidentia ſine ſubjecto,) & quia, ut ait Divus Thomas, (u) eſſe horum accidentium, ſive ſpecierum u 3 p. q. 77. a. 4 Sacramentalium corrumpi poterat exiſtente ſubſtantia panis, & vini, hinc ſequitur, quod etiam eſſe illorum poteſt corrumpi, illa ſubſtantia panis, & vini abeunte, quod magis certum apparet ex eo, quod ſenſu deprehenditur, hoſtias conſecratas putreſieri, & corrumpi, & ideò negari non poteſt, quod tales ſpecies corrumpi poſſint.

Verùm tamen eſt, quod talis corruptio ſpecierum miraculoſa non eſt, ſed naturalis; præſupponit tamen miraculum, quod eſt factum in conſecratione, unde & retinent idem eſſe, quod prius habebant in ſubjecto, & exiſtunt ſine ſubjecto; quod eſt miraculum; exemplum affert Divus x ib. ad 2. Thomas (x) in cæco, cæcos namque etiamſi miraculosè illuminatus ſit, naturaliter tamen videt: quod autem miraculum ſit cæcus illuminare, jam conſtat, tùm de cæco nato, quem Chriſtus Dominus illuminavit expuendo in terram, & faciendo lutum ex puto; & liniendo lutum ſuper oculos ejus; de iſto enim legitur Joannis, (y) quod y cap. 9 abiit, ex præcepto, ſcilicet Domini, in Natatoria Siloe, & lavit, & venit videns; & hoc eſſe miraculum nemo dubitare poteſt, ſiquidem à quocumque intelligi utique poteſt; quod nulla eſt connexio intra expuationem in terram, & inter lutum ex ſputo factum; & inter hoc, quod eſt linire lutum ſuper oculos ejus, & inter accipere viſum: Miraculum eſt itaque illuminare cæcos, quia naturaliter non poteſt dari regreſſus de potentia ad habitum. Miraculum operatur per fidem, non tamen ſemper ex parte facientis miraculum, ſiquidem in Chriſto nulla fuit fides, & tamen operabatur miracula, bene tamen ſemper ex parte illius, in quo operatur miraculum; ut patet de illo (z) z Luc. c. 18 cæco ſedente ſecus viam mendicante, iſte audiens, quod Jeſus tranſibat per viam, clamavit Jeſu Fili David miſere mei; & cum appropinquaſſet ad Jeſum, interrogavit illum, dicens, quid tibi vis, faciam? ille dixit, Domine, ut videam. Et Jeſus dixit, reſpice, ſides tua, (non enim dixit, fides mea,) te ſalvum fecit; & ecce miraculum, & confeſtim vidit, & ſequebatur eum magnificans Deum.

At ex eo, quod ſpecies Sacramentales corrumpi poſſint, ſequitur poſtea, & quod corrumpi poſſint per ſe, & per accidens; Par ſe quidem; ſicut per per alterationem qualitatum, & augmentum, vel diminutionem quantitatis, non per modum augmenti, vel diminutionis, cum hoc ſolùm inveniatur in corporibus animatis, & non in ſubſtantia panis, & vini, quæ ſicut non eſt vivens, ita nec animata; bene tamen per additionem, vel diviſionem; & hoc pacto corrumpi poſſunt ſpecies Sacramentales poſt conſecrationem, & hoc quia quantitas dimenſiva remanens poſt conſecrationem poteſt diviſionem, & additionem recipere, & cum ſit ſubjectum qualitatum ſenſibilium, poteſt etiam eſſe ſubjectum alterationis earum; verbi gratia ſi alteretur color, aut ſapor panis, & vini, atque adeo corrumpi poſſunt per ſe.

Nec ſolum per ſe, ſed etiam per accidens poſſunt corrumpi, ſcilicet ad corruptionem ſubjecti; certum enim eſt, quod tales ſpecies Sacramentales retinent etiam poſt conſecrationem, idem eſſe, quod habebant ante conſecrationem, quando aderat ſubſtantia panis, & vini, quod eſt, quod Div. Thom. docet (a) quamvis ſubjectum non remaneat, a 3 p. q. 77 a. 5 ad 2 remanet tamen eſſe, quod habebant hujuſmodi accidentia in ſubjecto, quod quidem eſt proprium, & conforme ſubjecto, eò quia dùm erat ſubſtantia panis, corrumpi poterat à contrario agente, quæ corrumptio non poterat fieri, niſi præcedente alteratione circa alia accidentia, ut habetur ex Divo Thoma, (b) hujuſmodi autem eſ- b ib. 4 ſe, quod præceſſerat ſcilicet, poteſt corrumpi à contrario agente, ſicut corrumpebatur ſubſtantia panis, vel vini, quæ etiam non corrumpebatur, niſi præcedente alteratione circa accidentia.

Sed quid dicendum de corpore Chriſti, & de ſanguine ejuſdem, quando ſpecies iſtæ Sacramentales corrumpuntur? deſinit ne, vel non eſſe ibi corpus, & ſanguinem Chriſti Domini? certum eſt enim, quod corpus, & ſanguis Chriſti ſuccedunt in hoc Sacramentu ſubſtantiæ panis, vel vini, unde quid dicendum?

Aliud non invenio propter hujus intelligentiam, quam diſtinctionem a Divo Thoma poſitam, (c) loquit enim Divus Thomas, quod ſi fiat talis c ibid immutatio ex parte accidentium, quæ non ſuffeciſſet ad corruptionem panis, & vini, propter talem immutationem non deſinit corpus, & ſanguis Chriſti eſſe ſub hoc Sacramento, ſive fiat, immutatio ex parte qualitatis, ut cum modicum immutatur color, aut ſapor panis, & vini, ſive fiat illa immutatio ex parte quantitatis, ut quando dividitur panis, & vinum in tales partes, ſub quibus conſervari poteſt ſubſtantia panis, aut vini.

Si autem fiat talis immutatio, ut non remaneret ſubſtantia panis, aut vini, jam non remaneret corpus Chriſti, & ejus ſanguis in hoc Sacramento, & hoc ſive ex parte qualitatum, ut cum immutatur color, & ſapor, & aliæ qualitates panis, & vini, ut nullo modo poſſent compati naturam panis, aut vini: ſive ex parte quantitatis, ut ſi pulverizetur panis, vel vinum, in tam minoras, ſive minimas partes, dividatur, ut jam non remaneat ſpecies panis, vel vini; ſignum ergo eſt, quod ſpecies Sacramentales corrumpi poſſunt, ſive poſtea corrumpantur per ſe, ſive per accidens, hoc non tollit intentum, etiam ſi dicatur, quod ſpecies Sacramentales ſint formæ per ſe ſubſiſtentes, de quarum ratione eſt, quod ſint incorruptibiles, nam etiam ſi ſint formæ per ſe ſubſiſtentes, non tamen virtute propria, & illis convenienti, ſed virtute aliena, hoc deducitur ex Divo Thoma, dùm ait, (d) ſpecies Sacramentales licet ſint formæ non in d ib. ad 2 materia, & ideò per ſe ſubſiſtentes, quia tamen habent eſſe, quod prius in materia habebant, dùm ſcilicet erant in ſubjecto) ideò per ſe, & per accidens ſunt corruptibiles; eò modò quò in ſubjecto, dùm erant in illo, corruptibiles erant.

Tertiò quod ex illis ſpeciebus Sacramentalibus aliquid poſſit generari, videlicet vermes, ſi illæ putreſiant, cineres, ſi comburantur, pulveres, ſi conterantur, hæc autem omnia fieri poſſe, quia etiamſi intellectus hoc non affirmet, patet tamen ſenſibus; licet poſtea etiam intellectus circa hanc veritatem diſcurrere velit, & dicat, manifeſtum eſſe, quod corruptio unius eſt generatio alterius, eò quia dictum eſt, quod ſpecies Sacramentales corrumpuntur, hinc ſequitur quod in eis aliquid generari poteſt; Unde D. Th. (d) cum corruptio unius ſit generatio d 3. p. q. 77 art. 5 alterius, neceſſe eſt, quod ex ſpeciebus Sacramentalibus aliquod generetur, cum corrumpantur: & hoc quia ſic non corrumpuntur, ut omninò diſpereant, qua-

ſi in nihilum redigantur, non enim fit annihilatio; ſed manifeſtè aliquid ſenſibile eis ſuccedit, & ideò fit generatio: nec mirum ſi ibi non ſit materia, ex qua aliquid generetur, eò quia ſufficit, ut ſit quantitas dimenſiva; ad hoc ut ſuppleat vicem materiæ, juxta Divum Thomam, (e) in ipſa conſecratione
e ib. ad 1. miraculosè datur quantitati dimenſivæ panis, & vini, quod ſit primum ſubjectum ſubſequentium formarum, & licet hoc ſit proprium materiæ, attamen ex conſequenti datur prædictæ quantitati dimenſivæ omne illud, quod ad materiam pertinet; ideòq; quidquid poteſt generari ex materia panis, vel vini, ſi adeſſet, totum poteſt generari ex prædicta quantitate dimenſiva panis, vel vini, & hoc quidem non novo miraculo, ſed ex vi miraculi prius facti; & ſurſus ait Divus Thomas, (f) quod quantitas di-
f ib. ad 3. menſiva panis, & vini retinet naturam propriam, & accipit miraculosè vim, & proprietatem ſubſtantiæ; & ideò non eſt inconveniens, quod ſi ex illis ſpeciebus Sacramentalibus generetur aliqua ſubſtantia corporea, quod generetur poſtea ſubſtantia, & accidens, ſed dicendum eſt, quod tranſire poſſit in utrumque, ſcilicet in ſubſtantiam, & accidens, cum iam gerat vicem ſubſtantiæ; immò ait, quod ſpecies illæ Sacramentales, etiamſi accidentia
g ib. ad 2. ſint, habent tamen actum, & vim ſubſtantiæ.

Quartò ſpecies Sacramentales nutrire poſſunt, non enim eſt major ratio, quod poſſint converti in aliquam ſubſtantiam, quæ ex eis generatur, ac quod poſſint converti in corpus humanum; per quam poſſunt converti in cineres, vel in vermes; unde ſi illud poſſit fieri ab illis, etiam iſtud ab iiſdem fieri poterit, ergo & nutrire poſſunt ſine aliquo du-
h 3. p. q. 77 ar. 6. bio, quapropter & Divus Thomas (h) ait, quod ſpecies Sacramentales etſi non ſint eæ, ex quibus corpus hominis conſtat, tamen in eas convertuntur. Hoc habetur ex Gloſſa ſuper illud Pauli ad
i 1. 11. Corinth. (i) loquentis de hoc Sacramento; alius quidem eſurit, alius quidem ebrius eſt, ubi notat Gloſſ. illos, qui poſt celebrationem Sacri Myſterii, & conſecrationem panis, & vini, ſuas oblationes vendicabant, & aliis non communicantes ſoli ſumebant, ita ut etiam inde inebriarentur, Quod non poſſet contingere, ait Divus Thomas, ſi ſpecies Sa-
l l. 2. cramentales non nutrirent. Et Ariſtoteles (l) de anima, ex hoc enim cibus nutrit, quod convertitur in ſubſtantiam nutriti.

Nec diſſentit Divus Ambroſius de Sacram. quando dicit, (m) non iſte panis eſt, qui vadit in corpus,
m l. 5. c. 7. ſed panis vitæ æternæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit, eò quia loquitur non de ipſis ſpeciebus panis, quæ retinent nomen prioris ſubſtantiæ, ſed loquitur de corpore Chriſti, quod eſt panis myſticus de cælo deſcendens, & hoc juxta Divum Thomam (n) docentem, quod facta conſecratione in hoc
n ib. ad 1. Sacramento dupliciter poteſt dici panis; Uno modo ipſæ ſpecies panis, quæ retinent nomen prioris ſubſtantiæ, ſic panis conſecratus panis Sanctus dici-
o de Conſ. diſt. 2. in Paſchali. tur à termino *à quo* denominando illum; ex Divo Gregorio.

Alio modo dicitur panis ratione corporis Chriſti, quod eſt panis myſticus de cælo deſcendens, Div. Ambroſius igitur accipit panem ſecundo modo, quia certum eſt, quod corpus Chriſti, quod continetur ſub illis ſpeciebus panis, & idem de ſpeciebus vini, non convertitur in corpus hominis, ſed reficit mentem ejus, non verò loquitur de pane primo modo. Per quod etiam intendit excindere opiniones tùm illorum, qui dicunt, non verè nutrire ſed reficere, & confortare quadam ſenſuum immutatione; (ut homo confortatur ex odore cibi, & inebriatur ex odore vini.) Unde docet, hoc eſſe falſum, cum talis refectio non diù ſufficiat homini, cujus corpus propter continuam deperditionem reſtauratione indiget, & nihilominus homo dici ſuſtentari poſſet, ſi hoſtias, & vinum conſecratum ſumeret in magna quantitate; & hoc quia ſpecies Sacramentales, etſi ſubſtantia non ſint, habent tamen virtutem ſubſtantiæ. Tùm etiam illorum, qui dicunt, ſpecies Sacramentales nutrire propter ſurmam ſubſtantialem panis, & vini, quod eſſe falſum etiam ſatis conſtat, tùm quia non remanet in hoc Sacramento ſubſtantia panis, & vini; tum quia non eſt actus formæ nutrire, ſed magis materiæ, quæ accipit formam nutriti, recedente ſurma nutrimenti, juxta etiam Philoſophum (p) nutrimen- p 2. de anim. tex. 5.
tum in principio eſt diſſimile, in fine verò ſimile.

Additur & quintò, eſtque, quod ſpecies Sacramentales in hoc Sacramento frangantur, & ſolæ ſpecies Sacramentales franguntur, cum in hoc Sacramento non ſit aliud quantum; niſi quantitas dimenſiva panis, & vini, non verò corpus Chriſti, cum incorruptibile ſit, immò & impaſſibile, immò & totum ſub qualibet parte, cum non ſit modò extenſo in ordine ad locum, Unde Divus Tho- q 3. p. q. 77 art. 7.
mas, (q) non poteſt dici, quod corpus Chriſti verum frangatur, cum ſit incorruptibile, & impaſſibile, cum ſit totum ſub qualibet parte, quod quidem contra rationem ejus eſt, quod frangitur, quapropter ut certum relinquitur, quod fractio ſit, ſicut in ſubjecto in quantitate dimenſiva, panis, ſicut & alia accidentia. Unde erraverunt illi, qui dixerunt, quod ſolum fractio ſecundum aſpectum intuentium, non verò ſecundum rei veritatem; & eò magis erraverunt, quod negaverunt ſenſui, quod proprium eſt illi; unde ſenſus decipi nequit, in hoc Sacramento præcipuè circa ea, quorum judicium ad ipſum pertinet.

Inter autem ea, quorum judicium ad ſenſum pertinet, eſt fractio, per quam ex uno fiunt multa, quæ quidem ſunt ſenſibilia communia. Sicut & erraverunt illi ponentes utique veram fractionem ibi eſſe, ſed ſine ſubjecto exiſtente; & eorum error magis aggravatur ex eo, quod tulerunt ſenſui, quod illi per maximè conveniens, atque proprium eſt. Taliter quod & ipſe Divus Tho- r ib. in c.
mas dicit, (r) quod ipſorum error ſenſui contradixit; nam nonne videtur oculo in hoc Sacramento aliquid quantum priùs unum exiſtens; cum videatur tota quantitas hoſtiæ integra, & poſtea in multa partitum, quando ſcilicet dividitur hoſtia in multas partes, & ideò jam videtur manifeſtum, quod illa quantitas dimenſiva hoſtiæ eſt ſubjectum fractionis, ſicut & diviſionis. Nullatenus autem ipſum corpus Chriſti, eò maximè quia non eſt in propria ſpecie in hoc Sacramento, ſed modo quodam ineffabili, & modo per fidem credibili, quapropter ait Divus Thomas in ſequentia corporis Chriſti, quod non capis, (quod intellectu percipi non poteſt,) quod non vides (quod oculo corporeo imperceptibile eſt) animoſa firmat fides (ſola fide credendum eſt verum corpus Chriſti Domini hìc eſſe contra hæreticos) præter rerum ordinem, ſolùm divina virtute hoc fieri poteſt.) In propria autem ſpecie eſt in cælo; & hinc eſt, quod etſi manducetur corpus Chriſti in hoc Sacramentum, non manducatur tamen in ſua ſpecie, ſed ut ait D. Th. (ſ) in ſpecie Sacramentali, ac per conſequens non ſ ib. ad 3.
frangitur corpus Chriſti in illo, ſicut dictum fuit cum Divo Thoma, nulla rei fit ſciſſura, non enim ſcinditur, nec dividitur corpus Chriſti, aliàs quomodo verificaretur, quod totus eſt in tota hoſtia, & totus in qualibet parte hoſtiæ

Signi tantùm fit fractura, quia frangitur quantitas hoſtiæ, quæ gerit vicem ſubjecti; qua nec ſtatus, nec ſtatura ſignati minuitur, per diviſiones quantitativarum partium, etſi

frangi-

Digitized by Google

frangitur corpus Chriſti, frangitur ſolùm ſecundum ſpeciem Sacramentalem. Unde & dictum fuit, quod illud Joannis, (z) caro non prodeſt quidquam, intelligendum eſt ſecundum illos, qui carnaliter intelligebant, (de carne, ſcilicet humana, ut intelligebant Capharnaitæ putantes carnem Chriſti Domini eſſe ſumendam in propria ſpecie, ſicut manducantur carnes aliorum animalium) carnem quippe ſic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, ut ait Divus Auguſtinus, (a) & hoc eſt, quod negabat etiam Berengarius, quando retractavit errorem ſuum circa hoc Sacramentum; dixit ergo, Conſentio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & corde, & ore profiteor, panem, & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem verum corpus, & ſanguinem Chriſti eſſe, & in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri; unde negabat fractionem, & attritionem dentium referri ad corpus Chriſti verum, hoc eſt in propria ſpecie, & ſolùm aſſeruit, eſſe referendas ad ſpeciem Sacramentalem, ſub qua verè eſt corpus Chriſti, ut etiam docet Divus Thomas, ex quo omnia deduximus.

(z) cap. 6. (a) tr. 27. in Joan. ibid. ad 3.

Cum autem ex his omnibus, quæ ſunt, certiſſimè conſtet, quod ſpecies Sacramentales remanentes poſt conſecrationem, ſicut virtute hujus acquirunt modum eſſendi ſubſtantiæ, ita acquirunt rationem agendi, & patiendi, taliter quod, ut etiam ait Divus Thomas, (y) agere, & pati poſſunt, quidquid ageret, vel pateretur ſubſtantia, ſi ibi eſſet præſens. Idcircò dicit, & hoc eſt intentum Divi Thomæ, quod ſicut aliquis liquor commiſceri poteſt ſubſtantiæ vini, præſenti, ita & aliquis liquor poteſt commiſceri ſubſtantiæ vini abſenti, dummodo tamen remaneant ſpecies Sacramentales; Hinc ergo eſt, quod ſicut tollitur ſubſtantia vini præſens, quando fit permixtio in tanta quantitate, ut poſſet diffundi per totum vinum, juxta Divum Thomam (a) quod autem eſt commixtum ex duobus, neutrum miſcibilium eſt, ſed utrumque tranſit in quodam tertium ex his compoſitum; per quod ſequitur, quod vinum prius exiſtens non remanet; ita tolluntur ſpecies Sacramentales vini, quando fit permixtio cujusvis liquoris in tanta quantitate, ut diffundatur ad totum vinum conſecratum, & conſequenter non remanebit ſanguis Chriſti; Unde Divus Thomas (b) corpus, & ſanguis Chriſti remanent in hoc Sacramento, quamdiù illæ ſpecies manent eædem numero. Unde ſi fiat tanta permixtio liquoris cujuſcumque, quod pertingat ad totum vinum conſecratum, & fiat permixtum, erit aliud numero, & non remanebit ibi ſanguis Chriſti. Et ſicut ſi aliquis liquor adjunctus eſſet tam parvæ quantitatis, quod non poſſet perfundi per totum, non fieret totum permixtum vinum, ſed aliqua pars ejus; ſic pariter ſi fiat tam parva alicujus liquoris adjunctio, quod non poſſit diffundi per totum, ſed uſque ad aliquam partem ſpecierum, deſinet eſſe ſanguis Chriſti ſub illa parte vini conſecrati, remanebit tamen ſub alia: Unde ait Divus Thomas, quod liquor appoſitus vino conſecrato, nullo modo miſcetur ſubſtantiæ ſanguinis Chriſti, miſcetur tamen ſpeciebus Sacramentalibus, ita ut permixtione facta ex vino non conſecrato, & ex vino conſecrato reſultat tertius liquor; & hoc per corruptionem illarum ſpecierum, quæ tamen corruptio fit vel in toto, vel in parte; Si in toto, jam non remanet vinum conſecratum, quia in totum erit uniforme, & conſequenter non erit amplius ſanguis Chriſti, ſi in parte, ſub illa deſinit eſſe ſanguis Chriſti, non verò ſub aliis, quod eſt juxta Divum Thomam, ſi autem corrumpantur, in parte erit quidem una dimenſio ſecundum continuitatem quantitatis, non tamen una ſecundum modum eſſendi, quia una pars ejus erit ſine ſubjecto, & alia erit in ſubjecto. Affert exemplum de uno corpore continuato ex duobus membris; verbi gratia de una virga, cujus una pars ſit aurea, & alia argentea, certum enim eſt, quod erit unum corpus ſecundum rationem quantitatis, non tamen ſecundum ſpeciem naturæ, cum aurum, & argentum differant ſpecie; ſic ergo dicendum eſt in præſenti de vino illo conſtante ex duobus, videlicet ex vino non conſecrato, & ex vino conſecrato, tunc enim videbitur unum vinum ſecundum continuitatem quantitatis, non tamen ſecundum ſpeciem naturæ, quia differt non tantùm ſpecie ex ordine ab illa vini conſecrati, ſed etiam genere, immò & pluſquam genere, ſi opus eſt dicere cum una pars in ſubjecto ſit, videlicet illa vini non conſecrati, & alia vini ſcilicet conſecrati, ſine ſubjecto propter diverſum modum eſſendi naturalem, & ſupernaturalem.

(y) 3. p. q. 77. a. 8. (a) 3. p. q. 77. a. 8. in o. (b) ibid. in c. ibid. ad 2.

Hoc & dicitur juxta Innocent. Tertium (d) dicentem ſi poſt conſecrationem calicis aliud vinum miſceatur in calicem, illud quidem non tranſit in ſanguinem, neque ſanguini commiſcetur, (ſignum ergo eſt, quod illud vinum permixtum non efficitur conſecratum), ſed accidentibus prioris vini commixtum, corpori quod ſub eis latet, undique circumfunditur, non madidans circumfuſum.

Et hoc intelligendum eſt, ait Divus Thomas, (e) quando non fit tanta permixtio liquoris extranei, quod ſanguis Chriſti eſſe deſinat ſub toto, tunc enim dicitur undique circumfundi, non quia tangat ſanguinem Chriſti ſecundum ejus proprias dimenſiones, ſed ſecundum dimenſiones Sacramentales, ſub quibus continetur.

(d) de myſt. l. 3. c. 41. (e) ibid. ad 3.

Nec eſt ſimilis ratio de aqua, quæ admixta aquæ benedictæ efficitur benedicta, ut de vino, quod admixtum vino conſecrato, effici debet conſecratum; ſed omninò eſt diverſa ratio, quam etiam aſſignat Divus Thomas, (f) Nam aqua benedicta per benedictionem nullam immutationem facit circa ſubſtantiam, & naturam aquæ, at vinum poſt conſecrationem mutat naturam vini, nam tranſubſtantiatur in aliam naturam, quando ſcilicet convertitur in ſanguinem Chriſti.

(f) ibid.

Propter autem hæc omnia dicimus, quod utique omne, quod permiſcetur alicui, recipit qualitatem ipſius, non tamen ſemper & ipſius ſubjectum; ſed aliquando recipit qualitatem, & non ſubjectum; eò quia licet accidentia ipſa, ſive ſpecies Sacramentales videantur afficere vinum appoſitum, nihilominus tamen accidit accidentia mutare ſubjectum; ſicut & ſubjectum accidit permutare accidentia, quod fit per virtutem miraculoſam, unde mirum non debet eſſe, ſi jam accidentia vini remanentia retinendo actionem ſubſtantiæ immutando afficiunt liquorem appoſitum, ac per conſequens mirum non debet eſſe, ſi liquor permixtus vino conſecrato recipere poſſit qualitatem ſpecierum Sacramentalium, ſi jam conſtat, quod ſpecies Sacramentales habeant agere, & pati, & retineant actionem ſubſtantiæ. Quod totum etiam habetur ex Innocentio Tertio loco citato, dùm ait ipſa accidentia vinum appoſitum efficere videntur, quia ſi aqua fuerit appoſita vini ſaporem aſſumit, contingit igitur accidentia mutare ſubjectum, ſicut & ſubjectum contingit accidentia permutare. Cedit itaque natura miraculo, & virtus ſupra conſuetudinem operatur. Et ex Divo Thoma docente per hoc, quod dictum eſt ex Innocentio Tertio, intelligendum ſic non eſt, quaſi idem numero accidens, quod prius fuit vino ante conſecrationem, poſtmodum fiat in vino appoſito, ſed talis permutatio fit per actionem; eo quia accidentia vini remanentia retinent actionem ſubſtantiæ; & ita immutando afficiunt liquorem appoſitum;) & quia dictum eſt, quod ſi aqua fuerit appoſita vini ſaporem aſſumit, ideò licitum mihi ſit inveſtigare de aqua appoſita vino, ſi extraheretur à vino, (ſi fieri poſſet per artem, ut de facto mihi con-

(g) ibid. ad 1.

H 2   tigit

tigit ponendo pannum album ſupra os vaſi vitrei pleni vino, nam vidi, quod pannus ille attraxit aquam ex illo vino) erit ne aqua pura, vel potiùs dicendus erit humor aquoſus?

Eſt qui dicit, quod non eſt aqua pura, ſed humor aquoſus, & propterea per extractionem illius non corrumperetur ſpecies vini, nec deſineret eſſe ſanguis Chriſti ſub vino conſecrato.

At quia etiamſi eſſet aqua pura per extractionem illius non corrumperetur ſpecies vini, nec deſineret eſſe ſanguis Chriſti ſub illo, ideò non video (ſaltem meo videri) eſſe debile affirmare, ſicut & negare illam aquam eſſe puram, maximè quia ſenſu percipitur ut aqua; remanet ſolùm, quod guſtu percipiatur, & videatur, an guſtetur ut aqua, aut ut humor aquoſus, quod apparebit, ſi aliquid de vino ſapiat.

Pariter licitum mihi ſit indagare, ſi vinum conſecratum admiſceatur vino conſecrato, quid reſultabit? firmiter teneo, quod unum vinum conſecratum formaliter erit, quamvis videntur materiariter eſſe diverſitas inter illa.

Super Quæſtionem ſeptuageſimam octavam.

De forma Sacramenti Eucbariſtiæ.

FAtendum eſt tamquam certum, & indubitatum formam hujus Sacramenti eſſe iſtam, hoc eſt corpus meum, hic eſt calix ſanguinis mei, cum illam pronunciaverit ille, qui verè fuit auctor, & inſtitutor Sacramentorum, quando in ultima cœna memoriam fecit mirabilium ſuorum, & ibi ſe tradidit diſcipulis ſuis ſub ſpecie panis, & ſub ſpecie vini, immò ad illos dixit, hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis; ex quibus fateri oportet, quod in conficiendo hoc Sacramento Sacerdos non utitur ſermonibus ſuis, ſed ſermonibus Chriſti Domini: adeòque dum profertur forma hujus Sacramenti, illa profertur quaſi ex perſona Chriſti loquentis, & hoc in ſignum, quod miniſter, nempe Sacerdos in perfectione hujus Sacramenti nihil agit, niſi quod profert verba, quæ jam Dominus Jeſus protulit in inſtitutione hujus, per quod habetur diſcrimen inter hoc, & alia Sacramenta, quod illud Sacramentum perficitur in conſecratione materiæ; alia verò Sacramenta perficiuntur in uſu materiæ conſecratæ; & etiam quia in aliis Sacramentis conſecratio materiæ conſiſtit ſolùm in quadam benedictione, ex qua materia conſecrata accipit inſtrumentaliter quamdam ſpiritualem virtutem, quæ per miniſtrum, qui eſt inſtrumentum animatum, poteſt ad inſtrumenta inanimata procedere. In hoc Sacramento conſecratio materiæ conſiſtit in quadam miraculoſa conſecratione ſubſtantiæ, quæ à ſolo Deo perfici poteſt. Hinc ſi loquamur de forma conſecrationis panis, dicimus, quod forma illa, hoc eſt corpus meum, eſt conveniens, fundamento deſumpto ex hoc, quod forma Sacramenti, opus eſt, ut ſignificet id, quod in Sacramento efficitur, quapropter cum conſecratio hæc conſiſtat in converſione ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti, rectè ſequitur, quod & forma conſecrationis panis debeat ſignificare ipſam converſionem panis in corpus Chriſti. Pariter ſi loquamur de forma conſecrationis vini, conveniens eſt hæc forma, hic eſt calix ſanguinis mei, novi, & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum; eò quia per prima verba, ſcilicet hic eſt calix ſanguinis mei, ſignificatur ipſa converſio vini in ſanguinem. Per verba autem ſequentia deſignatur virtus ſanguinis effuſi in paſſione, quæ operatur in hoc Sacramento. In quibus tamen verbis utriuſque formæ conſecrationis panis, & vini ineſt quædam virtus creata ad converſionem hujus Sacramenti faciendam, inſtrumentalis tamen, eò modo, quo fit & in aliis Sacramentis.

Quæ tamen locutiones, ſcilicet hoc eſt corpus meum, hic eſt calix ſanguinis mei &c. veræ locutiones ſunt; ſiquidem non faciunt hæc verba, quod corpus Chriſti ſit corpus Chriſti, neque quod panis ſit corpus Chriſti, ſed quod contentum ſub his ſpeciebus, quod priùs erat panis, ſit corpus Chriſti.

Et ideò ſignanter non dicit Dominus, hic panis eſt corpus meum, neque hoc corpus meum eſt corpus meum, ſed in generali hoc eſt corpus meum, nullo nomine appoſito à parte ſubjecti, ſed ſolo pronomine, quod ſignificat ſubſtantiam in communi ſine qualitate, ſ. forma determinata.

Et quamvis totum ſacrificium compleatur per utramque conſecrationem; non per hoc dici debet, quod conſecratio panis ſuum effectum non habeat, niſi per conſecrationem vini, quod patet ex eo, quod Eccleſia ſtatim poſt prolationem verborum expectantium ad formam conſecrationis panis corpus Chriſti adorat, & hoc in ſignum, quod prima forma conſecrationis panis non expectat ſecundam ſed ſtatim habet ſuum effectum. Hæc ſumatim ex D.Th.

Itaque nos diximus, quod hoc Sacramentum conſtat, ſicut ex cætera alia Sacramenta ex materia & forma: & circa materiam omnia, quæ à D.Th. docentur, explonata fuere, unà cum accidentibus, remanentibus ſine ſubjecto per virtutem Dei facientis, id quod à natura fieri nequit. Unde modò circa formam, mediante qua corpus Chriſti eſt in hoc Sacramento, multa alia ſunt dicenda ultrà ea, quæ diximus ſupra & hoc ut magis reſplendeat, Sacramentum Euchariſtiæ eſſe ſupremum inter Sacramenta novæ Legis; & ut ſupremum habet aliquid, quod non habent alia. Hinc ab aliis multipliciter differt.

Et primò. quia hoc Sacramentum Euchariſtiæ perficitur in conſecratione materiæ, alia verò Sacramenta perficiuntur in uſu materiæ conſecratæ.

Sciendum tamen, quod quamvis perficiantur in uſu materiæ adſunt tamen aliqua Sacramenta, in quibus materia non conſecratur, neque benedicitur, ut patet in Sacramentis Ordinis, Matrimonii, & Pœnitentiæ; adſunt & aliqua, in quibus utique benedicitur, atque conſecratur, in qua conſecratione Sacramentum perficitur, ut fit, quando benedicitur, & conſecratur panis, dicendo, hoc eſt corpus meum, quando benedicitur, & conſecratur vinum, dicendo hic eſt calix ſanguinis mei &c. Et hæc eſt forma hujus Sacramenti, quam etiam tradidit Chriſtus Dominus.

Hoc dicitur contra illos, qui dixerunt, quod Chriſtus, qui habebat poteſtatem ſuper omnia, abſque omni forma verborum hoc Sacramentum perfecit, & poſtea verba protulit, ſub quibus aliis poſtmodum conſecraret, cui opinioni videtur favere auctoritas Innocentii Tertii, dùm dixit, ſanè dici poteſt, quod Chriſtus virtute divina confecit, & poſtea formam expreſſit, ſub qua poſter benedicerent; ſiquidem nonnè videtur expreſſius per Verba Evangelii, dùm Matth. (a) dicentis ſine dubio, quod benedixit, unde legitur, accepit Jeſus panem, benedixit, fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait, accipite, & comedite hoc eſt corpus meum. Tum Marci accepit Jeſus panem, & benedicens, fregit, deditque, &c. Tùm Lucæ accepto (c) Jeſu pane gratias egit &c. Et ex Apoſtolo Paulo ad Corint. (d) accepit panem, gratias agens, fregit, &c. benedictio autem fieri nequit, niſi aliqua verba proferantur; unde Div. Th. contra iſtos (e) ſunt verba Evangelii, in quibus dicitur, quod Chriſtus benedixit, quæ quidem benedictio aliquibus verbis

a cap. 26.
b cap. 14.
c cap. 22.
d 1. Cor. 11.
e 3. p. q. 78. a. 1.

bis facta eſt. Et auctoritas, quæ dicitur eſſe Innocentii; non videtur eſſe propria ipſius, vel ſi ipſius, tunc opinando, non determinando, ſic Divus Thomas ob reverentiam, quam ſemper Patribus habuit.

Contra illos etiam hoc dicitur, qui dixerunt, quod benedictio illa facta eſt quibuſdam verbis ignotis, quibus conſecravit; ſed opinio eorum non gaudet titulo opinionis, ſed potiùs erroris, ſiquidem ignoraverunt, quod benedictio conſecrationis nunc perficitur per imitationem eorum, quæ tunc acta ſunt. Quamobrem ſi tunc per hæc verba, hoc eſt corpus meum, hic eſt calix ſanguinis mei; non eſſet facta conſecratio, nec modò fieret, quoniam certum eſt, quod conſecratio fit ſolùm per illa verba, quæ à Chriſto Domino prolata fuerunt.

Contra illos hoc dicitur, qui dixerunt, quod illa benedictio eiſdem etiam verbis facta eſt, quibus modò fit; ſed Chriſtus ea bis protulit, ſecretè ad conſecrandum, manifeſtè ad inſtruendum, ſed quomodo hoc ſtare poteſt, utpote quia Sacerdos conſecrat, proferens hæc verba; hoc eſt corpus meum, &c. non ut à Chriſto in occulta benedictione dicta, ſed ut publicè prolata: & ut publicè prolata habent etiam vim talia verba ex prolatione Chriſti: Unde Divus
f ib. ad 3 Thomas (*f*) cum non habeant vim hujuſmodi verba, niſi ex Chriſti prolatione, videtur, quod etiam Chriſtus manifeſtè ea proferens conſecraverit.

Non tamen contra illos hoc dicitur, qui dixerunt, quod fit quædam concomitantia verborum ad ea, quæ præcedunt, & hoc per ly dicens, ſive dixit; ut-
g ibid potè quia opinio horum à Divo Thoma (*g*) non rejicitur, ſed approbatur; nam ait, quod idem ſenſus habere poteſt etiam verbis Evangelii non mutatis, nam hoc participium *dicens* concomitantiam quamdam importat verborum prolatorum ad ea, quæ præcedunt. Non autem oportet, quod hæc concomitantia intelligatur ſolùm reſpectu ultimi verbi prolati, quaſi Chriſtus tunc illa verba protulerit, quando dedit diſcipulis ſuis, ſed poteſt intelligi concomitantia reſpectu totius præcedentis, ita ut ſit ſenſus; dùm benediceret, frangeret, & daret diſcipulis ſuis, hæc verba dixit, accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum.

Perficitur ergo hoc Sacramentum in ipſa conſecratione, numquam tamen per uſum, aut ſumptionem, & hoc etiam ad differentiam Sacramentorum Confirmationis, & Extremæ unctionis, in quorum conſecratione materiæ non perficitur Sacramentum, licet perficiatur, vel applicando illam cum benedictione, vel præparando materiam illorum per conſecrationem.

Secundò differt, quia in aliis Sacramentis conſecratio materiæ conſiſtit ſolùm in quadam benedictione, ex qua materia conſecrata accipit inſtrumentaliter quamdam ſpiritualem virtutem, quæ per miniſtrum, qui animatum inſtrumentum eſt, poteſt ad inſtrumenta inanimata procedere; ut patet in oleo Chriſmatis, & extremæ unctionis, eſt enim inſtrumentum inanimatum, & tamen ab inſtrumento animato accipit ſpiritualem virtutem.

At in hoc Sacramento conſecratio materiæ conſiſtit in quadam miraculoſa converſione ſubſtantiæ, quæ à Deo ſolo perfici poteſt.

Idcircò miniſter in perficiendo hoc Sacramentum alium actum non habet, niſi prolationem verborum, & juxta hanc prolationem Sacerdos, qui eſt proprius miniſter hujus Sacramenti, conſecrat, & conficit ex vi verborum hoc Sacramentum, non in perſona propria, ſed in perſona Chriſti? Unde Ambroſius, con-
h l. 4. de Sacr. c. 4. ſecratio fit verbis, (*h*) & ſermonibus Domini Jeſu, nam per reliqua omnia, quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris, ubi autem venitur, ut conficiatur hoc venerabile Sacramentum, jam non ſuis ſermonibus utitur Sacerdos, ſed utitur ſermonibus Chriſti, ac proinde ſermone Chriſti conficitur hoc Sacramentum, maximè quia etiam habetur ex Conc. Flor. (i) forma i in decr. &c. Union.
hujus Sacramenti ſunt verba ſalvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum, Sacerdos autem in perſona Chriſti hoc conficit Sacramentum: & in Canone Sacerdos recitat id, quod fecit Chriſtus, unde in illo recitantur hæc verba, qui pridiè quàm pateretur, accepit Jeſus panem, (ſicut & calicem), benedixit, fregit, deditq; diſcipulis ſuis dicens, hoc eſt corpus meum benedixit, deditque diſcipulis ſuis dicens, hic eſt calix ſanguinis mei &c. hoc facite in meam commemorationem.

Unde videtur, quod tunc loquitur in perſona Chriſti, non autem in perſona propria, aliàs faceret corpus ſuum, quod nihil abſurdius eſſe poteſt. Nonne n. Chriſtus Dominus dixit, caro mea verè eſt cibus, ſanguis meus verè eſt potus? qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem? Manducamus igitur corpus Chriſti Domini, & bibimus ejus ſanguinem; & hoc quia ipſe dixit, hoc eſt corpus meum.

Et; Concilium Tridentinum (*l*) magis roborat, l ſeſſ. 13. c. 3
quod diximus, dùm ſtatuit, nondum enim Euchariſtiam de Manu Domini Apoſtoli ſuſceperant, cùm verè ipſe affirmaret, corpus ſuum eſſe, quod præbebat.

Et ultrà hæc verba jam prius ſentiit dicendo; eadem Sacroſancta Synodus (*m*) ſanam, & ſinceram illam m ib. ante 1 cap.
de venerabili hoc, & divino Euchariſtiæ Sacramento doctrinam tradens, quam ſemper Catholica Eccleſia à Jeſu Chriſto Domino noſtro, & ejus Apoſtolis erudita, atque à Spiritu Sancto illi omnem veritatem in dies ſuggerente, edocta retinuit, & ad finem uſque ſeculi conſervabit. Omnibus Chriſti fidelibus interdicit, ne poſthac de Sanctiſſima Euchariſtia, aliter tradere, docere, aut prædicare audeant, quàm ut eſt hoc præſenti decreto explicatum, atque definitum.

Hæc autem omnia, quæ dicta ſunt per auctoritatem Divi Ambroſii, Canonis, & Sacrorum Conciliorum, jam à Divo Thoma habentur, dum aſſignan- n 3 p q. 78. a. 1 in c.
do (*n*) aliam differentiam ait, Quod formæ aliorum Sacramentorum proferuntur ex perſona miniſtri, ſive per modum exercentis actum, ut cum dicitur, Ego te baptizo (quod confirmat dicendo, (*o*) in Sacramen- o ib. ad 1.
to baptiſmi miniſter exercet actum aliquem circa uſum materiæ, qui eſt de eſſentia Sacramenti, ideòque mirum non eſt, ſi exprimi debeat, & perſona Miniſtri, & actus ejus) vel ego te confirmo; ſive per modum imperantis, ut in Sacramento Ordinis dicitur, accipe poteſtatem, &c. ſive per modum deprecantis, ut in Sacramento extremæ unctionis dicitur, per iſtam unctionem, & noſtram interceſſionem &c. Cæterum forma hujus Sacramenti profertur quaſi ex perſona Chriſti loquentis, ut detur intelligi, quod miniſter in perfectione hujus Sacramenti nihil agit, niſi quod profert verba Chriſti.

Quod idem docet, dum dicit, aſſignando differentiam Sacramenti Euchariſtiæ à Sacramento baptiſmi, quod non eſt in hoc Sacramento, eò quia intendit dicere, quod in hoc Sacramento Euchariſtiæ miniſter, cum loquatur in perſona Chriſti, non poteſt exercere aliquem actum, cum Chriſtus ſit ille, qui conſecrat, & miniſter de ſe nihil aliud habet fac[illegible] niſi verba Chriſti proferre, & conficere hoc Sacram[illegible]um in perſona Chriſti; per hæc autem verba conficitur Sacramentum, ſcilicet hoc eſt corpus meum, hic eſt calix ſanguinis mei; taliter quod ait D. Th. (*p*) ſi Sacerdos ſola illa verba profer- p ib. ad 4.
ret cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, iſtud perficeretur, quia intentio faceret, ut hæc verba intelligerentur quaſi ex perſona Chriſti prolata; etiamſi verbis præcedentibus hoc non recitaretur, attamen graviter peccaret Sacerdos ſic conficiens, utpote ritum Eccleſiæ non ſervans.

Quartò denique differt, quia formæ aliorum Sacramentorum imporrant uſum materiæ, puts baptizationem, vel conſignationem : forma verò hujus Sacramenti importat ſolam conſecrationem materiæ, quę in tranſubſtanriatione conſiſtit, ut eum dicitur, hoc eſt corpus meum, hic eſt calicis ſanguinis mei, & tuncfit tranſubſtautiatio, quàndo convertitur panis in corpus Chriſti, per verba à Chriſto Domino, auctore hujus, & omnium aliorum Sacramentorum, prolata, & à Sacerdote proſerente verba ejuſdem Chriſti Domioi Noſtri, quæ ſunt, hoc eſt corpus meum, hic eſt calix ſanguinis mei; Utraque eſt forma conveuiens & conſecrationis panis, & conſecrationis vini, utpote quia ab omnibus Evangeliſtis, & à Divo Paulo habetur expreſsè, quod Chriſtus Dominus inſtituendo hoc Sacramentum uſus eſt hac forma, hoc eſt corpus meum, quando diſcipulis ſuis dixit, accipire, & manducate, hoc eſt corpus meum.

Conſecravit namque panem, & illum conſecrando ſtatim conversa fuit ſubſtantia panis in corpus Chriſti: ſtatim enim, quia converſio iſta, ut patet ex dictis, non eſt ſucceſſiva, ſed inſtantanea, non enim, ait Divus Thomas, (q) debuit ſignificari converſio in hac forma, ut in fieri, ſed ut in facto eſſe. Manifeſtum eſt enim, quod in mutationibus inſtautaneis fieri non eſt, niſi factum eſſe, & eum ſit talis, hinc eſt, quod non poteſt exprimi, niſi per verbum *eſt*, utpotè quia verbum, *eſt*, denotat converſionem in facto eſſe, quapropter melius, & convenientiùs eſt dicere, hoc eſt corpus meum, quàm hoc ſit corpus meum, deſumitur ex Divo Thoma doceute, (r) fieri non eſt ultimus effectus hujus conſecrationis, ſed factum eſſe; ideòque hoc potius debet exprimi in forma.

q 3.p. q. 78 a. 2.

r ib. ad 1

Pariter convenientiùs dicitur, hoc eſt corpus meum, quàm hoc ſit corpus meum, ut ſcimus, quod licet ſermo Dei operatus ſit in creatione rerum, qui operatur etiam in hac conſecratione, juxta illud Ambroſii, (ſ) ſermo Chriſti, hoc conficit Sacramentum; quis ſermo Chriſti? hic, quo facta ſunt omnia; juſſit Dominus, & facti ſunt cæli, & terra; nihilominus tamen aliter operatus eſt Deus in creatione, in qua operatus eſt ſolùm effectivè, quæ quidem efficientia eſt per imperium ſuæ ſapientiæ; idcircò mirum non eſt, ait Divus Thomas, (t) ſi in creatione rerum exprimitur ſermo divinus per verbum imperativi modi, juxta illud, quod habetur Gen. (u) fiat lux, & facta eſt lux; & aliter operatur Deus in iſta conſecratione, in qua operatur effectivè, & Sacramentaliter, ſc. ſecundum vim ſignificationis, & vim verborum, juxta quam operatur ultimum effectum hujus Sacramenti.

ſ l. 4. de Sacr. c. 4.

t ib. ad 2.

u cap. 1.

Ideò ſubdit Divus Thomas, oportet in hoc ſermone ſignificari ultimum effectum conſecrationis per verbum ſubſtantivum indicativi modi; & temporis præſentis.

Hoc confirmat Divus Thomas, dùm apertè docet, (x) quod in hac forma debet exprimi converſio, ut in facto eſſe, ad quod fertur intentio; & quia ipſa converſio exprimitur in hac forma, ut in facto eſſe, neceſſe eſt, quod extrema converſionis ſignificentur, ut ſe habent in facto eſſe converſionis, in qua ultrà ipſam converſionem conſiderantur & *terminus à quo* qui eſt ſubſtantia panis tranſubſtantiati, & *terminus ad quem*, qui eſt ipſum corpus Chriſti, qui tamen termini ſe habent eodem modo, quo converſio: Unde cum converſio ſe habeat in facto eſſe, hinc eſt, quod etiam iſti termini in facto eſſe ſe debent habere; & eò maximè quia illa converſio panis in corpus Chriſti eum ſit inſtantanea, ut dictum eſt, ſequitur, quod non ſit aſſignare ultimum inſtans, in quo ſit terminus *à quo*, & adveniat terminus *ad quem*; ſed in inſtanti terminus *ad quem* habet propriam naturam ſuæ ſubſtantiæ, & terminus *à quo* non amplius manet ſecundum ſuam ſubſtantiam; ſed ſolùm ſecundum ſua accidentia, quibus ſenſui ſubjacet, & ad ſenſum determinari poteſt.

x ib. in c.

Hoc idem confirmat Divus Thomas, (y) terminus *à quo* in ipſo facto eſſe converſionis non retinet naturam ſuæ ſubſtantiæ, ſicut terminus *ad quem*: Ex quo habemus excluſionem hujus propoſitionis, quæ nunquam eſt proferenda, hic panis eſt corpus meum; quia ſequeretur, ſi dicenda eſſet, quod retineret naturam ſuæ ſubſtantiæ, & conſequenter quod non fieret tranſubſtantiatio; & hæc non fieret in inſtanti, adeòque ſemper eſt dicendum, hoc eſt corpus meum, ut Chriſtus Dominus dixit, cum etiam ſic dicendo ſatis ſufficienter exprimitur perſona Chriſti, ex cujus perſona hæc verba proferuntur.

y ib. ad 3.

Unde Sacerdos debet ſemper proferre eadem verba; quæ Chriſtus protulit in conſecratione, & confectione hujus Sacramenti, maximè quia loquitur in perſona Chriſti, & ideò debet dicere, hoc eſt corpus meum, non verò hoc eſt corpus Chriſti; Unde Divus Thomas: (z) per hoc pronomen *meum*, quod includit demonſtrationem primæ perſonæ, ſufficienter exprimitur perſona Chriſti, ex cujus perſona hæc proferuntur:

z ib. ad 4.

Et quod certè, & indubitatè debeat dici, hoc eſt corpus meum, deſignando perſonam Chriſti, ex qua loquitur, habetur etiam ex determinatione Sacri Concilii Tridentini, (a) in quo ſtatuitur: Nondùm enim Euchariſtiam de manu Domini Apoſtoli ſuſceperant, cum verè tamen ipſe affirmaret, corpus ſuum eſſe, quod præbebat. Et rurſus, (b) quoniam autem Chriſtus Redemptor noſter, corpus ſuum, id, quod ſub ſpecie panis offerebat, verè eſſe dixit: ideò ſine dubio aſſerendum eſt, hanc eſſe convenientiſſimam formam, hoc eſt corpus meum; & iſta tantùm ſunt verba de ſubſtantia formæ, & de neceſſitate ejuſdem, cum ſine ipſis nunquam efficeretur Sacramentum, quod utique conficeretur, etiamſi particula *enim* non proferretur, à Sacerdote, (quamvis graviter peccaret illum relinquendo, utpotè quia hæc conjunctio *enim* teſte Divo Thoma, (c) apponitur in hac forma ſecundum conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ à Beato Petro Apoſtolo derivatam,) unde non eſt de ſubſtantia formæ, ſed ut docet D. Thom. eſt conjunctio dicens continuationem ad verba præcedentia, & cum iſta non ſint de ſubſtantia formæ, ſic nec ly enim eſt de ſubſtantia illius.

a ſeſſ. 13. cap. 3

b ib. c. 4.

c ib. ad 1.

Ex quibus ſequitur, quod ultrà quod convenientiùs dicatur, hoc eſt corpus meum, utpote verba à Chriſto Domino prolata, & forma ab eodem tradita dùm legitur, quod ipſe dixit, hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis; ultrà ergo hæc omnia ſequitur, quod etiam dicendo, hoc eſt corpus meum, ſit vera locutio; & taliter vera locutio eſt illa, quod reprobanda ſunt dicta illorum, qui diverſimodè ſenſerunt de hac locutione, hoc eſt corpus meum. Et.

Primò reprobatur unà cum Divo Thoma, (d) dictum illorum, qui dixerunt, hanc dictionem, *hoc* importare demonſtrationem, ut conceptam, & non ut exercitam, ſiquidem tota iſta locutio ſumitur materialiter, cùm recitativè proferatur; & meritò reprobatur, non quia recitativè, & materialiter etiam ſe teneat illa locutio, ſiquidem certum eſt, quod utique ipſemet Sacerdos recitat verba, quæ Chriſtus Dominus protulit, hoc eſt corpus meum, quod certum apparet ex verbis, quæ ante conſecrationem profert, & ſunt, accepit Jeſus panem &c. & talia verba accipi recitativè opus eſt, ut non reddatur falſum illud verbum, *dixit*, cum referatur ad totum illud, accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum; ſed quia etiam ſignificativè ſe tenere opus eſt. Unde Divus Thomas, (e) hoc ſtare non poteſt, ſc. quod tantùm recitativè ſe teneat dicta locutio, quia ſecundum hoc hæc verba non applicarentur ad materiam corporalem præſentem, & ita non perfice-

d 3. p. q. 78 a. 5 in c.

e ibid.

Digitized by Google

ficeretur Sacramentum, quod eſſet contra illud Aug. (*p*) accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Quare ſubdit D. Th. dicendum eſt, quod etiam quando proferuntur à Sacerdote ſignificativè, & non tantùm materialiter ſumuntur.

p Tr. 80. in Joan.

Nec obſtat, quod à Sacerdote verba illa recitativè proferantur, quaſi à Chriſto dicta: nam licet illa verba à Sacerdote recitativè proferantur, non tamen per hoc excluditur, quod etiam ſignificativè ſimul proferantur; juxta Divum Thomam ex prolatione ipſius Chriſti hæc verba virtutem conſecrativam ſunt conſecuta à quocumque Sacerdote dicantur, ac ſi Chriſtus præſentialiter ea proferret.

Secundò reprobatur dictum aliorum dicentium, quod hæc dictio, *hoc*, in hac locutione demonſtrationem non ad ſenſum, ſed ad intellectum facit, ut ſit ſenſus, hoc eſt corpus meum, ſcilicet ſignificatum per hoc eſt corpus meum, ac per conſequens, quod in ratione ſigni ſignificantis ibi ſit corpus Chriſti.

Sed meritò hoc reprobatur, utpote quia hæreticum eſt aſſerere, corpus Chriſti eſſe in hoc Sacramento, non ſecundum rei veritatem, ſed ſolùm in ſigno. Hinc Divus Thomas, cum in Sacramentis hoc efficiatur, quod ſignificatur, juxta etiam determinationem Concilii Florentini, verba id efficiunt, quod ſignificant, & hoc quia non ſolùm ſunt ſigna, ſed etiam cauſa gratiæ, idcircò dicere, quod oratio illa ſit tantùm ſignum, & non cauſa, eſt aſſerere non eſſe ſecundum rei veritatem, ſed ſolùm in ſigno, & hæc hæreſis eſt, quæ damnata fuit æquè bene à Divo Thoma & ulteriùs in Confirmationem doctrinæ Divi Thomæ à Concilio Tridentino (*g*) ſic decretante, ſi quis dixerit, tantummodo eſſe in eo; ſ. in hoc Sacramanto Euchariſtiæ corpus, & ſanguinem Chriſti Domini, ut in ſigno, vel figura, vel virtute, anathema ſit.

g ſeſſ. 13. can. 1

Tertiò reprobatur etiam dictum aliorum dicentium, quod hæc dictio *hoc* facit demonſtrationem ad ſenſum, ſed intelligitur hæc demonſtratio non pro illo inſtanti locutionis, quo profertur hæc dictio, ſed pro ultimo inſtanti locutionis. Et meritò hoc dictum etiam reprobatur cum Divo Thoma, etenim ſecundum hoc hujus locutionis ſenſus eſſet, corpus meum eſt corpus meum, quod prædicta locutio non facit, quia hoc facit ante etiam prolationem verborum, ideòque nec hoc prædicta locutio ſignificat; certum eſt enim, quod tàm ante, quàm poſt conſecrationem verum erat dicere, corpus Chriſti eſt corpus Chriſti, ſicut manifeſtum eſt, quod in cœna, in qua antequam Chriſtus conſecraret, cum veritate poterat aſſerere, corpus meum eſt corpus meum.

Quapropter ut ex iis, quæ reprobantur, melius appareat veritas, quæ à Divo Thoma manifeſtatur, unà cum eodem dicendum eſt, quod hæc locutio habet virtutem factivam converſionis panis in corpus Chriſti, & hoc quia ly *hoc* demonſtrat hanc ſubſtantiam, & facit ſenſum, ſubſtantia hæc eſt corpus meum. Non enim faciunt, inquit Divus Thomas, verba hæc, quod corpus Chriſti ſit corpus Chriſti, neque quod panis ſit corpus Chriſti, ſed quod contentum ſub his ſpeciebus, quod prius erat panis, ſit corpus Chriſti; & ideò animadvertit, quod ſignanter non dicit Dominus, hic panis eſt corpus meum, ſed in generali, hoc eſt corpus meum, nullo nomine appoſito à parte ſubjecti, quod eſt ly *hoc*, ſed ſolo pronomine, quod ſignificat ſubſtantiam in communi, ſine qualitate, ſcilicet forma determinata; juxta quam doctrinam, & in confirmationem hujus, ſubdit Divus Thomas, (*b*) quod hæc dictio, *hoc*, demonſtrat ſubſtantiam, ſed abſque determinatione propriæ naturæ, ſicut hoc pronomen, *hoc*, non demonſtrat ipſa accidentia, ſed ſubſtantiam ſub accidentibus contentam, quæ primò fuit panis, & poſtea eſt corpus Chriſti, quod licet non informetur his accidentibus, tamen ſub eis continetur; tranſubſtantiatur namque ſubſtantia panis in ſubſtantiam corporis Chriſti remanentibus accidentibus panis; ac proinde hæc verba, hoc eſt corpus meum, ſua ſignificatione efficiunt converſionem panis in corpus Chriſti; & ad illud, quod poteſt dici, quod cauſa effectiva præintelligatur effectui: non aliud eſt dicendum, niſi quod præintelligitur effectui cauſa effectiva ordine naturæ, cum hoc pacto ſemper ſit verum, quod cauſa naturaliter ſit prior effectu, non tamen ordine temporis. Unde Divus Thomas (*i*) ſignificatio hujus locutionis præintelligitur rei ſignificatæ ordine naturæ, non tamen ordine temporis, quia hæc cauſa ſimul habet ſecum ſuum effectum: per quod magis patet illud, quod diximus, illa locutio denotat virtutem factivam converſionis panis in corpus Chriſti, cum ſecundum ultimum inſtans prolationis verborum fiat illa converſio, & in illo ultimo inſtanti accipit ſuam ſignificationem, vel conſignationem per ly *eſt*; & hoc, quod dicitur de hac locutione hoc eſt corpus meum, idem dicendum de illa, hic eſt calix ſanguinis mei &c.

b 3. p. q. 78 a. 5. ad 1.

i ib. ad 2

Et hoc quia hæc eſt forma conveniens conſecrationis vini, ſcilicet hic eſt calix ſanguinis mei, novi, & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.

Et licet non habeatur præciſè iſte forma ab Evangeliſtis, & ab Apoſtolo Paulo; Etenim ex Luca, (*m*) & ex Apoſtolo habetur, hic eſt calix; Pariter ex Luca (*n*) & ex Marco, & ex Matthæo (*o*) habetur, ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Ex Marco non habetur in remiſſionem peccatorum, Ex Luca habetur, qui pro vobis fundetur: nihilominus tamen illa ab Eccleſia profertur in conſecratione vini, utpotè ab Apoſtolis inſtructa, & nos utique dicta forma uti debemus, quando vinum conſecramus, ſic edocti ex traditione Apoſtolica, à Sancta Romana Eccleſia, quæ omnium Eccleſiarum eſt mater, & magiſtra.

l cap. 22 m 1 Cor. 11. n cap. 14. o cap. 26.

Hinc eſt, quod multi dixerunt eſſe ſolùm de ſubſtantia formæ, hoc quod dicitur, hic eſt calix ſanguinis mei; non verò ea, quæ ſequuntur. Fundamento deſumpto ex variis liturgiis; Nam voces æterni teſtamenti, myſterium fidei in liturgiis Græcorum non extant.

In liturgia Jacobi, Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effunditur, & datur, (& diſtribuitur in liturgia Sancti Marci) in remiſſionem peccatorum. In aliis Hic eſt ſanguis meus. Attamen ex Div. Thoma (*p*) dicitur horum fundamentum eſt inconveniens quoniam ea; quæ ſequuntur, ſunt quædam determinationes prædicati, ſcilicet ſanguinis Chriſti, Unde pertinent ad integritatem ejuſdem locutionis.

p 3 p q. 78 a. 3.

Qua de cauſa relinquimus opiniones horum; & ſequimur ſententiam Divi Thomæ, & quia fuit ab Eccleſia acceptata, & conformior auctoritati ejus; & in primis habetur ex D. Thoma in Epiſt. prima ad Corinth. circa iſta verba, quibus Eccleſia utitur in conſecratione ſanguinis quidam opinantur, quod non omnia ſint de neceſſitate formæ, ſed ſolùm quod dicitur, hic eſt calix ſanguinis mei, non autem reſiduum, quod ſequitur novi, & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Sed hoc non videtur inconveniens dici; nam totum illud, quod ſequitur, eſt quædam determinatio prædicati, & ad ejuſdem locutionis ſententiam, ſeù ſignificationem pertinet. Et quia, ut ſæpè dictum eſt, formæ Sacramentorum ſignificando efficiunt, totum pertinet ad vim effectivam formæ. Attamen hic determinat Divus Thomas ſuam ſententiam dicendo (*r*) omnia prædicta verba ſunt de ſubſtantia formæ; verùm per prima, videlicet hic eſt calix

q lec. 6. c 11.

r loc. cit. par.

Digitized by Google

ſanguinis mei ſignificatur ipſa converſio vini in ſanguinem, per ſequentia verò deſignatur virtus ſanguinis effuſi in paſſione; quæ operatur in hoc Sacramento.

Sanguinis autem effuſi in paſſione Chriſti tres ſunt effectus admirabiles; Primus, & principalis eſt aditus ad æternam hæreditatem, quæ novi, & æterni teſtamenti jure ad nos venit, juxta (t cap. 13.) Apoſtolum ad Hæbr. (*ſ*) Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis paſtorem magnum ovium in ſanguine teſtamenti æterni Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum; & Divus Thomas aſſignando primum hujus effectum ait, principaliter datur ad adipiſcendam æternam hæreditatem, ſecundum illud ad Hæbr. (*t*) habentes fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine (t cap. 10) Chriſti.

Secundus eſt aditus ad juſtitiam per myſterium fidei, (u cap. 3) & Divus Thomas ait, ſecundò ordinatur ad juſtitiam gratiæ, quæ eſt per fidem juxta illud Roman. (*u*) quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius, ut ſit ipſe juſtus, & juſtificans eum, qui ex fide eſt Jeſus Chriſti.

Tertius aditus eſt remiſſio peccatorum, & Divus Thomas ait, tertiò ordinatur ad removendum impedimentum utriuſque prædictorum, ſcilicet peccata, juxta Apoſtolum ad Hæbr. (*x*) quartò magis ſanguis (x cap. 9) Chriſti emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi, per quæ omnia deſignatur virtus ſanguinis effuſi in paſſione, & quæ operatur in hoc Sacramento, nam quantum pertinet ad primum dicitur novi, & æterni teſtamenti, quantum ad ſecundum dicitur myſterium fidei, & quantum ad tertium dicitur, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.

Continet ergo prædicta forma per verba in ipſa poſita plenitudinem myſteriorum, & per prius continet, hic eſt calix ſanguinis mei, nec debet eſſe mirum, ſi in conſecratione panis ponatur in recto corpus Chriſti, & in conſecratione vini ponatur ſanguis Chriſti in obliquo, quia ſic debet intelligi, hic eſt ſanguis meus, qui hoc calice continetur, immò rectè, dum ſanguis, hic, ut eſt fidelium potus, conſecratur, calicis mentio facienda eſt; neque enim ſanguis hujuſmodi potionem ſatis ſignificare videretur, niſi vaſe aliquo exceptus eſſet. Quæ doctrina habita à Catechiſmo Romano habetur deſumpta ex Divo Thoma (*y*) docen- (y 3 p. q. 78. a. 3. ad 1.) te, quod quando dicitur, hic eſt calix ſanguinis mei, figurativa locutio eſt. Et hoc dupliciter.

Primò per figuram Metonymiam, qua ponitur continens pro contento, ut ſit ſenſus; hic eſt ſanguis meus contentus in calice, de quo hic fit mentio, quia ſanguis Chriſti in hoc Sacramento conſecratur, in quantum eſt potus fidelium, quod non importatur in ratione ſanguinis, & ideò oportuit hoc deſignari per vas huic uſui accommodatum.

Secundo ſecundum metaphoram, prout per calicem ſimilitudinariè intelligitur paſſio Chriſti, quæ ad ſimi- (z cap. 3.) litudinem calicis inebriat juxta illud Thren. (*z*) replevit me amaritudinibus, inebriavit me abſinthio, & de facto ipſe Dominus Jeſus nominavit paſſionem ſuam calicem, tùm & quando dixit, Matth. (*a*) poteſtis bi- (a cap. 20) bere calicem, quem ego bibiturus ſum; tùm & quando ipſe dixit, Matth. (*b*) Tranſeat à me calix iſte; ut (b cap. 26) ſit ſenſus, hic eſt calix paſſionis meæ, de qua fit mentio in ſanguine ſeorſum à corpore conſecrato, quia ſeparatio ſanguinis à corpore fuit per paſſionem.

Confirmat Divus Thomas, (*c*) tùm ex ſuperius (c loc. cit. ad 2.) dictis, tùm hic, quod ſanguis ſeorſum conſecratus expreſſè paſſionem ſignificat, & ideò potiùs in conſecratione ſanguinis fit mentio de effectu paſſionis, quàm in conſecratione corporis, quod eſt paſſionis ſubjectum, per quod vult Divus Thomas aſſignare differentiam, quæ reperitur inter hoc, quod dicitur hoc eſt corpus meum, & inter hoc, quod dicitur, hic eſt calix ſanguinis mei, ibi eſt perfecta conſecratio, non hic; & fundamentum hujus differentiæ deſumitur ex hoc, quod inter ſubjectum, & effectum reperitur maxima differentia; ſubiectum paſſionis eſt corpus Chriſti, quod etiam deſignatur in hoc ait Divus Thomas, quod Dominus dixit, quod pro vobis tradetur, quaſi diceret, quod pro vobis paſſioni ſubjicietur: Effectus autem paſſionis eſt effuſio ſanguinis facta in remiſſionem peccatorum, quod deſignatur in hoc, quod Dominus dicit, qui pro vobis, & pro multis effundetur, ut lavare poſſit quilibet immunditiam conſcientiæ ſuæ ex iniquitate, ſive peccato contractam, & poſſit ſibi eſſe populus acceptabilis, & ſectator bonorum operum.

Continet ly novi teſtamenti, ut per ly novum habeamus certitudinem, & evidentiam de exhibitione ſanguinis Chriſti in rei veritate, & quod in veteri teſtamento ſolùm in figura exhibitus fuit: Unde D. Th. ſanguis Chriſti dupliciter (*d*) eſt hominibus exhibi- (d ib. ad 3) tus.

Primò in figura, quod pertinet ad vetus teſtamentum, de quo loquendo Apoſtolus ad Hæbr. (*e*) ſic ait, ne (e cap. 9.) primum quidem ſine ſanguine dedicatum eſt, Nam lecto omni mandato legis à Moyſe, univerſo populo, accipiens ſanguinem vitulorum, & hircorum cum aqua, & lana coccinea, & hyſopo ipſum quoque librum, & omnem populum aſperſit, dicens, hic eſt ſanguis teſtamenti, quod mandavit ad vos Deus, iuxta illud, quod ſcriptum eſt in Exodo, (*ſ*) aſſumens- (f cap. 24) que volumen fæderis legis audiente populo, qui dixerunt, omnia, quæ locutus eſt Dominus faciemus, & erimus obedientes: ille verò ſumptum ſanguinem (vitulorum duodecim immolatorum) reſperſit in populum;, & ait hic eſt ſanguis fæderis, quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus ſuis. Sanguis autem Chriſti in rei veritate exhibitus eſt; nam ipſe flagellatus fuit, ſpinis coronatus, crucifixus, in quibus diris tormentis totus eius ſanguis fuit effuſus, in redemptionem eorum, qui vocati ſunt ad æternam hæreditatem; iuxta illud Pauli ad Hæbr. (*g*) & ideò novi teſtamenti mediator eſt Chriſtus, ut morte in- (g c. 9.) tercedente, in redemptione earum prævaricationum, quæ erant ſub priori, ſcilicet veteri teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis; & poſtquam crucifixus fuerit, emiſit ſpiritum moriendo, ut per mortem ſuam nos vitam reciperemus; & hæreditatis ius ad regnum cælorum haberemus.

Verùm antequam morte præveniretur, teſtamentum novum fecit, per quod conſtituit, atque declaravit hæredes omnes illos, qui in Chriſto credunt, ut credentes ſalvi fierent. Credunt enim in illum omnes, qui confitentur eum eſſe verè filium Dei, eſſe crucifixum, & mortuum pro humano genere: quapropter omnes, qui in illo credunt, participes facti ſunt hereditatis eius, quam reliquit nobis per teſtamentum, antequam è vita diſcederet: Unde Apoſtolus ad Hæbreos, (*h* ubi teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt, (h cap. 9.) ut intercedat teſtatoris; ergo ſi Chriſtus mortuus non fuiſſet, quomodo eſſemus hæredes regni cælorum? Et quamvis teſtamentum diſpoſitio ſit hæreditatis, attamen ſi teſtator vivit, non videtur, quod teſtamentum eius valere poſſit, nec abſolutè hæredes nominari poſſunt illi, qui etiam ad hæreditatem in illo vocati ſunt, utpotè quia poteſt à teſtatore illud mutari: unde benè Paulus ibid. teſtamentum in mortuis confirmatum eſt, & ideò ait D. Tho. (*i*) quod hæreditatem celeſtem diſpoſuit Deus (i ib. ad 3) hominibus dandam per virtutem ſanguinis Chriſti Jeſu, effuſi, ſcilicet in paſſione, & morte eius:) alioquin nondùm valet, dùm vivit, qui teſtatus eſt.

Ex quibus videtur quàm neceſſarium ſit exprimere verbum illud novi teſtamenti in conſecratione vini, & hac ferè eadem ratione neceſſarium eſt exprimere in eadem illud verbum æternum.

Dici-

Dicitur enim æternum, & ratione æternæ Dei præordinationis, erga quam Chriſtus Dominus nos præordinavit, & ratione æternæ hæreditatis, quæ per hoc teſtamentum diſponitur, cum autem diſpſitio ſit æterna, illa, inquam, diſpoſitio hæreditatis, utpotè proveniens à perſona æterna, quæ eſt Chriſtus Dominus, hinc rectè ſequitur, quod etiam teſtamentum non poteſt non eſſe æternum; & hoc juxta D. Thom. (*l*) [*l Ib. ad 4.*] ipſa etiam perſona Chriſti, cujus ſanguine teſtamentum diſponitur, eſt æterna.

Continet ly myſterium fidei, ut omnes fideles ſciant, quod non ponitur ad excludendam rei veritatem, ſed ad oſtendendam occultationem, nam certum eſt, quod ſicut corpus Chriſti in hoc Sacramento continetur occulto, immò & ineffabili modo; ita & ſanguis Chriſti continetur modo ineffabili, ſub ſpeciebus Sacramentalibus, eò ferè modo, quo & ipſa paſſio Chriſti occultè figurata fuit in veteri teſtamento, tùm per exaltationem ſerpentis in deſerto, ut legitur Joannis, (*m*) [*m Cap. 3.*] ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ità exaltari oportet filium hominis; Exaltavit, inquam, Moyſes ſerpentem in deſerto, ut omnes, qui percuſſi fuerant, ſanarentur, ut legitur Num (*n*) [*n Cap. 21.*] quod fecit Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno, quem cum percuſſi reſpicerent, ſanabantur. Exaltatus fuit Chriſtus non in deſerto, ut tantùm ab aliquibus aſpiceretur, & ut tantùm plures ſanarentur, hoc eſt emundarentur à peccatis, ſed ſupra montem, ut omnes illum aſpicere poſſint, & ut omnes ſalvi fierent, quantum in ſe eſt per ipſum; idcircò ipſe dixit in Joann., (*o*) [*o Cap. 12.*] & ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum; omnia, inquam, regna Mundi, per quæ & Populus Judæorum, & Gentilis populus intelliguntur. Unde inquit Chryſoſtomus, quod in Cruce expanſis manibus moritur, ut altera manu veterem populum, altera eos, qui ex gentibus ſunt, trahat. Exaltatus, itaque fuit, & in ſua exaltatione in ligno Crucis ablatum fuit ſignum, ut veritas oſtenderetur. Et magis videtur fuiſſe occulta ejus paſſio, quando dixit ipſemet Chriſtus Dominus, Joann. (*p*) [*p Cap. 2.*] ſolvite templum hoc, & in tribus diebus illud excitabo: ſolvite templum hoc, per hoc enim intelligebat loqui de templo corporis ſui, & in tribus diebusxcitabo illud, manifdſtando veritatem, nam poſt mortem ſuam tertia die reſurrexit.

Appellatur myſterium fidei per antonomaſiam, quia fides in nullo alio myſterio religionis Chriſtianæ magis elucet, quam in hoc Sacramento; Hinc Albertus Magnus ait, Myſterium dicitur à græco myſton, quod eſt ſecretum; quia ſecretum fuit, qualiter in morte vitam æternam, & in ſanguine perficeret ſanctitatem; (*q*) [*q Cap. 24.*] ideò multis hujus Mundi ſapientibus ſtultitia videbatur; unde in Iſaia dicitur, ſecretum meum mihi, ſecretum meum mihi. Et rurſus dicitur myſterium fidei, quoniam per hoc proponit nobis fides credendum Chriſtum Dominum, verum Dei filium, ſimulque Deum, & hominem mortem pro nobis pertuliſſe, quæ quidem mors ſanguinis Sacramento deſignatur; Idcircò quàm malè erraverunt illi, qui exiſtimabant myſticè ſolùm eſſe corpus, & ſanguinem Chriſtl In hoc Sacramento, & error eorum non tollitur per hoc, quod dicatur in dicta forma conſecrationis vini, myſterium fidei, cum jam fidelibus proponatur, ut credendum, & non illis, qui corpus Chriſti corpus phantaſticum credebant eſſe.

Denique dicitur myſterium fidei, ut per hoc colligamus differentiam, quæ reperitur inter Sacramentum baptiſmi, & inter hoc Euchariſtiæ Sacramentum, quod baptiſmus eſt Sacramentum fidei, fit enim in illo quædam proteſtatio fidei, ad credendum non ſolùm myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, ſed etiam omnia myſteria fidei; Euchariſtia verò dicitur myſterium fidei, quaſi fidei objectum, quia ſola fide tenetur ſecundum veritatem ſanguinem Chriſti eſſe in hoc Sacramento: Ideòque diximus, quod id, quod occultè latet in hoc Sacramento, & à ſenſu remotiſſimum eſt, certa fide credendum eſſe ſignificat; & à Div. Thom. in hymno Corporis Chriſti dicitur, præſtet fides ſupplementum ſenſuum defectui; etenim quod non videmus, firmiter credimus; & rurſus in ſequentia ejuſdem feſtivitatis canit, quod non capis, propter modum ineffabilem exiſtendi in hoc Sacramento, quod non vides, propter debilitatem ſenſuum, animoſa firmat fides, ſine dubitatione, præter rerum ordinem, cum opus ſit ſolius Dei convertere ſubſtantiam panis in ſubſtantiam corporis Chriſti.

Etſi dicatur hoc Sacramentum, Sacramentum Charitatis, dicitur tamen tale quaſi figurativum, & effectivum, quia vinculo amoris tenet nos copulatos ad Chriſtum, ut eum ſemper diligamus propter immenſam bonitatem, qua dilexit nos, tradendo ſemetipſum pro nobis.

Continet ly qui effundetur in remiſſionem peccatorum, quia ut dictum eſt pluries, ſanguis ſeparationi corpore conſecratus majorem vim, & momentum habet ad paſſionem Domini, & mortem, & ut ait Div. Thom., (*r*) [*r Ib. ad 7.*] expreſſiùs repræſentat paſſionem Chriſti, ac proinde, ut ſuprà etiam tetigimus, potiùs in conſecratione ſanguinis fit mentio de paſſione Chriſti, & ejus fructu, quàm in conſecratione corporis.

Continet ly pro vobis, & pro multis, & ut inſpiciamus virtutem hujus Sacramenti, qua inſpecta non poſſumus non fateri pro omnium ſalute ſanguinem eſſe à Salvatore effuſum; nam Joannis habetur; (*ſ*) [*ſ Cap. 3.*] quod non miſit Deus filium ſuum, ut judicet Mundum, ſed ut ſalvetur Mundus per ipſum: & ut inſpiciamus fructum, quem ex eo homines percipiunt; Nam eo inſpecto videbimus non ad omnes, ſed ad multos utilitatem hanc provenire; & ideò non dixit pro omnibus, quoniam licet paſſio Chriſti quantum ad ſufficientiam omnibus profuiſſe potuerit; attamen quantum ad efficientiam profuit multis, & de facto videmus, quod quando Chriſtus Dominus dedit corpus ſuum, & ſanguinem diſcipulis, dixit, hic eſt calix, qui pro vobis fundetur, Lucæ, (*t*) [*t Cap. 22.*] & tamen non omnibus diſcipulis profuit, nam fuit inter illos Judas proditor, pro quo quantum ad efficaciam ſanguis Chriſti non fuit effuſus, quamvis fuerit effuſus quantum ad ſufficientiam, mediante qua poterat & ipſe ſalvari, ſicut quilibet poteſt etiam quantum ad eamdem ſalvari; benè tamen dixit pro vobis & pro multis; pro vobis, ſcilicet pro illis, qui aderant, hoc eſt, ut ait Div. Thom. (*u*) [*u Ib. ad 8.*] pro vobis manducantibus, pro multis, pro quibus ſcilicet offertur; pro vobis Judæis, nam, Matt. (*x*) [*x Cap. 15.*] non ſum miſſus, niſi ad oves, quæ perierant domus Iſrael: pro multis etiam gentilibus, nam, Joannis, (*y*) [*y Cap. 17.*] omnis, qui eſt ex veritate, audit vocem meam; & ideò ly prò multis voluit intelligi reliquos electos ex Judæis, & ex Gentilibus, hinc Div. Th. ait ibidem, quod ſanguis Chriſti non ſolùm habet efficaciam in Judæis electis, quibus exhibitus eſt ſanguis veteris teſtamenti, ſed etiam in Gentilibus, ac proinde videtur, quàm rectè factum ſit, ut non diceretur pro univerſis, ſed pro multis, quia quidam, ex Div. Thom. ad Corint. (*z*) [*z p. cap. 11. diſſ. 6.*] ſe reddunt indignos ad recipiendum talem effectum quantùm ad efficaciam, dicitur eſſe effuſus pro multis, in quibus habet effectum paſſio Chriſti; unde nec mirum cum & hoc in loco videatur eſſe ſermo ſolùm de fructu paſſionis, quæ ſalutis fructum dilectis ſolùm attulit; quod colligitur ex illo Pauli ad Hebr. (*a*) [*a Cap. 9.*] Chriſtus ſemel oblatus eſt, ad multorum, (non dixit omnium,) exhauriendo peccata; & rurſus colligitur ex illo Joan (*b*) [*b Cap. 17.*] Ego pro eis rogo, non pro Mundo, (quia non omnes ſalvi facti ſunt) ſed pro his, quos dediſti mihi, quia tui ſunt, propter præordinationem ad gloriam jam acquiſitam per gratiam Dei, & per merita paſſionis Jeſu Chriſti Saltoris noſtri, qui dedit poteſtatem diſcipulis ſuis, ut in memoriam paſſionis ejus celebrarent, nec tantùm celebrarent, ſed etiam celebrando conficerent hoc Sacramentum Euchariſtiæ, ut clarè conſtat ex verbis Domini, Lucæ, (*c*) [*c Cap. 22.*] & accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens, hoc eſt corpus meum, quod

pro

Digitized by Google

pro vobis datur, hoc ſacite in mçam commemorationem.

Ex quibus rectè ſequitur, quod Sacerdos conſecrando panem conficit utique Sacramentum hoc, & hoc mediantibus verbis Chriſti Domini, & mediante prolatione verborum Sacerdotis, qui ſi nihil proferret de verbis Domini ſupra panem, oumquam in corpus Chriſti converteretur.

Verùm quia non ex perſona propria, ſed ex perſona Chriſti Domini verba profert, hinc ſequitur, quod in verbis formalibus hujus Sacramenti ſit quædam virtus creatà ad converſionem hujus Sacramenti faciendam, inſtrumentalis tamen; Unde Div. Thom., (*d*) cum hæc verba ex perſona Chriſti proſerantur, ex ejus mandato conſequuntur virtutem inſtrumentalem à Chriſto, quam virtutem inſtrumentalem oon excludit Damaſcenus, (*e*) dùm ait, ſola virtute Spiritus Saocti ſit converſio panis in Corpus Chriſti; quod exemplificando maoifeſtum reddit Div. Thom. quando dicitur ſolus ſaber facit cultellum, certum eſt, quod per hoc noo excluditur virtus cultelli, quæ virtus inſtrumentalis eſt, & deterioris conditionis ipſius ſabri, qui cauſa principalis eſt illius; ſic pariter dicendum eſt de virtute Spiritus Sancti, non eſt dubium, quod talis virtus increata non ſit, utpotè à oullo factus, nec creatus, & nihilominus ut perficiatur hoc Sacramentum, videtur apertius, quod non excluditur virtus inſtrumentalis creata, quæ eſt in forma hujus Sacramenti, ſcilicet prolatio verborum, ſine qua impoſſibile eſt, quod conficiatur hoc Sacramentum, & hoc juxta Concilium Florentinum, Sacerdos in perſona Chriſti loquens conficit hoc Sacramentum, nam ipſorum verborum virtute ſubſtantia panis in corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem convertuntur. Juxta Concilium Tridentinum, (*ſ*) ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri corpus, verumque ejus ſanguinem ſub panis, & vini ſpecie, unà cum ipſius anima, & divinitate exiſtere, ſed corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub ſpecie vini ex vi verborum.

d 1. p. q. 78. art. 4. — *e Libr. 4. cap. 4.* — *f Seſſ. 13. cap. 1.*

Signum ergo eſt, juxta etiam determinationem Conciliorum, quod in prædictis verbis formarum datur vis effectiva coofecrationis, creata tamen, atque inſtrumentalis; ſic & Div. Ambroſius (*g*) apertè hoc dicit, ſi tanta eſt vis in ſermone Domini Jeſu, ut inciperet eſſe, quod non erat, quantò magis operatorius eſt, ut ſint, quæ erant, & in aliud commutentur? Et ſic quod erat panis ante conſecrationem, in Corpus Chriſti eſt poſt conſecrationem, quia ſermo Domini creaturam mutat io aliud, quod utique hoc ſolùm fit ex vi verborum, quibus mediantibus illud, quod erat panis ante conſecrationis verba, poſt illa fit corpus Chriſti, & cum Sacerdos proferat illa verba, ſignum eſt, quod in illis verbis inſit virtus effectiva creata, inſtrumentalis tamen, conſecrationis, in qua convertitur panis in corpus Chriſti, & vioum in ſanguinem, quæ converſio, etſi ſit opus miraculoſum, & à nulla creatura, præcisè ut creanura, hoc eſt, ut agens principale fieri poſſit, oihilominus tamen ab illa, ut agens inſtumentale fieri poteſt. Exemplum habemus de Chriſto Domino, qui quamvis abſolutè poterat facere, ſicut multa fecit miracula ex propria virtute, attamen voluit per tactum manus multos etiam ſanare, ut habetur ex Matt., (*h*) extendens manum Jeſus, tetigit eum & confeſtim mundata èſt lepra ejus. Unde Div. Thom. (*i*) per huuc modum, ait, verba Chriſti convertunt panem io corpus Chriſti, & quod dicitur de iſta converſione, reſpectu cujus creatura ſcilicet Sacerdos, ſe habet ut cauſa inſtrumentalis, oequit dici de creatione, nec de formatione corporis in Utero Sacroſancto Beatiſſimæ Virginis Mariæ. Non de Creatione, eò quia creatio, cum ſit ex nullo præſuppoſito ſubjecto, in illo non poteſt eſſe aliquod extremum, in quod inſtrumeotalis actio creaturæ terminari poſſit. Non de formatione corporis in utero puriſſimo deiparæ Virginis, ſiquidem cum fuerit ex Spiritu Sancto præcisè, nam Spiritus Sanctus ſupervenit illi, & virtus altiſſimi obumbravit ei, ut habetur Lucæ, (*l*) ideò in conceptione illius opus non erat, ut aliquid à corpore Chriſti procedens haberet inſtrumentalem virtutem ad ipſius corporis formationem, & ideò non eſt ſimile de ceatione rerum, de formatione Corporis Chriſti in utero Spiritu Sancto pleno Beatiſſimæ Virginis, ac de converſione; nam iſta etiam procedit ab agente creato inſtrumentaliter concurrente efficiendo per prolationem verborum Corpus Chriſti habita auctoritate à Chriſto Domino, quando dixit, hoc quotieſcumque facietis, in mei memoriam facietis; & quamvis multa ſint verba, (cauſa poſtea, quod multitudo verborum non ſimplicitatem, ſed compoſitionem importet) attamen ſi benè attendatur, videbitur, quod etſi in ipſis verbis exterius prolatis ſit quædam compoſitio, oihilominus tamen ratione ſimplicis ſignificati eſt virtus ſimplex, quam virtutem conſequuntur prædicta verba, teſte Div. Thom., (*m*) in ultimo inſtanti prolationis verborum.

g Libr. 4. Sac. c. 4. — *h Cap. 8.* — *i Ib. ad 1.* — *l Cap. 1.* — *m ib. ad 3.*

Cum autem in hoc Sacramento tàm mirabili, tàm ineffabili conſecretur panis, & vinum per verba à Chriſto Domino tradita, quando dignatus eſt inſtituere hoc Sacramentum in ſalutem omnium piè, ac fideliter credentium, & à Sacerdote prolata, per auctoritatem habitam à Chriſto Salvatore ooſtro, quando poſt traditionem corporis ſui, & ſanguinis diſcipulis ſuis, dixit illis, hoc facite in meam commemorationem, quapropter proſerendo hæc verba, hoc eſt corpus meum, tunc io ultimo inſtanti illorum verborum convertitur panis in corpus Chriſti, & idem dicitur de verbis iſtis, hic eſt calix ſanguinis mei &c. prolatis ab eodem.

Et quamvis duplex ſit forma, una conſecrationis panis, & alia vini, attamen unum eſt ſacrificium, cum una ſit victima, quæ offertur æterno Patri Chriſtus Dominus, Deus homo, quia Verbum caro factum eſt.

Verùm quia prior eſt forma conſecrationis panis, & poſterior forma conſecrationis vini, hinc ſumitur occaſio dubitandi, an forma conſecrationis panis conſequatur ſuum effectum, antequam perficiatur forma conſecrationis vini; & talem occeſionem dubitandi præbuerunt quidam antiqui Doctores volentes, quod iſtæ duæ formæ ſe invicem expectent in agendo, ita ut prima non perficiat ſuum effectum, antequam proferatur ſecunda; ſed à Div. Thom. (*n*) ipſa ratio dubitandi tollitur; docet enim, quod ad veritatem hujus locutionis, hoc eſt corpus meum, requiritur propter verbum præſentis temporis, quod res ſignificata ſtatim adſit, hoc eſt, quod ſimul tempore ſit cum ipſa ſignificatione locutionis, alioquin ſi io futurum expectaretur res ſignificata, apponeretur verbum futuri temporis, non verbum præſentis, ac per conſequens nec diceretur, hoc eſt corpus meum, ſed hoc erit corpus meum; Et talis ratio dubitandi, quæ à Div. Th. (*o*) tollitur, per ſuam doctrinam, tollitur etiam à Sacro Concilio Tridentino (*o*) approbante doctrinam Div. Thomæ, dùm determinat, quod nondùm Euchariſtiam de manu domini Apoſtoli ſuſcéperant, cum verè tamen ipſe affirmaret, corpus ſuum eſſe, quod præbebat; Et de facto ipſa ratio dubitandi deſinit eſſe, ſi bene conſiderentur verba Lucæ, (*p*) narrat enim Evangeliſta, quod accepto pane gratias egit, ac fregit, & dedit eis dicens, hoc eſt, corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem; ſimiliter & calicem poſtquam cænavit dicens, hic eſt calix novum teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis fundetur. In quibus verbis videtur maoifeſtè, quod prius Chriſtus Dominus conſecravit panem, & illum dedit diſcipulis ſuis, ut ſub ſpecie illius manducaret carnem ſuam; & poſtea conſecravit vinum, & illud dedit diſcipulis ſuis, ut ſub ſpecie illius biberent ejus ſanguinem; ſed quando acceperunt corpus Chriſti domini ſub ſpecie panis, acceperunt effectum Sacramenti, ergo ſignum eſt, quod jam forma conſecrationis panis conſecuta fuit effectum ſuum, antequam perfecta fuiſſet forma conſecrationis vini, ſiquidem

n 3. p. q. 78. art. 6. — *o Seſſ. 13. cap. 3.* — *p Cap. 22.*

poſt-

Digitized by Google

poſtquam cænavit, illam protulit.

Etſi dicatur, quod ſicut per conſecrationem panis incipit eſſe corpus Chriſti ſub hoc Sacramento, ita per conſecrationem vini incipit eſſe ſanguis; hoc etiam tollitur per ea, quæ dicta fuerunt ſuperius; dictum enim fuit, quod facta conſecratione panis eſt ibi corpus Chriſti ex vi Sacramrnti, & ſanguis ex reali concomitantia, & per conſecrationem vini eſt ibi ſanguis Chriſti ex vi Sacramenti, corpus verò ex reali concomitantia, ita ut totus Chriſtus ſit ſub utraque ſpecie ex definitione Concilli Tridentini. Quapropter de primo ad ultimum dicendum eſt, ut tollatur omnis dubitatio, quod non proponeretur hoſtia populo adoranda ſtatim dictis verbis conſecrationis, ſi ibi non eſſet corpus Chriſtl, vel ſi fuiſſet neceſſarium, quod prima forma conſecrationis panis expectaret in agendo ſecundam formam conſecrationis vini; cum autem proponatur populo illa adoranda, jam ſequitur, quod verba primæ conſecrationis conſequantur ſuum effectum, antequam probarentur verba ſecundæ conſecrationis.

Nec dicatur, quod in forma conſecrationis panis ſint plura verba, quorum prima non conſequuntur effectum, niſi prolato ultimo, ac proinde pari ratione verba, quibus conſecratur corpus Chriſti, non habent effectum, niſi prolatis verbis, quibus ſanguis Chriſti conſecratur.

Non inquam hoc dicendum eſt, ſed ſemper eſt ſtandum juxta doctrinam Div. Th. docentis, quod non eſt aſſignare ultimum inſtans, in quo ſit terminus *à quo*, & adveniat terminus *ad quem*, ſed in inſtanti terminus *ad quem* habet propriam naturam ſuæ ſubſtantiæ, & terminus *à quo* non amplius manet ſecundum ſuam ſubſtantiam; ſed solùm ſecundum ſua accidentia, ſignum ergo eſt, quod ſi non proferretur ultimum verbum in forma conſecrationis panis, quod eſt ly *meum*, numquam verba antecedentia conſequerentur ſuum effectum; Quod non eſt dicendum de verbis diverſarum formarum. Unde Div. Thom. (*q*) ait, quod licet in
q Loc. cit. p. ad 3. forma conſecrationis panis ſint plura verba atque diverſa, tamen ex iſta pluralitate, ac diverſitate verbo: jam, conſtituitur veritas unius locutionis, ac proinde æquè bene ſequitur, quod prima verba, hoc eſt corpus, non conſequantur effectum, niſi prolato ultimo verbo, ſcilicet meum, Non autem, ait Div. Thom. verba diverſarum formarum, quaſi dicat, non eſt dicendum de verbis diverſarum formarum, de quarum ratione eſt conſtituere veritatem non unius locutionis, ſed duarum locutionum, ſiquidem à Div. Thom. jam inquiritur de iſtis, ſcilicet an prædictæ locutiones, ſcilicet hoc eſt corpus meum, hic eſt calix ſanguinis mei &c. ſint veræ.

Quomodò autem veræ eſſe poſſent, ſi una emendicaret veritatem ab alia? hanc autem emendicarent, ſi una expectaret ſortiri effectum ſuum ab alia; cum autem hæc ſit vera, ut veriſſima eſt locutio, hoc eſt corpus meum, et am ſi iſta non proferrentur, hic eſt calix ſanguinis mei, jam benè ſequitur, quod habet conſequi effectum ſuum, etiamſi non perficiatur iſta, hic eſt calix ſanguinis mei; & hoc quia utraque forma per ſe habet ſuam perfectionem; quod dicit Div. Thom,
r Ib. ad 2. (*r*) hoc Sacramentum eſt unum perfectione, inquantùm ſcillcet conſtituitur ex duobus, ſcilicet cibo, & potu; quorum utrumque per ſe habet ſuam perfectionem. Si habet utrumque ſuam perfectionem per ſe, quomodo poſtea poterit dici, quod unum non conſequatur ſuum effectum, niſi cum alio? bene tamen ſemper erit dicendum, quod utrumque licet ordinetur ad unum finem totalem, quia utrumque, ſcilicet conſecratio panis, & conſecratio vini in corpus, & ſanguinem Chriſti, eſt de neceſſitate Sacramenti, unum tamen, ſi re una conſecratio habet ſuum effectum non emendicatum ab alio, ſive ab alia, nec ordinatur ad unum ſimplicem effectum: per quod magis apparet nobilitas, & ſuprema excellentia hujus Sacramenti, ad differentiam Baptiſmi, in quo licet ſiant tres immerſiones, at quia immerſio in aqua non eſt de neceſſitate Baptiſmi, hinc eſt, quod illæ tres immerſiones solùm ordinantur ad unum ſimplicem effectum.

Supra quæſtionem ſeptuageſimam nonam.

De effectibus Sacramenti Euchariſtiæ.

EUchariſtiæ Sacramentum cum ſit maximæ præſtantiæ, atque dignitatis, & inter alia Sacramenta præcipuum, propter quod meritò dicitur Sacramentum Sacramentorum, eò quia in ipſo continetur verum corpus, & ſanguis Chriſti Domini, immò & totus Chriſtus unà cum anima, & divinitate, taliter quod illi, qui dignè manducant hunc panem, vivent in æternum; & hoc in ſignum, quod Sacramentum iſtud confert gratiam, quod deducitur ex eo, quod in hoc Sacramento continetur Chriſtus, qui ſicut in Mundum viſibiliter veniens contulit Mundo vitam gratiæ juxta illud Joann., (*a*) Gratia, & veritas per a Cap. 3.
Jeſum Chriſtum facta eſt, ita in hominem ſacramentaliter veniens vitam gratiæ operatur, ſecundum illud Joannis, (*b*) qui manducat me, vivet propter me. b Cap. 6.
Et cum cauſet gratiam, conſequenter cauſat & adeptionem gloriæ; etenim dixit ipſe Chriſtus, quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; quid autem ſit vivere in æternum, aliud profectò non eſt, niſi perpetuò poſſidere vitam gloriæ, in qua anima & ſpiritualiter delectatur, & quodamodo inebriatur dulcedine bonitatis divinæ, in qua eſt ſatietas plena, ſicut habetur ex Pſalte, (*c*) ſatiabor, cum apparuerit glo- c Pſ. 16.
ria tua; & rurſus vita æterna non solum eſt gratia Dei, ut teſtis eſt Paulus, gratia Dei (*d*) vita æterna; verùm etiam eſt vita gloriæ, quam vitam habemus proculdu- d Ad Ro. cap. 6.
bio per paſſionem, quam Chriſtus pro nobis ſuſtulit, quoniam per iſtam aperuit nobis aditum vitæ æternæ. Qui tamen aditus impeditur per peccatum mortale, unde ille, qui habet conſcientiam peccati mortalis, habet in ſe impedimentum percipiendi effectum hujus Sacramenti, cum non ſit conveniens ſuſceptor hujus Sacramenti, nec vivat ſpiritualiter, nec uniatur Chriſto propter carentiam charitatis, & propter affectum peccandi mortaliter, adeòque effectus hujus Sacramenti non eſt remiſſio peccati mortalis; remittuntur tamen per illud peccata venialia, utpotè quia iſta non contrariantur charitati quantum ad habitum; quamvis contrarietur ei quantum ad fervorem actus charitatis, qui actus excitatur per hoc Sacramentum, ratione cujus peccata venialia tolluntur. Habet tamen hoc Sacramentum iſtud Euchariſtiæ, quod præſervat à mortalibus, & quia interiùs robur ipſam vitam ſpiritualem, tanquam ſpiritualis cibus, & ſpiritualis medicina, juxta illud Pſal. (*e*) panis cor hominis e Pſ. 103.
confirmet; & quia repellit omnem dæmonum impugnationem, in quantum eſt quodam ſignum paſſionis Chriſti, per quam victi ſunt dæmones; Hinc Chryſoſtomus (*f*) hic myſticus ſanguis dæmones procul f Hom. 35. in Joan.
pellit, cum enim Dominicum ſanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur.

Remittuntur peccata venialia per iſtud Sacramentum, non tamen per illud remittitur tota pœna peccati; ſive poſtea conſideretur, & quatenus ſacrificium, & quatenus Sacramentum eſt; etenim quatenus Sacramentum eſt, cum non ſit inſtitutum, niſi ad ſpiritualiter nutriendum per unionem ad Chriſtum, at quia hæc unitas ſit per charitatem, ex cuius ſervore aliquis conſequitur remiſſionem non solùm culpæ, ſed etiam pœnæ, hinc ſequitur, quod per quamdam concomitantiam ad principalem effectum homo conſequitur remiſſionem pœnæ, non quidem totius, ſed ſecundum modum ſuæ devotionis, & fervoris; quatenus verò ſacrificium eſt, habet vim ſatisfactivam; at in ſatisfactione magis attenditur affectus offerentis, quàm quantitas oblationis; propterea dicitur, quod quam-

vis

Digitized by Google

vis oblationes ſui quantitate ſufficiant ad ſatisfaciendum pro omni pœna, tamen ſatisfactoria ſit illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus ſecundum quantitatem ſuæ devotionis, & non pro tota pœna.

Pariter & ut ſacrificium, & ut Sacramentum dicendum eſt, quod proſit, ſumentibus; cum pro omnibus ſumentibus offeratur; pro illis verò, qui non ſumunt, prodeſt per modum ſacrificii, in quantum pro ſalute eorum offeratur.

Illi ergo, qui ſumunt hoc Sacramentum, advertant, quomodo accedant; ne impediatur ex toto effectus hujus Sacramenti; hoc dicitur, quia non debent eſſe mente diſtracti per peccata venialia actu exercita. Multi denique alii ſunt effectus, quos cauſare habet
g Hom. 45. in Joan. hoc Sacramentum, de quibus Chryſoſtomus (g) ita ait: Sacrum hunc ſanguinem, vivam, ac ſpirantem in nobis Regis noſtri effigiem reparare; hunc ſanguinem perennibus undis animam irrigare, ac fovere; cujus eximiam pulchritudinem, ac nobilitatem marceſcere, ac degenerare non ſinit. Hunc ſanguinem dignè guſtatum dæmones fugere, & longè à nobis profligare; Angelos verò, & Angelorum Dominũ nobis allicere. Hunc ſanguinem animarum ſalutem eſſe, hoc recreari animũ, hoc ornari, hoc inflammari, ac ipſo igne clariorẽ reddi, & auro ſplendidiorem. Ab hac menſa ſalire fontẽ fluvios ſpirituales diffundentem, juxta quem non ſteriles ſalices adnaſcuntur, ſed arbores, quæ cœlum ipſum attingunt, ac tempeſtivos ſemper, & numquam marceſcentes fructus afferunt.

Euchariſtiæ Sacramentum cum reſultet ex verbis Domini Jeſu, ſine quibus impoſſibile eſt, quod forma conſecrationis panis, (ſicut & illa vini) conſequatur effectum ſuum, hoc eſt ſignificationem ſuam, quæ habetur per hanc locutionem, hoc eſt corpus meum, ſicut etiam per iſtam, hic eſt calix ſanguinis mei &c. & hujuſmodi ſignificatio tunc, & ſtatim completur, quando completur locutio verborum, qua completa ſtatim conſequitur effectum ſuum, & hoc diximus, quod non eſt opus, ut una forma conſecrationis expectet aliam in agendo, ſed verè adoratur corpus Chriſti Domini, antequam conſecretur vinum, & convertatur in ejus ſanguinem; Unde rectè ſequitur, quod iy effectum ſuum conſequi non dicat, niſi complementum ſignificationis factæ per verba formarum prædictarum; hoc autem dicimus, ut certò ſciatur, quod Sacramentum Euchariſtiæ habet ex vi verborum propriam formam, & iſta, cum ſit cauſa formalis, habet conſequenter cauſare quamplures effectus, ſcilicet adeptionem gloriæ, remiſſionem peccati venialis, prodeſſe ſumentibus; verùm omnes iſti effectus præſupponunt, quod Sacramentum hoc conferat gratiam, cum ſit unum de Sacramentis novæ legis, juxta etiam Conci-
h Seſſ. 7. can. 6. lium Tridentinum, (h) ſi quis dixerit Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam ſignificant,
cap. 1. aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre; anathema ſit. Juxta illud Joannis, (i) gratia,
l Io: cap. 4. & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt; (l) Nam & ipſemet dixit, ego ſum via, veritas, & vita; Ego
m Io: c. 10. ſum via, quia ſi quis per me introierit, ſalvabitur. (m) Ego ſum veritas; quia ego in hoc natus ſum, &
n Io. cap. 6. ad hoc veni in Mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati. (n) Ego ſum vita, quia qui manducat me, & ipſe vivet propter me. Veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt, quia jam ceſſavit figura, quando figuratum advenit in Mundum? & tenebræ diſſipatæ ſunt, quando lux orta eſt in Mundo. Quapropter & ipſe dixit,
Io: cap. 8. Ego ſum lux Mundi. (o) Lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum; hinc qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, qui ſequitur me, & ille, qui ſequitur Chriſtum, eſt omnis ille, qui veritatem cognoſcit, & omnis ille, qui credit Jeſum Chriſtum eſſe conſubſtantialem Patri, iſte non ambulat in tenebris, ſequendo errorem Gentium, qui in tenebris ſedent, ſcilicet in ignorantia ſua adhuc perſeverant, quia non ſunt, qui illis prædicent veritatem, Chriſtum crucifixum; non ambulat in tenebris, ob duritiem cordis Judæorum, quia cæci ſunt, immò duces cæcorum, nam etſi viderint, in quem transfixerunt, attamen credere noluerunt Chriſtum eſſe illud lumen datum ad revelationem gentium, & gloriam plebis Iſrael; non ambulat in tenebris, vel propter inobedientiam ad ſupremum caput Eccleſiæ Romanæ, ex qua orta eſt diviſio, & ſchiſma; Vel propter concupiſcentias malas, & libertatem ſenſus, ex quibus prævaricatum eſt cor hominum impiorum, (p) qui p Io: cap. 3.
dilexerunt magis tenebras, hæreſes ſcilicet, quàm lucem .ſ. veritatem Evangelii, & ſacrarum Scripturarum; de quibus Pſal. (q) prophetavit dicens, aſtite- q Pſal. 2.
runt reges terræ, illi ſcilicet, qui impugnant veritatem fidei, & principes convenerunt in unum adverſus Dominum, negantes myſteria Trinitatis, bonitatis, ſapientiæ, atque omnipotentiæ divinæ, & adverſus Chriſtum ejus, negantes myſteria Incarnationis verbi divini, mortis ejus pro ſalute totius generis humani, reſurrectionis ejuſdem; (r) Iſti ergo ſunt, de quibus dici- r Io. cap. 3.
tur, omnis, qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus; & iſti ſunt hæretici, qui inciderunt in laqueum diaboli, quia non viderunt ſolem, ille, ſcilicet ſol, de quo ſcriptum eſt, ortus eſt ſol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter, in quo, tanquam in proprio ſubiecto, cum reſideat plenitudo gratiæ, participationem hujus contulit Sacramentis novæ legis, quando illa inſtituit, ideòque veriſſimum eſt, quod non ſolùm veritas, ſed etiam gratia per Jeſum Chriſtum facta eſt; quod tamen præcipuè apparet in hoc Sacramento; tùm quia in hoc Sacramento continetur ipſe Chriſtus, Unde Div. Thom.,
(ſ) Chriſtus ſicut viſibiliter in Mundum veniens ſ 3. p. q. 79. art. 1.
contulit Mundo vitam gratiæ, quia gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt, ita in hominem Sacramentaliter veniens vitam gratiæ operatur; (t) nam t Io: cap. 6.
ſcriptum eſt, panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro Mundi vita, pariter ſcriptum eſt, (u) qui man- u Ibid.
ducat me, & ipſe vivet propter me: quem locum in- x Lib. 4. in
terpretatur Cyrillus, dum ait; (x) vivificativum Dei Io: c. 12. &
verbum, veniens ſeipſum propriæ carni fecit ipſam 14.
vivificativam; decebat ergo eum noſtris quodamodo uniri corporibus per ſacram ejus carnem, & pretioſum ſanguinem, quæ accipimus in benedictionem vivificativam in pane, & vino. Tùm quia per hoc Sacramentum repræſentatur paſſio Chriſti, quæ ſine dubio attulit gratiam Mundo, moriendo enim liberavit nos y 2. cap. 15
à peccatis, ut habetur ex Paulo ad Corint. (y) Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris; ſi ergo attulit gratiam Mundo paſſio Chriſti, dicendum conſequenter erit, quod multò magis affert gratiam, quantum eſt in hoc Sacramento; Unde Div. Thom., effectum, quem paſſio Chriſti fecit in Mundo, hoc Sacramentum facit in homine, & ideò Chriſtus Dominus dixit Matt. (z) hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effun- z cap. 26.
detur in remiſſionem peccatorum.

Tùm quia hoc Sacramentum traditur per modum cibi, & potus; unde & refectio ſpiritualis dicitur, & ideò mirum non debet eſſe, ſi omnem effectum, quem cibus & potus materialis facit quantum ad vitam corporalem, hoc totum facit Sacramentum iſtud quantum ad vitam Spiritualem, quæ per gratiam habetur; unde ſi effectus cibi, & potus materialis ſint ſuſtentare corpus, ne pereat ob inediam, augere per nutritionem, reparare id, quod deperditur, & delectare in comeſtione ciborum, ita effectus hujus Sacramenti, in quo manducatur caro Chriſti, & bibitur ejus ſan- a cap. 6.
guis, (juxta illud Joannis (a) ex Chriſto dicente, caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus,) ſunt ſuſtentare animam, ne involvatur in peccatis, & pereat ob carentiam gratiæ augere nutriendo illam in ſanctitate; Unde Ambr. (b) de Sacrament., b Libr. 5. cap. 6.
iſte panis eſt vitæ æternæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit: reparare id, quod per peccatum deperditum erat, & delectare in comeſtione hujus Sacramenti, ſive refectionis ſpiritualis, in qua videtur apertè vigere charitas Dei, qua dilexit nos, nam tradidit filium ſuum, ut nos redimeret à peccatis, quæ con-
traxi-

traximus per primos noſtros protoparentes, propter quod Auguſtinus (c) non potuit non exclamare, ò Sacramentum pietatis, ò ſignum unitatis, ò vinculum charitatis.

c Tract. 16 in Joan.

Ex quibus omnibus rectè colligitur, Sacramentum hoc Euchariſtiæ eſſe cauſativum gratiæ, cũ in illo non ſit, niſi charitas; & quia charitas ſine gratia eſſe non poteſt, ideò à Div. Tho. manifeſtum relinquitur, quod hoc Sacramentum gratiam confert.

d Ib. ad 2.

Hoc confirmat Div. Thom., (d) Sacramentum hoc confert gratiam ſpiritualiter cum virtute charitatis, ac proinde quantum eſt ex ſui virtute, non ſolùm habitus gratiæ, & virtutis confertur, ſed etiam excitatur in actum, juxta illud Pauli ad Corint. (e) charitas Chriſti urget nos. Et ob hoc ex virtute Sacramenti hujus anima ſpiritaliter reficitur per hoc, quod anima ſpiritualiter delectatur, & quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis divinæ, ſecundum illud Cantic. (f) comedite amici, bibite, & inebriamini Chariſſimi; per quod exprimitur, quàm grande ſit incendium amoris, quod erga Deum, & Chriſtum Dominum haberi debet ſumendo ejus carnem, & bibendo ejus ſanguinem, propter quod dixit Div. Thom. (g) quod quando ipſum Sacramentum realiter ſumitur, gratia augetur, & vita ſpiritualis perficitur; & quamvis augeatur gratia, & perficiatur illa per Sacramentum Confirmationis, non tamen augetur eodem motivo charitatis erga Deum, ſicut augetur, & perficitur gratia per hoc Sacramentum; etenim per Sacramentum Confirmationis augetur, & perficitur gratia ad perſiſtendum contra exteriores impugnationes inimicorum Dei, & Chriſti, ad confitendam fidem ejus cultu exteriori ne fortè adveniat, quod advenit illi, qui propter timorem mortis obtulit thus Idolis, & illa incenſavit; de reliquo per Sacramentum Euchariſtiæ augetur gratia, & perficitur vita ſpiritualis per majorem conjunctionem ad Deum, in ſignum dilectionis, qua quis debet diligere Deum ſuper omnia, nam hoc faciendo ſine dubio invenier ſe in ſtatu perfectionis, & in ſtatu merendi gratiam, ſi in ſe etiam perfectus exiſteret; & tunc multò magis perfectus evaderet in ſumptione hujus Sacramenti, ſi conſiderationem faciat, quod & Chriſtus Dominus Salvator noſter hoc fecit in memoriam ſui, & ut nos uniremur illi vinculo indiſſolubili charitatis, & ut viveremus vita ſpirituali manducando panem illum de cœlo à Deo nobis præſtitum. Ob hanc rationem Concilium Trident. (h) nos monet dicendo, ſumi autem voluit Sacramentum hoc, tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vita illius, qui dixit; qui manducat me, & ipſe vivet propter me: vivet utique vita ſpirituali propter gratiam, quæ data eſt illi in ſumptione hujus Sacramenti; & quia gratia Dei eſt vita æterna, & vita æterna eſt vita gloriæ, hinc ſequitur, quod inter effectus hujus Sacramenti numeretur adeptio gloriæ, cum & Joannes dicat, quod ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.

e 2. cap. 5. f Cap. 5. g Ib. ad 1. h Seſſ. 13. cap. 2.

Et quamvis multi manducando de hoc pane non perveniant ad gloriam, hoc tamen non officit, quin adeptio gloriæ non ſit effectus Sacramenti Euchariſtiæ; ſiquidem videndum eſt, quomodo ſuſcipiant ipſum Sacramentum, an decenter, vel indecenter ſuſcipiant? ſi enim decenter ſuſcipiunt, & perſeverantiam Charitatis non deſinant non habere, abſque dubio pervenient ad gloriam; ſi indecenter ſuſcipiunt, ad illam non pervenient, cum & Apoſtolus dicat ad Corint. (i) quicumque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & ſanguinis Domini; Qua de cauſa Div. Thom. (l) ait, quod in tantùm per hoc Sacramentum non adipiſcuntur gloriam, in quantum indecenter ipſum ſuſcipiunt; & in ſequentia Corporis Chriſti dicit, mors eſt malis, vita bonis, vide paris ſumptionis, quàm ſit diſpar exitus; & Div. Auguſt. exponens illa verba, aliud eſt Sacramentum, aliud eſt virtus Sacramenti, inquit, multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur, panem ergo cœleſtem ſpiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate; & ideò mirum non eſt, ſi illi, qui innocentiam non ſervant, effectum hujus Sacramenti, qui eſt adeptio gloriæ, non conſequuntur. Et Concilium Triden. loco citato ſic ſtatuit: ſumi autem voluit Sacramentum hoc tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo aluntur, & conſortentur viventes, vita illius, qui dixit, qui manducat me, & ipſe vivet propter me, & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſervemur; per quæ verba intendit exprimere adeptionem gloriæ, ſive vitæ æternæ, quæ ab hoc Sacramento cauſatur; Nam ſi conſortemur hoc cibo ſpirituali, ſi liberemur à culpis quotidianis, & ſi præſervemur à peccatis mortalibus, jam non poſſumus non adipiſci gloriam, ſive vitam æternam. Et Div. Th. (m) conſiderando hunc effectum, ſcilicet adeptionem gloriæ, cauſatum ab hoc Sacramento, docet, quod poteſt conſiderari in hoc Sacramento, & id, ex quo habet effectum, ſcilicet ipſe Chriſtus, & paſſio ejus repræſentata; & id, per quod habet effectum, ſcilicet uſus Sacramenti, & ſpecies ejus; & quantum ad utrumque competit huic Sacramento, quod cauſet adeptionem vitæ æternæ. Et quoad primum videtur manifeſtum, nam ipſe Chriſtus aperuit nobis aditum vitæ æternæ per ſuam paſſionem, ut teſtis eſt Paulus ad Heb. (n) novi teſtamenti mediator eſt ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis; & Chriſtus Dominus, qui veritas eſt, dixit, hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine, & Eccleſia exprimendo formam hujus Sacramenti ait, hic eſt calix ſanguinis mei novi, & æterni teſtamenti, per quæ verba vult exprimere, quod ad aliud non ordinatur paſſio Chriſti Domini, niſi ad dandum nobis aditum vitæ æternæ.

i 1. cap. 11. l 3. p. q. 79. art. 2. ad 2. m Ib. ad 2. n Cap. 9.

Quantum autem ad ſecundum etiam patet; nam hæc refectio cibi ſpiritualis, & unitas ſignificata per ſpeciem panis & vini utique habentur in hoc ſtatu viæ, ſed imperfectè, non enim, inquit Div. Th. (o) ſtatim hoc Sacramentum nos in gloriam introducit, ſed dat nobis virtutem perveniendi ad gloriam; & hoc quia in hoc præſenti ſæculo ſumus, (p) in quo non habemus manentem civitatem, ſed futuram inquirimus; (q) atque adeò dùm in hoc ſeculo ſumus, peregrinamur à Domino, unde & viatores nominamur, & ſecundum hoc Sacramentum iſtud viaticum nominatur, in cujus figuram legitur in lib. Regum (r) de Elia, qui poſtquam recreatus fuerit pane ſubcinericio, rurſum obdormivit; ad quem denuò dixit Angelus, ſurge, comede, grandis enim tibi reſtat via, qui cum ſurrexiſſet, comedit, & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, uſque ad montem Dei Oreb: per quæ verba non ſolùm ſignificatur ſtatus viatoris, ſed etiam ſtatus patriæ.

o ad 1. Ib. p ad Heb. 9. q 2. Corin. cap. 5. r Libr. 3. Regum cap. 19.

Primus enim ſtatus ſignificatur per ly ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus; manifeſtum eſt namque quod uſque dùm quis ambulat cauſa perveniendi ad aliquem finem, nondùm eſt in termino ad quem, quo acquiſito ceſſat ambulatio. Secundus verò ſtatus ſignificatur per ly uſque ad montem Dei Oreb, qui myſticè dicitur cœleſtis Patria; ſic & nos recreati carne, & ſanguine Chriſti Domini ambulamus in fortitudine cibi illius toto tempore vitæ noſtræ, ut poſtea diſceſſuri ex hac vita pervenire poſſimus ad illam cœleſtem patriam, in qua quietatur mens noſtra, intellectus noſter, & voluntas noſtra, atque deſiderium noſtrum. Mens noſtra, dùm non eſt opus aliquod cogitare de rebus tranſactis, nec cogitare de futuro; intellectus noſter, dùm non intelligit, niſi ipſum Deum verum; voluntas noſtra, dùm non amat, niſi ipſum Deum bonum: deſiderium noſtrum, dùm ſatiatur in viſione ipſius Dei. Subdit autem Div. Thom., perfectè verò in ſtatu gloriæ; & Div. Auguſt. (ſ) ſuper illud Joannis, caro mea verè eſt cibus, inquit, cum cibo, & potu id appetant homi-

ſ Tract. 26.

Digitized by Google

homines, ut non eſutiant, neque ſitiant, hoc veraciter non præſtat, niſi iſte cibus; & potus, qui eos, à quibus ſumitur, immortales, & incorruptibiles facit, in ſocietate Sanctorum, ubi pax erit, & unitas plena, atque perfecta; ergo qui benè utitur hoc cibo, æternam vitam erit conſecuturus; ut teſtatur ipſemet Joannes, (t) [t Cap. 6.] dum dixit, ſi quis manducaverit, dignè ſcilicet ex hoc pane, vivet in æternum, hoc eſt æternam vitam, atque gloriam conſequetur; hanc expectare debent juſti pro perſeverantia in bonis operibus, ut etiam ſtatuit ipſum Concil. Trident., (u) [u Seſſ. 6. can. 26.] anathematizando qui oppoſitum ſenſerit; ſi quis dixerit, juſtos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, & ſperare æternam retributionem à Deo per ejus miſericordiam, & Jeſu Chriſti meritum; ſi bene agendo, & divina mandata cuſtodiendo, uſque in finem perſeveraverit: anathema ſit. (x) [x Cap. 32.] Rurſum, ſi quis dixerit, ipſum juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo, per Dei gratiam, & Jeſu Chriſti meritum, (cujus membrum vivum eſt) fiunt; non mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ (ſi tamen in gratia dceſſerit) conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum: anathema ſit.

Poſt effectum hujus Sacramenti, qui eſt adeptio gloriæ, per gratiam tamen, quam donat dignè ſumentibus, enumeratur & alius effectus, qui eſt remiſſio peccati venialis per hoc Sacramentum, in quo duo veniunt conſideranda, ait Div. Thom., (y) [y 3. p. q. 79. art. 4.] & ipſum Sacramentum, ut componitur ex materia, & forma, & ut ſic eſt inſtrumentum gratiæ, & in ſe habet virtutem ad remittendum non ſolum peccata venialia, ſed etiam peccata quæcumque ſint illa; & res Sacramenti, ſeù effectus ipſius, qui eſt infuſio gratiæ, & charitatis; ex utroque autem hoc Sacramentum habet virtutem ad peccatorum venialium remiſſionem; ſumitur namque Sacramentum hoc ſub ſpecie cibi nutrientis, & quia nutrimentum cibi eſt neceſſarium corpori ad reſtaurandum id, quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis, hinc eſt, quod cum ſpiritualiter quotidie in nobis deperdatur aliquid ex calore concupiſcentiæ per peccata venialia, quæ diminuit charitatis fervorem, quod eſt diminuere charitatem non directè, ſed indirectè, ut jam docuit Div. Thom., (z) [z 2. 2. q. 24. art. 10.] per peccatum namque veniale charitas diminui non poteſt, neque effectivè, non quia ad ipſam charitatem non attingit, nam charitas eſt circa ultimum finem, & veniale peccatum eſt quædam inordinatio circa ea, quæ ſunt ad finem; amor autem finis non diminuitur ex hoc, quod aliquis inordinationem aliquam committit circa ea, quæ ſunt ad finem; neque meritoriè, eò quia dùm quis delinquit in minori, non meretur detrimentum pati in majori: indirectè tamen poteſt dici diminutio charitatis, ſcilicet diſpoſitio ad corruptionem ipſius, quæ fit per peccata venialia, & tunc cum deperdatur fervor charitatis, per hoc Sacramentum datur virtus reſtaurandi id, quod cupiditatis ardore anima amiſit; & cum cupiditatis ardor in nobis quotidie ſit, mediante quo deperditur fervor charitatis; præſtatur nobis hoc Sacramentum, ut infirmitatem noſtram tollat, & donet nobis ſanitatem priſtinam; ſcilicet illum ardorem charitatis, quem priùs habebamus; & hoc eſt, quod meritò à Div. Ambroſio (a) [a Lib. 4. cap. 6.] de hoc venerabili Sacramento dictum fuit; Iſte panis quotidianus ſumitur in remedium quotidianæ infirmitatis; & Concilium Tridentinum (b) [b Seſſ. 13. cap. 2.] tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, ab illis, in quibus de facili cadit homo etiam juſtus, juxta illud Proverb., (c) [c Cap. 24.] ſepties in die cadit juſtus; à quibus etiam faciliter reſurgit, diligendo Deum, præbendo illi honorem, & gloriam, unde & David dixit (d) [d Pſ. 118.] in recompenſationem noſtri caſus, ſepties in diem laudem dixi tibi; unde & ſi ſepties cadat, cadendo tamen, non deſinit eſſe juſtus, ut ſtatuit, ac decrevit Concilium Tridentinum, (e) [e Seſſ. 6. cap. 11.] licet in hac mortali vita, quantumvis Sancti, & juſti, in levia ſaltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata, quandoque cadant, non propterea deſinunt eſſe juſti. (f) [f Ib. can. 23.] Et rurſus, ſi quis dixerit, hominem ſemel juſtificatum poſſe in tota vita, peccata omnia, etiam venialia, vitare, niſi ex Dei ſpeciali privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Eccleſia; Anathema ſit.

Et quod per culpas quotidianas Concilium intelligat peccata venialia, manifeſtum reddit ex verbis, quæ ab Eodem Concil. ſubduntur, & ſunt, & à peccatis mortalibus præſervemur. Et rurſus Div. Thom., (g) [g Ib. ad 2.] ex cujus doctrina jam habetur, quod ſtatutum fuit à Concil. Trident. (h) [h p. 4. cap. 1.] explicando illud Joannis, ſi dixerimus, quod peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, inquit, verbum Joannis non eſt intelligendum, quin aliqua hora poſſit homo eſſe abſque omni reatu peccati venialis, ſed quia vitam iſtam ſancti non ducunt ſine peccatis venialibus; & de Beata Virgine ſic loquitur, ſimpliciter ſatendum eſt, quod Beata Virgo (i) [i 3. p. q. 27. art. 4. 2.] nullum actuale peccatum commiſit, nec mortale, nec veniale, & hoc ut impleatur in ea, quod dicitur per os Domini in Cant. (l) [l Cap. 4.] tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te; ex quibus conſtat, quod per hoc Sacramentum conſideratum ſecundum ſe remittuntur peccata venialia.

Verùm & iſta remittuntur per hoc Sacramentum, ut res Sacramenti eſt, nam peccata venialia remittuntur per quemlibet actum charitatis, & res hujus Sacramenti cũ ſit charitas & quoad abitũ & quoad actum, qui excitatur in hoc Sacramento, per quod peccata venialia tolluntur, ſicut confirmat Div. Thom., (m) [m Ib. ad 1. p. q. 79. art. 4.] peccata venialia, ait, etſi non contrarientur charitati quantum ad habitum, contrariantur tamen ei quantum ad fervorem actus, qui excitatur per hoc Sacramentum, ratione cujus peccata venialia tolluntur; hinc ergo eſt, quod virtute hujus Sacramenti remittuntur peccata venialia, quod confirmatur ex Auctoritate Innocentii Tertii, (n) [n Lib. 4. de Sacr. c. 44.] hoc Sacramentum venialia delet, & cavet mortalia; delet ergo peccata venialia cauſando actualem fervorem charitatis, taliter quod in caſu, quo quis in actu fervoris charitatis exiſteret, peccatum veniale non poſſet retardare illud ab illo fervore; quia ut bene docet Div. Thom., (o) [o Ib. ad 3.] major eſt, virtus charitatis, cujus eſt hoc Sacramentum, quam venialium peccatorum; Charitas, & hoc ſecundum ſe, tollit per ſuum actum peccata venialia, quæ tamen non poſſunt totaliter impedire actum charitatis, licet poſtea ex parte ſubiecti motus peccati venialis retardare, & retrahere poſſit, ab actuali fervore charitatis.

Ex quibus etiam ſequitur, quod per peccata venialia non tamen præterita, ſed actu exercita impediatur effectus hujus Sacramenti, etſi non in toto, quia remanet ſemper habitus charitatis, in parte tamen ob defectum actualis fervoris charitatis; & quod per peccata venialia præterita non impediatur effectus hujus Sacramenti, apertè manifeſtat Div. Thom., (p) [p 3. p. q. 79. art. 8.] poteſt, inquit, contingere, quod quis poſt peccata multa venialia commiſſa accedat tamen devotè ad hoc Sacramentum, & plenariè hujus Sacramenti conſequatur effectum, & hoc quia peccatum veniale, maximè præteritum non opponitur effectui hujus Sacramenti, (q) [q Ib. ad 1.] unde ait, peccata venialia præterita tolluntur per hoc Sacramentum; non tamen poteſt dici de peccatis venialibus actu exercitis, iſta enim impediunt effectum hujus Sacramenti, non in toto, ſiquidem ille, qui cũ actu peccati venialis ad hoc Sacramentum accedit, habitualiter quidem manducat ſpiritualiter, non verò actualiter, ac per conſequens habitualem effectum hujus Sacramenti percipit, non actualem: unde videtur, quod ſolùm in parte impeditur effectus Sacramenti Euchariſtiæ per peccatum veniale; Unde Div. Thom. ibidem, effectus hujus Sacramenti ſolùm eſt adeptio gloriæ habitualis, vel charitatis, ſed etiam quædam actualis refectio ſpiritualis dulcedinis: quæ tamen impeditur, ſi aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente diſtractus:

Verùm

Verùm quia habere mentem diſtractam ſtat & voluntariè, & involuntariè; Voluntariè quando non vult colligere mentem ſuam in ordine ad id, quod facit, ſcilicet receptionem Sacramenti; involuntariè ſcilicet per ſuggeſtionem dæmonis ad aliquem motum ſubitaneum vanægloriæ; hinc eſt, quod ſi voluntariè hoc facit, ſine dubio peccat mortaliter, ſic ille peccat mortaliter, qui voluntariè per non colligationem mentis prætendit ſumere irreverenter hoc Sacramentum; non verò peccat mortaliter, ſi involuntariè hoc facit, nam motus primò primi non ſunt in noſtra poteſtate; ſicut actus ſecundi, etenim plena deliberatione fiunt, ac per conſequens ſolùm peccatum veniale erit.

Quæ autem devotio requiratur ad ſumptionem hujus Sacramenti, Div. Thom. (r) docet, quod illi, qui rarò ſe communicant, ut ſemel in anno, ad hoc ut recipiant augmentum gratiæ, oportet, quod in illis ſit actualis devotio, in iſtis, ait; quia non communicant ex conſuetudine, & virtute devotionis habitualis ob frequentatas conſuetudines præcedentes, ideò in eis requiritur actualis devotio ad recipiendum fructum Sacramenti, ſcilicet augmentum gratiæ: ad differentiam illorum, qui ſunt aſſueti ad quotidie communicandum, in quibus etſi non ſit naturalis devotio, in virtute tamen præcedentium devotionum datur in eis virtualis etiam devotio, quæ habet vim augendi gratiam; & de iſtis loquens Div. Damaſcenus (ſ) inquit, ignis ejus, quod in nobis eſt deſiderii, aſſumens eam, quæ ex carbone, ſcilicet ex hoc Sacramento ignitionem, comburat noſtra peccata, & illuminet corda noſtra, ut participatione divini ignis igniamur, & deificemur; verùm quia ignis noſtri deſiderii, & amoris impeditur per peccata venialia, & iſta impediunt fervorem charitatis, ideò ſequitur, quod ipſa peccata venialia actu exercita impediunt effectum hujus Sacramenti, quia definit eſſe actualis fervor charitatis, ille ſcilicet fervor, de quo Matt. (t) dicit, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua; quod dictum Matt. multi Sancti Patres explicant, Nam Div Chryſoſtomus, (u) inquit, diligere Deum ex toto corde eſt, ut cor tuum non ſit inclinatum ad alicujus rei dilectionem magis, quàm Dei; deligere Deum in tota anima eſt certiſſimum animum habere in veritate, & in fide eſſe firmum. Tota mente diligere Deum, ut omnes ſenſus Deo vacent. Div. Auguſt. (x) ait, diligere Deum ex toto corde præciperis, ut omnes cogitationes tuas, ex tota anima, ut omnem vitam tuam, ex tota mente, ut omnem intellectum tuum in Deum conferas, in quo habes ea, quæ confers. Et Origenes, ex toto corde ſcilicet ſecundum totam recordationem, & operationem, & cogitationem; ex tota anima, ſcilicet ut parati ſint eam ponere pro pietate Dei, ex tota mente, nihil aliud ſcilicet proferentes, niſi quæ ſunt Dei; ergo quàm igne charitatis accenſi eſſe debeant illi, qui accedunt ad hoc Sacramentum, videant ex jis, quæ uſquè modo diximus cum Div. Th., & ex Sanctis Patribus, unà cum Matthæo.

r 3. diſt. 12. q. 2. art. 1. q. 3.

ſ Lib. 4 fidei cap. 14.

t cap. 22.

u Hom. 42.

x lib. 1. de doctrina Chriſt. cap. 30.

Licet ergo virtute hujus Sacramenti remittantur peccata venialia, & hoc non ſolùm ſecundum quod eſt Sacramentum, ſecundum quam rationem habet & ipſum Sacramentum virtutem ad remittendum peccatum mortale, quolibet illud ſit, cum habeat eamdem vim, ac habet in ſe paſſio Chriſti, quæ, ut ait Div. Thom., (y) eſt fons, & cauſa remiſſionis omnium peccatorum. Verùm etiam ſecundum quod eſt res Sacramenti, & ſecundum hanc rationem Sacramentum Euchariſtiæ non habet remittere peccatum mortale; nam Sacramentum Euchariſtiæ eſt Sacramentum vivorum, & cum ſit tale, habet ſupponere, & non dare primam gratiam, ſivè gratiam habitualem, quam dat Sacramentum Baptiſmi, qua de cauſa Sacramentum mortuorum dicitur, quia antequam quiſquam ſuſcipiat baptiſmum, non habet jus hæreditarium ad vitam æternam, cum careat gratia, per quam illam adipiſcitur. Pariter nec tantùm ſupponere habet primam gratiam, verùm etiam ſecundam, quæ dicitur augmentum gratiæ, & datur per pœnitentiam, quæ etiam Sacramentum mortuorum dicitur. Ergo cum Sacramentum Euchariſtiæ ſit Sacramentum vivorum, rectè ſequitur, quod oporteat omnes præditos eſſe prima gratia, antequam accipiant hoc Sacramentum, ſi nolint manducare, & bibere ſibi judicium, ut teſtatur Paulus ad Corint., (z) qui enim manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit, ſuper quæ verba Gloſſa dicit, ille manducat, & bibit indignè, qui in crimine eſt, vel irreverenter tractat, & talis manducat, & bibit ſibi judicium, ſcilicet damnationem.

y 3. p. q. 79. art. 1.

z 1. p. cap. 11

His tamen non obſtantibus aliquando etiam Sacramentum Euchariſtiæ primam gratiam habet cauſare, ut contingit, quando quis exiſtens in peccato mortali non ſibi noto, vel propter oblivionem etiam poſt rigoroſum examen conſcientiæ accederet ad hoc ſalutiferum Sacramentum abſque eo, quod illud confiteretur, tunc ſumendo Euchariſtiam iſta cauſaret primam gratiam, & ſecundum hoc dicitur, quod prima gratia nemini tribuitur, niſi quis percipiat hoc Sacramentum deſiderio, & voto. Et Div. Thom. (a) docet, quod poteſt hoc Sacramentum operari remiſſionem peccati dupliciter. Uno modo non perceptum actu, ſed voto, ut cùm quis prius juſtificatur à peccato.

a 3. p. q. 79. art. 3. in c.

Alio modo etiam perceptum ab eo, qui eſt in peccato mortali, cujus conſcientiam, & affectum non habet; fortè enim primò non fuit ſufficienter contritus, ſed devotè, & reverenter accedens conſequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remiſſionem peccati; quia non ponit obicem, alàis ſi poneret obicem, non poſſet conſequi remiſſionem peccatorum, ſed potius gravaretur conſcientia illius, qui immundus accederet, Euchariſtiam ſumere, ut apertè legitur in lib. de Eccleſiaſticis (b) dogmatibus, ſi mens in actu paccandi eſt, gravatur magis Euchariſtiæ perceptione, quàm purificetur; ut autem tale impedimentum tollatur, probet ſeipſum homo, ut aſſerit Paulus loc. cit.; (quam probationem tunc faciet, quando benè conſcientia ſua perſpecta, videbit ſe non eſſe reum alicujus lethalis criminis,) & ſic de pane illo edat, & de calice bibat: Quæ ſententia Pauli Apoſtoli magis amplificata vidètur à Concil. Trid. (c) ſtatuente; quare communicare volenti revocandum eſt in memoriam ejus præceptum: probet autem ſeipſum homo, Eccleſiaſtim autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quamvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat.

b cap. 53.

c Seſſ. 13. cap. 7.

Ex quibus ſanè videtur, quod uſque dùm impedimentum peccati mortalis non tollatur ab illo, qui intendit ſumere corpus Chriſti, gaudere non poteſt de fructu hujus Sacramenti; Juxta D. Th., (d) quicumque habet conſcientiam peccati mortalis, habet in ſe impedimentum percipiendi effectum hujus Sacramenti, ac per conſequens non eſt conveniens ſuceptor ejuſdem, quia nec vivit ſpiritualiter, nec poteſt uniri Chriſto, qui agnus ſine macula eſt; & cum non vivat ſpiritualiter, nec debet ſpirituale nutrimentum ſuſcipere, quod non eſt niſi viventis; nec uniri poteſt Chriſto, dùm eſt in affectu peccandi mortaliter, Et rurſus ait Div. Thom., (e) quod per hoc Sacramentum homo ſumit in ſe Chriſtum per modum ſpiritualis nutrimenti, quod non competit mortuo in peccatis.

d q. c. ino

e Ib. ad 2.

Juxta quam doctrinam aſſignat etiam diſcrimen inter hoc Sacramentum, & Sacramentum baptiſmi per hoc, quod licet utrumque Sacramentum agat in virtute paſſionis Chriſti, nihilominus tamen per baptiſmum dimittuntur peccata mortalia, cum ſit ſpiritualis generatio, quæ eſt mutatio de non eſſe ſpirituali in eſſe ſpirituale & datur per modum ablutionis, ac per conſequens non inconvenienter accedit ad baptiſmum, qui habet conſcientiam peccati mortalis, non ſic tamen

per

per Sacramentum Euchariſtiæ, non per hoc Sacramentum homo ſumat in ſe Chriſtum per modum ſpiritualis nutrimenti, quod non competit mortuo in peccato, & ecce differentia inter iſta duo Sacramenta, quæ magis manifeſtatnr ex hoc, quod ad primum ſcilicet ad baptiſmum ſufficit non ponere obicem ad illum ſuſcipiendum; ſiquidem omnia condonat, & de mortuo viuum facit, ſicut ait Ambroſius ſuper hæc verba, ſine pœnitentia ſunt dona Dei; gratia Dei in baptiſmate non requirit planctum, nec gemitum, ſed ſolam fidem, & omnia gratis condonat; ad ſecundum autem non ſufficit non ponere obicem, ſed requiritur prolatio ſui ipſius, & propriæ conſcientiæ, ſi munda ſit, taliter de vivo mortuum facit ob deperditam gratiam per peccatum mortale, ad quod remittendum non valet hoc Sacramentum, niſi prius conſequatur gratiam per pœnitentiam; ſi tamen conſideretur per comparationem ad eum, qui recipit hoc Sacramentum. Quia, ut dix: ſi conſideretur ſecundum ſe, ſic habet virtutem ad remittendum quæcumque peccata ex paſſione Chriſti, quæ eſt ſons, & cauſa remiſſionis omnium peccatorum. Sic & Chriſtus Jeſus ex virtute ſuæ paſſionis pluribus remiſit peccata, & hoc ad denotandum, quod ejus poteſtas non ſuit ita coarctata; atque limitata, ut nos poſſit de mortuis vivos facere per propriam
f Cap. 9.
auctoritatem, ut legitur Matt. (f) de illo paralytico, cui Jeſus dixit, confide fili, remittuntur tibi peccata tua; ut etiam ſciamus, quod filius hominis habet poteſtatem dimittendi peccata; per propriam auctoritatem, unde Chryſoſtomus ſuper Matt., ſignanter dixit, in terra dimittendi peccata; ut oſtenderet, quod humanæ naturæ poteſtatem divinitatis univit indiviſibili unione; quia etſi factus eſt homo, tamen Dei verbum permanſit; dimiſit itaque paralytico & peccata,
g 4. Sent. d. 17. q. 1.
& ſanavit eum, ut fateamur cum Div. Thom., (g) quod quemcumque Chriſtus curavit, totaliter curavit,
h Luc. c. 7.
& mente, & corpore. (h) Legitur etiam de Maria Magdalene, quod Jeſus dixit illi, remittuntur tibi peccata, & quis poteſt peccata dimittere, niſi Deus? Unde ad illa dimittenda Deus quampluries non ntitur inſtrumentalibus virtutibus, ſcilicet Sacramentis.

At quia Deus non ſemper tenetur operari miracula, hinc eſt, quod inſtituit per Jeſum Chriſtum filium ejus Sacramenta, in virtute aliquorum remitti poſſunt peccata; quæ tamen loquendo ut in præſenti de mortalibus, ab hoc Sacramento non remittuntur. Et quamvis in collecta pro vivis, & defunctis dicatur, ſit ablutio ſcelerum hoc Sacramentum, nihilominus tamen non intelligitur de peccatis, in quibus actu moratur homo, ſed ſolùm de illis peccatis; quorum conſcientiam, & affectum non habemus; cui conſonat illud
i Pſal. 18.
Pſal. (i) ab occultis meis munda me Domine: Poteſt etiam intelligi de peccatis utique cognitis, ſed contritione non habita, & inde dicitur, ſit ablutio ſcelerum, ut contritio in nobis perficiatur ad ſcelerum remiſſionem; vel etiam toto corde, ut clamemus ad Dominum, ut donetur nobis robur ad ſcelera vitanda. Quod robur oon habetur, niſi per gratiem, quæ licet ſit ſufficiens cauſa remiſſionis peccati mortalis, actu tamen non remittit illud, niſi quando primò datur peccatori; cum autem in hoc Sacramento non detur gratia illi, qui actualiter peccator exiſtit, fit inde, ut per hoc Sacramentum Euchariſtiæ peccata mortalia non remittuntur propter impedimentum ſe tenens ex parte ſuſcipientis, & hoc quia Sacramentum dat gratiam ſanctificantem.

Euchariſtiæ Sacramentum etſi potiſſimum inter cætera alia Sacramenta, quia in ſe continet illum, qui eſt Deus, & homo, attamen ſicut non remittit peccata mortalia ſumenti ipſum Sacramentum indignè, utpotè quia caret omnibus illis perfectionibus, quæ requiruntur ad tantum Sacramentum ſuſcipiendum; Caret namque ſumma reverentia, quæ illi Sacramento debetur. Dicatur quæſo, quænam reverentia erit accedere ad hoc convivium tam permagnificum ſine veſte nuptiali? hoc eſt abſque eo, quod purgetur conſcientia, & illa lavetur à ſordibus peccatorum? At non legiſtis, quid acciderit illi, qui auſus fuerit ingredi ſine veſte nuptiali ad illud prandium à Matt. (l) narratum?
l Cap. 22.
Etſi legiſtis, nonnè conſideraſtis, quomodo ligatis manibus, ac pedibus miſſus ſuit in tenebras exteriores? & quid per tenebras exteriores intelligi debet, niſi infernus? ut ex verbis ſequentibus manifeſtè colligitur, legitur enim, ibi erit fletus, & ſtridor dentium; fletus utique erit, ſed non erit, qui compatietur fletui ſuo; fletus utique non propriæ miſeriæ, ſed aliorum gloriæ. Stridor dentium utique erit, quia in ore eorum ſemper erit maledictio. Conſiderate ergo, quid evenire vobis poterit, quotieſcumque manducaveritis, & biberitis calicem Domini indignè, hoc eſt, quotieſcumque acceſſuri eritis ad menſam Domini ſine lavacro pœnitentiæ, per quam emundatur conſcientia noſtra ab omni culpa, quæ tollitur per remiſſionem peccatorum, per quam tamen non tollitur tota pœna, juxta id, quod definitum fuit à Concil. Trid., (m) ſi
m ſeſſ. 6. can. 30.
quis per acceptam juſtificationis gratiam, cuilibet peccatori pænitenti, ita culpam remitti, & reatum pœnæ æternæ deleri, dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exolvendæ, vel in hoc ſeculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere poſſit; anathema ſit. Forſan dicetur, quod & Maria Magdalenè acceſſit ad Dominum immunda, ut rediret munda? Sed quam malum hoc dictum ſit, attendite. Dicitur, ne ab Evangeliſta Luca, quod acceſſit mulier ad Dominum, quæ peccatrix eſt, vel quæ peccatrix erat? certè, quod peccatrix erat, dicitur, ergo ſi erat peccatrix, quomodo poteſt dici, ergo eſt peccatrix. Phariſæi eritis & vos, ſi dicetis, quod illa peccatrix eſt. Erat ergo peccatrix, & quia erat peccatrix, acceſſit immunda, cùm nondum fuerint remiſſa peccata à Jeſu Chriſto Salvatore noſtro; poſtquam autem Jeſus dixit ad illam, remittuntur tibi peccata, rediit munda; Ideòque à Div. Auguſt. dicitur, quod acceſſit ægra, ut rediret ſana, acceſſit confeſſa, ut rediret proieſſa.

Caret devotione, qui immundus accedit ad hoc Sacramentum, quoniam ad illud acceſſurus & cor contritum, & ſpiritum humiliatum habere debet, ne deſpiciatur à Domino. Ubi eſt autem contritio, ubi humilitas in illo, qui in immunditiis involutus reſidet? forſan dicetur quod & ille immundus, quia leproſus, (& lepra immunditia quædam eſt,) acceſſit ad Jeſum, & mundus fuit? ut habetur ex Matt., (n) & ecce le-
n Cap. 8.
proſus veniens adorabat eum dicens, Domine, ſi vis, poteſt me mundare: & extendens Jeſus manum, tetigit eum, dicens, volo, mundare; & confeſtim ſanata eſt lepra ejus. Sed quam periculoſum ſit hoc dicere, percipite. Acceſſit utique leproſus, ad Dominum, ſed magna devotione acceſſit, nam accedendo ipſum adoravit, & adorando dixit, Domine, ſi vis, potes me mundare, per quæ verba deſiderium recuperandæ ſanitatis expreſſit; & confeſſionem de peccato ſuo, hoc eſt de immunditia ſua fecit. Et ideò acceſſit immundus, ut rediret mundus: ſed proh dolor, quia ecce periculum, dùm acceditis ad altare, & vos cogitate immundi acceſſuri, & mundi poſtea redituri. Sed ſcitote, quod ad ejus acceſſum non ſufficit dicere, per contritionem ſcilicet Dñe, ſi vis, potes me mundare, ſed requiritur pernecessariò, ut ore confiteamur peccata noſtra, & corde doleamus pro peccatis commiſſis, aliter immundi accedemus, & immundiores redibimus.

Nec oppoſitum ſentiendum eſt, ſi non velimus in excommunicationem incidere, ut ſtatuit Concilium Tridentinum. (o) Et ne tantum Sacra-
o Seſſ. 13. can. 11.
mentum indignè, atque adeò in mortem, & condemnationem ſumatur, ſtatuit, atque declarat ipſa Sancta Synodus, illis, quos conſcientiam peccati mortalis gravat, quantumcumq; etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris, neceſſariò præmittendã eſſe confeſſionẽ Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeù etiam publicè diſputando defendere præſumpſerit, eò ipſo excommunicatus exiſtat.

Caret

Digitized by Google

Caret honore, quem quis debet huic Sacramento, eò quia in illo eſt corpus Chriſti unà tamen cum anima, & divinitate ipſius. Quem autem honorem poteſt præſtare Deo ille, qui indignè ſumit hoc Sacramentum? forſan aut ibi non credit eſſe corpus Chriſti, ſed ſolùm in ſigno, vel figura contra definitionem Concilii Tridentini, ſi quis dixerit, tantùmmodo eſſe in eo, ut in ſigno, vel figura, aut virtute, anathema ſit. Vel ſi creditur ibi eſſe Chriſtum, dubitatur ne, an ſit ibi exhibitus ſpiritualiter ſolùm, ut manducetur, & non Sacramentaliter, ac realiter: ſed non videtur, quomodo talis dubiratio eſt contra Concilium Trident. (q) ſi quis dixerit, Chriſtum in Euchariſtia exhibitum
q Ib. can. 8 ſpiritualiter tantùm manducari, & non etiam Sacramentaliter, & realiter, anathema ſit. Vel ſi creditur omninò eſſe corpus Chriſti in hoc Sacramento, verè, realiter, præſentialiter, atque ſacramentaliter manducari, quare poſtea honore debito circa ipſum Sacramentum caret? Creditur forſan, ut ſufficiat honoratio labiorum, & non cordis? Hoc proprium hypocritarum eſt, honorare Deum labiis, & non corde; propterea hypocritarum eſt videri ab hominibus ore laudantes, at corde nihil credentes, utpotè ſpernentes omnia mandata Dei. (r) De iſtis enim ſcriptum eſt,
r Marci 6. 7. populus hic labiis me honorat, cor autem eorum
ſ Cap. 29. longè eſt à me. Et Iſaias (ſ) bene prophetando dixit, appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me, cor autem ejus longè eſt à me, ergo ſi creditur, & firmiter profitetur, Corpus Chriſti eſſe in hoc Sacramento, & verè eſſe, quia præſentialiter, & verè manducari ſacramentalirer, quomodo poſtea inhonorandum eſt hoc ſacramentum indignè illud ſumendo? Conſiderandum eſt, quod ſoli Deo tribuendus eſt honor, qui fecit, & creavit nos, & redemit nos per ſanguinem ſuum, & inſtituere voluit Sacramenta, ut mediantibus etiam etiam iſtis poſſimus tribuere illi honorem, & gloriam, & dicamus, benedictus eſt Dominus in firmamento cœli, & laudabilis, & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſecula, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam. Caret amore, quo qnilibet Deum diligere omnimodè debet; Deus enim eſt diligendus ſuper omnia, immò eſt diligendus propter ſeipſum, non propter aliud. At quomodo poteſt quis aſſertivè dicere, diligo Deum, dum ad hoc Sacramentum indignè accedit, & indignè ſumit? Mendacium profert ille ſic dicendo;
t Hom. 30 in Evang. eò quia ut etiam ait Gregorius, (t) qui dicit, diligo Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt.
u 1 p. cap. 3. Et Joannes Evangeliſta (u) reliqnit ſcriptum, qui dicit ſe noſſe eum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt; rurſus ait ipſe ex
x Cap. 14. ore veritatis, quæ eſt Chriſtus, (x) qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me. Quomodo autem ſervari poſſunt mandata Dei, & ipſum non diligere? Nolite errare cum impiis, dicendo, Deum diligo, ſed mandata ejus poſtea non ſervando. Hypocritæ enim ſunt illi, qui dicunt, & non faciunt; ergo nolite accedere ad hoc Sacramentum more hypocritico percutiendo pectora, non corda (vult enim Deus, ut ſcindamus corda, & non veſtimenta,) ſed puro corde accedite ad illud, ut Deus, qui ſcrutator eſt cordium, exaudiat orationes veſtras, & deprecationes veſtras, & faciat vobiſcum pacem. Securi, quod pax Dei, ut
y Cap. 4. aſſerit Paulus ad Philip., (y) quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiet corda veſtra, & intelligentias veſtras in Chriſto Jeſu. Nolite errare, Deus non irridetur. Quaptopter abiicite opera tenebrarum, doctrinam ſcilicet hæreticorum, quæ vana eſt, & inutilis, aſſerant enim iſti ſolam fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum Sacratiſſimum Euchariſtiæ Sa-
z Seſſ. 13. can. 9. cramentum. Quorum error damnatus fuit à Concil. Trident., (z) ſi quis dixerit, ſolam fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum Sacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum; anathema ſit. Et meritò, quia fides ſine operibus mortua eſt, & licet requiratur fides ad illnd venerandum, & ſuſcipiendum, atque adorandum, tamen fides eſt via ad perfectionem, charitas autem eſt complementum perfectionis, juxta illud Pauli, ad Coloſ., (a) vinculum perfectio- *a Cap. 3.*
nis eſt charitas, Pariter dixit ad Corint., (b) nunc *b 1 p. cap. 13.*
manent fides, ſpes, & charitas, maior autem horum eſt charitas. Quoniam & in Patria perſeverans eſt; & induamur arma lucis, ad defenſionem ſcilicet veritatis, nam qui manet in charitate, in Deo manet, & ipſe in Deo, ſic & Chriſtus dixit *c Cap. 15.*
In Joann., (c) manere in me, & ego in vobis; ſed quomodo manere poſſumus in illo, ſi charitatem non habemus, quomodo illum diligere poſſumus? & quomodo poſſumus illum diligere, ſi ejus mandata non ſervamus? Et ſi ejus mandata non ſervamus, quomodo poſtea audemus ſumere Sacramentum illud indignè? Ergo ut non indignè ſumamus, repleamus cor noſtrum charitate, ut in ſumptione illius cor noſtrum, & caro noſtra exultet.

Memores eſſe debemus, quod Deus ipſe charitas eſt, & quod propter nimiam ſuam charitatem, qua dilexit nos, tradidit ſemetipſum pro nobis. Mementote, quod purum eſt ſacrificium, ideòque pura mens debet eſſe, & pura cogitatio. Purum eſt ſacrificium, ſiquidem in illo reperitur ille agnus myſticus, ſcilicet Chriſtus Dominus, Verbum illud divinum, iſtud deſcendit de cœlo non propter ſeipſum, ſed propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, & carnem aſſumpſit humanam, ut infirmitates noſtras portaret, Ergo ad manducandum hunc agnum immaculatum omnes debent pura conſcientia ſe præparare, & mundare conſcientiam ſuam ab omni reatu peccati mortalis, ſicut ſcriptum eſt in lib. Regum, (d) præparate corda veſtra Domi- *d 1 p. cap. 7.*
no, diligendo ipſum ſcilicet toto corde, & affectu, & ſervite ei ſoli, cum non ſit alius Deum præter ipſum, ſervite ei ſoli, obediendo ejus mandatis, & voluntatem ejus faciendo. Aliàs quomodo præparare quis poterit conſcientiam ſuam, ut ſerviat Deo viventi, ſi voluntatem ejus non faciet? Voluntas autem Dei eſt; ut abſtineamus nos ab omni peccato, ut teſtis eſt Paulus ad Theſ., (e) hæc autem
voluntas Dei ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis vos *e Cap. 4.*
à fornicatione, ab omni ſcilicet peccato concupiſcentiæ, propter quod venit ita Dei ſuper filios diffidentiæ, ut accidit illis, qui in diluvio perierunt, venit itaque ira Dei ſuper iſtos, eò quia viderat Deus, quod omnis caro corruperat viam ſuam, ut
habetur Gen.; (f) ſuper illos, qui non in alio, ni- *f Gen. c. 8.*
ſi in delectationibus carnis omne deſiderium ſuum peſſimum compleverunt; ab iſtis derivati ſunt illi,
qui nominantur Athæi, (g) ut habetur Sapientiæ; *g Cap. 2.*
ponebant enim totum deſiderium ſuum in appetitu voluptuoſo, nihil cogitantes de Deo, unde ajebant, coronemus nos roſis, voluptatibus ſcilicet carnalibus, antequam marceſcant, antequam ſcilicet vires ſeneſcant; nullum pratum ſit, hoc eſt nullus modus peccandi relinquatur, vel nullui parcatur ſexui, quod non pertranſet luxuria noſtra; ut ſatiemur in libidinibus.

Cæterum Apoſtolus ſcribens ad Coloſ. (h) dixit *h Cap. 3.*
illis, mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, in illis operibus carnis, quæ conſtituunt homines terreni, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, propter quæ venit ira Dei ſuper filios incrudelitatis, in quibus & vos ambulaſtis aliqnando, cum viveretis in illis. Videte ergo, qualis conſcientia debeat eſſe illorum, qui ad hoc Sacramentum accedunt, & illud accipiunt; & hoc quia non remittit peccatum mortale, ſed ſupponit remiſſum per Sacramentum pœnitentiæ.

Et ſicut, ut diximus, non remittit peccatum mortale, ut res Sacramenti eſt, ita nec ex vi Sacramenti habet directè remittere totã pœna peccati, & hoc quia, ut ait Div. Thomas, (i) *i 3. p. q. 79. a. 5.*

Sacramentum iſtud eſt inſtitutum ad ſpiritualiter nutriendum per unionem ad Chriſtum, & ad ejus membra, non verò eſt inſtitutum ad ſatisfaciendum; diximus enim ſupra, quod de ratione fotmali hujus Sacramenti eſt ſpiritualiter nutrire, eò quia datur per modum cibi ſpiritualis, unde rectè ſequitur, quod ſi conſideretur hoc Sacramentum, ut Sacramentum, non directè libetat à pœna; & hoc quia ſi liberaret à pœna, non eſſet ſecundnm hoc homini alia pœna iniungenda, ſicut nec baptizato iniungitur. Et ſi vultis ſcire, quare baptizato non iniungatur pœna, ſicut
l Ib. ad 1. huic Sacramento, Quia, ait Div. Thom., *(l)* Sacramentum Baptiſmi directè datur & ordinatur ad remiſſionem culpæ, & pœnæ, & hoc, quia datur homini, quaſi commorienti Chriſto; Sacramentum verò Euchariſtiæ datur quaſi nutriendo, & perficiendo per Chriſtum; & quia ad hoc, ut perficiatur per Chriſtum, requiritur ſervor charitatis, ac devotionis, ſecundum illum datur remiſſio pœnæ, non quidem totius, ut ait, Div. Thomas, quod eſt indirectè, & per quamdam concomitantiam à pœna liberare.

Inſtitutum eſt enim hoc Sacramentum ad ſpiritualiter nutriendum per unionem ad Chriſtum, quæ unitas fieri non poteſt, niſi per charitatem, ex cujus ſervore aliquis conſequitur remiſſionem non ſolùm culpæ, ſed & pœnæ, inde ſequitur, quod ex conſequenti per quamdam concomitantiam ad principalem effectum, qui eſt nutrire. & per nutrimentum unire Chriſto conſequi poteſt homo remiſſionem pœnæ, non quidem totius, ſed ſecundum modum ſuæ devotionis, & fervoris: quod autem tollatur pars pœnæ, & non tota pœna per hoc Sacramentum, ut Sacramentum, hoc non contingit ex defectu virtutis Chriſti, ſed ex defectu devotionis humanæ.

Dixit, quod ſi conſideretur hoc Sacramentum, ut Sacramentum non tollit totam pœnam, ſed partem pœnæ; quia ſi conſideretur hoc Sacramentum, ut ſacrificium, habet vim ſatisfactivam ſecundum ſe totius pœnæ, & hoc quia Sacrificium Miſſæ eſt idem cum ſacrificio Crucis, ſacrificium Crucis fuit pretium infiniti valoris, unde cum ſit idem cum ſacrificio Miſſæ, & iſtuderit infiniti valoris, non eſſet autem infiniti valoris, niſi etiam baberet vim ſatisfactivam totius pœnæ; hoc de ſactificio Miſſæ, & de ſacrificio Crucis, quod ſint idem, habetur ex Concilio Tridentino *(m)*
m Seſſ. 22. cap. 2. in divino hoc ſacrificio, quod in Miſſa, peragitur, idem ille Chriſtus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis ſemel ſeipſum cruentè obtulit.

Cæterum ſi conſideretur Sacramentum, ut ſacrificium ex parte ſubjecti, ſic non habet vim ſatisfactivam totius pœnæ, quia, docet Div. Thom., in ſatisfactione magis attenditur affectus offerentis, quàm quantitas oblationis, & ideò quamvis hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna, tamen ſit ſatisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus ſecundum quantitatem ſuæ devotionis, & non pro tota pœna; & quod dicitur de hoc ſacrificio Miſſæ, in quo offertur Patri æterno filius, qui eſt Chriſtus Dominus, & illemet immolatur, nequit dici de ſacrificiis veteris legis, iſta enim neque ſecundum ſe, ſeù quantùm ad quantitatem oblati operabantur remiſſionem totius pœnæ, meque ex parte ſubjecti, ſeù quantum ad quantitatem devotionis, ex qua contingit, quod etiam hic non attollitur tota pœ-
n Ib. ad 3. na, Juxta Div. Thom., *(n)* Quod autem in Miſſa offeratur Chriſtus Dominus, verum ſit ſacrificium, & propitiatorium, jam habetur per determinationem
o Seſſ. 22. can. 1. Concilii Tridentini, *(o)* ſi quis dixerit in Miſſa non offerri Deo verum, & proprium Sacrificium, aut quod offerri non ſit aliud, quàm nobis Chriſtum ad manducandum dari; anathema ſit.

Rurſus, ſi quis dixerit, Miſſæ ſacrificium tantùm
p Ib. can. 3. eſſe *(p)* laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem ſacrificii in Cruce peracti, non propitiatorium; anathema ſit. *(q)* Rurſus ſi quis dixerit, blaſphemiam irrogari Sanctiſſimo Chriſti ſacrificio in cruce peracto per Miſſæ ſacrificium, aut illi per hoc derogari anathema ſit: q Ibid.

Euchariſtiæ Sacramentum eſt ſine ullo prorſus dubio ſumendum ábſque omni macula, immò & abſque umbra peccati mortalis, ut quilibet gaudere poſſit de effectu ipſius, hoc eſt gratia ejus, ſicut & de effectu ejuſdem, qui eſt, nos incolumes reddere à tentationum impetu, ſervare nos à criminibus futuris, confortare nos, ut firmi permaneamus in confeſſione fidei, & ſtabiles in operationibus bonis, & virtuoſis, ne vitia nos opprimant: alere nos, ut pabulo iſto cœleſti nutriti non involvamur in ſpurcitiis carnalibus, in deſideriis, atque voluptatibus rationem obumbrantibus, & ſenſibus delectationem afferentibus, iſto nutriti firmiter confiteamur Chriſtum verum filium Dei, contineri ſub velamine harum ſpecierum Sacramentalium, & teſtimonium afferamus talem eſſe Jeſum Chriſtum, ut appareat magis illud teſtimonium veritatis, Joannis, *(r)* inquam, qui dixit, qui credit in filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe; nec tantum fidem habere r 1. Ep. cap. 5. debemus, ſed & ſpem, mediante qua ſalvi facti ſumus, ſperare namque debemus in miſericordia illius, qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, nec tantùm pro nobis voluit pati, crucifigi, & mori, ſed antequam pateretur, dedit ſemetipſum nobis, tradendo corpus ſuum, & ſanguinem, ut nos paſceremur, & ſatiaremur cum ſpe manducando illum viſione perfecta. In dilectione, ſcientes, quoniam ipſe Deus prius dilexit nos, ut teſtis eſt ipſe- ſ 1. Ep. cap. 4. met Joann *(ſ)* in hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum unigenitum miſit Deus in Mundum, ut vivamus per eum; habet & præſervare nos à peccato, reprimere rebellionem ſenſus exortam contra rationem, & provenientem per ſomitem, qui eſt arbor concupiſcentiæ, & libido carnis; ideòque Con- t Seſſ. 13. cap. 2. cilium Tridentinum *(t)* determinando de inſtitutione hujus Sacramenti ſic ſtatuit, ergo Salvator noſter ſumi voluit Sacramentum hoc, tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vita illius, qui dixit, qui manducat me, & ipſe vivet propter me, & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & præſervemur à culpis mortalibus; & hoc ut ab ipſis præſervatis dignè poſſimus corpus, & ſanguinem Chriſti Domini in hoc Sacramento ſumere, dignè ergo ſumamus hunc panem, qui de cœlo deſcendit, ut nos tali pane ſatiati aſcendere poſſimus in cœlum; Quapropter Joannes *(u)* dixit, u Cap. 6. hic eſt panis de cœlo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur; morte ſpirituali ſcilicet, ſed vivat vita æterna, in qua vivunt Beati, & omnes illi, qui puro corde accedentes ad hoc Sacramentum illo recreati ſunt; recreemur ergo, & ſæpe ſæpius illo utamur, memores eſſe debemus, quod in primitiva Eccleſia magna vigebat devotio circa hoc diviniſſimum Sacramentum; ita ut fideles quotidie Euchariſtia acciperent, juxta illud, quod legitur in Actibus Apoſtolum, erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, *(x)* & communicatione fractionis x Cap. 2. panis, & orationibus; Juxta conſtitutionem Anacleti Papæ, & Martyris, qui viſa hac conſuetudine prætermiſſa illam ex aliqua parte renovavit; at proh dolor, quia fervor charitatis fidelium videbatur diminui, Fabianns Papa ordinavit, ut omnes reficeretur hoc venerabili Sacramento ter quotannis Natali Domini, Reſurrectioni, & Pentecoſte; at quia ſuperabundavit iniquitas multorum, & charitas veluti ad nihilum redacta decretum fuit in Concilio Lateranenſi ſub Inn. Tertio, ut ſemel ſaltem in anno omnes fideles in Paſcha pretioſum Chriſti corpus in hoc Sacramento contentum acciperent; (quod & Confirmatum fuit in Concil. Trident.,) aliter & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens ſepultura Chriſtiana careat.

At

At nt cenſeamus fideles, non ſufficit manducare hunc panem, ſed requiritur neceſſariò, ut illum dignè manducemus; ſicut & Chriſtus Dominus voluit intelligi, quando dixit, qui manducat hunc panem, vivet in æternum; ſiquidem in æternum vivere non poteſt ille, qui indignè hunc panem manducat; cum reus conſtituatur corporis, & ſanguinis Domini, nec per conſequens præſervare poteſt iſte talis à peccatis mortalibus; ſi jam in peccato mortali exiſtit; benè tamen ille, qui in gratia conſtitutus præſupponitur.

Nec per hoc tamen, quod hoc Sacramentum præſervare habeat hominem, etiam illud dignè ſumentem, à peccato mortali, eſt inſerendum, quod auferat illi poſſibilitatem peccandi, & quia dùm vivit homo vita mortali, in manu conſilii ſui eſt, atque adeò perſeverat in illo poteſtas in bonum, & malum fle-
y 1.p.q.79. a.6. ad 1. ctendi; juxta id, quod docet Div. Thom., *(y)* homo in ſtatu viæ eſt talis conditionis, quod liberum arbitrium ejus poteſt flecti in bonum, & malum, adeòque licet hoc Sacramentum quantum eſt de ſe, habeat virtutem præſervativam à peccato, non tamen aufert homini poſſibilitatem peccandi; Et rurſus docet idem
z Ib. ad 2. Sanctus Doctor, *(z)* quod ex mutabilitate liberi arbitrii contingit, quod aliquis poſt habitam charitatem peccat, ſicut & poſt ſuſceptionem hujus Sacramenti, ergo meritò à Divo Thoma aſſignatur, ut præſervativum à peccatis, & à Concilio Tridentino datur ut antidotum, nec non ut medicamentum, (juxta Div. Ambroſium, corpus Chriſti medicina ſpiritualis eſt, quæ cum reverentia deguſtata ſibi devotos purificat;) mediantibus quibus præſervemur nos in gratia, & abſque omni peccato mortali; & tunc nos præſervabimur ab omni dolo, quando uniemur Chriſto Domino per eamdem charitatem, qua dilexit nos; ipſe enim tradidit ſemetipſum pro nobis, & nos tradere debemus noſmetipſos pro illo, ut in eadem permaneamus charitate; hoc autem totum fit per hoc Sacramentum, nam non tantùm vincuntur tyranni, qui inſaniam exiſtimantes fidem noſtram totum corpus dilaniari perceperunt perſeverantibus in fide, verum etiã dæmones vincuntur per illud; Teſtes autem hujus veritatis ſunt & Div. Cyprianus, & Div. Thom.

a Libr. 1. Epiſt. 2 ad Cornel. Primus enim ad Cornelium *(a)* ſcribens ait, quando olim à tyrannis fideles ad tormenta, & cædem propter Chriſtiani nominis confeſſionem vulgò raperentur, ne illi fortè dolorum acerbitate victi in ſalutari certamine deficerent, vetus in Eccleſia Catholica mos fuit, ut eis ab Epiſcopis Dominici corpori, & ſanguinis Sacramento præberentur.

b 1 p q.79 art.6. Et Div. Thom. *(b)* ait, hoc Sacramentum præſervat à peccato, primò quidem per hoc, quod Chriſto conjungit per gratiam, roborat ſpiritua-
c Pſ.100. lem vitam hominis, tanquam ſpiritualis cibus, & ſpiritualis medicina, juxta illud Pſalm. *(c)* panis cor hominis confirmet: ſecundò in quantum quod eſt ſignum paſſionis Chriſti, per quam victi ſunt dæmones, repellit omnem dæmonum impugnationem. Pugnant namque dæmones cum hominibus variis modis, & utuntur variis mediis, ut in laqueum incidant; utuntur ergo ſuperbia, inani gloria, avaritia, & aliis ſimilibus, ſed præcipuè luxuria, in quam de facili cadunt homines propter fomitem, qui ut in plurimum adhærere facit ſenſibus, & rationem excæcare; ergo ut homines contra illos pugnent, & ardorem ejus diminuant, ſumant Sacramentum iſtud, quia etſi, ut ait Div.
d Ib. ad 3 Thom., *(d)* non directè ordinetur ad diminutionem fomitis, ex quadam conſequentia illum diminuit, in quantum auget charitatem, & hæc doctrina
e Tract 26 in Ioan. Div. Thom. *(e)* fundamentum habet ex Divo Auguſtin. dicente, quod augmentum charitatis eſt diminutio cupiditatis. Euchariſtiæ Sacramentum cum ſit Sacramentum Univerſalitatis, & præcipuè Univerſalitatis Eccleſiæ, hinc mirum non debet eſſe, ſi proſit non ſolùm ſumentibus, ſed etiam aliis à ſumentibus, & hoc propter nobilitatem, qua gaudet inter alia Sacramenta; habet enim hoc, quod & ſit Sacramentum, & ſacrificium. Hoc Sacramentum habet præ aliis, ait Div. Thoma,
(f) quod ſit ſacrificium. Idcircò enim in quantum *f 3.p.q.79. ar.1. ad 1*
Sacramentum prodeſt ſumentibus illud, in quantum verò ſacrificium offerentibus, vel facientibus offerre.
Juxta Div. Thom., *(g)* Sacramentum hoc prodeſt *g Ibi in c.*
quidem ſumentibus & per modum ſacramenti, & per modum ſacrificii, quia pro omnibus ſumentibus offertur, qua de cauſa in Canone Miſſæ dicitur, quotquot ex hac Altaris participatione, Sacroſanctum filii tui corpus, & ſanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cœleſti, & gratia repleamur.

Aliis verò, qui non ſumunt, prodeſt per modum Sacrificii, in quantum pro ſalute eorum offertur, pro ſalute namque eorum, qui conjunguntur huic Sacramento per fidem & charitatem, cum ſolum iſti ſint capaces effectus paſſionis Chriſti, quam paſſionem habet utique repræſentare hoc Sacramentum, in quantum habet rationem ſacrificii, Unde
Div. Thomas *(h)* ait, hoc ſacrificium, quod eſt *h Ib. ad 3*
memoriale Dominicæ paſſionis, non habet effectum, niſi in illis, qui huic Sacramento conjunguntur per fidem, & charitatem, charitas enim facit eſſe unum in Chriſto, nam qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Et Div Auguſtin. inquit, quis offerat corpus Chriſti, niſi illis, qui ſunt membra Chriſti; membra autem Chriſti ſunt omnes fideles, & qui fideliter ſerviunt Chriſto, & pro iſtis etiam oratur in Canone Miſſæ, quando dicitur, memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, hoc ſacrificium laudis pro ſe, ſuiſque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis, & incolumitatis ſuæ; & quamvis hæc omnia exprimant intentum ad manifeſtandum, quod hoc Sacramentum proſit, & ſumentibus, & aliis à ſumentibus, nihilominus manifeſtiùs habetur per os Domini, qui expreſſit veritatem iſtam & Matt., & Luca, *(i)* dum dixit, qui
pro vobis, ſcilicet ſumentibus, & pro multis, ſci- *i Ca.26, & cap 22.*
licet non ſumentibus effundetur in remiſſionem peccatorum; Veritas, quæ licet non indigeat corroboratione, attamen quia noſtris temporibus multi de hoc Sacramento malè ſenſerunt, hinc eſt, quod Sacro-
ſancta Tridentina Synodus *(l)* contra iſtos ſtatuit, *l Seſſ. 22. can 3.*
ſi quis dixerit, Miſſæ Sacrificium ſoli prodeſſe ſumenti, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus offerri debere; Anathema ſit,

Super quæſtionem Octuageſimam.

De Vſu, ſeù ſumptione hujus Sacramenti in Communi.

a 1 p. cap. 9.

Apoſtolus ad Corint. *(a)* expreſsè aſſerit, quod qui manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit, & reus factus eſt corporis, & ſanguinis Domini. In qua tamen expreſſione duo modi manducandi corpus Chriſti colligi debent, ſcilicet Sacramentalis, & ſpiritualis, ut vult & Gloſſa; & ulterius manifeſtum eſt, quod qui manducat corpus Chriſti indignè, Sacramentum tantùm ſumit, nullatenus verò rem Sacramenti. ſive effectum ejus; ad differentiam illius, qui ſumit illud, quantum in ſe eſt, dignè, iſte namque Sacramentũ, & ejus effectum ſuſcipit; Hunc duplicẽ modum manducandi & D. Th. in ſequentia corporis Chriſti aſſignavit dùm dixit, ſumunt boni, ſumunt mali, ibi,

Digitized by Google

quia dignè, iſti, quia indignè, fortè tamen inæquali vitæ, vel interitus; quia boni & Sacramentaliter, & ſpiritualiter ſumunt, mali tantùm Sacramentaliter.

Hominibus tamen propriè convenit manducare hunc panem de cœlo præſtitum ſpiritualiter, & quamvis dicatur panem Angelorum manducavit homo, & Div. Thom. in ſua ſequentia dicat, ecce panis Angelorum factus cibus viatorum; nihilominus tamen ſolùm voluit nobis manifeſtare, quod Angeli manducant utiq; ſpiritualiter, non in quanam eſt ſub ſpeciebus hujus Sacramenti, quod proprium eſt hominibus, ſed in quantum ei uniuntur fruitione charitatis perfectæ, & viſione manifeſta (quem panem expectamus utique in patria, non per fidem,) & ecce quàm benè panis Angelorum fit panis viatorum; Juſtorum tamen, qui puro corde, & pura conſcientia ſumunt in hac via, in qua peregrinantur à Domino; Hoc dicitur, quia non negamus, quod etiam peccatores ſumant, & manducent Sacramentaliter corpus Chriſti, non tamen ſpiritualiter, quia qui in crimine eſt, non ſumit hoc ſacramentum ad vitam, ſed ad exitium, immò qui in crimine eſt, ſumendo hoc Sacramentum fit ſacrilegus, & violator tanti Sacramenti, adeòque peccat mortaliter; & graviter peccat; verumtamen in quibuſdam poteſt eſſe gravius, ut in his, qui ex actuali contemptu cum conſcientia peccati ad hoc Sacramentum accedunt; in quibuſdam verò minus grave, ut in his, qui ex quodam timore, ne deprehendantur in peccato, cum conſcientia peccati ad hoc Sacramentum accedunt; Unde & ſi gravius ſecundum ſuam ſpeciem multis aliis, non tamen graviſſimum omnium.

Hominibus peccatoribus tamen accedentibus ad hoc Sacramentum; & illud petentibus, dummodò tamen ſint occulti, non eſt illis denegandum. Publicis verò poſt pœnitentiam, & reconciliationem non erit etiam communio deneganda, præcipuè in articulo mortis.

Et cum Sacramentum iſtud puriſſimum ſit, conſequenter illi, qui hoc Sacramentum ſuſcipere debent, pariter debent eſſe puro corde, mente ſincera, & corpore impolluto; Unde multoties pollutio nocturna poteſt eſſe impedimentum, ut ne quis accedat ad hoc Sacramentum, non ſemper ex neceſſitate, dùm ſcilicet provenit vel ex debilitate naturæ, (& hæc eſt infirmitas corporalis, vel ex illuſione dæmonum, vel ex aliquo alio motivo; quod importare poteſt peccatum veniale, vel ſine peccato eſſe; abſtinendum eſt tamen ab acceſſu, dummodo non ſit Sacerdos, ob reverentiam tanti Sacramenti, & hoc quantum poſſibile eſt; ſolùm ergo tenetur quilibet ex neceſſitate non accedere ad tantum convivium, quando pollutio oritur ex turpibus cogitationibus, vel ex ſuperfluitate cibi, & potus ultrà neceſſitatem.

Debent pariter omnes, & ſinguli, ultra articulum mortis, accedentes ad hoc Sacramentum eſſe jejuni, ut ſint mente elevati ad conſiderationem tam magnificæ cœnæ, in qua recolitur memoria paſſionis Chriſti, & non diſtracti ex ſuperabundantia ciborum, quorum repletio cauſare ſolet & diſtractionem mentis, & tollere devotionem. Quæ etiam tolleretur in illis, in quibus eſt omnimoda carentia uſus rationis, proindè iſtis eſt denegandum hoc Sacramentum; nullatenus verò illis, qui vel habuerunt uſum rationis, vel non ſemper caruerunt uſu rationis, eò quia etſi non appareat aliquod ſignum devotionis, apparebat tamen, quando erant compotes ſui.

Et in primitiva Eccleſia tanta erat devotio circa hoc Sacramentum ut omnes, qui Chriſto erant uniti per fidem, uniebantur etiam per charitatem, & illi incorporabantur manducando corpus Chriſti Domini, & hoc quotidie, quia charitas in ſummo fulgebat; ſed ſeneſcente Mundo ſenuit & charitas, adeòque mirum non eſt, ſi in multis, ne dicam in omnibus, defecit; Unde ſicut laudabile erat, quod quotidie à fidelibus ſumeretur hoc Sacramentum propter devotionem, quæ in illis vigebat, ita modò non eſt ita laudabile ob carentiam devotionis; ut quotidiè reficiantur fideles, quia defecerunt virtutes, & inter omnes præcipuè charitas, quæ non eleemoſyna dicitur, ſed dilectio.

Cæterum utinam iſta non fuiſſet deperdita omninò, quoniam non viderentur multi ita frigidi charitate, ut ceſſarent omninò à communione, ne peccarent contra mandatum Chriſti Domini (b) præcipientis, niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, contra præceptum Eccleſiæ determinantis per Concilia; quod ſaltem in Paſchate reficiantur fideles cibo iſto Sanctiſſimo, nec opus eſt, ut recipiant virtutem hujus Sacramenti, quod ſumant & ſanguinem, cum jam in hoc Sacramento corpus Chriſti ſit ſub ſpecie vini, & ſanguis ſub ſpecie panis, & hoc ex vi naturalis connexionis, & concomitantiæ; gaudeant ergo fideles, & contenti ſint de hoc.

Euchariſtiæ Sacramentum cum non ſit ſumendum, niſi ab illis, qui ad annos diſcretionis pervenerint, juxta definitionem Concilii Lateranenſis (c) capite omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti; & injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere, & hæc deffinitio tanquam præambula videtur eſſe ad ſumptionem hujus Sacramenti Euchariſtiæ, nam ſequitur, quod ſuſcpiat reverenter ad minus in Paſcha Sacramentum Euchariſtiæ, niſi proprius Sacerdos dixerit abſtinendum: & meritò dicitur, niſi proprius Sacerdos dixerit abſtinendum &c. ſiquidem nullo pacto debet quis negligere talem ſumptionem, vel propria auctoritate illam admittere, vel prava voluntate ſe abſtinere ab eadem; ſed debet prompto animo ſe ſubmittere præcepto Eccleſiæ ſtatuentis non eſſe à fidelibus abſtinendum manducare hunc panem, in quo Chriſtus ſumitur, ne cadat ſub pœna excommunicationis in contrarium faciens comminata, arceatur utque ab Eccleſia, ſic ſtatutum eſt, qui ſemel ſaltem ſingulis annis in Paſcha non communicaverit. Et Concilium Tridentinum (d) nedùm in confirmationem decreti emanari à Concilio Lateranenſi intendit, quod excommunicentur illi, qui contra tale decretum faciens, verùm etiam anathematizat illos, qui oppoſitum dixerint. Unde habetur, ſi quis negaverit omnes, & ſingulos Chriſti fideles utriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis ſaltem in Paſchate ad communicandum juxta præceptum Sanctæ Matris Eccleſiæ: Anathema ſit. Hinc ergo eſt, quod debet unuſquiſque maxima reverentia, & ſumma devotione hoc Sacramentum ſumere, ut verè Sacramentum ſumat, & ejus effectum, quod eſt non ſolùm Sacramentaliter, verùm etiam ſpiritualiter illud ſumere. Juxta Div. Thom. (e) diſtinguentem duos modos manducandi corpus Chriſti Sacramentalem ſcilicet, & ſpiritualem.

Sacramentalis eſt, in quantum quidam ſunt, qui manducantes corpus Chriſti, ſumunt utique Sacramentum, ſed non rem Sacramenti, & iſti aſſimilantur Judæ, qui ſumendo hoc Sacramentum de manu Domini Jeſu, manducavit corpus Chriſti ſub illis ſpeciebus ſacramentalibus panis, non tamen ejus effectum, quia indignè ſumpſit, adeòque judicium ſibi manducavit; Unde Div. Auguſtin. (f) ſupra hunc locum Apoſtoli dixit; proculdubio non manducat ejus carnem ſpiritualiter; (qui cum peccato accedit ad hoc Sacramentum, ut Judas) licet carnaliter, & viſibiliter premat dentibus Sacramenta corporis, & ſanguinis Domini.

Spiritualiter eſt, in quantum accipiunt & Sacramentum, & rem Sacramenti manducando corpus Chri-

b Cap. 6.
c Cap. 21
d Seſſ. 13 can. 9.
e 3 p. q. 80 art. 1.
f Tract. 26 in Joan.

Chriſti, & hoc quia dignè ſumunt illud. Unde D. Thom. *(g)* in hujus Sacramenti ſumptione duo ſunt conſideranda, ſcilicet ipſum Sacramentum, & effectum ipſius, ſeù virtus Sacramenti, qui effectus, ſive virtus eſt cauſare gratiam in ſuſcipiente. Nihilominus tamen perfectus modus ſumendi hoc Sacramentum eſt, quando aliquis in Sacramento ſuſcipit, quod percipit ejus effectum, quod eſt ſacramentaliter, & ſpiritualiter ſumere Sacramentum corporis, & ſanguinis Domini: contingit autem quandoque, quod aliquis impediatur à percipiendi effectu hujus Sacramenti, & tunc contingit, quando quis Sacramentaliter tantùm illud ſumit; & iſte judicium ſibi manducat, & bibit; & iſti duo modi manducandi corpus Chriſti colliguntur ex ipſo Chriſto Domino, & ex Apoſtolo.

g Ib. in a.

Etenim Chriſtus Dominus dixit, qui manducat meã carnem, & bibit meum ſanguinem (ecce modus manducandi ſacramentaliter corpus Chriſti,) in me manet, & ego in eo (ecce modus ſpiritualis illud manducandi;) nam omnes manducant, qui ſumunt illud, ſed non omnes dignè manducant; Et Apoſtolus Paulus dixit, qui manducat, & bibit indignè, reus erit corporis, & ſanguinis Domini; Per quæ verba licet videatur ſolùm exprimere modum ſacramentalem manducandi pretioſum corpus Chriſti Domini, tamen illum vituperat, & illum vituperando, laudat dignè ſumentem.

In quibus tamen duobus modis intelligitur & alius, qui eſt ſpiritualiter tantùm manducare. Modus, qui cognitus fuit & à Div. Th. *(h)* qui poſtquam dixerit, ſacramentalis manducatio, quæ pertingit ad ſpiritualem, non dividitur contra ſpiritualem, ſed includitur ab ea: ſed illa ſacramentalis manducatio contra ſpiritualem dividitur, quæ effectum non conſequitur. *(i)* ſubdit, effectus Sacramenti poteſt ab aliquo percipi, ſi Sacramentum habeat in voto, quamvis non accipiat in re; ac proinde ſicut aliqui baptizantur baptiſmo flaminis propter deſiderium baptiſmi, antequam baptizentur baptiſmo aquæ, ita aliqui manducant ſpiritualiter hoc Sacramentum, antequam ſacramentaliter ſumant.

h Ib. ad 2.

i Ib. ad 3.

Ex quo tamen deſiderio, & voto etſi non omnes, nihilominus tamen maximos utilitatis fructus conſequuntur; quod eſt, quod docet Div. Thom., *(l)* nec tamen fruſtra adhibetur ſacramentalis manducatio, quia plenius inducit ſacramenti effectum ipſa Sacrmenti ſuſceptio, quàm ſolùm deſiderium.

l Ib. ad 3.

Per quam Doctrinam rejicitur error illorum aſſerentium in hoc Sacramento Euchariſtiæ manducari tantùm ſpiritualiter Chriſtum, & non Sacramentaliter, & realiter; contra quos eti am Concil. Trid. *(m)* decrevit, ſi quis dixerit, Chriſtum in Euchariſtia exhibitum ſpiritualiter tantùm manducari, & non etiam ſacramentaliter, ac realiter, anathema ſit. Rurſus Concilium Trident. *(n)* omnes hos modos manducandi à Div. Th. etiam aſſignatos, & à Sanctis Patribus cognitos, enumerat, ſic dicendo. Quoad uſum autem rectè, & ſapienter Patres noſtri tres rationes hoc Sanctum Sacramentum accipiendi diſtinxerunt; Quoſdam enim docuerunt, Sacramentaliter dumtaxat id ſumerent peccatores; alios tantùm ſpiritualiter, illos nimirum, qui voto propoſitum illum cœleſtem panem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus, & utilitatem ſentiunt; tertios porrò Sacramentaliter ſimul, & ſpiritualiter, ii autem ſunt, qui ita ſe priùs probant, & inſtruunt, ut veſtem nuptialem induti ad divinam hanc menſam accedant.

m Seſſ. 13. can. 8.

n Ib. ca. 8.

Induere autem veſtem nuptialem quis accedere poſſit ad menſam Domini, non eſt niſi ſolius hominis, cum ſolius hominis ſit veſtem nuptialem, ſcilicet fidem habere circa hoc Sacramentum, nam credere debet ei firmiter, quod ſumendo hoc Sacramentum ſumat Chriſtum verè filium Dei ſub hoc Sacramento exiſtentem, atque in illo contentum verè, realiter, atque præſentialiter; & licet fides requiratur, (ſiquidem non datur, niſi viatoribus, in Patria autem nulla eſt fides, cum ſit clara Dei viſio,) non tamen nuda, ſed induta puritate conſcientiæ ne ab intrinſeco ſit remorſus quidam, qui dicat, quomodo ad hanc menſam accedis non habens veſtem nuptialem, ſcilicet fidem ſoramtam propter peccatum. Audi Auguſt. *(o)* dicentem, panem de altari ſpiritualiter manducate, ut ſcilicet ex altari panem ſacramentalem comedendo aliquid utilitatis reportetis, innocentiam ad altare portate, quia ut ſumpturi ſint, & ut plenius ſumant, debent ſummè deſiderare gratiam, gloriæ meritum, ſuoque tempore conſecutionem peccatorum mortalium inculpabiliter oblitorum, cum agnitorum completa contritione remiſſionem; venialium omnium, quibus actu exercito non inhæretur, condonationem pœnæ juxta devotionis menſuram relaxationem, à futuris peccatis præſervationem, & niſi mens actualiter diſtrahatur, experimentalem ſaporis ſpiritualis dulcedinem, quæ omnia, cum ſoli homini conveniant, rectè debemus unà cum Div. Thom. inferre etiam ſolius hominis eſſe hoc ſacramentum ſpiritualiter ſumere, & nullo pacto Angelorum, & hoc quia Angeli ſatis fruuntur ipſo Chriſto non per fidem, ſed viſione clara, & manifeſta, & illi uniuntur charitate perfecta. Etſi dicatur, quod & Angeli manducant ſpiritualiter Chriſtum, non tamen per hoc dicendum eſt, quod manducant ſpiritualiter Chriſtum ſub ſpeciebus Sacramentalibus, ſicut homines manducant ipſum Chriſtum ſpiritualiter. Deſumitur ex Div. Thom. *(p)*, qui docet, quod dupliciter contingit manducare ipſum Chriſtum, Primò, prout in ſua ſpecie conſiſtit, & hoc pacto Angeli manducant ſpiritualiter Chriſtum, in quantum ei uniuntur fruitione charitatis, & viſione perfecta; Secundò contingit manducare ſpiritualiter Chriſtum, prout eſt ſub ſpeciebus Sacramentalibus, in quantum ſcilicet aliquis credit in Chriſtum cum deſiderio ſumendi hoc Sacramentum, quod eſt non ſolùm manducare ſpiritualiter Chriſtum, ſed etiam manducare ſpiritualiter hoc Sacramentum; & hoc ſecundo modo conſideratum ipſum manducare ſpiritualiter Chriſtum non competit Angelis, ſed ſolis hominibus, de quibus etiam dicitur, quod panem Angelorum manducant; ut habetur ex illo Pſalmi, panem Angelorum *(q)* manducavit homo, quod dictum, licet Gloſſa dicat, ſcilicet Corpus Chriſti, qui eſt verè cibus Angelorum, nihilominus tamen debet intelligi ſic, quod homo manducat panem Angelorum, qui eſt Chriſtus, non in ſemetipſo, & in propria ſpecie, ſicut Angeli manducant illum fruendo de ejus viſione, & in propria ſpecie gaudendo de illo, ſed quatenus eſt ſub hoc Sacramento per fidem, & ſi de illo gaudeat homo, gaudet de illius dulcedine, in quantum habet omne delectamentum in ſe prò dignè manducantibus: & Div. Thom. hoc explicando docet, dicitur homo manducare panem Angelorum, quia primò, & principaliter eſt Angelorum, qui eo fruuntur in propria ſpecie. Secundariò eſt hominum, qui Chriſtum ſub Sacramento accipiunt, & accipiendo Sacramentum accipiunt & rem Sacramenti, dummodo in gratia exiſtunt; ad differentiam Angelorum Beatorum, iſti enim poſtquam ſe converterunt ad Deum, ſemper perſeverantes ſunt in gratia, in qua numquam deficient in diligendo. Diligunt ergo Chriſtum, & ipſum diligendo, veluti illum manducant ſpiritualiter; nos autem illum manducando indigemus gratia ejus, ut nos præſervet à malo, uſque dum in hac mortali vita ſumus, in qua ſine ullo proſus dubio ad ſocietatem corporis myſtici pertinemus, ſicut & Angeli, cum Eccleſia prædeſtinatorum ſit unio hominum, & Angelorum, ſed cum hac diverſitate, quod homines pertinent per fidem, Angeli autem, ut ait Div Thom., *(r)* per manifeſtam viſionem, ac proinde ſubdit Div. Thom. Sacramenta proportionantur fidei, per quam veritas videtur in ſpeculo, & in ænigmate, adeòque propriè loquendo non Angelis, ſed hominibus convenit manducare ſpiritualiter hoc Sacramentum, & hoc quia, ut ſæpè tetigimus, Angeli cognoſcunt hanc veritatem in ſe, quam per fidem nos cognoſcimus & credimus, & hæc fides credentium non debet referri ad has, vel illas ſpecies panis,

o Tra. 26. ſuper Io.

p 3. p. q. 80 art. 1.

q Pſal. 77.

r Ib. ad 1.

s 2.2. q. 2. art. 3. ad 4 ut docet Div. Thom., (ſ) ſed ad hoc, quod corpus Chriſti verum ſit ſub ſpeciebus panis ſenſibilis, quando tamen ſuerit rectè conſecratum, & dato, quod non fuerit rectè conſecratum, fides propter hoc non ſuberit falſum propter firmitatem credentium, ergo ſi firmiter credimus manducare Chriſtum ſub illis ſpeciebus, opus eſt etiam, ut firmiter illum diligamus toto corde, & affectu cum puritate mentis, & ſanctitate vitæ, implorantes auxilium ſuum, ut numquam deficiamur in credendo fide perfecta, & formata, quæ eſt propria juſtorum.

Quorum proprium eſt manducare hoc Sacramentum & Sacramentaliter, & ſpiritualiter, ad differentiam hominum peccatorum, qui licet credant manducare hoc Sacramentum, iſtud tamen ſolùm manducant ſacramentaliter, ut fides locum habeat, & ut error t 3. p. q. 80. art. 3. eorum, qui à Div. Thom. (t) ſupreſſo nomine citantur, tollatur: volebant enim iſti, quod corpus Chriſti nec etiam ſacramentaliter à peccatoribus ſumatur, ſed quàm citò labiis peccatoris contingitur, tàm citò ſub ſpeciebus Sacramentalibus deſinat eſſe corpus Chriſti. Non percipientes hoc derogare veritati fidei hujus Sacramenti, derogat namque illi, cum certum ſit corpus Chriſti ſub ſpeciebus ſacramentalibus non deſinere eſſe, manentibus ſpeciebus panis, & vini, & iſtæ ſpecies panis, & vini manent, quamdiù ſpecies illorum manent, cum ergo ſubſtantia panis aſſumpta à peccatore non ſtatim eſſe deſinat, ſed maneat, quamdiù per calorem naturalem digeratur, hinc eſt, quod non citò ac labiis peccatoribus contingitur, citò deſinat eſſe corpus Chriſti ſub illis ſpeciebus, ſi ergo non citò deſinat eſſe corpus Chriſti ſub illis ſpeciebus, ſignum eſt, quod etiam peccator ſacramentaliter manducat Sacramentum hoc; Error eſt, qui eſt damnatus ab Eccleſia, quæ in ſequentia Corporis Chriſti à Div. Thom. compoſita canit approbando doctrinam ejuſdem Angelici Doctoris, ſumunt boni, ſumunt mali ſorte tamen inæqu[illegible]itæ, vel interitus.

Error, cujus ignorantia convincitur per ſacras ſcripturas, tùm ex illo Matt., (u) diſcumbebat cum duou Cap. 26. decim diſcipulis ſuis, & edentibus illis dixit, amen dico vobis, quia unus veſtrum me traditurus eſt; & rurſus habetur, quod accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens, bibite ex eo omnes, inter quos ſuit Judas proditor; tùm ex illo Marci, (x) & accepto cax cap. 14. lice gratias agens dedit eis, & bibetunt ex illo omnes, ergo & Judas bibit, ſicut & manducavit corpus Chriſti, & tamen peccator exiſtebat, ex quibus fatendum eſt, quod & peccatores ſumunt corpus, & ſanguinem Chriſti Domini ſacramentaliter

y Cap. 6. Error, qui etiam à Div. Auguſt. (y) rejectus fuit, z Tr. 26. dùm ſupra illud Joann., (z) Patres veſtri manducaverunt manna, & mortui ſunt, dixit, multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur, utpotè quia ut habetur ex Apoſtolo, judicium ſibi manducat, & bibit, cum autem non moriantur ſumendo (aliàs quomodo ſtaret illud Chriſti Domini dicentis, qui manducat me, & ipſe vivet propter me?) niſi peccatores; & hoc quia habetur per Paulum dicentem, quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & ſanguinis Domini; hinc inferendum eſt, quod peccatores manducant Sacramentaliter corpus Chriſti, ſed cum hac diſtinctione à juſtis, quod juxta Div. Th. in ſequentia Corporis Chriſti, mors eſt malis, vita bonis, vide paris ſumptionis, quàm ſit diſpar exitus, ob diſtinctionem, quæ reperitur inter corporalem, & ſpiritualem manducationem. Manducant namque juſti hoc Sacramentum & ſpiritualiter, ideòque vivunt, manducant peccatores tantùm Sacramentaliter, & ideò moriuntur; quapropter de Juda dicitur à Div. Auguſt. nonne enim bucella Dominica venenum fuit Judæ, & tamen accepit, & cum accepit, inimicus in eum intravit, non quia malum accepit, ſed quia bonum malè malus accepit.

Rurſus habetur, quod hujus rei Sacramentum alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica menſa præparatur, & de menſa Domini ſumitur, quibuſdam ad vitam, quibuſdam ad exitium; ergo & peccatores ſumunt hoc Sacramentum Sacramentaliter, nec tantùm peccatores, ſed etiam infideles, dummodo tamen intenderent illud, quod Eccleſia confert, licet non haberent fidem veram circa alios articulos, & etiam circa hoc Sacramentum; aliàs ſi illud non intenderent, numquam manducarent Sacramentum hoc ſub ſpecie Sacramentali, ſed manducando illud uterentur illo, ut ſimplici cibo; Juxta Doctrinam Div. Thom., (a) ſacramentaliter poteſt determinare dupliciter illud verbum manducare, & ex parte manducati, & tunc quilibet ille ſit, ſive fidelis, ſive infidelis ſumit illud Sacramentaliter ex parte manducati, cum tunc ſumat ſpecies, ſub quibus eſt corpus Chriſti; & ex parte manducantis, & tunc propriè loquendo non manducaret Sacramentaliter, quia non uteretur eo, quod accipit, ut Sacramento, ſed ut ſimplici cibo. a 3. p. q. 80. art. 3. ad 3

Ex quibus omnibus rejicitur & alius error eorum dicentium, quod ſi hoſtia conſecrata ſive à juſto, ſive à peccatore ſumatur, dùm ſpecies dentibus territur, Chriſtus ad cœlum rapitur, & in ventrem hominis non trajicitur. Rejicitur, inquam, quia & hoc derogat veritati fidei, & hujus Sacramenti, cum jam ſatis dictum ſit, quod ſpecies Sacramentales tamdiù durant, quamdiù remanent ſpecies panis, & vini, hoc autem non eſſet, ſi Chriſtus ad cœlum raperetur, dum ſpecies dentibus terreretur. Rejiciuntur & alii errores, & ſunt, ſi hoſtia conſecrata cadat, ſive projiciatur in cloacam, lutum, ſive in aliquem locum turpem ſpeciebus remanentibus, ſub eis deſinit eſſe corpus Chriſti, & reddit ſubſtantia panis; pariter ſi hoſtia conſecrata à mure corrodatur, vel à bruto ſumatur, remanentibus dictis ſpeciebus, ſub eis deſinit eſſe corpus Chriſti, & reddit ſubſtantia panis.

Unde D. Thom. (b) ait, ſi mus, vel canis hoſtiam b 3. p. q. 80. art. 3. ad. 3 conſecratam manducet, ſubſtantia Corporis Chriſti non deſinit eſſe ſub ſpeciebus, quamdiù illæ ſpecies manent, hoc eſt, quamdiù ſubſtantia panis maneret; ſicut etiam ſi projiceretur in lutum: Et hoc ne deroget veritati hujus Sacramenti, ſicut nec derogat dignitati corporis Chriſti; & hoc quia mus, aut canis non tangit ipſum corpus Chriſti ſecundum propriam ſpeciem, ſed ſolùm ſecundum ſpecies Sacramentales, quas etiam per accidens habet manducare, & hoc, quia, ut ſubdit, D. Th. non eſt dicendum, quod animal brutum ſacramentaliter corpus Chriſti manducet, quia non eſt natum uti eo, ut Sacramento. Unde non Sacramentaliter, ſed corpus Chriſti per accidens manducat, eò modò quo manducaret ille, qui ſumeret hoſtiam conſecratam, neſciens eam eſſe conſecratam.

Per quam Doctrinam voluit Div. Thom. excludere tertium modum manducandi Corpus Chriſti præter Sacramentalem, & ſpiritualem; qui modus manducandi dicitur ab aliquibus ſumere ſpecies Sacramenti, & non Sacramentum, nec rem Sacramenti; ſicut canes, qui inepti ſunt ad ſuſcipiendum illud, ut Sacramentum, & ut res Sacramenti, cum non ſint capaces gratiæ, & ideò ſolùm Sacramentalis, & ſpiritualis aſſignantur modi manducandi hoc Sacramentum, & Sacramentaliter etiam peccatores, ſpiritualiter ſolùm juſti; & peccatores ſumendo corpus Chriſti Sacramentaliter peccant, quia indignè ſumunt illud, & conſequenter judicium ſibi manducant, & bibunt, .ſ. condemnationem ad pœnam æternam ſuſtinendam, quia manducant, & bibunt indignè; .ſ. quia in crimine ſunt. Et ille in crimine eſt, qui quamvis nullum habeat peccatum, tenet tamen per opinionem falſam, quod ſimplex fornicatio non ſit peccatum, per ignorantiam enim juris, quæ non excuſat, reputat non eſſe peccatum, quod eſt peccatum; ut ait D. Th., (c) ille in crimine eſt, qui putat ſe non habere peccatum, & tamen illud habet, eò quia negligens c 1. p. q. 1. art. 4. ad 3. eſt in examinatione ſui ipſius, propter quod Apoſtolus dixit, (d) probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat, & ideò peccat, & d ad Cor. 1. cap. 11. in crimine eſt ille ſic ſumens corpus Chriſti, etiam ſi non habeat conſcientiam peccati, quia ignorantia

rantia eſt ei peccatum; contra quod datur utique ſpiritualis medicina, ſed non illa, quæ dicitur confortativa, hæc enim datur ſanis, & habet præſervare illos à peccatis, juxta Div. Thom., (*e*) hoc Sacramentum *e Ib. ad 2.* eſt medicina confortativa, quæ non debet dari, niſi liberatis à peccato, maximè quia eſt Sacramentum vivorum ſupponens hominem ſanum, hoc eſt conſtitutum in gratia; benè tamen illa, quæ dicitur purgativa, & iſta datur infirmis; & ideò ſicut infirmi corpore indigent quadam purgatione, ut tollatur ab eis morbus, ita infirmi anima indigent virtute quadam purgativa, quæ fit, vel per Sacramentum baptiſmi, vel per mundationem animæ à peccatis per Sacramentum pœnitentiæ, & ideò ait Div. Thomas, baptiſmus, & pœnitentia ſunt quaſi medicinæ purgativæ, quæ dantur ad tollendam febrem peccati: Sacramenta namque mortuorum ſunt, non ſupponentia conſequenter hominem ſanum, ſed infirmum per peccatum, in quo, dùm moratur, accedere non debet ad ſumptionem hujus Sacramenti, ne pereat; quamobrem memor debet eſſe de illo, quod legitur in libro Levitici, (*f*) anima polluta, quæ ederit de carnibus *f Cap. 17.* hoſtiæ pacificorum, quæ oblata eſt Domino, peribit de populis ſuis; ſi ergo hoc accidebat illis, qui in veteri teſtamento præſumebant edere de carnibus hoſtiæ pacificorum, quæ offerebatur Domino, quæ figura eſt ſacrificii nove legis; quid inde evenerit illis, qui præſumptuoſe ſumpſerit Corpus Chriſti verum ſub hoſtia contentum? Peribunt ſine dubio iſti de populis ſuis, cum amplius non enumerabuntur inter membra Chriſti, & Eccleſiæ. Conſideret unuſquiſque, quod eſt convivium ſpirituale animæ, & quod invitatus ad convivium corporale non auderet accedere immundus, unde nec immundus accedere debet ad menſam, in qua Chriſtus manducatur. Idcircò Concilium *g Seſſ. 13. cap. 7.* Trident. (*g*) nos admonendo ſic ſtatuit; ſi non decet ad ſacras ullas functiones quempiam accedere, niſi ſanctè, quò magis ſanctitas, & divinitas cœleſtis hujus Sacramenti viro Chriſtiano comperta eſt; eò diligentius cavere ille debet, ne abſque magna reverentia, & ſanctitate ad id percipiendum accedat; præſertim cum illa, plena formidinis verba apud Apoſtolum legamus, qui manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini. Quare communicare volenti, revocandum eſt in memoriam ejus præceptum, probet autem ſeipſum homo. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem eſſe neceſſariam, ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumcumque ſibi conſcius eſſe videatur, abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat, quod à Chriſtianis omnibus, etiam ab jis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare; hæc Sancta Synodus perpetuò ſervandum eſſe decrevit, modò non deſit illis copia confeſſoris. Quod ſi neceſſitate urgente Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quàm primùm confiteatur.

h Seſſ. 13. can. 11. Et rurſus decrevit, & nè tantum Sacramentum (*h*) indignè, atque ideò in mortem, & condemnationem ſumatur, ſtatuit, atque declarat ipſa ſancta Synodus illis, quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia confeſſoirs, neceſſariò præmittendam eſſe confeſſionem Sacramentalem; Si quis autem contrariè dicere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeù etiam publicè diſputando defendere præſumpſerit, eò ipſo excommunicatus exiſtat.

Pariter contra Lutherum, qui dicebat, quod hæc ſola fides facit eos puros, & dignos, ſtatuit Concil. *i Ibidem.* Trident. (*i*) ſi quis dixerit, ſolam fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum anathema ſit.

Ille, in crimine eſt, qui iniuſtitiam operando putat eſſe actum virtutis, qui perſequendo hominem, actum religionis exiſtimat eſſe, qui judicando proximum, paſſionem induit ſe, & zelum eſſe vult: qui famam, & honorem proximi aſfert, & veritatem eſſe dicit. Iſte, & alii ſimiles in crimine ſunt; & cum in crimine ſint, ſacrilegi dicuntur violatores, utpotè falſitatem committentes, & iniuriam facientes ſumendo corpus Chriſti. Juxta Div. Thom., (*l*) qui- *l 3 p. q. 80. art. 4. in c.* cumque cum peccato mortali hoc Sacramentum ſumit, falſitatem in hoc Sacramento committit, & ideò incurrit ſacrilegium, tanquam Sacramenti violator, & propter hoc mortaliter peccat. Sacrilegium faciunt utique indignè ſumentes Sacrmentum iſtud, in quod tamen ſacrilegium non incurrebant illi, qui, quamvis peccatores, tangebant in propriam ſpeciem *m ad 1. ib.* Chriſtum, juxta Div. Thom., (*m*) peccatores Chriſtum in propria ſpecie tangentes non incurrebant crimen falſitatis circa divina, ſicut peccatores ſumentes hoc Sacramentum. Cur autem hoc? quia Chriſtus in propria ſpecie apparens, non exhibebat ſe tangendum hominibus in ſignum ſpiritualis unionis ad ipſum, ſicut exhibetur ſumendus in hoc Sacramento.

Sacrilegium, in quod nec etiam incurrunt illi, qui perſpiciunt per viſum ipſum corpus Chriſti, immò nec peccant iſti, ſicut peccant, & ſacrilegium committunt, qui peccatores ſumunt illud. Et hoc quia, ut ait Div. Thom., (*n*) per viſum non accipitur ipſum *n Ib. ad 4.* corpus Chriſti, ſed ſolùm Sacramentum ejus; non enim pertingit viſus ad ſubſtantiam corporis Chriſti, ſed ſolùm ad ſpecies ſacramentales; cæterum qui manducat, nedùm ſumit ſpecies ſacramentales, ſed etiam ipſum Chriſtum, qui eſt ſub eis; ex quo etiam ſequitur, quod ad manducationem non ſunt admittendi, niſi illi ſoli, qui & ſacramentaliter, & realiter ſunt Chriſto coniuncti; peccatores autem non ſunt Chriſto coniuncti, ideòque nec admittendi ad ſumptionem hujus præexcelſi Sacramenti, aliàs ſumendo peccarent, admittendi ſunt tamen ad viſionem ipſius Sacramenti Euchariſtiæ, utpotè baptizati, ut magis ſe agnoſcant reos apud Majeſtatem Regis Chriſti, Quapropter Div. Thom. ait, à viſione Corporis Chriſti nullus prohibetur, qui ſit Sacramentum Chriſti conſecutus, ſcilicet Baptiſmum; per quæ verba excludit de facto illos, qui baptiſmum non ſunt conſecuti, ad inſpectionem hujus Sacramenti, & hoc quia non credunt, ut faciunt peccatores fideles, (quia Chriſtiani, non quia verè fideles ſint,) ſub illis ſpeciebus eſſe contentum Chriſtum: & ob hoc Dionyſius in lib. (*o*) de Eccleſiaſtica hierarchia ait, non ſunt digni illas ſpecies intueri. *o Cap. 3.*

Diximus, quod peccatores ſumendo hoc Sacramentum mortaliter peccant, (exiſtentes tamen in peccato mortali,) & hoc quia omnes peccatores ſumus, non enim eſt homo, qui non peccet, ut legitur in lib. Regum, (*p*) & in lib. Eccleſ., non enim eſt homo *p Libr. 3. cap. 8.* juſtus, (*q*) in terra, qui faciat bonum, & non peccet. *q Cap. 7.* Et Joannes Evangeliſta (*r*) ſic ſcribens ait, ſi dixeri- *r 1. cap. 1.* mus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, Et quamvis peccatum eorum, qui indignè ſumunt illud, non ſit graviſſimum peccatum, nihilominus tamen ſecundum ſpeciem eſt multis aliis gravius. Certum enim eſt, quod non peccant iſti tales peccato infidelitatis; cum jam credant corpus Chriſti eſſe, ac ſubſtantialiter contineri ſub ſpeciebus Sacramentalibus, ſicut peccant infideles, ac proinde graviùs peccarent infideles ſumendo hoc Sacramentum, quàm peccatores fideles, & hoc propter differentiam, quam aſſignat Div. Th. (*ſ*) inter utroſque. Infideles enim cum non credant Chriſtum verè ſub hoc *ſ 3 p. q. 80.* Sacramento eſſe, quantum eſt in ſe, diminuunt ſanctitatem hujus Sacramenti, & virtutem Chriſti operantis in hoc Sacramento; & hoc eſt contemnere ipſum Sacramentum in ſeipſo; cæterum fideles, qui cum conſcientia peccati accedunt, & ſumunt hoc Sacrmentum, & ſuper omnia pretioſum, non contemnunt iſtud in ſeipſo, ſed quantum ad uſum indignè accipientes; & ideò non peccant peccato infidelitatis, quod eſt graviſſimum; utpotè contra divinitatem, nec peccant peccato minus gravi, quod eſt peccare contra humanitatem; de qua hebetur ex Matt., (*t*) qui *t Cap. 12.* dixerit verbum contra filium hominis, ſcilicet con-

I 4 tra

Digitized by Google

tra humanitatem, remittetur ei; qui autem dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro, utpotè dictum contra divinitatem ipſam; ſed peccant peccato adhuc minus gravi, quod eſt peccare contra Sacramenta, quæ pertinent ad humanitatem Chriſti; ideòque etſi rei facti ſint corporis, & ſanguinis Domini ipſimet peccatores, non per hoc peccatum eorum debet comparari peccato occidentium Chriſtum ſecundum criminis quantitatem, ſed ſolùm ſecundum quamdam ſimilitudinem, In quantum ſcilicet utrumque committitur contra corpus Chriſti, & de facto multò gravius fuit ſecundum quantitatem criminis peccatum occidentium Chriſtum, ſiquidem & proceſſit ex intentione nocendi Chriſto, quod peccatum indignè ſumentium non facit, & quia peccatum illorum fuit contra corpus Chriſti in propria ſpecie, & immediatè, non ſic peccatum horum, cum ſolùm ſit contra corpus Chriſti in ſpecie Sacramenti. Quo pacto etiam peccatum Sacerdotis, clerici, & aliorum oſculantium, hoc eſt ſumentium, corpus Chriſti comparari poteſt peccato Judæ Chriſtum oſculantis ſecundum ſimilitudinem criminis, cum uterque, & omnes ex ſigno charitatis Chriſtum offendant, non tamen quantum ad criminis quantitatem, & hæc, quæ à nobis dicuntur, à Div. Thom. (u) manifeſtantur exemplo de fornicatore, qui utique accipiens corpus Chriſti comparatur Judæ Chriſtum oſculanti quantum ad ſimilitudinem criminis, non quantum ad quantitatem criminis. [u [illegible]]

Verùm addit, quod hæc ſimilitudo criminis non minus competit aliis peccatoribus, quàm fornicatoribus, cum & per alia peccata mortalia agatur contra charitatem Chriſti, cujus ſignum eſt hoc Sacramentum, & tantò magis, quantò graviora ſunt peccata; de quorum ratione eſt etiam, quod per accidens unum peccatum ſit gravius alio ex parte peccantis, ut contingit, quando peccatum eſt ex ignorantia, vel ex infirmitate, & quando eſt ex contemptu, vel ex certa ſcientia, hoc gravius eſt, illud levius; & ſic etiam reſpectu hujus Sacramenti gravius peccat ille, qui projicit hoc Sacramentum in lutum; quàm qui conſcientia peccati mortalis accedit ad hoc Sacramentum; quia iſte ex infirmitate quadam (ſervatis ſervandis) ille verò ex contemptu tanti Sacratiſſimi Sacramenti peccat. Ille ex intentione injuriam faciendi huic Sacramento, iſte non intendens injuriam illi faciendi, propterea magis peccaret ille ſic faciendo, quàm iſte ſuſcipiendo corpus Chriſti.

At quia duplex eſt genus peccatorum, unum occultorum, & ſunt illi, qui ex infirmitate peccant, vel ſi ex malitia, quibuſdam tamen temporibus, vel cautè procedendo, quidam faciunt, non ſimulando peccata ſua, ſicut eſt mos hypocritarum. Aliud manifeſtorum, & ſunt publici uſurarii, publici raptores, publici concubinarii, & iſti ſunt manifeſti per evidentiam facti, alii ſunt manifeſti per evidentiam juris, hoc eſt per aliquod judicium Eccleſiaſticum, vel ſeculare, ut excommunicati, ſuſpenſi, interdicti, vel publicè confeſſi. Iſtis autem ſic manifeſtis, utpotè quia jam depravaverunt vias ſuas, juxta illud Proverb., (x) [x Cap. 10.] qui autem depravat vias ſuas, manifeſtus erit, accedentibus ad Sacram communionem, & illam petentibus Sacerdos debet denegare eamdem, utpotè quia in ſe apparent jam apud omnes infames, in quorum numero ſunt hiſtriones, & magicis artibus utentes, ut teſtis eſt Div. Cyprianus (y) ſcribens ad quemdam, [y lib. 1. e. 10.] pro dilectione ſua conſulendum me exiſtimaſti, quid mihi videatur de hiſtrionibus, & mago illo, qui apud vos conſtitutus adhuc in artis ſuæ dedecore perſeverat, an talibus ſacra communio cum cæteris Chriſtianis dari debeat? Puto, nec majeſtati divinæ, nec Evangelicæ diſciplinæ congruere, ut pudor, & honor Eccleſiæ, tam turpi, & infami contagione fœdetur, & hoc uſque dùm permaneant in ſuis peccatis. Quapropter nec Jeſus in domo Zachæi deſcendiſſet, ſi jam uſurarius amplius ipſe Zachæus noluiſſet exiſtere; unde ad Dominum dixit, ut legitur Lucæ (z) [z Cap. 19.] ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Nec murmurare cum ſcribis, & Phariſæis dedemus, dum videmus ad hominem peccatorem divertiſſe Dominum, ſcientes, quod non venit vocare juſtos, qui pœnitentiam non egent, ſed peccatores, venit enim filius hominis quærere, & ſalvum facere, quod perierat.

Peribat namque Matt., (a) [a Cap. 9.] ſi ad vocem Domini dicentis, ſequere me, non reliquiſſet telonium; unde quid mirum ſi ex peccatore Apoſtolus factus fuerit. Peribat Maria Magdalenè, ſi ad pedes Domini non inveniſſet gratiam, mediante qua & liberaretur à peccatis. Peribat Paulus, ſi ad vocem Domini Jeſu dicentis, Saule, Saule, quid me perſequeris, auditum non præſtitiſſet; & tamen peccatores publici erant, nam & Zachæus princeps Publicanorum erat, Matthæus publicè ad telonium ſedebat; Maria jam erat in Civitate peccatrix; & Paulus publicè perſequebatur Eccleſiam Dei, & nihilominus accedentibus ad Dominum non eſt indignatus conferre illis gratiam ſuam, ſed ad Zachæum dixit, hodie huic domui ſalus à Deo facta eſt, ad Matthæum, ſequere me, quoniam qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ; ad Mariam, vade, fidem tuam te ſalvam fecit, ad Paulum, vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum, &c. Et hoc quia perſeverare in peccatis ſuis noluerunt; Unde propter deſitionem perſeverantiæ in malum, accedentes ad Deum, meruerunt gratiam Dei. Paveant ergò peccatores publici in ſua publicitate remanere, ut à Deo denegetur illis introitus ad gloriam per gratiam ſuam, & ab Eccleſia ad Sacra etiam intereſſe priventur, ut decrevit etiam Concil. Trident., (b) neminem præterea, qui publicè, & notoriè criminoſus ſit, aut ſancto altari [b Seſſ. 22. de obſervando &c.] miniſtrare, aut ſacris intereſſe permittant; convertantur ergo ad Dominum, qui patiens, & miſericors eſt, & præſtabilis ſuper malitia, & reconcilientur Eccleſiæ, quæ pia, & benigna mater eſt ſemper parata ad recipiendos filios ſuos, licet aliquando ingrati fuerint; quapropter ut de hac veritate certiores omnes reddantur, ſtatutum fuit in Concilio Chartaginenſi, (c) ut ſcenicis, atque hiſtrionibus, cæteriſque hujuſmodi perſonis, vel apoſtatis converſis ad Deum reconciliatio non negetur. [c Conc. III cap. 35.]

De peccatoribus verò occultis aliter ſentiendum eſt, iſtis namque etiam approximantibus ad altare, & petentibus Sacram communionem iſta non debet denegari, & hoc ut eorum fama ſervetur, & numquam deſtruatur, niſi per publicationem ſcelerum, quando apparent oculis omnium manifeſta; Quapropter Sacerdos benè animadvertat non incidere in gravius peccatum propter denegationem Sacræ communionis peccatoribus occultis illam petentibus. Scire namque debet quod de occultis ſolus Deus judicat, ſic namque ſupplex erga Deum Regius Propheta orabat ad illum, ut emundaretur per gratiam ſuam anima ejus ab occultis delictis, unde dicebat, ab occultis meis munda me [d Pſ. 18.] Domine, (d) & hinc eſt, quod quamvis impiè agant peccatores, dummodò occultè agant, non cadunt niſi ſub judicio divino, ad quod attinet illa punienda, ſic etiam punivit iniquitates occultas Judaici populi, ita ut mortui ne plangerentur, neque ſepelirentur, & hoc [e Cap. 16.] quia, ut ait Hieremias, (e) per os Domini, oculi [e Cap. 16.] mei ſuper omnes vias eorum, non ſunt abſconditæ à facie mea, & non fuit occultata iniquitas eorum ab oculis meis.

Relinquatur ergo à Sacerdote miniſtrante corpus Chriſti, quod ſolus Deus puniat occulta cordium utpotè quia ſolus Deus eſt ſcrutator cordium, ut ipſe dixit in Hierem. (f) [f Cap. 17.] Ego Dominus ſcrutans cor; & ſciat Sacerdos, quod non eſt negotium illius occulta [g 1. p. q. [illegible] art. 3. ad 1.] publicè puniri, ſed ſoli Deo, ut etiam docet Div. Th. (g) occulta non poſſunt publicè puniri, ſed ſunt divino judicio reſervanda. Qui & docet, Sacerdoti (h) [h ib. ad 1.] miniſtranti corpus Chriſti pejus eſt peccare mortaliter infamando injuſtè peccatorem occultum; quam quod

Ipſe

Ipſe peccet mortaliter, non enim quis peccatum mortale committere debet, ut alium à peccato liberet; eſtque ſententia Div Auguſtini dicentis, (i) periculoſiſſimè admittitur hæc compenſatio, ut nos faciamus aliquid mali, ne alius graviùs malum faciat.

i in l quæ. 8 2

Propter quod nec debet Sacerdos reputare eſſe minus malum dari peccatori occulto hoſtiam non conſecratam, ſed memor debet eſſe, quod & Chriſtus Dominus, quamvis occulta cordis illius iniqui peccatoris Judæ Scarioth penetraret, nihilominus tamen & ipſum cum cæteris communicavit, non enim peccatum illius occultum voluit manifeſtare per denegationem Sacri ejus corporis, & conſequenter nec eum infamare, ſicut nec ei hoſtiam non conſecratam porrigere, ſed æqualiter omnibus dans dixit, ut habetur Matth. (l) hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus, quod clarius dixit D. Thomas, (m) Chriſto nota erat Judæ iniquitas, ſicut Deo, non autem erat ſibi nota per modum, quo hominibus innoteſcit; & ideò Chriſtus Judam non repulit à communione, ut daret exemplum, tales peccatores occultos non eſſe ab aliis Sacerdotibus expellendos, ergo nullo pacto à Sacerdotibus expellendi ſunt peccatores occulti, accedentes ad reverendum altare, ſicut nullo pacto debet dari hoſtia non conſecrata loco conſecratæ.

l c. 26. m 3. p. q. 81. ar. 2. ad 2

Siquidem dicatur mihi, quæſo, quod nam peccatum eſſet gravius? peccatum Idololatriæ, vel peccatum peccatorum etiam occultorum ſumentium corpus Chriſti indignè? Certè quod nullus erit; qui dicere poterit, quod peccatum Idololatriæ non ſit gravius peccato ſumentium Chriſtum indignè; ergo nullo modo committendum eſt præcipuè à Sacerdote, (in quo ſolùm eſt facultas, atque poteſtas conſecrandi panem, & per conſecrationis verba convertendi illum in Chriſti corpus) miniſtrare hoc Sacramentum. Committeret ergo Sacerdos peccatum Idololatriæ, quando daret peccatore occulto hoſtiam non conſecratam; nam quantum in ſe eſt, populo fieret occaſio idololatrandi, qui populus, ſc. quamvis peccatum idololatriæ non incurreret, æſtimans probabiliter hoſtiam eſſe conſecratam, tamen Sacerdos in hoc ipſo, quod hoſtiam non conſecratam populo exhiberet adorandam, idololatriæ crimen incurreret.

Unde hoc in nullo caſu eſt faciendum, ut hoſtia non conſecrata exhiberetur uni, vel pluribus, tamquam conſecrata; & hoc eſt, quod dixit Divus Auguſtinus, (n) nemo carnem Chriſti manducet, niſi prius adoret: Si ergo caro Chriſti in hoc Sacramento adoranda eſt, utpote in illo realiter exiſtens, antequam manducetur ab hominibus, ſive juſtis, ſive injuſtis per peccatum, quomodo poſtea hominibus peccatoribus peccato occulto vel deneganda erit caro Chriſti, vel porrigenda erit per hoſtiam non conſecratam?

n in Pſ. 98.

Conſideret Sacerdos, quod graviſſimè peccaret, nam in Sacramentis Eccleſiæ nihil eſt per fictionem agendum, præcipuè verò in Sacramento Altaris, in quo totus Chriſtus continetur, eſſet autem quædam fictio, ſi hoſtia non conſecrata loco conſecratæ daretur; quam fictionem exercendo Sacerdos multò magis peccaret ipſe, quàm peccator indignè ſumens, & à Divo Thoma (o) vocatur ſtultus ipſe Sacerdos, qui hoc faceret; unde ait, ſtultus eſſet Sacerdos, ſi ut vitaret peccatum ſubditi, ipſe gravius peccaret fictionem faciens in Sacramento veritatis.

o quodl. 5. q. 6. a. 2. ad 1

Et in capite de homine extrà de celebratione Miſſarum habetur, licet is, qui pro ſuicri minis conſcientia reputat ſe indignum, graviter peccet, ſi ſe ingerat; gravius tamen videtur offendere, qui fraudolenter illud præſumpſerit ſimulare, ſimularet utique Sacerdos dando hoſtiam non conſecratam loco conſecratæ, & ſimulando tale factum graviſſimè peccaret, quia etiam tunc offenderet Deum, ſimul ac proximum, quod eſt graviſſimè peccare. Qua de cauſa ne hoc peccatum committat ipſemet Sacerdos, & ex alio capite deſideret ſalutem animæ peccatoris, poterit per viam admonitionis, occultæ tamen, peccatorem occultum monera, dummodò ſit conſcius peccati; vel etiam inſinuando omnibus in generali, & hoc publicè, nè ad menſam Domini accedant, antequam de peccatis pæniteant, & Eccleſiæ reconcilientur, ut expreſsè intendit etiam Concilium Tridentinum, (q) cujus verba jam paulò ante recitata fuere; afferendo etiam exemplum Chriſti Domini, qui & ipſe monuit priùs occultè peccatorem occultum inter ſe, & ipſum ſolum, ſc. in corde ejus, per hoc, quod dixit, unus veſtrum me traditurus eſt, væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur, bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo illæ, ſic enim faciendo ſuum adimplebit officium, & hoc quantum ſe tenet ex parte Sacerdotis.

q ſeſſ. 13. c. 7. can. 11.

Ex parte verò peccatoris, dicendum eſt, quod potius debet peccator eligere infamari, quàm ad menſam Domini accedere indignè, juxta Divum Thomam, (r) pejus eſt peccatori occulto peccare mortaliter ſumendo corpus Chriſti, quàm infamari, & hoc quantum eſt ex ſe; non autem quantum ſpectat ad alios, idcircò non eſt dandum corpus Chriſti alicui, ut deveniatur ad criminis manifeſtationem; ob hoc etiam abrogantur omnia decreta in contrarium jubentia; & de facto per Stephanum Papam (ſ) habetur, ut referr Divus Thomas, ferri candentis, vel aquæ ferventis examinatione confeſſionem extorqueri à quolibet, Sacri Canones non concedunt. Spontanea enim confeſſione, vel teſtium approbatione publicata delicta commiſſa ſunt regimine noſtro iudicare; occulta verò, & incognita, illi ſunt relinquenda, qui ſolus novit corda filiorum hominum.

r 3. p. q. 80. a. 6. ad 2. ſ ib. ad 2.

Rurſus habetur alio in loco à Divo Thoma citato ibidem, quod in omnibus talibus videtur eſſe Dei tentatio, ac proinde ſine peccato fieri non poſſunt; & gravius videretur, ſi in hoc Sacramento, quod eſt inſtitutum ad remedium ſalutis, aliquis incurreret judicium mortis. Et ideò ſic concludit Divus Thomas, nullo modo corpus Chriſti debet dari alicui ſuſpecto de crimine, quaſi ad examinationem; ſed ſolus ipſemet homo debet probare ſeipſum, ut dignè, vel indignè ſit acceſſurus ad menſam Domini, ut de pane illo edat, & de calice bibat. Conſiderare etiam debet, quàm magna differentia ſit, ac reperiatur inter menſam à menſa, & diſcernat, quod iſta Sacra eſt, alia profana, illa ſpiritualis, iſta tantumodò corporalis; in illa manducatur panis cæleſtis, in iſta manducatur panis communis, in illa firmiter credi debet, eſſe verum corpus Chriſti, & ſanguinem ejus pro nobis effuſum, ut peccata noſtra remitterentur; in iſta (utinam non eſſet dubitandum,) cibus, & potus convertuntur in luxuriam, & ebrietatem, nam & in iſta effunditur vinum, ut peccata augeantur; juxtà illud Eccl. (t) vinum multum potatum, irritationem, & iram, & ruinas multas facit.

t cap. 31.

Et rurſus ebrietatis animoſitas, imprudentis offenſio minurans virtutem, & faciens vulnera, & venter ſaturatur carnibus, ignorantes, ſive ad nihilum animadvertentes, quod dùm venter in ingluviem tenditur, virtutes animæ per luxuriam deſtruuntur inquit Gregorius; & Divus Hieronymus ad Jovinianum dixit, eſus carnium, & potus vini, ventriſque ſaturitas, ſeminarium libidinum eſt.

Abſtineant ergo à cibo ſuperfluo ille, qui acceſſurus eſt ad menſam illius agni immaculati, quantum poteſt, ut evitetur occaſio incidendi non ſolùm in peccata luxuriæ propter turpes cogitationes, & vehementes motiones ſenſus, cui de facili adhæret voluntas, propter hoc & peccatum committitur, ſicut docet Divus Thomas, (u) frequentius peccatum

u 1. 2. q. 98. art. 7.

catum mortale accidit circa turpes cogitationes propter facilitatem conſenſus : verùm etiam ne facilùs cadat in pollutione nocturna , quæ licet ex neceſſitata non impediat hominem ab hujus perceptione Sacramenti , niſi quando eſt cum peccato mortali , de cujus ſolius ratione eſt, ut aſſerit Divus Thomas,
x ibid (x) impedire hominem à ſumptione hujus Sacramenti , impedire tamen poteſt illum ab ejus ſuſceptione propter quamdam immunditiam corporalem, quæ quantum eſt de ſe, habet diſtrahere mentem propter obumbrationem rationis, quæ accidere ſolet in illo actu, & conſequenter impedit , ne quis propter illam cum magna devotione, ſummaque reverentia, ſicut decet, ad ſacrum altare accedere debuerit : & hoc quantum ſpectat ad illos, qui Sacerdotes , Clerici, vel etiam laici non conjugati , vel profeſſi in aliqua religione ſunt . Nam quantum ad illos , qui matrimonii vinculo juncti ſunt, debent ob eamdem reverentiam aliquos dies à concubitu abſtinere : exemplum habemus de Davide, qui cum accepturus eſſet panes propoſitionis à Sacerdote, ſe , & pueros ſuos ab uxorum conjugio tres ipſos dies profeſſus eſt; ſicut legitur in lib Regum (y) nunc ergo ſi quid ha-
y 1. Reg. c. 21 bes ad manum , vel quinque panes da mihi , aut quidquid inveneris. Et reſpondens Sacerdos ad David, ait illi, non habeo laicos panes ad manum , ſed tantùm panem ſanctum , ſi mundi ſunt pueri , maximè à mulieribus, & reſpondit David Sacerdoti , & dixit ei, equidem ſi de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri, & nudius tertius , quando egrediebamur , & fuerunt vaſa puerorum Sancta . Idcircò Divus Hieronymus ait, ſi panes propoſitionis ab his , qui uxores tetigerant, comedi non poterant, quantò magis panis, qui de Cælo deſcendit , non poteſt ab his, qui conjugalibus paulò ante hæſere complexibus violari , atque contingi ? non quod nuptias condemnemus, ſed quod eò tempore , quo carne agni manducaturi ſumus, vacare carnalibus operibus non debemus. Et Divus Tho. præci-
z q. 64, ib. puè, (z) inquit abſtinere debent conjugati de percipienda Sacra communione, quando non amor procreandæ ſobolis, ſed voluptas dominatur in opere , nam tunc etiam ſecundum Gregorium prohiberi debet , ne accedant ad hoc Sacramentum.

Diximus, quod pollutio nocturna , ſine peccato tamen mortali, habet impedire ex quadam congruentia ſumptionem hujus Sacramenti ob immunditiam, quam ſecum affert; & modò addimus, dummodò non ſit diuturna, vel perpetua immunditia; ſic enim impedire non debet ſumptionem Sacramenti Euchariſtiæ; diuturna autem , vel perpetua immunditia eſt, ut fluxus ſanguinis , lepra , & hujuſmodi ad differentiam veteris legis, in qua illi, qui patiebantur & ſubjiciebantur talibus immunditiis corporalibus , Immundi erant: propter quod dicitur ex D. Greg. (a) quod
a in Ep. ad Aug. Angl. Episc. hujuſmodi immunditiæ, ſi ſint perpetuæ , vel diuturnæ non impediunt ſumptionem hujus Sacramenti ſalutaris, ſicut impediebant acceſſum ad Sacramenta figuralia , & hoc quia in veteri teſtamento aliqui polluti dicebantur figuraliter, quod populus novæ legis ſpiritualiter intelligit .

Non ſic autem de immunditia corporali, quæ citò tranſit , ut eſt pollutio nocturna, de qua ſicut le-
b cap. 15 gitur Levit. (b), vir, de quo egreditur ſemen coitus, lavabit aqua omne corpus ſuum , & immundus erit uſque ad veſperum, & expreſſiùs Deuteron. (c) ſi
c cap. 23 fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus ſit ſomnio egredietur extra caſtra , & non revertetur, priuſquam ad veſperum lavetur aqua, & ideò ſicut prohibebantur, ne viri ingrederentur caſtra ob immunditiam pollutionis nocturnæ , ità pariter modò prohibentur, ne homines accedant ad Sacram Communionem immundi immunditia pollutionis nocturnæ uſque ad ſequentem diem , hoc autem ſecundum quamdam conſequentiam , nam ſi adſit neceſſitas , ut in Sacerdotibus, in caſu non ſumus , ſicut docet
d 3 p. q. 80 a. 7 ad 2. Divus Thomas, (d) hoc impedimentum, quod ex congruitate provenit , poſtponi debet propter aliquam neceſſitatem, puta quando fortaſſe aut dies feſtus exigit, aut exhibere miniſterium pro eò, quod Sacerdos alius deeſt, ipſa neceſſitas compellit . De qua Deo dante fuſius.

Diximus, quod abſtinere debet acceſſurus ad Sacram cōmunionem à cibo ſuperfluo ob immunditias corporales, quæ propter ventris ſaturitatem oriri ſolent ; ex qua et pollutiones nocturnæ , & turpes cogitationes depravantes corda hominum reddunt ipſos ineptos, vel ex quadam congruitate, vel ex neceſſitate propter peccatum mortale, in quod de facili habuntur homines per diſtractionum aſſiduitatem, per quas mens fatigata cedit violentiæ ſenſuum: & modò addimus unà cum Divo Thoma , (e) quod e 3 p. q. 80 a. 8.
non tantùm acceſſurus ad Sacram communionem debet ſe abſtinere à cibo ſuperfluo , verùm etiam à quacumque ſumptione cibi, & potus ita ut, & ſervari debeat jejunium Eccleſiæ , quod inſtituitur ad carnis macerationem , & quod magis eſt abſolutè, ut ſervetur jejunium naturæ , quod importat privationem cujuſcumque præaſſumpti per modum cibi, vel potus, hoc ergo jejunium naturæ ſpecialiter requiritur ad hoc Sacramentum , hoc autem non ex vi Sacramenti, ſiquidem manifeſtum eſt , quod Dominus Jeſus poſtquam cænavit , hoc Sacramentum inſtituit , & illud tradidit diſcipulis ſuis, ut habetur ex Luca ſimiliter (f) & calicem , poſtquam cænavit dicens , f cap. 22
hic eſt calix novum teſtamentum in meo ſanguine ; & ut colligitur ex Divo Auguſtino , (g) Salvator, g in l. Reſp. ad Ian. ep. 118 c. 6
ut vehementius commendaret myſterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus , & memoriæ diſcipulorum , & ideò non præcepit, quod deinceps tali ordine ſumeretur , ut Apoſtolis , per quos Eccleſias diſpoſiturus erat , ſervaret hunc modum . Benè tamen ex præcepto Eccleſiæ , à qua præcipitur , ut jejuni ad Sacram menſam accedere debeant fideles ob maximam hujus Sacramenti reverentiam .

Idcircò quænam reverentia præſtaretur huic Sacramento , ſi prius intraret in os hominis , vel in ejus ſtomachum aliquo cibo , vel potu infectum ! Mundum eſt ſine dubio hoc Sacramentum , ergo & præparatio non tantùm animi, ſed etiam corporis munda eſſe debet ; ac proinde ſicut non licet ante ſumptionem hujus Sacramenti habere animum immundum , ita nec pariter licebit ante ſumptionem ejuſdem habere ſtomachum infectum aliquo cibo, vel potu.

Nec per hoc talis reverentia ceſſat , ſi poſt ſumptionem Euchariſtiæ ſumatur cibus , aut potus , ut benè docet Divus Thomas, (h) maxima utique de- h ib. ad 6
votio requiritur in ipſa ſumptione hujus Sacramenti , quia tunc percipitur ejuſdem Sacramenti effectus , quæ quidem devotio magis impeditur per præcedentia, quàm per ſequentia, & ideò magis eſt inſtitutum, quod homines jejunent ante ſumptionem hujus Sacramenti , quàm poſt . Quia de facto quænam reverentia eſſet , immò præſtaretur huic Sacramento, ſi ventre pleno ſumeretur caro Chriſti? nonne videretur eſſe maxima irreverentia accedere ad hoc Sacramentum cum periculo vomitus, & ebrietatis ? certum enim eſt , quod hæc quandòque contingunt ex hoc, quod homines inordinatè cibis utantur .

Quænam reverentia eſſet , & præſtaretur eidem, ſi quis ante ſumptionem illius intenderet accipere aliquam medicinam etiam in quacumque parva quantitate ob refrigerium corporis , priuſquam acciperetur medicina iſta cæleſtis ob animæ refrigerium ? Nonne anima plus eſt, quàm eſca ? Nunne prius quærendum eſt regnum Dei , ut habetur ex Matt.
(i) primum quærite regnum Dei, & hæc omnia ad- i cap. 6
jicientur vobis, ubi ut tu vides , ſpirituale præponitur his temporalibus; ergo nolumus eſſe ſoliciti de corpore dicendo , quid manducabimus , aut quid bibemus, aut quo operiemur? ſed ſolicitiores eſſe debemus de

charitate

charitate Deì, quæ manifeſtatur maximè in hoc Sacramento, unde iſta debet prima baſis, fundamentum eſſe in cordibus noſtris, & ob id docet Divus Thomas, (*l*) quod poſt aſſumptionem aquæ, vel alterius cibi, aut potus, vel etiam medicinæ in quantumcumque parva quantitate non licet hoc Sacramentum accipere.

l ib. ad 1.

Nec refert, utrum aliquid hujuſmodi nutriat, vel non nutriat, aut per ſe, aut cum aliis, dummodo ſumatur per modum cibi, vel potus.

Quod tamen non eſt dicendum de reliquiis ciborum, remanentium in ore, iſti namque ſi tranſglutiantur, non impediunt ſumptionem hujus Sacramenti, quia non trajiciuntur per modum cibi, ſed per modum ſalivæ. Eademque eſt ratio de reliquiis aquæ, vel vini, quibus os abluitur, dummodò non trajiciantur in magna quantitate, ſed permixtæ ſalivæ, quod vitari non poteſt. Advertant tamen iſti ſic facientes, quod etiam maxima diligentia eſt facienda, ne cauſa permixtionis ſalivæ negligatur id, quod ab Eccleſia præcipitur ob reverentiam tanti Sacramenti.

Item facienda eſt maxima reverentia circa tempus, quod prohibetur ab Eccleſia, ne ſcilicet aliquo cibo, vel potu veſcatur. Idcircò ſcire omninò debent, quod Eccleſia Romana, (quidquid dicant alii), intendit, & vult, quod dies à media nocte incipiat, poſtquam ſi quis per modum cibi, vel potus aliquid ſumpſerit, non debet ullo modo ſumere corpus Chriſti ob reverentiam, quæ illi debetur. Cæterum ex hoc non intendit prohibere ſumptionem Euchariſtiæ illis, qui poſt mediam noctem non dormierint, & conſequenter indigeſti permanſerint, ſiquidem eſſe ſupra præceptum non intendit. Admonet nihilominus omnes fideles, Sacerdotes præcipuè, ut dormiant, ut per ſomnum digerere poſſint cibum, vel potum, ne propter continuatam vigiliam digeſtionem non facientes eorum mentes perturbationem patiantur per quam reddantur poſtea inepti ad ſumendam Sacram Euchariſtiam.

Ab omnibus his excipiuntur Infirmi, illi videlicet, qui in periculo mortis conſtituti ſunt, nam iſti ſtatim communicandi ſunt etiam poſt cibum, ne ſine communione fideles ex hac vita decedant, ut præceptum Domini impleatur, quod præceptum prævalet ordinationi Eccleſiæ præcipienti, ne hoc Sacramentum ſumatur poſt cibum, vel potum, & in confirmationem hujus habetur illud de Conſecr. diſt. 2. (*m*) Presbyter infirmum ſtatim communicet, ne ſine communione moriatur; ergo videtur manifeſtum eſſe, quod jus Eccleſiaſticum cedit juri divino: Etenim Chriſtus Dominus præcipit ſumptionem hujus Sacramenti abſolutè, non conditionatè, videlicet ſi jejuni ſint fideles, aut non, ſicut patet dixiſſe in illo Joannis, (*n*) niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.

m Canon. Presb.

n cap. 6

Præceptum eſt, & quatenus præceptum cadit in omnibus illis, qui perfectum uſum rationis habent, & verè compotes ſui ſunt; & cui ſubjiciuntur etiam illi, qui debilem uſum rationis habent; & ideò qui perfectum uſum rationis habent, tenentur ex præcepto Domini hoc Sacramentum Euchariſtiæ ſumere, ſicut tenentur ex præcepto Sanctæ Matris Eccleſiæ, & tenentur etiam, quatenus fideles illud ſumere, ut teſtes fideles ſint, nam qui credunt in nomine ejus, hi teſtimonium habent in ſeipſis, nec tantùm tenentur ſumere corpus Chriſti, verùm etiam magnam rationem concipere de hoc Sacramento, qua de cauſa accedentes iſti ad Sacrum Altare cum magna reverentia digni conſiderari debent à Sacerdote, ut eis detur, & nullo modo denegetur Sacra communio, ſicut nec eſt etiam deneganda eis, qui debilem uſum rationis habent, & hoc quia, ut ait Divus Thomas, (*o*) tales poſſunt utique aliquam cognitionem hujus Sacramenti concipere.

o 3. p. q. 80 a. 9

At illis, qui totaliter uſu rationis caruerunt, numquam eſt exhibendum corpus Chriſti, cum iſtis nec præceſſerit cognitio, nec præceſſerit devotio erga hoc Sacramentum, & iſti vocantur amentes, & inſani abſolutè, & ſimpliciter, utpotè quia illam inſaniam à nativitate habuerunt, ad differentiam illorum, qui licet inſani, & amentes, non ſemper caruerunt uſu rationis ob aliquod lucidum intervallum, per quod aliquando redduntur capaces ſumptionis Euchariſtiæ; non enim ſtante aliquo lucido intervallo privati ſunt omni devotione, & conſequenter nec devotione hujus Sacramenti, quod jam fide perceperunt. Quapropter licet Sacramenta dare minimè oporteat illis, qui alieni ſunt à pietatis ſenſu, nihilominus tamen ſi tunc prius, quando erant compotes ſui, apparuerit in eis devotio huius Sacramenti, debet eis in articulo mortis illud exhiberi, dummodò tamen nullum periculum vomitus, vel expuitionis, vel alterius incommodi timendum ſit, juxta decretum Concilii Cartagh. (*p*) is, qui in infirmitate pœnitentiam petit, ſi caſu, dùm ad eum Sacerdos invictus venit oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim converſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, etſi continuè creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia.

p Concil. Cart. 4. ca. 76.

At de pueris quid dicendum ſit? adminiſtrari debet illis Sacra Euchariſtia, nec ne? docet Divus Thomas, (*q*) quod eadem eſt ratio de pueris recenter natis, ac de amentibus, qui numquam habuerunt uſum rationis, ac proinde ſicut iſtis non ſunt ſacra myſteria danda, ita nec illis; Non enim diſcernere poſſunt propter imbecillitatem ætatis panem iſtum cœleſtem à profano, & cum neſciant illum diſtinguere à communi, neſciunt conſequenter tribuere reverentiam, afferre pietatem, ac devotionem ad dignè ſumendam ipſam Sacram Euchariſtiam.

q 3. p. q. 80 a. 6 ad 1

Ex eo, quod pueri carentes uſu rationis inter fideles computentur, ſubiici non debent præcepto Eccleſiæ ſtatuentis, quod omnes fideles utriuſque ſexus accipere debent reverenter Sacram communionem, quia benè conſideranti patebit, quod ab Eccleſia additur, cum ad annos diſcretionis pervenerint: cum autem pueri recenter nati, impoſſibile ſit, quod ad annos diſcretionis pervenerint, hinc eſt, quod non cadunt iſti ſub Eccleſiæ præcepto, iuxta etiam Concilium Tridentinum (*r*) parvuli nulla neceſſitate obligari poſſunt ad Sacramentalem communionem, ut legitur, docet Sancta Synodus, parvulos uſu rationis carentes nulla obligari neceſſitate ad Sacramentalem Euchariſtiæ communionem; taliter quod ſi quis dixerit, parvulis, antequam ad annos diſcretionis pervenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem, anathema ſit.

r ſeſſ. 21. c. 4

ib. can. 4

Nota tamen, quod à Sacra Synodo dicitur, nulla neceſſitate obligari parvulos ad Sacramentalem Euchariſtiæ communionem, eò quia nec reprobat, nec damnat per hoc antiquam conſuetudinem, quæ in aliquibus locis ſervabatur, ut etiam infantibus Sacram Euchariſtiam præberent, voluit tamen ſolùm eſſe ceſſandum ab hac conſuetudine propter reverentiam Euchariſtici panis, cum ille non ſit porrigendus, niſi illis, qui cum pietatis officio illum ſumunt. Sicut, nota, quod ex eo, quod auctoritate Eccleſiæ, id fieri deſiit, non patiuntur pueri fideles aliquod detrimentum, ſiquidem, ut ait Divus Auguſtinus, (*s*) tunc unuſquiſque fidelium corporis, & ſanguinis Domini particeps fit, ſ. ſpiritualiter, quando in baptiſmate membrum corporis Chriſti efficitur.

s ad Bonif. c. nulli.

Si autem inquiratur, quænam erit neceſſaria ætas in pueris ad hoc, ut cum pietatis ſenſu habeant ſumere Sacram Euchariſtiam?

Ad hoc dicitur, quod quamvis de ætate puerorum percipientium Sacramentum hoc, nemo meliùs poſſit conſtitui, quàm Pater carnalis, & Pater ſpiritualis, ſub cuius tutela vivunt, & ſub cuius prudentia confitentur peccata, attamen, ut etiam colligitur ex Divi Thomæ doctrina, (*u*) iſta ætas videtur eſſe decem annorum, cum per hanc ætatem iam incipiant

u ib. ad 3

Google

piant aliqualem uſum rationis habere, ut poſſint devotionem concipere erga hoc Sacramentum, & tunc poteſt eis Sacrum Chriſti corpus conferri. Nec parentes reſiſtere debent, maximè quando ſiunt certi, quod filii ſui ſciant diſcernere panem ſpiritualem à corporali, & præparare ſeipſos, ut cum humilitate, ac ſanctitate ad hoc Sacramentum percipiendum accedant; ſicut & confeſſarii reſiſtere non debent, quando habent evidentiam de illis, quod credant in Deum, quod fateantur Trinitatem eſſe in perſonis, & unitatem in eſſentia, quando ſciunt, & credunt in illis myſteriis, quæ omnes idiotæ, & populares ſcire tenentur, ut quod Beatiſſima Virgo Mater Dei fuerit virgo *ante*, in, & poſt partum, quod Chriſtus ſit verè filius Dei, quod fuerit paſſus pro nobis, crucifixus, & mortuus, ſepultus, & tertia die quod reſurrexerit, ut non amplius moriturus.

Animadvertant etiam parentes, ne ab ipſis nimia adhibeatur cautela in exponendis filiis, ac filiabus ſuis propter ætatem decem annorum ad communionem accipiendam, ſiquidem aſſeveranter dicimus unà cum Concilio Tridentino approbante hanc ætatem decem annorum, talem cautelam eſſe omnimodè tollendam; tollitur ergo iſta nimia cautela, (ne incuria dicatur) à parentibus, niſi velint, quod in ſeipſis peccatum negligentiæ refundatur; certum enim eſt, quod parentes ioeauti peccant, & filii à peccato excuſantur, ut notat etiam Cajetanus hìc docendo, diſciplina ætatis eorum exigit, ut majoribus ſuis pluſquam ſibi ipſis & credant, & pareant.

Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Propter quæ verba Chriſti Domini nos manducare debemus panem hunc, ut præceptum Domini ſervatur, & impleatur. Verumtamen de tempore, quo implendum ſit hoc præceptum, nos in præſenti ſeculo exiſtentes verecundari debemus de temporibus anteactis. Olim namque ab Eccleſia ſtatutum erat, ut quotidiè fideles communicarent, & hoc motivo ſanctitatis, devotionis, & maximæ charitatis, in primitiva, ſcilicet Eccleſia fideles zelo, & charitate ardebant; vigebat in ſummo devotio, onde orationes, ſine intermiſſione fiebant, ſanctitas in Eccleſia Dei fulgebat, nam tunc temporis ſemper parati ad pugnam cum tyranno videbantur in Chriſto fideles, & ille ſexus, qui fragibilis modò videtur eſſe, fortior apparebat, etſi ad martyrium ducebantur, jucundè ferebantur, & lætabantur, ut ad nihilum redigerentur propter amorem Domini Dei ſui. Paſtores Eccleſiæ tunc videbantur animam ſuam ponere pro conſtantia fidei, & pro ovibus ſuis ſervantes documentum Chriſti, qui dixit in Joannem, (*x*) ego ſum paſtor bonus, bonus paſtor animam ſuam ponit
x cap. 10. pro ovibus ſuis. Et charitas erga Deum, & proximum maximè in omnibus præfulgebat, edocti enim
y 2. c. 5. erant à Paulo dicente ad Cor. (*y*) Charitas Chriſti urget nos. Medio autem tempore diminuto fervore fidei, (ne dicam ſpei, & charitatis,) ſtatutum fuit, ut ter in anno omnes fideles communionē acciperent in Paſcha, Pentecoſte, & Natali Domini. Noſtris tandem temporibus ob refrigeſcentem omninò charitatem; & ob abundantiam iniquitatis multorum ſtatutum fuit in Concilio Lateranenſi, & confirmatum à Concilio Tridentino, ut ſaltem ſemel in anno, in Paſcha, ſcilicet fideles communicent; ut advertit etiam D. Th. (*z*) ex quibus ſatis conſtat, quod hęc
z 3. p. q. 80 a. 6 ad 5. omnia ſtatuta fuere, ut hoc præceptum Domini, niſi manducaveritis, &c. ab omnibus fidelibus adimpleri poſſet.

Sed dato, quod à fidelibus adimpleatur illud, quod ſtatutum fuit à Concilio Lateranenſi, (quod otinam fideliter, ac firmiter eveniret his temporibus propter omnimodam charitatis diminutionem non ſolùm erga proximum, ſed quod pejus erga Deum.) Modò mihi licitum ſit aſſerere, quod multi ſunt, qui nominantur fideles, qui tamen in re infidelibus pejores ſunt. Nam infideles, de quibus conſtat dictum fuiſſe, Ioannis, (*a*) non noverunt Patrem, a cap. 16
neque me, ſicut non cognoſcunt Deum, ita nec tenentur ejus obedire mandatis. Fideles utique profitentur cognoſcere Deum, ſed poſtea ejus mandata non obſervant, & de iſtis etiam dictum fuit, Iſajæ, (*b*) Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum b cap. 29.
longè eſt à me; ergo ſcandalizari de infidelibus non debemus, ſi Deum non diligant, ſi neſciant, quod Deus Charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, (*c*) & Deus in eo, ſcandalizari utique debemus de fidelibus, qui ſpernunt ipſum Deum c 1. p. c. 4.
ob dilectionem creaturarum, de qoibus etiam dicitur Joannis, (*d*) ſervierunt creaturæ potiùs, quàm d Rom. 1.
Creatori.

Infideles à fidelibus nominantur, atque dicuntur barbari, inhumani, atque crudeles ob depravatos mores; & hoc abſque conſideratione, quod nos fideles pluſquam barbari ſumus erga proximum, quem tenemur ex præcepto Dei diligere, ſicut ſcriptum eſt, Matth. (*e*) diliges proximum tuum, ſicut teipſum; e cap. 22
taliter quod de fidelibus repeti poteſt illud, quod in libr. Pſalm. (*f*) ſcriptum repetitur, viduam, & ad- f Pſ. 93
venam interfecerunt, & pupillos occiderunt propter hæreditatem capiendam.

Pluſquam inhumani ſumus, quia mercedes pauperum ſoluimus injuriis, atque flagitiis contra præceptum Domini, Deuter. non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, & ſanguinem innocentem condemnamus. Infidelibus crudeliores ſumus, nam & juſtitia pervertitur, avaritia abundantiores ſumus, pleni dolo, & iniquitate, ſervientes luxuriis, tamquam alteri Deo, ita ut de nobis legatur illud, Deut. (*h*) generatio enim perverſa eſt, & infi- h c. 32
deles filii.

Sic diminuta eſt charitas fidelium, ut fas etiam non eſt amplius quærere, ſi liceat quotidie hoc Sacramentum à fidelibus ſuſcipi, cum iſti ingrati erga Dominum, qui panem de cælo eis præſtitit, veluti cum Hæbreis in ſolitudine murmurantibus dicent, i cap. 21
(*i*) Num, anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo; dabatur enim populo illi Judaico quotidiè manna, & quantum ſufficere poterat ad veſcendum, ne morererur in ſolitudine; ob hoc legitur in Exodo, quod Moyſes (*l*) quod dixit populo, hic eſt panis, l cap. 16
quem Dominus dedit vobis ad veſcendum.

Et quid ſignificatur per Manna? niſi hoc Sacramentum, ut aſſerit Divus Thomas, in hoc Sacramento traditur nobis memoriale Dominicæ paſſionis per modum cibi, qui quotidie ſumitur, & ideò quantum ad hoc ſignificatur per Manna; quod quotidie dabatur populo in deſerto. Quapropter ſicut quotidiè manducabant manna Judæi, quod erat figura hujus Sacramenti Euchariſtiæ; quare nos ceſſaat figura manducare non deberemus quotidie hunc panem? Et meritò dicitur à Divo Thoma, quod per Manna ſignificatur hoc Sacramentum Euchariſtiæ, nam ſicut filii Iſrael tranſeuntes per deſertum verſus terram eis à Domino promiſſam Cæleſti reſocilabantur alimento, ita & nos per Mundum ad cælum pergentes corporis, & ſanguinis Chriſti quotidiano, viatico recreamur. Semel tamen, non pluries in die repreſentationem ob onitatis paſſionis Chriſti, qui ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt.

Quia tamen non panem uſitatum, ſed ſpiritualem manducamus, hinc eſt, quod licet laudabile ſit, quod ille, qui paratus invenitur ad hoc Sacramentum percipiendum, illud etiam quotidie ſumat; propter illud Auguſt. qui cum dixiſſet, accipe, quod quotidie tibi proſit, ſubjungit, ſic vive, ut quotidie merearis accipere.

Sed quæſo, quis eſt iſta, qui paratus quotidie inveniatur ad Euchariſtiam percipiendam, ut illam ſumat, & ſumendo ſic vivat, ut quotidie mereatur accipere præcipuè hiſce noſtris temporibus? Quis enim eſt iſte, qui ſic vivit, ut ſpiritualem vitam ſic ducat, ut quotidiana communione ſemper augeatur?

Certum

Certum enim eſt, quod qui quotidie meretur accipere, debet eſſe etiam ſic diſpoſitus, ut fructum Euchariſtiæ quotidiè percipiat; fructus autem ſpiritualis hujus cibi non ſolùm eſt actualis refectio ſpiritus, ſed augmentum gratiæ, ſiquidem dùm in hac vita ſumus, in ſtatu etiam augmenti ſumus. Quis ergo eſt iſte, qui nunc ſic vivit, ut quotidie mereatur accipere?

Ille forſan, qui cupidus honorum eſt, ut alios ſpernat, & diſſipet? Similis Alchimo, de quo legitur Machabæorum, (m) quod poſtquam conſtitutus fuerat à Bachide in Sacerdotium, iſte mandavit illi, ut faceret ultionem in filios Iſrael. Forſan ille, qui avidus bonorum temporalium, ut pauperes defraudet? Similis Jaſoni, de quo habetur Machabæorum, (n) quod ambiebat Summum Sacerdotium, Adito Rege promiſit & talenta argenti trecenta ſexaginta, & ex redditibus aliis talenta octoginta: Ille forſans, qui invidus bonorum alienorum eſt? nihil exiſtimando illud Proverb. (o) vir qui feſtinat ditari, & aliis invidet, ignorat, quod egeſtas ſuperveniet ei. Ille, qui aliena rapit? ignorans illud Proverb. (p) alii rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt. Ille, qui occultat malum in corde, aut qui immerſus in vitiis vivit in Mundo, ut rebus Mundi perfruatur? Ille ſic vivit, ut quotidie mereatur accipere? Neutiquam, nam & hypocritæ ſic faciunt, & Athæi ſic vivunt. Quis eſt iſte? ille forſan, qui habet oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes ſanguinem innoxium, cor machinans cogitationes peſſimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, teſtem fallacem, & ſeminantem inter fratres diſcordias? Neutiquam. (q) Quoniam hæc omnia odit Deus, tamquam horrida, & ſeptimum deteſtatur anima ejus, tamquam peſſimum. Quis eſt iſte, qui ſic vivit, ut quotidie mereatur accipere? ille, qui facinoroſus exiſtit, qui pacem numquam novit, qui odit bonum, aut qui quærit malum? Nec iſte in rei varitate ſic vivit, ut quotidie mereatur accipere? Ergo quis eſt ille? Ille forſan, qui divino amore accenſus, citò profert, tecum paratus ſum, & in carcerem, & in mortem ire? Iſte videtur, quod ſic vivat, ut quotidie mereatur accipere. Et de facto ſic erit, quando tamen approximante una, vel altera ancilla ad aſpectum illius amor divinus à corde non recedet, & amor mundanus non prævalebit. Quit enim ſunt, qui cum Petro dicunt, etſi oportuerit me mori tecum, non te negabo, & poſtea ad intuitum quarumdam fæminarum præſtò etiam dicunt; neſcio, quid dicis, non novi hominem, & cum juramento approbant etiam ſuam negationem.

m l. 1. c. 7
n l. 2. c. 4
o cap. 28
p cap. 11
q cap. 6

Utinam cum Petro & pœnitentiam agerent! Ergo qui puro corde non eſt, non audeat ſumere corpus Chriſti quotidie, ne forte cum Juda dicat, utique peccavi, ſed quia abſque contritione, hinc eſt, quod & ipſe tradit ſanguinem juſtum propter ſacrilegium, quod committit; ergo accedens ad hanc menſam quotidie, debet & quotidie eſſe paratus, ut quotidie ſibi prodeſſe poſſit, juxta etiam Divum Auguſtinum dicentem, iſte panis quotidianus eſt, accipe quotidie, ut quotidie tibi proſit; prodeſt autem illi, qui quotidie ſe ad hoc paratum invenit, ac proinde, inquit Divus Thomas, (r) laudabile eſt, quod quotidie ſumat.

r 3. p. q. 80. a. 10.

Verùm cum multoties in pluribus multa impedimenta hujus devotionis occurrant ob corporis, vel animæ indiſpoſitionem, ideò non eſt utile omnibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere; Unde reſtat, quod conſolantur iſti, qui patiuntur tales diſpoſitiones, ut frequenter Sacram communionem ſumant, ut legitur in lib. de Eccleſiaſticis (ſ) dogmatibus, ubi legitur, conſulitur omnibus diebus Dominicis eſſe communicandum.

ſ cap. 53

Subdit poſtea Divus Thomas, quotieſcumque autem ſe ad illud homo invenerit præparatum, quotidie ſumat hoc Sacramentum, præparanda ergo ſunt noſtra corda, ut dignè ſumamus Chriſti corpus, nam Ipſemet tribuit ſemetipſum pro nobis in hoc admirabili Sacramento, ut pignus noſtræ ſalutis acciperemus, ſicut habetur etiam ex Concilio Tridentino, (t) pignus præterea id eſſe voluit futuræ noſtræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis à Deo; ergo illi ſerviamus in ſanctitate, & juſtitia omnibus diebus noſtris, ut poſtea mereamur manducare ſpiritualiter illum in Patria, fruendo de ejus viſione, in quem deſiderant ſemper Angeli proſpicere.

t ſeſſ. 13. c. 2

Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Hoc maximum præceptum Domini eſt, ob cujus maximam dignitatem omnes tenentur illi præſtare. Omnes, inquam, ſive ſint adulti, ſive ætatis decem annorum, ſufficit enim, ſicut dictum fuit à Concil. Lateranenſi, & Tridentino, quod ad annos diſcretionis pervenerint, ut hoc præceptum Domini adimplere teneantur. Sive etiam ſint pueri, qui tamen recenter nati licet ob nullius uſus rationis cauſam Sacramentaliter obligentur aliqua neceſſitate ad Sacram Communionem, nihilominus tamen ſpiritualiter corpus Chriſti in voto manducant, ex eo, quod per baptiſmum efficiuntur membra Chriſti, juxta Divum Thomam, (u) ſpiritualis manducatio, inquit, includit votum, ſive deſiderium percipiendi hoc Sacramentum. Unde ſine voto percipiendi Sacramentum iſtud, nequit eſſe homini, (intellige cujusvis ſtatus, aut conditionis) ſalus.

u 3. p. q. 80 a. 11.

Etenim pueri in illo ſtatu puerilitatis ſunt membra Chriſti, adeòque illi incorporari debent; quod non eſſet, ſi ſpiritualiter non manducarent hunc panem per votum, quod in baptiſmo ab omnibus fit. Fruſtra autem eſſet hoc votum, ſi ab adultis non adimpleretur, quando opportunitas adeſſet, hoc eſt, quando opus eſſet; non enim opportunitas hic ſumitur pro commoditate ſola, ſed pro commoditate juncta neceſſitati, cui omnes in ſtatu, ſcilicet adulto ſubjiciuntur, juxtà Divum Thom. (x) quantum verò ad adultos utrumque Sacramentum baptiſmi, & Euchariſtiæ eſt neceſſitatis, non quia ſit præceptum Eccleſiæ ſtatuentis ſaltem in anno eſſe ſumendam ſacram communionem, ſed quia eſt ex mandato Chriſti ſic præcipientis, hoc facite in meam commemorationem: Quænam autem commemoratio hujus Sacramenti à cunctis fidelibus fieret, ſi vel actu, vel voto illud non perciperetur? ergo ſi eſt ex mandato Chriſti facienda, ab omnibus eſt facienda; nam per Divum Thomam omnes tenentur ſaltem ſpiritualiter manducare, ac proinde numquam licitum erit ceſſare omninò à communione etiam titulo humilitatis, ſiquidem tali titulo uti potius eſſet contemptus Domini, quàm devotio, non enim poteſt eſſe laudabilis humilitas, inquit D. Th., (y) ſi contra præceptum Chriſti, & Eccleſiæ aliquis omninò à communione abſtineat, ſed illa eſt vera humilitas, ut aſſerit Gregorius, (z) cum ad reſpuendum, quod utiliter præcipitur, pertinax non eſt.

x 3. p. q. 80 a. 11. ad 2
y ib. ad 1
z in Paſt. cap. 2

Præcipitur ergo omnibus ſumere hoc Sacramentum Euchariſtiæ cum ab omnibus ſit commemoratio paſſionis Chriſti facienda. Quæ tamen commemoratio fit per Sacerdotes conſecrando corpus Chriſti, miniſtrando illud fidelibus, ut ſumant; ob hoc enim Chriſtus Sacerdotes inſtituit, quando Apoſtolis dixit, accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum, hoc facite in meam commemorationem, ut habetur per Concilium Tridentinum (a) Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis (quos tunc novi teſtamenti Sacerdotes conſtituebant) ut ſumerent, tradidit, & eiſdem, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba, hoc facite in meam commemorationem, ut ſemper Eccleſia Catholica intellexit, ac voluit; ſicut, & decrevit, (b) ſi quis dixerit illis verbis hoc facite in meam commemorationem Chriſtum non inſtituiſſe

a ſeſſ. 22. c. 1
b ib. can. 2

Apo-

Digitized by Google

mino præceptum eſse; quia qui dixit, niſi manducaveritis carnem filii hominis, &c. dixit quoque, ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et qui dixit, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Dixit etiam, panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro Mundi vita.

Rurſus ſtatuit, quare agnoſcens Sancta Mater Ec-
e.d.c.3 cleſia hanc ſuam in adminiſtratione Sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Chriſtianæ religionis non infrequens utriuſque ſpeciei uſus fuiſſet, tamen progreſſu temporis latiſſimè, jam mutata conſuetudine, gravibus, & juſtis cauſis adducta, hanc conſuetudinem ſub altera ſpecie communicandi approbavit, & pro lege habendum decrevit, quam reprobare, aut ſine ipſius Eccleſiæ auctoritate pro libito mutare non licet.

Etſi deſideret quis ſcire, quænam ſint iſtæ juſtæ cauſæ; cum Divo Thoma aſſignabimus duas præci-
3.p.q.80 ar.12 puas; (p) Quarum prima eſt, ne ſanguis ſub ſpecie vini effunderetur in terram. Unde docet Divus Th. ex parte ſumentium requiritur ſumma reverentia, & cautela, ne aliquid accidat, quod vergat ad injuriam tanti myſterii, quod præcipuè poſſet accidere in ſanguinis ſumptione, qui quidem ſi incautè ſumeretur, de facili poſſet effundi.

Et hoc maximè quia crevit multitudo populi Chriſtiani, in qua continentur ſenes imbecilles, juvenes puſillanimes, parvuli inconſiderantes, ut ſubdit Div. Th. quorum quidam non ſunt tantæ diſcretionis, ut cautelam debitam circa uſum hujus Sacramenti adhibeant: ideò providè in quibuſdam Eccleſiis obſervatur, ut populo ſanguis ſumendus non detur, ſed ſolùm à Sacerdote ſumatur.

Ex quibus verbis jam videtur, quod etiam tempore D. Th. talis uſus communicandi laicos ſub utraq; ſpe-
in arg. v c. cie (q) abolitus non erat, cum ipſe dicat, eſt Eccleſiarum multarum uſus, in quibus populus communicandi datur Chriſti corpus ſumendum, non autem ſanguis. Per hoc autem, quod non detur ſanguis populo communicanti, non defraudantur fideles de fructu hujus Sacramenti, ſicut et decrevit Tridentinum, (r) inſuper declarat quamvis Redemptor noſter in
ſ.a.xxi.3 ſuprema illa cæna hoc Sacramentum in duabus ſpeciebus inſtituerit, & Apoſtolis tradiderit, tamen fatendum eſse, etiam ſub altera tantum ſpecie, totum atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi; Ac propterea quoad formam attinet, nulla gratia neceſsaria ad ſalutem eos defraudari, qui unam ſpeciem ſolam accipiunt; ſicut et anathematizat,
b.can.2. (ſ) ſi quis oppoſitum ſenſerit, ait enim ſi quis negaverit totum, & integrum Chriſtum omnium gratiarum fontem, & actorem ſub una ſpecie ſumi; anathema ſit.

Etſi paſſio Chriſti magis exprimatur in ſanguine, quàm in corpore, attamen non debet inſerri, potiùs eſſe abſtinendum à corporis ſumptione, quàm à ſumptione ſanguinis, ſiquidem paſſio Chriſti, immò repræſentatio Dominicæ paſſionis agitur in ipſa conſecratione hujus Sacramenti, in qua oon debet corpus ſine ſanguine conſecrari, poteſt autem à populo corpus ſine ſanguine ſumi; Ex qua ſola corporis ſumptione non ſequitur aliquod detrimentum, quia Sacerdos in perſona omnium ſanguinem offert, & ſumit, & ſub utraque ſpecie totus continetur Chriſtus, quod eſt id, quod decrevit Trid. approbans D. Tho.
3.p.q.80. a.12 ad 3. (t) doctrinam.

Secunda cauſa eſt, & decrevit ad deſtructionem hæreſis Neſtorii negantis ſub utraque ſpecie tantùm Chriſtum eſſe, ſed ſub ſpecie panis corpus totum Chriſti eſse, & ſub ſpecie vini tantùm ſanguinem, unde conſequenter aſserebat, quod ſub utraque ſpecie Sacramentum oportebat ſumi, ut integer Chriſtus ſumeretur in memoriam morti ejus; contrà quem ſtat Conc. Trid. locis paulò ante allegatis.

b. ad 2. Contra quem ſtat & doctrina Divi Thom (u) dicentis, quod perfectio hujus Sacramenti, quæ conſiſtit in manducatione corporis, & pôtatione ſanguinis, non eſt in uſu fidelium, laicorum ſcilicet, & clericorum non conficientium, ſed in conſecratione materiæ, quæ ſpectat ad Sacerdotes, ideòq; nihil derogat perfectioni hujus Sacramenti, ſi populus ſumat corpus ſine ſanguine, dummodo Sacerdos, cujus eſt ſacrificium offerre, conſecrans ſumat utrumque; quod ſi Sacerdos conſecrans ſumeret utrumque grande ſacrilegium committeret, dividendo conſecrationem ab uſu, & conſecrando utramque ſpeciem, non ſumendo utramque iuxta Gelaſium Papam:

Solus namque Sacerdos concurrit per ſe ad perfectionem tanti Sacramenti, hinc eſt etiam, quod ſolus ipſe & conſecrare, & ſumere debet, ne ſacrilegus evadat, conſecrando utramque ſpeciem, & non ſumendo eas, ſicut ſacrilegus evaderet, conſecrando tantùm panem, & non vinum.

Quapropter docet, Divus Thomas, (x) quod xib. ad 1
Gelaſius Papa dicendo, quod quidam ſumpta tantummodo corporis Chriſti potione à calice cruoris Sacrati abſtinent, qui proculdubio, quoniam neſcio, qua ſuperſtitione docentur aſtringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur; loquitur quantùm ad Sacerdotes, qui ſicut totum conſecrat Sacramentum, ita etiam toti communicare debent, ſicuti etiam habetur in Concilio Toletano, y de Conſ.
(y) quale erit ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificans c. comp.
particeps eſſe dignoſcitur: Unde & Chriſtus Dominus & carnem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub ſpecie vini tradidit Apoſtolis, quando Sacerdotes illos inſtituit, & illos in Sacerdotes ordinavit, & tunc fuit, quando illi dixit, hoc facite in meam commemorationem, conſecrando, & ſumendo ſub utraque ſpecie Sacramentum, ſic enim præcepit, ut ab illis fieret in ſui memoriam, ſicut & in Canone Miſſæ apertè apparet, quando à Sacerdote dicitur poſt conſecrationem panis, & vini, hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis; Hoc eſt, ut ait Paulus ad Corinth. (y) mortem Domini annunciabi- z.p.v.
tis, donec veniat, ad judicium, ſcilicet in fine Mundi, quouſque hoc ſacrificium perdurabit; juxta pro- a cap.28
miſſa à Chriſto Domino Matth. (a) ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi. Hinc Bernardus ſer. de cæna Domini inquit, ò ſummè pia, & verè ſuavis memoria, annunciare mortem Domini, donec veniat; Mors Chriſti opus ſine exemplo, humilitas ſine modo, donum ſine pretio, & gratia ſine merito. Cçterum non præcepit, ut aliis traderet corpus ſuum, & ſanguinem ſub utraque ſpecie

Quod ut melius percipiatur, & ut tollatur è medio omnis cavillatio hæreticorum, ſcilicet aſſerentium eſse præceptum Domini conſecrare, & tradere corpus ſuum, & ſanguitem aliis ſub utraque ſpecie. Scire debemus, quod illa verba habent triplicem vim, etiam inſtitutoria ſunt Sacramenti Euchariſtiæ, cum jam per illa habeatur vis inſtituendi hoc Sacramentum; juxta ſermonem Domini Jeſu, hoc eſt corpus meum, hic eſt calix ſanguinis mei &c. Collativa etiam ſunt poteſtatis Sacerdotalis ad conſecrandam Euchariſtiam; quoniam ipſemet dixit, hoc facite in meam commemorationem. Et denique ſunt prçceptiva non ipſius operis, ſed ordinis ad ſuam commemorationem, quod eſt præcipere ordinem operis in ſui memoria.

Deinde dicitur, quod poſito, quod præcipiatur per ipſa verba Domini ipſum opus, non propterea inſtantia hæreticorum urget, cum ly hoc non demonſtret utrumque opus, quod Chriſtus legitur feciſse, ſcilicet conſecrare, & tradere ſumendum; quia ſi ly hoc utrumque demonſtraret, ut præceptum à Domino ſequeretur, quod quilibet conſecrans teneretur ſub præcepto Domini ad hoc Sacramentum tradendum aliis, quod non eſt dicendum.

Ex his ergo clarè conſtat, quod non habetur hinc præceptum traditionis ſub utràque ſpecie, hac per

hoc

Digitized by Google

hoc non habetur hinc præceptum ſuſcipiendi ab aliis ſub utraque ſpecie. Immò dato, quod ly *hoc* demonſtraret omne opus, ſcilicet conſecrare, & ſumere, & tradere ſub utraque ſpecie, adhuc argumentum illorum non valet; eò quia hoc præceptum eſt affirmativum, præcepta autem affirmativa licet obligent ſemper, non tamen ad ſemper; ideòque videtur, quod ex hoc Domini præcepto Sacerdotes non teneantur tradere ſub utraque ſpecie (licet teneantur ſub utraque ſumere) juxta Divum Thomam docentem, (*b*) quia ad Sacerdotem pertinet hoc Sacramentum conſecrare, & perficere, hinc eſt, quod nullo modo debet corpus Chriſti ſumere ſine ſanguine, & hoc quantùm eſt ex parte ipſius Sacramenti, (niſi neceſſitas communicandi ſub utraque ſpecie advenerit, vel ſine ipſius Eccleſiæ auctoritate, ut ex Catechiſmo (*c*) Romano habetur.

b 3. p. q. 80 ar. 12.

c p. 2. n. 51.

Deinde ut tollatur omnis dubietas, dicendum eſt, quod hoc præceptum Domini nullibi invenitur à Domino traditum, niſi reſpectu Sacramenti ſub ſpecie panis tantùm, ut colligitur ex illo Lucæ, hoc facite in meam commemorationem, nam hæc verba Evangeliſta refert poſt conſecrationem panis, & ante conſecrationem vini, poſt quam nihil refert Chriſtum dixiſſe. Etſi Paulus illa referat, cum poſtquam dixerit à Domino dictum fuiſſe, accipite; & comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem, dixiſſe etiam Chriſtum poſt conſecrationem calicis, hoc facite, quotieſcumque bibetis in meam commemorationem, nihilominus tamen Paulus hæc verba referendo de calice, non dixit abſolutè, (ſicut conſtat ex illo Lucæ), ſed ſub conditione, quotieſcumque bibetis, hoc facite in meam commemorationem, ſimile huic, quod in Canone Miſſæ dicitur, hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis, hoc enim proprium munus eſt Sacerdotis celebrantis memoriam facere de Chriſto Domino, qui tradidit diſcipulis ſuis corpus, & ſanguinem, ut & hoc illi facerent, quando celebraturi ſunt; quoniam tunc pleniùs Sacramentum iſtud conficere, & conſumere debent per ſumptionem utriuſque ſpeciei; cum ergo Paulus non abſolutè ibi loquatur, ſed conditionatè, jam rectè ſequitur, quod non ſit præcepta communio Populi, niſi ſub ſpecie panis, & conſequenter benè definitum fuit à Concilio Tridentino, & benè determinatum per Divi Thomæ doctrinam, quod ſolis Sacerdotibus ineſt poteſtas, atque facultas conficiendi, conſecrandi, atque ſumendi corpus Chriſti Domini, & ejus ſanguinem, per hoc, quod illis dixit, accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum, accipite, & bibite, hic eſt calix ſanguinis mei.

d c. 22.

e p. c. 11

Aliis itaque Sacerdotibus, nullatenus verò laicis, & clericis, data fuit talis poteſtas conficiendi, conſecrandi, & ſumendi corpus, & ſanguinem Chriſti. Quidquid dicant impii, & viri diaboli Lutherus, & Calvinus; Primus namque de captivitate Babilonica ſcribit, omnes eſſe impios, qui utriuſque ſpeciei communionem laicis denegant; Secundus lib. Inſtit. (*f*) inquit, ex officina diaboli prodiiſſe conſtitutionem illam, quæ dimidiam cænæ partem, meliori populi Dei numero, vel furata eſt, vel eripuit, nempe ſymbolum ſanguinis, quod laicis, & prophanis interdictum, paucis raſis, & unctis (videlicet Sacerdotibus) in peculium ceſſit. Perverſitas horum ita prævaluit contra Eccleſiam Catholicam, ut eorum falſa doctrina, & falſa dogmata placuerint, non meliori, ſed pejori numero populi Dei, nec furata fuit dimidiata cænæ pars per conſtitutionem Eccleſiæ, quoniam tunc furata fuiſſet, quando ſub præcepto fuiſſet communio ſub utraque ſpecie laicis, atq; clericis; Quoniam manifeſtum eſt, quod id, quod cadit ſub præcepto divino, Eccleſia tollere non poteſt, adeòque nec furari, ut loquamur cum Calvino, ſicut nec eſſe impios Catholicos, dum non communicant laicos ſub utraque ſpecie; ſed eſſe pios, ac religioſos ſervantes omnia, quæ præcepit eis Jeſus;

f l. 4. c. 17 ſ. 47

qui ſicut non erravit, nec errare potuit in inſtitutione Sacramentorum, ita nec erravit circa modum ſumptionis hujus Sacramenti. Præcepit namque, quod unuſquiſque fidelis ſumat corpus ſuum, non tamen quod quilibet ille ſit de numero fidelium, ſumeret et ſanguinem; Aliàs quomodo ſtabit illud, quod operatus eſt, quando ſe ſociavit cum illis duobus diſcipulis, qui ibant Emaus, & ad domum hoſpitii pervenientibus dixerunt ad illum, mane nobiſcum Domine, quoniam adveſperaſcit, & cænantibus illis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis, ut narrat Lucas, (*g*) quo peracto tunc illi duo diſcipuli cognoverunt eum in fractione panis, quo in loco, ubi tu vides, fit tantùm commemoratio de pane, in ſignum quod illos communicavit ſub una ſpecie panis.

g cap. 24

Aliàs ſi præcepiſſet Chriſtus Dominus eſſe communicandum ſub ſpeciebus panis, & vini, & hoc præceptum caderet tàm ſub Sacerdotibus, quàm ſub Clericis, & Laicis, decepit Petrus Princeps Apoſtolorum, & Vicarius Chriſti, (ſicut & alii legitimi ſucceſſores ejuſdem) omnes illos, qui converſi fuerant ad Dominum, & omnes fideles Chriſti, dùm præbuit tantùm communionem ſub ſpecie panis omnibus illis; quod pluſquàm temerarium eſt hoc aſſerere etenim legitur in Actibus Apoſtolorum, quod erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, (*h*) & communicatione fractionis panis, illi videlicet, qui receperunt ſermonem Petri, & qui baptizati fuerant, & alii circiter tria millia, qui appoſiti fuerunt in die illa. Videant ergo hæretici, quomodo comprehenſi ſunt in laqueum, quem Catholicis paraverunt.

h c. 2

Fideles verò Chriſti, ſive vir, ſive mulier, ſive Clericus, ſive Laicus non confundantur amplius, ſi in una tantùm ſpecie ſumat Chriſtum, ſed conſolentur in doctrina Divi Thomæ, iſte enim ita ſcripſit, & ſcribendo docuit. Hæc quatuor corpus, ſanguis, anima, & Deitas jam ultrà non poſſunt ſeparari, unde ſicut ſumit Sacerdos ſanguinem Chriſti Sacramentaliter de Calice; ſic populus ſumit eum intellectualiter ſub ſpecie panis de ipſo corpore Chriſti; & eſt eis tàm utilis, & tàm dulcis, ut Sacerdotibus, qui ſumunt eum ſub ſpecie vini de calice. Canticorum: (*l*) Botrus cypri dilectus meus mihi, duo ſumo in Botro uvam, ſcilicet corpus Domini in cibum, & ex uva ſumo dulcem ſanguinem in potum. Verumtamen gaudete, & iterum gaudete, quia in lætitia cordis veſtri ſic vos docuit Div. Th. cujus doctrina ſanctificata fuit ex ore illius, in quem creditis eſſe verum filium Dei; ſed et exultate, dum & ex Cathedra Petri habetis Pontificem ſic vobis dicentem, qui eſt Hilarius Papa in decretis; (*m*) Ubi pars eſt corporis, ibi eſt totum; Eadem ratio eſt in corpore Domini, quæ in Manna, quod in ejus figura præceſſit; de quo dicitur, qui plus collegerat, non habuit amplius, neque qui minus paraverat, habuit minus. Igitur fideles Chriſti, & Dei hoc rectè ſentite in vobis, & nolite obdurare corda veſtra, ſicut hæretici fecerunt, & his contenti eſtote, dùm ſumendo corpus non defraudamini de gratia, quàm accipiunt Sacerdotes, dùm ſumunt corpus, & ſanguinem, ſed mementote, quod miniſtri Dei ſunt, ad illos ſpectat ſacrificare, & vos ſumere de Sacrificio, non totum, ſed partem ſacrificii, ad omnes tamen ſpectat indifferenter eſſe perſeverantes in fide, in dilectione, in Charitate Dei, in patientia Chriſti. Habetis Magiſtrum Deum, igitur illum non contemnite, ſed ſicut veri diſcipuli ejus doctrinam cuſtodite, & illam ſervate in cordibus veſtris, ecce dedit vobis documentum iſtud; quod qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Hæc ſententia Domini eſt, nolite errare cum impiis.

i Opuſ. 5 cap. 29

l c. 1. 13

m 1. p. de Conſ.

De Sa-

Digitized by Google

Super Quæſtionem Octuageſimam primam.

De Modo, quo Chriſtus uſus eſt in hoc Sacramento.

MIrabilem eſſe in altis Dominum, opus eſt, ut fateamur; & credamus, nec cogitare debemus contiarium, quoniam & ipſemet talem eſſe gluriatur per os Joelis Pruphetæ, (a) dabo prodigia in Cælu, & in terra. Nec mireris quod loquatur per verbum futuri tempori, ſiquidem hoc exprimitur intelligentiæ noſtræ cauſa, cæterum omnia præſentia ſunt in æternitate, nam & quot prodigia operatus ſit in principio creationis Mundi, omnibus notum eſt, nempe quod de nihilo creavit omnia, quod fecit hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, quod eſt hominem conſtituere veluti Deum, cum & ipſum reliquerit in manu conſilii ſui; Quot, & quanta operatus eſt Deus per hæreditatem, hoc eſt per populum, quem elegit in ſuum, jam nobis manifeſtat Regius Pſaltes, (b) dùm excogitando opera Domini nun potuit non exclamare, quis Deus magnus, ſicut Deus noſter? Tu es Deus, qui facis mirabilia. Etenim prodigioſa fuit liberatio populi de Ægypto, quia filii Iſrael ambulaverunt per ſiccum in medio maris, & ne perirent in ſolitudine, non ſolùm ipſe Dux ejus fuit; ut teſtatur Moyſes in Deut. (c) Dominus ſolus Dux ejus fuit, & non erat cum eo Deus alienus. Sed per ſuam mirabilem Omnipotentiam mandavit nubibus deſuper, (d) & janua cæli aperuit, pluit illis manna, ad manducandam, & panem Cæli dedit eis; Panem Angelorum manducavit homo; & ut plueret ſuper eos ſicut pulverem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata. Fecit & alia mirabilia in terra Cham, de quibus ſatis eſt laudare Deum, & non illa enumerare, quoniam utique cum veritate aſſerere poſſumus, ſi vellimus narrare omnia, quæ operatus eſt Deus pro populo ſuo, multa, & infinita volumina capere non poſſe ea, quæ fecit Omnipotens, ideòque ſufficit dicere, quod opera Domini univerſa bona valdè. Verumtamen inter opera Domini mirabilia, unum eſt mirabiliſſimum v. Sacramentum Eucharistiæ, in quo ſub ſpecie panis eſt verum corpus Chriſti, in quo tota ſubſtantia panis mutatur in corpus Chriſti, in quo ſolùm accidentia panis manent, ut fides locum habeat, dùm viſibile inviſibiliter ſumitur aliena ſpecie occultatum, & ſenſus à deceptione reddantur immunes, qui de accidentibus judicant ſibi notis. Hinc Divus Thomas in ſequentia corporis Chriſti, ſub diverſis ſpeciebus ſignis tantùm, & non rebus latent res eximiæ; ſola fide excogitandæ; Propterea exclamat, Gregorius, magnum atq; pavendum eſt myſterium, quia aliud videtur, aliud intelligitur. Figura panis, & vini videtur, & faciente Domino corpus, & ſanguis Chriſti intelligitur. Et Euſebius ait, verè unica, & perfecta Eccleſiæ hoſtia fide æſtimanda, non ſpecie; neque exteriori cenſendo viſu, ſed interiori intellectu, igitur, quod non capis, quod non vides, animoſa firmat fides præter rerum ordinem. Credamus ergo, & firmiter aſſeramus, quod ille, qui dixit, accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum, & corpus ſuum ſumpſit, & ſanguinem, ut nobis eſſet documentum, maxime tamen Paſtoribus quod primi obſervare debemus ea, quæ ab aliis obſervando inſtituimus.

a cap. 2. b Pſ. 76. c c. 32 d Pſ. 77

Accipite, & comedite, hoc dixit omnibus diſcipulis, nè tantùm dixit, ſed & omnibus præbuit, ut inter ipſos diſcipulos includamus, & Judam proditorem juxta illud, quod legitur Matth. (e) bibite ex hoc omnes, & clariùs in Mar. (f) biberunt ex illo omnes, & hoc etiam voluit, ut ſerviatur paſtoribus Eccleſiæ de documento, ne ſeparetur quis à Sacra communione, etiam ſi ſit peccator, dummodò ſit occultus; nam ut manifeſtus fiat, debet via juſtitiæ procedere contra ipſum per accuſationem, & evidentem probationem.

e cap. 26 f cap. 14

Accipite, & comedite, tunc quando inſtituit hoc Sacramentum, dixit diſcipulis ſuis, hoc eſt corpus meum, paſſibile tamen; & mortale, quoniam idem corpus Chriſti erat, quod à diſcipulis tunc in propria ſpecie videbatur, & in ſpecie Sacramenti ſumebatur, verumtamen impaſſibili modo erat ſub ſpecie Sacramenti, quamvis in ſe eſſet paſſibile, ſicut inviſibili modo, quod in ſe erat viſibile. Et hoc eſt, quod etiam dicitur, quod ſi tempore mortis Chriſti fuiſſet ſervatum, hoc Sacramentum vel ab aliquo Apoſt. conſecratum; ibi corpus ſine anima fuiſſet, & corpus ſub ſpecie panis tantùm, & ſub ſpecie vini ſolum fuiſſet ſanguis & hoc non propter defectum virtutis verborum, ſed propter aliam diſpoſitionem rei.

Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum, accipite, & bibite, hic eſt calix ſanguinis mei &c. Ex iſtis verbis colligendum eſt, quod Chriſtus Dominus memoriam faciens mirabilium ſuorum non ſolùm dedit diſcipulis ſuis corpus, & ſanguinem ſuum, ſed etiam ipſemet ſumpſit, quia per hoc voluit præbere exemplum illis, ut & ipſi facerent, quod ipſe in cæna fecit; juxta id, quod in ſequentia canitur, quod in cæna Chriſtus geſſit, faciendum hoc expreſſit in ſui memoriam, juxta teſtimonium Divi Hyeronimi (g) ad Lesbiam, ſive Ledibiam dicentis, quod Dominus Jeſus Chriſtus ipſe conviva, & convivim, ipſe comedens, & qui comeditur; qua de cauſa Gloſſa ſuper illud Baruch (h) cumque comediſſet, & bibiſſet, &c. dixit, quod Chriſtus comedit, & bibit in cæna, cum corporis, & ſanguinis ſui Sacramentum diſcipulis tradidit.

g ep. 2 h cap. 1

Et juxta illud, quod habetur in Actibus Apoſtolorum ubi legitur cæpit Jeſus facere, & docere ſi ergo cæpit prius facere, quàm docere, nullum dubium debet eſſe, quod ipſe prius ſumpſit corpus ſuum, & ſanguinem, & quod poſtea aliis tradidit ſumendum, & in ſui memoriam faciendum, habemus namque, quod & ipſe voluit prius baptizari, ut ad exemplum illius alii baptizarentur; voluit, & prius jejunare, ut alii jejunium ſequerentur; & quidquid fecit exemplum aliis tribuere voluit; ut & aliis ſic facerent.

cap. 1 a

Unde prædicavit, & docuit, prædicavit remiſſionem peccatorum, docuit ea, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem conſequendam; ſic enim legitur Matth. (m) pænitentiam agite, appropinquavit enim regnum Cælorum. Mar. (n) venit Jeſus in Galilæam prædicans Evangelium regni Dei, & dicens quoniam impletum eſt tempus, & appropinquavit regnum Dei, pænitemini, & credite Evangelio: & Lucæ, & ipſe docebat in Synagogis eorum, & magnificabitur ab omnibus. Et Divus Thomas docet, (p) quod Chriſtus ea, quæ ab aliis obſervanda inſtituit, ipſe primitus obſervavit, & rurſus redarguendo quoſdam volentes, quod Chriſtus Dominus quando accepit panem, & calicem ſolùm accepit in manibus, non verò quod ſumpſerit; contra hos itaq; dixit, quod eò modo accepit, quo aliis tradidit accipiendum, ac proinde quando diſcipulis ſuis dixit, accipite, & comedite, accipite, & bibite, abſolutè intelligendum eſt, quod ipſe accipiens comederit, & biberit, ſicut intellexerunt illi, qui & cecinerunt, Rex ſedet in cæna, turba cintus duodena, ſe tenet in manibus, ſe cibat ipſe cibus.

m cap. 4 n cap. 1 o cap. 4 p p. 3. q. ... a. 1 q ib. ad 1.

Nec mirum debet eſſe hoc, quod dicitur, v. quod Chriſtus ſeipſum ſumpſerit, nam hoc deberet reputari mirum, immò & impoſſibile, ſi Chriſtus eſſet ſub hoc Sacramento ſecundum proprias dimenſiones, cum autem non ſit, niſi ſecundum dimenſiones ſpecierum Sacramentalium, ſecundum quas eſt, in quocumque loco ſunt illæ, ideò mirum non eſt, ſi ſpecies illæ potuerint eſſe in manibus, & in ore Chriſti, & quod ipſe totus Chriſtus potuerit eſſe, & in manibus ſuis, & in ore ſuo. Et quod ipſe fecit ſumendus propriis manibus ſeipſum, voluit, quod & fecerint Apoſtoli, eorumque ſucceſſoribus, qui tamen Sacerdotio fungerentur

Digitized by Google

gerentur per hoc, quod dixit, hæc facite in meam commemorationem, ac proinde Sacerdotes celebrantes communicare debent ſeipſos ad differentiam laicorum, vel clericorum non conficientium, quia iſti debent expectare a Sacetdotibus communionem, juxta etiam definitionem Conc. Trident. (r) in Sa-
r ſeſſ. 23 c. 8
cramentali autem ſumptione ſemper in Eccleſia Dei mos fuit, ut laici à Sacerdotibus communionem acciperent; Sacerdotas autem celebrantes ſeipſos communionem acciperent; qui mos tamquam à traditione Apoſtolica deſcendens jure, & merito detineri
ſ can. 10
debet. (ſ) Et decrevit, quod ſi quis dixerit, non licere Sacerdoti celebranti ſeipſum communicare; anathema ſit.

At ex eo, quod Chriſtus Dominus hoc Sacramentum à ſeipſo inſtitutum, & ab eodem diſcipulis traditum ſumpſerit, non per hoc tamen debet inferri, quod in ipſo augmentata fuerit gratia in ſumptione hujus Sacramenti, cum certum ſit, quod in ſe erat omnis plenitudo gratiæ, ut teſtatur Joannes, vidimus
t cap. 1
(t) gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis: benè tamen ſolum inferri debet, quod ſumendo corpus ſuum, & ſanguinem voluit ſummopere delectari in nova inſtitutione hujus Sacramenti; juxta doctrinam Divi Thom. (a)
u ib. ad 3
effectus hujus Sacramenti eſt non ſolùm augmentum habitualis gratiæ, ſed etiam quædam actualis delectatio ſpiritualis dulcedinis, & ideò quamvis Chriſto gratia non fuerit augumentata ex ſuſceptione hujus Sacramenti, habuit tamen quamdam ſpiritualem delectationem in nova Inſtitutione Sacramenti Euchariſtiæ. Et de facto ipſe Dominus Jeſus diſcipulis ſuis dixit, deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, quem locum exponit Euſebius de novo myſterio novi teſtamenti, quod incepit in illa cæna, in qua manducabatur à Judæis agnus juxta legem Moyſis, & juxta præceptum Domini, cujus figura erat Chriſtus, qui modò immitur ſub ſpeciebus Sacramentalibus, adeòque in ipſa cæna ceſſavit vetuſtas legis, & per ipſum agnum immaculatum conſummata ſunt omnia, quæ in lege veteri continebantur: Unde Divus Thomas in ſua ſequentia dicit, in hac menſa novi Regis, (cum Chriſtus ſit Rex Regum, & Dominus Dominantium) novum Paſcha novæ Legis, (in qua Sacramentorum auctor eſt Chriſtus) Phaſe vetus terminat, (quia jam figuratum advenit. (Unde vetuſtatem novitas, umbram fugat veritas, noctem lux eliminat. Manducavit ergo Chriſtus Dominus corpus ſuum, ſicut & ſanguinem bibit, & hoc manducando, ac bibendo ſpiritualiter, ac Sacramentaliter manducavit, ac bibit, & hoc in quantum corpus ſuum ſub Sacramento ſumpſit, quod Sacramentum ſui corporis intellexit, ac diſpoſuit, Quod autem de Chriſto dicitur, de aliis Sacramentaliter, ac ſpiritualiter ſumentibus dici nequit, nam nos, qui ſimplices viatores ſumus, ſumendo hoc Sacramentum utroque illo modo, augmentum gratiæ ſuſcepimus ſub Sacramentalibus ſignis, quibus indigemus ad veritatis perceptionem.

At ex eo, quod Chriſtus Dominus corpus ſuum diſcipulis ſuis tradiderit, & ſanguinem ſuum ſumpſerit, unà cum omnibus illis, ſiquidem habetur, quod biberunt ex illo omnes, inter quos tamen inveniebatur Judas ille proditor, ille, inquam, qui ſanguinem innocentem tradidit pretio triginta argenteis, ut ad-
x cap. 27
impleretur iſtud Zachariæ (x) ut aſſerit Matthæus acceperunt triginta argenteis pretium appretiati, quem appretiaverunt à filiis Iſrael. Ille, inquam, Judas, qui quamvis peccator exiſteret ob traditionem Chriſti, ſicut de ipſo legitur Matth. quod tunc abiit ad Principes Sacerdotum, & dixit eis, quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? Nihilominus tamen Chriſtus Dominus communionem ei non denegavit, nec peccatum ejus aliis manifeſtavit, ſed ipſum ſolùm admonitione correxit, ſi tamen amplius impius nollet exiſtere, & quod ita ſit habetur mani-
y cap. 13
feſtè ex illo Joannis, (y) quando Chriſtus dixit Judæ, quod facis, fac citius; hoc autem nemo ſcivit diſcumbentium, ad quod diceret ei. Et Leo Papa (z) in
z ſer. 1
ſer. de paſſione Domini inquit, Ecce auſibus tuis Dominus, & nulli te niſi tibi indicat Chriſtus, nec nomen tuum, nec perſona detegitur, ſed veritatis, & miſericordiæ verbo cordis tui tantùm arcana tanguntur, non Apoſtolici ordinis honor, non Sacramentorum tibi communio denegatur.

a hom. 46. in Joan.
Et Chryſoſtom. (a) de Juda dicit, quod particeps myſteriorum exiſtens converſus non eſt: Unde fit ejus ſcelus utrinque immanius, tùm quia tali propoſito imbutus adiit myſteria, tùm quia adiens melior factus non fuit, nec metu, nec beneficio, nec honore; & nihilominus noluit Jeſus eum aliis manifeſtare publicè, quod ipſe occultabatur in corde ſuo, & prava voluntate deponebatur, ut fieret à Judæis, uti volebant, & hoc myſterio factum fuit; nam ut ait Divus
b 3. p. q. 81. a. 2.
Thomas, (b) voluit hoc Chriſtus agere, eò quia ipſe debuit eſſe nobis exemplum juſtitiæ, unde non conveniebat ejus Magiſterio, ut Judam occultum peccatorem ſine accuſatore, & evidenti prolatione ab aliorum communione ſepararet, ne per hoc daretur exemplum Prælatis Eccleſiæ ſimilia faciendi; & ipſe Judas exaſperatus inde ſumeret occaſionem peccandi. Voluit ergo & ipſi Judæ corpus ſuum, & ejus ſanguinem tradere, ſicut & aliis tradidit diſcipulis.

Quibus tamen tradidit corpus ſuum in ſpecie Sacramentali paſſibile, ſecundum quod erat paſſioni paratum, ſicut & ipſemet dixit, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur, ergo tradidit corpus ſuum paſſibile, uti erat in propria ſpecie; & quia tunc idem erat corpus Chriſti, quod à diſcipulis in propria ſpecie videbatur, & in ſpecie Sacramenti ſumebatur, ideò ſumebatur ab illis, ut paſſibile in ſpecie Sacramenti, quia & paſſibile à diſcipulis videbatur, juxta etiam Inn. Tertium (c) dicentem, quod tale corpus tunc dedit
c l. 4. de Sac. Miſſ. Altaris.
diſcipulis, quale habuit.

Verùm corpus Chriſti, quod in ſe erat paſſibile, ſub ſpeciebus tamen Sacramentalibus erat modo impaſſibili, juxta etiam D. Th. (d) Chriſtus, inquit, dici-
d 3. p. q. 81. art. 3. ad 1.
tur non dediſſe corpus ſuum mortale, & paſſibile, quia non dedit mortali, & paſſibili modo: non enim docet Divus Thomas, (e) corpus Chriſti comparatur ad ea, quæ circumſtant mediantibus propriis dimenſionibus, quibus corpora ſe tangunt, ſed mediantibus dimenſionibus ſpecierum panis, & vini. Et hinc
e ib. in c.
eſt, quod ſi aliquid videbatur, ſicut & videtur, videbantur, ſicut & modo videntur ſolùm ſpecies illæ, & ſi aliquid patiebatur, patiebantur ſolùm ſpecies illæ, non Chriſti corpus; ſicut ipſe Sanctus Doct. docet, illæ ſpecies ſunt, quæ patiuntur, & videntur, non autem ipſum corpus Chriſti, quod in illis continetur, & cum contineatur etiam modò corpus Chriſti in Sacramento Altaris, ex conſequenti etiam continentur & ipſa accidentia corporis Chriſti ex reali concomitantia: accidentia, inquam, intrinſeca, ut quantitas, & ſimilia, iſta tamen non ſunt ex vi Sacramenti, ex qua eſt ibi ſubſtantia corporis, & hinc eſt, quod nunc eſt ratione inextenſionis, quæ fuit, ut ſit incapax & viſibilitatis, & paſſibilitatis; tunc autem non erat ſic, ſiquidem ſicut tunc erat extenſum, ita erat & paſſibile, cum jam eſſet paratum paſſioni; paſſioni, inquam, paratum, nam & morti ſe tradidit, oblatus eſt, quia voluit, & à Judæis voluit pati; cæterum non erat paſſioni paratum per manducationem diſcipulorum, per quam, ſicut & per contactum illorum nihil patiebatur corpus Chriſti, eò quia erat ſub ſpeciebus Sacramentalibus modo ineffabili à ſolo Deo cognito, & à nobis per fidem credito.

Et quia in hoc Sacramento reperitur & corpus Chriſti contentum, & ejus ſanguis unà cum anima, & divinitate, ſicut & reperiebatur, quando accipiens Panem benedixit, fregit, deditque diſcipulis ſuis dicens, hoc eſt corpus meum, & idem de calice, per quod ſequitur poſt conſecrationem verum Domini noſtri Jeſu Chriſti corpus, verumque ejus ſanguinem ſub ſpecie panis, &

vini

Digitized by Google

vini una cum ipſius anima, ac divinitate exi-
e ſeſ. 13 c. 3 ſtere, taliter, quod ut diximus: ex Sacro Conc. Trid. ſi quis hoc negaverit, anathema erit; hinc ait D. Th.
f 1 p. q. 81 a. 4 (f) quod idem corpus Chriſti in ſubſtantia eſt in hoc Sacrameoto, ac in propria ſpecie, at non eodem modo: aliqua namque conveoire poſſunt corpori Chriſti dupliciter: & ab intrinſecum, ſecundum quod in ſe eſt, & hoc pacto, quidquid pertinet ad Chriſtum, ſecundum quod in ſe eſt, ait D. Th poteſt ei attribui & in propria ſpecie, ac in Sacramento exiſtenti, & hæc ſunt vivere, mori, dolere, animatum, vel inanimatum eſſe, & cætera hujuſmodi; & ſecundum hoc ſi Sacramentum tempore mortis Chriſti fuiſſet & ſervatum, & conſecratum, ibi moreretur, ut manifeſtat & docendo, quod idem Chriſtus, qui erat in Cruce, fuiſſet in Sacramen-
g ſeſ. 22 c. 2 to, juxta etiam definitionem Conc. Trid. (g) in divino hoc Sacrificio, quod in Miſſa peragitur, idem ille Chriſtus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis ſemel ſeipſum cruentè, & quia in Cruce moriebatur, rectè ſequitur, quod & in hoc Sacramento moreretur.

Aliqua etiam convenire poſſunt corpori Chriſti ab extrinſeco, in ordine ſ. ad extrinſeca corpora, ſ. irrideri, conſpui, crucifigi, & flagellari, & ſecundum hoc illa, quæ conveniunt & per comparationem ad corpora extrioſeca, licet poſſint ei attribui in propria ſpecie exi-
h ib. ad 1. ſtenti, oon tamen prout eſt in hoc Sacramento, quod corroborat D. Th. dicendo, (h) Chriſtus ſecundum quod eſt ſub hoc Sacramento pati non poteſt, poteſt tamen mori, & hoc quia paſſio convenit corpori paſſo per comparationem ad agens extrinſecum, Idcòque à quibuſdam dictum fuit metrice,

Pyxide ſervato poteris ſociare dolorem,
Innatum, ſed non illatus convenit illi.

Et licet in morte ſeparatus fuerit ſanguis ejus à corpore, & in hoc Sacramento, licet ſit corpus Chriſti, &
i ſeſ. 13 c. 3 ſanguis ex reali concomitantia, non tamen ex vi conſecrationis, juxta Conc. Trid. (i) Corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub ſpecie vini ex vi verborum, ipſom autem corpus ſub ſpecie vini, &
l ib. ad 2 ſanguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub utraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ &c. Et hoc juxta Div. Thom. (l) ſub ſpecie panis eſt corpus Chriſti ex vi conſecrationis, ſanguis autem ſub ſpecie vini, ſed nunc quidem quando realitet ſanguis Chriſti non eſt realiter ſeparatus ab ejus corpore ex reali concomitantia, & ſanguis Chriſti eſt ſub ſpecie panis ſimul cum corpore, & corpus ſub ſpecie vini ſimul cum ſanguine.

At ſi tempore paſſionis Chriſti, quando realitèr ſanguis Chriſti fuit ſeparatus à corpore Chriſti fuiſſet hoc Sacramentum conſecratum fuiſſet ſub ſpecie panis ſolùm corpus, & ſub ſpecie vini fuiſſet ſolùm ſanguis. Quod autem dicitur de corpore, & ſanguine ex reali concomitantia, & non ex vi conſecrationis, pariter hoc idem dicitur de anima Chriſti, quæ eſt in hoc Sacrameoto ex reali concomitantia, juxta defioitionem Conc. Trid. cum
m ib. ad 3 non ſit ſine corpore, non verò ex vi verborum, ſive conſecrationis. Quamobrem ſi fuiſſet, inquit Div. Thom. (m) tunc hoc Sacramentum conſervatum, vel peractum, quando anima Chriſti erat à corpore realiter ſeparata, non fuiſſet aoima Chriſti ſub hoc Sacramento, non defectu verborum, nec defectu virtutis eorum, ſed propter aliam diſpoſitionem rei, ſecundum quam convenit animæ eſſe in corpore; ideòque ſi corpus habet animam, vel illam in ſe non habet, etiam in hoc Sacramento illam habebit, vel illam non habebit.

Super quæſtionem Octuageſimam ſecundam.

De Miniſtro hujus Sacramenti.

SAcerdotium tunc incæpit, quando incæpit eſſe per creationem natura hominis, quæ incæpit in Adam, iſte ſicut primus omnium fuit creatus à Deo perfectus in omnibus, unde & indutus fuit virtutibus, ex quibus refulgebat in illo perſpicacitas iotellectus, & bonitas voluntatis, indutus innocentia, juſtitia originali, ac ſanctitate, pariter & donis gratuitis, unde & primus propheta fuit, & tunc prophetavit, quando pronuntiavit ea, quæ ſcriptura narrat, hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea; hæc vo- a Gen. c. 2
cabitur virago, quia de viro ſumpta eſt. At ne tantum primus propheta fuit; ſed & primus, qui ioitiatus fuit Sacerdotio, ut à multis teſtatur præcipuè tamen a Moyſe Barcepha de Paradiſo, (b) ut refert Nova- b p. 1. c. 28
rinus, ille namque fundamentum ſumpſit ex Propheta Davide, ex quo fundamento inducit Adam veluti loqueotem cum Deo, unde ait, tu formaſti me. & poſuiſti ſuper me manum tuam, & certè fruſtaneum c Pſ. 138.
non eſt fundamentum deſumptum ex illo Pſalmi, quoniam vidimus, quod Sacerdotium manuum impoſitione coofertur, Itaq; fatendum eſt in ſtatu naturę Sacerdotium fuiſſe, ſiqnidem & Melchiſedech Rex Salem erat Sacerdos Dei Altiſſimi, ut habetur ex Gen. (d) d cap. 14
In lege autem veteri fuiſſe verum Sacerdotium trahens origine ab Aaron apertè conſtat ex libro Exodi, cap. 28
(e) Dixit enim Deus ad Moyſem, applica quoque ad te Aaron fratrem tuum, cum filiis ſuis de medio filiorum Iſrael, ut Sacerdotio fungantur mihi: Deinde in novo teſtamento, de quo in rei veritate aſſerere poſſumus, quod recedant vetera nova ſint omnia, inſtituit Chriſtus Dominus Summus Sacerdos, de quo & dicitur tu es Sacardos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, (f) quoniam ſi iſte obtulit panem, & f Pſ. 109.
vinum, hoc fuit in figura Sacramenti Euchariſtiæ à Chriſto Domino inſtituendi; nam & ipſe inſtituit Sacramentum hoc ſub ſpeciebus panis, & vini, ſub quibus continetur verum corpus, & ſanguis ejus; Quando autem inſtituerit illud, jam ab omnibus fidei profeſſoribus notum eſt, quod factum fuit in ſupremæ nocte cœnæ; in qua fateri debemus inſtituiſſe & Apoſtolos Sacerdotes, ſiquidem & illis dixit, hoc facite in meam commemorationem, Voluit namque, quod à ſolis Sacerdotibus hoc Sacramentum conficiatur. Unde D. Th. canit in hymno corporis Chriſti, ſic ſacrificium iſtud inſtitoit, cujus officium committi voluit ſolis Præsbyteris, quibus ſic congruit, ot ſumant, & dent cœteris; Igitur conſecrare Sacramentum hoc eſt proprium Sacerdotis, etenim tantæ dignitatis eſt Sacramentum hoc inquit Divus Thomas, quod noo conficitur, niſi in perſona Chriſti, & conſequentet per poteſtatem ab eodem conceſſam; Nec inconveniens eſt quod plures Sacerdotes unam, & eamdem hoſtiam conſecrare poſſint, quoniam videmus, quod novi ordinati Epiſcopo ordinanti concelebrant; nec per hoc plura ſacrificia ſunt, ſed unum tantùm, cum ſit Sacramentum unitatis Eccleſiaſticæ, quæ attenditur ſecundum hoc, quod multi ſunt unum in Chriſto. Et ſicut ad ſolum Sacerdotem ſpectat conſecrare hoc Sacrameotom, ita ad illum ſolum ſpectat diſpenſare illud, & quia conſtituitur medius inter Deum, & populum, & quia manus illius, & non alterios conſecratæ ſunt, adeòque ſolùm validę ad tangendum corpus Chriſti, & hoc per ſe, ot oon excludatur caſus neceſſitatis: diſpenſare debet igitur Sacerdos corpus Chriſti, quamvis conſecret & ſanguinem, cujus diſpenſatio olim committebatur & Diacono; at oe tantùm conſecrare, verùm etiam & ſumere debet oon ſolùm corpus, ſed & ſanguinem, ut ſacrificium ſit completum;

cum & Satramentum ſit, & ſacrificium ipſa Euchariſtia. Sacerdos, quilibet ille ſit, ſive bonus, ſive malus, conſecrare poteſt. Nam ſumunt boni, ſumunt mali, inquit Divus Thomas, Miniſter utique eſt Sacerdos, & ſicut miniſter Chriſti, non ex ſe, nec virtute propria, ſed ex perſona Chriſti conſecrat hoc Sacramentum, nec per hoc, quod ſit malus, deſinit eſſe miniſter Chriſti; Unde, & ſi quis audiret Miſſam mali Sacerdotis, non per hoc diceretur minoris valoris, in quantum videlicet Sacramentum eſt; ſicut nec deberet dici minoris valoris, in quantum proferetur oratio in perſona totius Eccleſiæ, beoè tamen dicendum eſſet, quod haberet majorem efficaciam ex devotione melioris Sacerdotis, unde;& magis fructuola eſſet.

At ne tantùm mali Sacerdotes conſecrare poſſunt, ſed etiam hæretici, ſchiſmatici, & excommunicati, illi tamen, qui intra Eccleſiam conſtituti receperunt poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam in ordinatione Sacerdotii: peccarent tamen facientes, ſicut & conficeret ille Sacerdos, qui in pænam alicujus graviſſimi ſceleris degradaretur, non enim per degradationem amitteret poteſtatem conſecrandi, cum iſta habeatur ex vi impreſſionis characteris, quæ cum ſit in anima indelebili perſeverat etiam poſt mortem.

Animadvertant tamen fideles, quod graviter peccarent ſciendo, quod illi, qui conficiunt Sacramentum iſtud, ſunt vel hæretici, vel ſchiſmatici, vel excommunicati, vel peccatores, ne accedant ergo ad miſſam illorum, ne ſumant corpus Chriſti ab illis, qui impugnant veritatem fidei, ſequendo falſas doctrinas, docendo falſa dogmata.

Audiant ergo Miſſam à Sacerdotibus approbatis, & in Eccleſia Dei moribus ornatis, qui ſicut honorem debitum Deo tribuunt, ita non omninò ſe abſtinebunt à conſecratione Euchariſtiæ, ne in vacuum gratiam Dei recipiant

Jam diximus, quod Dominus Jeſus Chriſtus tunc inſtituit Apoſtolos Sacerdotes, quando poſt porrectionem & corporis, & ſanguinis ſui dixit ad illos, hoc facite in meam commemorationem, juxta etiam g ſeſſ. 22. can. 7 Concilium Tridentinum, (g) ſi quis dixerit, illis verbis hoc facite in meam commemorationem; Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe, ut ipſi, aliique Sacerdotes offerrent corpus, & ſanguinem ſuum; anathema ſit.

Et hoc quantum ad id, quod eſt ex parte, immò ex officio abſoluto Sacerdotum, quibus & adeſt officium miniſtrandi hoc Sacramentum fidelibus, ac proinde ſolis Sacerdotibus, ſicut data eſt poteſtas, ut Sacram Euchariſtiam conficiunt, ita etiam ſolis illis data eſt poteſtas, ut aliis fidelibus diſtribuunt, quod habetur a- l ſeſſ. 23 c. 1 pertiùs ex Sacro Conc. Trid. cum igitur in novo teſtamento Sanctum Euchariſtiæ ſacrificium viſibile ex Domini inſtitutione, Catholica Eccleſia acceperit, fateri etiam oportet in ea novum eſſe viſibile Sacerdotium, & externum, in quod vetus translatum eſt, hoc l ib. can. 1 autem ab eodem Domino Salvatore noſtro inſtitutum eſſe, atque Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus in Sacerdotio poteſtatem traditam conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi corpus, & ſanguinem Sacræ literę oſtendunt, ut Catholicæ Eccleſiæ traditio ſemper docuit.

Sicut & ſtatuit, (l) ſi quis dixerit, non eſſe in novo teſtamento Sacerdotium viſibile, & externum, vel non eſſe poteſtatem aliquam conſecrandi, & offerendi verum corpus, & ſanguinem Domini; anathema ſit. Et clariùs idem Concilium dicit, (m) Sacerdotem ſem Seſſ. 22. cap. 1 cundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earumdem rerum ſymbolis Apoſtolis (quos tunc novi teſtamenti Sacerdotes conſtituebat) , ut ſumerent, tradidit, & eidem, eorumque ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba; hoc facite in meam commemorationem, ut ſemper Eccleſia Catholica intellexit, ac docuit.

Poteſtas; quæ utpotè ſolis Sacerdotibus à Chriſto Domino collata, ſolis etiam iſtis data eſt conſecrandi, atque miniſtrandi corpus, & ſanguinem ejus, facit etiam, ut Sacerdotes à laicis ſemper diſtinguantur; nec tantùm in hoc, in quo conſiſtit poteſtas Sacerdotalis ab Eccleſia aſſignata fuit talis differentia Sacerdotum à laicis, verùm etiam ab eadem Eccleſia, tamquam lege vetitum fuit; ne quis niſi conſecratus exiſteret, alia, quæ ad illius Sacramenti Euchariſtiæ confectionem, puta, ut vaſa aurea, vel argentea, ſacra tamen, linea, & alia neceſſaria ſunt, auderet pertractare, niſi urgeret maxima neceſſitas, ut contingere poteſt per incendium, propter periculum ne ab infidelibus vilipenderentur, vel per aliud ſimile.

Et quia Sacerdotium Chriſti eſt æternum juxta Davidis prophetiam, tu es Sacerdos in æternum ſecundum Ordinem Melchiſedech, hinc eſt etiam, ut poteſtas Sacerdotis collata à Chriſto Domino, non temporanea, ſed æterna ſit, ita ut numquam ex Sacerdotali facultate, atque poteſtate fieri poſſit tranſitus ad ſtatum laicalem, & ſi quis oppoſitum dixerit, anathema declaratur à Concilio Tridentino, ſi quis di- n ſeſſ. 23 can. 4 xerit, (n) eum, qui Sacerdos ſemel fuit, laicum ruſſus fieri poſſe, anathema ſit. Ex quo patet, quàm malè quidam dixerunt, & quod Sacerdotes poteſtatem temporaneam tantummodò haberent, & quod ſemel ritè ordinati, iterùm laici effici poſſent, ſi verbi Dei miniſterium non exercerent, & quod Sacerdotium non eſſet, niſi nudum miniſterium, & officium tantùm prædicandi Evangelium, & illi, qui non prædicant, prorſus non eſſent Sacerdotes; & quod malè dixerunt, ſatis conſtat; ſiquidem à Sacro Concilio Tridentino (o) eorum error damnatur, & o ib. can. 1 anathematizatur; ſi quis dixerit non eſſe in novo teſtamento Sacerdotium viſibile, & externum, ſed eſſe officium tantùm, & nudum miniſterium prædicandi Evangelium, vel eos, qui non prædicant, non eſſe prorſus Sacerdotes; anathema ſit.

Nec in eorum favorem facit hoc, quod laici aliquando nominentur Sacerdotes, cum ſolùm dicantur Sacerdotes propter juſtitiam, quam ex bonis moribus contrahunt, & propter unionem, quàm cum Deo habent mediante charitate, non verò dicuntur Sacerdotes ex hoc, quod in illis ſit aliqua poteſtas conſecrandi, & offerendi panem, & vinum. Unde à Divo Thoma (p) aſſignatur duplex Sacerdotium, p 3. p. q. 82 a. 1 unum Sacramentale, aliud ſpirituale; Sacerdotium Sacramentale dicitur, quod ſit poteſtas Sacramentalis tranſubſtantiandi per verba determinata panem in corpus Chriſti, & vinum in ſanguinem eius; juxta determinationem Concilii Tridentini, (q) quam- q ſeſſ. 13. cap. 4 vis autem Chriſtus Redemptor noſter corpus ſuum id, quod ſub ſpecie panis offerebat, verè eſſe dixit, ideò perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, idque nunc denuò Sancta hæc Synodus declarat per conſecrationem panis, & vini converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis ejus, quæ converſio convenienter, & à Sancta Catholica Eccleſia propriè tranſubſtantiatio appellata eſt.

Et hoc pacto conſideratur Sacerdotium Sacramentale à Divo Thoma, dùm docet, Sacerdoti, quando ordinatur, confertur poteſtas hoc Sacramentum conſecrandi in perſona Chriſti, & tunc ponitur in gradu eorum, quibus dictum eſt, hoc facite in meam commemorationem. Et dùm docet, (r) quod virtus r ib. ad 2 conſecrativa non ſolùm conſiſtit in ipſis verbis) nam & laici proferre poſſunt illa verba, & nihilominus per illam prolationem verborum ab illis exercitam etiam cum actuali intentione faciendi id, quod facit Sacerdos, nulla ſequitur conſecratio ob defectum Characteris, quem non habent,) ſed etiam conſiſtit in poteſtate Sacerdoti tradita in ſui conſecratione, & ordinatione, quando illi ab Epiſcopo imprimitur character dicendo, accipe poteſtatem offerendi in Eccleſia Sacrificium tàm pro vivis, quàm pro mortuis. Et ſ can. preſb. in decretalibus habetur, quod ad Præsbyterum,) intel-

lige

lige ad ipſum tantùm, qui Latinè Sacerdos, & Græcè præsbyter dicitur) pertinet Sacramentum corporis, & ſanguinis Domini in altari Dei conficere. Cum & in lege veteri Sacerdotes Deo miniſtarent, ut legitur (t Cap. 21.) Deut., (t) accedentque Sacedotes filii Levi, quos elegerit Dominus Deus tuus, ut miniſtrent ei, & benedicant in nomine ejus, ſiquidem & in lege veteri ſacrificium erat, & hoc ſacrificium non per alios, niſi per manus Sacerdotum implebatur, & ab illis offerebatur, & conſecrabatur Domino, nam & miniſtri electi erant à Deo ad opus, quod juſſerat illis.

In nova autem lege hoc Sacramentum, in quo oblatio munda offertur æterno Patri, conficitur utique, ſed non niſi ab illo, cui tradita eſt poteſtas, & pet talem poteſtatem, utpotè à Chriſto Domino traditam ſucceſſoribus Apoſtolorum conficitur hoc ſacramentum non in propria perſona, ſed in perſona Chriſti, ſic Eccl: legitur, (u) honora Deum ex tota anima tua, (u Cap. 9.) quia ipſe eſt, qui præbet tibi tantum Sacramentum, & honorifica Sacerdotes; inſeramus cauſalem, & dicamus, quia illud conficiunt, & illud tibi diſtribuunt. (x Ep. cap. 2.) (x) Et Petrus vocat Sacerdotium iſtud, regale Sacerdotium, quia in illo ſacro collegio (quod à Div. Chryſoſtomo regalis caterva dicitur,) in quo Rex Regum ſedebat, inſtitutum fuit.

Sacerdotium verò ſpirituale dicitur, quod ſit ſpiritualis unio cum Chriſto per fidem, & charitatem, talis autem unio ſpiritualis videtur reperiri in quolibet homine juſto, quamvis ſit Laicus, juxta etiam doctri- (¶b. ad 2.) nam Div. Thom., (y) Laicus juſtus unitus eſt Chriſto unione ſpirituali per fidem, & charitatem, (nullatenus verò per Sacramentalem poteſtatem,) per illam autem homo juſtus, qui & Sacerdos ſacerdotio ſpirituali dicitur, offert Deo ſpirituales hoſtias, quia ſtatum perfectum adhuc vivens retinet, eò modò tamen, quò nunc in via perfectus dici poteſt;) ſi quidem bene ajebat Paulus ad Corint., (z) cum venerit, quod (z Cap. 13.) perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt, hoc (a Pſal. 50.) eſt, quod imperfectum eſt:) Unde & in Pſal.(a) dicitur, ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus, eò quia ardet charitate, & amore erga Deum, qui deſpicere nequit propter ſuam maximam bonitatem cor contritum, & humiliatum: de quo & Paulus dixit ad Rom., (b) (b Cap. 12.) exhibeatis corpora veſtra, (loquitur in communi cum omnibus, qui piè volunt vivere in Chriſto Jeſu,) hoſtiam viventem, perſeverando in bonis actibus, (nam uit idem Apoſt. ad Philip. (c) dixit, mihi vivere Chri- (c Cap. 3.) ſtus eſt,) Sanctam, propter puritatem conſcientiæ, quæ munda debet eſſe ab omni macula, mundabimini, (d Cap. 36.) ſcriptum eſt in Ezechielem, (d) ab omnibus inquinamentis veſtris; Deo placentem, ſicut & Paulus de ſeipſo ad Gal., (e) ſi hominibus placerem, ſervus (e Cap. 1.) Chriſti non eſſem. Rationabile obſequium veſtrum, hoc eſt ſacrificium veſtri corporis ne deſtruatur ob inediam, vel ob maximam abſtinentiam, ut aliqui in- (f Ep. cap. 2.) cauti faciunt; (f) de quo Petrus dixit, Sacerdotium ſanctum offerre ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum: Sanctum Sacerdotium illud juſtorum Laicorum, quie & executores ſunt mandatorum Dei, illi ſoli ſerviunt, illi ſoli præſtant fidem, nec alium Deum diligunt, quàm ipſum verum, & vivum, & ut tota lex adimpleatur ab illis, diligunt & proximum, cum ipſa veritas dicat Matt., (g) in his duobus man- (g Cap. 22.) datis univerſa lex pendet, & Prophetæ, & ſunt dilectio Dei, & proximi.

Sauctum nt.que eſt Sacerdotium juſtorum Laicorum, etenim hoſtias viventes ſemetipſos Deo obtulerunt, unde & alii benè, & piè conſiderantes ad quot ſupplicia, opprobria, imptoperia filium Dei ſe ſubjeciſſe propter ſcelera humani generis, ſpontè bono, promptoque anitao, & corde ſincero propter nomen Dñi Jeſu Chriſti martyrium non ſubſtulerunt, tamen quia illud toto corde concupierunt, idcircò martyrio non privantur ſaltem per vitæ meritum. Offerunt per hoc Sacerdotium hoſtias ſpirituales acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum, in quantum orationes eorum acceptæ ſunt coram Deo.

Cæterum quamvis gaudeant Laici de Sacerdtio ſpirituali, nihil tamen gaudent de Sacerdotio ſacramentali; per quod accipitur poteſtas conficiendi corpus, & illud miniſtrandi laicis, & clericis non conficientibus. Quibus licet licitum ſit, in caſu neceſſitatis baptizare, cum baptiſmus ſit Sacramentum maximæ neceſſitatis, nullus tamen illis conceditur articulus neceſſitatis, in quo conficere poſſint Sacramentum iſtud Euchariſtiæ; & hoc quia perceptio hujus Sacramenti non eſt tantæ neceſſitatis, ſicut perceptio baptiſmi, juxta etiam illud, quod docet Div. Thom., (b) baptizare pertinet (h 3. p. q. 67. art. 3.) ad ordinem Sacerdotalem propter quamdam conveniẽtiam, non autem hoc eſt de neceſſitate baptiſmi.

Sciendum tamen eſt, quod ſi extra neceſſitatis articulum laicus baptizaret, licet licitè baptizaret, nihilominus peccaret, eò quia nulla eſt neceſſitas adminiſtrandi hoc Sacramentum laicis, juxta Gelaſium Papam, & Div. Iſidorum dicentes, quod baptizare neceſſitate imminente laicis Chriſtianis plerumque conceditur, ſi ergo dùm imminet neceſſitas, non ſemper, ſed plerumque, ceſſante neceſſitate licitum numquam erit laicis baptizare; multò magis numquam laicis licitum erit hoc Sacramentum conficere, eò quia ad illud conficiendum non attenditur neceſſitas, ſed poteſtas, quæ ſolis Sacerdotibus datur, ſive ſint ſimplices Sacerdotes, ſive ſint in aliqua dignitate conſtituti, non enim diſtinguuntur per poteſtatem Sacerdotes ſimplices etiam ab Epiſcopis, eò quia certum eſt, quod majorem poteſtatem ſupra corpus Chriſti verum non habent Epiſcopi, quam habent alii Sacerdotes, licet ex alio capite Epiſcopi propter majorem dignitatem, (per quam conſtituti ſunt in Eccleſia Dei, ut evigilare habeant ſuper gregem ſibi commiſſum, de quo etiam reddituri ſunt rationem ante tribunal Dei; propterea tu, qui legis, perſpice, quod ſi eſt major dignitas, adeſt & majus periculum,) diſtinguuntur ab aliis præsbyteris, quia ſupra corpus Miſticum, quod eſt Eccleſia, nullam poteſtatem habeant, ſicut Epiſcopi. Epiſcopus, ait Div. Thom., (i) accipit poteſtatem ut agat in perſona (i 3. p. q. 82. art. 1. ad 4.) Chriſti, ſupra corpus Chriſti myſticum, ſcilicet ſuper Eccleſiam, quam quidem poteſtatem, non accipit Sacerdos in ſua conſecratione, licet in aliquibus poſſit eam habere ex commiſſione Papæ, cum in iſto reſideat omnis plenitudo poteſtatis Eccleſiaſticæ, ut de Confirmatione patet, quod ſimplex Sacerdos poteſt conferre Sacramentum Confirmationis ex ejuſdem Papæ commiſſione; etſi hoc, etiam alia, quæ ab Epiſcopo conſecrantur, cui tamen reſervantur benedictiones Chriſmatis, olei ſancti, olei infirmorum, altaris, Eccleſiæ veſtium, vaſorum &c., utpotè quia Epiſcopus gaudet principatu ſupra totum Eccleſiaſticum Ordinem; ex cujus verò cõmiſſione ſimplices Sacerdotes alios conſecrare per ordinationem ad gradum præsbyteratus nullatenus poſſunt; ſicut Epiſcopus, & de facto tradit omnibus ſuſcipientibus ordinem Præsbyteratus illam poteſtatem conficiendi corpus, & ſanguinem Chriſti per Sacramentum Euchariſtiæ.

Nec refert, an ſint unus, vel plures Sacerdotes in ordine ad conſecrandam unam, camdemque hoſtiam, cum manifeſtum videatur hoc, quando Sacerdotes, qui de novo ordinantur, Epiſcopo ordinanti concelebrant: eò veluti modò, quò Apoſtoli, quando ordinati fuerunt à Chriſto Domino in Sacerdotes, ſimul cum Chriſto concænaverunt; Chriſtus enim Dominus ſumpſit corpus ſuum, & Apoſtolis illud tradidit, ut ſumerent; & quamvis tunc Apoſtolis non protulerint illa verba., hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus, attamen omnibus illis tradita fuit poteſtas conſecrandi per illa verba à Chriſto prolata, cum tunc per illa, & per ſequentia, ſcilicet hoc facite in meam commemorationem, ordinaverit illos in Sacerdotes; At Sacerdotes in ſua Ordinatione ſimul proferunt verba cum Epiſcopo, qui etiam in perſona Chriſti conſecrat, & ſimul conficiunt Sacramentum Euchariſtiæ cum eodem Epiſcopo: qui tamen Canonem, immò & verba conſecrationis clarè, & moroſè dicere, & recitare debet, ut & ordinandi eadem

verba conſecrationis dicant, & recitent eodem momento, quo ab Epiſcopo proferuntur; quia ſicut ait *l 3. p. q. 80 a. 2* D. Thomas, (*l*) Apoſtoli Chriſto cænanti concænaverunt, ita novi ordinati ab Epiſcopo ordinante concelebrant juxta ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ eſt omnium mater, & magiſtra; taliter quod ſi quis oppoſitum dixerit, ac docuerit ab Eccleſia anathe- *m ſeſſ. 22 can. 9* matizatur à Concilio Tridentino, (*m*) ſi quis dixerit, Eccleſiæ Romanæ ritum, quo ſummiſſa voce pars canonis, & verba conſecrationis proferuntur, damnandum eſſe, anathema ſit, (canon namque Græcè, quod eſt regula latinè, etenim eſt regula, ſeu modus, & ordo fixus, & ſtabilis ſacrificii peragendi, & antonomaſticè dicitur, & preces, unde & quando ille profertur à Sacerdotibus Miſſam celebrantibus, debent habere & maximam devotionem, ſicut & intentionem Miſſæ, ſic decrevit Concilium Tri- *n ſeſſ. 22 c. 4* dentinum (*n*) de Sacrificio Miſſæ, nihil in eo contineatur, quod non maximè ſanctitatem, ac pietatem quamdam redoleat, menteſque offerentium in Deum erigat; & Divus Bonaventura tract. de præparat. ad Miſſam, (*o*) admonet Sacerdotes celebrantes dicen- *o cap. 11* do, cum autem perveneris ad Sacrum Canonem, recolligе mentem, ne per diverſa vagetur: appone diligentiam magnam in ſignis, & actibus, majorem in verbis, maximam in intentione.

Itaque celebrando ſimul cum Epiſcopo debent etiam habere intentionem ad idem inſtans conſecrationis *p lib. 4. de Sac. Alt. cap. 25* conſummandum, juxta Inn. Tertium dicentem, quod omnium intentio debet ferri ad idem inſtans conſecrationis, ac proinde nihil refert, ſi per unum, vel per multos Sacerdotes Sacramentum hoc Euchariſtiæ conſecretur, cum omnes habeant illud conſecrare in perſona Chriſti, unde tunc multi ſunt unum in Chriſto, & hoc quia Euchariſtia eſt Sacramentum unitatis Eccleſiaſticæ, quæ attenditur ſecundum hoc, quod multi ſint unum in Chriſto: ergo ſervandus eſt ritus Eccleſiæ in conſecratione unius, & ejuſdem hoſtiæ à pluribus Sacerdotibus, maxime quando de novo ordinantur, quod eſt id, quod docet Divus Thomas, *q 3. p. q. 82. a. 2. in ſed cont.* (*q*) ſecundum conſuetudinem quarumdam Eccleſiarum: Sacerdotes, cùm de novo ordinantur concelebrant Epiſcopo Ordinanti. Nec contemnendi ſunt ritus Eccleſiæ à nobis fidelibus Chriſti, nè damnemur cum hæreticis, maximè cum Luthero, qui factus animalis homo non valuit percipere ea, quæ ſunt Spiritus *r ſeſſ. 7. can. 13* Dei, & nos anathematizet Concilium Tridentinum, (*r*) ſtatuit enim, ſi quis dixerit, receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni adminiſtratione Sacramentorum adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à miniſtro pro libito omitti, aut in novos alios, per quem cumque Eccleſiarum paſtorem, mutari poſſe. Anathema ſit.

Inter quos tamen ritus abſolutè poteſt enumerari conſecratio, & diſpenſatio corporis Chriſti; cum etiam iſta ſoli Sacerdoti conveniat, ut jam ſatis inſinuatum fuit ex auctoritate Concilii Tridentini corroborantis doctrinam Divi Thomæ, qui nedum in hymno corporis Chriſti cecinit, ſic Sacrificium iſtud inſtituit, ſolis præsbyteris, quibus ſic congruit, ut ſumant, & *ſ 3. p. q. 82 a. 3* dent cæteris; verum etiam docuit, (*ſ*) quod cum ad Sacerdotem pertineat conſecratio corporis Chriſti, etiam ad eumdem pertinet diſpenſatio, & hoc abſolutè, & quantum eſt ex ſe; nam per accidens diaconus diſpenſare poteſt corpus Chriſti, & hoc ſolùm in caſu neceſſitatis, jubente tamen Epiſcopo, vel Presbytero. Non ſic verò de diſpenſatione ſanguinis, eò quia olim & ſanguinem Domini miniſtrabat, (ut de Sancto Laurentio Martyre legitur, experire certè, utrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſationem,) in illis Eccleſiis, in quibus illa erat conſuetudo, ut fideles Euchariſtiam ſub utraque ſpecie ſumerent; & quia tunc propter fidelium multitudinem talis conſuetudo ab Eccleſia fuit interdicta, hoc eſt, quod modò non habent ampliùs diſpenſare ſanguinem Chriſti fidelibus.

Committebatur autem Diacono etiam illis temporibus diſpenſatio ſanguinis, non verò corporis Chriſti, quia nullo tempore poterat Diaconus tangere corpus Chriſti nondùm habens manus conſecratas, ſicut Sacerdotes habent; tangere autem poteſt Diaconus calicem cum ſanguine, cum in iſta tactione tangitur, ſicut & tangebatur immediatè calix: non verò imme- *t ib. a. 3* diatè ſanguis; juxta D. Th. (*t*) ſanguis Chriſti continetur in vaſe, unde non oportet, quod tangatur à diſpenſante, ſicut tangitur corpus Chriſti; & rurſus ait, in reverentiam hujus Sacramenti à nulla re contingitur, niſi conſecrata, & hac de cauſa corporale, & calix conſecrantur, & ſimiliter manus Sacerdotis ad tangendum hoc Sacramentum.

Si autem Diacono non permittebatur tangere corpus Chriſti, ut illud fidelibus diſpenſaret, multò magis non erat permiſſum aliis tangere, & diſpenſare corpus Chriſti, tangere enim non poterant alii, niſi in caſu, quo caderet in terram, & non eſſet promptus Sacerdos, ut illud è terra elevaret; in caſu, quo in aliquo alio caſu urgeret neceſſitas; quia tunc eſſet experiri devotio fidelis illius, qui ſic ageret, & laudandus, non vituperandus eſſet; diſpenſare autem numquam, quia non adeſt talis caſus neceſſitatis; qua de cauſa interdicti fuerunt illi Sacerdotes, qui dabant facultatem laico, & quod pejus erat fæminæ, de qua non aſſignatur tempus, quo ſit munda, ut aliis præcipuè infirmis, defferet corpus Chriſti, ut patet ex decreto, (*u*) pervenit ad notitiam no- *u de Conſ. diſt. 2* ſtram, ut quidam præsbyteri laico, aut fæminæ corpus Chriſti tradunt ad defferendum infirmis, igitur interdicit Synodus, ne talis præſumptio ulterius fiat ſed præsbyter per ſemetipſum infirmos communicet: Hoc ſtatutum fuit, quia ſolus Sacerdos conſtituitur medius inter Deum, & populum, ſicut Chriſtus conſtitutus fuit mediator Dei, & hominum; cum autem medius ſit inter Deum, & populum Sacerdos, benè ſequitur, quod ad ſolum Sacerdotem pertinet dona populi Deo offerre, ut colligitur ex lib. Num. (*x*) omnes quo- *x cap. 15* que primitiæ, quas offerunt filii Iſrael, ad Sacerdotem pertinent; ad quem ſolùm etiam pertinet dona ſanctificata divinitus populo tradere; dona autem ſanctificata ſunt Sacramenta, & præcipuè hoc Sacramentum, in quo ſacrificatur panis, & vinum, & in quo Chriſtus donavit nobis ſemetipſum, ut ſatiati pane iſto ſuaviſſimo Deo gratias ſemper ageremus pro tanto beneficio nobis collato.

A Sacerdote autem conſecrante, offerente, atque miniſtrante corpus Chriſti fidelibus debet, immò & tenetur, ſumi non tantùm corpus, ſed & ſanguinem Chriſti Domini, propter hoc, quod Euchariſtia & Sacramentum, & ſacrificium etiam ſit, (ad differentiam aliorum Sacramentorum, quæ tantùm Sacramenta ſunt,) cum autem ſit ſacrificium, & ad ſacrificium tria videantur eſſe de eſſentia illius, ſ. conſecratio victimæ, oblatio victimæ, & ſumptio victimæ, ut habetur etiam ex illo *y cap. 29* Exod: (*y*) arietem autem conſecrationis tolles, & coques carnes ejus in loco ſancto, quibus veſcetur Aaron, & filii ejus, ut ſit ſacrificium placabile, & ſanctificentur offerentium manus. De panibus quoque habetur, Lev. *z cap. 8* (*z*) panes quoque conſecrationis edite, qui poſiti ſunt in caniſtro, ſicut præcepit mihi Dominus dicens, Aaron, & filii ejus comedent eos. Hinc eſt etiam, quod ſi Sacerdos conſecret panem, & vinum, & utrumque offerat, conſequenter debet utrumq; ſumere, juxta D. Th. docentem, *a 3. p. q. 82 ar. 4* quod quicumque ſacrificium offert, debet ſacrificii fieri particeps, juxta Conc. Tol. (*b*) modis omnibus aſſeren- *b Conſ. 8 Can. 5* dum eſt, ut quotieſcumq; ſacrificans corpus Chriſti, & ſanguinem D. N. J. C. in altari immolat, toties perceptionis corporis, & ſanguinis Chriſti participem ſe præbeat. Et maximè quia, ait D. Th. (*c*) Ex hoc, quod Sacer- *c ib. a. 4* dos Sacramentum populo diſpenſat, oſtendit ſe eſſe diſpenſatorem divinorum, quorum ipſe primò debet eſſe particeps, immò & prius ipſe ſumere debet, quàm populo diſpenſet, ſicut fuit mos ſemper in Eccleſia Dei, ut conſtat etiam ex Concil. Trident. (*d*) in Sacramentali *d ſeſſ. 13. c. 8.* autem ſumptione ſemper in Eccleſia Dei mos fuit, ut Sacerdotes celebrantes ſeipſos communicarent. Aliàs quomodo particeps ſacrificii eſſe

poſſet

poſſet, ſi de ſacrificio nihil ſumeret? Per hoc autem fit particeps, quia de ſacrificio ſumit, ſic & Paulus (e) ajebat ad Corinth. nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt Altaris? ut autem Sacerdos ſit particeps hujus Sacrificii, opus eſt, quod quotieſcumq; conſecrat, ſumat integrè, (non enim ſufficit, ut corpus tantùm ſumat, ſed & corpus manducet, & ſanguinem bibat) hoc Sacramentum. Nec oppoſitum eſt ſentiendum, nam Concil. Trid. (f) ſtatuit, ſi quis dixerit, non licere Sacerdoti celebranti ſeipſum communicare,: anathema ſit.

e ep. c. 10
f ſeſſ. 13 can. 10

Diximus ad differentiam aliorum Sacramentorum, quæ tantùm Sacramenta ſunt, cum, ut ait D. Thom. (g) in aliis conſecrationibus in tantùm ille, qui conſecrat materiam, non utitur ea, in quantum conſecratio Chriſmatis, vel cujuſcumque alterius materiæ non eſt ſacrificium; ſicut eſt conſecratio Euchariſtiæ. In qua conſecratione materiæ Euchariſtiæ, ſcilicet, licet hoc Sacramentum perficiatur, & non in uſu, (ſicut perficitur Sacramentum baptiſmi in ipſo uſu materiæ) juxta etiam Concilii Tridentini decretum (h) ſi quis dixerit peracta conſecratione in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non eſſe corpus, & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſed tantùm in uſu dùm ſumitur, non autem ante, vel poſt; anathema ſit. Nihilominus tamen uſus Sacramenti eſt conſequenter ſe habens ad hoc Sacramentum, & cum hoc Sacramentum debeat eſſe integrum, ſequitur deinde, quod ad illud perficiendum teneatur illa uti.

g ib. ad 1
h ſeſſ. 13 can. 4

At quanta reverentia, & devotione præditi eſſe debeant præcipuè Sacerdotes ad Euchariſtiam conſecrandam accedentes, vel adminiſtrandam, benè poſſunt cognoſcere ex electione Dei, qui inter alios homines elegit ipſos, ut ſint illi miniſtri fideles, ideòque ſine ulla contagione peccati mortalis vivere debent, ita ut unuſquiſque dicere poſſit cum Paulo ad Galat. vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus. Scire etiam debent, quod ſicut Judas Machabæus, (l) ut legitur in lib. Machab. ut emundarentur ſancta, elegit Sacerdotes ſine macula, voluntatem habentes in lege Dei multò magis, ut ſancta ſanctè pertractarentur à Sacerdotibus, elegit Chriſtus Dominus Apoſtolos, quos inſtituit Sacerdotes, ut voluntatem ejus facientes, legem adimplere poſſint, & ut per adimpletionem legis ſine macula viverent.

k cap. 2
l 1. c. 4

Verùm quia inter Apoſtolos fuit Judas, cui etiam Chriſtus Dominus dedit non ſolùm poteſtatem dæmonia ejiciendi, morbos ſanandi, ſed etiam corpus ſuum, & ſanguinem conſecrandi, offerendi, atque miniſtrandi, hinc eſt, quod non tantùm per juſtos Sacerdotes verè conſecratur corpus, & ſanguis Chriſti, verùm etiam per improbos Sacerdotes verè conſecratur, & validè, non tamen dignè, juxta decretum Concilii Tridentini, ſi quis dixerit, miniſtrum in peccato mortali exiſtentem (modò omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, ſervaverit) non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema ſit. Et tale decretum de omnibus Sacramentis intelligi debet, eò maximè quia quamvis idem Concilium (n) videatur loqui de miniſtro Sacramenti pænitentiæ, dùm ſtatuit, docet quoque etiam, Sacerdotes, qui peccato mortali tenentur per virtutem Spiritus Sancti in ordinatione collatam, tamquam Chriſti miniſtros, functionem remittendi peccata exercere, eoſque pravè ſentire, qui in malis Sacerdotibus hanc poteſtatem non eſſe contendunt. Quapropter, ſi quis dixerit, Sacerdotes, (o) qui in peccato mortali ſunt, poteſtatem ligandi, & ſolvendi, non habere, anathema ſit: attamen de omnibus Sacramentis intelligendum eſt, & præcipuè de Sacramento Euchariſtiæ cum per iſtud Sacerdos ordinetur, ut miniſter aliorum Sacramentorum. Nam Sacerdotes miniſtri Dei ſunt, & in tantùm Sacramenta conficiunt, in quantum agunt in perſona Chriſti; & ideò Div. Th. (p) ait, Sacerdos conſecrat hoc Sacramentum Euchariſtiæ non virtute propria, ſed ſicut miniſter Chriſti, in cujus perſona hoc conſecrat Sacramentum. Nihil autem refert, an ſit bonus, vel malus miniſter, quia ut docet Divus Thomas, ex hoc ipſo non deſinit aliquis miniſter eſſe Chriſti, quod ſit malus. Unde ab utroque conficitur Sacramentum illud, ſecundum etiam Divum Auguſtinum (q) dicente de corpore Domini, intra Eccleſiam Catholicam in myſterio corporis, & ſanguinis Domini nihil à bono majus, nihil a malo minus perficitur Sacerdote, quia non in merito conſecrantis, ſed in verbo perficitur creatoris, & virtute Spiritus Sancti. Unde videtur, quod aliquis poteſt eſſe miniſter Chriſti, etiam ſi juſtus non ſit, etenim miniſter Chriſti habet eſſe per characterem, qui indelebilis eſt, utpote in anima impreſſus, idcircò nullo modo tollitur character, ſive poteſtas conſecrandi per malitiam Sacerdotis accedentis ad hoc Sacramentum cum peccato mortali, ac proinde ſequitur, quod validè conſecrant, ſed indignè, & hoc dicitur contra illos, qui credunt ſe dignè poſſe Euchariſtiam conſecrare ex hoc ſolo, quod ſunt Sacerdotes, etiam ſi ſint peccatores; contra quos dixit Divus Hieronymus, (r) quod maculoſi ad altare accedere prohibentur, ſi verò acceſſerint, non eſt dicendum, quod non ſit verum Sacrificium, quod offerunt, & Gelaſius Papa (ſ) dum dixit, quomodo ad divini myſterii conſecrationem cæleſtis Spiritus invocatus adveniet, ſi Sacerdos, qui eum adeſſe deprecatur criminoſis plenus actionibus comprobetur, vult quod non advenit ex meritò Sacerdotis, ſed ex virtute Chriſti, cujus verba profert Sacerdos, qui miniſter eſt Chriſti in cujus perſona ſicut habet conſecrare, ita habet, & benedicere, & ſicut validè conſecrat, ita & validè benedicit, & ſicut indignè conſecrare habet, ita & indignè habet benedicere. Unde Divus Thomas (t) benedictio Sacerdotis, in quantum ab ipſo indignè fit, eſt maledictione digna, in quantum verò profertur in perſona Chriſti, eſt ſancta, & efficax ad ſanctificandum, unde ſive ſit juſtus, ſive ſit peccator verè habet conſecrare Euchariſtiam, nec injuria aliqua fit huic Sacramento, ſi à peccatore, Sacerdote tamen, conficitur; benè tamen injuriam facit ſibi ipſi, quia & ſervum inutilem ſe facit, & reum pretioſi corporis, & ſanguinis Domini ſeipſum conſtituit in peccato conſecrando.

m ſeſſ. 7 can. 12
n ſeſſ. 14 c. 5
o ib. can. 5
p 3 p. q. 82 a. 5
q 1. p. q. 4
r ſup. Soph. c. 3
ſ in Decr. p. q. 1
t ib. ad 2

Mali ergo Sacerdotes licet ritè, validèque conſecrent Sacramentum altaris propter poteſtatem, quæ illis collata fuit ab Epiſcopo, quando illos ordinavit Sacerdotes, indignè tamen ob reatum peccati mortalis, quæ diù perſeverat in illis, quamdiù per pænitentiæ Sacramentum illud à ſeipſis non removeat. Removere autem oportet quàm citò peccatum mortale ab ipſo Sacerdote, admonet Concilium Tridentinum loco citato, maximè quando acceſſurus eſt ad altare, in quo conficitur hoc Sacramentum.

Removere ſine dubio debet Sacerdos culpam læthalem, quando offert corpus, & ſanguinem Chriſti Æterno Patri, nè fortè dicatur illud, quod per os Domini Propheta Sophonia dixit, (u) Sacerdotes ejus polluerunt ſanctum injuſtè egerunt contra legem, quod eſt peccatum mortale committere.

u cap. 3

Inter malos autem Sacerdotes comprehendere poſſumus hæreticos, illos videlicet, qui neglecta Eccleſiæ auctoritate impias opiniones pertinaci animo tuentur; ſchiſmaticos illos, ſcilicet qui ab Eccleſiæ unione ſeparati ſunt; excommunicatos, illos, qui à conſortio fidelium rejecti ſunt; degradatos, qui in aliquod grave crimen inciderunt: iſti enim omnes non tantùm dicuntur mali propter peccatum mortale ſecum portantes, verùm etiam perverſi, & impii propter malitiam, & propter gravitatem delictorum, nec honorem debitum Deo afferunt, nec timorem Domini habent, quia firmi, ac ſtabiles in impietate ſemper manent. (x) De illis .n. clamat Malachias per os Domini, & dicit, ſi ergo Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? Et ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus? Ad vos, ò Sacerdotes, qui deſpicitis nomen meum, &

x cap. 1

dixiſtis, in quo deſpeximus nomen tuum? Siquidem nonnè clarè conſtat, quod omnes iſti, quos enumeravimus, nomen Dei deſpicinot, eum agant contra Deum, contra auctoritatem Eccleſiæ, contra obedienriam ejuſdem, & quod pejus eſt, cum pervertant fideies, nè ſubjiciantur verç fidei, & nè audiant doctrinam ſanam utpotè fundatam in auctoritate Dei, & Chriſti Domini, & corroboratam per illuminationem, & virtutem Spiritus Sancti.

y cap. 2 De iſtis facit illud, quod Malachias ſubdidit, vos, loquendo de Sacerdotibus, autem receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege. Attamen quamvis cæci ſunt, & duces cæcorum, & incidant in foveam, quam ſibi, & aliis ſuis ſequacibus paraverunt, adhuc tamen in illis perſeverat poteſtas conſecrandi panem, & vinum in corpus, & ſanguinem Chriſti propter indebilitatem characteris, quàm acceperunt in ſuſceptione, & ideò validè conſecrant, ſed non legitimè; ut deſumitur ex Concilio Tridentino, (z) ſi quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptiſmo, ſcilic. Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quodam ſpirituale, & indelebile, unde & iterari non poſſunt; anathema ſit.

z ſeſſ. 7. can. 9

a ſeſſ. 23 c. 4 Rurſus ſtatuit idem Concilium, (a) quoniam verò in Sacramento Ordinis, ſicut & in Baptiſmo, & Confirmatione character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri poteſt, meritò Sancta Synodus damnat eorum ſententiam, qui aſſerunt novi teſtamenti Sacerdotes temporaneam tantummodo poteſtatem habere. Ex quibus videtur, quod poteſtas conſecrandi, atque offerendi indelebiliter Sacerdotibus ſemper inhæret, poſtquam tamen ab Epiſcopo promoti fuerint, alioquin poteſtas ipſa character Sacerdotalis non eſſet: Unde Concilium Tridentinum (b) ſi quis dixerit per Sacram Ordinationem non imprimi characterem anathema ſit. (c) Et Divus Auguſtinus aſſerit, ſicut baptiſmus in eis, ſcilicet hæreticis, Schiſmaticis, & excommunicatis, ita ordinatio in eis manet integra, integra autem ordinatio non remaneret, ſi Sacram Eucharistiam non poſſent illi conſecrare.

b can. 4.

c l. 2 contr. Parm.

Unde malè dixerunt illi, qui exiſtimabant, quod hæretici, ſchiſmatici, & excommunicati, utpotè extra Eccleſiam exiſtentes, non poſſent hoc Sacramentum conficere, nam non audierunt Divum Auguſtinum dicentem, (d) aliud eſſe omninò aliquid non habere, aliud eſſe non rectè habere, aliud non dare, & aliud non rectè dare: habet utique poteſtatem conſecrandi, & conficiendi corpus Chriſti, ſed non rectè ea utuntur, ſicut & dant, ſed non licitè illa dant, (eò modò quò Epiſcopus Catholicus, quod Deus avertat, dùm ſit hæreticus, vel ſchiſmaticus, etſi fieri poſſet etiam excommunicatus, validè conſecrat, validè ordinando alios dat illis poteſtatem conficiendi Sacramentum, ſed non licitè dat, ob characterem, & poteſtatem, quæ in illo indelebilis eſt,) ſic ergo & hæretici, ſchiſmatici, atque excommunicati Sacerdotes habent poteſtatem conficiendi Sacramentum, ſed non rectè ea utuntur, quia exercendo hanc poteſtatem peccant. Hinc D. Tho. (e) illi, qui intra Eccleſiam conſtituti rereperunt poteſtatem conſecrandi Eucharistiam in ordinatione Sacerdotali, rectè quidem habent poteſtatem, ſed non rectè ea utuntur, ſi poſtmodum per hæreſim, aut ſchiſma, aut excommunicationem ab Eccleſia ſeparentur; & hoc ad differentiam illorum, qui ſeparati per hæreſim &c. ordinantur, iſti namque nec rectè habent poteſtatem, nec rectè ea utuntur.

d ib. d.

e 3 p. q. 80 ar. 18

Verùm non eſt dubium, inquit Divus Tho. quod utrique poteſtatem hanc habent, (cum conſtet, quod redeuntes ad unitatem Eccleſiæ non reordinantur, ſed recipiuntur in ſuis ordinibus,) ſed peccant facientes, eò quia in peccato exiſtentes non poſſunt percipere fructum ſacrificii, quod eſt ſacrificium ſpirituale: quod confirmat Divus Thomas, (f) extra Eccleſiam non poteſt eſſe ſpirituale ſacrificium, quod eſt verum veritate fructus, licet ſit verum veritate Sacramenti; cum ergo qui ſunt extra Eccleſiam percipere non poſſunt fructum ſacrificii, rectè etiam ſequitur, quod licitè Eucharistiam conſecrare nequeunt, & taliter nequeunt licitè conſecrare Eucharistiam, ut in nullo caſu ſive Eucharistiam, ſive alia Sacramenta conferre, & conſecrare poſſunt: Excipitur tamen Sacramentum Baptiſmi, qui ſicut ab infidelibus licitè dari poteſt, cum ſuppoſitione, quod intendat facere, quod facit Eccleſia, ita multò magis ab hæreticis, & ſchiſmaticis dari licitè poterit, maximè in caſu neceſſitatis, & habetur pro rato, & firmo ab Eccleſia, ita ut non rebaptizetur ille, qui Sacramentum Baptiſmi ab illis habuerit.

f ib. ad 5

Et quod dicitur de hæreticis, ſchiſmaticis, & excommunicatis, dicitur etiam de degradatis, unde ſicut illi, per poteſtatem Ordinis, quàm numquam admittunt, verum corpus, & ſanguinem Chriſti conſecrant, ſic & degradati, eò quia per degradationem non amittitur poteſtas conſecrandi, quod patet, quod ſi reconcilietur, non eſt iterum degradatur ordinandus, juxta etiam Divum Auguſtinum ad Parmenianum dicentem, (g) quod utrumque ſcilicet Baptiſmus, g c. 13 l. 6
& ordo Sacramentum eſt, & quadam conſecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, illud cum ordinatur, & ideò concludit Divus Thomas, (h) h 3 p. q. 82 ar. 8
quod cum non liceat à Catholicis utrumque iterari, jam degradatus poterit conficere hoc Sacramentum: nec ab Epiſcopo poteſt auferri poteſtas illis, quamvis illis illam det; ſiquidem ait Divus Thomas, quod hoc ſequeretur, (i) ſi Epiſcopus daret poteſtatem Sacer- i ib. ad 2
dotalis Ordinis propriam virtute, ſic enim poſſet etiam illam auferre; at quia dat poteſtatem inſtrumentaliter, ut miniſter Dei, inde ſequitur, quod non eſt amplius in ſua poteſtate illam auferre conſecrandi, eſt utique in ſua poteſtate auferre conſecrandi, eſt utique in ſua poteſtate auferre ab illo executionem, nè celebrent, quod eſt, quod dicit Divus Thomas, de- l ib. ad 3
gradatis (ad differentiam excommunicatorum, quibus aufertur executio Sacerdotalis poteſtatis ad correctionem uſque ad tempus,) aufertur executio, quaſi in perpetuum condemnatis.

Et licet hæretici, ſchiſmatici, &c. per poteſtatem Ordinis, quàm indelebiliter habent, verè, validèque conſecrent, attamen fructum Sacramenti nullo modo percipere poſſunt, uſquedùm perſeverent in ſua hæreſi, in ſuo ſchiſmate, &c. ac proinde qui indignè ſumunt non tantùm per ſententiam Pauli rei facti ſunt corporis, & ſanguinis Domini, verùm etiam per auctoritatem Eccleſiæ declarati ſunt rei hujus Sacramenti, à qua & rejiciuntur tamquam putrida membra, ut illa, quæ ſunt ſana in fide, & dilectione, non contaminentur, & ab eadem abſcinduntur per interdicta per excommunicationes, ut illi, qui verè membra ſunt Chriſti, & Eccleſiæ ab eorum converſationibus non ſolùm ſe abſtineant quantum poſſibile eſt, verùm etiam abhorreant eorum congreſſum, atq; colloquium, uti exemplum habemus de illo Sancto Abbate Antonio, de quo legitur, quod ab hæreticorum, & ſchiſmaticorum hominū, maximè Arianorum congreſſu ſic abhorrebat, ut nè propè quidem ad eos accedendum diceret.

Et multò magis abſtinere debent fideles, ne communicent cum illis in divinis, hoc eſt, quod ab hæreticis, & ſchiſmaticis communionem non recipiant, nec eorum miſſas audiant, & hoc ſub mortali peccato, ſed illos exprobare debent, ſicut exprobavit B. Hermenegildus Rex, & martyr Chriſti, de quo legitur in l. dialog. (m) m l. 3 c. 31
ex D Greg. pater perfidus miſit ad eum Epiſcopum Arianum, ut ex ejus manu ſacrilega conſecrationis communionem perciperet; ſed vir Deo deditus Ariano Epiſcopo exprobavit, ut debuit, & potiùs elegit mori, & martyrio ſubdi, quàm Dei legem prævaricari, volens etiam in hoc ſequi exemplum illorum Juvenum, de quibus in libr. Machabeor. (n) legitur, Tyranno di- n l. 2 c. 7
xiſſe, parati ſumus mori magis, quàm patrias Dei le- o ib. c. 6
ges prævaricari, & ſimilis in conſtantia fidei Eleazaro viro prudenti, & in lege doctiſſimo, qui deſtinavit non admittere illicita propter vitæ amorem; & hoc quia utique bene ſciebat, ut docet D. Th. quod quotieſ-

cum-

Digitized by Google

cumq;municat alicui in peccato, ipſe particeps peccati efficitur.

Neque ex his, quæ modò dicta ſunt, ſequitur, quod refugiendo audire iſtorum omnium miſſas, & ab eis communionem recipere, refugiamus Sacramenta Dei, benè tamen ſequitur, quod refugiamus culpam indignè miniſrantium. Et quod ita ſit, manifeſtum apparet ex eo, quod veneramur hoſtiam à talibus Sacerdotibus conſecratam; illam veneramur, & reſervatam ſumere poſſumus per manus tamen legitimi Sacerdotis, unde videtur, quod nos ſolùm reſugimus culpam indignè miniſtrantium, nè cum illis communicando participes ſimus de eorum peccatis, ut colligitur ex ſecundo Canone Joannis, qui dixerit, habetur, ei, ave, ſcilicet hæretico, communicat operibus illius malignis. Vide ergo, quod benè à Div. Thom. inſeratur, non licere ab omnibus illis communionem recipere, nec eorum miſſas audire.

Et eadem ratio currit de peccatoribus publicis, convinctis, & judicatis, non verò de occultis, ut habe- q Ib. in o. tur ex Div. Thom., (q) non omnes peccatores ſunt per ſententiam Eccleſię executione hujus poteſtatis privati; & ſic quamvis ſint ſupſenſi quantum ad ſe ex ſententia divina, (nam à Deo interdicuntur accedentes ad perceptionem Sacramenti Euchariſtiæ cum peccato mortali,) non tamen quantùm ad alios ex ſententia Eccleſiæ, ac per conſequens uſque ad hujus ſententiam licet ab eis communionem accipere, & eorum miſſam audire; non verò de peccatoribus publicis, ſi- r Cap. 32 cut & in Canone (r) dicitur, quod nullus miſſam audiat Sacerdotis, quem indubitanter concubinam novit habere.

Sed quare de peccato carnis magis, quàm de aliis peccatis hoc dicitur? forſan alia peccata non dantur graviora peccatis carnalibus? Dico, quod ſine dubio dantur peccata graviora peccato fornicationis, peccato fornicationis, at homines non ſunt ita prortiores ad alia peccata, ſicut ſunt ad fornicationem, & hoc juxta ſ Ib. ad. 3. Div. Thom., (ſ) quamvis alia peccata ſint graviora peccato fornicationis, quia tamen ad fornicationem proniores ſunt homines propter carnis concupiſcentiam, hinc eſt, quod ſicut à ſacerdotibus abſtinendum eſt, ne in ſimilia peccata labantur, ita ſacerdotibus ſpecialiter prohibitum eſt tale peccatum ab Eccleſia, unde & determinat, ne quis audiat miſſam concubinarii Sacerdotis, notorii tamen, ut aſſerit Div. t Ibid. Thom., (t) vel per ſententiam, quæ fertur in convinctum, vel confeſſionem in jure factam, vel quando non poteſt peccatum aliqua tergiverſatione celari; Inde eſt, quod & Concilium Tridentinum (u) de- u Seſſ. 22. de decr. in Celeb. Miſ. terminat, quod & à Div. Thom. dictum fuit, & ab Eccleſia fuit determinatum de publicis concubinariis, quando dixit, Epiſcopi neminem, qui publicè, & notoriè criminoſus ſit, aut ſancto altari miniſtrare, aut ſacris intereſſe permittant.

Diximus, quod non eſt eadem ratio de peccatoribus occultis, ſicut de publicis &c. ſi quidem & Div. Thom. docet; Et quando de illis, quod quamvis Sacerdotes mali per impuritatem conſcientiæ ad Sacrum altare accedentes conficiendi cauſa hoc Sacramentum conſtituantur rei ejuſdem Sacramenti, nihilominus tamen non interdicitur, ut eorum miſſa non audiatur. Unde de iſtis ſolùm videndum reſtat, ſi miſſa mali Sacerdotis ſit ejuſdem valoris, ac miſſa boni Sacerdotis; x 3. p. q. 82. art 6. quod tamen cum Div. Thom. (x) reſolvitur, Miſſam mali ſacerdotis, & quantum ad Sacramentum, (cum illud & à bonis, & à malis conficiatur idem,) & quantum ad orationes, quæ in Miſſa proferuntur,) cum proferantur à Sacerdotibus, ſive bonis, ſive malis in perſona totius Eccleſiæ, cujus ſunt miniſtri, & miniſterium ejus in utriſque maneat, (eodem modo valere, quo valet miſſa Sacerdotis boni; Unde Div. y Ib. in o. Thom., (y) quantum ad miniſterium eſt fructuoſa non ſolùm oratio Sacerdotis peccatoris in Miſſa, ſed etiam omnes ejus orationes, quas facit in Eccleſiaſticis officiis, in quibus gerit perſonam Eccleſiæ; non verò quantum ad efficaciam, cum tali pacto conſiderata oratio habet majorem efficaciam ex devotione Sacerdotis orantis, juxta illud, quod in decreto: (z) quantò z p. Can. Sacerd. Sacerdotes fuerint digniores, tantò facilius in neceſſitatibus, quibus clamant, exaudiuntur.

Quod autem dicitur de orationibus prolatis in perſona Eccleſiæ dici nequit de orationibus privatis, cum iſtæ fructuoſæ non ſint, ſuppoſito, quod in peccato ſint factæ, & à perſona privata recitatæ, quæ cùm ſit execrabilis, etiam ejus orationes execrabiles redduntur, juxta illud Proverb. (a) qui declinat aures ſuas, ne au- a Cap. 28. diat legem, oratio ejus erit execrabilis; Verecundentur ergo Sacerdotes, & confundantur in reſpiciendo, quàm bonus ſit Deus, quàm patiens ſuper malitia miniſtrorum ſuorum, qui licet accedant ad Sacrificandum illi ſoli, (non enim aliis, niſi ſoli Deo Sacrificium Miſſæ offerri debet, ut decrevit Concil. Trident. (b) & quamvis in honorem, & memoriam ſanctorum b Seſſ. 22. cap. 3. nonnullis interdùm Miſſas Eccleſia celebrare conſueverit, non tamen illis Sacrificium offerri debet, ſed ſoli Deo, qui illos coronavit; Unde nec Sacerdos dicere ſolet, offero tibi ſacrificium Petre, vel Paule, ſed Deo, de illorum victoriis gratias agentes eorum patrocinia implorat, ut ipſi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris; (c) c Ca. 5. Ibi. Et ut ſtatuit, ſi quis dixerit, impoſturam eſſe Miſſas celebrare in honore Sanctorum, & pro illorum interceſſione obtinenda apud Deum, ſicut Eccleſia intendit; anathema ſit;) cum peccato mortali, tamen eorum orationes acceptare dignatur, ac ſi eſſent boni Sacerdotes, quia factæ in perſona ſponſæ ſuæ, quæ eſt Eccleſia. Erubeſcant ergo, & convertantur ad Dominum, benè conſiderando, quod Deus non deſpicit metuentes eum. Videant, in qua dignitate conſtituti ſint, per iſtam conſtituti ſunt medii inter Deum, & populum, eò veluti modò, quo Chriſtus conſtitutus eſt mediator Dei, & hominum, inter quos comprehenduntur & Sacerdotes; unde videant, quomodo aſſimilari debeat Chriſto Salvatori noſtro; quapropter ſicut Chriſtus Dominus obtulit ſe ſacrificium laudis æterno Patri pro toto genere humano, & ſub ara Crucis oravit ad Patrem, ne contra ipſum genus humanum amplius iraſceretur; Pater, dixit, ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt; Ita & Sacerdotes miniſtri Dei, & Chriſti orare cum puritate conſcientiæ debent, & illi ſacrificium offerre in odorem ſuavitatis, ut Deus per ſuam magnam miſericordiam avertat iram ſuam à populo ſibi commiſſo, ne deſtruat illum, & ne det illum in opprobrium, & in dominium alienorum, ſicut habetur ex Joele, (d) inter veſtibulum, d Cap. 3. & altare plorabunt Sacerdotes miniſtri Domini, & dicent, parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes.

Verùm quomodo clamabunt Sacerdotes ad Dominum, ſi ceſſabunt omninò à conſecratione Euchariſtiæ, quæ eſt ſacrificium laudis? Animadvertant Sacerdotes, ad quid teneantur ex ordine jam ſuſcepto; Sciant, quod nullum erit illis ſuffragium dicere, non eſt nobis cura animarum commiſſa, idcircò abſtinere omninò poſſumus à conſecratione Euchariſtiæ. Nam docet apertè Div. Thom., (e) quod opportunitas ſacri- e 3. p. q. 82. art. 10. ficium offerrendi non ſolùm attenditur per comparationem ad fideles Chriſti, quibus oportet Sacramenta miniſtrari, ſed principaliter per comparationem ad Deum, cui conſecratione hujus Sacramenti ſacrificium offertur: & ideo Sacerdoti etiam non habenti curam animarum non licebit omninò à celebratione ceſſare, ſed tenebitur ſaltem celebrare in præcipuis feſtis, & maximè in diebus illis, in quibus fideles communicare conſueverunt. Hæc doctrina Div. Thom. à ſacra ſcriptura corroborata videtur, dùm contra quoſdam Sacerdotes negligentes circa divina officia, immò & circa ſacrificia adducit illud Machab., (f) Sacerdo- f 2. cap. 4. tes jam non circa altaris officia dediti erant, ſed contempto templo, & ſacrificiis neglectis; & à Sacro Concil. Trid. (g) confirmata: curet Epiſcopus, ut il- g Seſſ. 23. num. 13. ſaltam diebus Dominicis, ac feſtis ſolemnibus, (ſi

autem

Digitized by Google

autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant,) miſſas celebrent.

Sicut nec ullum ſuffragium erit ſacerdotibus abſtinere omninò à conſecratione Euchariſtiæ, quia in peccatis involuti inveniantur. Poſſunt æque benè, ſicut & debent dè peccatis ſuis pænitere, & poſtea celebrare. Nonnè enim dictum fuit à Chriſto Domino, quod ſemper debemus eſſe parati, quia qua hora non putamus, filius hominis venturus eſt, & nos reddituri erimus rationem de toto tempore vitæ noſtræ. Nonnè & nobis præcepit, ut vigilare debeamus ob incertitudinem temporis vitæ noſtræ? Immò timendo peccata, & ſacrificium non reddendo gravius erit, quàm puro corde, & manibus impollutis ad hanc ſupremam menſam non accedere, uti dicebat Ambroſius in quadam oratione. Grave eſt, dicebat ille, quod ad menſam tuam mundo corde, & manibus innocentibus non venimus; ſed gravius eſt, ſi dùm peccata metuimus, etiam Sacrificium non reddamus. Idcircò conſiderare debent & benè, quod cum ſint Sacerdotes, tenentur uti gratia ſibi data: quando ſuerit opportunum, (i 2. cap. 6.) hortamur vos, ait Paulus ad Corint., *(i)* ne in vacuum gratiam Dei recipiatis; ad quid ergo Sacerdotium deſiderare, ſi poteſt renuatur fungi officio Sacerdotis.

Quam ob rem nullum ſuffragium erit talibus Sacerdotibus dicere, quod ſicut non tenentur miniſtrare in aliis Sacramentis, quia non eſt illis cura animarum, ita nec tenentur conſecrare Euchariſtiam ob eamdem rationem, ſed ſolùm ſicut eſt officium illorum Sacerdotum animarum curam habentium baptizare, & alia Sacramenta exercere in grege ſibi commiſſo, ſic etiam ſolum erit officium illorum Euchariſtiam conſecrare. Non inquam, hoc ſuffragatur, eò quia ſcire debent, quod hoc Sacramentum perficitur in conſecratione Euchariſtiæ, in qua ſacrificium Deo offertur (ad differentiam aliorum Sacramentorum, quæ in uſu fidelium (l Ibi ad 6.) perficiuntur,) ad quod, docet Div. Thom, *(l)* ſacerdos obligatur Deo ex ordine jam ſuſcepto; & hoc uſque dùm ſit executione Ordinis privatus per ſententiam Eccleſiæ, nam ſic eſt redditus impotens ad ſacrificium offerendum, & conſequenter obligatio tollitur, quod tamen non accidit de illo, qui privatus non eſt poteſtate celebrandi, unde tali Sacerdoti non ſolvitur obligatio ſacrificium offerendi, etiamſi non teneantur alia Sacramenta exercere, à quibus utique poſſunt ſe abſtinere etiam omninò propter carentiam obligationis, & propter deſitionem curæ animarum, juxta Div. Thom., in aliis Sacramentis miniſtrare non tenentur, niſi illi, qui ſuper fideles ſuſcipiunt curam.

Poteſt tamen eſſe aliquod ſuffragium pro aliquibus Sacerdotibus debilitas, vel ægritudo ſuperveniens illis, qui ordinem Sacerdotalem jam ſuſceperunt, quia licet ordinem non tollat propter indelebilitatem ſuam, tollit tamen executionem ordinis quantùm ad conſecrationem Euchariſtiæ, ſicut hanc tollit ipſa privatio oculorum, digitorum, vel uſus linguæ, hanc tollit morbus comitialis propter periculum effundendi ſanguinem, ſi in actuali conſecratione illius ſuperveniret talis morbus, vel proiiciendi in terram corpus, dùm actu caderet, tollit enim hanc executionem ipſa alienatio mentis, ob periculum vilipenſionis corporis, & ſanguinis Domini, etiamſi eveniret illi ad tempus; denique hanc executionem tollit lepra, ob abomina- (m ad 1. ib.) tionem, unde ait Div. Thom., *(m)* tenens lepram (n Cap. 22.) publicè celebrare non debet, ut habetur ex Lev. *(n)* homo de ſemine Aaron, (hoc eſt de genere Sacerdotali,) qui fuerit leproſus, non veſcetur de iis, quæ ſanctificata ſunt mihi, donec ſanetur. Et in lib. Num. (o Cap. 5.) *(o)* legitur, quod præcepit Dominus Moyſi, ut eiicerent de caſtris omnem leproſum, præcipe filiis Iſrael, ut ejiciant de caſtris omnem leproſum. Poterit tamen, ſubdit Div. Thom., leproſus miſſam dicere occultè, dùmmodo tamen lepra non ita invaluerit, ut per corroſitatem membrorum eum ad hoc reddiderit impotentem, juxta etiam illud Levit., *(p)* omni tempo- (p Cap. 13.) re, quo leproſus eſt, & immundus, ſolus habitabit extra caſtra.

Super quæſtionem Octuageſimam tertiam.

Di ritu hujus Sacramenti.

In lege Moyſi non ſolùm Sacerdotes, illi ſcilicet dè tribu Levi, offerebant hoſtias pacificas Deo altiſſimo, illique immolabant victimas, quibus fruebatur Deus, & delectabatur in odorem ſuavitatis illarum, ita ut multoties mediantibus illis ita Dei converteretur in Miſericordiam erga populum, & filios Iſrael in ipſum peccantes, verùm etiam utebantur tempore determinato, quo celebrare tenebantur eorum ſacrificia, & oblationes victimarum, ut ſatis conſtat ex ſacris paginis; Hoc autem totum in figura factum fuit, teſte Paulo ad Corint. *(a)* dicente, omnia in figura con- (a 1. Ep. cap. 10.) tingebant illis; Etenim ipſe aſſerit ad Heb. *(b)* um- (b Cap. 10.) bram habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum. Unde ſacrificia, & oblationes legis illius antiquæ figura erant hujus ſacrificii, in quo offertur Deo panis, & vinum, & per verba à Chriſto Domino prolata, & præſcripta, ut Apoſtoli, & ſucceſſores eorum, Sacerdotes tamen, proferrent in conſecratione panis, & vini, ut ambo converterentur in corpus, & ſanguinem Chriſti Domini; Hinc bene Leo Papa *(c)* de paſſione ait, ut ergo umbræ cederent corpori, (c Ser. 7.) & ceſſarent imagines ſub præſentia veritatis: antiqua obſervantia novo excluditur Sacramento. In cujus celebratione immolatur Chriſtus, qui pro nobis tanquam agnus innocens ductus fuit ad immolandam pro nobis, & quamvis ipſe non patiatur in hoc Sacramento, attamen celebratio hujus Sacramenti dicitur Chriſti immolatio, cum ſit quædam imago repræſentativa paſſionis Chriſti, quæ eſt vera ejus immolatio; Quantum verò ad tempus proprium celebrationis hujus myſterii, & Sacramenti, cùm quotidie indigeamus fructu Dominicæ paſſionis, quæ cum celebrata fuerit à tertia hora uſque ad nonam, ideò in illa parte diei hoc Sacramentum ſolemniter (ad differentiam miſſarum privatarum) in Eccleſia celebratur.

Propterea dicitur, quod Domus, in qua hoc Sacramentum celebratur, Eccleſiam ſignificat, juxta illud Pauli ad Timot., *(d)* ut ſcias, quomodo oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, (d 1. Ep. cap. 3.) quoniam extra Eccleſiam non eſt locus veri ſacrificii. Hinc de Conſ. diſt. 2. miſſarum ſolemnia non ubique, ſed in locis ab Epiſcopo conſecratis, vel ubi ipſe (e Dist. 1.) permiſerit; celebranda eſſe cenſemus; In Eccleſia utique, quæ domus Dei dicitur, non tamen ſine altari, quod eſſe debet conſecratum, ſicut & Eccleſia, & alia, non quia ſint gratiæ ſuſceptiva, ſed quia ex conſecratione adipiſcuntur quamdam ſpiritualem virtutem, per quam apta redduntur ad ſpiritualia.

Antequam autem celebretur Miſſa, oportet, ut Sacerdotes miniſtri devotè ſe præparent, ut dignè eò meliori modo, quò poſſunt illam celebrent; In qua tamen miſſa multæ ſunt partes, ut introitus, *Kyrie, & Chriſte eleyſon*, &c. *Gloria in excelſis Deo, orationes, Lectiones Prophetarum, & Apoſtolorum, graduale, Evangelium, Symbulorum fides, oblatio, præfatio, Canon*, in quo fit commemoratio pro *Univerſali Eccleſia, pro Papa, pro Regibus, pro Epiſcopis, & pro quibus offertur*; fit commemoratio Sanctorum, ut patrocinia nobis præſtent; conſecratio, in qua multa ſunt præcedentia, & ſubſequentia, & hæc omnia ſecreta dicuntur, fit commemoratio mortuorum, ut gaudere poſſint de fructu Sacramenti, ſicut & ipſi Sacerdotes verè pænitentes, & veniam poſtulantes de peccatis ſuis, & hoc fit, cum dicitur, *nobis quoque peccatoribus. Oratio Dominicalis, &*

datur

Digitized by Google

datur pax, quoniam hoc Sacramentum eſt unitatis, & pacis; perceptio Sacramenti, & hæc fieri debet primò à Sacerdote, & poſtea debet ipſe dare aliis, & deinde fit terminatio miſſæ pro gratiarum actione; Quæ omnia, ſicut & alia, quæ ſunt antecedentia ad Miſſam, vel fiunt ſubſequenter ad illam, convenientia ſunt, vel etiam fiunt in celebratione Miſſæ, ut ſignum Crucis multoties repetitum. Et denique ut ſciat Sacerdos circa miniſtrationem, & confectionem hujus Sacramenti, quid agere debeat, hinc ſequitur, quod non debet ignorare, quid accidere poſſit circa illam, unde & defectus, qui evenire poſſint; debet ante oculos habere, ut remedium præſtare poſſit, & ne populo ſit ejus operatio in ſcandalum; Igitur non ſolùm requiritur devotio in hoc Sacramento celebrando, ſed & attentio ad ea, quæ agit.

Euchariſtiæ Sacramentum hoc præ cæteris aliis gaudet, quod non ſolùm Sacramentum nominetur, & ſit, verùm etiam & ſacrificium, cum in ipſo immoletur Chriſtus, & Sacerdos in eodem gerat vicem Chriſti, immò & ejus ſanguinem, in cujus perſona, & virtute verba pronunciat ad conſecrandum; taliter quod, inquit Div. Thom., (f) quodammodo videtur eſſe idem Sacerdos, & hoſtia in celebratione hujus Sacramenti; Videant ergo Sacerdotes, qua puritate accedere debeant ad hoc Sacramentum celebrandum, cum perſonam Chriſti, qui ſanctiſſimus eſt, exerceant, dùm miſſam celebrant. Imitatores Chriſti eſſe debent, (g) improperium ejus portantes, ut ex Davidis prophetia vaticinatum fuiſſe de Chriſto conſtat, quando dixit, improprepium expectavit cor meum, & miſeriã; & ſi Chriſtus paſſus fuerit extra caſtra, (h) ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum; & Sacerdotes etſi intra caſtra morantes, tamen exire debent extra caſtra cupiditatum, deliciarum, honorum, & ſolùm per bonos mores, per operationes virtuoſas edocere debent populum, quanta debet pati pro nomine Jeſu, (i) ſciens etiam, quod non eſt aliud nomen datum ſub cœlo hominibus, in quo oporteat nos ſalus fieri.

f p. q. 83. art. 1. ad 3.
g Pſal. 68.
h ad Hebr. cap. 13.
i Act. Apoſt. cap. 6.

Imitatores Chriſti debent eſſe Sacerdotes in ſequendo ejus veſtigia, in ſufferendo opprobria hominum malorum, qui de facili detrahunt eorum famas, unde & de illis præcipuè dixit Chriſtus, (l) qui vult venire póſt me, abneget ſemetipſum relinquendo divitias, atque dignitates, & tollat Crucem ſuam, contumelias ſupportando, & ſequatur me, per imitationem.

l Lucæ c. 9.

Unde celebrando omnes has ponderationes ante oculos habere debent, cum celebratio hujus Sacramenti aliud non ſit, quàm vera imago repræſentativa paſſionis Chriſti, quæ ſecundum Div. Thom., (m) eſt vera ejus immolatio. Secundum Div. Ambroſium (n) in Chriſto ſemel oblata eſt hoſtia ad ſalutem ſempiternam potens, quid ergo nos, nonnè per ſingulos dies offerimus? ſed ad recordationem mortis ejus. Secundum Div. Auguſt. (o) ſemel immolatus eſt in ſemetipſo Chriſtus, & tamen quotidie immolatur in Sacramento. Secundum Concilium Tridentinum, (p) Deus, & Dominus noſter, etſi ſemel ſeipſum in ara Crucis, (morte intercedente,) Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur, quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat, in cœna noviſſima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ ſuæ ſponſæ Eccleſiæ viſibile relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud ſemel in Cruce peragendum repræſentaretur; videtur ergo etiam ſecundum Concilium, celebrationem hujus Sacramenti eſſe veram imaginem repræſentativam paſſionis Chriſti.

m loco cit. in o
n Ad Heb. cap. 10.
o In libr. Sen. P. ro.
p Seſſ. 22. cap. 1.

Deinde ſubditur à Concilio, ejuſque memoria uſque in finem ſeculi permaneret, hæc verba exprimunt Sacerdotium eſſe in perpetuum duraturum, maximè quia traxit originem à Sacerdorio Chriſti, quod eſt æternum; exprimitur etiam per dicta verba, quod numquam Sacrificium deſinet eſſe: nam ſi in Eccleſia Dei numquam carebit Sacerdotium eum caput Eccleſiæ ſit Chriſtus juxta Apoſtolum ad Coloſ., (q) & ipſe & caput corporis Eccleſiæ. Nec carebit in illa Sacrificium, in quo Chriſtus immolatur, quod totum fit per ſacrificium Miſſæ à Sacerdote gerente vicem Chriſti, in cujus perſona, & virtute, ut diximus, pronunciat verba ad conſecrandum, juxta præceptum Domini dicentis, hoc facite in meam commemorationem, & hoc eſt, quod Eccleſia Catholica ſemper intellexit, ac docuit.

q Cap. 1.

Deinde ſubditur ab eodem Concilio, atque illius ſalutaris virtus, in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur. Quæ verba jam deſumuntur ex illo Matt., (r) ubi Chriſtus Dominus accepto calice dixit, hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum, & poſtea accepta fuerunt unanimi conſenſu omnium Eccleſiarum exprimentium tale eſſe ipſum velle ſupremum Domini Jeſu Chriſti jubentis, ut ſacrificaretur, & immolaretur ſub ſpeciebus panis, & vini corpus, & ſanguis ejus in remiſſionem peccatorum. Contra Lutherum impugnantem hanc veritatem dicentem per prædicta verba Chriſti Domini non fieri remiſſionem peccatorum, cum dicat, Chriſtianis non egentibus remiſſione peccatorum Miſſa, quæ eſt Sacerdotium, in remiſſionem peccatorum non prodeſt. Noluit enim intelligere, & hoc ut benè ageret, quod ſi non proſit miſſa non egentibus remiſſione peccatorum quantum ad delenda peccata, prodeſt tamen illis quantum ad ſpiritualem nutritionem animæ. Cæterum quantum in ſe eſt, prodeſt ad remiſſionem peccatorum applicatio efficaciæ mortis Chriſti ad illos, qui poſt baptiſmum indigent tali remiſſione, quæ applicatio tunc fit, quando in miſſa offertur Deo verum, & proprium ſacrificium, in quo & meditari oportet maximum opus redemptionis noſtræ factum per pretium redemptionis animæ ſuæ. Et hoc eſt, quod dicit Div. Thom., (ſ) per hoc Sacramentum participes efficimus fructus Dominicæ paſſionis; & Eccleſia orãndo ad Dominum in oratione ſecreta Dominicæ, quæ apud nos Fratres Ordinis Prædicatorum eſt ſeptima poſt Octavam Trinitatis, dicit, quoties hujus hoſtiæ commemoratio celebratur, opus noſtræ redemptionis exercetur. Redemit ergo nos iſte agnus divinus offerendo ſe Patri, & per redemptionem ſuam voluit facere pacem inter Deum, & hominem, & ideò Eccleſia in die ſolemniſſimo Paſchatis canit in laudem tanti benefactoris, agnus redemit oves, Chriſtus innocens Patri reconciliavit peccatores.

r Cap. 26.
ſ Ib. ad 1

Et ſi naſci voluit, ut tolleret peccatum Mundi, illud ſcilicet, quod contraxerunt protoparentes, quando per inobedientiam tranſgreſſi ſunt præceptum Domini, voluit etiam pati, ut liberaret populum ſuum à peccatis eorum. Et ut omnes gaudere poſſent de hoc beneficio, prebuit omnibus hoc Sacramentum, ut non ſolùm manducando illud ejus fructum participaremus, ſed etiam, quod efficeremur participes de fructu ſuæ paſſionis, ſemper quando memoriam agemus de ejus immolatione, quæ quamvis plures celebrent, & plures conſequenter videantur hoſtiæ, attamen una tantùm eſt hoſtia, cum unum ſit ſacrificium, juxta Div. Ambroſium loco citato, una eſt hoſtia, (quam Chriſtus ſcilicet obtulit, & nos offerimus,) & non multæ, quia ſemel oblatus eſt Chriſtus; eò maximè quia hoc ſacrificium exemplum eſt illius. Et Div. Th. (t) ait, quod ſicut quod ubique offertur, unum eſt corpus, & non multa corpora, ita eſt unum Sacrificium. Hinc Paulus ad Heb. (u) dixit, in qua voluntati ſanctificati ſumus per oblationem corporis Jeſu Chriſti ſemel.

t Ib. in o.
u C. p. 10

Offertur ergo ubique hoc Sacrificium à Sacerdotibus, & offertur non pro ſeipſis tantùm, ſed etiam pro omnibus fidelibus pertinentibus ad corpus Chriſti, juxta decretum Sacri Concilii Tridentini, (x) illæ verò Miſſæ communes cenſeri debent, partim quod in eis populus ſpiritualiter communicet, partim verò quod à publico Eccleſiæ miniſtro non pro ſe tantùm, ſed prò omnibus fidelibus, qui ad corpus Chriſti pertinent, celebrentur. Volens etiam per tale decretum damnare errorem

x Seſſ. 22. cap. 6.

rorem

Digitized by Google

rorem illorum dicentium miſſas illas, in quibus ſolus Sacerdos ſacramentaliter communicat, ut privatas,
y ib. can. 8 & illicitas damnare; (y) unde ſtatuit, ſi quis dixerit, Miſſas, in quibus ſolus Sacerdos ſacramentaliter communicat, illicitas eſſe; atque adeò derogandas, anathema ſit. Participes ergo efficiuntur fideles fructus Dominicæ paſſionis per hoc Sacramentum, in quo Chriſtus immolatur; & ille fructus non habetur, niſi per effectum Sacrificii Crucis, in qua quamvis in propria ſpecie Chriſtus immolatus ſit, modò tamen altare eſt repræſentativum Crucis, eò modò, quò celebratio hujus Sacramenti eſt imago repræſentativa paſſionis ejuſdem.

Cum hoc Sacramentum Euchariſtiæ, ſit etiam ſacrificium, in quo Chriſtus immolatur, incruentè tamen, cum jam cruentè ſemel in ara Crucis oblatus
z ſeſſ. 22. cap. 2. fuerit, juxta Concil. Trident., (z) in hoc divino Sacrificio, quod in miſſa peragitur, Idem ille Chriſtus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis ſemel ſeipſum cruentè obtulit, juxta Div. Ambroſium una eſt hoſtia, quia ſemel oblatus eſt Chriſtus; quod & Concilium decrevit, una, eademque eſt hoſtia, idemque nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa. Cujus quidem oblationis (cruentæ inquam) fructus per hanc incruentam uberrimè percipiuntur. Juxta ergo has determinationes Div. Thom. prius conſiderando magnificentiam hujus celeberrimi myſterii æque bene conſideravit in celebratione ejuſdem & repræſentationem Dominicæ paſſionis, & participationem fructus ejuſdem; ſicut & conſideravit, quod per hanc oblationem ira Dei placatur, ne vindictam ſumat de peccatis noſtris quotidianis, ob quæ diſſipanda, deſtruenda, atque impedienda etiam Catholica Eccleſia ab initio uſque religionis Chriſtianæ optimè, atque ſanctiſſimè ordinavit, in Eccleſia quotidie hoc Sacramentum offerri, ut quotidie fideles participare poſſent de fructu ipſius Dominicæ paſſionis, & liberaretur à culpis, ſicut & idem Concilium ſubdit, hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit; quàm ergo meritò à Div. Th.
a 3 p. q. 83. art. 2. (a) aſſignetur quælibet dies pro tempore opportuno, in quo participes efficiamur fructus Dominicæ paſſionis, ex cujus doctrina rectè colligitur, dùm docet, quod enim fructu Dominicæ paſſionis quotidie indigemus propter quotidianos defectus, quotidie in Eccleſia regulariter hoc Sacramentum offertur, ut una ſit fides mentium in credendo firmiter Chriſum eſſe verè filium Dei pro nobis natum, pro nobis paſſum, pro nobis mortuum, atque ſepultum, & pietas actionum, in ſequendo ejus veſtigia, cum jam dixerit, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ, ergo ſequamur Chriſtum promittentem nobis gratiam, & gloriam; & illud quotidie ſequamur, nam
b Lucæ c. 9 & dixit, ſi quis vult poſt me venire, (b) abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me. Si ergo à quocumque noſtrum tolletur Crux Domini quotidie, quotidie etiam de fructu Crucis Domini participes erimus; nec erit expectandum tempus illud; quando ſcilicet commemoratio paſſionis Chriſti fit in Eccleſia ſemel in anno, hoc eſt feria ſexta ante Paſcha, quæ eſt paraſceves, ſcilicet tranſitus Domi-
c Ib. ad 1. ni, ſiquidem, ut ait Div. Thom. (c) tali tempore recolitur paſſio Chriſti ſolùm ſecundum hoc, quod in ipſo capite noſtro fuit perfecta, & quia Chriſtus ſemel paſſus eſt, ſemel etiam in Eccleſia fit illius commemoratio. Unde non eſt reſpiciendum ad illud tempus, benè verò attendendum ad illud, quod opportunum dici-
d Serm. 28 de Verbis Domini: tur à Div. Thom., (d) quò fideles percipere poſſunt fructum paſſionis ejus, & cum hoc fiat quotidie, cum quotidie indigeamus illo ob defectus noſtros quotidianos; quotidie pariter memoriam illius recolere debemus, ſicut ſubdit Div. Thom., (e) in hoc Sacramento recolitur paſſio Chriſti, ſecundum quod ejus effectus ad fideles derivatur: quotidie autem fructum Dominicæ paſſionis fideles percipiunt, & ideò quotidie debet fieri commemoratio & propter fructum, & propter jugem memoriam. Et Div. Auguſt. (d) exponens illud Lucæ, panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, dixit, ſi quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumit, quemadmodum Græci in Oriente facere conſueverunt; accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit, ergo ut quotidie nobis proſit, quotidie miſſas celebrare debemus, & conſequenter ut poſſit nobis prodeſſe, commemorationem facere debemus quotidie de ejus paſſione, cum aſſignetur pro tempore opportuno quotidie.

Etſi in feria ſexta non celebretur conſecratio hujus Sacramenti, hoc fit, quia tali die recolitur paſſio Chriſti, prout realiter geſta fuit, ſed non facit hoc, ait Div. Thom., (e) ut quotidie non fiat in Eccleſia e Ib. ad 2
participatio fructus Dominicæ paſſionis, etenim & reſervatur corpus Chriſti conſecratum præcedenti die, ſumendum illa die; ſicut & idem Doctor dixit, ne Eccleſia ſit ſine fructu paſſionis tali die reſervatur corpus Chriſti conſecratum in præcedenti die ſumendum illa die.

Sanguis autem non reſervatur. Quare autem hoc? Quia poteſt adeſſe & periculum effuſionis, vel quia poteſt mutare ſpeciem vini, & fieri acetum, (unde in Eccleſia numquam mos fuit reſervare ſanguinem conſecratum,) & quia ſanguis ſpecialiter eſt imago Dominicæ paſſionis, & quia veniente veritate ceſſat figura, hinc fit, quod non celebratur in illa die in figura, cum celebretur ipſa paſſio, prout in re geſta fuit perfecta. Ex quo etiam tollitur opinio, ſive potius error quorumdam dicentium, quod per immiſſionem particulæ corporis Chriſti in vinum, convertatur vinum in ſanguinem. Et vere error, ſiquidem ignoraverunt, quod vinum, ut convertatur in ſanguinem, non poteſt aliter fieri, niſi per conſecrationem factâ ſub debita forma verborum, cum autem per talem immiſſionem non proferatur per conſecrationem debita forma verborum, fit inde, quod impoſſibile ſit, ut converti poſſit vinum in ſanguinem.

Et de die Nativitatis Domini dicendum eſt, quod licet in illa die non videatur fieri commemoratio paſſionis Chriſti, cum potius celebretur propter triplicem nativitatem (quarum una eſt æterna, quia procedit à Patre æterno, & talis nativitas eſt nobis occulta propter æternitatem, quam nos fatemur, licet ex alio capite illam explicare non poſſimus ob terminatam cognitionem noſtram; & ideò cantatur una Miſſa in nocte, in cujus introitu dicitur, Dominus dixit ad me, filius meus es tu, Ego hodie, non per aſſignationem temporis, ſed per denotationem æternitatis, genui te. Alia eſt nativitas temporalis, ſed ſpiritualis, quia Chriſtus oritur tanquam Lucifer in cordibus noſtris, unde cantatur miſſa, in cujus introitu dicitur, lux fulgebit hodie ſuper nos, lux utique ſpiritualis, de qua ſcriptum eſt, illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent, & temporalis, quia tempore convenienti venit hæc lux in Mundo. Alia temporalis, & corporalis, ſecundum quam viſibilis nobis proceſſit ex utero virginali, carne indutus; ideòque Miſſa cantatur in clara luce, in cujus introitu dicitur, puer natus eſt nobis: licet è converſo poſſit dici, quod in prima miſſa nativitas corporalis, in ſecunda ſpiritualis, in tertia æterna deſignetur: & hoc quia nativitas æterna eſt in plena luce, & ob hoc in Evangelio tertiæ miſſæ fit mentio de nativitate æterna, ut patet per Evangelium, quod canitur, in principio erat Verbum &c. Secundum autem nativitatem corporalem ad literam natus eſt de nocte, in ſignum quod veniebat ad tenebras infirmitatis noſtræ, unde & in miſſa nocturna dicitur Evangelium de corporali Chriſti nativitate, ut habetur ex Luca, (f) tam in prima, quæ media f cap. 2
nocte dicitur, quàm in ſecunda, quæ in aurora cantatur, quæ æquè bene poteſt dici nocturna, cùm nondum ſit perfecta lux ſolis) Attamen cum celebratio miſſæ ſit figura, & exemplum Dominicæ paſſionis, hinc eſt, quod etiam illa die Nativitatis fit commemoratio ejuſdem paſſionis, & ſolùm Eccleſia jubilat

Digitized by Google

in ſolemnizando hanc feſtivitatem, in qua oportet omnes fideles lætari, cum ab omnibus opus ſit fateri eſſe diem redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Quotidie ergo offeratur ſacrificium iſud in Eccleſia Dei, ut quotidie percipiatur à fidelibus, quàm utile ſit illis participari de fructu paſſionis Jeſu Chriſti. Cæterum ſi attendatur ad repræſentationem ejuſdem Dominicæ paſſionis, aliud tempus opportunum non erit, niſi ab Ortu ſolis uſque ad meridiem, & hoc meritò quia paſſio Chriſti ſecuta eſt, & celebrata à tertia hora uſque ad nonam, ut habetur ex
g Cap. 15. Marco, (g) erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum, & facta hora ſexta tenebræ factæ ſunt ſuper totam terram uſque in horam nonam, & hora nona exclamavit Jeſus voce magna &c., in qua hora tradidit ſpiritum; licet in Joanne (h) habeatur; erat autem
h Cap. 19. paraſceve Paſcha hora quaſi ſexta; circa quod dicit
i Lib. 3 ca. 13. Auguſt. de Concord. Evang., (i) hora erat quaſi ſexta, cùm traditus eſt Dominus crucifigendus à Pilato,
l 3 p. q. 46. art. 2. ut Joannes dicit. Et Div. Thom., (l) non enim erat plenè ſexta, ſed quaſi ſexta, & peracta quinta, & aliquid etiam de ſexta eſſe cæperat, donec completa ſexta, Chriſto pendente in Cruce, tenebræ fierent. Intelligitur autem fuiſſe hora tertia, cum clamaverunt Judæi, ut Dominus crucifigeretur, & veraciſſimè demonſtratur, tunc eos crucifixiſſe, quando clamaverunt. Ergo ne quiſquam cogitationem tanti criminis averſus à Judæis in milites converteret, erat, inquit, hora tertia, & crucifixerunt eum, ut illi eum potius crucifixiſſe inveniantur, qui hora tertia, ut crucifigeretur, clamaverunt, tolle, tolle, crucifige eum. Quamquam non deſint, qui per paraſceven, quem Joannes commemorat, dicens, erat paraſceve hora quaſi ſexta, horam diei tertiam velint intelligi; Verùm Paſcha, quod in paſſione Dñi celebratur, incæpit præparari ab hora noctis nona, quando ſcilicet omnes Principes Sacerdotum dixerunt, reus eſt mortis; Ab illa ergo noctis hora uſque ad Chriſti crucifixionem occurrit hora Paraſceves ſexta ſecundum Joannem, & hora diei tertia ſecundum Marcum. Ex quibus devenitur poſtea ad determinandum tempus opportunum, in quo celebrare debemus hoc Sacramentum, à nobis ergo celebratur hora paſſionis Domini, ſcilicet diebus feſtis in tertia, quando crucifixus eſt linguis Judæorum, ut ex Marco, & quando Spiritus Sanctus deſcendit ſuper diſcipulos, ut conſtat ex Actibus Apoſtolor.,
m Cap. 2. (m), non enim ſicut vos exiſtimaſtis, hi ebrii ſunt, cum ſit hora diei tertia. Vel diebus profeſtis in ſexta, quando Crucifixus eſt in manibus militum, ut ex Joanne, vel diebus Jejuniorum in nona, ut tempore Quadrageſimæ, cum talis hora conveniat paſſioni Chriſti, quæ completa fuit hora nona, quando inclinato capite
n cap. 27. tradidit ſpiritum, ut ex Matt. (n) habetur, & circa horam nonam iterum Jeſus clamans voce magna emiſit ſpiritum.

Poſt autem horam nonam non licet tardari, niſi adſit maxima neceſſitas Eccleſiæ, quæ contingere poteſt, quando ordines ſuſcipiuntur præcipuè in Sabbato Sancto. Ante verò horam tertiam poſſunt etiam Miſſæ celebrari, cum & in prima parte diei, quando incipit ſcilicet apparere aurora, & talis fuit intentio Leonis Papæ ad Dioſcorum Epiſcopum Alexandrinum Scribentis, in prima parte diei Miſſas celebrare licet, quando ſcilicet incipit apparere aurora, non verò quod ſit à media nocte ipſa prima pars diei; quod deduci po-
o cap. 56 teſt ex Div. Auguſt., (o) nam ſolvens contrarietatem illam, quæ ab Evangeliſta Marco videtur eſſe, dum narrat, quomodo mulieres venerunt, cum adhuc te-
p Cap. 20. nebræ eſſent ad monumentum, ut ex Evangeliſta Joanne (p) habetur, apertè dicit, quod principium diei accipitur non à media nocte, nec etiam ab ortu ſolis ſcilicet, quando ſubſtantia ſolis apparet ſuper terram, ſed quando incipit apparere aurora, ſic quodammodo dicitur ſol ortus, in quantum claritas radiorum ejus apparet. Etſi in nocte Natalis Domini Miſſa celebra-
q Ib. ad 4. tur, hoc fit, ut ait Div. Thom., (q) propter hoc, quod Dominus in nocte natus eſt; ſicut & in Sabbato Sancto circa noctis principium, quia Dominus de nocte ſurrexit, ſcilicet ait Div. Thom., cum adhuc tenebræ eſſent ante manifeſtum ſolis ortum. Sic ſentit & Div. Gregorius, Chriſtum media nocte ſurrexiſſe.

At ſi ita res ſe habet, quomodo ſtabit illud, quod le-
r Cap. 12. gitur in Matt., (r) ſicut fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus: ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus, etenim ſcimus, quod jam mortuus fuerit in die Paraſceves hora quaſi ſexta, vel nona, & quod reſurrexerit nocte præcedente die Dominico. Licet in hac re multæ, & variæ expoſitiones doctorum ſint, attamen unam, vel aliam ponemus juxta mentem noſtri Præceptoris. Div. ergo Thom. (ſ) docet, quod illo locu-
ſ Opuſ. 60. cap. 10. tionis modo, quo pars pro toto ſolet poni, cùm ex die, & nocte unus dies naturalis conſtituitur, quacumque parte & diei, & noctis computata: quia Chriſtus fuit in morte, tota illa die dicitur fuiſſe in morte: ſecundum autem ſacræ ſcripturæ conſuetudinem nox cum ſequenti die computatur; eò quod hebræi tempora ſecundum curſum Lunæ obſervant, quæ de ſerò incipit apparere: fuit autem Chriſtus in ſepulchro ultima parte ſextæ feriæ; quæ ſi cum præcedente nocte computetur, erit dies artificialis, & nox, quaſi unus dies naturalis; nocte verò ſequenti ſextam feriam computata cum integra die Sabbati fuit in ſepulchro, & ſic ſunt duo dies: Jacuit autem in ſepulchro ſequenti nocte, quæ præcedit diem Dominicum, in qua ſurrexit media nocte; Vel diluculò ſecundum aliquos, nempe ſe-
t Lib. 4 c. 6 cundum Div. Auguſt. de Trinit. (t) non uſque ad diluculum, quo Domini reſurrectio declarata eſt, ad tertium pertinet diem, quia Deus, qui dixit, de tenebris lucem clareſcere, ut per gratiam novi teſtamenti, & participationem reſurrectionis Chriſti audiremus; fuiſti aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino; inſinuat nobis quodammodo, quod à nocte dies ſumat initium; Unde, ſubdit Div. Thom. ibidem: ſi computetur nox tota, vel pars ejus cum ſequenti die Dominica, erit dies tertius naturalis; (& rurſus (u)
u 3 p. q. 53. art. 2. ad 1. docet, & ita patet, quod etiamſi media nocte, (ut jam ſentit Gregorius, cui aſſentit Eccleſia, dùm in benedictione cerei ſic canit, ò verè beata nox, quæ ſola meruit ſcire tempus, & horam, in qua Chriſtus reſurrexit:)ſurrexiſſet, poſſet dici eum die tertia ſurrexiſſe, intelligendo de die naturali: Nunc autem cum diluculo ſurrexerit, poteſt dici, quod die tertia reſurrexit, etiam accipiendo diem artificialem, quæ cantatur ex præſentia ſolis, quia jam ſol incipiebat aerem illuſtrare ſicut enim primi dies propter futuri hominis lapſum à luce in noctem; ita iſti propter hominis reparationem à tenebris in lucem computantur.

Pariter dicimus, quod Chriſtus Dominus, qui veritas eſt, loquendo de ſua reſurrectione, ſemper dixit, quod erat reſurrecturus tertia die, ut conſtat ex
x c. 20 c. 10 cap. 18. Matt., (x) ex Marco, & ex Luca; ſic & Iſidorus (y) notat, non dixiſſe poſt tres dies (ſicut dixerunt
y Super Luc. c. 18. Principes Sacerdotum, & Phariſæi ad Pilatum, re-
z cap. 27. cordati ſumus, quod ſeductor illi dixit, (z) poſt tres dies reſurgam, accipientes unamquamque diem pro die naturali 24 horarum) ſed tertia die, quod eſt non integris tribus diebus, & tribus noctibus; ſed ex parte ad totum. Et quod veritas dixit, & tertia die reſurget, & Apoſtoli in Symbolo fidei profitentur hanc veritatem, & Eccleſia publicè in illo illam profert. Denique dicimus cum Magiſtro Medina, quod licet Jeſus fuerit in corde terræ actu ab hora mortis tantùm, fuit tamen in eodem ſecundum actionem inferentem ipſi mortem ab hora illa, qua captus eſt; dicente ipſo tunc; Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. Ex tunc enim pro mortuo haberi poteſt, quia ad hoc tempus captus, ac vinctus eſt, ut occideretur, & indeſinenter ad hoc opera data eſt efficax: Ab illa autem hora computando conſtat inveniri artificiales tres tàm noctes, quàm dies. Nam intervenit nox Sabbati, & nox Dominicæ, & intervenit dies Paraſceves, dies Sab-

bati,

Digitized by Google

bati, & dies Dominicus, in quo ut dicitur Marci, Jeſus reſurrexit mane: ac per hoc intervenit prima pars diei Dominicæ.

His autem poſitis certum, & indubitatum, relinquitur, quod Miſſa celebrari debet in die, ut deſumi poteſt ex verbis Domini, Joannis, me oportet operari, (a) opera ejus, qui miſit me, donec dies eſt, venit nox, quando nemo poteſt operari. Quamdiù ſum in Mundo, lux ſum Mundi.

a Cap. 9

Et quamvis Chriſtus conſecraverit hora ſerotina, per hoc tamen Sacerdos tali hora celebrare non debet, cum ſolus Chriſtus voluerit hoc Sacramentum diſcipulis tradere, ut fortiùs eorum cordibus imprimeretur; & ideò veluti tunc teſtamentum faciens reliquit diſcipulis ſuis hoc eſſe faciendum temporibus tamen propriis, & convenientibus, ut manifeſtè repræſentaretur omnibus, quid fecerit Dominus in cœna illa. Nec ex eo, quod aſſignentur hora tertia, ſexta, & nona debet inferri, quod etiam à Sacerdote pluries in die celebrari poſſet, ſed ſatis erit Sacerdoti unam miſſam in die una celebrare; maximè etiam quia & Chriſtus ſemel paſſus eſt, & Mundum totum redemit per paſſionem, & mortem ſuam. Et quod ſatis ſit unam miſſam in die una celebrari à ſacerdote, videtur maximè manifeſtum, cum & Div. Thom. (b) dicat, eſſe valde felicem, qui unam miſſam dignè celebrare poteſt. Audiant ergo illi hoc, quod à Div. Thom. dicitur, qui una die præſumunt, plures miſſas celebrare, & utinam hoc non eſſet, niſi ob avaritiam, & audiendo ſciant, quod qui pro pecunia, vel adulationibus ſecularium una die præſumunt plures celebrare Miſſas, non æſtimo evadere damnationem.

b ibid. ad 5.

Et Innocentius Tert. (c) dixit, quod excepto die Nativitatis Domini (niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat, ut V. G. in adventu magni principis) ſufficit Sacerdoti ſemel in die unam miſſam ſolùmmodo celebrare. Videant ergo Sacerdotes, ne propter avaritiam cadant in laqueum diaboli. Videant & Epiſcopi, quod in ſuis diæceſibus, non ſint præsbyteri talis conditionis, ſed cautè ambulent, & faciant circa hoc maximum negotium; quod determinatur à Concilio Tridentino, in (d) primis quod ad avaritiam pertinet, cujuſvis generis mercedum conditiones, pacta, conventiones, & quidquid pro miſſis nobis celebrandis datur, nec non importunas, atque illiberales eleemoſynarum exactiones potiùs, quàm poſtulationes, aliaque hujuſmodi, quæ à ſimoniaca labe, vel certè à turpi quæſtu, non longe abſunt, omninò prohibeant. Immò ut talis irreverentia vitetur, ſinguli in ſuis diæceſibus interdicant, ne cui vago, & ignoto Sacerdoti miſſas celebrare liceat.

c Libr. 3. cap. 41.

d Seſſ. 22. de Obſerv. 3. num. 2.

Ultrà hos ritus ſunt alii quamplures, & Inſignes ritus, & ſolemnes cæremoniæ, quarum quorumque nulla, nulluſve ſupervacaneus, aut inanis exiſtimandus eſt, ut ſtatuit Concil. Trident., (e) cumque natura hominum ea ſit, ut non facilè queat, ſine ipſis adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem ſuſtolli; præterea pia mater Eccleſia ritus quoſdam, ut ſcilicet quædam ſubmiſſa voce, alia verò elatiori in miſſa pronunciarentur, inſtituit.

e Seſſ. 22. cap. 5.

Cæremonias item adhibuit, ut myſticas benedictiones, lumina, Thymiamata, veſtes aliaque id genus multa ex Apoſtolica diſciplina, & traditione, quo & majeſtas tanti ſacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc viſibilia religionis, & pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc ſacrificio latent, contemplationem excitarentur. Unde ut de omnibus his in particulari certiores fideles reddantur.

Primò dicemus, quomodo hoc Sacramentum celebrari oporteat. Secundò quomodo ordinari debeant ea, quæ circa hoc Sacramentum dicuntur. Tertiò, quomodo convenientia ſint ea, quæ in celebratione Sacramenti aguntur. Et quartò circa multos defectus, quæ contingere poſſunt ex negligentia, vel etiam ex inadvertentia Sacerdotum accedentium ad reverendum altare, vel ſine ulla præparatione, vel cum pauca devotione.

Quantum autem ad primum, quomodo oporteat hoc Sacramentum celebrari, ſi in domo, aut vaſis ſacris, ſcilicet, ſciendum eſt, quod per ly in domo non debet intelligi, quod debeat celebrari in domibus privatis, aut omninò extra Eccleſiam, ſed intelligi debet in Eccleſia Dei, quæ verè domus orationis eſt, & in qua divinus cultus præcipuè magis relucere debet, ut ab eodem Concilio de celebrandis &c. colligitur, ne vè patiantur privatis in domibus, atque omninò extra Eccleſiam, & ad divinum cultum tantùm dedicata oratoria, & ab eiſdem ordinariis deſignanda, & vitanda, Sanctum hoc ſacrificium à ſecularibus, aut Regularibus quibuſcumque peragi; & ut habetur ex Div. Thom. (f) doctrina, regulariter celebrari debet in domo hoc Sacramentum, per quam ſignificatur Eccleſia, juxta Apoſt. ad Timot., (g) ut ſcias; quomodo oporteat ſe in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi; Juxta Div. Auguſt. (h) dicentem, quod extra Eccleſiam non eſt locus veri ſacrificii; ergo in Eccleſia hoc ſacrificium celebrari debet, & in Eccleſia conſecrata, & hoc non ſolùm ut repreſentetur ſanctificatio, quam Eccleſia conſecuta eſt per paſſionem Chriſti, ſed etiam ut ſignificetur ſanctitas, quæ requiritur in his, qui hoc Sacramentum ſuſcipere debent, ſicut dixit Petrus, vos autem genus electum, gens ſancta; & ut habetur ex Concil. Trident. ibid., compoſito corporis habitu declaraverant, ſe mente etiam, ac devoto cordis affectu, non ſolùm corpore adeſſe.

f 1 p. q. 83. art. 3 ad 1.

g p. cap. 3.

h in lib. ſent. 15.

Nec tantùm Eccleſia conſecrata eſſe debet, ut ſtatutum fuit de Conſ. Diſt. 1., nullus præsbyter miſſas celebrare præſumat, niſi in conſecratis ab Epiſcopo locis; excipitur tamen caſus neceſſitatis, in quo poteſt utique hoc Sacramentum peragi in Domibus non conſecratis, vel violatis, ſi tamen adſit Epiſcopi conſenſus, ut in loco citato legitur; Miſſarum ſolemnia non ubique, ſed in locis ab Epiſcopo conſecratis, vel ubi ipſe permiſerit, celebranda eſſe cenſemus. Verùm, etiam, & altare debet eſſe conſecratum, (Altare derivatur ab *ara* ſic dicta vel à precationibus, quas Græci *arai* vocant, vel à victimis, quæ inibi incenſæ ardebant; vel quaſi alta ara, Unde Sotus inquit, quod ideò nomen in Eccleſia maximè conveniens eſt, quia res in altari oblata in infinitum altitudine omnia excedit, Chriſtus nempe vivifica illa hoſtia, qua in loco editiori Calvarii, in ara Crucis ſemel, in ara altaris quotidie immolatur, Deo Patri reconciliamur:) & hoc maximè, quia ut ait Div. Thom., (i) per altare ſignificatur ipſe Chriſtus, qui cum ſanctitas ipſa ſit, hinc eſt, quod meritò altare deſignans ſanctitatem Chriſti conſecratum eſſe debet; ſic & Paulus (l) loquendo de Chriſto dixit ad Heb. per ipſum offerimus hoſtiam laudis Deo. Videtur. Ergo, quàm neceſſariò requiratur altare, immò magis, quàm Eccleſia, ut celeberari poſſit hoc ſacrificium, juxta Div. Thom. ibid., quia ſanctitas Chriſti fons eſt totius Eccleſiaſticæ ſanctitatis, ideò in neceſſitate ſufficit ad peragendum hoc ſacramentum altare ſanctificatum. Ob hoc etiam numquam Eccleſia ſine altari conſecratur, tamen ſine Eccleſia quandoque conſecratur altare cum reliquiis Sanctorum, quorum vita abſcondita eſt cum Chriſto in Deo; & hoc ne evertatur altare, ſecundum illud, quod ſtatutum fuit in eadem diſt. placuit, ut altaria, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ Martyris conditæ probantur ab Epiſcopis, qui eiſdem locis præſunt, ſi fieri poteſt, evertantur.

i Ib. ad 2.

l Cap. ult.

Pariter Eccleſia, Altare, & alia hujuſmodi inanimata licet conſecrentur, attamen non conſecrantur, quaſi quod ſint ſuſceptiva gratiæ, benè tamen, quia ex conſecratione adipiſcuntur quamdam ſpiritualem virtutem, per quam redduntur apta cultui divino, ſcilicet ut homines, devotionem quamdam exinde percipiant, ut ſint paratiores ad divina, niſi hoc propter irreverentiam impediatur, juxta illud Machab. (m) verè Dei virtus quædam eſt in loco, nam ipſe, qui habet in cœlis habitationem, viſitator, & adjutor eſt loci illius, & venientibus ad malefaciendum percutit, ac perdit;

m Lib. 2. c. 3.

perdit; & quod ita ſit, reducite ad memoriam, quid
acciderit Baltaſſari Regi, qui abuſus fuerat vaſis Do-
mus Dei; jam interfectus fuit eadem nocte, ut legitur
n Cap. 5. in Danielem; & Heliodorus, (*n*) & Antiochus non
evaſerunt divinam ultionem utpotè profanatores tem-
pli Dei, & eotum, quæ ad cultum divinum ordina-
o Pſal. 78. ta erant, & erant ſacra; Unde bene David (*o*) hæc
videns, quæ operaturi erant iſti impii adverſus Domi-
num, & templum ejus, exclamavit, & dixit, polluerunt
templum ſanctum tuum. Verumtamen non ſolùm pro-
phetavit de iſtis violatoribus domus Dei, verùm etiam
quod magis eſt, prophetavit de nobis fidelibus, nam
quomodo Templum Dei honoratur ab illis, jam irre-
verentia, quod præſtant illi, nota eſt; Utinam cum
mendacio dicere poſſemus, quod ſcurrilitas, turpilo-
quium, laſcivi amores, lenocinia in templo inunda-
verunt; ita ut cum veritate aſſerere poſſumus, quod
p Libr. 2. cap. 6. jam reperitur ſcriptum in lib. Machab.; (*p*) peſſima
autem, & univerſis gravis erat malorum incurſio.
Nam templum luxuria, & comeſſationibus gentium
erat plenum; & ſcortantium cum meretricibus. Sic
domus Dei à quibuſdam malis hominibus profanatur,
abſque pavore, quod veniat ſuper illos ira Dei. Pro-
pterea Conc. Trident. loco cit. ne cadat ſuper gregem
ſibi commiſſum tremendam ſententiam à Deo O: M:
præcipit Epiſcopis, ut ſeculares omnes actiones, va-
na, atque adeò profana colloquia, deambulationes,
ſtrepitus, clamores arceant, ut domus Dei, verè do-
mus orationis eſſe videatur, & dici poſſit.

Conſecratio Eccleſiæ, altaris, &c. ſuperflua dicenda
non ſunt, cùm eorum conſecratio fiat ad expellendam
q ib. ad 3. virtutem inimici; ſicut à Div. Thom. (*q*) docetur,
Eccleſiam, altare, & ſimilia ante conſecrationem
emundari, & exorcizari, ut exinde virtus inimici pel-
latur. Sicut & Eccleſiæ, quæ ſanguinis effuſione (ut
tamen per effuſionem intelligatur quantitas magna ſan-
guinis,) vel ſemine pollutæ fuerint; tunc enim præſup-
ponitur aliqua operatio inimici; quæ operatio non po-
teſt apparere, niſi per peccatum commiſſum in Eccle-
ſia, reconciliantur.

Non dicitur, (ubi nota,) conſecrantur, cum con-
ſecratio Eccleſiæ non iteretur. Unde Div. Thom. ibid.
ideò propter virtutem, quæ ex conſecratione Eccleſiæ
acquiritur, conſecratio Eccleſiæ non iteratur; & jux-
ta Concilium Nicænum, Eccleſiis ſemel Deo conſe-
cratis non debet iterum conſecratio adhiberi; niſi aut
ab igne exuſtæ, aut ſanguinis effuſione, ant cujuſcum-
que ſemine pollutæ fuerint. Hujuſmodi autem conſe-
cratio fieri debet ab illis, qui fidem Sanctiſſimæ Tri-
nitatis tenent, aliter conſecraræ non erunt.

Diximus, quod Eccleſia, altare, & alia hujuſmo-
di inanimata ex conſecratione adipiſcuntur quamdam
ſpiritualem virtutem; & hoc diximus, quia cum il-
lam adipiſcantur, non debent admitti in opera deſer-
vientia uſui prophano, vel laicali, ſicut etiam ſtatu-
tum fuit ex eadem diſt. Ligna Eccleſiæ dedicata non de-
bent ad aliud opus jungi, niſi ad aliam Eccleſiam, vel
igni comburenda, vel ad profectum in Monaſterio fra-
tribus, in laicorum autem opera non debent admitti;
& etiam habetur, quod Altaris palla, Cathedra, can-
delabrum, & vellum, ſi fuerint vetuſtate conſumpta,
incendio dentur, aut in pariete, aut in foſſis pavimen-
torum jactentur, ne introeuntium pedibus inquinen-
tur.

Conſeceatur Eccleſia, altare, & alia inanimata,
inter quorum conſecrationem, & inter conſecrationem
r Ib. ad 4. Eccleſiæ, (*r*) & Altaris adeſt hæc differentia, quod Ec-
cleſia, & Altare conſecrantur celebriter, atque ſo-
lemniter, non verò alia inanimata, ut calix, & ſi-
milia; & hoc quia conſecratio altaris, cum ſignificet
Chriſtum, repræſentat ſanctitatem Chriſti, & con-
ſecratio domus ſanctitatem totius Eccleſiæ, alia verò
deſerviunt Eccleſiæ vel altari, adeòque convenientius
recolitur cum ſanctitate, & ſolemnitate conſecratio
Eccleſiæ, vel Altaris, quàm aliorum, quæ conſe-
crantur.

Et cum hæc omnia habeant repræſentari conſecra-
tiones Eccleſiæ, vel Altaris, meritò etiam propter ta-
lem repræſentationem octo diebus ſolemnitas dedica-
tionis agitur ad ſignificandam beatam reſurrectionem
Chriſti, & membrorum Eccleſiæ.

Juxta etiam illud de Conſ. diſt. eadem, ſolemnita-
tes dedicationum Eccleſiarum per ſinguios annos ſo-
lemniter ſunt celebrandæ, & per dies octo, ut reperi-
tur etiam ſciptum in lib. Machab., (*ſ*) & fecerunt ſ Lib. 1. c. 4.
dedicationem altaris diebus octo, & obtulerunt holo-
cauſta cum lætitia, & ſacrificium ſalutaris, & laudis.
Et rurſus ſtatuit Judas, & fratres ejus, & univerſa
Eccleſia Iſrael, ut agatur dies dedicationis altaris
temporibus ſuis ab anno in annum poſt dies octo.

Et ſi inquiratur, quare & nunc in Eccleſia Catho-
lica ſervatur dies dedicationis Eccleſiæ, (ſolemnitas
dedicationis altaris) per dies octo, & non ſervatur po-
ſtea etiam modus altaris, cum modò debeat eſſe lapi-
deum, & tunc in lege veteri de terra conſervabatur al-
tare, vel ſi lapideum, non fiebat de ſectis lapidibus,
ut habetur ex libro Exodi, (*t*) altare de terra facietis t cap. 20.
mihi, quod ſi lapideum altare feceritis mihi, non ædi-
ficabis illud de ſectis lapidibus. Quare artem hoc?
Quia tunc omnia, quæ Deus jubebat eſſe facienda,
erant ordinta ad ſervandum populum ab Idololatria;
& ideò mandabatur illis altare fieri de terra, vel de la-
pidibus non ſectis ad Idololatriam removendam; at nunc
cum populus fidelis numquam converſus ſit ad Idolola-
triam, cum ſemper ſervatum fuerit præceptum illud
decalogi, Unum Deum cole, non habebis Deos alie-
nos coram me, non fuit opus populo Chriſtiano hoc
præcipere; immò ſi fuiſſet opus præcipiendi fideli po-
pulo, debuiſſet fieri præceptum, quod lapidea altaria
eſſent, & hoc propter convenientem ſignificationem
hujus Sacramenti, ſiquidem dix:, altare ſignificat
Chriſtum, & cum de Chriſto dicatur petra, ut Paulus
ad Corint: (*u*) dixit, Petra autem erat Chriſtus, hinc u 1. cap. 10.
eſt; quod & altare de petra fieri debet; immò & ſigni
ficat altare ſepulcrum Chriſti, nam & corpus Chriſti
in ſepulcro lapideo fuit reconditum, ut legitur in Evan-
gelio Marci, (*x*) & poſuit eum in monumento, x Cap. 15.
quod erat exciſum de Petra;

Pariter eſſe altare lapideum competit etiam quoad
uſum Sacramenti, nam & de facili ubique invenitur,
& eſt res ſolida, quod non erat neceſſarium in lege
veteri, in qua tunc fiebat in uno loco altare.

Sed quid dicendum eſt de vaſis, cum etiam in lege
veteri eſſe debebant aurea, vel argentea, ſicut conſtat
& illa feciſſe Solomonem, & Machabæos in dedicatio-
ne templi. Dicendum eſt, quod & in lege nova vaſa
præcipuè, quæ deſerviunt ad uſum hujus Sacramenti
Euchariſtiæ, debent eſſe aurea, vel argentea; Qua-
propter in Concilio Rhemenſi prohibitum fuit calicem
de ære, aut auricalco fieri, quia hoc vini virtute æru-
ginem parit, & vomitum provocat. Pariter dicitur,
quod nullus in calice ligneo præſumat miſſas celebrare;
ſive cantare, cum lignum poroſum ſit, & conſequen-
ter abſorbeat humidum, & ſanguis conſecratus in eo
remanere poſſet; Ac prohibitio iſta nedum cadere de-
bet de calice ligneo, verùm etiam de Sacerdotibus,
quoad conſcientia non aurea, ſed lignea multoties ap-
paret; propterea de Conſ. (*y*) dicitur, quondam Sa-
cerdotes aurei ligneis calicibus utebantur; nunc è con- y Diſt. 1. cap. Vaſa.
trariò Sacerdotes lignei aureis utuntur. Nullus in vi-
treo calice, cum vitrum ſit fragile, & poſſet pericu-
lum fractionis imminere; & nullus in calice lapideo
ob eamdem rationem. Igitur propter reverentiam Sa-
cramenti ſtatutum eſt, ut ex auro, vel argento, vel
ſtanneo Calix fiat; Hujus uſus incæpit ab ipſa inſtitu-
tione Evangelici ſacrificii, etenim in noviſſima Chri-
ſtus Dominus adhibuit calicem, quem fuiſſe argen-
teum affirmat Baronius: (*z*) quod ſi temporibus anti- z ann. 34. num. 63.
quis ſub Zephirino Romano Pontifice anno 212. per-
mittebatur uſus calicis vitrei, hoc non inferendum in
legem Eccleſiæ, quaſi quod ſic decreviſſet Eccleſia,
ſed potiùs talis uſus permittebatur ob tyrannidem Bar-
barorum, & Principum perſequentium Eccleſiam
Dei, & Chriſti Domini, ſicut & ejus Miniſtros; non
tole-

Digitized by Google

tolerantiam, quod nec vaſa aurea, vel argentea ad Sacrificium attinentia poſſiderent; at quid modò facerent tyranni, ſi viderent, quod vaſa aurea, & argentea ad libidinem deſerviunt in jis, qui præſunt Eccleſiæ Sanctæ Dei? Animadvertant hi, quod hoc nomen, *calix*, pro paſſione uſurpatur, non pro lætitia, ſic & Chriſtus paſſionem, quam paraturus erat pro nobis ſuſtinendam, calicem vocavit; calix ad ſobrietatem utique datur, non ad ebrietatem, utinam inebriarent ſe & in lacrymis compunctionis, ut ſtaret illud Iſaiæ, (a) inebriabo te lachryma mea, vel in calice compaſſionis, aut cum Pſal. (b) diceret, calix meus inebrians, quàm præclarus eſt; vel in incendio amoris, ut Sponſus ſcilicet Chriſtus, ad ſponſam ſuam ſcilicet ad animam, comedite amici, (c) & bibite, & inebriamini Cariſſimi; quoniam ſic agentes non audirent improperium Pauli ad Ephelios (d) dicentis, nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria; per ebritatem namque multi corruerunt, & legem pervertentes; & ad iracundiam Deum provocaverunt.

a Cap. 16. b Pſal. 22. c Cant. c. 5. d Cap. 5.

Inter alia deſervientia uſui hujus Sacramenti adeſt & *corporale*, de quo dicitur, quod determinatum fuit, eſſe de panno lineo, cum melius per pannum lineum repræſentetur paſſio Chriſti, immò & expreſſius, nam corpus Chriſti panno lineo fuit involutum, ut habetur per Joannem, (e) dicentem acceperunt corpus Jeſu, & ligaverunt illud linteis; &c. Matt. (f) verò dixit in Syndone munda. Hinc *corporale* à corpore Chriſti dicitur, ex eo, quod in ipſo reponitur corpus Chriſti; lineum tamen, & hoc rationabiliter, ut habetur de Conſ. diſt. eadem, conſultò omnium ſtatuimus, ut ſacrificium altaris non in ſerico panno, aut intincto quiſquam celebrare miſſas præſumat, ſed in panno lineo ab Epiſcopo conſecrato, ſicut corpus Chriſti in ſyndone linea, & munda ſepultum fuit; & Div. Thom., (g) competit pannus lineus propter ſui munditiam ad ſignificandam conſcientiæ puritatem, & propter multiplicem laborem, quo talis pannus præparatur ad ſignificandam Chriſti paſſionem.

e Cap. 19. f Cap. 27. g 26. a. 7.

His omnibus non obſtantibus relinquitur, ut certum, quod Sacerdos proferendo ſuper debitam materiam verba conſecrationis cum intentione conſecrandi ſine omnibus prædictis, ſcilicet *domo*, *altari*, *calice*, *corporali conſecratis*, *&* *cæteris hujuſmodi*, per Eccleſiam inſtitutis licet in rei veritate conſecraret, nihilominus tamen graviter peccaret non ſervans ritum Eccleſiæ, etſi relinqueret illos, atque reſpueret, ultrà gravitatem peccati, quam committeret, etiam in hæreſim laberetur, & ut hæreticus damnaretur; juxta Concil. Trident., (h) ſi quis dixerit, receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni adminiſtratione Sacramentorum adhiberi conſuetos, aut contemni, &c. anathema ſit.

h Seſſ. 7. can. 13.

Quantum ad ſecundum quomodo debeant convenienter ordinari ea, quæ circa hoc Sacramentum dicuntur. Sciendum eſt, quod cum in hoc Sacramento totùm myſterium noſtræ ſalutis comprehendatur, debet neceſſariò præ aliis Sacramentis cum majori ſolemnitate agi; & inde eſt, quod illa, quæ adduntur propter reverentiam, devotionem, laudem, & honorem ejuſdem Sacramenti, non debent dici ſuperflua, ſiquidem illa, quæ in Miſſa adduntur, ad Domini verba non adduntur, cum ad iſta non liceat aliquid addi, ex quibus ſolis conficitur Sacramentum, ſolùm autem adduntur ad excitandam devotionem & populi, & Sacerdotis ad Sacramentum conficiendum, venerandum, vel offerendum, ut bene ait Div. Thom., (i) conſecratio ſolis verbis Chriſti conficitur, alia verò neceſſe eſt addere ad præparationem populi ſumentis.

i 3. p. q. 83. num. 4.

Ut autem oblatio ſit munda, veneratio ſit devota, & acceptio ſit digna juxtà menſuram creaturæ rationalis facientis, quod in ſe eſt: incipitur hujuſmodi ordinatio conveniens à *præparatione*, ante celebrationem, ait Div. Thom., (l) hujus myſterii præmittitur præparatio quædam ad dignè ea, quæ ſequuntur, agenda; hoc deſumitur ex Eccleſia, (m) (ante orationem, (antequam ſcilicet accedas ad hoc Sacramentum) præpara animam tuam, (munda conſcientiam tuam) ſic Deus præcepit Aaron, & filiis ſuis dixit enim in Exodo, (n) lavabunt Aaron, & filii ejus manus, & pedes, hoc eſt opera, & cogitationes, aqua compunctionis, & confeſſionis; quando acceſſuri ſunt ad altare, ne moriantur; Præceptum Apoſtoli eſt, nam ad Corint. (o) dixit, probet ſe ipſum homo, ſcilicet præparet ſe, examinet, purget, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat; ne fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum; ob acceſſum cum peccato mortali; quod ſi probando ſeipſum, inveniat conſcientiam ſuam gravatam peccato aliquo veniali, purget illam dolendo cum lachrymis, ut admonet Div. Auguſt., Quamvis quis peccato mordeatur veniali, peccandi tamen de cætero non habeat voluntatem, ſatisfaciat lachrymis, & orationibus, & confidens de Domini miſeratione accedat ad Euchariſtiam intrepidus, & ſecurus. Igitur confiteatur peccata ſua, cujus ait David in Pſal. (p) præoccupemus faciem Domini in confeſſione; mundemus nos, ut inquit Baſilius, (q) ab omni inquinamento, atque ad ſancta accedamus, ut judicium eorum, qui Dominum occiderunt, effugiamus.

l Ib. 100. m Cap. 18. n Cap. 30. o p. c. 11. p Pſal. 94. q Lib. de bapt.

Attende ergo cui, de quo, & cum quo loqueris; Deo enim loqueris, illi, cui nihil abſconditum eſt, unde & Lucæ (r) dixit, nihil autem opertum eſt, quod non reveletur, neque abſconditum, quod non ſciatur; quoniam quæ in tenebris dixiſtis, hoc eſt, quando operari eſtis fornicationem, adulterium, homicidium, furtum, & ſimilia, in lumine dicentur, manifeſtabuntur oculis omnium; & quod in autem locuti eſtis in cubiculis, quando ſcilicet & contractus illicitos feciſtis, uſuram, & dolum commiſiſtis, quando de venditione honorum, atque dignitatum Eccleſiaſticarum ſimoniacè egiſtis, prædicabitur in tectis, erunt omnibus nota, quia Deus revelavit ignominiam veſtram. De Deo loqueris, de illo, qui miſericors, & juſtus, patiens, multæ miſericordiæ, & verax; Miſericors præcipuè cum illis, qui de miſericordia non præſumunt, ſed benè agunt, ut illum conſequi mereantur; Juſtus cum illis, qui nec pavent de ſua juſtitia, nec trepidant de ira ſua: Patiens, quia ut ipſe dixit, vivo ego, dixit Dominus, nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat; ob hoc concedit peccatori ſpatium vitæ, & ut pœnitentiam agere poſſit: Multæ miſericordiæ, quam promittit Deus omnibus illis, qui ab impietate ſua convertentur, unde per os Iſaiæ (ſ) dixit, derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus, & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum. Et verax, ego ſum Deus, & non mutor; quapropter, qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur. Cum Deo loqueris, cum illo, qui ſcrutator eſt cordium, qui non patitur æmulationem, qui non inflatur adulationibus, ſed intima cordis penetrat. Vide ergo, quomodo, aut quid loquaris; & noli eſſe, ut ab Eccleſiaſtico ſubditur, quaſi homo, qui tentat Deum; tentat enim Deum ille, qui de ſe nimis præſumit, & in oratione tantùm verbali ſperat à Deo exaudiri. Deſumitur etiam ex Eccleſiaſt. (t) cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Domini; cuſtodi pedem tuum, per pedem enim intelligere debemus motus paſſionum, atque affectionum animæ, & hoc concordat cum illo, quod ab Evangeliſta (u) dicitur, ſi pes tuus ſcandalizat te, nempe ſi propter nimiam affectionem ad res mundanas, vel ſenſuales aliis occaſionem ſcandali præbeas, abſcide eum, hoc eſt, remove illum ab illis affectionibus, & projice abs te, non conſentiendo, & tunc ſine dubio illæ cogitationes peſſimæ, quæ à corde exeunt, peribunt. Et ut dignè præparabis animam tuam ad hoc Sacramentum vel offerendum, vel ſuſcipiendum, ad quod tamen offerendum, vel ſuſcipiendum, rectè ait Div. Thom., facta præparatione ordinantur ea, quæ ſequuntur. Verùm cum ſint multæ partes celebrationis hujus Myſterii, iſtæ enumerantur, & admirabili ordine explicantur à Div. Thom., & ab aliis Sacris Doctoribus.

r Cap. 12. ſ Cap. 55. t Cap. 4. u Matth. 18.

Prima

Digitized by Google

Prima pars eſt *introitus*, (confeſſio verè loquendo non eſt pars Miſſæ,) in quo incipitur laudare Deum. Hinc Div. Thom., cujus præparationis prima pars eſt laus divina, quæ fit in introitu, (ſic dictus ab introitu Sacerdotis ad altare,) ſecundum illud Pſal., (*x*) ſacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei, & ſumitur, ut in plurimum de Pſalmis, vel ſaltem cum Pſalmo cantatur, quia ut Dionyſius dicit de cœleſt. Hierarch., (*y*) pſalmi compræhendunt per modum laudis, quidquid in Sacra Scriptura continetur.

x *Pſal.* 49.
y *Cap.* 3.

Secunda pars continet commemorationem præſentis miſeriæ, dum miſericordia petitur dicendo *Kyrie eleiſon*, (hoc eſt Dòmine miſerere,) ter quidem pro perſona Patris, ter prò perſona filii, cum dicitur *Chriſte eleiſon*, (hoc eſt Chriſte miſerere, & dicitur Chriſte miſerere, quia fuit geminæ gigas ſubſtantiæ, aſſumpſit namque naturam humanam, & illam univit unione hypoſtatica cum divina, & hoc ad differentiam Patris, & Spiritus Sancti, qui cum non aſſumpſerint naturam humanam, Dominos tantum appellamus propter divinam) & ter pro perſona Spiritus Sancti, cum ſubditur *Kyrie eleiſon*, contra triplicem miſeriam ignorantiæ culpæ, & pœnæ. Vel ad ſignificandum, quod omnes perſonæ ſunt in ſe invicem. Etenim tota eſſentia, miſericordia, & bonitas, quam imploramus, & eſt in ſingulis perſonis, & in omnibus ſimul.

Tertia pars commemorat cœleſtem gloriam, ad quam tendimus poſt præſentem vitam, & miſeriam, dicendo, *Gloria in excelſis Deo*, quæ cantatur in diebus feſtivis, in quibus commemoratur cœleſtis gloria, intermittitur autem in officiis luctuoſis, utpote quia pertinent ad commemorationem miſeriæ. Hinc & Sotus addit, iſte cantus divinæ gloriæ finis eſt, qui noſtrum referrimus ſacrificium, & à noſtris miſeriis liberati pervenire conamur.

Quarta pars continet *orationem*, quam Sacerdos cum populo facit, ut tantis myſteriis habeantur digni. Antequàm tamen orationem Sacerdos ſe vertit ad populum dicendo, *Dominus vobiſcum*; illum ſalutando; propter quod Dionyſius de cœleſti Hierarc. (*z*) vocat hanc ſalutationem diviniſſimam; & dicitur ante orationem, ad captandum Populi attentionem in illam; & ex Soto, quia, ut ait Paulus ad Rom., (*a*) quod oremus, neſcimus, ſed ſpiritus nos docet, adiuvans infirmitatem noſtram. Et dicitur, *Dominus vobiſcum*, magis quàm *Deus Jeſus*, vel *Chriſtus*, quia hoc nomen *Dominus*, ſecundùm Albertum Magnum, poteſtatem ſignificat; Et populus reſpondet, & *cum Spiritu tuo*, ut denotetur, quod unus debet eſſe affectus Sacerdotis, & populi.

z *Cap.* 3.
a *Cap.* 8.

Poſt hanc præparationem præmittitur inſtructio fidelis populi; & hæc inſtructio primò quidem fit *per doctrinam prophetarum*, & *Apoſtolorum*, quæ in Eccleſia per lectores, & ſubdiaconos legitur, cum hac tamen differentia, quod lectoribus committitur ſolùm vetus teſtamentum, ſubdiaconis verò committitur & novum, & vetus teſtamentum, ut dicemus de Ordine. *Epiſtola* nomen Græcum eſt, derivatum ab *Epi.* quod eſt, *ſupra*, & *ſtolon*, quod eſt *miſſio*, Unde latinè dicitur *ſupermiſſio*, vel *ſupererogatio*. Hinc Turecremata ait, Epiſtola dicitur ſupermiſſio, quia ſicut Prophetiæ ſuper legem, ſic ſuper Evangelium ſunt Epiſtolæ miſſæ: unde non ſolùm Epiſtola, ſed & loco earum Prophetiæ leguntur, ambæ ſunt legum ſupermiſſiones, ſed illæ veteris legis, hæ novæ legis &c.

Poſt lectionem recitatur *graduale*, & ſignificat profectum vitæ, vel tendentiam ad perfectionem vitæ gradatim; omnes namque tenentur ad perfectionem tendere, & de imperfecto ad perfectum ſtatum evenire; exceptis Epiſcopis, qui in ſtatu perfecto debent eſſe. *Graduale* myſticè dicitur à *gradibus humilitatis*, utpote illi conveniens, qui nec dum aſcendit de virtute in virtutem, ſed adhuc in valle lachrymarum poſitus, jam tamen aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit. Sic Rabanus. Cui aſſentit Porrecta, per *graduale*, ſive *Reſponſorium* Præcurſoris humilitas denotatur, ſeù pœnitentia cui ſe Populus dedit poſt Joannis prædicationem parate viam Domini, & facite fructum dignum pœnitentiæ.

Alleluja ſignificat *ſpiritualem exultationem*, ait Div. Thom., ſic & colligitur ex illo Apocalypſis *Alleluja*, quoniam regnavit Dominus Deus noſter Omnipotens: Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei. *Alleluja* Hebraice, Latinè *laudate Dominum*, vel *laudatio Domini*, Græcè autem eſt idem, quod *laus*. Hinc Gloſſa ſentit importare ineffabilitatem ipſius laudis, quod non fert laus communiter dicta; Ecc. benedicentes Dominum, quantùm poteſtis, major eſt enim omni laude; Idcircò Div. Thom. benè conſiderans Sacramentum hoc inter cætera alia ſupremum; quoniam & ineffabile dicitur, in ſequentia Corporis Chriſti ſic canit, quantùm potes, tantùm aude, quia major omni laude, nec laudare ſufficit; ſiquidem inexplicabilis eſt ab homine bonitas Dei in illo; Propterea Pulchrè dicitur à Div. Thom. ibid. in Apocalyp. quod continet laudem propriam Dei, non tamen utcumque, ſed cum plenitudine gaudii, & exultationis, qualis eſt in Patria.

b *Cap.* 19.

Tractus verò in officiis luctuoſis, qui ſignificat *ſpiritualem gemitum*. Hinc Sotus in Septuageſima uſque ad Paſcha, quo tempore exilium Adæ è Paradiſo, & Babyloniam captivitatem commemoramus non canitur *Alleluja*, ſed ut eſt in Pſalmo, (*c*) ſuſpendimus organa noſtra; ut captivi illi dicebant, quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?

c *Pſ.* 136.

Perfectè Populus inſtruitur per *Doctrinam Chriſti in Evangelio contentam*, quæ à ſummis Miniſtris legitur, ſcilicet à diaconibus. Per Evangelium enim eruditur populus fidelis de vita, dictis, & factis à Chriſto Domino, quæ omnia in Evangelio continentur, à quà tamen inſtructione non debent repelli Catechumeni, & infideles, ſic & ſtatutum fuit de Conſ. diſt. 1. Epiſcopus nullum prohibeat ingredi in Eccleſiam, & audire verbum Dei, ſive Gentilem, ſive Hæreticum, ſive Judæum, uſque ad Miſſam Catechumenorum, in qua ſcilicet continetur inſtructio fidei. Hinc Cyprianus (*d*) ad hanc rem ait, nihil eſt, in quo magis Confeſſor fratribus proſit, quàm dum Evangelica lectio de ore ejus auditur. Eſt namque *Evangelium*, ex Inn., verborum Verbi, ſermo ſermonis, Spientia Sapientiæ.

d *Epiſt.* 24.

Et quia Chriſto credimus tanquam divinæ veritati, juxta illud Joannes, (*e*) ſi veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Lecto Evangelio *Symbolum fidei* cantatur, in quo populus oſtendit ſe per fidem Chriſti aſſentire. Hoc autem *Symbolum* dicitur poſt Evangelium, nam Apoſtolus ad Rom. (*f*) ait, corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem, per *Evangelium ergo* creditur corde ad juſtitiam, per *Symbolum* verò ore fit confeſſio ad ſalutem Cantatur *hoc Symbolum* in feſtis Chriſti, Beatæ Mariæ Virginis, & Apoſtolorum, qui hanc fidem fundaverunt, & in aliis feſtis plurium Sanctorum Ordinis noſtri, & ſic de aliis juxta morem Eccleſiæ, vel Religionis.

e *Cap.* 8.
f *Cap.* 10.

Symbolum Græcè, Latinè *indicium*, vel *ſignum* eſt ex Sancto Clemente, (*g*) & meritò ſic appellatur, quoniam per id indicatur fidei integritas; ſignum, quod ab eò benè retento, & intellecto, fideles ab infidelibus diſcernuntur; conlatio, quia in eo Apoſtoli omnem fidei integritatem contulerunt.

g *Ep.* 1. *ad Jacobum fr.m Domini.*

Poſt hæc ait Div. Thom., ſic igitur populo præparato, & inſtructo acceditur ad celebrationem, (ut rectè videatur ordinari ea, quæ ſequuntur) myſterii; quod quidem offertur, ut ſacrificium, conſecratur, & ſumitur, ut Sacramentum. Et primò peragitur *oblatio*, ſecundò *conſecratio materiæ oblatæ*, tertiò *perceptio ipſius*.

Circa oblationem duo aguntur, & *laus populi in cantu offertorii*, per quod ſignificatur lætitia offerentium juxta illud, quod legitur in lib. Machabæorum, (*h*) & obtulerunt holocauſta cum lætitia. Et oblatio Sacerdotis, qui petit, ut oblatio populi

h *Lib.* 1. *c.* 4.

Digitized by Google

k l.1.c.29 ſit Deo accepta; ut colligitur ex lib. Paralip. Ego in ſimplicitate cordis mei, lætus obtuli univerſa hæc, & populum tuum, qui hic repertus eſt, vidi cum ingenti gaudio tibi offerri donaria; & poſtea orat ſic etiam dicendo, ſicut, & dicebatur, Domine Deus Abraham & Iſaac, & Jacob Patrum noſtrorum cuſtodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, & ſemper in veneratione tui mens iſta permaneat. Hinc eſt, quod de Conſ. diſt. 1. dicitur, quod omnis Chriſtianus procuret ad Miſſarum ſolemnia aliquid Deo offerre, & ducere ad memoriam, quod Deus per Moyſem dixit non apparebit in conſpectu meo vacuus.

Circa conſecrationem, quæ ſupernaturali virtute agitur. Primò excitatur populus ad devotionem in *præfatione*, in qua dicitur, *ſurſum corda*, (in quibus verbis Apoſtolicæ traditionis propriè loquendo incipit præfatio), per quod movetur ſurſum corda habere ad Dominum. Et quamvis etiam in aliis Sacramentis l 3 p.q.83. a.4 ad 5 exigatur devotio fidelium, in iſto autem major devotio reperitur; Unde Div. Tho. (*l*) in hoc Sacramento requiritur devotio totius populi, pro quo ſacrificium offertur, & non ſolùm percipientium Sacramentum, ſicut & in aliis Sacramentis. Ideòque Cyprianus dixit, Sacerdos præfatione præmiſſa parat fratrum mentes dicendo *ſurſum corda*, ut dum reſpondet plebs *habemus ad Dominum*, admoneatur, nihil aliud ſe, quam Deum cogitare debere. Et Divus Auguſtinus m cap.16 (*m*) de bono viduitatis inquit inter ſacra Myſteria cor habere ſurſum jubemur, ipſo adjuvante id valemus.

In fine autem præfationis populus devotè laudat divinitatem Chriſti cum Angelis dicens, n Cap.6 *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus* ſicut habetur in Iſajam: (*n*) Seraphim ſtabant ſuper illud; ſex alæ uni, & ſex alæ alteri, &c. & clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, o cap.4 Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria ejus, & in Apocalypſi, & requiem non habebant die, ac nocte dicentia, Sanctus: Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt. Ubi animadverte p l.3.c.18 cum Ambroſio lib. de Spiritu Sancto, (*p*) non ſemel dicunt, ne ſingularitatem credas, non bis dicunt ne Spiritum excludas; non ſanctos dicunt, ne plenitudinem aſſumas; ſed ter repetunt, & idem dicunt; ut etiam in hymno diſtinctionem Trinitatis, & divinitatis intelligas, unitatem. Hæc cum dicunt, Deum prædicant. Et humanitatem cum pueris dicens *benedictus, qui venit in nomine Domini, Oſanna in Excelſis*, hoc eſt *ſalvifica quæſo*. Deinde Sacerdos ſecretò commemorat pro quibus hoc ſacrificium offertur, ſc. pro univerſali q 1 c.2 Eccleſia, & pro his, qui in ſublimitate ſunt conſtituti, juxta illud Pauli ad Timoth. (*q*) Obſecro primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, &c. pro Regibus, & pro omnibus, qui in ſublimitate ſunt. Unde in Canone prius pro *Univerſali Eccleſia*, pro *Papa*, pro *Antiſtite*, pro *Rege*, & pro *omnibus Ortodoxis*, *atque Catholicæ*, *&* *Apoſtolicæ fidei cultoribus*, deprecatur, & hoc ſacrificium offertur.

Secundò commemorat quoſdam, qui offerunt, vel pro quibus offertur, & hoc fit, quando dicitur in memento pro vivis, *quorum tibi fides cognita eſt*, *pro quibus tibi offerimus*, *vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis pro ſe*, *ſuiſque omnibus*, *&c.* Hoc autem fit ſpecialiter in hoc Sacramento Euchariſtiæ, quia ut benè ait Div. r ad 3. Thom. (*r*) eſt Sacramentum totius Eccleſiaſticæ unitatis, & ideò ſpecialiter in hoc Sacramento magis, quàm in aliis fieri debet mentio de omnibus, quæ pertinent ad ſalutem totius Eccleſiæ; cujus regimen Chriſtus reliquit Petro, cui dedit poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, & ſucceſſoribus ſuis, & ſunt Pontifices Romani pro tempore reſidentes ſuper thronum Petri; Igitur pro *Papa noſtro* dicitur, inſignum quod ipſe eſt caput Eccleſiæ totius, & Pater totius Orbis Catholici; Pariter Chriſtus inſtituendo Sacerdotes Apoſtolos conſtituit illos & Epiſcopos, miſit namque illos in Mundum univerſum prædicare Evangelium, & cunctos illos, qui crediderint baptizare. Igitur & pro *Antiſtite noſtro*, dicitur, quia & ipſe redditurus eſt rationem ante tribunal Domini de omnibus ſuæ curæ ſubjectis, juxta Paulum ad Hebr. (*ſ*) Mementote ſ cap.13 præpoſitorum veſtrorum. ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri. Deinde & pro *Regibus* orare debemus pro illis, ſcilicet ſub quorum tutela vivimus, & ſuſtentamur, nam & Reges miniſtri Dei ſunt, non enim ſine cauſa gladium portant, unde & punire debent delinquentes, ne Mundus impleatur vitiis, & abominationibus, propter quod Divus Thomas ait, (*t*) quod in pace eorum eſt pax noſtra; & eorum tranquillitas ad myſtici corporis valetudinem multum confert. t p. ad Timoth. 2. Hinc ſubdit Paulus ibid. obſecro omnium fieri obſecrationes pro Regibus, & pro omnibus, qui in ſublimitate ſunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate.

Subditur *& omnibus Orthodoxis*, *atque Catholicæ*, *& Apoſtolicæ fidei cultoribus*; *Orthodoxis* utique, hoc eſt, quò nullo errore depravari fidei confeſſione Deum glorificant. Sic hoc nomen *Orthodoxis* ſonat, nam eſt nomen Græcum, *orthos* enim Græcè, Latinè *rectum*, & *doxos* Græcè, latinè *doctrinalis regula*. Unde orationes fiunt pro Orthodoxis, pro illis, videlicet qui inviolabiliter tenent ſanam doctrinam fidei, propter quod à fructu hujus Sacrificii excluduntur hæretici, Schiſmatici, atque infideles, eò quia recta fide, & unione carent. Ad hanc rem fas eſt, ut iterum dicamus ea, quæ docet Div. Tho. (*u*) hoc Sacrificium, quod eſt u 3 p q 79 a 7. ad 2. memoriale Dominicæ paſſionis, non habet effectum, niſi in illis, qui huic Sacramento conjunguntur per fidem, & charitatem; Nam ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Et Divus Auguſtinus inquit, quis offerat corpus Chriſti, niſi illis, qui ſunt membra Chriſti; Membra autem Chriſti ſunt omnes fideles, & qui fideliter in Chriſto vivunt, & illi ſerviunt, pro quibus oratur et in Canone (hoc eſt in Regula Eccleſiaſtica) Miſſæ, dùm dicitur in memento pro vivis, *quorum tibi fides cognita eſt*, *pro quibus tibi offerimus*, *vel qui tibi offerunt*, *hoc Sacrificium laudis*, *pro ſe ſuiſque omnibus* &c. Maximè etiam quia hoc Sacrificium eſt ſanctiſſimum, & ſanctè etiam pertractari debet, & per hoc ab Eccleſia inſtitutus fuit Sacer Canon, ut per iſtum, & ſanctitas, & pietas reluceat, & mentes offerentium in Deum dirigatur: Quod & habetur per x Seſ. 10 cap 4. Concilium Tridentinum, (*x*) & cum ſancta ſanctè adminiſtrati convenit, ſitque omnium ſanctiſſimum Sacrificium; Eccleſia Catholica, ut dignè, reverenterque offeretur, ac perciperetur Sacrum Canonem multis ante ſeculis inſtituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maximè ſanctitatem, & pietatem quamdam redoleat, menteſque in Deum erigat offerentium: Is enim conſtat, tùm ex ipſis Domini verbis, tùm ex Apoſtolorum traditionibus, ac Sanctorum quoque Pontificum piis inſtitutionibus, & ne quis audeat in contrarium aſſerere, idem Concilium Decrevit per Canonem, (*z*) quod ſi quis dixerit, Canonem Miſſæ errores continere, ideoque abrogandum, anathema ſit. z ibid. can 6.

Poſt commemorationem Univerſalis Eccleſiæ, & pro omnibus dictis, Sacerdos commemorat Sanctos, quorum Patrocinia implorat pro prædictis, & hoc facit, quando dicit *communicantes*, hoc eſt, fidelium ſuffragia participantes, & *memoriam venerantes*, ipſorum meritis, ac precibus divinæ protectionis auxilio deprecantes muniri; hoc colligitur ex illo Exodi, etenim Moyſes Patrum memoriam coram 9 cap.32 Deo allegavit, ut averteret iram ſuam à populo ſuo dixit enim, Recordare Abraham, Iſaac, & Iſrael ſervorum tuorum; propter memoriam horum Patrum placatus eſt Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adverſus populum ſuum.

Et in

Et in primis *Glorioſæ ſemper Virginis Mariæ*, Hæc eſt enim Regina omnium Sanctorum, & ut Regina primum locum inter omnes Sanctos tenere debet, & quãvis Regina Sanctorum omnium, non dedignatur tamen eſſe advocata omnium noſtrum, quod eſt idem ac dicere omnium peccatorum Mundi hujus; ob hoc illam ſuppliciter exorare ſolemus, ut intercedat pro nobis ad Dominum Deum noſtrum; Deinde *Apoſtolorum*, utpote quia per iſtos fides Jeſu Chriſti, & illa, quam profitemur, per ipſos claruit, nam in toto orbe terrarum fundamenta fidei noſtræ jecerunt: Ad hoc ſequuntur *Martyres*, iſti pro fide Chriſti animam ſuam poſuerunt, ut teſtes eſſent veræ fidei, quam nos ſequimur, ſequamur & illos injuriam tollerantes, perſecutionem patientes, ut in numero eorum computari poſſimus.

Sed eſt, qui dicit, quare fit in Canone commemoratio Sanctorum Apoſtolorum, ac Martyrum, tàm virorum, quàm mulierum, & non Confeſſorum? Ad ipſum ego dicerem, quod hoc totum factum eſt, quoniam & Sacramentum Euchariſtiæ Sacramentum fidei dicitur, & nuncupatur, Unde cum Martyres, (nam de Apoſtolis hoc ſupponitur) in confeſſione veræ fidei Ludibria, verbera, & alia hujuſmodi ſuſtulerint, immò & pugnaverint, & pugnando vicerint regna, Illa ſubdendo Deo vivo, & vero, operati ſunt juſtitiam non obcæcari munerum, vel donorum, ut quidam impiè geſſerunt, qui dereliquerunt Dominum, & legem ejus ſpreverunt, & denique perierunt propter iniquitates ſuas; Hinc meritò de Martyribus, non verò de Confeſſoribus fit commemoratio in Canone Miſſæ, non quia ut ipſi non crediderint, ſed quia fidem, quam proteſtabantur, impleverunt cum dilectione hominum, & odio vitiorum, unde & ſperaverunt in Deo ſalutari ſuo.

Deinde petitionem concludit, cum dicit, *hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ*, nam proteſtari debemus, Deum in nos habere ſupremum dominium, & nos ſubjicere debemus ejus poteſtati: verumtamen non tantùm nos, ſed & tota Eccleſia, propterea additur ſed *& cunctæ familiæ tuæ*; hoc eſt totius Eccleſiæ, *quæſumus Domine, ut placatus accipias, &* non iraſcatur ob peccata noſtra, *dieſque noſtros in tua pace*, (intellige de illa, quam dedit diſcipulis ſuis, dùm aſcendit in Cœlum,) *diſponas atque ab æterna damnatione nos eripi* (per gratiam ſuam, ut liberari poſſit conſcientia noſtra à vincuiis peccatorum,) *& in electorum tuorum jubeas grege numerari*; (ut in numero electorum per gratiam finalem aggregemur per illum, qui dixit, ego ſum Paſtor bonus.

Sacerdos poſt hæc accedit ad ipſam conſecrationem, in qua primò petit conſecrationis effectum cùm dicit, *quam oblationem tu Deus in omnibus quæſumus, benedictam, adſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis corpus, & ſanguis fiat dilectiſſimi filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Nec Sacerdos per hoc, quod dicit, *quam oblationem* &c. ſuperfluè petit perfectionem hujus Sacramenti, quia, ut benè ait
a 3. p. q. 83. a. 5 ad 7 Div. Thom., (a) non videtur Sacerdos orare ibi, ut conſecratio impleatur, ſed ut nobis fiat fructuoſa. Unde ſignanter dicit, *ut nobis corpus, & ſanguis fiat*. Hoc autem ſignificar verba, quæ præmittit dicens, *hanc oblationem facere digneris, benedictam*, ſcilicet per quam benedicamur, ſ. ad gratiam, *aſcriptam*, ſcilicet per quam in cœlo aſcribamur; *ratam*, ſcilicet pet quam de viſceribus Chriſti eſſe cenſeamur; ſive trayciamur; *rationabilem* ſcilicet pet quam à beſtiali ſenſu exuamur, *acceptabilem*, ut qui nobis ipſis diſplicemus, per hanc accepcabiles ejus unico filio ſimus.

Secundò conſecrationem peragit per verba Salvatoris, cum dicit, *Qui pridiè quàm pateretur, accepit panem in ſanctas, ac venerabiles manus ſuas, & elevatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem ſuum omnipotentem &c.* Et licet in Evangeliis non legatur, Chriſtum in conſecratione hujus Sacramenri oculos non levaſſe, attamen aſſerendum eſt, hoc feciſſe in inſtitutione eiſdem, utpote in re potiori, quam in ſuſcitatione Lazari, & in oratione, quam fecit cum diſcipulis ſuis de ſuſcitatione Lazari conſtat Jeſum levaſſe oculos, dùm leggitur in Joannem (b) rulerunt ergo lapidem, Jeſus au- b cap. 11
tem elevatis ſurſum oculis dixit; Pater gratias ago tibi, quoniam exaudiſti me. De oratione pro diſcipulis conſtar etiam apud eundem Evangeliſtam, hæc lo- c cap. 17
cutus eſt Jeſus, (c) & ſublevatis oculis in cœlum dixit, Pater venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te. Quod ſi in Evangelio non legarur, Dominum in cœna non levaſſe oculos in cœlum, non per hoc eſt dicendum, quod à Chriſto Domino non d cap. ult
fuerint elevati oculi in cæln, cum teſte Joan. (d) multa ſunr à Domino facta, vel dicta, quæ Evangeliſtæ non ſcripſerint; ſunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror Mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.

Inter quæ autem facta, & non ſcripta, ait Div. Th. (e) ſuit hoc, quod Dominus in cæna levavit oculos e ib. ad 2
in cæna, quod tamen Eccleſia ex traditione Apoſtolorum habuit, ex qua doctrina etiam Conc. Trident. fundamentum ſumpſit ſtatuendi, id, quod jam dictum fuit ſupra.

De forma autem conſecrationis, quæ conſtat ex verbis Domini, jam ſatis dictum eſt ſuo loco.

Tertiò, ſubdit Divus Thomas, excuſat præſumptionem per obedientiam ad Mandarum Chriſti, cum dicit *unde & memores*. Quis enim aliàs id aggredi auderet, ſuper quò, (ut ait Bernardus in Cæna Domini,) ſtupet cælum, miratur terra, contremiſcit homo, & reveretur plurimum Angelica celſitudo. Nihil ergo ex nobis, quaſi ex nobis præſumentes, *nos ſervi tui* (tuo miniſterio ſed dicti, vel myſterio cooperantes), *& plebs tua Sancta*) myſtici corporis cætera membra, quorum Sanctus Sanctorum Jeſus Caput eſt,) quæ de manu tua offerimus præclaræ majeſtatis tuæ, *in beatæ paſſionis*, (quæ in remedium peccati voluit ſuſtineri ab ipſo), nec non & ab inferis (ex quibus eruti gratulantes dicunt, dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis,) *reſurrectionis, atque in Cælo glorioſæ Aſcenſionis*, &c.

Quartò petit hoc ſacrificium peractum eſſe Deo acceptum, cum dicit, *ſupra quæ propitio, ac ſereno vultu reſpicere digneris, & accepta habere, ſicut accepta habere dignatus eſt munera pueri tui Abel, & ſacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ, & quod tibi obtulit ſummus Sacerdos tuus Melchiſedech, ſanctum Sacrificium, immaculatam hoſtiam*. Nec à Sacerdote hoc inconvenienter fit, nec petitur, quia ut docet Divus Thom. (f) licet hoc f ib. ad 6
Sacramentum ex ſe ipſo præferatur omnibus antiquis ſacrificiis; tamen ſacrificia antiquorum ſuerunt Deo acceptiſſima ex eorum devotione: Et ideò etiam Sacerdos petit, ut hoc Sacrificium acceptetur Deo ex devotione offerentium, ſicut illa accepta fuerunt Deo.

Quintò petit hujus Sacrificii, & Sacramenti effectum. Et primò quantùm ad ipſos ſumentes, cum dicit, *ſupplices te rogamus Omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum, in conſpectu divinæ majeſtatis tuæ &c.* Nec etiam inconvenienter Sacerdos petit, certum eſt enim, quod Corpus Chriſti, ſicut non incipit eſſe in hoc Sacramento per loci mutationem, ita etiam nec eſſe deſinit. Quapropter D. Thom. (g) prævidens ea, quæ ab hæreti- g ib. ad 9
cis in conetnptum hujus Sacramenti dici poterant, (ut à Luthero) docet, Sacerdos non petir, neque quod ſpecies Sacramentales defferantur in Cælum, neque corpus Chriſti verum, quod ibi eſſe non deſinit, ſed petit hoc pro corpore myſtico, (quod in hoc Sacramēto ſignificatur) ut ſ. orationes Sacerdotis, & populi Angelus aſſiſtens divinis myſteriis Deo repræſentet, juxta illud Apoc. (g) & aſcendit fumus incenſorum de orationibus h cap. 8
Sanctorum de manu Angelicarum Deo. Sublime autem altare Dei dicitur, vel ipſa Eccleſia triumphans, in quã transferri petimus, vel ipſe Deus, cujus participationem

Digitized by Google

petimus; de hoc enim altari dicitur Exodi, (i) non aſcendes ad altare meum per gradus, ſcilicet in Trinitate gradus non facies. Vel per Angelum intelligitur Chriſtus, qui eſt magni conſilii Angelus, qui corpus ſuum myſticum Deo Patri conjungit, & Eccleſiæ triumphanti: Et propter hoc etiam *miſſa*, ſubdit Div. Thom., nominatur, quia per Angelum Sacerdos preces ad Deum mittit, ſicut populos per Sacerdotes, vel quia Chriſtus eſt hoſtia miſſa nobis à Deo; Unde & in fine Miſſæ Diaconus in feſtivis diebus populum licentiat dicens, *Ite, miſſa eſt*, ſcilicet hoſtia ad Deum per Angelum, ut ſcilicet ſit Deo accepta.

Secundò petit Sacramenti effectum quantum ad mortuos, qui jam ſumere non poſſunt, cùm dicit; *Memento etiam Domine famulorum, famularumque tuarum, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis;* licet enim ſumere non poſſint, & conſequenter nec percipere fructum Sacramenti, ut illi proſit ad vitam æternam, attamen per modum Sacrificii illis prodeſt; Etenim Sancta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur, quoniam habemus ex lib. Machabæorum, (l) quod fortiſſimus Judas, facta collatione duodecim millia drachamas argenti, miſit Jeroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium. Ex quibus poſſumus rationabiliter deducere, quod ſi tunc, quod omnia contingebant in figura, salubris erat hæc cogitatio, permultum ſanè erit ſalubris eadem cogitatio in Evangelica lege ſacrificii, in quo Chriſtus immolatur æterno Patri ſub ſpeciebus panis, & vini; propterea inquit Gloſſa ſuper illud munus abſconditum extinguit iras; munus abſconditum eſt Chriſtus in Euchariſtia, extinguens iras Dei, ſcilicet pœnas Purgatorii, alleviando pœnam illorum, & abbreviando; Sic ſentit & Concilium Trident. (m) animas in purgatorio detentas, fidelium ſuffragiis, potiſſimum verò acceptabili Altaris ſacrificio juvari; Et Div. Thom. jam dixit in officio Corporis Chriſti; offertur in Eccleſia pro vivis, & mortuis, ut omnibus proſit, quod eſt pro ſalute omnium inſtitutum.

l Lib. 2. cap. 12.

m Seſſ. 25.

Tertiò ſpecialiter eumdem petit quantum ad ipſos Sacerdotes offerentes, cum dicit, *nobis quoque peccatoribus* &c. dicitur, *nobis quoque peccatoribus*, hoc eſt, *quem in Chriſto quieſcentibus locum refrigerii, lucis, & pacis imploramus*, nobis etiam in hoc corporis ergaſtulo laborantibus, paſſionum tenebris obvolutis in hac vita, quæ eſt militia ſuper terram, animi perturbationibus vexatis indulgeas; peccatoribus, quoniam etſi ſancti, & juſti ſint Sacerdotes offerentes hoc Sacrificium, attamen à ſingulis peccatis venialibus immunes ſe dicere non poſſunt, quoniam, ait Joannes, (n) ſi dixerimus, peccatum non habemus, mendaces ſumus: & ipſi nos ſeducimus.

n p. cap. 1.

Deinde agitur de perceptione Sacramenti; primò præparatur populus ad percipiendum. Et primò per orationem communem totius populi, quæ eſt *oratio Dominica*, in qua petimus panem quotidianum nobis dari, ſive ſit panis ſacramentalis, cujus quotidianus uſus proficit homini, inquit Div. Th. (o) ſive ſit corporalis, ut per panem intelligatur omnis ſufficientia victus; Quoniam ait Auguſt. ad Probam, (p) & Euchariſtia eſt præcipuum Sacramentum, panis eſt præcipuus cibus; Unde & in Evangelio Matt. ſcriptum eſt, ſuperſubſtantialem, ſ. præcipuum; niſi etiam dicamus, ſuperſubſtantialem, hoc eſt Chriſtum panem vivum, ſub ſpecie panis vitalis; Juxta Div. Thom. in ſequentia Corporis Chriſti, laudis thema ſpecialis, panis vivus, & vitalis; hodie proponitur. Unde & Chriſtus Dominus docet nos orare hoc pacto *panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*: hæc oratio, quia Domini eſt, ideò rationabiliter à patribus vocatur legitima, & doctrinæ cœleſtis compendium; ſermo abbreviatus, breviarium totius Evangelii. Subdit Div. Thom., & etiam per orationem privatam, quam ſpecialiter Sacerdos pro populo offert, cum dicit, *libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis præteritis* in cuplis, inquit. B. Albertus Magnus, quas petimus nobis dimitti; etiam docet Div. Thom. (q) remota macula culpæ poteſt quidem remanere reatus pœnæ non ſimpliciter, ſive pœnæ æternæ, ſed ſatisfactoriæ ſcilicet temporalis. *Præſentibus*, quibus mens noſtra, voluntas noſtra ſubiacet, propter quod & dicitur ſepties in die cadit juſtus; *Futuris*, nempe ab illis, quæ nobis evenire poſſunt, maxime tamen loquendo de illis, quæ ad illicita inclinare ſolet homo non tantùm ex natura, quæ inclinat ad peccatum, juxta illud Gen. (r) ſenſus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua, verùm etiam ex tentatione dæmonum, de qua ut evadere poſſimus, opus eſt orare ad Dominum, ut ne tantum non inducas nos in tentationem, ſed & libera nos à malo, per gratiam ſuam ſcilicet. Hinc Joannes Chryſoſt. (ſ) ait liberare quidem à putredine peccatorum, Chriſti virtutis eſt; ut autem ad illa iterum non revertantur, Apoſtolorum curæ eſt, ac laboris. Epiſcoporum ſcilicet, & eorum, qui prædicant Verbum Dei, arguendo, docendo, increpando.

o 3. p. q. 81. art. 9. in o.

p Ep. 128.

q p. 3. qu. 87. a. 6.

r Cap. 8.

ſ Hom. 17. in Matt.

Secundò præparatur populus per pacem, quæ datur dicendo *Agnus Dei*, eſt enim hoc Sacramentum unitatis, & pacis. Antiquitùs dabatur oſculum pacis, & hoc in ſignum, quod omnes fideles erant unanimes in Domino; propterea habemus ex Div. Auguſt. (t) poſt ipſam, ſcilicet Orationem Dominicam, dicitur *pax vobiſcum*, & oſculantur ſe Chriſtiani in oſculo Sancto; adde ex Div. Thom. ad Corint., (u) non ficto, non ſubdolo, quemadmodum Judas Chriſtum oſculatus eſt. Modò tamen præſentatur tabella quæ pax dicitur, quia pax Chriſti creſcente malitia in pacem Mundi converſa videbatur; Et hæc pax datur in Miſſis ſolemnibus, & feſtivis: Nam in Miſſis defunctorum, in quibus ſacrificium offertur, non pro pace præſenti, ſed pro requie mortuorum, *pax* intermittitur. Pariter omittitur *pax*, ſicut & oſculum, tribus diebus ante Paſcha, cum Eccleſia celebrando commemorationem paſſionis Domini Jeſu induit ſe veſtibus doloris, ac mæſtitiæ, et hoc quia videt ſe viduata paſtore, & verè ſponſo ſuo. Deinde ſequitur perceptio Sacramenti percipiente Sacerdote, & poſtmodum aliis dante, quia ut Dionyſius (x) dicit de Cœleſti Hierc. ille, qui aliis divina tradit, primò debet eſſe ipſe particeps. Nec ex eo, quod adſtantes communionem non recipiant ore, non debet dici, quod videtur ſuperfluum, ly poſtmodum aliis dante, cum corde, ut ſupponitur, illam recipiant, Juxta etiam mentem Div. Thom., cùm ergo Sacerdos communicat, omnia membra reficiuntur: ideò etiam pueri, qui ſunt membra hujus corporis, Chriſtianitatis ſcilicet Hinc & Eccleſia hæc rectè conſiderans in Collecta, *Refecti* (non refectus) *cibo, potuque cœleſti Deus noſter* &c.

t Serm. de Vig. Paſch.

u 2. Corint. cap. 16.

x Cap. 3.

Ultimò rota Miſſæ celebratio in gratiarum actione terminatur, populo exultante pro ſumptione myſterii, (quod ſignificat *cantus poſt communionem* (& Sacerdote per orationem gratias offerente, ſicut & Chriſtus celebrata Cœna cum diſcipulis ſuis hymnum dixit, ut dicitur Matt., (y) Hymnus, ut habet Hieronymus, eſt laus Domini; & ſecundum Bedam poteſt hymnus intelligi; quem Dominus ſecundum Joannem, Patri gatias agens decantabat: in quo pro ſe ipſo & diſcipulis, & pro eis qui per verbum ipſorum credituri erant; elevatis ſursùm oculis præcabatur. Et Chryſoſtomus ſuper Matt. (z) ſic ait; gratias egit, & hymnum dixit, poſtquam dedit, ut & nos hoc ipſum faciamus

y Cap. 26.

z Hom. 83.

Div. autem Tho. (a) omnia hæc concludit dicendo, in hoc Sacramento tanguntur ea, quæ pertinent ad totam Eccleſiam. Ideòque quædam dicuntur à Choro quę pertinent ad populum. Quorum quædam chorus totaliter proſequitur, quæ ſ. toti populo inſpirantur Quædã populus proſequitur Sacerdote inchoante, qui perſonã Dei gerit; Et ideo Sacerdos inchoat ſymbolum fidei, & gloria in Excelſis Deo; Quædam dicuntur per miniſtros, ſicut doctrina veteris, & novi teſtamenti in ſignũ, quod per miniſtros à Deo miſſos eſt Doctrina hęc po-

a 3. p. q. 83. art. 4. ad 6.

pulo

pulo annunciata; Quædam Sacerdos ſolus proſequitur, quæ .ſ.ad proprium officium Sacerdotis pertinent, ut .ſ. dona, & preces offerat pro populo.

In his tamen quædam dicit publicè, ſ. quæ pertinent & ad Sacerdotem, & ad populum, ut ſunt orationes communes. Quædam pertinent ad ſolum Sacerdotem, ut oblatio, & conſecratio; & quæ circa hæc dicenda ſunt, occultè à Sacerdote dicuntur. In utriſque tamen excitat attentionem populi dicendo, *Dominus vobiſcum*, & expectat aſſenſum dicendo. *Amen*. Unde videtur, quod quamvis Sacerdos ſic miniſter Sacramenti hujus, tamen quædam à miniſtris, quædam à choro, & multa à Sacerdote dicuntur, qui tamen etiam in his, quæ ſecretò dicuntur, præmittit, *Dominus vobiſcum*, & ſubjungit *per omnia ſæcula ſæculorum*. Vel etiam aliqua ſecretè dicit in ſignum, quod circa paſſionem diſcipuli non niſi occultè confitebantur Chriſtum; Et hæc quantum ad celebrationem Miſſæ, cujus tres ſunt differentiæ, ut ſ. alia dicatur pro Sanctis, alia pro vivis, alia pro defunctis fidelibus; Nam, ut docet Div. Th. (b) ſunt tres par-
b opuſ. 66 tes Eccleſiæ, ſ. pars in exultatione, & in iſta ſunt ſancti, qui Chriſti veſtigia ſunt ſecuti, pars in peregrinatione, & in iſta ſunt vivi ſubjacentes varietati, & tribulationi, pars in expectatione, & in iſta ſunt fideles defuncti, qui expectant opera, & requiem, & juxta iſtas tres partes ſunt etiam tres fines Miſſarum, aliam namque habet Miſſa pro ſanctis, aliam habet Miſſa pro vivis, & aliam pro defunctis, pro Sanctis dicitur, *Ite Miſſa eſt*, & ſic invitamur ad illam gloriam, in qua Sancti jam requieſcunt per *ite miſſa eſt*, quaſi dicat, hoſtia à patre nobis miſſa eſt, vel à nobis ad Patrem remiſſa eſt; ideò feſtinate ingredi ad illam requiem. Finis verò Miſſæ prò vivis hortatur nos, qui ſumus in hac peregrinatione, ut jugiter demus Deo benedictionem, & gloriam, juxta illud Pſal. nos, qui vivimus, be-
vib ad 6 nedicimus Domino. In fine verò Miſſæ pro defunctis eis optamus requiem *per requieſcant in pace*; quod in principio petimus per *requiem æternam*. Unum circa celebrationem Miſſæ ſciendum eſt, eſtque, quod ea ediderunt nobis Jacobus frater Domini ſecundum carnem, & Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus, ut habetur de Conſ. diſt. s. Jacobo primum Jeroſolimitana Eccleſia credita eſt. Quantum ad tertium, quomodo convenientia ſint ea, quæ in celebratione aguntur.

Sciendum eſt, quod quædam aguntur in celebratione hujus Sacramenti ad repræſentandam paſſionem Chriſti: vel etiam diſpoſitionem Corporis Myſtici, & quædam aguntur pertinentia ad devotionem, & reverentiam hujus Sacramenti; Ut autem devotio, & reverentia magis reſplendeat, & mentes fidelium magis ad illas excitentur, convenienter multæ ſunt cæremoniæ, quæ in celebratione ab Eccleſia ordinatę ſunt; Sic & Concilium Tridentin. ſtatuit, dùm ait, cæremonias (d) idem adhibuit, ut myſticas benedi-
d ſeſ. 22. c. 5 ctiones, lumina, Thimiamata, veſtes, aliaque id genus multa ex Apoſtolica diſciplina, & traditione, quo & majeſtas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc viſibilia religionis, & pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc Sacrifi-
e ib. can. 7 cio latent, contemplationem excitarentur. Unde anathematizat, qui dixerit, cæremonias, veſtes, & externa ſigna, quibus in Miſſarum celebratione Eccleſia Catholica utitur irritabula impietatis eſſe magis, quàm officia pietatis, anathema ſit.

Nota etiam, quod in celebratione hujus Sacramenti cæremonię, quæ ſervantur, non fiunt juxta cæremoniale veteris Legis præceptum, cum cæremonialia obſervari non poſſint, niſi cum peccato mortali. Unde etſi in Lege veteri lavabant Sacerdotes manus, ac pedes, quando acceſſuri erant ad altare, ſecundum
f cap. 30 illud, quod ſcriptum eſt in Exodo, (f) lavabunt in aqua ſ Aaron, & filii ejus manus ſuas, ac pedes, quando ingreſſi ſunt tabernaculum teſtimonii; & quando acceſſuri ſunt ad Altare, ut offerant in eo Thymiamata Domino, ne forrè moriantur, attamen hoc non tollit, quod non fiat ablutio manuum à Sacerdotibus novę Legis, quando approximantur ad altare, ut Miſſam celebrent, etenim in tantùm, docet Div. Th. *ablutio manuum* fit in Miſſæ celebrationem ob re- g 3 p. q. 83 art. 5 ad 5.
verentiam tanti Sacramenti, in quantum pretioſum corpus, & pretioſus ſanguis à Sacerdotum manibus tractari debent; propterea ſubdit, qui aliqua pretioſa tractare non conſuevimus niſi manibus ablutis, hinc indecens videtur, quod ad tantum Sacramentum aliquis accedat manibus corporaliter inquinatis: & etiam propter ſignificationem, quia per Dionyſium extremitatum ablutio emundationem à minimis pecca- h cap. 3
tis ſignificat, juxta illud Jo: (h) qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet; quæ emundatio (manuum ſ. & non pedum, uti fiebat in lege veteri) requiritur ab eo, qui accedit ad hoc Sacramentum. Unde ad hanc ſignificandam ſervatur ſolùm ablutio manuum, & hoc ſpecialiter, cum manus ſit organum organorum, teſte etiam Ariſt. de anima, (i) omnia opera i l. 3. tex. 3
attribuuntur manibus. Hinc denotatur, ut Sacerdotes accedentes ad altare debent habere conſcientiam l cap. 10
mundatam à peccatis, unde Paulus ad hunc ſenſum inquiebat ad Hæbr. (l) accedamus aſperſi corda à conſcientia mala, & abluti corpus aqua munda, ſ. ut m Op. 58. c. 25
docet D. Th. mundati lachrymis à peccatis cordis, & corporis, ut legitur Jerem. (n) lavat malitia cor ſuum n Cap. 4
Jeruſalem; ut ſalva ſias, uſquequò morabantur in te cogitationes noxiæ; Pſal. lavabo per ſingulas noctes, ſ. pro ſingulis peccatis, lectum meum, ſc. conſcientiam meam, at non tantùm lavare debent Sacerdotes conſcientiam ſuam à peccatis mortiferis, verùm etiam à venialibus, ut ſentit B. Albertus Magnus hic, dixit enim, Sacerdos abluit iterum manus hìc, quaſi cum ampliori indigent ablutione etiam à venialibus, & peccatorum reliquiis dicens cum Propheta o Pſal. 25
Pſal. (o) lavabo non jam inter peccatores, ſed inter innocentes manus meas.

Sic & eadem ratione non utitur Sacerdos Thurificatione, quaſi cæremoniali præcepto Legis veteris, ſed ſicut Eccleſiæ ſtatuto; & ideò Eccleſia utitur Thurificatio ad reverentiam Sacramenti, ut per bonum odorem depellatur, ſi quid corporaliter pravi odoris in loco ſuerit, quod poſſet provocare horrorem, & ad repræſentandum effectum gratiæ, per quem repræſentatur Myſticus bonus odor, qui eſt Chriſtus, juxta illud Gen. (p) ecce odor filii mei, ſicut odor agri ple- p c. 27.
ni, & à Chriſto derivatur ad fideles officio miniſtrorum; unde Paulus ad Corint. dixit, Deo autem gra- q 2. c. 2
tias (q) qui ſemper triumphat nos in Chriſto Jeſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco, & ideò triumphat altari, per quod Chriſtus deſignatur, turificantur omnes per ordinem.

Et cum quædam agantur ad repræſentandam paſſio- r 3 p. q. 83. a. 5 ad 3
nem Chriſti, hinc eſt, ait D. Th (r) quod Sacerdos in celebratione Miſſę utitur crucеſignatione ad exprimendam paſſionem Chriſti, quæ ad Crucem eſt terminata. Quæ tamen cruceſignationes licet iterentur, iterantur ſolùm propter mentionem faciendam de omnibus illis, quæ erga Chriſtum, à Chriſto, & per Chriſtum ſuerunt facta: Nam ut ait D. Th. paſſio Chriſti quibuſdam quaſi gradibus eſt peracta.

Primò fuit Chriſti traditio, quæ à Deo, Juda, & Judæis facta eſt, ad hoc ſignificandum fit trina cruceſignatio ſuper illa verba in *Te igitur clementiſſime Pater &c. hæc dona, hæc munera, hæc Sancta Sacrificia illibata*. Juxta ea, quæ correſpondent auctoritati Sacræ ſ cap. 8
Scripturæ; dicitur enim Rom. (ſ) qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis tradidit illud; & ecce prima traditio.

Secunda traditio conſtat ex illo Matt. (t) quęrebat op- t cap. 26
portunitatem, ut eum traderet. Tertia habetur ex illo Jo: (u) Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi. Hinc u cap. 18
Albertus ait, Filius Dei, qui oratur venire in ipſa dona, munera, & ſacrificia, dicitur donum Patris, & eſt nobis x cap. 9
datus; Iſ. (x) filius datus eſt nobis Rom (y) pro nobis tra- y cap. 8
didit illum. (z) Ex hoc autem quod ſeipſum obtulit, eſt z cap. 53
munus Iſ. pro eo, quod tradidit in mortem animã ſuam ſ. oblatum eſt, quia ipſe voluit. In eo autem, quod ſi

ſe, & à Pontificibus ad Crucem oblatus eſt, Sacrificium eſt. [b Opuſ. 66. cap. 2.] Div. verò Thomas (b) ait, quod quando dicimus *hæc dona*, *hæc munera*, *hæc Sancta Sacrificia illibata ſcilicet* Majeſtati divinæ; inquit, quod *hæc dona*, referuntur ad naturam, *hæc munera* ad gratiam; *hæc ſancta ſacrificia illibata* ad incorruptionis gloriam.

Secundò fuit Chriſti venditio, & quia eſt venditus Sacerdotibus, Scribis, & Phariſæis, ad hoc ſignificandũ fit trina crucesignatio ſuper illa verba, *quam oblationem &c. benedictam*, per quam Benedicamur ſcilicet per gratiam; *aſcriptam* ſcilicet per quam in cœlo aſcribamur; *ratam* ſcilicet per quam de viſceribus Chriſti eſse cenſeamur. Vel ad oſtendendum pretium venditionis, ſcilicet triginta denarios: Additur autem & duplex ſuper illa verba, & nobis Corpus, & ſanguis &c., ad deſignandam perſonam Judæ venditoris, & [c Opuſ. 66. cap. 3.] Chriſti Venditi. Rurſus docet Div. Tho., quod (c) quando quinque cruces facimus, per hoc denotatur triplex prærogativa, & gemina charitas; ideòque dicimus, *benedictam*, omni ſcilicet plenitudine gratiarum, *aſcriptam* ſumma dignitate, & honore; *ratam*, ſumma, & æterna poteſtate: At quia hæc triplex prærogativa parum nobis prodeſſet, niſi charitatem geminam exhiberet, propterea dicimus, *ut nobis Corpus, & Sanguis fiat dilectiſſimi Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti*: Cujus charitas gemina fuit, quam habuit ad Patrem, & gregem; Patri obediendo, & pro grege moriendo; vel charitas gemina, quia corpus, & animam poſuit.

Sed quare non fiunt Cruces ſuper ly *rationalem, & acceptabilem?* Quia, ut dicamus cum Alberto Magno hic, ex ſe ipſa oblatio & rationabilis, & acceptabilis eſt.

Tertiò fuit præſignatio paſſionis Chriſti facta in cœna; ad quod deſignandum fiunt duæ cruces una in conſecratione corporis, alia in conſecratione ſanguinis, [d Opuſ. 66. cap. 4.] ubi utrobique dicitur *benedixit*. In iſto tertio ordine, inquit Div. Thom., (d) petimus, ut quæ in primo, & ſecundo benedicta ſunt, in verum, & ſummum Sacrificium Corporis, & ſanguinis Chriſti transformentur.

Et ſi inquiratur, quare in hoc ordine, qui tertius eſt, potiùs, quàm in cæteris ſubſtantia panis, & vini in verum corpus Chriſti, & ſanguinem tranſeat? Reſpondetur cum D. Th., quia triplex eſt ordo ſcilicet naturæ, juſtitiæ & gratiæ. Ordine naturæ flos precedit fructum; ordine juſtitiæ pœna ſequitur peccatum; ordine gratiæ ſuperabundat gratia peccatum; & miſericordia impenditur, ubi nullum præcedit meritum; & ideò nec natura potuit, nec juſtitia debuit, ut panis, & vinum fieret corpus, vel caro, & ſanguis; ſed ſola gratia divina hoc potuit, & voluit; hoc fecit, & facit.

Quartò fuit ipſa paſſio Chriſti: unde ad repræſentandum quinque plagas Chriſti, fit quartò quintuplex crucesignatio ſuper illa verba, *hoſtiam puram, hoſtiam Sanctam, hoſtiam immaculatam, Panem Sanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ*. Hoc explicat magis Div. Th. [e Opuſ. 66. cap. 5.] (e) quinque cruces facimus, non quod eum, qui præſens eſt, Sanctum Sanctorum ſanctificemus; ſed ut per ejus præſentiam offeramus, & ſumamus hoſtiam ſalutarem, & eidem conformati Sanctorum conſortiis mereamur admitti; Dominus enim Jeſus in paſſione ſua fuit *hoſtia pura*, in Reſurrectione fuit *hoſtia Sancta*; in Aſcenſione *hoſtia immaculata*, *Panis vitæ æternæ* eſurientibus; *calix ſalutis perpetuæ* juſtitiam facientibus; ei ergo aſſimilari, & conformari debemus, qui ad ipſum offerendum, & ſumendum accedimus.

Quintò repræſentatur extenſio corporis, & effuſio ſanguinis, & fructus paſſionis per trinam Crucesignationem, quæ fit ſupar illis verbis in *ſupplices te rogamus &c. Sacroſanctum filii tui corpus, & ſanguinem ſumpſerimus, omni benedictione Cæleſti &c.*

Sextò repræſentatur triplex oratio, quam fecit Chriſtus in Cruce, unam pro perſecutoribus, cùm dixit, Pater ignoſce illis. Secundam pro liberatione à morte, cùm dixit, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? Tertia pertinet ad adeptionem gloriæ, cùm dixit Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et ad hoc ſignificandum fit trina crucesignatio ſuper illa verba, in quem, *hæc omnia ſanctificas. benedicis, & præſtas nobis*. Rurſus ait, Div. Thom. (f) ad huc tria facimus, *ſanctificas* ſcilicet fide, & re[f Opuſ. 66. cap. 7.]miſſione peccatorum, *vivificas* ſcilicet Sacramento fidei, & virtute bonorum operum; *benedicis* ſcilicet plenitudine gratiarum, & conſummatione bonorum. Ideò ergo tres cruces facimus, quia per ejus virtutem, & amorem tria obtinemus, quibus ſuper omnia indigemus, vel commendamus perſonam filii per multiplicem poteſtatem oſtendentes eum eſſe primò Deum naturæ; ſecundò Deum venię, tertiò fontem vitæ; quartò regem gloriæ. Prima poteſtas eſt, quia poteſt omnia ex nihilo creare; ſecunda eſt, quia poteſt peccata dimittere; tertia eſt, quia poteſt gratiam, & virtutem dare, & augere, quarta, quia poteſt emendatos, vel perſeverantes in bono gloria, & beatitudine coronare. Et *per quem domine hæc omnia ſemper bona creas*; Ecce Deus naturę; *ſanctificas*, ecce Deus venię; *vivificas*, Ecce Deus fons vitę, & plenitudo virtutis, & gratię; *benedicis*, ecce rex, & corona ęternę glorię. Nota tamen, quod ad ly *Creas* omittitur ſignum Crucis; quia, ſubdit Div. Thom., ex prima ratione; creationis pollebat naturali ratione, gaudebat arbitrii libertate, per ſe autem non poterat ſtare, nec proficere ſine gratia adiutrice, & ſanctę crucis virtute; Ex virtute autem Sanctæ Crucis, & gratię adiutricis ſtabilis efficitur, & benedicta; propterea ad primum verbum creationis non facimus ſignum Crucis. Ex Beato Alberto Magno, *per quem*, ſicut mediatorem, qui ſe rem facit tanti Sacramenti; *hæc omnia*, tàm de frugibus oblata, quàm de eis, qui in Sacramenti oblatione offeruutur, *ſemper*, ut omni tempore offerri poſſint, *bona*, quia quęcumque ſunt, à bono, bona ſunt; *creas*, per naturam, quam inſtituiſti, & ideò culpa carent; & quia iſta bonitas creaturę indita eſt omni creaturę, ideò nulla Crux fit ſuper hoc verbum; *Sanctificas*, dùm idonea facis ad ſanctitatem Sacramenti; *vivificas*, quę eſt Corpus Chriſti verum, & vivum, quod de Virgine traxit; *benedicis*, quia hęc eſt res contenta, & ſignificata, pręſtans omnibus gratiam; *ac præſtas nobis*; ipſe enim paratus eſt dare omnibus omnia ſuperabundantius, quam petimus, aut intelligimus, quia ipſe ex liberalitate ſua largitor eſt omnium bonorum.

Septimò repręſentantur tres horę, quibus pependit in Cruce à ſexta uſque ad horam nonam. Et ad hoc conſignificandum fit trina Crucesignatio ad illa verba *per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo. Per ipſum*: inquit Div. Thom., (g) nam in eo, quod dicitur *per ipſum*, [g Opuſ. 66. cap. 3.] intelligitur creatio, in eo, quod dicitur *cum ipſo* intelligitur operatio; in eo, quod dicitur *& in ipſo*, intelligitur conſervatio. Per filium enim Pater creavit, & creat univerſam creaturam; cum filio Pater, cum ſpiritu ſancto regit, & diſponit, & conſervat; unde dicitur, eſt tibi Deo Patri Omnipotenti in unitate Spiritus Sancti omnis honor, & gloria.

Octavò repręſentatur ſeparatio animę à corpore, per duas Cruces ſubſequentes extra calicem factas Nam [h Lib. 5. cap. 9.] ut notat Innoc. (h) ex tribus ſubſtantiis, quę ſunt in Chriſto, duę tantùm ſcilicet corpus, & anima fuerint in morte diviſę divinitas à neutra illarum, meritò non tribus Crucibus, ſed duabus mors Domini deſignatur.

Nonò repręſentatur reſurrectio tertia die facta per tres Cruces, quę fiunt ad illa verba, *pax Domini ſit ſemper vobiſcum*: Nam & Jeſus Chriſtus primò apparens Apoſtolis ait; Pax vobis; quę pax per ejus mortem, & reſurrectionem nobis obvenit. Et Div. Thom., (i) tres ſunt vitę [i Opuſ. 66. cap. ultim.] humanę naturę, prima eſt anima ſimul cum corpore, ſecunda eſt animę relicto corpore, tertia eſt reſumpto corpore: in prima vita pax eſt neceſſaria, quę longè facit à crimine: in ſecunda, quę longè facit à terrore: in tertia, quę longe

facit

Digitized by Google

facit ab utroque conſummata gloria, & beatitudine. Attendamus igitur ad acquirendam hanc pacem, cum iſta ſit pax, non eorum, qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum; ſed pax Domini, quæ nos Deo conjungit. Unde Div. Thom. Ibid. Hæc eſt pax Domini ordinata, quæ ordinem diligit, vera, quæ neminem fallit; Munda, quæ omnia inquinamenta refugit; pudica, & æterna, quæ finē neſcit.

Ad quam paſſionem repræſentandam, & ſimul reverentiam habendam erga Sacramentum fiunt extēſio brachiorum, junctio manuum, complicatio digitorum, & inclinatio Sacerdotis: quæ tamen omnia non ſunt dicenda ridicula, nec ridiculæ geſticulationes, ut etiam Concilium Trid. ſtatuit, & damnat eos, qui ita malè ſentiunt; ſed fiunt ſolùm ad repræſentandum aliquid de paſſione Chriſti; Unde quando Sacerdos extendit brachia poſt conſecrationem, ſignificat extenſionem Brachiorum Chriſti in Cruce. Sacerdos levat manus orando ad deſignandum, quod oratio ejus dirigitur pro populo ad Deum; (l) ſic & Moyſes cum levaret manus, vincebat populum. Manus interdum jungit, & ſe inclinat, eſt ſuppliciter, & humiliter orantis, & deſignat humilitatem, & obedientiam Chriſti; ex qua paſſus eſt. Sacerdos jungit digitos poſt conſecrationem, ſcilicet pollicem cum indice, quibus corpus Chriſti conſecratum tetigerat, ut ſi qua particula digitis adhæſerit, non diſpergatur, quod attinet ad reverentiam Sacramenti. Sicut nec ridiculum debet dici, ſi Sacerdos quinquies ſe vertit ad populum, & ſi ſepties illum ſalutat; nam quinquies ſe vertit ad populum, hoc fit ad deſignandum, quod Dominus die Reſurrectionis quinquies ſe manifeſtavit: ſalutat autem ſepties populum, quinque vicibus, quibus ſe convertit ad populum, & his, quando non ſe convertit ſcilicet cum ante *præfationem dicit Dominus vobiſcum*, & cum dicat, *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum* (ad deſignandam ſeptiformem gratiam Spiritus Sancti. Epiſcopus autem celebrans in feſtis, in prima ſalutatione dicit, *pax vobis*, quod poſt reſurrectionem diſcipuli dixit Dominus, cujus perſonam præcipuè Epiſcopus repræſentat. Ad repræſentandam paſſionem frangitur hoſtia, cujus fractio tria ſignificat, ait Div: Tho. *primò* ipſam, (m) diviſionem Corporis Chriſti, quæ facta eſt in paſſione; in latere ſcilicet, manibus, & pedibus, & Div. Auguſtinus cum frangitur hoſtia, quid aliud, quàm Dominici corporis in Cruce immolatio deſignatur? Secundò diſtinctionem Corporis myſtici ſecundum diverſos ſtatus, & ſunt ſtatus militantium in hoc ſeculo, ſtatus expectantium in Purgatorio, & ſtatus triumphantium in Cœlo; ad quos omnes fructus Redemptionis ejus promanat. Juxta Zachariam Adrian., qui ait, Triumphanti in honorem cedit tantum myſterium; Militanti in ſalutem, & purganti in purgatorio in relaxationem. Tertiò diſtributionem gratiarum procedentium ex paſſione Chriſti: Ex Dionyſio. (n) Vel etiam, hoc dicitur, inquit Div. Thom., propter tres naturas, vel ſubſtantias in una perſona ſcilicet divinitatis, animæ, & corporis. Vel etiam propter fidem, & teſtimonium beatiſſimæ Trinitatis, ſcilicet trium perſonarum in unius eſſentiæ unitate.

l In Exodo cap. 17.

m 3. p. qu. 83. art. 5. ad 7.

n Opuſ. 58. cap 7.

Subdit tamen Div. Thom., unde talis fractio non inducit diviſionem Chriſti. Quoniam loc. cit. ait, quamvis enim ſic frangatur hoſtia illa in tres partes, ſi etiam plures eſſent, ſive pauciores, nihilominus tamen Corpus Chriſti remanet integrum, & illæſum, quia illa fractura non afficit; nec attingit ipſum Corpus Chriſti, ſed eſt tantùm in quantitate extenſiva, ſub qua ante conſecrationem fuit panis; & poſt conſecrationem corpus Chriſti ipſam velabat.

Et in tres partes frangitur; & prima pars oblata in calicem miſſa corpus Chriſti, quod jam reſurrexit, monſtrat ſcilicet ipſum Chriſtum, & Beatam Virginem, vel ſi qui alii ſancti cum corporibus jam ſunt in gloria. De Chriſto indubitatum eſt, nam Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Rom. (p) etenim Chriſtus tertia die reſurrexit, cujus ratio eſt, quia reſurrectio, & mors, & nativitas Chriſti fuit propter noſtram ſalutem, & ideò tunc voluit reſurgere, quando ſalus noſtra perficeretur: ad differentiam reſurrectionis aliorum, quæ differtur uſque ad finem Mundi, niſi ut notat Div. Thom. (q) ex privilegio ante concedatur aliquibus, ut Beatæ Virgini, & ut piè creditur Beato Joanni Evangeliſtæ. Nonnulli etiam ſunt, qui exiſtimant & de Sancto Joſeph.

p Cap. 6.

q Opuſc. 58.

Pars comeſta (ſubdit Div. Tho.) ad huc ambulans ſuper terram, quia ſcilicet viventes in terra (quatenus ſunt membra Eccleſiæ militantis;) Sacramentorum utuntur, (aliàs uniuntur,) & paſſionibus conteruntur, (enim dicebatur, ad Timot. (r) à Paulo omnes, qui volunt piè vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur:) ſicut & panis comeſtus conteritur dentibus.

r 2. cap. 3.

Pars in altari uſque ad finem Miſſæ remanens, ut mos erat (modò tamen talis ritus non ſervatur propter periculum, vel ut notat Albertus Magnus, diminuta devotione Chriſti fidelium, & creſcente circa altare indevotione frequentatum; (corpus in ſepulchro, quia uſque in finem ſeculi corpora Sanctorum in ſepulchris erunt; quorum tamen animæ ſunt vel in Purgatorio, vel in Cœlo. Et quamvis, notat ibid. Div. Thom., modo non ſervetur talis ritus, nihilominus tamen manet eadem ſignificatio partium.

Et illa pars, quæ in calice ponitur, ſignificare habet illos, qui adhuc ſunt participes paſſionum Chriſti; in quantum ipſa paſſio Chriſti repræſentatur in hoc Sacramento; etenim dum peregrinamur à Domino, imitemur eum, qui pro nobis ſuſtulit paſſionem, & mortem; quoniam bene ait Paulus ad Corint. (ſ) ſcientes, inquit, quod ſicut ſocii paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis.

ſ 2. cap.

In quantum verò, ſubdit Div. Thom., ſignificari poteſt fruitio beata, quæ etiam in hoc Sacramento præfiguratur, ſignificantur illi, quorum corpora jam ſunt in plena beatitudine.

Circa hoc autem eſt notandum, quod pars in calicem miſſa non debet populo dari in ſupplementum communionis, quia panem intinctum non porrexit Chriſtus, niſi Judæ proditori.

Ad reverentiam hujus Sacramenti poſt ſuſceptionem ejuſdem ſumitur vinum ad abluendum os, ne aliquæ reliquiæ remaneant, ob reverentiam Sacramenti, ait Div. Thom., (t) & hoc ſtatuitur etiam de Celebratione Miſſarum, ſemper Sacerdos vino os profundere (u) debet, poſtquam totum percepit Euchariſtiæ Sacramentum, niſi cum eodem die aliam miſſam debuerit celebrare, ne ſi fortè vinum perfuſioni acciperet, celebrationem aliam impediret. Et eadem ratione perfundit vino digitos, quibus Corpus Chriſti tetigit.

t 3. p. q. 83. ar. 5. ad 10

u Lib. 3.

Convenienter autem hæc omnia fiunt in celebratione Sacramenti, quod eſt figura agni Paſchalis, & quia veritas debet reſpondere figuræ hinc eſt, ait Div. Thom., (x) quod ſicut de agno, qui fuit figura hujus Sacramenti, mandatur, quod non remaneret ex eo quidquam uſque manè; In Exodo: (y) ita & hoſtia conſecrata, quæ eſt veritas, dicitur, quod non debet pars hoſtiæ conſecratæ, de qua Sacerdos, & miniſtri, vel etiam populus communicat, in craſtinum reſervari. Verùm quia hoc Sacramentum quotidie ſumendum eſt, ideò oportet alias hoſtias conſecratas pro infirmis conſervare; ſic etiam ſtatuitur de Conſ. diſt. 1., Præsbyter Euchariſtiam ſemper habeat paratam, ut quando quis infirmatus fuerit, ſtatim eum communicet, ne ſine communione moriatur.

x 3. p. q. 8. ar. 5. ad 11

y Cap. 12.

Denique ob reverentiam hujus Sacramenti Sacerdos in celebratione Miſſæ privatæ ſufficit, quod habeat unum miniſtrum, qui gerat perſonam totius populi Chriſtiani, & Catholici, In ſolemni verò celebratione Miſſæ plures debent adeſſe, & hoc juxta illud, quod ſtatutum fuit, de Conſ. (z) nullus presbyterorum ſolemnia celebrare præſumat, niſi duobus præſentibus, ſibique reſpondentibus ipſe tertius habeatur; quia cum pluraliter ab eo dicatur, Dominus vobiſcum, & illud in ſecretis, orate pro me, apertiſſimè convenit,

z Diſt. 1.

nit, ut ipſius reſpondeatur ſalutationis.

Alii ſunt effectus, qui accidere poſſunt in celebratione Miſſæ, de iſtis loquimur, cum quibus ſtat obſervantia mandatorum, ac ſtatutorum Eccleſiæ, & ideò Div. Thom. (a) ait, quod periculis, ſive defectibus circa hoc Sacramentum contingentibus poteſt occurri; & præveniendo, ne ſcilicet periculum, ſive defectus accidat; & ſubſequendo, ut ſcilicet id, quod accidit, emendetur. Præveniendo namque, nam poteſt contingere, ut Sacerdos morte, aut gravi infirmitate occupetur ante conſecrationem corporis, & ſanguinis Domini, & tunc per alium non debet conſecrari.

a 3 p. q. 83. art. 6.

Subſequendo, nam ſi evenerit illi: poſt conſecrationem corporis, vel utriuſque ſpeciei, debet tunc miſſæ celebritas per alium expleri; per Epiſcopum ſcilicet, vel Sacerdotem, non per Diaconum; & hoc juxta Conc. Toletanum, ſit liberum Epiſcopo, vel Præsbytero alteri conſecrationem exequi incæpti officii: at quia poteſt accidere, quod nullus Sacerdos ſit jejunus, in tali caſu debet ſervare uſque ad manè, vel non jejunus ſupplere; nam perfectio Sacrificii eſt de jure divino; Jejunium verò de jure Eccleſiæ, & quia hæc cedit juri divino, hinc eſt, quod à non jejuno ſuppleri poteſt.

Præveniendo, eò quia poteſt contingere, quod Sacerdos ante conſecrationem recordetur, ſe non eſſe jejunum, vel peccatum habere, vel ſubjacere alicui excommunicationi, tunc ait Div. Thom., (b) tutiùs reputarem, maximè in caſu manducationis, vel excommunicationis, quod miſſam inceptam deſereret, niſi grave ſcandalum timeretur.

b Ib. ad 1.

Subſequendo, nam ſi hæc omnia contingerent poſt conſecrationem incæptam, teneretur tunc conteri cum propoſito confitendi, ſatisfaciendi, & abſolutionem petendi, certum enim eſt, quod & ſacrificium debet perficere, & Sacramentum ſumere, maximè poſt conſecrationem, quia tunc, ait Div. Thom., (d) per inviſibilem Pontificem Jeſum Chriſtum abſolutionem conſequetur quantum ad hunc actum; quod peragat divina myſteria.

c Ibid.

Præveniendo, nam poteſt contingere, quod muſca, vel aranea, vel aliquod animal venenoſum cadat ante conſecrationem, vel etiam venenum depræhendat Sacerdos eſſe immiſſum, & tunc effundi debet, & abluto calice, denuò aliud vinum poni conſecrandū.

Subſequendo, quia ſi aliquid horum poſt conſecrationem acciderit, debet animal cautè capi, & diligenter lavari, & comburi, & ablutio cum cineribus in ſacrarium mitti; quod ſi venenum ibi eſſe immiſſum deprehenderit, nullo modo debet ſumere, ſicut nec aliis dare, ne calix viæ vertatur in mortem; debet tamen diligenter in aliquo vaſculo adhoc apto cum reliquiis conſervari; & ne Sacramentum imperfectum remaneat, debet aliud vinum apponere in calicem, & denuò reſumere ab ipſa conſecratione ſanguinis, & Sacramentum perficere.

Præveniendo, nam ſi Sacerdos ante conſecrationem ſanguinis, & poſt conſecrationem corporis percipiat, aut vinum, aut aquam non eſſe in calice, in tali caſu ſtatim debet apponere, & conſecrare.

Subſequendo, nam ſi poſt conſecrationis verba perceperit, quod aqua deſit, debet nihilominus procedere, cum impoſitio aquæ non ſit de neceſſitate Sacramenti: at, nota, quod nullo modo debet aqua vino jam conſecrato miſceri, ne ſequatur corruptio Sacramenti pro aliqua parte.

Poteſt & eſſe caſus, quod percipiat poſt verba conſecrationis vinum non fuiſſe poſitum in calicem, ſi hoc percipiat ante ſumptionem corporis, debet depoſita aqua, ſi ibi fuerit, imponere vinum cum aqua, & reſumere verba conſecrationis ſanguinis, quod ſi perceperit poſt ſumptionem corporis, aliam hoſtiam apponere debet, iterum conſecrandam ſimul cum ſanguine. Quod ideò, ait Div. Thom. (d) dico, quia ſi diceret ſola verba conſecrationis ſanguinis, non ſervaretur debitus ordo conſecrandi; Juxta etiam Concil. Toletanum perfecta videri non poſſent ſacrificia, niſi perfecto ordine compleantur.

d ad 5. Ib.

Obſervat tamen Div. Thom., quod in fine debet iterum ſumere hoſtiam conſecratam, & ſanguinem, etiam non obſtante, ſi prius ſumpſerit aquam, quæ erat in calice, & hoc quia præceptum de perfectione Sacramenti majoris eſt ponderis, quàm præceptum, quod Sacramentum à jejunis ſumatur.

Poteſt & eſſe caſus, quod Sacerdos non recordetur dixiſſe verba conſecrationis, vel etiam alia, quæ in celebratione hujus Sacramenti dicuntur; Unde ait Div. Thom., (e) quod licet Sacerdos non recolat ſe dixiſſe aliqua eorum, quæ dicere debuit, non tamen ex hoc debet mente perturbari; debet ergo proſequi Miſſam; non enim, qui multa dicit, recolit omnium, quæ dixit, niſi fortè aliquid in dicendo aprehenderit ſub ratione jam dicti; ſic enim efficitur aliquid memorabile. De jis autem, quæ non ſunt de neceſſitate Sacramenti, non exiſtimo, quod propter hoc debeat reſumere; immutando ordinem ſacrificii, ſed debet ulterius procedere: non ſic de jis, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti, .ſ. cum forma conſecrationis ſit de neceſſitate Sacramenti, ſicut & materia reſumatur à forma conſecrationis, & cætera per ordinem reiterentur, ne mutetur ordo Sacrificii.

e ad 3. Ib.

Poteſt & dari caſus, quod tota hoſtia in calicem cadat, & tunc dicendum eſt cum Div. Thom., (f) quod fractio hoſtiæ conſecratæ, & quod una ſola pars mittatur in calicem, reſpicit corpus myſticum, ut ſic admixtio aquæ ſignificet populum: Et ideò cum horum prætermiſſio non faciat imperfectionem Sacrificii, non debet fieri iteratio.

f Ib. ad 3.

Multi alii ſunt defectus, qui contingere poſſunt in celebratione Miſſæ, quorum enumeratio videtur ſuperflua, ut eò, quia ille, qui ad reverendum altare approximatur, tenetur adhibere diligentiam circa corpus, & ſanguinem Chriſti, ne illud in terram cadat, & ne illud extra calicem effundatur; quod, vel ſi quid in terram vel alibi cadat, vel effundatur, lingua, & terra, & alia lambentur, & radentur, & cinis intra altare condetur; Olim aſſignabatur pœnitentia contra negligentes in tanto miniſterio. Modò verò pœnitentia neglecta eſt ob defectum charitatis in multis. Multi enim ſunt, qui tantùm cogitant de Miſſa celebranda non ob amorem Dei, ſed ob eleemoſynam quotidianam, quæ utinam deſerviret ad victum ſobrium, & non ad ebrietatem, quaſi quod non audiſſent Iſaiam de talibus Sacerdotibus dicentem, (g) Sacerdos, & Propheta neſcierunt præ ebrietate; abſorti ſunt à vino, erraverunt in ebrietate, neſcierunt videntem, ignoraverunt judicium; & quod pejus eſt, ignorant illud Eccl., (h) quod vinum, & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes. Accedunt ad altare non ob commodum proprium ignorantes, quod qui manducat, & bibit indignè, reus erit corporis, & ſanguinis Domini; immò & judicium ſibi manducat, & bibit. Rei ſunt apud Deum, & tamen, apud homines innocentes ſe & dicunt à Sanguine Chriſti; ignorantes, quod & Pilatus hoc dixerit, quando Judæi conclamaverunt, tolle, tolle, crucifige eum, nempe Chriſtum; Innocens, ego ſum, à ſanguine juſti hujus; & tamen damnationem non evaſit. Paveant iſti & paveant, quod ſcriptum eſt Apocalyp. qui in ſordibus eſt (i) ſordeſcat amplius.

g Cap. 28.

h Cap. 19

i Cap. 22

Digitized by Google

SUPRA QUÆSTIONEM OCTUAGESIMAM QUARTAM.

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

LIberati ſumus à periculo mortis æternæ per baptiſmum, qui prima tabula metaphorice nuncupatur, etenim per ipſam in Eccleſiæ portum intramus, & gloriari nos oportet, quod ſalvi facti ſumus per aquam, qua mediante, & igne Spiritus Sancti inter membra Chriſti computamur, utpote regenerati per ipſum; & licet debiles, quia veluti geniti infantes, nam & gravari pænalitatibus à primo peccato relicti, attamen adjuti virtute Spiritus Sancti roboramur, ut fortiter reſiſtere poſſimus contra Tyrannorum impetum per Sacramentum Confirmationis, quo mediante tenemur profiteri Jeſu Chriſti fidem eſſe unam, & illam proprio ſanguine deffendere, ſicut & legislatorem; qui cum ſit filius Dei, verax eſt; nec timere debemus illos, qui occidunt corpus, nec ultra habeot amplius quid faciant; ideòque parati ſemper eſſe debemus & in carcerem, & in mortem ire ob amorem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui & dedit ſeipſum nobis in cibum per Sacramentum Euchariſtiæ, ut ipſo nutriti, cor, & caro noſtra exultent.

Verùm quia in hoc mari ſeculi ſumus, & ſemper agitati variis fluctibus ob inſtabilitatem, & flexibilitatem noſtræ voluntatis, nàm modò illuminati, & moti illuminatione, & motione Spiritus Sancti ad Cælum trahimus mentem, cogitationes, & cuncta deſideria noſtra, modò abſtracti, & illecti à tentationibus Dæmonum, à carnis concupiſcentiis cum delectationibus ſuis immergimus animas noſtras uſque ad profundum abyſſi: at quia miſeros nos fecit peccatum, ſtatuit miſericorditer Deus, ut à periculo hujus naufragii liberari poſſimus, per pænitentiam, quæ æquè benè ſecunda tabula, licet metaphoricè, dicitur; ſic ſentit Eccleſia, ſic Concilia, ſic Patres, & nunc inter illos enumeramus Tertull. (a) qui loquendo de pænitentia mait, hominem peccatorum fluctibus merſum prolevat, & in portum divinæ clementiæ protelat.

a l. de Pœnit. c. 4.

Quapropter cum per iſtam Deo placeamus, meritò inter Sacramenta ponenda eſt rationabiliter, quoniam in ipſa aliquid ſanctum ſignificatur, tùm ex parte peccatoris pænitentis, cum peccator pænitens per ea, quæ facit, & dicit, oſtendat cor ſuum à peccato receſciſſe, tùm ex parte Sacerdotis abſolventis, cum Sacerdos per ea, quæ agit, & dicit circa pænitentem, ſignificet opus Dei remittentis peccata: & cum ſit Sacramentum habet conſtare ex materia, & forma.

Materia hujus eſt duplex, proxima, & remota; Proxima ſunt actus pænitentis, remota ſunt peccata, quæ deteſtanda ſunt, adeòque dolere debet pænitens de illis, hæc confiteri, & pro eiſdem ſatisfacere: forma verò ſunt verba à Sacerdote prolata. Et ſunt, ego te abſolvo, & hoc in ſignum, quod hoc Sacramentum conſiſtit in remotione peccati, peccatum namque eſt quodam vinculum, à quo vinculo abſolvitur per auctoritatem Chriſti collatam Sacerdoti miniſtro ejuſdem; cui tamen non præcepit, ut imponeretur manus ſuper peccatores pænitentes, dixit enim, & Petro, quodcumque ſolveris ſuper terram, &c. & diſcipulis aliis, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c. nullam mentionem faciens de manuum impoſitione, & convenienter hoc fit, utpotè quia non ordinatur hoc Sacramentum ad conſequendam aliam excellentiam gratiæ, ſed ad remotionem peccatorum eorum, quæ commiſſa ſunt à renatis ſonte baptiſmatis. Unde videtur hoc Sacramentum neceſſarium eſſe ad illam conſequendam ſuppoſito peccato, etenim homo non indigeret pænitentia, ſi actualiter non peccaret, & hinc eſt, quod & ſecunda tabula dicitur, quia per pænitentiam homo liberatur à naufragio, & ſecundum remedium, ut per ipſam integritatem, quam perdidit, recuperet.

Ut autem homines ad nihilum ſalutis non redigantur, ſed per pænitentiam reviviſcant, à Chriſto Domino inſtitutum fuit hoc Sacramentum, cujus efficaciam, & originem virtutis ejus manifeſtavit per reſurrectionem ſuam, ut habetur Lucæ oportet prædicare in nomine ejus pænitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes; omnes namque & audire debent verbum Dei, & facere, quæ in Lege ſcripta ſunt, ut fideles inveniantur, ſcriptum eſt, quod non auditores, ſed factores (c) legis juſtificabuntur apud Deum, idcircò pænitentiam agentes ſemper dolere debent de peccatis commiſſis erga Majeſtatem Dei, & hinc eſt, quod ſemper durare debet pænitentia interior, quæ in hoc conſiſtit, ut ſemper debeat illi diſplicere, quod peccavit; ad differentiam pænitentiæ exterioris, quæ ſolum habet durare uſque ad determinatum tempus ſecundum menſuram peccati.

b c. ult.

c ad Rom. cap. 2.

Quo pacto etiam dicitur, quod pænitentia ſit continua non ſecundum actum, cum hoc impoſſibile ſit, ut homo continuè pæniteat, neceſſe eſt enim, quod actus pænitentis interpolietur ad minus ſomno, vel aliis operationibus ad corporis neceſſitatem ſpectantibus, benè tamen ſecundum habitum, quia ſic opus eſt, ut homo debeat in propoſito gerere, quod ſemper ſibi præterita peccata diſpliceant. Per hoc tamen quis non debet inferre, Sacramentum pænitentiæ non eſſe iterabile, etenim Chriſtus, qui eſt veritas, interrogatus à Petro, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei, uſque ſepties? reſpondit ei, non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuageſies ſepties; ne deſperentur peccatores, ſed conſolentur de miſericordia Altiſſimi, qui veniam peccantibus largiter præbet, dùm veram pænitentiam agunt; ſciant iſti, quod uſquedùm in hoc mari vitæ morantur, ſpatium pænitentiæ illis aſſignatur; & portus ſalutis demonſtratur, qui eſt Eccleſia, hæc enim non reſpuit peccantes, ſed illos amplectitur, per iſtos effundit cunctos theſauros Eccleſiæ, ut ſanentur ab infirmitatibus, etiam ſi contingat, quod triginta, & octo annos habeant in infirmitatibus ſuis. Videant ergo peccatores, quàm

miſe-

miſericors ſit Dominus, quàm patiens ſuper malitia. Hæc ex D. Th.

Adam, cum in ſtatu Innocentiæ creatus fuerit, in illo conſequenter fęliciter lætabatur, utpote quia quaſi ad immortalitatem elevatus ſe reſpiciebat; unde & tunc immunis erat ab omni miſeria, afflictione, ac pęnalitate, à quibus tamen non evaſit, poſtquam illum amiſit propter elationis peccatum: poſt ipſum ergo ejectus fuit de Paradiſo voluptatis, ut operaretur terram ſpinas, & tribulos germinantem; poſt peccatum ſtatim ſe eſſe pauperem vidit, ſiquidem nudum ſe cognovit, & in tali miſeria ductus per peccatum quæſtuavit ab illis animalibus, ſuper quę olim abſolutum dominium habebat, pelliceum veſtimentum. Paulò poſt contremuit, dùm vidit malum occaſionatum ex fructu arboris venenoſæ in filium ſuum Abel, qui ob invidiam (ecce ſecundum peccatum poſt ſuperbiam) percuſſus à Cain impio fratricida obiit. Poſt peccatum denique multis pœnalitatibus ſeipſum cognovit eſſe ſubiectum, nam infirmitates animi inceſſanter illum opprimebant, & illæ corporis continuò illum vexabant, unde ſenex confectus vidit, & benè vidit, quod totum tempus vitæ ſuę aliud non fuit, niſi agere pœnitentiam de peccato contrà Deum commiſſo, ob quod & nobis convenit nocte, dieque hanc ſequi pœnitentiam, cum jam originali peccato infecti ſimus: unde & nobis convenit, ut in ſudore vultus noſtri veſcamur pane noſtro, & nobis convenit, ut operemur terram, quæ ob Dei maledictionem ſpinas & tribulos germinat, etſi aliquid boni, vel viſu pulchrum, vel guſtu delectabile producit, cum majori labore, & ſudore illud producit; quod totum evenit ex noſtrorum Protoparentum peccato, quapropter & repetere *illud à Jeremia prolatum meritò poſſumus*, (d) Patres noſtri peccaverunt, & non ſunt, & nos iniquitates eorũ portamus, verumtamen ut ab hujuſmodi iniquitatibus liberari poſſimus, pœnitentiam & nos agere debemus.

d Tren. cap. 5.

Pœnitentiam utique agere debemus, non tamen illam, quæ dicitur de iis, quibus aliquid diſplicet, quod ante placuerit; ſiquidem hoc pacto omnes pœnitent, quorum tamen triſtitia ſecundum ſeculum eſt, & non ſecundum Deum, idcircò eſt relinquenda talis pęnitentia, cum non ſalutem afferat, ſed mortem, *juxtà illud Pauli ad Cor.* (e) quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur, ſeculi autem triſtitia mortem operatur; ſicut nec illam pęnitentiam agere debemus, quæ accipitur pro eo, quo quis ex ſcelere admiſſo, quod quidem ante placebat, non Dei, ſed ſui ipſius cauſa concipit dolorem; benè tamen illam agere debemus, de qua dicitur, pœnitentia eſt, quando non ſolùm demiſſi ſceleris, vel cauſa animæ intimo ſenſu dolemus, vel ejus doloris extremum etiam aliquod ſignum damus, verùm unius Dei cauſa in eo mœrore ſumus.

2. cap. 7.

Relictis ergo duabus primis acceptionibus pœnitentiæ ſolùm pœnitentiam tertio modo ſumptam fatemur eſſe verè, propriè, atque perfectè pęnitentiam; tum quia & ad virtutem pertinet, tùm quia & Sacramentum dicitur; cum igitur gaudeat hoc modo conſiderata & titulo virtutis, & illo Sacramenti, quis poterit negare neceſſitatem ejuſdem, reſpectu uniuſcujuſq; de quo dicitur natura humana, quatenus eſt ſuppoſitata in ipſo? Nonne imbecillis, & fragilis eſt de ſe? ſi ergo imbecillis, & fragilis, indiget auxilio, ut fortiter reſiſtat peccatis, in quæ labitur? talis antem reſiſtentia oriri nequit, niſi per pęnitentiam, quatenus Sacramentum eſt, de cujus ratione eſt conferre gratiam, qua ſtante impoſſibile eſt eſſe peccatum, licet impoſſibile non ſit evadere denuò peccatorem; & ideò videtur eſſe neceſſaria pœnitentia, ut etiam denuò evadat juſtum; certum enim eſt, ut toties repetenda eſt pęnitentia, quoties poſt baptiſmum peccare contingit; *juxta Concilium Trident.* (f) ſic ſtatuens, qui verò ab accepta juſtificationis gratia per peccatum exciderunt, rurſus juſtificari poterunt: cum, excitante Deo, per pęnitentię Sacramentum merito Chriſti amiſſam gratiam recuperare procuraverint: Hic enim juſtificationis modus eſt lapſi reparatio, quam ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam Sancti Patres aptè nuncuparunt. Etenim pro his, qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, Chriſtus Jeſus Sacramentum inſtituit pęnitentiæ, cum dixit, accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt: Rurſus *idem Concilium ſtatuit*, (g) veritatem à nobis aſſignatam de neceſſitate Sacramenti pęnitentiæ poſt baptiſmum. Inqnit enim, ſi ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum eſſe, ut juſtitiam in baptiſmo ipſius beneficio, & gratia ſuſceptam conſtanter tuerentur; non fuiſſe opus aliud ab ipſo baptiſmo Sacramentum ad peccatorum remiſſionem eſſe inſtitutum: quoniam autem Deus dives in miſericordia cognovit figmentum noſtrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui ſeſe poſtea in peccati ſervitutem, & Dęmonis poteſtatem tradidiſſent, Sacramentum. V. pęnitentiæ, quo lapſis poſt baptiſmum, beneficium mortis Chriſti applicatur. Fuit quidem pęnitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali peccato aliquo inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam, & juſtitiam aſſequendam neceſſaria. Unde *& Propheta Ezechielis clamat per os Domini*, (h) convertimini, & agite pęnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Quia dixit Dominus, ſi impius egerit pęnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & juſtitiam, vita vivet, & non morietur.

f Seſ. 6. de Juſtificat. cap. 14.

g Seſ. 14. cap. 1.

h cap. 18.

Quod & Chriſtus Dominus hoc confirmat, *dicendo Lucæ*, (i) niſi pęnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis; ergo ne pereamus in extremo judicio, pęnitentiam agamus de iniquitatibus, quas pro malitia, quando temerè, & ex deliberatione peccamus, vel etiam pro fragilitate, quando ex ſubito motu concupiſcentiæ exardeſcimus, & ad peccatum convertimus, commiſimus; ergo agere pęnitentiam perneceſſarium eſt, ut nedùm induamur virtute, verùm etiam ut Sacramentum Pęnitentiæ accipiamus.

i cap. 13.

Quam eſſe Sacramentum *à D. Th.* (l) pro indubitato aſſeritur, dum docet per pęnitentiã purificatur homo à peccato *ſic legitur in Actibus Apoſt.* (m) quod Petrus dixit Simoni volenti emere Spiritum Sanctum, poteſtatem ſcilicet dandi illum per impoſitionem manuum, ſicut Apoſtoli omnibus Spiritum Sanctum dabant, credentibus in Chriſtum Jeſum, pęnitentiam age ab hac nequitia tua. *Et D. Gregorius in Decr. dicit*, (n) quod Sacramentum eſt in aliqua celebratione, cum res geſta ita ſit, ut aliquid ſignificativè accipiamus, quod ſanctè accipiendum eſt.

l 3. p. q. 84. a. 1.

m Cap. 8.

n 1. q. 1.

Hoc totum, cum habeatur in pęnitentia, *ut docet D. Th.* in qua ita res geſta ſit, ut aliquid Sanctum ſignificetur non ſolùm ex parte peccatoris pęnitentis, verùm etiam ex parte Sacerdotis abſolventis, nam peccator per ea, quæ facit, & dicit, oſtendit cor ſuum à peccato receſſiſſe, & Sacerdos per ea, quæ agit, & dicit, circa pęnitentem, ſignificat opus Dei remittentis peccata, jam videtur, pęnitentia eſſe Sacramentum, taliter quod ſi aliquis oppoſitum ſenſerit, jam declaratur, quod anathema ſit, ut jam definitur *à Conc. Trid. cujus verba ſunt*, (o) ſi quis dixerit, in Catholica Eccleſia pęnitentiã non eſſe verè, & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties poſt baptiſmum in peccata labuntur ipſi Deo reconciliandis, à Chriſto Domino noſtro inſtitutum, anathema ſit, ergo indubitatum reſtat eſſe Sacramentũ.

o Seſ. 14. can. 1.

At ex eo, quod eſt Sacramentum, habet omnia, quæ cętera Sacramenta habent. Qua de cauſa, ſi in aliis eſt aliquid, quod eſt Sacramentum tantùm ita & in Sacramento pęnitentiæ eſt aliquid, quod eſt Sacramentum tantùm, ſcilicet actus exterius exercitus tàm per peccatorem pęnitentem, quàm per Sacerdotem abſolventem. Si in aliis eſt aliquid, quod eſt res, & Sacramentum, ita & in hoc eſt aliquid, quod eſt res, & Sacramentum, ſcilicet pęnitentia interior peccatoris, eſtque illa, per quam ad Deum nos ex animo convertimus, & commiſſa à nobis ſcelera deteſtamur, & odio habemus, ſimulque illud nobis certum, & deliberatum eſt, malã vitæ conſuetudinem, corruptoſque mores non ſine ſpe

venię

Digitized by Google

veniæ à Dei miſericordia conſequendæ. Et denique ſi in aliis eſt aliquid, quod eſt res tantùm, ita & in iſto, eſtque remiſſio peccati.

Pęnitentia cum ſit Sacramentum, unum ſcilicet ex ſeptem à Chriſto Domino inſtitutis *juxta definitionem Concil. Trid.* [p Seſ. 9. can. 1.] (*p*) ſi quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia à Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta aut eſſe plura, vel pauciora, quàm ſeptem, V. Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pęnitentiam &c., anathema ſit; eſt etiam Sacramentū diſtinctum à Sacramento baptiſmi, *ut ſtatuitur à Concilio Trid.*, [q Seſ. 14. can. 2.] (*q*) ſi quis Sacramenta confundens, ipſum baptiſmum pœnitentiæ eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta eſſe non ſint, atque ideò pœnitentiam non rectè poſt naufragium ſecundam tabulam appellari, anathema ſit; Hinc *Aug. de adulterinis conjugibus*, [r lib. 2. cap. 16.] (*r*) ſi homicidium à Catechumeno factum ſit, baptiſmo abluitur; ſi autem à baptizato, pęnitentia, & reconciliatione ſanetur. *Et Cyrillus Alexandrinus*, [ſ lib. 12. in Joan. c. 56.] (*ſ*) duobus modis Dei ſpiritu pleni, vel afflati homines, peccata remittunt, ac retinent; vel cum dignos admittunt ad baptiſmum, ac indignos excludunt; vel cum filios Eccleſiæ corripiunt, ac pœnitentibus ignoſcunt. Igitur eſt Sacramentum diſtinctum à baptiſmo, & taliter eſt diſtinctum, ut etiam conſtare debeat ex materia, & forma diſtincta nedùm à baptiſmo, verùm & à quolibet alio Sacramento, juxta *Concil. Trid. ſtatuens*; [t Seſ. 14. cap. 2.] (*t*) Cęterum hoc Sacramentum multis rationibus à baptiſmo differre dignoſcitur. Nam præterquam quod materia, & forma, quibus Sacramenti eſſentia perficitur, longiſſimè diſtident; conſtat certè baptiſmi miniſtrum judicem eſſe non oportere, cum Eccleſia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipſam per baptiſmi januam fuerit ingreſſus. Quapropter *Apoſt. ad Corint ait*, [u 1 cap. 5.] (*u*) quid enim mihi de iis, qui foris ſunt judicare? Secus autem eſt de domeſticis, quos Chriſtus Dominus lavacro baptiſmi, ſui corporis membra ſemel effecit, nam hoc ſi ſe poſtea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito baptiſmo ablui, cum id in Eccleſia Catholica nulla ratione liceat, ſed ante hoc tribunal tamquam reos ſiſti voluit, ut per Sacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum pęnitentes confugerint, poſſent liberari: [x ad 4. 1] *juxta D. Th.* (*x*) in Sacramento pœnitentiæ materia non exhibetur à miniſtro, ſed à Deo interius inſpirante, at complementum Sacramenti exhibet miniſter, dùm pęnitentem abſolvit.

Pęnitentia ergo cum ſit Sacramentum, de cujus ratione eſt, ut conſtet ex materia, & forma, hinc ſequitur, quod nos priùs cum D. Th. explicabimus materiam hujus Sacramenti, & poſtea formam ejuſdem.

Circa materiam opus eſt adnotare, iſtam eſſe duplicem in Sacramento pęnitentiæ proximam & remotam. Proxima igitur ſunt actus pœnitentis, cujus materia ſunt peccata, de quibus dolet, quæ confitetur, & pro quibus ſatisfacit; Juxta & *Concil. Trid. ſtatuens*; [y Seſ. 14. cap. 3.] (*y*) ſunt autem quaſi materia hujus Sacramenti ipſius actus pęnitentis, nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio, qui quatenus in pęnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione partes pęnitentiæ dicuntur. *Juxta & D. Th.* [z ibid. ad 2.] (*z*) in illis Sacramentis, quæ habent effectum correſpondentem humanis actibus, ipſi actus humani, ſenſibiles ſcilicet, ſunt loco materiæ, ut accidit in pęnitentia, & matrimonio. Hoc dicitur ad differentiam illorum Sacramentorum, in quibus confertur excellens gratia, quæ ſuperabundat omnem facultatem humani actus, in iſtis ergo adhibetur aliqua corporalis materia, exterius, ut de facto conſtat in baptiſmo, ubi fit plena remiſſio peccatorum quoad culpam, & quoad pœnam. In Confirmatione, ubi datur plenitudo Spiritus Sancti, & in extrema unctione, ubi confertur perfecta ſanitas ſpiritualis, quæ provenit ex virtute Chriſti, quaſi ex quodam principio extrinſeco; & ideò ſubdit, ſi qui actus humani ſunt in talibus Sacramentis non ſunt de eſſentia Sacramentorum, ſed diſpoſitivè ſe habent ad Sacramenta: *Et rurſus ait D. Th.* [a ibid. ad 2.] (*a*) in Sacramentis, quæ habent corporalem materiam, oportet, quod materia illa adhibeatur à miniſtro Eccleſiæ, qui gerit perſonam Chriſti, in ſignum quod excellentia virtutis in Sacramento operantis eſt à Chriſto. In Sacramento autem pęnitentiæ ſunt actus humani pro materia, qui proveniunt ex inſpiratione interna; Unde materia non exhibetur à miniſtro, ſed Deo interiùs operante. Complementum verò Sacramenti exhibet miniſter, dùm pęnitentem abſolvit. *Et Cajet. ait*, quod Deus concurrit ex parte pœnitentis ad interiorem pęnitentiam inſpirando illam, *juxta D. Th.* ſunt actus humani, qui proveniunt ex interna inſpiratione non ſolùm ſecundum ſe, ſed etiam ex ordine ad Sacramentum, ut ex ſe patet, quod ex interiori motu pęnitens ſe clavibus ſubjicit. Concurrit Deus etiam ex parte Sacramenti, ordinando Sacramentales actus exteriores ad interiorem pęnitentiam, dùm utitur Sacramento ipſo ad excitandum, & perficiendum interiorem actum pęnitentis; ſic enim excitando, & perficiendo facit de attrito contritum, dùm mediante Sacramento utitur etiam interiori actu pęnitentis ad remiſſionem peccatorum; per hoc enim fit interior pœnitentis actus res, & Sacramentum. Et per hoc apparet, quod Sacramentum ſignificat, & cauſat interiorem pœnitentiam, & interior pœnitentia ſic cauſata ſignificat, & cauſat remiſſionem peccatorum; ſunt enim hæc inſtrumenta ſubordinata principali agenti, Deo ſcilicet. Deinde etiam in confirmationem Doctrinæ *D. Thom.* de materia proxima hujus Sacramenti pœnitentiæ *habetur ſtatutum fuiſſe ex Conc. Trid. dicente*, [b Seſ. 14. can. 4.] (*b*) ſi quis negaverit ad integram, & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pęnitente, quaſi materiam Sacramenti pœnitentiæ v. contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur, aut dixerit duas tantùm eſſe pœnitentiæ partes, terrores ſcilicet incuſſos conſcientiæ agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, vel abſolutione, qua credit quis ſibi per Chriſtum remiſſa peccata; anathema ſit.

Pœnitentia licet ſit de peccatis, & peccata in genere multa ſint, mortale ſcilicet, veniale, & originale, tamen *docet D. Th.*, [c 3 p q 84 a 2. ad 3.] quod licet quodammodo pœnitentia ſit de quolibet peccatorum genere, non tamen eodem modo; nam de peccato mortali eſt pęnitentia propriè, & principaliter; propriè, quia propriè dicimur pœnitere de his, quæ voluntate noſtra commiſimus; principaliter, quia ad deletionem peccati mortalis hoc Sacramentum eſt principaliter inſtitutum. Unde & de omnibus eſt dolendum, & omnia ſunt confitenda, aliàs non eſſet pœnitentia. *Idcircò Concil. Trid. poſtquam dixerit*, [d Seſ. 14. cap. 5.] (*d*) ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem, conſcientiam habent, in confeſſionem recenſeri, etiam ſi occultiſſima ſint; [e ibid. can. 7.] (*e*) ſtatuit, ſi quis dixerit, in Sacramento pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta; anathema ſit.

De peccatis verò venialibus licet ſit propriè pœnitentia, in quantum ſunt & iſta noſtra voluntate facta, tamen contra hæc non eſt hoc Sacramentum principaliter inſtitutum. Quod & *Concil. Trid. ibid. ſtatuit*, venialibus, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam rectè, & utiliter, citraque omnem præſumptionem in confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam, multiſque aliis remediis expiari poſſunt; v. per tunſionem pectoris, per aquam benedictam, & hujuſmodi. Ex quibus videtur non eſſe principaliter inſtitutum Sacramentum pœnitentiæ contra venialia, attamen per hoc non ſequitur, quod de illis non ſit pœnitendum, *cum &*

Concil.

Digitized by Google

Concil.Trid. ibid. ſi quia dixerit, non licere confiteri peccata venialia, anathema ſit.

Denique, *ſubdit D.Th.*, de peccato originali pœnitentia nec principalitar, cum contra hoc peccatum ordinetur potius baptiſmus, quàm pœnitentia; nec proprié, cum non ſit noſtra voluntate contractum, niſi forté in quantum voluntas Adæ reputetur noſtra, f cap. 5. & hoc *ſecundum Apoſtolum ad Rom. dicentem*, (*f*) in quo omnes peccaverunt; Attamen *ſubdit D. Th.* in quantum largé accipitur pœnitentia pro quacumque deteſtatione rei præteritæ, poteſt dici pœnitentia de peccato originali. Et hujuſmodi peccata præcipué tamen actualia mortalia dicuntur materia remota pœnitentiæ, quæ tamen acceptanda non ſunt, ſed deteſtanda, & deſtruenda.

Pœnitentia Sacramentum non eſſet, ſi in illo ſolùm aſſignaretur propria materia, quæ dividitur, ut diximus, in proximam, & remotam, & non aſſignaretur in illo forma. Certum enim eſt, quod habetur ex Concilio ſub Eugenio quarto, quod omnia Sacramenta debent conſtare ex rebus, tanquam materia, & verbis, tanquam forma; forma autem hujus Sacramenti ſunt hæc verba, *Ego te abſolvo*.

Nec mirum hoc videatur, etenim & ad Sacramentum baptiſmi utitur miniſter his verbis, *Ego te baptizo*, & ſicut Sacramentum baptiſmi perficitur per ea, quæ ſunt ex parte miniſtri, ita & Sacramentum pœnitentiæ perficitur per ea, quæ ſunt ex parte Sacerdotis juxta id, quod ſupra diximus, complementum Sacramenti exhibet miniſter, dùm pœnitentem abſolvit. Hinc ergo eſt, ut ea, quæ ſunt ex parte Sacerdotis, ſe habent per modum formæ; manifeſtum eſt namque, quod in qualibet re perfectio attribuitur formæ. Et quia Sacramenta novæ legis efficiunt, quod figurant, hinc eſt, quod oportet, ut forma Sacramenti ſignificat id, quod in Sacramento agitur proportionaliter materiæ Sacramenti. Sic forma baptiſmi eſt, *Ego te baptizo*. Sic forma Confirmationis, *Conſigno te ſigno Crucis*, *& confirmo te Chriſmate ſalutis*, cum talia Sacramenta perficiantur in uſu materiæ.

In Sacramento verò Euchariſtiæ, quod conſiſtit in ipſa conſecratione materiæ exprimitur veritas conſecrationis, cum dicitur, *Hoc eſt Corpus meum*. Cum ergo Sacramentum pœnitentiæ non conſiſtat in conſecratione alicujus materiæ, nec in uſu alicujus materiæ ſanctificatæ, ſed magis in remotione cujuſdam materiæ, ſcilicet peccati, & remotio ſignificetur à Sacerdote, cum dicitur, *Ego te abſolvo*, peccata enim ſunt quædam vincula, quibus conſtrinctæ animæ te- g Cap. 5. nentur, juxta illud Proverb. (*g*) iniquitates ſuæ capiunt impiom, & funibus peccatorum ſuorum quiſq; h cap. 5. conſtringitur; & juxta illud Iſaiæ, (*h*) Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum; ergo, concludit D. Th. forma convenientiſſima hujus Sacramenti eſt, *Ego te abſolvo*. Eò maximé quia talis forma aſſumitur ex ipſis i cap. 20. verbis Chriſti Domini tùm *Joan.*, (*i*) accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, &c. quę verba *juxta Concil Trid.* (*l*) intelligenda ſunt de pote- l Seſ. 14. can. 3. ſtate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento pęnitentiæ; taliter quod ſi quis oppoſitum ſenſerit, anathema declaretur. Unde habetur, ſi quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris, accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt, non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento pęnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit: detorſerit autem contra inſtitutionem hujus Sacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelium, anathema ſit. Tùm ex verbis m cap. 16. Salvatoris dicentis Petro *Matt.* (*m*) quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cęlis, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cęlis Quæ verba licet dicta fuerint & aliis Apoſtolis, n cap. 18. *ut habetur Matt.* (*n*) quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cęlis: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cęlis, attamen *ut notat D Th.* (*o*) ut in hac poteſtate ordo aliquis ſigni- o 4 diſt. 19. q. 1. a. 1. ad 3. ficaretur, primò ſoli Petro data eſt, ut oſtendatur, quod ab eo in alios, debet iſta poteſtas deſcendere. Et tali forma utitur Eccleſia in Sacramentali abſolutione, quæ eſt, *Ego te abſolvo*; ad differentiam illarum abſolutionum, quæ in publico fiunt, ut in prima, & in completorio, ante miſſam in die cinerum, & in die cœnæ Domini, in quibus omnibus non fit abſolutio per orationem judicativam, ſed deprecativam tantùm. *Juxta D. Th. dicentem*, (*p*) in quo miror eum non p Opuſc. 22. cap. 22. advertere, quod hujuſmodi abſolutiones non ſunt Sacramentales: ſed ſunt quædam orationes, quibus dicuntur venialia peccata dimitti, ſicut per orationem dominicam, qua dicitur, dimitte nobis debita noſtra.

Nec ſufficit dicere in Sacramentali abſolutione, *Miſereatur tui omnipotens Deus*, *vel abſolutionem*, *& remiſſionem tribuas tibi Deus*; (immo erroneum eſt, & ſub nota temeritatis cadit illud, quod olim, temporibus nempe D. Th. à quodam dicebatur, quod vix triginta anni ſunt, quod omnes hac forma utebantur, *abſolutionem*, *& remiſſionem &c. ſi quidem D. Th.* (*q*) *confutan-* q ibidem 5 *do hanc falſam opinionem inquit*, quod jam ſunt mille ducenti anni, & amplius, quod dictum eſt Petro, quodcumque ſolveris ſuper terram &c.) etenim per hæc verba Sacerdos abſolutionem non ſignificat fieri, ſed petit, ut fiat; etſi præmittatur in abſolutione Sacramentali talis oratio, hoc fit ſolùm ne impediatur effectus Sacramenti ex parte pęnitentis, cujus actus materialiter quodammodo ſe habet in hoc Sacramento. Sufficit ergo dicere in Sacramentali abſolutione, *Ego te abſolvo*, & hanc eſſe perfectam formam pęnitentiæ *colligitur ex Catechiſmo Rom.* (*r*) *ubi habetur* eſt autem for- r 2. par. de Sac. pæn. n. 15. ma, *Ego te abſolvo*, quod non ſolùm ex illis verbis licet colligere, quæcumque ſolveritis ſuper terram, &c. ſed ex eadem doctrina Chriſti Domini ab Apoſtolis traditam accepimus, quæ forma habetur ex inſtitutore Sacramenti dicente, quodcumque ſolveris; At quoniam Sacramenta id ſignificant, quod efficiunt, illa, *Ego te abſolvo*, oſtendunt peccatorum remiſſionem hujus Sacramenti adminiſtratione effici, planum eſt, hanc eſſe pęnitentiæ perfectam formam.

Subdit tamen D. Th. (*ſ*) tali forma videtur magis con- ſ 3. p. q. 84. a. 3. ad 5. grua, quàm dicere, *ego tibi peccata remitto*, eo quia hoc magis congruit verbis, quæ Dominus dixit, virtutem clavium oſtendens, per quas Sacerdotes abſolvunt, quodcumque ſolveris &c. Etenim duæ ſunt claves Eccleſiæ, ſcilicet ſcientia diſcernendi, & potentia ligandi, & ſolvendi: Cęlum enim unicuique clauditur, & aperitur per hoc, quod peccato ſubjacet, vel à peccato purgatur, unde & uſus harum clavium dicitur eſſe ligare, & ſolvere, ſcilicet à peccatis. Dicitur magis congrua, quia poteſt & Sacerdos dicere, *Ego tibi peccata remitto*, cum jam ex verbis Domini hæc forma ſumatur V. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.

At eſt, qui dicit, nullus eſt, qui dicit, ego tibi remitto peccata; ex quo arguit, quod nec debet dici, *ego te abſolvo*: ſed, ut loquamur *cum D. Th.* (*t*) obliviſcitur t Opuſc. 22. cap. 2. ejus, quod *Apoſtolus dicit* ſe donaſſe peccatum; non propria auctoritate, ſed in perſona Chriſti; donare autem idem eſt, quod etiam remittere: Ideò enim in abſolutione Sacramentali potius utimur verbo abſolutionis, quàm remiſſionis; ut forma abſolutionis conveniat verbis inſtitutionis: quia Dominus exponens clavium poteſtatem, his verbis uſus eſt; quodcumq; ſolveris, &c.

Nec ex eo, quod ſit magis congrua prima, quam ſecunda, per ſecundam tollitur virtus Sacramenti; eò quia, ut ait Cajet., differentia ſecundum magis, vel minus congruum non tollit virtutem Sacramenti. Immò & *D. Th.* ait, quia tamen hoc non eſt determinatum ex Verbis Chriſti, ſicut in baptiſmo, relinquitur arbitrio Sacerdotis miniſtrantis hoc Sacramentum. Miniſtrantis utique, ut habeatur, tanquam certum, quod ſolus Deus per auctoritatem & à peccato abſolvit, & illa remittit. Sic & Chriſtus veré filius Dei, & abſolvit mulierem in adulterio deprehenſam, dùm *illi dixit*,

Digitized by Google

u cap. 8 xit ex *Joan* (*u*) vade, & jam amplius noli peccare, & remiſſit omnia peccata Mariæ Magdalenæ peccatrici, *ut conſtat ex illo Lucæ*, (*x*) dum illi dixit remittuntur
x cap. 7 tibi peccata; Et meritò dixit remittuntur tibi peccata; nam quis poteſt remittere peccata, niſi Deus; Attamen glorificandus eſt Deus, qui dedit poteſtatem talem hominibus, Sacerdotibus ſ. dimittendi peccata, Sacerdotes utrumque faciunt per miniſterium, in quantum, ſ. verba Sacerdotis in hoc Sacramento inſtrumentaliter operatur, ex virtute divina, ſicut & in aliis Sacramentis.

Et quod Sacerdos, ut miniſter abſolvat jam patet; quia in abſolutione, quam facit, apponit aliquid, quod pertinet ad primam auctoritatem Dei, dicendo, *ego te abſolvo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; vel per virtutem paſſionis Chriſti, iſte enim eſt, de quo dicitur, ipſe enim verus eſt agnus, qui abſtulit peccata Mundi, & ipſe eſt, qui ſanguine ſuo lavit noſtra facinora, vel auctoritate Dei. Et quod detur Sacerdoti poteſtas operandi inſtrumentaliter,
z 3 p. q. 84 a. 3 ad 3 ſive miniſterialiter in Sacramentis, *aſſerit Divus Thomas* (*z*) non eſt autem eis collata poteſtas operandi inſtrumentaliter, ſive miniſterialiter in Sacramentis, Unde Chriſtus Dominus dedit illis poteſtatem abſolvendi à peccatis, dedit illis, Apoſtolis ſcilicet, qui & Sacerdotes ordinati fuerunt; ex quibus ſequitur, quod tantùm Epiſcopis, & Sacerdotibus commiſſum fuit à Chriſto Domino à peccatis abſolvere, non verò aliis,
y ſeſ. 14 c. 6 *ut etiam ſtatutum fuit à Concilio Tridentino* (*y*) circa Miniſtrum autem hujus Sacramenti declarat Sancta Synodus falſas eſſe, & à veritate Evangelii penitus alienas, doctrinas omnes, quæ ad alios quoſvis homines præter Epiſcopos, & Sacerdotes Clavium miniſterium perniciosè extendunt, putantes illa verba Domini, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo, & quæcumque ſolveritis per terram, erunt ſoluta & in Cælo. Et quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt: ad omnes Chriſtifideles indifferenter, & promiſcuè contra inſtitutionem hujus Sacramenti ita fuiſſe dicta, ut quia poteſtatem habeant remittendi peccata, publica quidem per correptionem, ſi correptus acquieverit; ſecreta verò per ſpontaneam confeſſionem cuicumque factam.

Rurſus ait Divus Thomas ibidem, quod ſi Chriſtus Dominus dederit Apoſtolis poteſtatem curandi infirmitates, & ut dæmonia ejicerent, & ut languores curarent, tamen non eſt data eis poteſtas, ut ipſi ſanarent infirmos, ſed ut ad eorum orationem infirmi ſanarentur; Hoc autem dictum *Divi Thomæ à Cajet.* explicatur dicente, quod quando dicitur, non eſt data poteſtas Apoſtolis, &c. intelligendum eſt regolariter, quia Apoſtolis conceſſum non eſt, ut regulariter ſanarent ex poteſtate infirmos, licet eis quandoque conceſſum fuerit. Et hoc ad differentiam in litera intentam inter poteſtatem faciendi miracula, & inter poteſtatem Sacramentalem, quod poteſtate faciendi miracula non poterant ordinariè ſanare infirmos auctoritativè, ſed deprecativè, poteſtate verò Sacramentali ordinariè poterant, ſicut & nos Sacerdotes Chriſti poſſumus peccata remittere, etenim Dei eſt auctoritate peccata dimittere, hominis autem eſt miniſterium ad remiſſionem exhibere, dum in perſona Chriſti peccata condonat; remittuntur autem peccata per hanc forma, *Ego te abſolvo*.

Et licet hanc formam quidam exponant, ſ. abſolutum oſtendo, attamen etſi, quoad aliqua ſit vera, tamen non eſt perfecta, quia ut jam diximus cum D. Thoma, Sacramenta novæ Legis non ſolùm ſignificant, ſed etiam faciunt, quod ſignificant, ac proinde per iſta verba, *Ego te abſolvo*; oſtenditur homo abſolutus, & ſignificativè, & effectivè; etenim formæ Sacramentorum non ſolùm ſunt verba ſignificativa, ſed factiva.

Nec loquitur quaſi de re incerta, ſiquidem ſicut alia Sacramenta novæ Legis habent de ſe certum effectum, (niſi ex parte ſuſcipientis ponatur obex), ex virtute paſſionis Chriſti, ita, & in hoc Sacramento, Sacerdos namque dum dicit, *Ego te abſolvo*, cum certitudine pronunciat Sacramenti effectum, ſic & *ſentit Divus Auguſtinus dicendo*, (*a*) non eſt turpis, nec a l. 2. de adult. conjug. difficilis poſt patrata peccata; & purgata adulteria reconciliatio conjugii, ubi per claves regni cælorum non dubitatur fieri remiſſio peccatorum. Eſſet autem perfectior expoſitio, *Ego te abſolvo* ſc. Sacramentum abſolutionis tibi impendo *juxta Divum Thomam*.

At *Cajet.* dicit, quod talis expoſitio ex forma verborum non importat formam abſolutionis in actu exercito, ſicut ſignificat illam in actu exercito hæc enunciatio, *Ego te abſolvo*, tunc enim ipſe Sacerdos exercet illam abſolutionem faciendo, quod ſignificat; unde dicendo Sacramentum abſolutionis tibi impendo non ſignificat ſe abſolutionis actum exercere. Nihilominus tamen docet, quod ſi hæc verba conſiderentur ſecundum ſeorſum, ſic conveniens, & perfecta invenitur expoſitio, eò quia æquipollet huic Sacramentaliter, *te abſolvo*; cum ſit idem impendere Sacramentum abſolutionis, & Sacramentaliter abſolvere. Per quam expoſitionem ex parte Miniſtri excluditur præſumptio, ſeù uſurpatio divinæ poteſtatis, & ex parte effectus ambiguitas; nam ly Sacramentaliter diſtinguitur à duobus, ſ. à principaliter, & à purè ſpiritualiter; Solus enim Deus & principaliter abſolvit, & purè etiam ſpiritualiter, nam ipſe ſolus eſt, qui remittit, & dat præmia. Sacramento verò homo abſolvit inſtrumentaliter, & ſigno ſenſibili.

Hinc fit, ut effectus Sacramenti, ſcil. abſolutio interior à peccatis, qui ex parte Sacramenti eſt certiſſimus, non ſignificetur in ambiguo, etiam ſi ex parte recipientis malè diſpoſiti impediatur, quia non ſignificatur abſolutio, ut recipitur interius in pænitente, ſed ut exit exterius à miniſtro Sacramenti, ex qua parte conſtat abſolutionem eſſe certiſſimam, ut *ſtatuit etiam Concilium Tridentinum* (*b*) quamvis autem b ſeſ. 14 c. 6 abſolutus Sacerdotis alieni beneficii ſit diſpenſatio, tamen non eſt ſolùm nudum miniſterium, vel annunciandi Evangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata, ſed ad inſtar actus judicialis, quo ab ipſo veluti à Judice, & ſententia pronunciatur. Sicut & *decrevit*, (*c*) ſi quis dixerit, abſolutionem Sacra- c ib. can. 9 mentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi &c. anathema ſit.

Ad Sacramentum pœnitentiæ non requiritur impoſitio manuum, & meritò eum & Chriſtus Dominus nullam fecerit mentionem de impoſitione manuum, ne dùm quando dixit Petro, quodcumque ſolveris ſuper terram &c., ubi ut tu vides, non dixit, cuicumque manus impoſueris, ſed quodcumque ſolveris; verùm etiam quando dixit Apoſtolis, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; *Et Divus Thomas docet*, (*d*) quod in tantùm in Sacramento Con- d 3 p. q. 84 a. 4 firmationis fit impoſitio manus, in quantùm confertur plenitudo Spiritus Sancti, ſicut & in Sacramento Ordinis in quantum confertur quædam excellentia poteſtatis in divinis Myſteriis. Certum eſt enim, inquit Divus Thomas, quod impoſitio manuum in Sacramentis Eccleſiæ fit ad deſignandum aliquem effectum gratiæ copioſum, quo illi, quibus manus imponuntur, quodammodo per quamdam ſimilitudinem continuantur miniſtris, in quibus copia gratiæ eſſe debet; cum ergo Sacramentum pœnitentiæ non ordinetur ad conſequendam aliquam excellentiam gratiæ, ſed ad remotionem peccatorum, hinc eſt, quod ad hoc Sacramentum non requiritur manuum impoſitio, & hoc magis apparet, cum nec in Sacramento baptiſmi illa manuum impoſitio requiratur, & tamen in illo fit plenior remiſſio peccatorum; quod confirmatur à *Divo Thoma dicente*, non quælibet ac- e ib. ad 2 ceptatio Spiritus Sancti requirit manus impoſitionem (ſiquidem & in baptiſmo homo accipit Spiritum Sanctum, & tamen ibi non fit manus impoſitio.

Addit

Digitized by Google

f ibid. ad 3 *Addit D.Th.* (*f*) in Sacramentis, quæ perficiuntur in uſu materiæ miniſter habet aliquem actum corporalem exercere circa eum, qui ſuſcipit Sacramentum, ut in baptiſmo requiritur corporalis ablutio, (manifeſtum eſt namque, quod in baptiſmo verba prolata ſuper aquam tantùm non faciunt Sacramentum, ſed ſuper aquam adhibitam in baptiſmo) & in Confirmatione, & extrema unctione requiruntur ſpirituales unctiones: cęterum hoc Sacramentum non conſiſtit in uſu materiæ alicujus exterius appoſitæ, ſed loco materiæ ſe habent ea, quæ ſunt ex parte pęnitentis. Ipſe namque confitens eſt, ſicut materia in hoc Sacramento; quapropter verba abſolutionis ſuper eum prolata efficiunt pęnitentiæ Sacramentum.

Nec hoc mirum videatur, cùm jam & videmus, quod etiam in Euchariſtia ſola verba prolata ſuper materiam conſecrandam perficiunt Sacramentum; ita nec mirum videri debet, ſi etiam ſola verba Sacerdotis abſolventis ſuper pęnitentem perficiant abſolutionis Sacramentum. Et ut reddamus certi de hac veritate, tollitur à D. Th. omnis dubietas, dum ſubdit, etſi aliquis actus corporalis eſſet ex parte Sacerdotis neceſſarius, non minus competeret Crucis ſignatio, quæ adhibetur in Euchariſtia, quàm manus impoſitio in ſignum, quod per ſanguinem Crucis remittuntur peccata. At ſciendum eſt, quod non eſt de neceſſitate hujus Sacramenti, ſicut nec eſt de neceſſitate Euchariſtiæ.

Et quod non ſit de neceſſitate hujus Sacramenti manuum impoſitio, *poteſt deduci ex illo Marci*, (*g*) g cap. ult. ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt: etiam ſi diceretur, quod ægri ſpiritualiter ſint peccatores, recipientes bonam valetudinem per hoc Sacramentũ. h ibid. ad 3 Et hoc *tùm D.Th. docente*, (*h*) illa manuum impoſitio non eſt Sacramentalis, ſed ordinatur ſolùm ad miracula perficienda, ut ſcilicet per contactum manus hominis ſanctificati, etiam corporalis infirmitas tollai cap. 6. tur: ſic *Marci*, (*i*) infirmos manibus impoſitis curavit: nec tamen iſta manus impoſitio eſt Sacramentalis. Et Chriſtus Dominus mundavit leproſum per conl cap. 8. tactum, *ut legitur Matt.* (*l*) extendens Jeſus manum tetigit eum dicens, volo, mundare, & confeſtim mundata eſt lepra ejus. Hinc Chryſoſtomus, tetigit eum; ut oſtendat, quoniam non ſubjacet legi, & quoniam mundo nihil eſt immundum. Nec manus à lepra facta eſt immunda; ſed corpus leproſum à manu ſancta conſtitutum eſt mundum: ut oſtenderet carnem ſuam ſalutiferam virtutem habere. Ob hoc ſequitur rejectio hæreſum, quantum ad hanc rem pertinet, Photini, Arrii, & Manichæi: Manichæus namq; voluit, Chriſtum non habuiſſe verum corpus, ſed Phantaſticum, contra quem ponitur, ly *tangit*, Arrius voluit, Chriſtum non eſſe filium Dei, & conſequenter nec illi conſubſtantialem, ſicut & voluit, Chriſtum humanam animam non habuiſſe, ſed verbum fuiſſe loco animæ, contra quem ponitur ly *imperat*; Photinus voluit in Chriſto ſolùm humanam naturam fuiſm cap. 5. ſe, contra quem ponitur ly *volo*, (*m*) ut ſentit Ambroſius, Lucæ, ubi ait, dicit, *volo* propter Photinum; *imperat*, propter Arrium; *tangit*, propter Manichæum.

Pœnitentiæ Sacramentum licet videatur eſſe de neceſſitate ſalutis, quia *legitur Lucæ*, (*n*) ſi pęniten n cap. 8. tiam non habueritis, omnes ſimul peribitis, tamen non eſt neceſſarium abſolutè, ut Sacramentum baptiſmi, ſine quo nullus poteſt conſequi ſalutem animæ; ſed dicitur neceſſarium ex ſuppoſitione, cum non ſit neceſſarium omnibus, ſed peccato ſubjacentibus; juxta illud, quod *etiam Concil Trid ſtatuit*, (*o*) eſt autem o Seſ. 14. cap. 2. hoc Sacramentum pęnitentiæ lapſis poſt baptiſmum ad ſalutem neceſſarium; ſicut nondùm regeneratis ipſe baptiſmus. Qua de cauſa in oratione Manaſſe legitur, tu Domine Deus juſtorum non poſuiſti pęnitentiam juſtis, Abraham, Iſaac, Jacob, & iis, qui tibi non peccaverunt: ergo ſolùm peccatoribus eſt neceſſarium hoc Sacramentum ex ſuppoſitione tamen facta, quod inciderint in peccata, ne ulterius inci p cap. 1. dant & in mortem, ut *legitur Jacobi*, (*p*) peccatum autem cum conſummatum fuerit, generat mortem: ergo ad ſalutem peccatoris neceſſe eſt, ut removeatur peccatum ab eo, hoc autem fit per Sacramentum pęnitentiæ, in quo operatur virtus Chriſti per abſolutionem Sacerdotis ſimul cum opere pęnitentis, qui cooperatur gratiæ ad peccati deſtructionem, *ſecundum illud Aug.* (*q*) *de verbis Apoſtolorum*, qui creavit te q Serm. 15 ſine te, non juſtificabit te ſine te, ergo quilibet peccator debet velle pęnitentiam: nec debet habere ſolam bonam voluntatem, nam multi hanc habent, maximè quando peccata eorum in tædium convertuntur, at Sacramentum pęnitentiæ non amplexantur, ſed debent habere bonam voluntatem ſine interpellatione, quæ fit per peccatum, talis enim non habet triſtitiæ cauſam; ſed ex quo bona voluntas tollitur per peccatum, non poteſt reſtitui ſine triſtitia, qua quis dolet de peccato præterito, quod ſpectat ad pęnitentiam; iſta enim eſt, quæ liberat hominem à peccato, non ſola charitas, non fides, non miſericordia, ſine pęnitentia ſaltem in voto, cum pęnitentia verò coadjuvant, ut homines à peccatis liberentur. *Unde D.Th.* r 3. p. q. 84 a. 5. ad 2 (*r*) requirit enim charitas, ut homo doleat de offenſa in amicum commiſſa, & quod ſtudeat illi ſatisfacere. Requirit & fides, ut per virtutem paſſionis Chriſti, quæ in Sacramentis operatur, quærat juſtificari à peccatis; Tandem requirit & ipſa miſericordia ordinata, ut homo ſubveniat pęnitendo ſuæ miſeriæ, quam per peccatum incurrit; *juxta illud Proverb.* (*ſ*) miſeros f cap. 14. facit populos peccatum. *Et Eccleſ.* (*t*) *nos admonet*, ut t cap. 30. miſereamur animæ noſtræ, quam per peccatum offendimus; miſerere animæ tuæ, inquit, placens Deo, qui tamen dedit poteſtatem excellentiæ Chriſto Domino, à cujus inſtitutione initium habuerunt Sacramenta Eccleſiæ, & tali poteſtate uſus fuit, quando abſolvit illam mulierem adulteram, quamvis tamen illam non abſolverit abſque interiori pęnitentia, *ut docet D.Thom.* (*u*) ad poteſtatem excellentiæ Chriſti u ad 3 ibi pertinuit, quod Chriſtus effectum Sacramenti pęnitentiæ, qui eſt remiſſio peccatorum, contulit mulieri adulteræ ſine exterioris pęnitentiæ Sacramento, licet non ſine interiori pęnitentia, quam ipſe in ea per gratiam operatus eſt. Sic enim hanc interiorem pęnitentiam explicatur in *Catech.* (*x*) intima, habetur, x p. 2. de Sac. pœn. nu 7 pęnitentia eſt iſta, cùm ad Deum nos ex animo convertimus, & commiſſa à nobis ſcelera deteſtamur, & odio habemus, ſimulque illud nobis certum, & deliberatum eſt, malam vitæ conſuetudinem, corruptoſque mores emendare non ſine ſpe veniæ à Dei miſericordia conſequendæ.

Ex his ergo manifeſtum videtur, quod ad ſalutem hujus mulieris fuit neceſſarium Sacramentum pęnitentiæ ſaltem in voto, & ita neceſſarium, ut ſi quis velit ſe ſalvare à naufragio, in quod incidere poteſt per peccatum, opus eſt, ut ſe applicet ad pęnitentiam, quæ ſecunda tabula poſt naufragium nuncupatur; ſic habetur *ex D. Hieronymo* vocante pęnitentiam poſt naufragium ſecundam tabulam; & exemplificante, etenim, inquit, confracta navi unum vitæ ſervandæ perfugium reliquum eſt, ſi fortè tabulam aliquam de naufragio liceat accipere, ita poſt amiſſam baptiſmi innocentiam, niſi quis ad pęnitentiæ tabulam confugiat, ſine dubio de ejus ſalute deſperandum eſt. *Ex Concilio Trident. prius ſtatuente*, (*y*) qui verò ab accepta y Seſ. 6. cap. 14 juſtificationis gratia per peccatum exciderunt, rurſus juſtificari poterunt: cum, excitante Deo per pęnitentiæ Sacramentum, meritum Chriſti, amiſſam gratiam recuperare procuraverint; hic enim juſtificationis modus eſt lapſi reparatio, quam ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam Sancti Patres nuncuparunt; *Et poſtea decretante*, (*z*) ſi quis Sacramen z Seſ. 14. can. 2. ta confundens dixerit, pęnitentiam non rectè ſecundam poſt naufragium tabulam appellari; anathema ſit. *Quapropter D.Th.* (*a*) *corroborando auctoritatem D.* a 3. p. q. 84 a. 6. *Hieronymi docuit* ſic à ſimili arguendo; ſicut primum remedium mare tranſeuntibus eſt, ut conſerventur in navi integra, & ſecundum remedium eſt poſt navem fractam, ut quis tabulæ adhæreat; ita primum

reme-

Digitized by Google

remedium in mari hujus vitæ eſt, ut homo integritatem ſervet, illam V. integritatem, quam per Sacramenta accepit, per illa ſcilic. Sacramenta, quæ per ſe ordinantur ad ſalutem hominis; & ſunt baptiſmus, qui eſt ſpiritualis regeneratio; Confirmatio, quæ eſt ſpirituale augmentum, & Euchariſtia, quæ eſt ſpirituale nutrimentum: ſecundum verò remedium eſt, ſi per peccatum integritatem perdiderit, quod per pęnitentiam redeat; niſi enim peccaret actualiter homo, pęnitentia non indigeret, quia quaſi per accidens pęnitentia ordinatur ad ſalutem hominis, ſuppoſito ſcilicet peccato. Unde rationabiliter tenet ſecundum locum reſpectu ſtatus integritatis, qui confertur, & conſervatur per Sacramenta Baptiſmi, Confirmationis, & Euchariſtiæ, quibus homo per ſe indiget, & modò quo in vita corporali, licet non indigeret homo medicatione, niſi infirmaretur, adhuc tamen homo indigeret per ſe ad vitam conſerendam, & conſervandam generatione, augmento, & nutrimento. Hoc totum etiam b Ib. ad 4. *explicat D. Th.* (*b*) licet ſub aliis verbis; pęnitentia, inquit, non poteſt dici fundamentum ſpiritualis ædificii, ſimpliciter ſcilic. in prima ædificatione; ſed eſt fundamentum in ſecunda reædificatione, quæ fit per deſtructionem peccati; Nam primò redeuntibus ad Deum occurrit pęnitentia, quæ tamen non præcedit baptiſ- c Seſ. 6. cap. 14. mum, (*ut habetur etiam ex Conc. Trident.* etenim pro his, qui poſt baptiſmum labuntur in peccata, Chriſtus Jeſus Sacramentum inſtituit pęnitentiæ, cùm dixit, accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt (loquendo ſcilicet de illa pęnitentia, quæ Sacramentum pęnitentiæ eſt, licet aliqua pęnitentia ante ipſum pręcedere debeat,) quam tamen eſſe aliam ab illa, quæ Sacramentum pęnitentiæ eſt, aſſerit idem Concilium ibidem ſubdens; unde dicendum eſt, Chriſtiani hominis pœnitentiam poſt lapſum multò aliam eſſe à baptiſmali, eamq; continere, non modò ceſſationem à peccatis, & eorum deteſtationem, aut cor contritum, & humiliatum; verùm etiam eorumdem Sacramentalem confeſſionem, ſalutem in voto, & ſuo tempore faciendam, & Sacerdotalem abſolutionem & per hoc intel- d Cap. 2. ligitur illud, *quod ſcriptum eſt in Actibus Apoſt.* (*d*) pęnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum; aliàs non eſſet ſecunda, ſed prima tabula pęnitentia ipſa; de cujus ratione eſt abſcondere peccata, quod tamen e Ibid. ad contingit dupliciter, *ait D. Thom.*, (*e*) primò dùm ipſa peccata fiunt; quo pacto pejus eſt peccare publicè, quàm occultè; nam peccator publicus videtur ex majori contemptu peccare, & etiam quia peccat cum ſcandalo aliorum; & ideò aſſignatur quodam remedium in peccatis, quod aliquis in occulto peccet; & Gloſſa dicit, quod ſecunda tabula poſt naufragium eſt peccata abſcondere, non quod per hoc tollatur peccatum, ſicut per pœnitentiam; ſed quia per hoc peccatum fit minus: ſecundò aliquis abſcondit peccatum prius factum per negligentiam confeſſionis, & hoc contrariatur pœnitentiæ, & tali pacto abſcondere peccatum non eſt ſecunda tabula, ſed magis contrarium tabulæ juxta il- f cap. 28. lud, quod ſcripſit Salomon in lib. Proverb., qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur, ſed magis revelat ea, ſubdit Gloſſa, hoc eſt manifeſtando Sacerdoti miniſtro Chriſti, & Dei, ex cujus paſſione procedit virtus Sacramentorum, quæ eſt ad ſalutem omni credenti: hujus tamen efficaciam, & originem virtutis ejus mani- g cap. ult. feſtavit poſt reſurrectionem, ut conſtat Lucę, (*g*) oportebat, ipſe Chriſtus Dominus dixit, Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pęnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes: ex virtute namque nominis Jeſu Chriſti patientis, & reſurgentis Sacramentum pęnitentiæ efficaciam habet in remiſſionem peccatorum, & ſic pa- h 3. p. q. 84. art. 7. tet, *inquit D. Th.* (*h*) hoc Sacramentum in nova lege inſtitutum fuiſſe.

Sed dicet quis, cum penitentia ſe habeat conſequenter ad baptiſmum, quare Dominus Jeſus non prædicaverit prius baptiſmum, & poſtea pęnitentiam? *Sic enim* i Cap. 4. *legitur Matt.*, (*i*) exinde cœpit Jeſus prædicare, & dicere, pęnitentiam agite: appropinquavit enim regnum Cęlorum.

Ad hunc dicendum eſt, quod Dominus Jeſus prædicavit prius baptiſmum, etenim, *ut conſtat Joan* (*l*) dixit Nicodemo, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire regnum Dei, quod patet fuiſſe hoc dictum ante incarcerationem Joannis, ſic enim ibid. legitur, erat autem & Joannes baptizans in Ænnon: nondum enim minus fuerat Joannes in carcerem. Poſtea prædicavit pęnitentiam, *nam Matt. ſcribit*, quæ de pęnitentiæ neceſſitate ſunt, poſt incarcerationem Joannis: *ut conſtat ex Marco, cap.* 1. Poſtquam autem traditus eſt Joannes, venit Jeſus in Galilæam, prædicans Euangelium regni Dei: & dicens: quoniam impletum eſt tempus, & appropinquavit regnum Dei: pęnitemini, & credite Euangelio. *Addit tamen D. Th.* (*m*) quod ſi prius ad pęnitentiam induxiſſet, quàm ad baptiſmum, hoc ideò eſſet: quia etiam ante baptiſmum requiritur quędam pęnitentia, ſicut & Petrus dixit, *in Actibus Apoſtolorum*, (*n*) pęnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum. Pręcedere namque debet in adultis aliquis actus pęnitentię de peccatis, quę per baptiſmi aquam tolluntur, ut ſubdit Petrus, dum dicit, in remiſſionem peccatorum veſtrorum.

l Cap. 3.
m Ibid. ad 3.
n Cap. 2.

Nec ex eo, quod eſt de jure naturali, quod aliquis pęniteat de malis, quę geſſit, tollitur convenienter ejus inſtitutio: quoniam, *docet D. Th.* ut aliquis pęniteat de malis, quę fecit, de jure naturali eſt, quantum ad hoc, quod doleat ſe feciſſe, & remedium doloris quęrat per aliquem modum, & quod etiam aliqua ſigna doloris oſtendat, ſicut & Ninivitę fecerunt, nec tantùm oſtenderunt Ninivitę aliqua ſigna doloris, *ut legitur in Jona*, (*p*) quod veſtiti ſunt ſaccis à majori uſque ad minorem, ſed etiam oſtenderunt aliquid ad fidem ſpectans, unde ſubditur, & crediderunt viri Ninivitę in Deum, & ideò *ait D. Th.* (*q*) in iſtis tamen fuit aliquid adjunctum fidei, quam conceperant ex pędicatione Jonę, ut ſcil. hoc agerent ſub ſpe venię conſequendę à Deo.

o Ib. ad 2.
p cap. 3.
q Ibid. ad 1.

Ob hoc Rex Ninives poſtquam operuit ſe cinere, & cilicio mandavit, quod & homines operiantur ſaccis, & clament ad Dominum in fortitudine, & convertatur vir à via ſua mala, & ab iniquitate, quę eſt in manibus eorum, tanta erat fides erga Deum, ne eos perderet, ac proinde legitur, ipſum Regem dixiſſe, quis ſcit, ſi convertatur, & ignoſcat Deus, & revertatur à furore irę ſuę, & non peribimus? Sed ſicut alia, quę ſunt de jure naturali, determinationem acceperunt ex Inſtitutione legis divinę, juxta illud, *quod docuit D. Th.* (*r*) quędam ſunt, quę ad judicanda humana ratio indiget inſtructione divina, per quam erudimur de divinis, ut eſt illud, non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, neque aſſumes nomen Dei in vanum, ita & pęnitentia.

r 1. 2. q. 100. a. 1.

Verùm ea, quę ſunt juris naturalis, diverſimodè determinationem accipient in veteri, ac nova lege: ſecundum quod congruit imperfectioni veteris legis, & perfectioni novę legis, ita & pęnitentia diverſimodè determinationem habuit in veteri, ac in nova lege: nam in veteri lege determinationem aliquam habuit quantum ad dolorem, ut eſſet magis in corde, quàm in exterioribus ſignis: *ut dicitur in Prophetiam Joelis*, Scindite corda veſtra, (ne fortè ſimulemini dolorem, & de vobis dicatur illud, quod dictum fuit de filiis Iſrael, cor eorum longe eſt à me) & non veſtimenta veſtra, *juxta illud Levitici* veſtimenta veſtra nolite ſcindere: quantum verò ad remedium doloris quęrendum, ut aliquo modo miniſtris Dei peccata ſua confiterentur ad minus in generali. Quocirca *Dominus Deus dixit Levit.*, (*u*) anima, quę peccaverit per ignorantiam, offeret arietem immaculatum de gregibus Sacerdoti juxta menſuram, & æſtimationem peccati, qui orabit pro eo, quod neſciens fecerit, & dimittetur ei. *Et ideò D. Th.* (*x*) relinquit certum, quod hoc ipſo, quod faciebat oblationem aliquis pro peccato ſuo, quodammodo ſuum peccatum Sacerdoti confitebatur, ob hoc *& dicitur Proverb.* (*y*) qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur, qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericor-

s cap. 2.
t Cap. 10.
u cap. 5.
x Ibid. ad 1.
y cap. 28.

Digitized by Google

nitentiam debere eſſe continuam, ſecundum habitum ſaltem, *ut etiam docet D.Th.* (*v*) & ſic oportet, ut ho- [r 1.p.q.8.a.9.] mo continuè pęniteat, & quantum ad hoc, quod homo numquam aliquod contrarium pœnitentiæ faciat; per quod habitualis diſpoſitio pœnitentis tollatur, & quantum ad hoc, quod homo debet in propoſito gerere, quod ſibi ſemper peccata præterita diſpliceant, ſecundum etiam D. Aug. dicentem, dolor in pœnitentia ſemper cuſtodiatur; *cui conſonat & illud Proverb.* (*u*) [u cap. 23.] in timore Domini eſto tota die: & quod iſte timor Domini pro pęnitentia intelligi debeat, deduci poteſt *ex illo Eccl.* (*x*) ſi non in timore Domini tenneris te [x cap. 27.] inſtanter, doleodo de peccatis contra Deum commiſſis continuè, citò ſubvertetur domus tua, ſ. non tardabit ruina animæ tuæ, ſicut deduci poteſt, & manifeſtè *ex illo Eccl.* (*y*) timor Domini expellit peccatum, [y cap. 1. p.] *& rurſus Eccl.* (*z*) qui timet Deum, nihil negligit, [z cap. 7.] non enim procraſtinat pęnitentiam, & non procraſtinando non addit peccatum ſuper peccatum, ſed pœnitet de peccato, & retrahit ſe à malo, eſt documentum *Eccl.* (*a*) non tardare converti ad Dominum, & [a cap. 5.] non differre de die in diem, procraſtinantes namque confidunt de futuro, promittunt in poſterum, procraſtinant in longiquum, & veluti cum corvo dicunt cras, cras, donec morte ſubita periclitentur, ſubitò, [b ib. c. 5.] *inquit Eccl.* (*b*) veniet ira illius; ergo qui timet Deum, convertetur ad cor ſuum, agendo ſ. pœnitentiam de peccato ſuo, dicens quid feci! *ſicut dicebat Jerem.* (*c*) [c cap. 8.] nullus eſt, qui agat pœnitentiam de peccato ſuo, dicens, quid feci? de quibuſdam, qui reſpuebant agere pœnitentiam de iniquitatibus ſuis. Et Eccleſia infra octavam Corporis Chriſti hæc omnia confirmando orat ad Dominum dicens, Sancti nominis tui Domini timorem pariter, (hoc eſt pœnitentiam de peccatis,) & amorem, (hoc eſt deteſtationem illorum) fac nos habere perpetuum; ſecundum tamen habitum, cum impoſſibile ſit, ut homo actu continuè pœniteat, neceſſe enim eſt, quod actus pęnitentia, ſive exterior, ſive interior interpellatur ad minus ſomno, vel aliis ad neceſſitatem corporis pertinentibus; *& ideò D. Th. ait*, (*d*) ploratus, & lachry- [d ib. ad 3.] mæ ad actum exterioris pœnitentiæ pertinent, qui non ſolùm non debet eſſe continuus, ſed nec oportet [e ead. 31.] quod duret uſque ad finem vitæ, *ſtat enim illud Jer.* (*e*) quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis; & meritò ſubditur à Div. Thom. quia merces operis pœnitentis eſt plena remiſſio peccati, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam, poſt cujus conſecutionem non eſt neceſſe, quod homo ulterius exteriorem pęnitentiam agat, per hoc tamen non excluditur continuitas pœnitentiæ interioris; ſ. cum iſta habeat locum & proficientibus, & perfectis, ut paulò antè diximus.

Pœnitentia, & enumeratur inter Sacramenta, & inter illa iterabilia, unde Sacramentum pęnitentiæ [f ſeſſ. 14. c. 2] pluries eſt iterabile, *juxta Concilium Trident.* (*f*) ante hoc tribunal tamquam reos peccatores, ſ. ſiſti voluit, ut per Sacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum pęnitentes confugerint, [g ib. c. 5 ſ.] poſſent liberari: *& rurſus decrevit dicendo*, (*g*) nec enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, ut Chriſti fideles confiterentur, quod jure divino neceſſarium, & inſtitutum eſſe intellexerat; ſed ut præceptum confeſſionis ſaltem ſemel in anno ab omnibus, & ſingulis cum ad annos diſcretionis perveniſſent, impleretur. Unde jam in univerſa Eccleſia cum ingenti animarum fructu, fidelium obſervatur mos ille ſalutaris confitendi; ſacro illo, & maximè acceptabili tempore quadrageſimæ, ergo quolibet anno unuſquiſque ſemel confiteri tenetur, per quod videtur manifeſtum, quod Sacramentum pęnitentiæ iterabile eſt.

Verùm per pęnitentiæ Sacramentum non intelligimus pœnitentiam ſolemnem, ſiquidem iſta in Eccleſia non iteratur, quod magis apparet, ex eo, quod pœnitentia ſolemnis ſpectat ad juſtitiam; pœ- [h 3. p. q. 4. 5 a. 10.] nitentia verò; prout eſt Sacramentum, ſpectat ad Miſericordiam; & ob hoc ait *D. Thom* (*h*) quod homo inducitur ad Miſericordiam exemplo divinæ Miſericordiæ, ut conſtat in Oratione Dominica, dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, ſi dimitte, dimittatur tibi à Deo omne debitum, quod per peccatum contraxiſti; Simile illi, quod dixit Dominus Deus *per Ieremiam*, [k cap. 18.] (*k*) ſi pęnitentiam egerit gens illa, à malo ſuo, quod locutus ſum adverſus illam; agam & ego pęnitentiam ſuper malo, quod cogitavi, ut facerem ei. Immò clarius colligitur ex verbis Domini dicentis Luc. [l cap. 6.] (*l*) eſtote Miſericordes, ſicut, & pater veſter miſericors eſt & de facto, ut cognoſcamus, quàm pius, & miſericors eſt, hanc miſericordiam diſcipulis ſuis imponit, ut ſæpius remittant fratribus contra ſe peccantibus, ut *per* [m cap. 18.] *Matt.* (*m*) nam Petro quærenti, quoties in me peccabit frater meus, & dimittam ei? uſque ſepties? Cui reſpondit Jeſus, non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties; & ſumitur determinatum pro indeterminato, ut ſit ſenſus, non ſepties, ſed longè plus, per quæ verba Domini videtur, quàm benigna ſit miſericordia eius parata ſemper parcere petentibus veniam, ac proinde manifeſtum relinquitur, quod Deus ſæpius per pœnitentiam veniam petentibus præbet, Deus namque per infinitatem miſericordiæ ſuæ ſuperat omnem numerum, & magnitudinem peccatorum, idcircò miſericordia Dei peccantibus per pœnitentiam veniam præbet abſque termino, quod totum corroboratur, nedùm ex Sacra [n ſeſſ. 6. cā 29] Scriptura, *verùm etiam ex Concilio Tridentino*, (*n*) ſi quis dixerit eum, qui poſt baptiſmum lapſus eſt, non poſſe per Dei gratiam reſurgere; aut poſſe quidem, ſed ſola fide, amiſſam juſtitiam recuperare, ſine Sacramento pęnitentiæ, prout Sancta Romana, & univerſalis Eccleſia à Chriſto Domino, & ejus Apoſtolis edocta, hucuſque profeſſa eſt, ſervavit, [o l. 2. c. ult] & docuit, anathema ſit: A Sacra Scriptura *ex illo Paralipom.* (*o*) immenſa, & inveſtigabilis miſericordia promiſſionis ſuæ ſuper malitiam hominum; per [p cap. 4.] quod dictum meritò reprobantur verba Cain dicentis, *Gen.* (*p*) Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear, quaſi quod miſericordia Dei ad nihilum de- [q cap. 14.] ſerviat; nec ſit ſemper parata parcere pęnitentibus, (*ſic Job* (*q*) conſiderando Miſericordiam Dei clama- [r cap. 2.] vit ad illum dicens, parce peccatis meis; *ſic & in Joel legitur*, (*r*) quod Sacerdotes clamabant ad Dominum, tanta erat fiducia illorum de miſericordia Dei Altiſſimi, dicentes, parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes) dum pluries veniam petunt de peccatis ſuis, ſic apparet manifeſtum ex libris Moyſi, in quibus miſericordia Dei magis, ac magis reſplenduit erga populum pluries peccantem in Deum, & pluries Deus parcens illis, quia pęnitentiam egerunt; ergo ſi dùm pluries peccatur, & pluries etiam venia poſtulatur, illam Deus concedit, pluſquam certum erit, hoc Sacramentum eſſe iterabile. Venit & Chriſtus ſanare, & ſanare omnem langnorem, omnes infirmitates noſtras; & quid per langnorem, & per infirmitatem? niſi peccata noſtra; Sic Joannes exclamavit; ecce qui tollit peccata Mundi; ubi ut notat Chryſoſtomus, non enim dixit, tollet, aut tulit, ſed tollit, ut quotidie ea tollere intelligatur.

Hinc ex Divo Auguſtino, (*ſ*) manifeſtatur, dùm [ſ l. de pœn. cap. 3.] ait multos cæcos, & in diverſo tempore Dominus illuminavit, & multos debiles confirmavit, oſtendes in diverſis illis eiſdem ſæpè peccata dimitti, ut quem prius ſanavit leproſum, alio tempore illuminavit cæcum; ideò enim tot ſanavit cæcos, claudos, aridos, ne deſperet de ſe peccator, uſque enim dùm vivit, ſub cura medici eſſe poteſt, ergo vocetur medicus, ut ſanet infirmitates peccatoris, ſic & David expertus eſt, cum dixit, ſanaſti enim nos de affligentibus nos: quænam namque eſt major afflictio peccatoris, niſi videre ſe deſtitutum à Deo propter iniquitates proprias? ergò ci-

tò, ac peccator infirmatur, vocetor Medicus, ille; ſ. qui jam ſeipſum medicum opportnnum vocat, non ſanis, ſed malè habentibus, non enim, ut ipſe dixit, veni vocare, hoc eſt ſanare, juſtos, qui peccatum non fecerunt, & conſequenter, nec indigent pœnitentia, ſed peccatores, illos, qui infimrati ſunt, & infirmitas eorum ſine dubio erit ad mortem (etenim peccatum mors) ſi medicamentum pœnitentiæ non accipient, nec ſemel tantùm, ſed ſi opus fuerit, bis, terque, quaterque.

Sciat enim peccator, qnod medicorum, eſt centies infirmum, centies curare, *ut ait Div. Th.* (t) medico- *t ib. ad 3.* rum eſt ſenties infirmum, centies curare, qui cæteris minor eſſet, ſi aliis poſſibilia ignoraret, ergo vocetur medicus, & medicus ille ſalutaris, qui habet facultatem ſanandi infirmitates noſtras, quas contraximus per peccata; etſi peccata fuerint quotidiana, iterum clamemus ad Deum noſtrum, ut per donum gratiæ ſuæ; (medicamentum pretioſum ad ſanandas aoimas) peccare amplius non poſſimus, nec deſiſtamus, illum in adjutorium clamare, ſana me Domine medicamento pœnitentiæ Deus, etiamſi, quod Deus avertat, reperiatur quis habens in infirmitate ſua triginta, & octo annos, quia quis ſcit, quod medicus noſter Chriſtus non ſanet ipſum, & ſanando noo dicat illi, ſurge ab hac infirmitate tua agendo pœnitentiam, & confitendo peccata, tolle grabatum tuum induendo hominem per contritionem, & ambula, ſatisfaciendo pro peccatis; hæc enim omnia neceſſaria videntur ad verum pœnitentem, cum ergo ſani facti ſumus per hæc dicta, amplius peccare nolimus, ne deterius aliquid nobis contingat; *u cap. 5.* eſt documentum *Eccl.* non adjicias peccatum ſuper peccatum; & ne dicas miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſeribitur. Miſericordia enim, & ira ab illo citò proximant, & in peccatores reſpicit illius ira. Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. Documentum ſanum, & ſanctum, ſed hoc ſtante deſperandum non eſt de miſericordia Domini, utpote quia dixit, nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat; & ideò ſi denuò peccamus, denuò pœnitentiam agimus, & ſi iterùm peccamus, iterùm pœnitentiam agere debemus.

Nec per hoc, quod iterùm peccando actu, vel propoſito excluditur, quin prima pœnitentia vera fuerit, ſicut malè Novatiani cenſerunt, dicentea poſt primam pęnitentiam, quæ agitur in baptiſmo, peccantem non poſſe per pęnitentiam iteratò reſtitui; non animadvertentes, id, quod *docet Div. Thom.* (x) ponens *x ib. ad 5.* differentiam inter baptiſmum, & pęnitentiam, nam baptiſmus habet virtutem ex paſſione Chriſti, ſicut quædam ſpiritualis regeneratio cum ſpirituali morte præcedentis vitæ, & quia ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, & ſemel naſci, ideò etiam ſemel tantùm homo debet baptizari; At pęnitentia habet virtutem ex paſſione Chriſti, ſicut ſpiritualis medicatio, quæ frequenter iterari poteſt. Et ideò per hoc etiam excluduntur alii hæretici dicentes, utique eſſe utilem pœnitentiam, non tamen pluries, ſed ſemel tantùm, quorum error ejicitur à D. Th. & à Conc. Trid damnatur approbans ſemper id, quod docuit Sanct. Doctor; *Statuit ergo Conc.* (y) ſi quis dixerit in *y ſeſs. 14.* Eccleſia Catholica pęnitentiam non eſſe verè, & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties poſt baptiſmum in peccata labuntur ipſi Deo reconciliandis, anathema ſit. *Ad D. Tho. nam docet*, (z) quod iſti errabant, eò quia neſciebant, *z ib. in c.* quod charitas, quæ requiritur ad veram pęnitentiam ſemel habita propter libertatem arbitrii poteſt amitti, ac per conſequens poſt veram pęnitentiam poteſt quis mortaliter pecccare. Sicut & errabant circa æſtimationem gravitatis peccati putantes, adeò eſſe grave peccatum, quod aliquis committit poſt veniam impetratam, quod non ſit poſſibile ipſum remitti.

a l. de pæn. ſec. c. 1. b ib. ad 6. Contra quos ſtat D. *Aug.* (a) *ut notat* D. *Th. dicens* (b) conſtat, Deo multum diſplicere peccata, qui ſemper præſto eſt, ea deſtruere, ne ſolvatur, quod creavit, nec corrumpatur, quod amavit, ſ. per deſperationem. Nec dictum *Apoſt. ad Hæb.* (c) impoſſibile eſt eos, qoi *c cap. 6.* ſemel ſunt illuminati, & guſtaverunt cæleſte donum, & participes ſunt facti Spiritus Sancti, & poſtea ſubdit, & prolapſi rurſus rennvari ad pęnitentiam; ſiquidem, *ut ait D. Tho.* (d) Apoſtolus ſcribit *d ib. ad 1.* Hæbreis, quod impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, ſcilic. per baptiſmum rurſus renovari ad pęnitentiam, ſ. per baptiſmum, qui eſt lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, nec abſque fundamento, ſubdit D. Thomas, quia apud Judæos erant ſecundum legem quædam lavacra inſtituta, in quibus pluries ſe ab immunditiis purgabant, ideòque credebant aliqui Judæorum, quod etiam per lavacrum baptiſmi aliquis pluries purificari poſſet. Hæc de pœnitentia, ſecundum quod eſt Sacramentum.

Super quæſtionem Octuageſimam quintam.

De Sacramento Pænitentiæ, ſecundum quod eſt virtus.

Dum homo verè ſe pœnitet de peccatis commiſſis, non poteſt niſi triſtari, & dolere de illis, & ut ſunt offenſæ Dei, & ut per illa longè ſe fecit à primo principio, cui ſemper debet tendere, immò illi uniri per charitatem, ſicut præcepit illi Deus, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Talis autem dolor, atque triſtitia non debet eſſe ita immoderata, ne fortè cauſetur in pęnitente deſperatio, ut contigit in Cain dicente, major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear, ut accidit in Juda, qui pœnitentia ductus laqueo ſe ſuſpendit; ſed debet eſſe cum moderatione, ita ut doleat, de quo dolendum eſt & eò modo, & fine, quo dulendum eſt, hinc eſt ergo, quod pęnitens debet aſſumere moderatum dolorem de peccatis præteritis cum intentione removendi ea; & hoc ut reſplendeat in eo virtus pęnitentiæ; Etſi delectari contingat, non debet tamen habere delectationem de objecto actus, ſiquidem docet Div. Thom. in quæſt. (a) diſputatis, quod talis *a q. un. de ſpe. a. 1. ad 4.* delectatio non eſt propria virtuti, eo quia eſt aliqua virtus, ad quam pertinet dolere de ſuo objecto, ſ. pęnitentia, ſed debet delectari de ſuo actu, etenim hujuſmodi delectatio propria eſt virtutis, nam unicuique habenti virtutem eſt delectabilis operatio, quæ eſt ſecundum proprium habitum, unde etiam pęnitens de dolore gaudet; Hinc apud Aug. habetur ſemper dolens at pęnitens, & de dolore gaudeat; cui conſonat illud *Job*, (b) dixit enim iſte ago, pęniten- *b c. ult.* tiam in favilla, & cinere, ſic enim legit noſtra vulgata, & tamen alia verſio legit, ago ſolatium in favilla, & cinere, & meritò, quoniam poſt peccatum quid aliud poteſt afferre ſolatium, quàm pęnitentia?

Quæ tamen non ſolùm eſt virtus, ſed virtus ſpecialis, nam & de ea datur ſpeciale legis præceptum, *ut ſcriptum eſt Lucæ*, (c) ſi pœnitentiam non habueritis, omnes ſimiliter peribitis; *c c. 13.* In qua etiam invenitur ſpecialis actio actus laudabilis, ſ. operari ad deſtructionem peccati præteriti, in quantum eſt Dei offenſa, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis.

Virtus pęnitentiæ eſt etiam ſpecies juſtitiæ, non tamen quatenus juſtum dicitur ſimpliciter, cum tale juſtum ſolùm reperiatur inter æquales, unde manifeſtum eſt, quod inter Deum offenſum, & hominem pęnitentem de peccato erga Deum commiſſo impoſſibile eſt eſſe æqualitatem, bene verò in quantum juſtum dicitur ſecundum quid, cum hujuſmodi juſtum ſit inter illos, quorum unus eſt ſub poteſtate alterius, ſic homo ſub poteſtate Dei eſt. Etſi debemus ſubjicere voluntatē

no-

noſtram, documentum nobis præſtitum à Chriſto Jeſu, qui dixit ad Patrem, non mea, ſed tua voluntas fiat; & hinc eſt, quod dum præſentemus illi voluntatem noſtram, debemus illam illi præſentare mundam à peccatis; quid mirum ergo; ſi dicatur, quod pœnitentia, ſecundum quod eſt virtus, ſit in voluntate, veluti in ſubiecto, cum & proprius ejus actus ſit propoſitum emendandi Deo illud, quod contra eum commiſſum eſt. Contra ipſam, qui & Pater eſt, & Dominus; & hoc in ſignum, quod pęnitens debet dolere de peccato erga Deum commiſſo, ut Pater eſt, quem diligere debemus, tanquam filii, & ut Dominus, quem timere debemus, ne contra nos iraſcatur; ita ut non avertat iram ſuam à nobis, hinc dicitur, quod actus pęnitentiæ à timore ſervili procedit, ſicut à primo motu affectus, ad hoc ordinato; à timore autem filiali, ſicut ab immediato, & proximo principio.

Attamen per hoc non tollitur, quod ſit virtus, licet tollatur, quod non ſit prima virtutum ſimpliciter, & hoc non ſolùm ordine temporis, ſed nec etiam ordine naturæ; etenim ſecundum ordinem naturæ ſimpliciter præcedunt ipſam virtutes Theologicæ; licet poſtea quantum ad aliquid ſit prima inter cęteras virtutes ordine temporis, quantum ad ejus actum, qui primò occurtit ad juſtificationem impii. *Hæc ex D. Th.*

Pęnitentia non ſolum Sacramentum eſt, cum habeat veram formam, & veram materiam, ex quibus conſtat Sacramentum, & cum cauſet gratiam, quòd eſt proprium omnium Sacramentorum, verùm etiam eſt virtus, vel actus virtutis; & de facto *D. Thom.* (d) *docet*, pęnitentia, per quam aſſumit pęnitens moderatum dolorem de peccatis præteritis cum intentione removendi ea, vel eſt virtus, vel eſt actus virtutis.

d 3. p. q. 85. a. 1. ad 3.

Dix: pęnitentiam, per quam aſſumit pęnitens moderatum dolorem, &c. quoniam non debet pęnitens intendere de eo, ſcil. quod prius ſactum eſt, cum intentione conandi ad hoc, quod factum non ſuerit, hoc enim eſſet ſtultum, ſed dolor ejus eſt diſplicentia, ſeu reprobatio facti præteriti cum intentione removendi ſequelam ipſius, ſcil. offenſam Dei, & reatum pęnæ; & hoc eſt pęnitere de aliquo prius à ſe facto, & verè dolere.

Veruntamen dolor, vel triſtitia dupliciter dicitur, & ſecundum quod eſt paſſio quædam appetitus ſenſitivi, & quantum ad hoc pęnitentia non eſt virtus, ſed paſſio; *juxta illud D. Th.* (e) triſtitia, quæ in appetitu ſenſitivo pęnitentis conſequitur ex diſplicentia voluntatis, paſſio quædam eſt. Unde moderanda eſt ſecundum virtutem & ejus ſuperfluitas eſt vitioſa, quia inducit in deſperationem; quod ſignificat *Paulus ad Corint.* (f) ne fortè abundantiori, ſcil. majori triſtitia abſorbeatur, quæ ejuſmodi eſt. Et ſecundum quod conſiſtit in voluntate, & hoc modo eſt cum quadam electione, quæ quidem ſi ſit recta, neceſſe eſt, quod ſit actus virtutis, *ut ex Ariſt. dicitur*, virtus eſt habitus electivus ſecundum rationem rectam; cum ergo pertineat ad rationem rectam, ut aliquis doleat, de quo dolendum eſt, & eo modo, & fine, quo dolendum eſt, hinc ſequitur, quod pęnitentia ſit actus virtutis, cum in illa obſervetur totum, quod dictum eſt. Immò & quod dicitur *à Concil. Trident. de iis, qui diligere incipiunt Deum*, (g) propterea, ſtatuitur, moventur adverſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem, hoc eſt per eam pęnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet. De hac diſpoſitione ſcriptum eſt, præparate corda veſtra Domino. Odire autem, malum, & illud deteſtari non eſt, niſi exercere actum virtutis provenientem ex ipſa pęnitentia, quæ verè virtus eſt; ac proinde præparatur cor Domino mediis virtutibus, ſeu virtutum actibus; ad quod deſignandum Aug. in Ser. dedicationis Eccleſiæ dixit, habitaculum cordis noſtri evacuetur vitiis, & virtutibus repleatur; evacuetur vitiis, illis, quæ à Chriſto Domino *Matt.* (i) enumerantur, de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ; fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas; per quæ omnia ſine dubio, ut inquit Auguſt. ibid. ſubdens, habitaculum cordis noſtri claudetur diabolo, & aperietur Chriſto, qui Dei Sapientia, & Dei virtus eſt; *ut ait Paulus ad Corint.* (l) Igitur admonet nos Paulus (m) repleri corda noſtra talibus virtutibus.

e 3. p. q. 84. art. 9. ad 3
f 2. Cap. 2.
a 2. Etich. Cap. 2. & 6
g Seſ. 6. cap. 6.
i Cap. 15.
l 1. Cap. 1.
m cap. 5.

Rurſus à Concil. Trid. (n) *habetur*, fuit quidem pęnitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam, & juſtitiam aſſequendam neceſſaria; illis etiam, qui baptiſmi Sacramento ablui petiviſſent, ut perverſitate abiecta, & eliminata tantam Dei offenſionem cum peccati odio, & pio animi dolore deteſtarentur. Unde *Propheta Ezech.* ait, convertimini, & agite pęnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Ecce ergo quomodo ex verbis Concilii clarè deducitur, pęnitentiam eſſe virtutem, dùm dixit, ipſam pęnitentiam eſſe peccati odium, animumque pium dolorem, deteſtantem offenſam Dei, atque facientem, quod iniquitas non ſit nobis in ruinam, ergo amplectamur pœnitentiam, ne ſit nobis caſus, & ne incidamus in profundum, juxta illud, quod dixit Dominus, *Lucæ*, (o) niſi pęnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Et eò magis amplecti debemus illam, & induere virtute illius, cum hoc Sacramentum, in quantum eſt virtus, præcellat alia Sacramenta, nempè baptiſmum, & confirmationem; & rationabiliter *inquit D. Th.* (p) quia in Sacramento pęnitentiæ jam materialiter ſe habent actus humani, quod non contingit in baptiſmo, vel confirmatione. Siquidem de ratione virtutis eſt, quod ſit principium alicujus actus, & quia in Sacramento pœnitentiæ ſunt actus humani, & non in illis duobus Sacramentis, rectè ſequitur, quod pęnitentia potiùs ſit virtus, vel cum virtute, quàm baptiſmus, ſeù Confirmatio.

n Seſſ. 14. cap. 1.
o cap. 13.
p Ibid. ad 2.

Etſi quæratur, quare ſecundum quod eſt paſſio, non eſt virtus? Facilè *reſpondetur cum Div. Thom.* (q) quia hoc pacto conſiderata habet corporalem tranſmutationem adjunctam; & ſolvendo hoc quæſitum Div. Thom. magis corroborat, quod diximus de pœnitentia, ut virtus eſt, dùm ſubdit, eſt tamen virtus; ſecundum quod habet ex parte voluntatis electionem rectam, quod tamen poteſt dici magis de pęnitentia, quàm de verecundia, & per hoc excluditur verecundia à ratione virtutis; quod magis apparet ex differentia, quæ reperitur inter utramque: verecundia namque reſpicit turpe factum, ut præſens, pro quo timet confundi. *Hinc Gregorius Nyſſenus ait*, verecundia eſt timor in turpi actu: cęterum pœnitentia reſpicit turpe factum, ut præteritum; *& ideò Gregorius dixit*, quod pœnitere eſt præterita peccata plangere. Quapropter contra perfectionem virtutis eſt, quod aliquis in præſenti habeat turpe factum, de quo oporteat eum verecundari; & ideò *D. Th. docuit*, (ſ) quod ille, qui eſt perfectus ſecundum habitum virtutis, non apprehendit aliquid exprobrabile, & turpe ad faciendum, ut poſſibile, & arduum, ſcilic. difficile ad vitandum, neque etiam actu facit aliquod turpe, unde opprobrium timeat; ac proinde verecundia propriè loquendo non eſt virtus, ſed deficit à perfectione virtutis, à qua perfectione etiam *ab Ariſtot.* (t) excluditur verecundia dicente, illam non eſſe virtutem.

q Ib. ad 2
r Hom. 3. 4
ſ 2. 2. q. 144 a. 4
t in 2. Eth.

Non verò eſt contra perfectionem virtutis, quod aliquis commiſerit turpia facta, de quibus oporteat eum pęnitere, cum ex vitioſo fiat aliquis virtuoſus; de cujus virtute gaudent & Angeli, *ut habetur Lucæ*, (u) gaudium erit in cęlis ſuper uno peccatore pęnitentiam agente.

u cap. 15.

Ubi nota, quod dixit pęnitentiam agente, non verò pęnitentiam cogitante, talis namque pęnitentia eſt procraſtinantium. Nec dixit pœnitentiam docente, & non faciente, quæ eſt pęnitentia verboſorum

prædicatorum, de quibus poteſt æque bene dici, dicunt ſed non faciunt. Non ſic Chriſtus Dominus, *ſed ut legitur Act.* (x) cœpit facere, & docere, ubi Gloſſa, bonum doctorem inſtruit; qui, quod docet, facit: Nec dixit pœnitentiam oſtendente, nam hæc eſt pœnitentia hypocritarum, & ſimulatorum. Sed dixit, pœnitentiam agente, quæ eſt pœnitentia devotorum; illorum, qui verè dolent de peccatis ſuis. Pœnitentia & virtus eſt, & virtus ſpecialis, ſpecialis utique, cum de pœnitentia detur & ſpeciale legis præceptum, ut ſatis conſtat *ex illo Lucæ*, (y) ſi pœnitentiam non habueritis, omnes &c. ut autem ne pereamus, voluit Chriſtus Dominus inſtituere hoc Sacramentum, ut quilibet pœnitendo poſſit gaudere de fructu ipſius, qui eſt remiſſio culpæ; adeòque hoc Sacramentum neceſſarium eſt ad ſalutem poſt peccatum; *ſic & habetur ex illo Matt* (z) pœnitentiam agite, per quæ verba ſatis apparet, quod de pœnitentia datur ſpeciale mandatum. Et *ex D. Th.* (a) etenim ex hoc colligitur, pœnitentiam eſſe ſpecialem virtutem, quod ſpecies habituum diſtinguuntur ſecundum ſpecies actuum; & hinc eſt, quod ubi occurrit ſpecialis actus laudabilis, ibi neceſſe ſit ponere ſpecialem habitum virtutis, cum autem in pœnitentia inveniatur ſpecialis ratio actus laudabilis, ſcil. operari ad deſtructionem peccati præteriti, in quantum eſt Dei offenſa, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis, inde ſequitur, quod neceſſe ſit etiam ponere, quod pœnitentia ſit ſpecialis virtus. Et taliter eſt virtus ſpecialis, quod etiam ſi habeat realiter generalem materiam, in quantum reſpicit omnia peccata, reſpicit tamen illa ſub ratione ſpeciali, in quantum ſunt emendabilia per actum hominis cooperantis Deo ad ſuam juſtificationem.

x cap. 1. — y cap. 13. — z cap. 4. — a 3 p. q. 84 a. 2.

Nec de ratione pœnitentiæ, prout eſt virtus ſpecialis, eſt expellere formaliter habitum vitii oppoſiti, ſicut eſt de ratione cujuslibet virtutis ſpecialis, benè tamen de ejus ratione eſt expellere omne peccatum effectivè, in quantum operatur ad deſtructionem peccati, prout eſt remiſſibile ex divina gratia homine cooperante; ſic enim *habetur ex illo Apocal.*, (b) memor eſto, unde excidetis, & age pœnitentiam, & prima opera fac; nam ecce manifeſta intentio operandi ad deſtructionem peccati commiſſi.

b cap. 2.

At quia homo non habet cooperari, niſi prius habeat virtutem, hinc eſt etiam, quod à charitate derivatur ipſa pœnitentia. Et hinc eſt, quod ſi in actu pœnitentis conſideretur ſola diſplicentia peccati præteriti, hoc immediatè ad charitatem pertinet; eò modò quo gaudere de bonis præteritis ſpectat ad eamdem charitatem; at intentio operandi ad deletionem peccati præteriti requirit ſpecialem virtutem ſub charitate. Juxta *etiam D. Th.* (c) à charitate derivatur aliquis actus dupliciter, & ſicut ab ea elicitus, & talis actus virtuoſus non requirit aliam virtutem præter charitatem, ſicut diligere Deum, gaudere de eo, & triſtari de oppoſito: & alius ſicut à charitate procedit, quaſi à charitate imperatus, & ſic, quia ipſa imperat omnibus virtutibus, (utpote ordinans eas ad finem ſuum) actus à *charitate procedens* poteſt etiam ad aliam ſpecialem virtutem pertinere. Afferamus exemplum, contritio, de cujus ratione eſt, ut ſit dolor de peccato propter Deum ſummè dilectum, certum eſt, quod tunc poteſt conſiderari ſola diſplicentia peccati, & intentio illud deſtruendi; Itaque contritio etſi ſit dolor de peccato propter Deum ſummè dilectum cum intentione illud deſtruendi, & ſatisfaciendi Deo offenſo, quò pacto requiritur ſpecialis virtus pœnitentiæ, non tamen eſt dolor de peccato propter Deum ſummè dilectum per ſimplicem diſplicentiam illius, ſiquidem talis dolor elicitur à charitate; inter quas virtutes, V. charitatem, & pœnitentiam eſt hæc diverſitas, quod charitas reſpicit peccatum, ut contrarium bono divino, hinc eſt, quod peccatores non verè diligunt Deum, quia in peccatis ſunt, & hoc modo non filii Dei nuncupantur; Pœnitentia verò reſpicit peccatum, & in illud fertur, ut juri divino oppoſitum, ut habet rationem offenſæ, cum intentione illud deſtruendi, & reparandi injuriam Deo illatam; unde & peccatores redduntur amici Dei propter pœnitentiam.

c ibid. ad 1.

Pœnitentia cum non habeat, ut ſit virtus ſpecialis ex hoc ſolo, quod doleat de malo perpetrato (nam ad hoc ſufficeret charitas) ſed ex eo, quod pœnitens doleat de peccato commiſſo, in quantum eſt offenſa Dei cum emendationis propoſito. Verùm non tantùm emendatio offenſæ, ſed & recompenſatio eſſe debet, *juxta D Th.* (d) emendatio offenſæ contra aliquem commiſſæ non ſit per ſolam ceſſationem offenſæ, ſed ulterius exigitur quædam recompenſatio, quæ habet locum in offenſis in alterum commiſſis, ſicut & retributio; inter quæ tamen adeſt aliqua differentia, quod recompenſatio eſt ex parte ejus, qui offendit, retributio verò eſt ex parte ejus, in quem eſt offenſa commiſſa; attamen in aliquo conveniunt, quod tam retributio, quàm recompenſatio ad materiam juſtitiæ pertinet; cum tàm una, quàm alia ſit commutatio quædam; hinc ergo eſt, quod pœnitentia, ſecundum quod dolet de malo perpetrato, licet ſit virtus, tamen ſecundum quod dolet de peccato commiſſo, in quantum eſt offenſa Dei cum emendationis propoſito, eſt pars juſtitiæ commutativæ ſcil. non tamen ſecundum quod dicitur juſta ſimpliciter, ſiquidem eſt inter æquales, certum enim eſt; quod inter Deum, & hominem non poteſt eſſe æqualitas propter infinitam diſtantiam creaturæ ad Creatorem, hominem ad Deum, ſic etiam inter Deum offenſum, & hominem pœnitentem de peccato erga Deum commiſſo, impoſſibile eſt eſſe æqualitatem. Et ideò *docet D. Th.*, non tamen ſecundum quod juſtum dicitur ſimpliciter, cum hoc pacto juſtum ſit inter æquales, juſtitia namque eſt æqualitas quædam, ac proinde pœnitentia, conſtat, quod non habeat eſſe juſtum ſimpliciter; non enim habet reddere Deo æquale, quapropter *& Ariſtoteles nos docuit in lib. Etich.* (e) ut libere inferamus, ex eo, quod juſtitia ſit æqualitas quædam, quod etiam ſimpliciter eſt juſtitia inter eos, quarum eſt ſimpliciter æqualitas. *Et D. Thom. apertè docet*, (f) manifeſtum eſſe non poſſe hominis ad Deum eſſe juſtitiam ſecundum abſolutam æqualitatem. Ex quibus etiam ſequitur, quod non ſit medium juſtitiæ ipſa pœnitentia, quoniam & ipſum medium juſtitiæ ſit æqualitas, quæ conſtituitur inter illos, inter quos eſt juſtitia; bene verò pœnitentia habet eſſe juſtum ſecundum quid, cum tale juſtum ſit inter illos, quorum unus eſt ſub poteſtate alterius, ſic homo ſub Dei poteſtate eſt, qui judicat bonos, & malos, non verò ſub poteſtate hominis, qui neſcit judicare de alienis; immò nec ſub poteſtate ſui, cum *& Paulus ad Corint.* (g) *dicat*, ſi nos ipſos dijudicaremus, non utique, à Domino, judicaremur, hoc eſt, ſi pœnitentiam ſpontaneam de nobis, ſcilicet ſatisfactorias pœnas ſponté ſumendo ageremus, non utique à Domino vindictam peccatorum noſtrorum caſtigaremur; ac proinde benè ab oppoſito *dicebat Eccl.* (h) ſi pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominis; quapropter *ſubdit D. Thom.* juſtum eſt, quod pœnitens recurrat ad Deum, cum emendationis propoſito, ſicut ſervus ad Dominum, & talem recurſum dedit nobis David, (i) ſicut oculi ſervorum in manibus Dominorum ſuorum, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri; nec dedignari debent homines tali nuncupatione ſervitutis, ſiquidem & Rex David talem ſe declaravit apud Deum, quando dixit, ſervus tuus ego ſum, da mihi intellectum Domine, ut valeam rectè operari, & mandatis tuis obedire; ſic Virgo Sanctiſſima ancillam ſe fecit, dum dixit, ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum, propter quod & Mater Dei eligitur, ſic Paulus hoc nomine ſervi gloriabatur, ut patet in ſuis Epiſtolis, in quibus ſe Chriſti ſervum frequenter nominat; ſed quid mirum de iſtis, mirandum eſt potius de Deo, qui etiam filium ſuum Jeſum ſervum vocavit *per Iſajam* (l) dicens, ecce ſervus meus ſuſcipiam eum &c. Quod recurrat ad Dominum, ſicut filius ad Patrem, exemplum habemus de filio prodighn, *Lucæ*; (m) iſte enim dixit, pater peccavi in cœlum, & coram te, jam non ſum

d 3. p. q. 85 a. 3. — e cap. 6. Lib. 5. — f p. 2. q. 176 a. 1. — g 1 p. cap. 11 — h cap. 2. — i Pſ. 122 — l cap. 42. — m cap. 15.

dignus

dignus vocari filiustuus, per quod exprimitur emendationis propoſitum; propterea meruit audire à Patre verba hæc, citò proferte ei ſtolam primam, & induite illum; ſic erit & de nobis clamantibus ad Deum Patrem, hinc Auguſtinum ad Macedonium, Deus non minus tribuit, quàm antea tribuebat largiſſimo munere vitæ, & ſalutis vid. pœnitentibus, quod intelligere debemus de illis pœnitentibus, qui tantùm dolent, quantum antea dilexerant. Et denique quod recurrat ad Dominum, ſicut uxor ad virum, *ſicut legitur Ieremiæ*, a cap. 3 fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te. Ut certò ſciamus, quod etiam ſi uxor fornicata fuerit, non propter hoc matrimonium ſolvitur, ſed pœnitentia ducta, & reverſa dolens, ad virum ſuum, debet illam ſuſcipere benignè, & parcere illi.

Subdit Divus Thomas, (o) in quibuſdam non poteſt o 1. p. q. 85 a. 4 ad 3 perfecta æqualitas conſtitui ob alterius excellentiam, ſicut inter patrem, & filium, inter Deum, & hominem, & ſic in talibus ille, qui eſt deficiens, debet facere, quidquid poteſt; at hoc non erit ſufficiens ſimpliciter, ſed ſolùm ſecundum acceptationem ſuperioris, & hoc ſignificatur per exceſſum, qui attribuitur pœnitentiæ; argo benè diximus, quod pęnitentia non habet conſiſtere in medio, ſed ſolùm, quod in exceſſu conſiſtit, p ibi ad 2. ut magis roboratur *ex illo Jeremiæ*, (p) luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum: & conſequenter eſt pars juſtitiæ ſecundum, quid tamen, juſtum dicitur ſecundum quid, quod non denotat æqualitatem, ſed ſolùm quod unus ſit ſub poteſtata alterius, ut ſatis conſtat ex iis, quæ diximus paulò ante, ac perinde patet, pœnitentiam eſſe ſpeciem juſtitiæ.

Ex eo autem, quod ſit ſpecies juſtitiæ directè, nihil obſtat, ut comprehendat quodammodo ea, quæ pertinent ad omnes virtutes, & ideò *ait Div. Thom.* (q) q ibid ad 1. in quantum eſt juſtitia quædam hominis ad Deum, oportet, quod participet ea, quæ ſunt virtutum Theologicarum, quæ habent pro objecto Deum, & ſunt fides, ſpes, & charitas.

Quæ verba conſideranda ſunt benè, quia D. *Thom.* inquit, oportet, quod participet ea, quæ ſunt virtutum &c. non verò ait, quod ſit virtus Theologica, vel virtutes Theologicæ: ad quia apertè docet D. *Tho:* (r) quod non eſt virtus Theologica, cum non habeat r cap. 1 Deum pro objecto, vel materia. Nam materia pœnitentiæ ſunt actus humani, quibus Deus offenditur, vel placatur, non verò Deus, ſed Deus ſe habet, ſicut ille, ad quem eſt juſtitia; & ille, ad quem eſt juſtitia, non dicitur eſſe materia juſtitiæ, ſed magis res, quæ diſtribuuntur, vel commutantur.

Juſtitia, inquam, vindicativa, quæ reſpicit perſonam judicis ad differentiam juſtitiæ commotativæ, quę reſpicit perſonam rei, & peccatoris, *ut deſumitur ex* D. ſ ib. ad 3. *Thom.* (ſ) eſt commutatio in offenſis, cum aliquis pro offenſa in alterum commiſſa, vel invitus punitur, quod pertinet ad vindicativam juſtitiam; vel voluntariè recompenſat emendam, quod pertinet ad pœnitentiam, quæ perſonam peccatoris reſpicit; ſicut juſtitia vindicativa reſpicit perſonam judicis.

Quod autem participet ea, quæ ſunt virtutum Theologicarum &c. ſubdit D. Th. pęnitentia eſt cum fide paſſionis Chriſti, per quam juſtificamur à peccatis, & cum ſpe veniæ, & cum odio vitiorum, quod pertinet ad charitatem. *Hinc Paulus ad Roman. ajebat* (t) commendat t cap. 5. autem charitatem ſuam Deus in nobis; quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus, Chriſtus pro nobis mortuus aſt, (dicit ſecundum tempus, quod paſſus fuit, quando voluit, nam ipſe dixit, tempus meum nondum advenit, & rurſus x cap. 13. *in Joan.* (x) ſciens Jeſus, quia venit hora ejus: ubi Aug. inquit, non neceſſitatis, ſed voluntatis, (multò igitur magis nunc juſtificati in ſanguine ipſis (quia paſſus y c. 53 eſt pro nobis, *ſecundum Iſ. Proph.* (y) verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit, & (z) z cap. 4 *Paulus ad Rom.* qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram: ſalvi erimus ab ira per ipſam, (cùm dixit, nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, per quod denomatur ſpes veniæ, & vivat).

Sicut etiam in quantum eſt, virus moralis participat aliquid prudentiæ, quæ eſt directiva omnium virtutum moralium, ad ipſam namque pertinet ſolùm diſponere de his, quæ ſunt ad finem, immo *ut docet* D. *Thom.* (a) eſt nobilior virtutibus moralibus, & movet a 2. 2. q. 47 a. 6 ad 3 eas. *Hinc Gregorius ſuper Luc.* (b) beati, qui nunc fletis, b cap. 6 legit, ecce prudentia, quà oſtenditur, quàm hæc terrena ſint miſera, & quàm beata cæleſtia. Deinde ſe extendit ad juſtitiam, & ad temperantiam, & fortitudinem; & ideò ſubdit D. Th. ex ipſa ratione juſtitiæ non ſolùm habet id, quod juſtitiæ, eſt ſed etiam ea, quæ ſunt temperantiæ, & fortitudinis, in quantum ſ. ea, quæ delectationem cauſant, ad temperantiam pertinet, c 2. 2 q. 141 a. 8 (nam temperantia accipit neceſſitatem hujus vitæ, ſicut regulam delectabilium, quibus utitur, ut ſc. tantùm eis utatur, quantùm neceſſitas hujus vitæ requirit: (vel terrorem incutiunt, quem fortitudo moderatur,) (d) fortitudo namque eſt circa timores, & d 2. 2. q. 123 a. 3. audacias, quaſi cohibitiva timorum, & audaciarum moderativa,) in communione juſtitiæ veniunt: & ſecundum hoc ad juſtitiam pertinet ſe abſtinere à delectabilibus, quod pertinet ad fortitudinem. Verumtamen (ad noſtram corroborationem,) (e) juſtitia, & fortitudo ſunt excellentiores virtutes, quàm temperan- e 2. 2 q. 141 a. 8. in fine tia, quibus prudentia, & virtutes Theologicæ ſunt potiores.

Pęnitentia, ſecundum quod eſt virtus, eſt in voluntate, uti in ſubjecto, & proprius ejus actus eſt propoſitum amendandi illud, quod contra Deum commiſſum aſt: & quod ſine dubio pęnitentia in voluntate ſit, ſatis conſtat ex eo, quod pęnitentia ſit ſacrificium quodam; *juxta illud Pſ.* (f) ſacrificium Deo ſpiritus contribula- f Pſ. 50 tus, offerre autem ſacrificium nullius actus potentiæ eſt, niſi voluntatis *ſecundum dictum Pſ*, (g) voluntariè g Pſ. 53 ſacrificabo tibi; Immò magis apparet manifeſtum, ſiquidem pęnitentia, ſecundũ quod virtus eſt, ſic & ſpecies juſtitia eſt, juſtitia autem habet pro objecto appetitum rationis, qui eſt voluntas: Quod autem ejus proprius actus ſit propoſitum emendandi illud, quod contra Deum commiſſum eſt, Cajetanus hoc manifeſtat, dicens, ſicut juſtitia eſt voluntas jus ſuum unicuique tribuens, perpetua ſ. & conſtans, ut vult Vulpianus, ita pœnitentia eſt voluntas Deo tribuens jus ſuum pro peccato contra eum commiſſo; eſt enim talis voluntas, quoniam pars eſt juſtitiæ, quæ in actu voluntatis conſiſtit; reddit autem pęnitentia jus ſuum Deo pro offenſa confitendo, deteſtando, ac ſubmittendo ſe peccatorem Deo offenſo; hoc enim eſt æquale ſecundum quid, quod ab homine reddi poteſt, ut patet in Publicano, qui hæc omnia fecit, quando corde proſtatus Deo, & deteſtando peccata ore protulit, Deus propitius eſto mihi peccatori, deſcendit juſtificatus, quoad pœnam verò affligendo ſe; & cætera, & quoniam hujuſmodi voluntas eſt ex majori, vel minori affectu procedere, ideò varia invenitur diſpoſitio verè pęnitentium major, vel minor fructus divinæ gratiæ percipiatur.

Et licet voluntas excludat peccatum ab omnibus viribus animæ, per hoc tamen non debet inferri, quod pęnitentia ſit in qualibet vi animæ, & non tantùm in voluntate, quia, *ut ait* D. *Th* voluntas movet omnes alias h 3 p. q. 85 a. 4 ad 1 potentias animæ; quod deſumi poteſt *ex illo Ioelis exhortantis in perſona Domini ad pœnitentiæ virtutem*, conver- i cap. 2 timini ad me in toto corde veſtro &c. nam nomine cordis intelligitur voluntas, quoniam ſicut cor eſt principium movens omnes partes corporis, hinc D. *Tho.* (l) l opuſ. 53 motus cordis principium eſt omnium motuum, qui ſunt in animali, & Philoſ (m) de partibus animalium m l. 3. dicit, quod motus delectabilium, & triſtium, & totaliter omnes ſenſus hic incipientes videntur, ſ. in corde, & ad hoc terminari, ita voluntas eſt principium activè movens omnes vires animæ.

Et quod moveat omnes alias potentias, ſive vi-

res animæ, *jam docuit Divus Thomas*, (*n*) alio modo dicitur aliquid movere per modum agentis, ſicut alterans movet alteratum, & impellens movet impulſum, & ſic voluntas movet intellectum, & omnes vires animæ, & ratio eſt, quia in omnibus potentiis activis ordinatis illa potentia, quæ reſpicit finem univerſalem, movet potentias, quæ reſpicit fines particulares, & ſic concludit Divus Thomas, voluntas per modum agentis movet omnes animæ potentias ad ſuos actus præter vires naturales vegetivæ partis, quæ noſtro arbitrio non ſubduntur. Et hic ſubdit Divus Thomas, Inconveniens non eſt, ſi pœnitentia in voluntate exiſtens aliquid in ſingulis potentiis animæ operetur; licet ex alia parte in memoria non ſit pœnitentia, ſed præſupponit eam: memoria, *inquit Divus Th.* (*o*) eſt vis appreheoſiva præteriti, pœnitentia verò non pertinet ad vim appreheoſivam, ſed appetitivam, quæ præſupponit actum apprehenſivæ; ſicut nec eſt in iraſcibili, quia licet ira ſit appetitus vindictæ, *attamen docet Divus Thomas*, (*p*) vindictam appetere ex paſſione de alio pertinet ad iraſcibilem; at appetere, vel facere vindictam ex ratione de ſe, vel de alio pertinet ad voluntatem. Et ſi eſt in concupiſcibili, non tamen eſt in illo, ſecundum quod eſt virtus, & pars juſtitiæ, benè tamen ſecundum quod eſt paſſio quædam, *juxta Divum Thomam* (*q*), pœnitentia ſecundum quod eſt paſſio quædam, & ſic cum ſit ſpecies triſtitiæ, eſt in concupiſcibili, ſicut in ſubjecto.

n p p q 85. a. 4 in c o. — *o 3 p q. 85 a. 4 ad 3.* — *p ibid. ad 2.* — *q ibid ad 1.*

Pœnitentiam, inquiebat Lutherus, illam, ſcilicet, quæ ex timore gehennæ oritur, eſſe non ſolùm inanem, ſed etiam noxiam, & peſtiferam, contra quem non ſolùm *ſtat Eccleſ.* (*r*) qui poſtquam dixerit, timor Domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis; timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum. Timenti Dominum benè erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur, poſtea ſubdit, Timor Domini expellit peccatum, nam qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari. Stat & illud Lucæ (*ſ*) à Christo Domino prolatum, oſtendam autem vobis, quem timeatis; timete eum, qui poſt, quam occiderit habet poteſtatem mittere in gehennam; ita dico vobis, hunc timete. *Stat & illud Apoc.* (*t*) Timete Deum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus. Ex quibus videtur conſtare, quod timere Deum etiam timore ſervili, de quo cum Divo Thoma dicetur, quem manifeſtè importat ly quia venit hora judicii ejus, eſt dare illi, Deo, ſc. honorem. Verùm etiam *ſtat illud Iſajæ*, (*u*) à timore tuo Domine concepimus, & quaſi parturivimus, & peperimus Spiritum ſalutis, ſcilicet pœnitentiæ ſalutaris, *legit Divus Thomas*, (*x*) qui manifeſtè docet, pœnitentiam quantum ad actus ex timore procedere; qui timor cum ſit duplex, & timor ſervilis, & timor filialis, hinc eſt, quod actus pœnitentiæ procedit à timore ſervili, ut à primo motu effectus ad hoc ordinato, & à timore filiali, ut ab immediato, & proximo principio; propterea ſubdit, de pœnitentia loqui poſſumus, quantum ad actus, quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur; ut deſumi poteſt ex illo Auguſtini ſuper Joannem; qui creavi te, ſine te, non juſtificabit te, ſine te, etenim vult, quod homo cooperetur: Divus Thomas autem enumerat ſex actus, unde ait, quorum actuum primum principium eſt Dei operatio convertentis cor, unde bene *ajebat Jeremias* (*y*) converte nos Domine ad te, & convertemur, & *D. Th. inquit*, (*z*) ipſe etiam motus timoris procedit ex actu Dei convertentis cor, unde *dicitur Deut.* (*a*) qui det eos talem habere mentem, ut timeant me? Et ideò per hoc, quod pœnitentia à timore procedit, non excluditur, quin procedat ex actu Dei convertentis cor.

r cap. 1. — *ſ Cap. 12. 5.* — *t cap. 14.* — *u cap. 26* — *x 3 p q. 85 a. 5.* — *y cap. ult.* — *z ibi. ad 3* — *a cap. 5.*

Et quantum ad hunc actum oportet, ut colligamus ea, quæ à *Conc. Trid.* ſtatuuntur (*b*) circa juſtificationem impii; ad cujus juſtificationem utique dicitur eſſe neceſſarium divinæ Miſericordiæ auxilium præveniens, ut ſimul etiam oporteat ſecundum fidem Catholicam confiteri liberum hominis arbitrium juxta ſuam naturam liberè moveri, atque excitari, ut conſentiat Deo vocanti, atque excitanti; unde ſtatuit, declarat præterea ipſius juſtificationis exordium in adultis à Deo, per Chriſtum Jeſum præveniente gratia, ſumendum eſſe, hoc eſt ab ejus vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur; ut qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponantur; ita ut tangente Deo cor homini, per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipſe, nihil omninò agat, inſpirationem illam recipiens, quippe, qui illam & abjicere poteſt, neque tamen ſine gratia Dei movere ſe ad juſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit. Unde in Sacris literis cum dicitur Zachariæ, (*c*) convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis noſtræ admonemur: cum reſpondemus, converte nos Domine ad te, & convertemur; Dei nos gratia præveniri confitemur. Igitur habemus, quod Deus non expectat, ut prius viribus naturæ convertamur, ad hoc, quod ipſe Deus det nobis gratiam ſuam, quia potius, cum poſtulat, ut convertamur, ipſe interius nos prævenit, ut deſiderare, & converti poſſimus.

b ſeſſ. 6. c. 5. — *c cap. 1.*

Secundus actus eſt motus fidei, per fidem enim monemur ad dilectionem Dei, loquendo tamen de fide formata, hæc enim eſt, quando charitate vivificatur. Unde ad noſtrum documentum eſt illud, *quod docet Mag. Sentent.* (*d*) aliud eſt credere Deum, aliud in Deum, & aliud Deo. Credere Deo eſt credere eſſe vera, quæ loquuntur, quod & mali faciunt; & talis fides dicitur informis; quoniam ſine charitate eſt. Credere Deum eſt credere, quod ipſe ſit, & hoc etiam mali faciunt. Credere in Deum, eſt credendo amare, & amando in eum ire. Et hæc eſt fides formata, perfecta, & recta. Verumtamen in hoc non conſiſtit propriè actus pœnitentiæ, benè tamen in timore ſervili, de quo.

d l. 3. d. 23

Tertius actus eſt timoris ſervilis motus, quo timore ſuppliciorum à peccatis retrahitur. Hinc Gregorius, in via Dei à timore incipitur; Et ex Aug. timor introducit charitatem, ſicut ſeta, vel acus filum. *Et Div. Th.* (*e*) peccatum primo incipit homini, maximè peccatori, diſplicere propter ſupplicia, quæ reſpicit timor ſervilis, à cujus tamen actu non debemus turbari, eo quia eſt bonus, utpotè ſumptus pro tempore pœnarum, & non pro timore tantùm, (quàm propter Dei offenſam, vel peccati turpitudinem, quod ad charitatem pertinet.

e ibid. ad 2.

Quartus eſt motus ſpei, quo quis ſub ſpe veniæ conſequendæ aſſumit propoſitum emendandi, & ſic appropinquavit in vos regnum Cælorum, agendo, ſ. pœnitentiam, hoc dicitur, quia licet regnum Cælorum ſit objectum ſpei, attamen magis procedit pœnitentia ex timore, quàm ex ſpe, *Et Divus Thomas ait*, (*f*) quod in regno Cælorum appropinquante utpotè intelligitur adventus Regis, non ſolùm præmiantis, ſed etiam punientis, unde magis timere debemus Deum punientem propter peccata in ipſum commiſſa, quam ſperare miſericordiam Dei præmiantis, cum per bona opera illum non excitemus ad miſericordiam exercendum.

f ib. ad 2.

Quintus actus eſt motus charitatis, quo alicui peccatum diſplicet ſecundum ſeipſum, & non jā propter ſupplicia, & talis motus ex amore naſcitur; talis autē amor dicitur filialis, ſiquidem eſt proprium filiorum diligere, ſervorum autē timere, itaq; non vult Deus, ut timeatur ſerviliter ab hominibus, quaſi Dominus, ſed ut diligatur quaſi Pater, qui adoptionis ſpiritum hominibus donavit.

Sextus deniq; actus eſt motus timoris filialis, quo propter Dei reverentiam aliquis emendam Deo voluntarius offert; idcircò benè David ajebat poſtquam toto corde

Digitized by Google

de contrivit ſe, voluntariè ſacrificabo tibi, etſi timore ſervilis ſervivit Deo, etiam timore filiali illum dilexit. Manifeſtum eſt namque, quod quandoque homo propter mala, quæ timet, ad Deum convertitur, & ei inhæret, quod malum eſt duplex, malum pœnæ, & malum culpæ, igitur ſi quis convertatur ad Deum, & ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor ſervilis; (*g*) de quo legitur Matth. timete eum,
g cap. 7. qui poteſt animam, & corpus mittere in gehennam ignis.

Et talis timor pœnæ laudabilis eſt, nam per timorem omnis declinat à malo, immò & timor Dei expellit peccatum, & rurſus, qui ſine timore eſt, non poteſt juſtificari; videtur itaque quantùm laudabilis ſit timor pœnæ, *cum etiam hic timor laudetur à Concilio Tri-*
h ſeſſ. 6. can. 8. *dentino* (*h*) ſi quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad Dei miſericordiam de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe; aut peccatores pejores facere; anathema ſit. Si autem convertatur ad Dominum propter timorem culpæ, erit timor filialis; *de quo legitur Rom.* (*i*) non
i cap. 18. accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum filiorum adoptionis; per quam
l 2. 2. q. 19. a. 4. & 5. auctoritatem exprimitur, quod ſpiritus timoris ſit donum Dei; *Hinc Divus Thomas*, (*l*) quod ſalutarem timorem dat nobis Spiritus Sanctus, quia ipſe motus timoris procedit ex actu Dei convertentis cor.

Hoc, quod docuit Divus Thomas corroboratum videtur ex
m ſeſſ. 6. c. 6. *Sacro Concilio Tridentino ſtatuente*, (*m*) diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt; atque illud in primis à Deo juſtificari impium per gratiam ejus per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu: & tamen peccatores ſe eſſe intelligentes à Divinæ juſtitiæ timore, concutiuntur ad conſiderandam Dei Miſericordiam, ſe convertendo in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fieri, illumque tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem, hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet. Denique proponunt ſuſcipere baptiſmum inchoare novam vitam, & ſervare divina mandata.

Deinde contra Lutherum *ſtatuit idem Conc.* (*n*) il-
n ſeſſ. 14. c. 4. lam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, declarat non ſolùm facere hominem hypocritam, verum etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat; & quamvis ſine Sacramento pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit. Hoc enim timore utiliter concuſſi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & miſericordiam à Domino impetrarunt. Hæc à Concil. Tridentino cum Divo Thoma, cum quo jam diximus pœnitentiam, quoad actus procedere ex timore, quia reliquimus, ut certum, cum eodem, quod quantum ad habitum pœnitentia immediatè à Deo infunditur ſine nobis principaliter operantibus, non tamen ſine nobis diſpoſitive cooperantibus per aliquos actus.

Pœnitentia propriè procedit ex timore ſervili, ut à primo motu effectus ad hoc ordinato, & à timore filiali, ut à principio proximo: & diximus propriè, quia ut jam vidimus, procedit etiam ex fide, ſpe, & charitate, at quia propriè non procedit ex iſtis virtutibus, hinc eſt, quod rectè ſequitur, non eſſe primam virtutum, certum eſt enim, quod procedere ex alio eſt præſupponere aliquid ipſo ſuperius; *juxta Divum Thomam docentem* (*a*) in virtuti- a 1. 2. q. 15. a. 6.
bus non attenditur ordo temporis quantum ad habitus, quia virtutes cum ſint connexæ, omnes ſimul incipiunt eſſe in anima, ſed dicitur una earum eſſe prior altera ordine naturæ, qui conſideratur ex ordine actuum, ſecundum quod ſcilicet actus unius virtutis præſupponit actum alterius virtutis; & ſecundum hoc dicendum eſt, quod actus quidam laudabiles etiam tempore præcedere poſſunt actum, & habitum pœnitentiæ, ſicut actus fidei, & ſpei informium, & actus timoris ſervilis. At actus, & habitus charitatis ſunt ſimul tempore cum actu; & habitu pœnitentiæ, & cum habitibus aliarum virtutum; Hoc totum, quod à Divo Thoma dicitur, manifeſtum videtur in juſtificatione impii, in qua ſimul eſt motus liberi arbitrii in Deum, (qui eſt actus fidei per charitatem formatus), & motus liberi arbitrii in peccatum, qui eſt actus pœnitentiæ: horum verò duorum actuum primus naturaliter præcedit ſecundum, certum eſt enim, quod actus virtutis pœnitentiæ eſt contra peccatum ex amore Dei, & cum hoc ſit certum, certum eſt etiam, quod primus actus eſt ratio, & cauſa ſecundi.

Ex quibus inferre debemus, quod pœnitentia non ſit ſimpliciter prima virtutum, nec ordine temporis, nec ordine naturæ; quod magis manifeſtum videtur ex eo, quod ſecundum ordinem naturæ ſimpliciter præcedunt pœnitentiam virtutes Theologicæ; eò magis quia aliæ virtutes videntur per ſe neceſſariæ ad bonum hominis; pœnitentia verò ſuppoſito, ſcilicet peccato præexiſtenti: hoc confirmatur *ex Divo Thoma dum ait*, (*p*) pœnitentia aperit a- p ib. ad 3.
ditum virtutibus, expellendo peccatum per virtutem fidei, & charitatis, quæ ſunt naturaliter priores; & ita aperit eis aditum, quod ipſæ ſimul intrant cum ipſa, nam in juſtificatione impii ſimul cum motu liberi arbitrii in Deum, & in peccatum eſt remiſſio culpæ, & infuſio gratiæ, cum qua ſimul infunduntur omnes virtutes. Unde *Concilium Tridentinum* (*q*) *loquendo de juſtificatione impii ſic ſta-* q ſeſſ. 6. c. 7
tuit, hanc diſpoſitionem, ſeù præparationem juſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum: Unde homo ex injuſto fit juſtus, & ex inimico fit amicus, ut hæres ſecundum ſpem vitæ æternæ. Et poſtea ſubdit, quamquam enim nemo poſſit eſſe juſtus, niſi cui merita paſſionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti communicantur; id tamen in hac impii juſtificatione fit, dum ejuſdem Sanctiſſimæ paſſionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhæret.

Unde in ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Jeſum Chriſtum, cui inſeritur per fidem, ſpem, & charitatem. Nam fides, niſi ad eam ſpes accedat, & charitas, neque unit perfectè cum Chriſto, neque corporis ejus vivum membrum efficit. Qua ratione veriſſimè dicitur fidem ſine operibus mortuam, & otioſam eſſe, & in Chriſto Jeſu neque circumciſionem aliquid valere, neque præputium, ſed fidem, quæ per charitatem operatur.

Quod autem in juſtificatione impii requiratur motus liberi arbitrii, aſſeritur non ſolùm ab *eodem Con-*
cilio Tridentino ſtatuente, ſi quis dixerit, liberum ho- r ib. can. 4.
minis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari, aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, nec poſſe diſſentire, ſi velit, ſed velut inanime quodam, nihil omninò agere, merèque paſſivè ſe habere, anathema ſit.

Verùm etiam aſſeritur *à D. Th. docente*, (*ſ*) homo ſe- ſ p. 2. q. 113 a. 3.
cundum propriam naturam habet, quod ſit libe-

Digitized by Google

ri arbitrii, in eo autem, qui habet uſum liberi arbitrii, non fit motio à Deo ad juſtitiam abſque motu liberi arbitrii, ſed ita infundit donum gratiæ juſtificantis, quod etiam ſimul cum hoc movet liberum arbitrium ad gratiæ donum acceptandum in his, qui ſunt hujus motionis capaces, ad excluſionem puerorum, qui non ſunt capaces motus liberi arbitrii, unde moventur à Deo ad juſtitiam per ſolam informationem animæ ipſorum.

Pariter, quod in juſtificatione impii ſimul cum motu liberi arbitrii in Deum, & in peccatum fit remiſſio
t q. art. 8 culpæ *habetur etiam ex Divo Thoma dicente* (t) illa quatuor, videlicet infuſio gratiæ, motus liberi arbitrii in Deum, motus liberi arbitrii in peccatum, & remiſſio culpæ, quæ requiruntur ad juſtificationem impii, tempore quidem ſunt ſimul, cum juſtificatio impii non ſit ſucceſſiva; at ordine naturæ unum eorum eſt prius altero, & inter ea naturali ordine primum eſt gratiæ infuſio, ſecundum eſt motus liberi arbitrii in Deum, tertium motus liberi arbitrii in peccatum, & quartum remiſſio culpæ, & poſtea concludit, motus liberi arbitrii in Deum præcedit naturaliter motum liberi arbitrii in peccatum, cum ſit cauſa, & ratio ejus: ad remiſſionem verò culpæ tota illa tranſmutatio ordinatur, ſicut ad finem, in remiſſione namque culpæ juſtificatio conſummatur; & quantum ad aliquid eſt prima inter cæteras virtutes ordine temporis, quantum ad ejus actum, qui primus occurrit in juſtificatione impii, ſic & intelligitur illud Gloſſ. (u)
u cap. 3 ſuper illud Matt. pœnitentiam agite, prima virtus, ait Gloſſa, eſt per pœnitentiam punire veterem hominem, & vitia odiſſe, tunc enim loquitur, ut aſſerit Divus Thomas, quantum ad hoc, quod actus pœnitentiæ eſt primus tempore inter actus aliarum virtutum moralium.

Super Quæſtionem Octuageſimam ſextam.

De effectu pœnitentiæ quoad mortalium peccatorum remiſſionem.

Dicant nunc illi, qui timent Dominum, Miſericordia Domini plena eſt terra, & cum illis dicamus & nos, fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, qui quamvis peccatores ſimus; attamen audire mereamur verbum illud divina gratia plenum, remittuntur tibi peccata, cum firmiter, & fideliter credendum ſit, eſſe ſolius poteſtatis divinæ remittere peccata; etenim & Scribæ, & Phariſæi hanc veritatem confeſſi ſunt, ut patet in Luc., (a) quan-
a cap. 5 do admirantes mirabilia, quæ Jeſus faciebat, uſque ad remittenda peccata paralytici, & aliorum dixerunt; quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus.

Remiſit itaque Chriſtus Dominus plurimis peccata, & certè mortalia, nam & Mariæ Magdalenæ, de qua dicitur, quod erat in civitate peccatrix, remiſit peccata illa, quæ ſaltem per ſcandalum puſillorum commiſit; & aliis multis, ut in Sacris paginis conſtat; hæc omnia illis acciderunt, quia veram pœnitentiam egerunt; & verum dolorem habuerunt de peccatis ſuis. Igitur per veram pœnitentiam omne peccatum deleri poteſt, ne fieret derogatio virtuti paſſionis Chriſti, per quam pœnitentia operatur, *ſicut ſcriptum eſt Joann.* ipſe eſt propitiatio pro peccatis
b p. c. 2. noſtris, non ſolùm noſtris, ſed etiam totius Mundi; omnium, ſcilicet, qui in hoc Mundo ſunt; hoc dicimus, quia peccata dæmonum, & hominum damnatorum deleri per pœnitentiam non poſſunt, quia jam confirmati ſunt in malo, ſicut, & affectus eorum, ita ut non poſſit eis diſplicere peccatum, in quantum eſt culpa, licet diſpliceat eis pœna, quam patiuntur, & ſi aliquam pœnitentiam habent, infructuoſa eſt illis, *ſicut ſcriptum eſt Sapien.* (c) pœ- c cap. 5.
nitentiam agentes, & præ anguſtia Spiritus gementes, quæ pœnitentia non eſt cum ſpe veniæ, ſed cum deſperatione. Dicent utique intra ſe pœnitentiam agentes, ſed inutilem, & præ anguſtia ſpiritus gementes, gement enim & pro pœna, quam ſuſtinebunt, & pro gloria, qua in perpetuum carebunt.

Remittuntur utique peccata mortalia per veram pœnitentiam, quando homo verè dolet de peccatis ſuis, & proponit emendam, quod voluntariè fieri debet, ut gratus inveniatur apud Deum promittentem, quod non erit memor de iniquitatibus præteritis; certum eſt enim, quod offenſa peccati mortalis ex hoc procedit, quod cum voluntas hominis averſa ſit à Deo per converſionem ad aliquod bonum commutabile, jam ſequitur, quod ad remiſſionem divinæ offenſæ requiratur, ut voluntas hominis ſic immutetur, ut convertatur ad Deum cum delectatione converſionis, & propoſito emendæ, quod pertinet ad rationem pœnitentiæ, & hoc ſecundum quod pœnitentiæ Sacramentum eſt virtus: quod ſi totum, quod diximus, non fieret, impoſſibilis erit remiſſio peccatorum; & talis impoſſibilitas non videtur ex hoc, quod teneat rationem Sacramenti, ſine quo oportet fateri, ut Deus remittere poſſit peccatum, ſic Chriſtus remiſit peccatum mulieris adulteræ, & peccatrici peccata plurima. Et hoc in ſignum, quod indigebat illa gratia divina, ut omnia remiſſa ei fuerint. Omne namque peccatum mortale & contrariatur gratiæ, & illam excludit; ideòque impoſſibile eſt, unum peccatum remitti ſine alio; nec etiam poteſt eſſe verè pœnitens, qui de uno peccato doleat, & de cæteris non: Igitur de omnibus dolere debet peccator, ut remittatur culpa per pœnitentiam, etiamſi remaneat reatus alicujus pœnæ temporalis, nam quando remittitur per gratiam culpa, tollitur averſio animæ à Deo, in quantum per gratiam anima Deo conjungitur, unde & ſimul tollitur reatus pœnæ æternæ, poteſt tamen remanere reatus alicujus pœnæ temporalis. Et licet remittatur culpa peccati mortalis, in quantum tollitur per gratiam averſio animæ à Deo, nihilominus tamen remanere poteſt id, quod ex parte converſionis inordinatæ, cum hanc contingat eſſe ſine illa; quid ergo mirum ſi remanere poſſint diſpoſitiones cauſatæ ex præcedentibus actibus, & iſtæ dicantur reliquiæ peccati, quæ ſi remanent, ut conſtat, remanent tamen debilitatæ, & diminutæ, ita ut non dominentur homini; qui gaudere debet de pœnitentia, qua mediante fit remiſſio culpæ, & hoc ſemper intelligitur de Sacramento pœnitentiæ, ſecundum quod eſt virtus, cum jam ſupponatur, quod remiſſio culpæ ſit effectus pœnitentiæ principalis, ſecundum quod eſt Sacramentum. Hæc ex Divo Thoma.

Pœnitentia eſt virtus, & virtus ſpecialis, & licet non ſit prima virtutum participat tamen ea, quæ ſunt virtutum Theologicarum habentium Deum pro objecto. Per ipſam etiam pœnitentiam, ut virtus eſt removentur omnia peccata, *ut aſſeritur per Eze.* omnium
iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor. d cap. 18
Et à Div. Joanne dicitur, ſi confiteamur peccata noſtra, e p. c. 1.
fidelis eſt, & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra:
Et ex Actibus Apoſtolorum habetur, (f) quod Petrus dixit f cap. 8
Simoni illi, qui volebat emere pecunia Spiritum Sanctum, pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.

Et de Petro habetur, quod ſi negaverit Chriſtũ, a deòq; peccavit mortaliter, (& quod negando Chriſtum pecca-
verit mortaliter; hoc abſq; dubio aſſerit *D. Th.* nam nega- g quæſt. 1. q. 7. a. 11.
vit fidem in loco, ubi periclitabatur, & ejus confeſſio requirebatur. Ore enim confeſſio fit ad ſalutem, *ut dicitur*
Rom. (h) in quo videtur, quod ſit de neceſſitate ſalutis cõ- h cap. 10.
feſſio fidei in caſu prædicto; & præcipuè mendacium in his, quæ ſunt fidei, eſt perniciosiſſimum ſecundum D. Aug.

i 2. 2. q. 3. a. 2. ad 2 An 3. l. de mendacio, (i) juxta illud, quod prius docuit D. Th. dicendo, in caſu neceſſitatis, ubi fides periclitatur, quilibet tenetur fidem ſuam aliis propalare, vel ad inſtructionem aliorum fidelium, ſivè confirmationem, vel ad reprimendam infidelium inſultationem: periclitabatur tunc temporis fides de Chriſto, cum non pro Salvatore, ſed pro ſeductore à Judæis propalabatur, unde tenebatur Petrus confiteri etiam tunc Chriſtum verè eſſe filium Dei, & non negare dicendo, neſcio, quid dicis; non novi hominem. Cui deffectui confeſſionis, & mendacio, quod pejus eſt, addidit perjurium, & blaſphemiam, l cap. 26. nam legitur Matt. (l) quod cępit tunc deteſtari, & jurare, quia non noviſſet hominem, ubi Gloſ. dicit, tertiò cępit deteſtari, & jurare, quia non noviſſet hominem, quia perſeverare in peccato dat incrementum ſcelerum, & qui minima ſpernit, cadit in majora. Et Gregorius in moralibus dicit, quod Petrus ab ipſis diaboli faucibus eripitur, in quibus ſine dubio non eſt aliquis, niſi per peccatum mortale; attamen ab ipſis liberatus fuit Petrus per pęnitentiam, quoniam & legitur, quod recordatus eſt Petrus verbi Jeſu, quod dixerat; priuſquam gallus cantet, ter me negabis: & egreſſus foras flevit amarè; ſed felices lachrimæ tuæ, ò Apoſtole Sancte, dicamus cum Leone Papa, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem ſacri habuere baptiſmatis; itaque pęnitentiam egit de peccato ſuo, per quam pęnitentiam & Chriſtus Dominus non ſolùm ei trinam negationem remiſit, ſed etiam eum in priſtinam dignitatem paſtoralis officii exaltavit, & hoc ut videamus mirificè adimpletum id, quod ab Apoſtolo Paulo dictum fuit ad Rom (m) ubi autem abundavit delictum, m cap. 5. ſuperabundavit & gratia.

Ab Eccleſia autem habetur, quod peccatores poſt baptiſmum poſſunt per veram pęnitentiam conſequi n Seſ. 14. cap. 2. veniam, ut ſtatutur etiam à ſacro Concil. Trident., (n) ad quam novitatem, & integritatem, creaturæ ſcil. per Sacramentum pęnitentiæ ſine noſtris magnis fletibus, & laboribus divina id exigente juſtitia pervenire nequaquam poſſumus, ut meritò pęnitentia laborioſus quidam baptiſmus à Sanctis Patribus dictus fuerit. Et de facto de Sancto Marcellino Papa legitur, quod poſt thurificationem idolis factam pęnitentia media glorioſus Dei martyr effectus eſt. Et de Sancto Franciſco poſt laſciviam juvenilem ad tantam poſtea ſanctitatem per pęnitentiam evectus eſt, ut ſtigmatibus Chriſti ab ipſo adhuc vivens corporaliter inſigniri promeruit. Unde quàm erroneum ſit aſſerere non poſſe per veram pęni- q 3. p. q. 86 art. 2. tentiam aliquod peccatum remitti docet & D. Th. (q) tùm quia, inquit, repugnat divinæ miſericordiæ, de qua r Cap. 18. dicitur Ezech. (r) nolo mortem morientis, dicit Domi- Cap. 2. nus Deus, revertimini, & vivite: de qua dicitur Joel., convertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus, & miſericors eſt, patiens, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia. Tùm quia hoc derogaret virtuti paſſionis Chriſti, per quam pęnitentia operatur; ſicut & cętera Sacramenta, quapropter in hac vita nullum eſt peccatum, quod per veram pęnitentiam deleri non poſſit; ut colligitur etiam ex illo Joan. (ſ) ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Pa- ſ p. c. 2. trem Jeſum Chriſtum juſtum. Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius Mundi.

Diximus, quod in hac vita nullum eſt peccatum, quod deleri non poſſit, ut ſciamus, quod nullo modo poſſunt deleri per pęnitentiam peccata dæmonum, & etiam hominum damnatorum, utpote quia eorum affectus ſunt confirmati in malo, ita ut non poſſit eis diſplicere peccatum, in quantum eſt culpa, ſed ſolum diſplicet eis pęna, quam patiuntur. Ratione cujus aliquam pęnitentiam, ſed infructuoſam habent; unde ſtat illud t cap. 5. Sap. (t) pęnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes; & meritò quia hìc noluerunt anguſtiari, ſed deliciari; Impoſſibile eſt enim, inquit Greg., ut quis à deliciis ad delitias tranſeat; adeòque talis pęnitentia non eſt cum ſpe veniæ, ſed cum deſperatione. Tale autem non poteſt eſſe aliquod peccatum hominis viatoris, cujus liberum arbitrium flexibile eſt ad bonum, & malum: ac proinde non videtur eſſe illud extinctum poſt peccatum Adæ, ut etiam decrevit Concil. Trid. (u) u Seſ. 6. can. 5. ſi quis liberum arbitrium hominis poſt Adæ peccatum amiſſum, & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, immò titulum ſine re; figmentum denique à Sathana inventum in Eccleſiam; anathema ſit. Et ideò concludit D. Th. ibid., dicere, quod aliquod peccatum ſit in hac vita, de quo quis pęnitere non poſſit, erroneum eſt.

Ultrà autem, quod nullum ſit peccatum in hac vita, quod deleri non poſſit; additur per veram pęnitentiam, ut etiam ſciamus, & intelligamus illud, quod in Sacris Scripturis legimus de Eſau, & de Antiocho; iſti enim, quamvis vehementer imploraverint, hanc tamen conſecuti non fuerunt, eò quia verè, atque ex animo delicta ſua non planxerunt. Unde de Eſau à Paulo ad Heb. (x) dicitur, quod non invenit pęnitentiæ locum, quam- x cap. 12. quam cum lachrymis inquiſiſſet eam, & hoc quia verè non pęnituit, ut conſtat ex illo Gen. (y) veniens, ipſe y cap. 27. dixit in corde ſuo, dies luctus Patris mei, & occidam Jacob fratrem meum. Oculis namque plangebat, at in corde ſuo meditabatur inſidias Jacob: ac proinde quomodo poteſt ſtare vera pęnitentia cum odio? Si jam & Joannes dixerit, (z) qui odit fratrem ſuum, ho- z Ep. cap. micida eſt. Et Chriſtus Dominus pręcepit, Matt. (a) a cap. 5. quod ſi aliquis habeat aliquid adverſus fratrem ſuum, vadat prius reconciliari fratri ſuo, ut dignè offerat Sacrificium, ſic enim legitur, ſi ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens munus tuum offeres. Multò fortius Eſau hoc agere debebat, cum ipſe oderat fratrem ſuum Jacob; & quia oderat eum corde, corde & reconciliari oportebat. Hinc Chryſoſtomus, qualis autem præceſſit offenſio, talis debet ſequi reconciliatio; ſi cogitatu offendiſti, cogitatu reconciliare: ſi verbis offendiſti, verbis reconciliare; ſi operibus offendiſti, operibus reconciliare. Et de Antiocho legitur in lib. Machab. (b) orabat b lib. 2. c. 9. autem hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus; non enim iſte verè pęnituit, eò quia, ait D. Th. dolebat de culpa pręterita, non propter offenſam Dei, ſed propter infirmitatem corporalem, quam patiebatur. Quod colligitur ex eodem capite, non deſperans memetipſum, (ecce ergo quomodo non cognovit, quod qui univerſa conſpicit Deus, percuſſerit eum inſanabili, & inviſibili plaga,) ſed ſpem multam habens effugiendi infirmitatem; eò modò quo unuſquiſque peccator, dùm infirmitatem patitur, cogitat illam evadere, & peccatum non relinquere, quia ſolùm cogitat ea, quæ Mundi ſunt, ea verò, quæ ſunt Dei, odit, quaſi Deus impoſſibilia præceperit, ignorans, quod Deus impoſſibilia non jubet. Hinc c cap. 5. Hieronymus in Matt. (c) ait, ſciendum eſt, Chriſtum non impoſſibilia præcipere, ſed perfecta.

Qua de cauſa dicendum eſt, difficile eſſe, ut hujuſmodi peccatores ſanentur ab infirmitate peccati, quàm patiuntur, immò delectabiliter ſufferunt; ſic enim videmus, quod multi immerſi in concupiſcentiis carnis ita lætantur, ut etſi cognoſcant Deum eſſe, nihilominus tamen gratiam Dei repellunt; juxta illud, quod dixit Aug. de Serm. Domini in monte, (d) tanta labes eſt d lib. 2. illius peccati, cum poſt agnitionem Dei per gratiam ſer 44. Chriſti, oppugnat aliquis fraternitatem, & adverſus ipſam gratiam invidiæ facibus agitatur, ut deprecandi humilitatem ſubire non poſſit, etiamſi peccatum ſuum mala conſcientia agnoſcere, & annunciare cogatur. Verùm ne peccatores deſperent de ſua ſalute, & de miſericordia Altiſſimi, ſcire debent, quod illud dictum Aug. intelligendum eſt ſic, tanta eſt labes illius peccati, &c. ſcil. de facili, ſecundum quod dicitur, illum non poſſe ſanari, qui non poteſt de facili ſanari. Poteſt tamen hoc fieri per divinæ gratiæ virtutem, quæ etiam interdum in profundum maris convertit, ut dicitur in e Pſal. 68. Pſalmo, (e) convertam in profundum maris. Sic & illud Matt. (f) intelligendum eſt, quando Chriſtus Do- f cap. 12. minus dixit, qui dixerit contra Spiritum Sanctum verbum,

bum, non remittetur eis neque in hoc ſeculo, neque in futuro; *nam & D. Th.* (g) ait, verbum illud, vel blaſphemia contra Spiritum Sanctum eſt finalis impœnitentia, quæ penitùs irremiſſibilis eſt, quia poſt finem hujus vitæ non eſt remiſſio peccatorum.

g ibid. ad 3.

Vel ſi intelligatur per blaſphemiam Spiritus Sancti peccatum, quod fit ex certa malitia, vel etiam ipſa blaſphemia Spiritus Sancti, dicitur non remitti, ſcil. de facili, quia tale peccatum non habet in ſe cauſam excuſationis; vel denique quia pro tali peccato punitur aliquis, & in hoc ſeculo, & in futuro; at de his ſermo erit, Deo dante, quando de peccatis agemus, pro nunc ſatis erit dicere *cum Paulo Apoſtolo ad Hebr.* (i) voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia; cujus Scripturæ intelligentia non eſt, quod jam non eſt remedium in Eccleſia pro peccato, ſed quod ei, qui cum tot Sacramentis infirmatur in Eccleſia, non relinquitur aliud remedium, niſi ignis inferni. Et D. Th. ſuper hunc locum inquit; Voluntariè, dupliciter exponitur. Uno modo ſecundum Gloſſam, quæ videtur facere differentiam inter peccantes volentes, & voluntariè, ita quod volens peccat, qui quaſi paſſione ductus conſentit in peccatum; de quo antea non cogitavit; voluntariè autem, qui ex certa malitia, cujus voluntas prona eſt ad peccandum, ut ſtatim cedat. *Hier.* (l) omnes converſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus vadens impetu ad prælium, nec poſtea pœnitet. ergo: voluntariè peccantibus, ideſt in voluntate peccandi permanentibus. Et exaggerando ſubdit, poſt acceptam notitiam veritatis: Petri; (m) meliùs erat illis viam juſtitiæ non cognoſcere, quàm poſt agnitionem retrorſum converti. Jam non relinquitur hoſtia pro peccatis ſcil. hoſtia, quam Chriſtus obtulit pro remiſſione peccatorum, non eſt nobis utilis; quia illis dimittuntur peccata, qui de ipſis pœnitent. Hæc ille. Et Chriſtus Dominus *dixit in Joan.*, ſi non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo; attamen quia pius, & miſericors eſt, voluit Chriſtus Salvator noſter pro horum indulgentia, inſtituere Sacramentum pœnitentiæ, ut unuſquiſque illam agendo vero, & corde ſincero probet, quàm bonus ſit Deus in remittendo peccata, quantumvis gravia, immò & graviſſima: ſic & dixit Dominus Deus *in Jerem.* (o) ſi pœnitentiam egerit gens illa à malo, quod fecit, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi, ut facerem ei. Hinc *&c in Catechiſmo habetur*, (p) nullum eſſe tam grave, & nefarium ſcelus, quod pœnitentiæ Sacramentum, non quidem ſemel, ſed iterum, & ſæpius non deleatur.

i cap. 10. l cap. 8. m 2. Pet. 2. n Cap. 15. o cap. 18. p 2. p. nu. 23.

Per pœnitentiam utique, eò quia ſine pœnitentia remiſſionem peccatorum impetrare, aut ſe ſperare ullo modo licet: nam *ſcriptum eſt in Luc.* (q) niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis. Quæ ſententia Domini de gravioribus, & mortiferis peccatis intelligenda eſt, ſic eam intelligit Div. Th. (r) apertè docendo, impoſſibile eſt peccatum actuale mortale ſine pœnitentia remitti.

q cap. 13. r 1. p. q. 86. a. 2.

Etſi quæratur, quare autem hoc? ſtatim adducit rationem, quia peccatum, cum ſit offenſa Dei, eo modo Deus peccatum remittit, quo remittit offenſam in ſeipſum commiſſam. Offenſa autem directè opponitur gratiæ; quia certum eſt, quod ex hoc aliquis dicitur eſſe offenſus, quod repellit eum à gratia ſua.

Nec eſt intelligendus *D. Th*, *ut vult Cajetanus*, hic, de offenſa ex parte actus, quo inſertur offenſa, ſic enim opponitur charitatis rectitudini in actu debitæ, eſt enim deformitas actus privans perfectione charitativa, ſed intelligendus eſt de offenſa ex parte ſuppoſiti offendentis, perſona enim eſt, quæ primò offendit, actus autem, quò offendit, quaſi inſtrumentum perſonæ eſt, & ſic propriè, & formaliter conſideratur offenſa; & hæc directè opponitur gratiæ, demeritoriè tamen, cum offendens eo ipſo, quo offendit, demeretur, & quantum in ſe eſt, privat ſe gratia ejus, quem offendit.

At maxima eſt differentia inter gratiam Dei, & gratiam hominis; iſta non cauſat, ſed præſupponit bonitatem veram, vel apparentem in homine grato; gratia verò Dei cauſat bonitatem in homine grato, eò quia bona voluntas Dei, quæ in nomine gratiæ intelligitur, eſt cauſa omnis boni creati: Ex quibus ſubdit D. Th., poteſt contingere, quod homo remittat offenſam, qua offenſus eſt, alicui abſque aliqua immutatione voluntatis ejus, cęterum non poteſt contingere, quod Deus remittat offenſam alicui abſque immutatione voluntatis ejus. Exemplum etiam habemus inter miſericordiam Dei, & miſericordiam hominis. Miſericordia Dei immutat voluntatem hominis ad pœnitendum, at miſericordia hominis hoc facere non poteſt, cum autem offenſa peccati mortalis procedat ex hoc, quod voluntas hominis ſit à Deo averſa per converſionem ad aliquod bonum commutabile, hinc eſt, quod relinquitur ad remiſſionem divinæ offenſæ, quod voluntas hominis ſic immutetur, ut convertatur ad Deum cum deteſtatione converſionis prædictæ, & propoſito emendæ, quod pertinet ad rationem pœnitentiæ, ſecundum quod eſt virtus; ac proinde manifeſtum relinquitur, impoſſibile eſſe, peccatum alicui remitti ſine pœnitentia, ſecundum quod eſt virtus; ergo ſi volumus, ut Deus remittat nobis peccata, pœnitentiam agamus non illam doloſam, ſicut fecerunt Hebræi, de quibus dixit Dominus Deus, hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me: ſed virtuoſam, quæ conſiſtit in converſione ad Deum, ipſumque invocando, ut miſereatur noſtri, & benedicat nobis, adeòq; certi, quod ſi nos agemus pœnitentiam, ipſe Deus diſſimulabit peccata hominum propter pœnitentiam, *ut legitur Sap.* (t) diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam ſc. ſub diſſimulatione non fictionis, ſed affectionis, peccata hominum propter pœnitentiam, ideſt ut ipſi pœniteant interim, dum ſic eos clementer expectas *Rom.* (u) ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? & Gloſſa dicit hic, potentia Dei bonitate plena opus ſuum propter peccata non deſpicit, ſed per pœnitentiam abluit, & ipſe ſovet, & nutrit.

s cap. 29. t cap. 11. u cap. 2.

Propter pœnitentiam diſſimulat peccata hominum, adultorum videl. non puerorum, cum in pueris, ut ait D. Th., non ſit, niſi peccatum originale, quod non conſiſtit in actuali deordinatione voluntatis, ſed in quadam habituali deordinatione naturæ; ideòq; remittitur eis peccatum cum habituali immutatione per infuſionem gratię, & virtutum, non autem cum actuali: adultis verò, cum in illis ſint actualia peccata conſiſtentia in actuali deordinatione voluntatis, hinc eſt, quod non remittuntur peccata in baptiſmo ſine actuali immutatione voluntatis, quod fit per pœnitentiam, quatenus virtus eſt; adeòque impoſſibile videtur eſſe, quod Deus remittat alicui peccatum ſine pœnitentia, ut virtus eſt; non eſt tamen impoſſibile, quod Deus, ſicut & Chriſtus, remittat peccatum ſine Sacramento pœnitentiæ; & per hoc volumus manifeſtare miſericordiam Dei, qui parcendo maximè illam manifeſtat, ſicut & illam jam manifeſtavit Chriſtus Jeſus, tùm in muliere adultera, quando illi dixit, *Joan.*, (z) Vade, & jam amplius noli peccare; ubi apertè habetur abſolutio ab omnibus peccatis, quæ antea fecit. Tùm in muliere peccatrice, quando illi dixit, *Lucæ*, (a) remittuntur tibi peccata tua, remiſit ergo Deus his mulieribus peccata, utique ſine Sacramento pœnitentiæ, de cujus ratione eſt, ut perficiatur per officium Sacerdotis ligantis, atque ſolventis, non tamen ſine virtute pœnitentiæ. Unde bene Gregor. hom. 3. dixit, per gratiam traxit intus, ſcil. ad pœnitentiam, quam per miſericordiam ſuſcepit foris; ergo rogamus Deum, ut præſtet nobis auxilium, per quod utique poſſimus agere & virtutem pœnitentiæ, & percipere fructum ejuſdem per Sacramentum, mediante quo promittitur nobis remiſſio omnium peccatorum.

x ibid. ad. z cap. 8. a cap. 7.

Omnium, inquam, peccatorum, mortalium ſcil. cum impoſſibile ſit per pœnitentiam unum peccatum

ſine

Digitized by Google

[a Seſſ. 14. cap. 5] ſine alio remitti; *Sic & Concilium Tridem. (a) ſtatuit in corroboratione doctrinæ Div. Thom. adducendæ*, ex inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ jam explicat: univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere. Quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus è terris aſcenſurus ad Cœlos, Sacerdotes ſui ipſius vicarios reliquit, tanquam præſides, & judices; ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint; quo pro poteſtate clavium remiſſionis, aut retentionis peccatorum ſententiam pronuncient. Et poſtea ſubdit, ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habeat, in [b Cap. 7. Seſſ. 14.] confeſſione recenſeri. *(b) Et tandem decrevit*, ſi quis dixerit in Sacramento pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta; anathema ſit. Certum enim eſt, quod peccatum mortale cum contrarietur gratiæ, & illam excludat, impoſſibile eſt, quod illud remitti poſſit ſine vera pœnitentia, quæ dicitur meritò ſecunda tabula, cum poſt periculum in naufragando neceſſaria ſit ad vitam ſalvandam. Et ſi ſolùm eſt unum, illud per pœnitentiam remittitur, & ſi ſunt plura, illa etiam per eamdem remittuntur, ſimul tamen, & non unum tantùm: juxta doctrinam Div. Thom. docentis, quod unum peccatum, mortale ſcilicet, ſine alio remitti non poteſt per pœnitentiam; quia certum eſt, inquit, quod ad pœnitentiam pertinet deſerere peccatum, in quantum eſt contra Deum, quod quidem eſt commune omnibus peccatis mortalibus; cum ergo omnia peccata mortalia ſint contra Deum, rectè ſequitur, quod ad pœnitentiam pertinet deſerere non unum tantùm, ſed omnia ſimul.

Quod *manifeſtatur à Div. Thom.* ratione; ubi eſt eadem ratio, ibi debet eſſe & idem effectus, igitur ſi ita eſt, ut certiſſimum eſt, rectè concluditur, quod non poſſit eſſe verè pęnitens, qui de uno peccato pęniteat, & de alio non.

Et licet peccata non ſint connexa, cum unum poſſit eſſe ſine alio, ut pat. de furto, quod eſſe poteſt ſine ſacrilegio, & de adulterio, quod eſſe poteſt ſine homicidio, & conſequenter licet connexa non ſint quantum ad converſionem ad bonum commutabile, ſunt nihilominus connexa quantùm ad averſionem à bono incommutabili, in quà averſione conveniunt omnia peccata mortalia; ex qua parte habent rationem offenſæ, quam oportet per pœnitentiam tolli; & cum tàm unum, quàm etiam aliud, immò & omnia ſimul peccata habeant rationem offenſæ, oportet conſequenter, ut omnia ſimul per pœnitentiam tollantur. Unde *ſubdit Div. Thom.*, ſi enim diſpliceret ei illud peccatum, quia eſt contra Deum ſummè dilectum, (quod requiritur ad rationem veræ pœnitentiæ,) ſequeretur, quod de omnibus peccatis pęniteret; aliàs non eſſet vera dilectio charitatis erga Deum; non enim tunc conſtitueretur Deus ultimus finit noſtræ voluntatis, ſervire namque illi ſoli debemus, ſicut præſcribit nobis Chri- [c Cap. 6.] ſtus *in Matt.*, *(c)* nemo poteſt duobus Dominis ſervi- [d p. 3. qu. 86. art. 5.] re, adinvicem, *inquit Div. Thom. (d)* ſcilicet non ordinatis. Unde ſoli Deo ſervire debemus, quia ipſe ſolus habet in nobis veri Dominii proprietatem; jure creationis, etenim ipſe fecit nos, & non ipſi nos, unde Aug. qui creavi te, ſine te, Deus eſt, *iuxta Apoſt. ad* [e Cap. 1.] *Heb.*, *(e)* qui autem omnia creavit, Deus eſt. Jure redeptionis, quoniam frater non redimit, redimet homo, qui & dicitur filius hominis, ipſe enim redemit nos in ſanguine ſuo, jure vitæ, & educationis; In illo enim eſt vita, & reſurrectio noſtra, & ipſe pater noſter, ex quo omnis Paternitas in cœlis, & in terra nominatur, [f Cap. 7.] *inquit Paulus ad Eph. (f)* Qui autem noluerit Deo, ſer- vituti ſuorum hoſtium ſubiicietur, ſententia Domini [g Cap. 28.] eſt *Deut.* *(g)* eo quod non ſervie Domino Deo tuo propter rerum omnium abundantiam, (ut contingit in illis, qui abundant divitiis, iſti enim deficiunt à ſervitute Dei, ſicut defecerunt & viri Sodomorum *ut pronunciatur per os Ezechielis*, *(h)* hæc fuit iniquitas ſodomæ [h Cap. 16.] ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia,) ſervies inimico tuo in fame, ſiti, &c. *Hinc Joannes*, *(i)* qui [i Cap. 8.] facit peccatum, ſervus eſt peccati; ſi ſervus ergo peccati conſtituitur homo per peccatum mortale, non erit dilectio charitatis erga Deum in illo.

Peccata, per quæ conſtituitur ſervus peccati & reus apud Deum, quæ & debita dicuntur, non ſunt debita rerum exteriorum, ſed debita culpæ, & talia debita contrariantur amicitiæ non illa rerum exteriorum, ut pecuniæ V. G., ac proinde videtur, quod una culpa, vel offenſa nequi remitti ſine altera; eſſet namque rediculum, *aſſerit Div. Thom.*, *(l)* quod quis ab aliquo homine veniam peteret de una offenſa, & non de alia: [l Ib. ad 13] & ſic hoc de homine, qui cinis eſt, & pulvis, immò & vermis, *iuxta illud*, *(m)* ego ſum vermis, & Non [m Pſ. 21.] homo. Quid dicendum erit de Deo, qui eſt ſuper omnia benedictus in ſecula; qui ſemper æternus; de illo, qui de ſeipſo dixit, ego ſum qui ſum, per quod magis explica- [n Pſ. 101.] tur nomen ipſius Dei; *Hinc Auguſt. in Pſal.*, *(n)* non eſſet [o Cap. 3.] tibi nomen ipſum eſſe, niſi quòd quidquid eſt aliud, tibi comparatum inveniretur non eſſe. *(o)* De illo, qui dixit, ego ſum Deus, & non mutor, *ut colligitur ex Malach.* de illo, de quo Canebant Angeli, Sanctus, Sanctus, Sanctus, qui eſt, qui erat, & qui futurus eſt. De illo, qui dicit, de ſeipſo, ego occidam, & ego vivere faciam, percutiam, & ego ſanabo, & non eſt, qui de manu mea poſſit eruere; ergo ſi doleamus de peccatis erga Deum commiſſis, doleamus de omnibus ſimul, & non diviſim, ut bene animadvertit nos *Div. Auguſt. de pœnit.*, *ait enim*, ſunt plures, quos [p Lib. de Pœnit. c. 6.] pęnitet peccaſſe, ſed non omninò, reſervantes ſibi quædam, in quibus delectentur, non animadvertentes Dominum ſimul mutum, & ſurdum à dæmonio liberaſſe, per hoc docens nos numquam, niſi ab omnibus ſanari, ut autem perfectè ſanemur omnia, & ſingula peccata confitemur, quod eſt de omnibus pęnitere; ac per conſequens, ut ex dictis conſtat, impoſſibile eſt remitti peccata abſque pœnitentia, quatenus virtus eſt, ita dicitur impoſſibile eſſe unum peccatum remitti ſine alio per pœnitentiam abſolutè, & hoc aſſerendum eſſe pro indubitato habetur, ne ſequatur maximum abſurdum, quale eſſet, quod eſſet contra perſecutionem Miſericordiæ Dei, cujus perfecta ſunt opera, unde cujus miſeretur, totaliter miſeretur, *hoc autem eſſe verum aſſeritur à Div. Auguſt.*, *(q)* quædam [q Ibid.] impietas infidelitatis eſt ab illo, qui juſtus, & juſtitia eſt, dimidiam ſperare veniam: igitur agendo pœnitentiam de peccatis, de omnibus illam agere debemus, ut plenariè pœnitentiæ virtutem, & Sacramentum conſequamur.

Ex quibus ſequitur, quod etſi dixerimus, ut plenariè conſequamur pœnitentiæ virtutem, & Sacramentum, non tamen per hoc dicendum eſt, quod remiſſa culpa tollatur reatus totius pœnæ ſpiritualis, & temporalis; ut impiè aſſerebat Lutherus, ignorans illum, *quod ſcriptum eſt in lib. Num. (r)* ubi Moyſes dixit ad [r Cap. 14.] Dominum; dimitte, obſecro, peccatum populi hujus ſecundum magnitudinem miſericordiæ tuæ, &c. dixitque Dominus, dimiſi juxta verbum tuum; ecce quomodo per miſericordiam Dei dimiſſus fuit populo reatus pœnæ ſpiritualis propter peccatum infidelitatis ad Dominum; non tamen dimiſſus fuit illi reatus pœnæ temporalis, ut patet per ea, quæ ſubduntur, attamen omnes homines, qui viderunt majeſtatem meam, & ſigna, quæ feci in Ægypto, & in ſolitudine, & tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ. Non videbunt terram, pro qua juravi patribus eorum, nec quiſquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam. *Tùm ex illo Numer., ubi de Moyſe, & Aaron legitur;* dixitque Dominus ad Moyſen, & Aaron, quia non crediditis mihi, ut ſanctificaretis me coram filiis Iſrael, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. Videtur ergo, quod non fuit dimiſſus illis reatus pœnæ temporalis, propter illud,

quod

Digitized by Google

quod dixit Moyſes ad populum, audite rebelles, & increduli, nùm de petra hac vobis aquam poterimus ejicere? *Tùm ex lib. Regum,* (t) quando David pęnitens de peccato adulterii, pariterque homicidii dixit ad Natham, peccavi Domino. Tunc dixit Natham ad illum, Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris, (non enim voluntatis Dei eſt mors impii, ſed ut convertatur à viis ſuis, & vivat, ſic *Ezech.*) (u) ecce reatus pęnæ ſpiritualis dimiſſus illi, (verumtamen filius, qui natus eſt tibi, morte morietur;) hoc autem fuit in pęnam præcedentis peccati.

[t Lib. 2. cap. 12.] [u cap. 18.]

Verùm quia Lutheri ignorantia in malitiam converſa fuit, ut deſtrueret Sacras Scripturas, hinc eſt, quod *ultrà doctrinam D. Th.* (x) *impugnantis hæreſim Lutheri*, quando per gratiam remittitur culpa, tollitur averſio animæ à Deo, in quantum per gratiam anima Deo conjungitur. Unde & per conſequens ſimul tollitur reatus pœnæ æternæ, poteſt tamen remanere reatus alicujus pęnæ temporalis, qui reatus non infert damnationem, ut ſomniavit Lutherus accipiens fundamentum ſuæ nequitiæ *ex illo Rom.* (y) nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Christo Jeſu: etenim dùm remanet in juſtificatis remiſſa culpa, & reatu pęnæ ſpiritualis, quæ & æterna dicitur, reatus pęnæ temporalis, non ob hoc ſequitur dicendum remanere in illis aliquid damnationis, cum talis reatus nequeat dici damnatio.

[x 3. p. q. 86. a. 4.] [y cap. 8.]

Rurſus ex hoc ipſo, *habetur ex D. Th.* (c) dicitur culpa mortalis remitti, quod per gratiam tollitur averſio mentis à Deo ſimul cum reatu pęnæ æternæ: remanet tamen illud, quod eſt materiale, ſcil. inordinata, converſio ad bonum creatum, pro qua debetur reatus pęnæ temporalis. In peccato namque mortali dixit eſſe duo, averſionem ab incommutabili bono, & converſionem ad bonum commutabile, unde & docet, quod ex parte averſionis ab incommutabili bono conſequitur peccatum mortale reatus pęnæ æternæ, quia juſtum eſt, ut qui contra æternum bonum peccavit, in æternum puniatur. Ex parte verò converſionis ad bonum commutabile, in quantum eſt inordinata conſequitur peccatum mortale reatus alicujus pęnæ, quia inordinatio culpæ non reducitur ad ordinem juſtitiæ, niſi per pœnam. Et ideò juſtum eſt, ut qui voluntatis ſuæ plus indulſit, quàm debuit, contra voluntatem ſuam aliquid patiatur: ac proinde aſſignatur differentia quædam inter ordinem remiſſionis culpæ, & reatus pęnæ æternæ, & inter remiſſionem reatus pęnæ temporalis; nam licet utraque remiſſio ad gratiam pertineat, attamen non eodem modo: eò quia ad gratiam operantem pertinet remiſſio culpæ, & reatus pęnæ æternæ; ad gratiam verò cooperantē pertinet remiſſio reatus pęnæ temporalis.

[z Ibid. ad 1.]

Quomodo autem pertineat ad gratiam cooperantem remiſſio reatus pęnæ temporalis, *habetur ex D. Th. docente*, In quantum ſcilicet homo cum auxilio divinæ gratiæ patienter pęnas tolerando, abſolvitur etiam à reatu pœnæ temporalis; ſic & omnes Sancti meruerunt à reatu pœnæ temporalis abſolvi: quod manifeſtat dicendo, ſicut prius eſt effectus gratiæ operantis, quàm gratiæ cooperantis, ita etiam prius eſt remiſſio culpæ, & pęnæ eternæ, quàm plena abſolutio à pęna temporali; utrumq; enim eſt à gratia, ſed primum à gratia ſola, ſecundum à gratia, & libero arbitrio: At cur primum ſit à gratia ſola, & ſecundum à gratia, & libero arbitrio? quia per gratiā tollitur averſio mentis à Deo ſimul cum reatu pęnæ ęternæ, unde ſolùm per gratiam homo liberatur à pęnæ ęternæ reatu; per gratiam verò cooperantem tollitur reatus pęnæ temporalis, quia ut diximus, homo tolerando patienter pęnas abſolvitur à tali reatu.

[a ib. ad 2.]

Ultrà ergo hanc D. Th. Doctrinam contra Lutherum *adeſt & Concilium Trid. confirmans Doctrinam D. Th. & damnans eundem Lutherum*: In primis enim ſtatuit, dicendum eſt, Chriſtiani hominis pęnitentiam poſt lapſum multò aliam eſſe à baptiſmali; eamque continere, non modò ceſſationem à peccatis, & eorum deteſtationem, aut cor contritum, & humiliatum, verùm etiam eorumdem Sacramentalem confeſſionem, ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam, & Sacerdotalem abſolutionem: Itemque ſatisfactiones per jejunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia: non quidem pro pœna eterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto remittitur, unà cum culpa; ſed prò pęna temporali, quæ (ut Sacræ literæ docent) non tota ſemper, ut in baptiſmo fit; dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati Spiritum Sanctum contriſtaverunt, & templum Dei violare non ſunt veriti. *Et decrevit ibid.*, (c) ſi quis poſt acceptam juſtificationis gratiam cuilibet peccatori pęnitenti ita culpam remitti, & reatum pęnæ æternæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pęnæ temporalis exolvendæ, vel in hoc ſeculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cęlorum aditus patere poſſit, anathema ſit. *Item idem Concilium ſtatuit;* (d) Sancta Synodus declarat, falſum omninò eſſe, & à verbo Dei alienum: culpam à Domino numquam remitti, quin univerſa pęna condonetur; perſpicua enim, & illuſtria in Sacris literis exempla reperiuntur, quibus præter divinam traditionem, hic error, quàm manifeſtiſſimè revincitur. *Rurſus decrevit*, ſi quis dixerit, fictionem eſſe, quod virtute clavium ſublata pęna æterna, & pęna temporalis plerumque exolvenda remaneat; anathema ſit. Et quàm juſtum, quàm rationabile fuerit ſic præſcriptum à Deo, ſtatutum ab Eccleſia, & cognitum à Patribus, conſtat ex hoc, ut magis, ac magis malitia, & gravitas peccati appareret, mortalis tamen; *Hinc Aug. in Joan.* (d) ne culpa putaretur parva, ſi cum ea finiretur & pęna, prolixiorem eſſe voluit Deus pęnam, quàm culpam: temporaliter enim detinet pęna, quem jam reum ad damnationem non detinet culpa.

[b Seſ. 6. cap. 14. D. Th. ibid. ad 3.] [c ib. can. 30.] [d Seſ. 14. cap. 8.] [e ib. can. 15.] [f Tract. 124.]

His ſtantibus, ſi adhuc inquiratur, quid faciat paſſio Chriſti in ordine ad remiſſionem peccatorum? dicendum eſt, quod Chriſti paſſio de ſe eſt ſufficiens ad tollendum omnem reatum non ſolum pęnæ æternæ, verùm etiam temporalis; & ideò ſecundum modum, quo homo participat virtutem Paſſionis Chriſti, percipit etiam abſolutionem à reatu pęnæ. Juxta D. Th. per paſſionem Chriſti liberati ſumus à reatu pęnæ dupliciter. Uno modo directè, in quantum ſcilicet paſſio Chriſti fuit ſufficiens, & ſuperabundans ſatisfactio pro peccatis totius generis humani. Exhibita autem ſufficienti ſatisfactione, tollitur reatus pęnæ. Alio modo indirectè, in quantum Paſſio Chriſti eſt cauſa remiſſionis peccati, in quo fundatur reatus pęnæ, cujuslibet ſcilicet; ibid. enim ait, liberamur per paſſionem ipſius à reatu cujuslibet pęnæ. Itaque cum in pęnitentia conſequatur homo virtutem paſſionis Chriſti ſecundum modum proprium actuum, qui ſunt materia pęnitentiæ, ideò non ſtatim per primum actum pęnitentiæ, quo remittitur culpa, ſolvitur reatus totius pęnæ, ſed completis omnibus pęnitentiæ actibus ſolvitur reatus pęnæ etiam temporalis; & hoc ad differentiam baptiſmi, in quo cum homo participet totaliter virtutem Paſſionis Chriſti, in ipſo etiam homo conſequitur remiſſionem reatus totius pęnæ. Unde nec in ipſo baptiſmo remanent diſpoſitiones ex præcedentibus actibus cauſatæ, quę dicuntur reliquiæ peccati, quia dum abluuntur homines per baptiſmum, tolluntur omnia, quæ ad turpitudinem animæ ſpectant, & perfectè mundantur. Cęterum per primum actum pęnitentiæ manent utique quædam diſpoſitiones ex præcedentibus actibus cauſatæ, & dicuntur reliquiæ peccati, verumtamen manent debilitatæ, & diminutæ, ita ut homini non dominentur; quia ut benè ait D. Th., (i) hoc magis eſt per modum diſpoſitionum, quàm per modum habituum.

[g 3. p. q. 49 art. 3.] [h loc. cit. 1.] [i 3. p. q. 86 a. 5.]

Et quod ita ſit, vocantur namque reliquiæ peccati res pertinentes ad infirmitatem peccati, à qua non ſanantur homines, niſi à Deo, qui perfectè totum hominem ſanat; nec mirum ſi quandoque ſubitò, ſicut ſocrum Petri continuò reſtituit perfectæ ſanitati, ita ut ſurgens miniſtraret illis, *ut legitur Lucæ*, (l) ſocrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & roga- [l cap. 4.]

ve-

Digitized by Google

verunt illum pro ea, & ſtans ſuper illam imperavit febri, & dimiſit illam, & continuò ſurgens miniſtrabat illis; quandoque ſucceſſivè, ut patet de cæco il- m Cap. 8. luminato *ut narrat Marcus*, nàm primò reſtitutus eſt ad imperfectum viſum, ſiquidem interrogatus ſi quid videret? video, ait, homines, ſicut arbores ambulantes. Deinde reſtitutus eſt perfectè, ita ut videret clarè omnia. Ex quo intelligitur, quod illuminatio cæci ſignificat liberationem peccatoris poſt primam remiſſionē culpæ, qua peccator reſtituitur ad viſum ſpiritualem, ſed adhuc in eo remanent aliquæ reliquiæ pec- n Ibid. ad 1. cati præteriti. *Unde D. Th. (n)* & ita etiā ſpiritualiter quādoque tanta commotione convertit cor hominis, ut ſubitò perfectè conſequatur ſanitatem ſpiritualem, non ſolùm remiſſa culpa, ſed ſublatis omnibus peccati reliquiis, ſic patet de Maria Magdalena, cui ſtatim remiſſa fuerunt peccata multa, quoniam dilexit multum; per iſta namque verba contulit ei gratiam: Et ſi quandoque prius remittit culpam per gratiam operantem, & poſtea per gratiam cooperantem ſucceſſivè tollit peccati reliquias, hæc omnia proveniunt ex infirmitate hominum, qui neſciunt relinquere cum peccatis etiam diſpoſitiones ad illa, unde qui omnia relinquunt, citò & perfectè ſanantur, & conſequenter liberantur ab omni reatu; qui verò relinquunt peccata, & adhuc retinent diſpoſitiones ad illa ſanantur, ſed non liberantur, niſi ſucceſſivè, ab omni reatu; alii verò ſunt, qui relinquunt peccata confitendo illa, & de illis pœnitentiam agendo, ad iſtos utique remittit Deus peccata, immò & culpam per gratiam ſuam, at quia non ſtatim diſponuntur ad tolerantiam pœnarum, hinc eſt, quod niſi ſucceſſivè tolluntur ab iſtis reliquiæ peccati, quod eſt per gratiam cooperantem liberari ab omni reatu; *hoc corroborat Div. Thom.*
o Ib. ad 2. *dicendo*, (o) peccatum ſtatim quandoque inducit debilem diſpoſitionem, utpotè per unum actum cauſatū, quandoque fortiorem cauſatum per multos actus. *Et*
p Ib. ad 3. *rurſus ait*, (p) uno actu humano non tolluntur omnes reliquiæ peccati, multiplicato verò exercitio ad hoc pervenit, ut ſit bonus virtute acquiſita, diverſo modo, quo facit divina gratia; iſta enim efficacius hoc facit, ſive uno, ſive pluribus actibus. Quæ omnia habentur ex Div. Thom. & rurſus manifeſtantur ex ſacris literis; *Habetur enim in Pſal.*, (q) Putruerunt, & corru-
q Pſal. 37. tæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ: manifeſtum eſt namque, quod cicatrices ex vulneribus relinquuntur, ſic ergo reliquiæ peccati alicujus jam peccatori dimiſſi meritò cicatrices vocantur, quia remanent ex vulneribus peccatorum per diſpoſitiones non omninò relictas ab illo, qui fuit peccator, unde & ſanatur ab infirmitate peccati, per quam jam ducebatur ad mortem, ſed non liberatur omninò; ſed putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices; à facie, ſubdit Pſaltes inſipientiæ meæ, *quaſi diceret*, quia inſipiens retinui diſpoſitiones ad peccata.

r cap. 30. *Habetur etiam ex illo Jerem.*, (r) ubi Dominus ad Jeremiam dixit, obducam enim cicatricem tibi, & à vulneribus tuis ſanabo te; per quæ verba manifeſtè videtur, quod Deus ex bonitate ſua promittit aliquibus, illis ſcilicet, qui omnia relinquunt, ſe non tantùm in eis ſanaturum vulnera, ſcilicet peccata, ſed etiam vulnerum cicatricem, ſcilicet peccatorum ipſorum reliquias.

Et ecce quàm mirabilis ſit pœnitentia, cum ab illa omnia jam dicta cauſentur, & cum tam mirabilis ſit cauſa, mirum eſſe non debet, ſi effectus proveniens ab iſta cauſa mirabilis etiam ille ſit. *Unde Div. Thom.*
ſ 3. p. q. 86. art. 6. (ſ) poſtquam hæc omnia de pœnitentia, ut virtus eſt, determinaverit, rectè ex his concludit, quod remiſſio culpæ ſit effectus pœnitentiæ; & taliter eſt effectus pœnitentiæ, ut ſine pœnitentia remiſſio culpæ eſſe non poſſit; & taliter eſſe non poteſt, quia etſi illa poſſit eſſe à Deo ſine Sacramento pœnitentiæ, non tamen ſine pœnitentia, ſecundum quod eſt virtus: ſicut & de facto videmus, quod & antea Sacramenta novæ legis pœnitentibus peccata remittebat Deus: in principio namque creationis Adæ, & Evæ pœnitentibus de peccato tranſgreſſionis præcepti divini, Deus remiſit illis peccatum, & culpam, ſed propter culpam, in quam incurrerunt, illis aſſignavit pœnam temporalem, & non tantùm illis, verùm etiam omnibus ab ipſis deſcendentibus; *etenim mulieri (t)* dixit, multiplicabo t Gen. c. 3. ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, &c. cui ſententiæ non ſubjecit Beatiſſima Virgo, & hoc quia Virgo peperit Chriſtum Deum, & hominem. Adæ verò dixit, quia audiſti vocem uxoris tuę, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes: maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ; à qua ſententia nemo liber evadit, unuſquiſque in ſudore vultus ſui panem manducat.

Poſtea de hac veritate, nēpe, quod remiſſio culpæ ſit effectus pœnitentiæ, plura ſunt teſtimonia, *tùm in lege naturæ*, *tùm in lege ſcripta*, tunc enim ſolùmodo conſiderabatur pœnitentia, ſecundum quod eſt virtus, non verò ſecundum quod eſt Sacramentum, uti modo in nova lege, nempe gratiæ, in qua utique remiſſio culpæ eſt effectus pœnitentiæ etiam ſecundum quod eſt virtus, principaliùs tamen ſecundum quod eſt Sacramentum; *Sic & à Concilio Tridentino ſtatuitur*, eſt autem hoc Sacramentum pœnitentiæ lapſis poſt baptiſmum ad ſalutem neceſſarium: ut nondùm regeneratis ipſe baptiſmus. *Et Div. Thom. iam docuit*, (u) quod remiſſio culpæ fit in baptiſmo, non ſolùm virtute formę, u Seſſ. 14. cap. 2. fin. ſed etiam virtute materiæ, ſcilicet aquæ, principaliùs tamen virtute formæ, ex qua, & ipſa aqua virtutem recipit; ſic pariter remiſſio culpæ eſt effectus pœnitentiæ, principaliùs quidem ex virtute clavium, quas habent miniſtri, ex quorum parte accipitur id, quod eſt formale in hoc Sacramento, ſecundario verò & de materiali ex vi actuum pęnitentis pertinentium ad virtutem pœnitentiæ. *Unde benè Div. Thom.* pœnitentia eſt virtus, ſecundum quod eſt principium quorumdam actuum humanorum, qui tamen ex parte peccatoris materialiter ſe habent in Sacramento pœnitentiæ, unde & aliqualiter ordinantur ad claves Eccleſiæ: *rurſus docet*, (x) actus iſti humani ſunt in pœnitentia, ut ef- x Ibi ad 2. fectus gratiæ operantis ſimul producti cum remiſſione culpæ: & ideò videtur, quod remiſſio culpæ non fit ſine actu pœnitentiæ virtutis, eò quia actus pœnitentiæ virtutis habet, quod ſine ipſo non poſſit fieri remiſſio culpæ, in quantum eſt inſeparabilis effectus gratiæ, per quam principaliter culpa remittitur, eò modò, quo operatur in omnibus Sacramentis; Verùm ex hoc concludi non poteſt, niſi quod gratia eſt principalior cauſa remiſſionis culpæ, quàm pœnitentiæ Sacramentum, quod etiam aliqualiter tùm in lege naturæ, tùm in lege veteri erat.

Diximus, quod remiſſio culpæ non fit ſine actu pœnitentiæ virtutis, & modò addimus, licet ſit effectus gratiæ operantis, quia volumus *cum Div. Thom.*, (y) quod effectus gratiæ operantis ſit juſtificatio impii, in y Ib. ad 1. & 2. qua non ſolùm, ut diximus, eſt gratiæ infuſio, & remiſſio culpæ; *habemus namque ex Paulo ad Rom.* (z) ju- z Cap. 3. ſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu; In quo ſignificatur, quod gratis juſtificati ſumus, vel abſque ullis noſtris meritis, non tamen abſque ullis omninò meritis, quia non abſque meritis Chriſti; magno ergo conſtitit Chriſto hæc noſtra juſtificatio, nimirum pretio ſanguinis.

Ac ſi pretio, quomodo gratuita Dei bonitate juſtificati ſumus? Gratuita itaque bonitate Dei, nam licet juſtam pro peccatis ſatisfactionem exegerit, gratis tamen, redemptorem, & ſatisfactorem ipſe nobis miſit, propterea *ſubdit Paulus*, quem propoſuit propitiatorem, quem ſine ullis noſtris meritis gratuita ſua bonitate propoſuit mediatorem, reconciliatorem, precatorem inter ſe, & humanum genus per fidem. *Et ex Concil. Trident. habetur*; (a) abſit tamen, ut Chriſtia- a Seſſ. 6. c. 16. nus homo in ſe ipſo, vel confidat, vel glorietur, & non in Domino: cujus tanta eſt erga omnes homines bonitas, ut eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona. *Et Div. Thom. docet*, (b) effectus divinæ dile- b p. 3. q. 113. art. 1. ctionis in nobis, qui per peccatum tollitur, eſt gratia,

qua

Digitized by Google

qua ſit dignus vita æterna, à qua peccatum mortale excludit; ac proinde non poſſet intelligi remiſſio culpæ, ſi non adeſſet infuſio gratis, ſed etiam motus liberi arbitrii in Deum, qui eſt actus fidei formatæ. *Hinc Div. Thom. docet*, (c) [c p 2 q. cit. art. 3. & 4.] quod juſtificatio impii ſit Deo movente hominem ad juſtitiam; ipſe enim eſt, qui juſtificat impium; Movet namque Deus omnia ſecundum modum uniuſcujuſque, homo verò movetur à Deo ſecundum conditionem ſuæ naturæ, at ſecundum propriam naturam habet homo, quod ſit liberi arbitrii ideòque in eo, qui habet uſum liberi arbitrii non fit motio à Deo ad juſtitiam abſque motu liberi arbitrii, ſed ita infundit donum gratiæ juſtificantis, ut etiam ſimul cum hoc movet liberum arbitrium ad donum gratiæ acceptandum in his, quæ ſunt hujus motionis capaces: Et quia Deus movet homini animam, convertendo eam ad ſeipſum, ideò ad juſtificationem impii requiritur motus mentis, quo convertitur in Deum. Prima autem converſio in Deum fit per fidem, ut *habetur ex Paulo ad Hebr.*, (d) [d Cap. 11.] accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt; & ideò motus fidei requiritur ad juſtificationem impii: *Hinc Concil. Trident. de hac diſpoſitione ſtatuit*, (e) [e Seſſ. 6. c. 6.] diſponuntur ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt, atque illud in primis à Deo juſtificari impium, per gratiam ejus per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu.) Et motus liberi arbitrii in peccatum, qui eſt actus pœnitentiæ. *Hinc Div. Thom.* (f) [f q. cit. A. 5.] oportet, quod humana mens, dùm juſtificatur per motum liberi arbitrii recedat à peccato, & accedat ad juſtitiam. Receſſus autem, & acceſſus in motu liberi arbitrii accipitur ſecundum deteſtationem, & deſiderium; per iſtud tendit ad juſtitiam, per illud deteſtatur peccatum. Hoc totum habetur ex eodem Concil. in juſtificatione impii includuntur iſta quatuor infuſio gratiæ, motus liberi arbitrii in Deum per fidem, & charitatem, motus etiam pœnitentiæ in peccatum, & remiſſio culpæ, quæ omnia dātur gratis ſine merito. *Unde & decrevit*, (g) [g Seſſ. 6. can. 11.] ſi quis dixerit, hominem juſtificari, vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti; vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhærat, aut etiam gratiam, qua juſtificamur eſſe tantum favorem Dei, anathema ſit.

Et ideò adnotamus, quod remiſſio culpæ non ponitur effectus ſolùm pœnitentiæ virtutis, ſed principaliùs fidei, & charitatis; nam certum eſt, quod niſi in eum crederemus, eum non deligeremus, cum *ſcriptum ſit, in Joan.* (h) [h Cap. 3.] qui non credit, jam judicatus eſt, *& rurſus*: (i) [i Ep. cap. 3.] qui non diligit, manet in morte; & niſi eum non diligeremus, veniam ab ipſo non peteremus, ideòque veniam petimus, quia in eum credimus, & eum diligimus. Et licet teneamur diligere Deum, cum de hoc præceptum habeamus, attamen tenemur eum magis diligere, quia per filium ſuum unigenitum redemit nos. Redemit autem nos per paſſionem, & mortem ſuam, ideòque ad paſſionem Chriſti ordinare debemus actus pęnitentiæ virtutis, & per fidem, per quam credimus ſalvari, *Lucæ*, (l) [l Cap. 18.] fides tua te ſalvam fecit, & per ordinem ad Claves Eccleſiæ quæ ſemper intellexit, *ſecundum Concilium Trident.* (m) [m Seſſ. 14. cap. 5.] inſtitutam eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere, & tunc præcipuè inſtituit hoc Sacramentum pęnitentiæ, quando inſuflavit in diſcipulos ſuos dicens, accipite Spititum Sanctum, (n) [n Io. c. 20.] quorum remiſeritis peccata, &c. per quæ verba exprimitur ordo ad claves Eccleſiæ claudentis, & aperientis aditum ad remiſſionem peccatorum, mediante qua remiſſione animæ fidelium vivificatur, *ut ſtet illud Pauli ad Epheſ.*, (o) [o Cap. 2.] cum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto, (cujus gratia eſtis ſalvati.) *Subdit tamen Div. Thom.*, (p) [p 16 3. p. q. 86. a. 6. ad 3.] ac proinde utroque modo cauſat remiſſionem culpæ virtute paſſionis Chriſti.

Super quæſtionem Octuageſimam Septimam.

De remiſſionem peccatorum venialium.

ANte tribunal Chriſti, qui conſtitutus eſt judex vivorum, & mortuorum, ſive poſtea accipiamus *per mortuos* peccatores, nam per peccatum mors, & *per vivos* rectè viventes, *dicitur enim*, juſti autem in perpetuum vivent; ſive *per vivos*, illos, qui tunc vivent, quando venerit judicare ſeculum per ignem, & *per mortuos*, omnes, qui mortui ſunt, unuſquiſque redditurus erit rationem de omnibus, quæ in corpore geſſit, ſive bonum, ſive malum, *ut teſtis eſt Paulus ad Corint.* (a) [a 2 ep. 5.] omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. *Et Eccleſiaſtices inquit*, (b) [b Cap. 12.] cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, ſive bonum, ſive malum ſit. Et meritò dicitur *cuncta*, quoniam ſub *ly cuncta* comprehendi videntur & magna, & parva, immò & levia, uti ſunt verba otioſa, nam & Chriſtus Dominus *Matt.*, (c) [c Cap. 12.] dicit, omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Judicii. Verbum autem otioſum eſt *Secundum Gregorium*, quod utilitate rectitudinis, aut ratione juſtæ neceſſitatis, aut piæ utilitatis caret; ſit exemplum de mendacio jocoſo, vel officioſo hoc utique malum eſt, licet leve, & tamen etiam de iſto reddere debet homo talia mendacia proferens rationem, cum ſit peccatum veniale *ut dicetur de peccatorum materia*, & cum ſit tale, debet & de illo pęnitere, ut per pęnitentiam peccata venialia remittantur; remiſſio namque culpæ fit per conjunctionem hominis ad Deum, à quo aliqualiter ſeparat culpa, imperfectè tamen per peccatum veniale, nam per iſtud retardatur affectus hominis, nè promptè in Deum feratur. *Hinc Cyprianus in Serm. de lapſis*, laudet utique illos, qui per confeſſionem Sacerdotalem, ſalutarem medelam parvis licet vulneribus exquirunt. Ad remiſſionem horum tamen non requiritur nova infuſio gratiæ, non enim contrariatur habituali gratiæ, vel charitati, ſed retardat actum ejus, in quantum nimis inhæret bono creato, licet non contra Deum; adęòque remitti poſſunt, (*ſuppoſita tamen gratia*) per Euchariſtiam, extremam unctionem, & per omnia Sacramenta novæ legis, in quibus confertur gratia per confeſſionem generalem, per tunſionem pectoris, & orationem Dominicam, in qua utique petimus, *dimitte nobis debita noſtra*; per benedictionem Epiſcopalem, per aſperſionem aquæ benedictæ, per quamlibet Sacramentalem unctionem, per orationem in Eccleſia dedicata, & per alia, quæ in Dei reverentiam fiunt, cæterum non remittuntur peccata venialia per hæc omnia in illo, qui aggravatur peccato mortali, cum & orationes illius in ſtatu tali conſtituti meritoriæ eſſe non poſſunt, eò quia caret, dùm eſt in peccato mortali, gratia Dei. Certum eſt enim, quod peccatum mortale excludit totaliter habitum gratiæ, ſine quo nullum peccatum mortale, vel veniale remittitur.

Inſtituit ergo Sacramentum pęnitentiæ Chriſtus Dominus, ut nedùm per ipſum remittantur peccata mortalia, verùm etiam peccata venialia (ex opere operato, hoc eſt ex vi operis jam facti, & peracti à Chriſto, de *quibus Div. Auguſt. dixit*, (d) [d Lib. 1 de Pœnit.] quod eſt quædam pęnitentia, quæ quotidiè agitur in Eccleſia pro peccatis venialibus, *unde habetur*, quod fruſtra eſſet ab Eccleſia fieri talis pęnitentia quotidiana pro peccatis venialibus, ſi ſine pęnitentia remitti poſſent; certum eſt enim, quod peccatum veniale, quantum eſt de ſe, habet ſeparare hominem à Deo, non quod mens ejus avertatur omninò à Deo contra charitatem agens, cum hoc ſit proprium peccati mortalis, ideòque peccatum mortale habet ſolùm formaliter, & perfectè ſeparare hominem à Deo, cum quantum ſit de ſe, dicat averſionem à Deo; peccatum verò veniale tantùm imperfe-

ctè

Digitized by Google

ctè habet ſeparare hominem à Deo, cum per iſtud ſolùm retardetur affectus hominis ne promptè in Deum feratur; adeòque hæc eſt ratio, quare peccatum veniale indiget pęnitentia, ut illud remittatur. *Et D. Th. docet*; quod utrumque peccatum per pęnitentiam remittitur, cum per utrumque deordinetur voluntas hominis per immoderatam converſionem ad bonum creatum.

Verùm ſicut peccatum mortale perfectè habet ſeparare hominem à Deo ob averſionē ab ipſo agendo cōtra legem Dei æternam, & peccatum veniale imperfectè agendo præter legem Dei æternam; ita peccatum mortale exigit perfectiorem pęnitentiam ad hoc, ut ipſum remittatur, debet enim homo actualiter deteſtari peccatum cōmiſſum, quantū in ſe, quod non requiritur ad remiſſionem peccatorum venialium, & ideò etſi pęnitentiam exigat, non tamen exigit illam ita perfectam: *quod magis explicatur à D. Thom.*, (f) pęnitentia de pec- (f Ib. ad 1.) catis mortalibus requiri, ut homo proponat abſtinere ab omnibus, & ſingulis peccatis mortalibus; & ecce quomodo exigit pęnitentiam perfectiorem peccato veniali; eò quia ad pęnitentiam venialium ſat eſt, ut homo proponat abſtinere à ſingulis, non tamen ab omnibus, quia hoc infirmitas hujus vitæ non patitur. Ex clarè videtur, quod requiratur pęnitentia etiam de venialibus, pro quorum remiſſione agere debemus pęnitentiam, ad quam tamen agendam non ſufficit habitualis diſplicentia, quæ habetur per habitum charitatis, vel pęnitentiæ virtutis, quia ſic non compateretur peccatum veniale ipſamet charitas, quod eſt falſum; requiritur ergo virtualis diſplicentia, ut quando aliquis hoc modo fertur in Deum, & res divinas, ut quidquid ſibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, diſpliceret ei, & doleres ſe commiſiſſe, etſi de illo actu non cogitaret; *hoc roborat D. Th.*, (g) fervor (g Ib: ad 1.) charitatis virtualiter implicat diſplicentiam peccatorum venialium; quod tamen non ſufficit ad peccati mortalis remiſſionem, niſi quantum ad peccata oblita (h Seſſ. 14. cap. 5.) poſt diligentem inquiſitione; *juxta Concil. Trid.* (h) reliqua peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eàdem confeſſione incluſa eſſe intelliguntur. Unde videtur, quod etiam poſt examen ac diligentiam accurratè factam, cogitatam, atque recogitatam conſcientiæ à bonitate Dei, ejuſdemque miſericordia remittantur peccata mortalia, quæ propter defectum memoriæ, atque oblivionem non recordantur, pro quibus fideliter *cum Propheta dicere debemus*, ab occultis meis munda me Domine.

At qui conſcius ſui eſt de defectu memoriæ, conſulendus eſt, ut quantum poſsibile ſit, utantur aliqua diligentia pro reminiſcentia ſuorum delictorum; qui verò patitur oblivionem peccatorum, quæ fecit corrigendus eſt, nam oblivio peccatorum, ut in plurimum oritur ex ſola obſervantia præcepti Eccli. de annua confeſſione; acriter verò corrigendi ſunt illi, qui huic præcepto non obediunt, veluti quia voluntariè obliviſcuntur.

Diximus, quod ad pęnitentiam peccatorum venialium requiritur, ut homo proponat abſtinere à ſingulis, non tamen ab omnibus venialibus, *& hoc, quod diximus ex D. Th.*, *confirmatum vidimus à Concil. Trid.* (i) ſi (i Seſſ. 6. can. 23.) quis dixerit, poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Eccleſia: anathema ſit. *Juxta D. Th.* (l) ſimpliciter fatendum eſt, (l 3. p. q. 27. art. 4.) quod B. V. M. nullum actuale peccatum commiſit, nec mortale, nec veniale, ut impleretur in ea, *quòd ſcriptum eſt in Cantic. Canticor.*, (m) tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.

Quare autem hoc? Quia B. V. Maria fuit electa divinitùs, ut eſſet mater Dei; unde mediante hac electione non eſt dubitandum, quod Deus per ſuam gratiam eam ad hoc idoneā reddiderit, juxtā *illud, quod Angelus ad eam dixit*, inveniſti gratiam apud Deum, ecce concipies, & paries filium &c., ut numquam peccaſſet. Additur & alia ratio, quæ eſt, eò quia ſingulari modo Dei filius, qui eſt Dei ſapientia, in ipſa habitavit non ſolùm in anima, ſed etiam in utero; *fundamentum hujus accipitur ex illo Sapientiæ*, (n) in malevolam (n cap. 1.) animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis: & hoc quia non per peccatum veniale homo conſtituatur inimicus Dei, *juxta & Concil. Trid.*, (o) licet in hac mortali vita, quantumvis ſancti, & juſti in levia ſaltem, & quotidiana, quę (o Seſſ. 6. cap. 11.) etiam venialia dicuntur peccata, quandòque cadant, non propterea deſinunt eſſe juſti; nam juſtorum illa vox eſt & humilis, & verax dimitte nobis debita noſtra. Quò fit, ut juſti ipſi eò magis ſe obligatos ad ambulandum in via juſtitię, ſentire debeant: quo liberati jam è peccato, ſervi autem facti Deo, ſobriè, juſtè, & piè viventes, proficere poſſunt per Chriſtum Jeſum, per quem acceſſum habuerunt in gratiam iſtam. Deus namque ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur. Deſeritur itaque Deus ab hominibus per peccatum mortale, numquam per veniale, atque adeò non conſtituitur homo inimicus Dei per iſtud, licet per ipſum retardetur affectus hominis, ne promptè in Deum feratur; *juxta D. Thom.*, (p) pecca- (p 1 p. q. 87. art. 2.) tum veniale non contrariatur habituali gratię, vel charitati, ſed retardat actum ejus, in quantum nimis inhęret homo bono creato, licet non contra Deum. Unde ut peccatum veniale tollatur, non requiritur, ut infundatur aliqua habitualis gratia, ſed ſufficit aliquis motus gratię, vel charitatis ad ejus remiſſionem. *Sic* (q Ib: ad 1.) *& ſubdit D. Th.* (q) remiſſio peccatorum venialium eſt effectus gratię, per actum; quem de novo elicit, non autem per aliquid habituale de novo animę infuſum; quod magis apparet in habentibus uſum liberi arbitrii, in quibus ſolis poſſunt eſſe peccata venialia; in iſtis enim non contingit eſſe infuſionem gratię ſine actuali motu liberi arbitrii in Deum & in peccatum, ideòque quandocūque de novo gratia infunditur peccata venialia remittuntur.

Diximus, quod peccatum veniale ad hoc, ut remittatur, indiget pęnitentia, & quod fervor charitatis virtualiter implicet diſplicentiam peccatorum venialium, & hoc, quod jam diximus, *confirmamus modò cum D. Th.* (r) peccatum veniale numquam remitti- (r Ib. ad 2.) tur ſine aliquali actu pęnitentię virtutis explicito, vel implicito; hoc tamen non obſtat, quod remitti poſſit ſine pœnitentiæ Sacramento, quod in abſolutione Sacerdotis formaliter perficitur. *Hoc & Concilium Trident. ſtatuit*, venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, (ſ Seſſ. 14. cap. 5.) & in quæ frequentius labimur, quamquam rectè, & utiliter citraquè omnem præſumptionem in confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat, teneri tamen citrà culpam multis aliis remediis, (*ut Paulò poſt cum Div. Thom. hæc remedia enumeravimus*,) expiari poſſunt.

Et cum remitti poſſit peccatum veniale, *ſubdit D. To.* ſine pęnitentię Sacramentum, (hoc eſt, ait quod non ſit neceſſe confiteri peccata venialia, *cum hoc eſſet contra intentionem Divi Thomæ, qui ſolùm dicit*, quod poſſint utique remitti peccata venialia ſine pęnitentiæ Sacramento, non verò, quod abſolutè remittantur, (t Seſſ. 14. can. 7.) & contra illud, quod decrevit *Conc. Trid.* (t) ſi quis dixerit, non licere confiteri peccata venialia; anathema ſit.) mirum non eſſe debet, ſi ad remiſſionem peccati venialis non requiratur gratię infuſio, juxta *Div. Thomam* licet gratię infuſio ſit in quolibet Sacramento, non tamen eſt in quolibet actu virtutis.

Requiritur tamen gratię infuſio ad remiſſionem peccati mortalis, nam per iſtud amittitur gratia juſtificationis, *juxta determinationem ejuſdem Concilii*, (u Seſſ. 6. c. 15.) (u) quocumque alio peccato mortali, quamvis non mittatur fides, accepta juſtificationis gratia amittitur Divinę legis defendendo, quę à regno Dei non ſolùm infideles excludit, ſed *fideles, fornicarios, adulteros, molles, maſculorum concubitores, fures, avaros, ebrioſos, maledicos, rapaces, cæteroſque, omnes*, (x) qui lethalia committunt peccata. Et *Div. Tho.* ait ad tollendam maculam peccati mortalis requiri- (x Ib. ad 3.) tur infuſio gratię; cęterum ad tollendam peccati venia-

Digitized by Google

venialis maculam requiritur aliquis actus procedens ex gratia, per quam removeatur inordinata adhæſio ad rem temporalem. *Et magis roboratur hoc dictum à* 3.p.q.87. a.4.ad 2. *D. Thom.*, licet ad remiſſionem peccati venialis non requiratur nova infuſio habitualis gratiæ; requiritur tamen aliquis actus gratiæ, qui in eo non poteſt eſſe, qui ſubjacet peccato mortali.

Et ex eo, quod non requiratur nova gratiæ infuſio ad remiſſionem venialium, ſed ex eo, quod ſufficiat aliquis actus procedens ex gratia, qua aliquis deteſtetur ipſa vel explicitè, vel implicitè; *deducimus cum* 3.p.q.87. a.3. *Div. Thom.*, quod triplici ratione aliqua cauſant remiſſionem eorumdem.

Primò, in quantum in eis infunditur gratia, quia per infuſionem gratiæ tolluntur peccata venialia; Quo pacto per Euchariſtiam, & extremam unctionem, & univerſaliter per omnia Sacramenta novæ legis, in quibus confertur gratia, iſta remittuntur. *Per Euchariſtiam utique*, quia hanc dignè ſumendo acquiritur calor charitatis, qui deperditur ex calore concupiſcentiæ per peccata venialia, (*& hoc quotidie*) quæ diminuunt fervorem charitatis; Unde *cum Ambroſio agendo de Euchariſtiæ Sacramento diximus*, quod iſte panis quotidianus ſumitur in remedium quotidianæ infirmitatis; infirmitas, quæ etſi non ſit ad mortem, attamen cauſat diminutionem ſervoris dilectionis erga Deum, à qua infirmitate nemo Sanctorum perfectè ſanatus fuit, ideòque fatendum eſt, quod aliis Sanctis, nulli conceſſum eſt, quin ad minus p.cap.1. peccatum veniale incurreret; *ut eſt teſtis Joan.* ſi dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. *Et Div. Thom.* 3.p.q.79. a.4. ad 1. *loquendo de Sacramento hoc, ut dix., ita ait*, peccata venialia etſi non contrarientur charitati quoad habitum, contrariantur tamen ei quoad fervorem actus, qui excitatur per Sacramentum Euchariſtiæ, ratione cujus peccata venialia tolluntur. *Per extremam unctionem*; nam extrema unctio ordinatur ad tollendas re- Cap.5. liquias peccatorum, *unde & legitur Jacobi*, etſi in peccatis ſit, remittentur ei &c., & loquitur de venialibus; hoc idem de aliis Sacramentis conferentibus gratiam, quæ ſunt omnia, dummodò dignè ſuſcipiantur.

Secundò in quantum ſunt cum aliquo motu deteſtationis peccatorum, & hoc modò confeſſio generalis, tunſio pectoris, & oratio dominica operantur ad remiſſionem venialium, cum in ipſa oratione dominica petimus, *dimitte nobis debita noſtra, ſic & Aug. lib. de pænit. dicit*, pro levibus peccatis pectora noſtra tundimus, & diximus, *dimitte nobis debita noſtra*; & hoc in ſignum, quod omnes ſe peccatores, vel debitores cognoſcere debent, immò & fateri.

Tertiò in quantum ſunt cum aliquo motu reverentię in Deum, & ad res divinas, & ſic benedictio Epiſcopalis, aſperſio aquæ benedictæ, de qua *ut dix. de Sa-* 3.p.q.65. a.1.ad 6. *cram. in genere*, ordinatur contra inſidias dæmonum, & contra venialia, oratio in Eccleſia dedicata, (etenim templum Dei eſt, in quo reverenter orare debemus, *cum ipſe dicat*: Domus mea Domus orationis eſt; per quæ verba denotatur, quod ibi devotio manifeſta eſſe debet, & ne orationes in vaniloquia convertantur,) & quælibet Sacramentalis unctio, etſi aliqua alia ſunt hujuſmodi, operantur ad remiſſionem ve- e 3.p.q.87. a.3. ad 1. nialium, *ut ſubdit Divus Thomas (e)* omnia iſta cauſant remiſſionem eorumdem, in quantum inclinant animam ad motum pęnitentiæ, qui eſt deteſtatio pecca- f ibid ad 2 torum, vel implicitè, vel explicitè; *& rurſus*, (*f*) omnia iſta, quantum eſt de ſe, operantur ad remiſſionem horum: Poteſt tamen impediri, *ſubdit Div. Th.* remiſſio quoad aliqua peccata venialia, quibus mens actualiter inhæret, eò veluti modo, quo per fictionem interdùm impeditur baptiſmi effectus.

At licet per prædicta tollantur peccata venialia quantum ad culpam, tùm virtute alicujus ſatisfactionis, tùm virtute charitatis, cujus motus per prædicta excitatur, non tamen ſemper tollitur totus reatus pęnæ, *juxta illud, quod à Concil. Trident. definitum fuit, & à nobis dictū in præcedenti quæſt. a. 4.* Ultrà ergo hanc doctrinam *D. Th.* contra Lutherum, *adeſt & Conc. Trid. &c. & à Div. Thom. hic adducitur hæc ratio*, quia ſic, ibid ad 1. qui eſſet omninò immunis à peccato mortali, aſperſus aqua benedicta ſtatim evolaret: ſed reatus pœnæ remittitur per prædicta ſecundum modum ſervoris in Deum, qui per prædicta excitatur, quandòque magis, quandòque minus.

Deinde ſciendum eſt quoad remiſſionem peccati venialis, quod iſtud nequit remitti abſq; mortali, (ut v.g. dum homo exiſtit in peccato mortali, etiamſi agat multa opera bona, & utatur rectè aliquibus Sacramentalibus valentibus ad remiſſionem peccatorum venialium, nihilominus tamen non remittuntur illi venialia, cum, ut pat. non ſit in ſtatu merendi) *ut colligitur ex illo Matt.* (*h*) non exies inde, V. *ex* h cap.5. *carcere*, in quem intruditur homo pro peccato mortali, donec reddas noviſſimum quadrantem, per quem ſignificatur veniale peccatum; *tùm ex illo Lucæ* (*i*) di- i cap.12. co tibi, non exies inde, donec etiam noviſſimum minutum reddas, per minutum namque ſignificantur venialia, quæ minuta dicuntur: & quod iſta ſit vera explicatio, *jam habetur ex Div. Thoma*, (*l*) remiſſio cul- l 3.p.q.87. a.4. pæ cujuſcumque numquam fit, niſi per virtutem gratiæ, quia, *ut ait Paulus ad Rom*, (*m*) ad Dei gratiam m cap.4. pertinet, quod Deus alicui non imputet peccatum, quod *dictum à Gloſ. exponitur de veniali*; eò quia manifeſtum eſt, quod ille, qui eſt in peccato mortali, caret gratia Dei, cum autem iſte talis ſit privatus gratia Dei ob peccatum mortale, in quo permanet, jam ſequitur, quod nec ullum peccatum veniale videtur illi remitti, eſt enim peccatum mortale tantæ vis, ut habeat excludere totaliter habitum gratiæ, ſine quo certiſſimum reſtat eſſe, ut nullum peccatum mortale, vel veniale remittatur.

Hoc autem, quod dicitur de mortali, nequit dici de veniali *juxta Div. Thom.*, peccatum veniale non n ibid. excludit omnem actum gratiæ, per quem poſſunt omnia peccata venialia dimitti; immò & unum peccatum veniale dimitti poteſt ſine alio, non verò peccatum veniale poteſt dimitti ſine mortali, ut patet per aquam benedictam, in cujus benedictione dicitur ab Eccleſia, ut qui ea aſperſus fuerit, liberetur à noxiis; à peccatis venialibus, quæ & noxia ſunt, eò quia per illa convertatur homo ad bonum creatum non omninò, ita ut finis in illo abſolutè conſtituatur, ſed quemadmodum, ita ut non reſpuat illud ob deficientiam, non tamen carentiam charitatis; ſic *& David dixit*, (*o*) o Pſ.118 defecit in ſalutare tuum anima mea, nã etſi Deũ diligebat, quoniã protulit, ſervavi mandata tua, & teſtimonia tua, & dilexi ea vehementer: nihilominus tamen ad quædam levia, nec proficua quandoq; convertabatur, de quibus pęnitentiam egit, & veniam à Deo poſtulavit *dicens*, (*p*) amplius lava me ab iniquitate mea, p Pſal 50. & à peccato meo munda me, *etenim ex Joan. habemus*, q p.cap.3. (*q*) quod omnis, qui facit peccatum, & iniquitatem facit; & peccatum eſt iniquitas: certum eſt enim, quod & peccatum veniale iniquitas quædam eſt, igitur ſubdit, aſperges me hyſſopo, & mundabor, lavabis me &c.

SUPER QUÆSTIONEM Octuageſimam octavam.

De reditu peccatorum per pænitentiam dimiſſorum.

HUmana flexibilitas, & ejus inſtabilitas in hoc apparet, ut dum in hoc Mundo moratur, modò ad bonum increatum, modò ad bonum creatum ſe vertit; conſiderat utrumque, & licet fateatur illud eſſe bonum ſempiternum, hoc autem eſſe bonum temporaneum, attamen in hac conſideratione poſita elegit potius ſe convertere ad marceſcibile bonum, quàm ad illud, quod numquam marceſcit, *ferè ſimilis*

ſtlis,

Digitized by Google

illis, qui impiè dixerunt, coronemus nos roſis, antequam marceſcant, non rectè cogitantes, quod pro roſa aliud non deſignatur, niſi bonum tranſitorium, etenim roſa habet manè odoris ſuavitatem, *ut teſta-* a Pſal. 89. *tur David*, (a) mane floret, habet decoris ſpecioſitatem, ſed tranſit, & citò, habet viroris brevitatem, quia veſpere decidit, indurat, & areſcit; hoc totum accidit, quia conſideratur *mane*, & nulla fit reflexio *ad veſpere*; conſideratur namque *manè*, nempe ſtatus juventutis, quoniam inquiebat Chryſoſt., manè noſtrum pueritia eſt; at non conſideratur *veſperè*, nempe finis ætatis, vel finis hujus ſæculi; niſi etiam dicamus, quod *pro manè* intelliguntur vanitates hujus Mundi, de quibus rectè cogitando ipſe *Eccl.* (*b*) di- b cap. 1. xit, vanitas vanitatum, & omnia vanitas; *pro veſperè* verò intelligi poteſt æternitas, quæ nulla menſura temporis menſuratur. His tamen ſtantibus ſi in ſtatu inſtabilitatis interrogarentur omnes, fideles tamen, an diligant Deum; profectò, & abſque ulla mora dicent, diligo: ò verbum charitate plenum exprimens intima cordis, obedientiam legis, obſervantiam mandatorum.

Sed ſi verè diligant, *attendamus ad id, quod veritas dicit*; ſi quis diligit me, ſermonem meum ſervabit; c Hom. 10. in Evang. Hinc *Gregorius*, (*c*) probatio dilectionis exhibitio eſt operis. Probetur ergo cor noſtrum, & videbimus, ubi repoſitum eſt, ſi in Theſauro cęleſti, vel ſi in vaſis fictilibus, etſi in iſtis, quomodo verè aſſerere poterimus, *diligo*; unde benè *Joan. ait*, qui dicit, diligo Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax aſt. Et verè mendaces, quia pęnitemus de peccatis commiſſis, quæ poſtea iterùm committimus, dolemus de offenſis Deo factis, ſed poſtea lætamur in vitiis, proponimus emendam, at promiſſum non attendimus, totum refundendo in mutabilitate noſtra.

Pœnitemus de peccatis, & miſericorditer dimittuntur per pęnitentiam, ſed denuò peccamus: fidentes, quod peccata dimiſſa non redeant per ſequens peccatum; ſed ignorantes, quod virtualiter ſequens peccatum continet reatum prioris peccati, in quantum aliquis homo ſecundò peccans, ex hoc ipſo videtur gravius peccare, quàm prius peccaverat, contemnitur magis Dei bonitas, ſi poſt remiſſionem prioris peccati ſecundò peccatum iteretur: ex quo clarè patet, quod per peccatum ſequens pęnitentiam redit quodammodo reatus peccatorum prius dimiſſorum, non in quantum cauſabatur ex illis peccatis prius dimiſſis, ſed in quantum cauſabatur ex peccato ultimo perpetrato, quod aggravatur ex peccatis prioribus.

Dolemus de offenſis Deo factis, ſed ingrati denuò illum offendimus, adeòque quid mirum, ſi per peccatum mortale ſequens redeunt peccata prius dimiſſa ratione ingratitudinis; quod eſt agere contra beneficium; attamen aggravatur ingratitudo, dùm & agitur contra ipſum beneficium, & contra formam beneficii præſtiti, quæ ſi attendatur ex parte benefactoris eſt remiſſio debitorum, & contra hanc formam facit, qui fratri petenti veniam non remittit, ſed odiſi habet. Si attendatur ex parte pęnitentis, qui recipit hoc beneficium, ex parte ipſius invenitur duplex motus liberi arbitrii; *primus in Deum*, qui eſt actus fidei formatæ, & contra hoc homo facit apoſtatando à fide. *Secundus in peccatum*, qui eſt actus pœnitentiæ, & contra hoc facit ille, qui dolet ſe pœnituiſſe. *Secundò* pertinet ad actum pęnitentiæ, ut pęnitens proponat ſe ſubiicere clavibus Eccleſiæ per confeſſionem, & contra hoc facit ille, qui contemnit confiteri ſecundum quod propoſuerat; quorum peccatorum ingratitudo facit redire peccata prius dimiſſa.

Proponimus emendam, at promiſſum non attendimus; facilè promittitur, difficile illud attenditur, unde incidimus in reatum, qui fuit priùs; & ſi neceſſe non ſit, ut ob ingratitudinem ſemper per peccatum ſequens redeat tantus reatus, quantus fuit præcedentium peccatorum, neceſſe tamen eſt, ut proportionaliter quantò peccata priùs dimiſſa fuerunt plura, & majora, tantò redeat major reatus per qualecumque ſequens mortale peccatum; per iſtud certè fit Deo ingratus ille, qui peccat mortaliter; nec adducere pro cauſa noſtram mutabilitatem ad nihilum valet; nam iſta aliquando in malitiam verti poteſt, ut contingit in illo, qui in contemptum Dei, & ſuſcepti beneficii peccatum committit, aggravatur enim peccatum, unde & trahitur ad ſpeciem ingratitudinis, & facit, quod ingratitudo peccantis ſit ſpeciale peccatum: at ſi non ſit tanta malitia, ſed impetus vel iraſcibilis, vel concupiſcibilis, tunc peccans non agit contra contemptum Dei, & conſequenter trahetur intendens peccatum aliquod committere ad ſpeciem alterius peccati, ut circumſtantia quædam.

Remittuntur itaque peccata, quælibet illa ſint, per pœnitentiam, ſive poſtea hoc fiat per contritionem, ſive per confeſſionem factam miniſtro habenti poteſtatem clavium Eccleſiæ, per quas & remittuntur, & retinentur peccata; remittuntur utique iis, qui corde contrito, & humiliato accedunt anta hoc tribunal, ante quod fatentur, ſe vero propoſito emendandi de cętero habere; retinentur verò peccata iis, qui nec puro corde accedunt, ſed fictè, ſufficit enim iſtis, *more hypocritatum*, ut videantur ab hominibus, & ſi promittunt, non attendunt, emendam, quoniam negligunt & reſtitutionem ſive famæ, ſive rerum temporalium proximo ſuo ablatæ, vel ablatatum, nec relinquunt peccatum, ſed in illud perſeverant procraſtinando, non deſerendo occaſionem proximam per cohabitationem, ac proinde ita peccatum diligunt, ut numquam ſine peccato vivere poſſint; *Hinc de iſtis ſtat illud Apocal.* (*d*) qui in ſordibus eſt, ſordeſcat ad- d cap. 22. huc: è contra verò de illis, qui veram pœnitentiam exercent abominando peccata, iſta deteſtando, & omnes vias malas relinquendo, poteſt dici, quod dictum fuit à Chriſto Domino, vade, noli amplius peccare, & ob charitatem, quam habent, id, quod ſequitur, dimittuntur tibi peccata tua.

Si autem quæratur, an illa peccata, quæ dimiſſa fuerunt per pœnitentiam, redeant per peccatum ſequens? *Nos unà cum Div. Thom.* dicemus, per peccatum ſequens non redire. Manifeſtatur *ex eodem* (*e*) e 1. p. q. 88. a. 1. conſiderante non peccatum ex parte averſionis, quo pacto conſideratum eſt commune omnibus peccatis mortalibus, eò quia per quodlibet mortale homo avertitur à Deo. *Hinc ait*, conſiderando in peccatis mortalibus id, quod eſt ex parte averſionis abſolutè, per peccatum mortale ſequens redit illud, quod fuerat in prioribus peccatis ante dimiſſionem, in quantum per peccatum mortale ſequens homo privatur gratia, & fit reus æternæ pœnæ, ſicut & prius erat; propterea, *ſic & intelligendum eſt illud Div. Auguſtini dictum*; redire peccata dimiſſa, ubi fraterna charitas non eſt; de reditu peccatorum quantum ad reatum vitæ æternæ in ſe conſideratum, quia ſcilicet poſt pęnitentiam peccans incurrit reatum pœnæ æternæ, ſicut & prius; benè verò manifeſtatur ex D. Thoma conſiderante peccatum ex parte converſionis, ex qua parte aſſerit, quod peccatum mortale ſequens non facit redire peccata mortalia priùs abolita, aliàs ſequeretur, quod homo per peccatum prodigalitatis. v. g. reduceretur in habitum, vel diſpoſitionem avaritiæ prius abolitæ, & ſic contrarium eſſet cauſa ſui contrarii, quod eſt impoſſibile; unde videtur, quod peccatum mortale ſequens non faciat redire alia jam abolita, quoniam opus Dei per opus hominis irritari non poteſt: cum ergo remiſſio peccatorum prius dimiſſorum fuerit opus divinæ miſericordiæ, rectè ſequitur, quod non poſſit irritari per ſequens peccatum hominis, ideò ajebat *Paulus*, (*f*) numquid incredulitas eo- f ad Rom. cap. 3. rum fidem Dei evacuabit?

Verùm quia contingit, quod ſequens actus peccati virtualiter contineat reatum prioris peccati, in quantum ſcilicet aliquis homo ſecundò peccans, ex hoc ipſo videtur gravius peccare, quàm prius peccaverat, *juxta illud*, *quod Paulus ſcripſit*, ſecundum duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram g Ibi cap. 2. in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei, ex hoc

 ſolo,

ſolo, quod contemnitur Dei bonitas, quæ ad pœnitentiam te expectat.

Et quia multò magis contemnitur Dei bonitas, ſi poſt remiſſionem prioris peccati ſecundò peccatum iteretur, quantò magis eſt beneficium peccatum remittere, quàm peccatorem ſuſtinere; ideo ſequitur, quod per peccatum ſequens pœnitentiam redit, quodammodo reatus peccatorum prius dimiſſorum, quod eſt peccata dimiſſa non redire ſimpliciter, ſed redire ſecundum quid, in quantum ſcilicet virtualiter in peccato ſequenti continentur, Unde Div. Thomas ait, redit, non in quantum cauſabatur ex illis peccatis prius dimiſſis, ſed in quantum cauſabatur ex peccato ultimo perpetrato, quod aggravatur ex peccatis prioribus;
b cap. 11. Sic *eſt intelligendum illud Bedæ ſuper illud Lucæ*; (b) revertar in domum meam, unde exivi. Timendus eſt, inquit, iſte verſiculus, non exponendus, ne culpa, quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat; non enim vult, nec intendit, quod culpa priùs dimiſſa hominem opprimat perreditum reatus præteriti, ſed per iterationem actus.

Per pœnitentiam illa peccata, quæ fuerunt remiſſa, pariter dicuntur redire, in quantum reatus eorum ratione ingratitudinis virtualiter continentur in peccato ſequenti, de hoc habemus exemplum de ſervo illo, qui etſi abſolutus fuerit à Domino ſuo de debito contracto decem millium talentorum, *ut legitur Matt.* (i) miſer-
i cap. 18. tus autem Dominus ſervi illius, qui debebat ei decem millia talenta, dimiſit eum, & debitum dimiſit illi; attamen non videatur mirum, ſi pro dimiſſis talentis miſſus poſtea fuerit in carcerem, donec redderet univerſum debitum; ſiquidem ingratus fuit benefactori ſuo de recepto beneficio, nec voluit imitari ſuum benefactorem in miſerendo alteri conſervo ſuo; quinimo eum pro centum denariis ſibi debitis ſuffocare tentavit, unde ſubditur, ille autem noluit, ſed abiit, & miſit eum in carcerem, donec redderet debitum; ignoravit
l cap. 17. namque illud *quod Sapiens, in Proverb.* (l) *reliquit ſcriptum*; qui redit mala pro bonis, non recedet malum de
m Lib. 18. domo ejus. Unde bene *Gregorius in Mor. ait*, (m) ex dictis Euangelicis conſtat, quod ſi quis in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, & illud rurſus exigitur, quod nobis jam per pœnitentiam dimiſſum fuiſſe gaudebamus.

Et ſic per odium fraternum ſpecialiter peccata dimiſſa redeunt ſecundum ingratitudinem. Quæ ingra-
n 1 p. q. 88 a. 2. titudo poteſt committi dupliciter, docet *D. Th. primò* ex eo, quod aliquid fit contra beneficium, & hoc modo per omne peccatum mortale, quo Deum offendit, redditur homo ingratus Deo, qui remiſit peccata; ſic Deus remittendo peccata populo ſuo, juſtè lamentabatur
o cap. 1. cum *Iſaja dicens*; Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus eſt, filios enutrivi, & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me; nil cogitantes de
p cap. 2. beneficiis illi præſtitis; Pariter *cum Jeremia*, (p) ubi dixit; Quid invenerunt patres veſtri in me iniquitatis, quia elongaverunt à me, & ambulaverunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt? & non dixerunt, qui aſcendere nos fecit de terra Ægypti; qui traduxit nos per deſertum per terram inhabitabilem, & inviam, per terram ſitis, & imaginem mortis, per terram, in qua non ambulavit vir, neque habitavit homo: In his omnibus apparet benignitas Dei ſuper populum ſuum, & in quibus aperta videtur ingratitudo populi contra Dominum, peccavit populus, & Dominus dimiſit illi peccatum, ſed quia iterum, atque iterùm peccavit, & graviùs, hinc eſt, quod peccatum prius dimiſſum ratione ingratitudinis redit per peccata ſequentia, *juxta Div. Thom. concludentem*, & ſic per quodlibet peccatum mortale ſequens redeunt peccata prius dimiſſa ratione ingratitudinis;

Secundò committitur ingratitudo non ſolùm faciendo contra ipſum beneficium, ſed etiam faciendo contra formam beneficii præteriti. Quæ quidem forma ſi attendatur ex parte benefactoris, eſt remiſſio debitorum, contra quam formam facit, qui fratri petenti veniam non remittit, ſed odium retinet; & contra præceptum Chriſti Domini dicentis, *Matt.* (q) ego autem q cap. 5.
dico vobis, diligite inimicos veſtros, (ut reſplendat in nobis perfectio charitatis, *etenim Auguſt. aſſerit in Enchir.* r cap. 73. & 74.
diligere inimicum eſt perfectorum, edocemur namque à Chriſto, qui pro crucifixoribus rogavit:) benefacite his, qui oderunt vos; & contra miſericordiam Altiſſimi, qui non deſpicit clamantes ad ſe: quapropter Chriſtus Dominus dixit *in Joan.* (ſ) quodcumque petieritis ſ cap. 14.
patrem in nomine meo, hoc faciam. Mementote, quod Deus pacis eſt, non odii, igitur attendite ad illud *Pauli, Rom.* (t) cum omnibus hominibus pacem t cap. 12.
habentes. Si verò attendatur ex parte penitentis, qui recipit hoc beneficium, invenitur in eo duplex motus liberi arbitrii: primus in Deum, qui eſt actus fidei formatæ, & contra hoc facit homo apoſtatando à fide, quæ apoſtaſia verè, & ſimpliciter dicitur talis, utpotè quia per hanc homo omninò à Deo retrocedere videtur, *propter quod & D. Th. ait*, (u) apoſtaſia à fide to- u 2. 2. q. 12 art. 2.
taliter ſeparat hominem à Deo; ſecundus in peccatum, qui eſt actus penitentiæ, ad quem primò pertinet, quod homo deteſtatur peccata præterita, & contra hoc facit ille, qui dolet ſe penituiſſe; ut de Eſau dictum eſt; non enim verè ſe penituit, unde & doluit ſe penituiſſe, quamobrem ipſe dixit, venient dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum.

Secundò pertinet ad actum pœnitentiæ, ut pœnitens proponat ſe ſubiicere clavibus Eccleſiæ (*quæ ut jam diximus ex Concil. Trident. Seſ. 14. cap. 6.* non ſe extendunt ad alios quoſvis homines præter Epiſcopos, & Sacerdotes:) per confeſſionem, *juxta illud* (x) dixi, confi- x Pſal. 31.
tebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei: & contra hoc facit ille, qui contemnit confiteri, ſecundum quod propoſuerat: contemnit itaque confiteri ille, qui diligit peccatum magis, quàm Deum, & confiteri contemnendo impius evadit, de quo conſtat illud *Proverb.*, impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit: ex quibus omnibus *concludit D. Th.* quod ſpecialiter ingratitudo horum peccatorum facit redire peccata priùs dimiſſa: ſive ſint mortalia, ſive venialia, immò & peccatum ipſum originale, *ut habetur ex D. Th.*, (y) etiam y ib. ad 2.
peccata venialia, & ipſum originale redeunt modo prædicto, ſicut & peccata mortalia, in quantum contemnitur Dei beneficium, quo hæc peccata ſunt remiſſa. Præciſo tamen contemptu Dei nequit dici, quod per peccatum veniale aliquis incurrat ingratitudinis vitium, etenim homo peccando venialiter non contemnit legem, & ita non agit contra Deum, ſed præter ipſum, diligit namque Deum, ita ut non poſſit aſſeri de illo, quod charitas in ipſo non ſit, ſed non fervida, ſicut ille, qui nec peccatum veniale committit: adeòque patet, quod nullo modo peccata dimiſſa redire poſſint per peccatum veniale;

Verùm non facit redire tantum reatum ipſa ingratitudo peccati ſequentis, quantus fuerat peccatorum priùs dimiſſorum; nam poteſt contingere, quod gravitas peccati ſubſequentis adæquatur gravitati omnium peccatorum præcedentium; at hoc ſemper non eſt neceſſe, ſive loquamur de gravitate ejus, quam habet ex ſua ſpecie, (cum quandoque peccatum ſequens ſit fornicatio ſimplex, peccata verò præterita fuerint adulteria, homicidia, vel ſacrilegia,) ſive loquamur de gravitate, quam habent ex ingratitudine annexa: non enim oportet, quod quantitas ingratitudinis ſit abſolutè æqualis quantitati beneficii ſuſcepti, cujus quantitas attenditur ſecundum quantitatem peccatorum priùs dimiſſorum.

Hoc *manifeſtum etiam reddi poteſt ex illo Lucæ* (z) z cap. 17.
de decem leproſis, ex quibus novem, fuerunt Chriſto benefactori tàm ingrati, ut nec ad referendum ei de tanto beneficio gratias redirent: unde *legitur dixiſſe Dominum*: nonne decem mundati ſunt? per quæ verba exprimitur beneficium: & novem

ubi

Digitized by Google

ubi ſunt? per hæc autem ingratitudo denotatur: & nihilominus eos propter hoc iterum in lepram incidiſſe, non legimus. Cæterum proportionaliter quantitas ingratitudinis adæquatur quantitati beneficii; ſuppoſito namque æquali contemptu beneficii, vel offenſa benefactoris, tantò erit gravior ingratitudo, quantò beneficium fuit majus; gravior etenim fuit illa Judæ ingratitudo, nàm poſt ſuſceptum illud beneficium à Chriſto Domino, qui illum ſublimavit ad honorem Apoſtolici gradus, ipſum tradidit, ut crucifigeretur à Judæis: *ac proinde ſubdit Div. Thomas*, peccatum ingratitudinis non reſpicit quantitatem abſolutam ſecundum quantitatem beneficii, ſed ſecundum quantitatem contemptus, vel offenſæ, *ob hoc dicitur Matt. de illo*, qui debebat decem millia talenta; Miſertus Dominus dimiſit illum, & debitum dimiſit illi; attamen iratus Dominus, ob ingratitudinem conſervi ſui, qui multò minus ei debebat, tradidit eum tortoribus, quouſque redderet univerſum
a 3. p q 88 a. 3. ad 3. debitum; *& à Div. Thoma replicatur*, huic ſervo nequam replicantur peccata dimiſſa propter ſubſequentem ingratitudinem, & verè nequam, quoniam ſubditur, egreſſus autem ſervus ille, invenit unum de conſervis ſuis, qui debebat ei centum denarios, & tenens ſuffocabat eum, dicens, redde, quod debes; egreſſus itaque, ut denotetur major ejus ingratitudo, non enim poſt multum tempus, *ut notat Chryſoſtomus*, ſed confeſtim, adhuc quaſi in auribus habens beneficium, in malitiam abuſus eſt, liberatione à proprio Domino ſibi data; ideòque meritò traditus fuit tortoribus, ſcil. loco pœnarum, & tormentorum, ut redderet univerſum debitum, in quantum quantitas peccatorum præcedentium proportionaliter invenitur in ingratitudine ſubſequenti, non verò abſolutè; ex quo poſtea infertur, non eſſe neceſſe, quod propter ingratitudinem ſemper per peccatum ſequens redeat tantus reatus, quantus fuit præcedentium peccatorum, ſed neceſſe eſt, ut proportionaliter quantò peccata prius dimiſſa fuerunt plura, & majora, tantò redeat major reatus per qualecumque peccatum mortale ſequens.

Ex quibus etiam ſequitur, quod ingratitudo non eſt ſemper ſpeciale peccatum, ſed ſolùm aliquando; tunc enim poteſt eſſe ſpeciale peccatum, quando quis v.g. in contemptum Dei, & ſuſcepti beneficii aliquod peccatum committit, *ut docet D. Th.*, (*b*) tale peccatum trahitur ad ſpeciem ingratitudinis, & ſic ingratitudo peccantis eſt ſpeciale peccatum; ideòque *de Davide dicitur, in lib. Regum*, hæc dixit Dominus Deus Iſrael, ego unxi te in Regem ſuper Iſrael, & ego erui te de manu Saul. Et dedi tibi domum Domini tui, & uxores Domini tui in ſinu tuo, dedique tibi domum Iſrael, & Juda: & ſi parva ſunt iſta, adiiciam tibi majora. Quare ergo contempſiſti verbum Domini, ut faceres malum in conſpectu meo? Uriam Hæthеum percuſſiſti gladio, & uxorem illius accepiſti in uxorem tibi, & interfeciſti eum gladio filiorum Ammon; quibus verbis monſtratur, quod peccata Davidis ratione ingratitudinis aggravabantur proportionaliter ad ipſa ſuſcepta beneficia.

b 3. p q 88 a. 4.

c lib. 2. Cap. 12.

At non ſemper eſt ſpeciale peccatum, ut v.g. ſi quis intendens aliquod peccatum committere, puta homicidium, adulterium, non retrahatur ad hoc, propter hoc, quod pertinet ad Dei contemptum, tunc ingratitudo peccantis non erit ſpeciale peccatum; ſed trahetur ad ſpeciem alterius peccati, ſicut circumſtantia quædam; *Unde benè D. Th.*, eſt circumſtantia generaliter conſequens omne peccatum mortale, quod contra Deum committitur; peccatum enim ſpeciem recipit ex intentione peccantis, hinc *Phil.* (*d*) *& ipſe agnovit hanc veritatem, licet gentilis, dixit* enim, quod ille, qui mechatur, ut furetur, magis eſt fur, quàm mechus. Et denique concludimus *cum D. Auguſt.* (*e*) quod non omne peccatum eſt ex contemptu, & tamen in omni peccato Deus contemnitur in ſuis præceptis; conſtat enim, quod qui contra legem aliquid operatur, legislatorem contemnit.

d lib. 5. Ethic. c. 2.

e cap. 29. lib. de natura, & gratia.

Super quæſtionem Octuageſimam nonam.

De virtutum recuperatione per pœnitentiam.

HOmines, dùm gratiam amittunt per peccata, amittunt veluti fidem, cum reddatur in illis informis; patet enim, quod nihil obnubilat, immò obtenebrat mentem, nec cor fidei præbeat, quàm horror peccati, etenim peccatum eſt ſpiritualis quædam tenebra luminis gratiæ ſanctificantis objecta, luminique fidei infenſa: amittunt ſpem, cum nulla ſit ſpes ſalvationis in iis, qui peccant, certum eſt enim, quod non poteſt haberi ſpes, niſi credatur beatitudo poſſibilis: *Hinc Paulus ajebat:* (*a*) nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, V. *de reſurrectione mortuorum*, ut non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent, *illi, qui non ſperabant reſurrectionem mortuorum*, & tunc illi, qui dicunt cum impiis, umbræ enim tranſitus eſt tempus noſtrum, & non eſt reverſio finis noſtri. Amittunt charitatem, quoniam verè non diligunt Deum, *imò ſecundum Joannem*, (*c*) qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus charitas eſt. His ergo omnibus amiſſis profectò dici poteſt, de iis, perdidimus omnia; & meritò; quoniam amiſſa charitate amittuntur omnia dona Spiritus Sancti; attamen non deſperari debent peccatores de amiſſione omnium harum virtutum, *dico omnium*, hoc eſt, ne excludamus aliquam, ſiquidem & recuperare illas poſſunt per penitentiam, *Sic os Domini locutum eſt in Ezechiel:* convertimini à viis veſtris peſſimis, & ſcitote, quod impietas impii non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua. *Et Paulus ad Epheſ. inquit*, (*e*) eratis aliquando tenebræ, per peccata, & juſtè, quoniam, *in alio loco ait*, ſervi fuiſtis peccatis: nunc autem lux in Domino, per gratiam, quam conſecuti eſtis per penitentiam, per quam remittuntur peccata, quorum remiſſio non poteſt eſſe, niſi per gratiæ infuſionem: ex gratia verò conſequuntur omnes virtutes gratuitæ: quæ deperditæ erant: unde recuperantur iſtæ; & taliter recuperari poſſunt, quod etiam poſſunt illas acquirere cum majori intétione: etenim contingit intentionem motus penitentis (per libertatem ſuam) quandòque proportionatam eſſe majori gratiæ, quàm illa, à qua ceciderat, per peccatum, quandoq; æquali, quandòque minori, ſecundum quod motus liberi arbitrii in penitentia eſt intenſior, vel remiſſior.

a ad Theſ. cap. 4.

b Sap. c. 2.

c 1. ep. cap. 4.

d cap. 33.

e cap. 5.

Hinc & gaudere debent peccatores pœnitentiam agentes, quod etſi amiſerint per peccatum eſſe filios Dei, quod debet conſiderari, ut maxima dignitas, iſta recuperatur per penitentiam: etſi amiſerit innocentiam, quam licet recuperare non poſſint, ut conſtat de protoplaſto noſtro, recuperare tamen poſſunt quandòque aliquid majus: *ut patet de Maria penitente*, quæ etſi non recuperavit innocentiam, recuperavit tamen ſanctitatem, quæ eſt aliquid majus.

Et quamvis gaudere poſſint de pœnitentia, per quam redduntur habiles ad regnum Dei, etenim tunc filii Dei vocantur, quod ſi filii, profectò & hæredes regni Cælorum; nihilominus triſtari debent de novo caſu, & rationabiliter, ſiquidem opera, quæ facta fuerunt, dum viverent, hoc eſt, dùm erant in gratia, mortificantur per peccatum mortale ſequens, nam iſtud tollit gratiam; igitur ne ſemper mortificata remaneant, agatur de novo penitentia, ut reviviſcant; ut perducere poſſint eum, qui fecit ea, in vitam æternam: Quod tamen dici nequit de operibus mortuis, etenim iſta per penitentiam non vivificantur, ſed magis abolentur, & hoc effectivè, in quantum ſcil. eſt cauſa mortis; propter quod opera peccati dicuntur opera mortua; ſicut & illa opera dicuntur mortua privativè, quia carent vita ſpirituali, quæ eſt ex charitate, propterea dicitur, qui non diligit manet in morte; & de facta dicitur, quod

etiam fides ſine operibus mortua eſt; & omnia opera, quæ ſunt bona ex genere, ſi ſine charitate fiunt, dicuntur, cum non procedant ex principio vivo.

Per pœnitentiam jam remittuntur peccata, *ut conſtat ex dictis*, & cum remittantur per illam peccata, rectè ſequitur, quod per eamdem pœnitentiam f 3 p q 89 a 1 homini gratia infundantur, *juxta Div. Thom. (f) docentem*, remiſſio peccatorum non poteſt eſſe, niſi per infuſionem gratiæ; ex qua eodem modò conſequuntur omnes virtutes gratuitæ, ſicut ex eſſentia animæ fluunt omnes potentiæ; ſi, ergò ex gratia conſequuntur omnes virtutes gratuitæ, & per pœnitentiam homini gratia infunditur, *benè à Div. Thom concluditur*, omnes virtutes reſtaurari etiam per pœnitentiam, quod apparet *ex illo Lucæ de filio prodigo*, (g) qui g cap. 15. accepta portione ſubſtantiæ ad ipſum ſpectantis abiit in regionem longinquam, & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè.

Et quid eſt diſſipare ſubſtantiam ſuam, niſi relinquere virtutes, amplexari vitia? deperdere ſtatum gratiæ, & involutum ſe invenire in ſtatu ignominioſo per peccatum? *ob hoc dicitur vivendo luxurioſè*, etenim luxuria ignominioſa plena eſt: Hinc ex Patribus, peccata carnalia ſunt majoris infamiæ propter modum coeundi, in quo aliqua invenitur brutalitas maximè quia ratio in illo deperditur, & ſenſus totus immergitur, minoris tamen culpæ propter naturæ fragilitatem, vel propter debilem complexionem ad reſiſtendum: ſcio namque, *dicam cum Salomone*, quod h Sap. c. 8. nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det; verumtamen multò timendum eſt, ne fortè debilitas complexionis in malitiam convertatur.

At in ſe reverſus, quia multoties peccata carnalia in abominationem veniunt, dixit, hoc eſt, cogitavit agere pœnitentiam; ſurgam *præparando ſe ad pœnitentiam*, ibo ad patrem meum, *convertendo ſe ad Deum, qui Pater omnium eſt*, & dicam ei *confitendo peccata ſua*, Pater peccavi in cœlum, *non enim reſpexi te, & juſtitiam tuam, ſed potiùs hanc deſpexi nil pavendo de juſto judicio tuo, & de tua ira:* & coram te, *quia Sanctus es*, etenim Sanctus Sanctorum eſt Deus, ipſe eſt, qui cunctos condidit Sanctos) ante oculos tuos iniquitatem feci, ſciens utique, quod non eſt locus, ubi non ſit Deus: Jam non ſum dignus vocari filius tuus, *Ecce contritio peccatorum*; fac me, ſicut unum de mercenariis tuis, *Ecce promptitudo pœnitentis ad ſatisfaciendum pro peccatis commiſſis*.

Audiens hæc pater miſericordia motus remiſit illi peccata, & reſtituit illi omnia illa, quæ per peccatum deperdiderat, *Unde dixit* profert e ſtolam primam; *illam ſ. gratiæ, & induite illum, quia jam illam expoliatus fuerat*, & date annulum in manum ejus, *quia reliquit amatores, & ſolùm Deum creatorem ſuum vult ſequi*, & calceamenta in pedes ejus, *ut ſemper paratus ſit ambulare in præceptis Dei, & in lege ejus*; ergo nos cum vel filii prodigi ſimus, vel aliquando fuerimus, recurramus per pœnitentiam ad magnam Dei, & Chriſti Domini miſericordiam, & illi dicamus, peccavimus in cœlum, & coram te, jam non ſumus digni vocari filii tui, ſi optemus audire illa verba dulciora ſuper mel, & favum, proferte, (ita ad Angelos, de quibus ita dicitur, gaudium eſt Angelis ſuper uno peccatore pœnitentiam agente,) ſtolam primam, & induite illum, non ſolùm remittendo culpas, verùm etiam reſtituendo priſtinam gratiam veſtiendo animas noſtras veſte gratiæ, qui fuerint nudatæ, ut canere poſſimus, gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento juſtitiæ cir- r If. c. 61. cumdedit me. Veſtimenta enim ſalutis ſunt habitus virtutum Theologicarum, & moralium, ſive Cardinalium, ſeptem dona ſpiritus; omnia illa reſtituit Dominus pœnitenti.

Hoc roboratur ab Eccleſia in Hymno de Sancta Maria Magdalena, in quo canitur, uni Deo ſit gloria pro multiformi gratia, qui culpas, & ſupplicia remittit, & dat præmia, non enim dantur præmia, niſi meritis, nec meremur, niſi gratia, & virtutibus. *Et Divus Thomas (l)* loquendo de pœnitentia ait; pœni- l ib. ad 1 tentia reſtituit eodem modo virtutes, per quem modum eſt cauſa gratiæ, cum autem non ſit cauſa gratiæ, in quantum eſt virtus, cum ut ſic ſit magis gratiæ, effectus, benè verò ſit cauſa gratiæ, in quantum eſt Sacramentum, ideò rectè ſequitur, quod non oportet pœnitentiam eſſe cauſam omnium aliarum virtutum, ſecundum quod eſt virtus, ſed quod habitus pœnitentiæ ſimul cum habitibus aliarum virtutum per Sacramentum pœnitentiæ cauſentur.

Et licet pœnitentia in quibuſdam actibus pœnitentis conſiſtat, cum, ut jam conſtat, in Sacramento pœnitentiæ actus humani ſe habent materialiter, nihilominus tamen actus primus pœnitentis ſe habet, ut ultima diſpoſitio ad gratiam conſequendam, ſcil. contritio, quæ ſtare poteſt, & pro ipſo actu nudo, & pro ipſo actu informato charitate, perfectus ſiquidem dolor de peccatis commiſſis cum voluntate ſatisfaciendi &c. contritio dicitur, formata quidem, ſi charitate veſtita, conſideretur abſolutè tamen, ſi nudè ſumatur. Et ſic eam nudè *ſumit Divus Thom. dùm dicit*, quod eſt ultima diſpoſitio ad gratiam.

Deinde *ſubdit Divus Thomas; (m)* alii verò actus m ib. ad 2 pœnitentiæ ſequentes procedunt ex gratia, & virtutibus; ſi autem procedunt ex gratia, & virtutibus, & per pœnitentiam habeatur gratia, & conſequenter per pœnitentiam reſtaurantur virtutes.

Et licet multi pœnitentes adhuc difficultatem patiantur in operando actus virtutum, ut etiam *aſſerit Divus Thom. (n)* quandoque poſt primum votum pœ- n ib. ad 3 nitentiæ, qui eſt contritio (*intellige de nuda*) remanent quædam reliquiæ peccatorum, ſc. diſpoſitiones ex prioribus actibus peccatorum cauſatæ, ex quibus præſtatur difficultas quædam pœnitenti ad operandum opera virtutum: attamen addit Divus Thomas, quantum eſt ex ipſa inclinatione charitatis, (& ſic habetur contritio formata charitate, quæ deſcribitur quod ſit dolor charitate informatus) & aliarum virtutum, pœnitens opera virtutis delectabiliter, & ſine difficultate operatur.

At quia pœnitens opera virtutis delectabiliter, & ſine difficultate operatur per motum liberi arbitri, *hinc eſt*; quod *docet Div. Thom. (o)* ſecundum quod o 3 p q. 89 a. 2. motus liberi arbitrii in pœnitentia eſt intenſior, vel remiſſior, ſecundum hoc pœnitens conſequitur majorem, vel minorem gratiam; & ſic quandòque contingit intenſionem motus pœnitentis eſſe proportionatam majori gratiæ, quàm illa, à qua ceciderat per peccatum, *ut habetur Zacheo dicente ad Dominum*; (p) p Luc. c. 19 ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & ſi aliquem defraudavi, reddo quadruplum, ubi conſtat quod per pœnitentiam ipſe & plus reddidit, quàm defraudaverat, & plus dedit pauperibus, quàm ſibi pro neceſſitate ſalutis opus fuerat. Quandòque verò æquali, quandòque verò minori, *ſicut inſinuatur in Apocal. (q) dùm dicitur de quodam*, charitatem tuam primam reliquiſti, hoc eſt dolorem q cap. 2 de peccatis, quem priùs habuiſti, reliquiſti, & memoriam tuorum delictorum neglexiſti; memor eſto itaque, unde excideris, ſcilicet in laqueum diaboli, vel in profundum peccatorum, & age pœnitentiam, ſi vis liberari ab illis, & prima opera, charitatis, & dilectionis Dei, fac; ſi vis redire ad gratiam, quod eſt, *quod Divus Tho. dixit* poſt pœnitentiam quandòque homo reſurgit in majori gratia, quàm prius habuerat, quandòq; in æquali, quandòque in minori juxta intenſionem, vel remiſſionem motus liberi arbitrii in pœnitentia orti ex intenſiori vel remiſſiori charitate; & eadem eſt ratio de virtutibus, quæ ex gratia conſequuntur.

Quæ verba intelliguntur, ut ait *Cajet.* hic, referendo quantitatem virtutum ad quantitatem gratiæ, & faciunt ſenſum, quod recuperans gratiam mino-

minorem, recuperat etiam minores virtutes, & ſi recuperat gratiam æqualem; æquales etiam virtutes recuperat, & ſi majorem gratiam recuperat, & majores virtutes recuperat; idcircò ſi homo reſurgeret in minori virtute, non per hoc ſequitur, quod illud dictum
r cap. 8 ad Rom. *Pauli*, (r) diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, non verificetur, quia licet non verificetur in his, qui cadunt, & numquam reſurgunt, vel qui reſurgunt, iterùm caſuri; attamen his tantùm, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti, ſcil. prædeſtinati, qui quotieſcumque cadunt, finaliter tamen reſurgunt. Et his cedit in bonum hoc, quod cadunt, non quia ſemper in majori gratia reſurgant, ſed quia reſurgunt in permanentiori gratia: non quidem ex parte ipſius gratiæ, (quia quantò gratia eſt major, tantò de ſe eſt permanentior,) ſed ex parte hominis, qui tantò ſtabilius in gratia permanet, quantò eſt cautior, & humilior, *& Gloſſa ſuper illud Pauli dicit*, quòd ideò proficit eis in bonum, quod cadunt, quia humiliores redeunt, atque doctiores.

Rurſus penitentia, quantum eſt de ſe, licet habeat virtutem reparandi omnes defectus ad perfectum, *juxta D. Ambroſium dicentem*, penitentia res optima eſt, quæ omnes defectus revocat ad perfectum, & etiam promovendi ad ulteriorem ſtatum; attamen *ait D. Thom.*,
ſ ib. ad 2. (ſ) hoc quandoque impeditur ex parte hominis, qui remiſſius movetur in Deum, & in deteſtationem peccati, eò ferè modò, quo aliqui adulti in baptiſmo conſequuntur majorem, vel minorem gratiam, in quantum diverſimodè ſe diſponunt ad gratiam ſuſcipiendam ob peccatorum deteſtationem.

Ex quibus videtur, quomodo intelligendum ſit illud
t Cap. 5. *Roman.* (t) ubi abundavit delictum, ſuperabundavit
u ib. ad 3. & gratia; quia *D. Thom. aſſerit*, (u) quod intelligendum eſt de gratia Chriſti, quæ ſuperat omnem abundantiam humanorum peccatorum: non autem eſt verum in omnibus, quod quantò abundantiùs peccavit, tantò abundantiorem gratiam conſequatur penſata quantitate gratiæ habitualis; eſt tamen ſuperabundans gratia quantùm ad ipſam gratiæ rationem, ſiquidem magis gratis beneficium remiſſionis magis peccatori confertur, licet quandòque abundanter peccantes abundantiùs doleant, & ſic abundantiorem habitum gratiæ, & virtutum conſequuntur; redditur hoc manifeſtum in Maria Magdalena, cui remiſſa fuerunt multa peccata, quia dilexit multum, per quam abſolutionem reſtituta fuit à Chriſto Domino in priſtino ſtatu, veluti innocentiæ, tantus fuit dolor de offenſa in Deum commiſſa, & tantam vim habuit ipſa penitentia, ut amiſſa dignitate, illa qua computata erat inter filios Dei per gratiam, illam recuperavit per penitentiam; etſi non recuperaverit innocentiam, recuperavit tamen aliquid majus, V. ſanctitatem, quam amplius non amiſit.

Sed quid dicam de virginitate ſemel amiſſa, iſta recuperari poteſt, vel ne? Aliud non video dicendum,
x 2. 2. q. 152 a. 3. ad 3. niſi id, quod *docet Div. Thom.*, nempe quod ſive puer, ſive virgo ſit, dùm peccando virginitatem amiſit, per penitentiam non recuperat virginitatis materiam, licet recuperet virginitatis propoſitum. Circa verò materiam virginitatis eſt aliquid, quod miraculosè poteſt reparari divinitùs, ſcil. integritas membri, quam diximus accidentaliter ſe ad virginitatem pertinere; nec mirum, cum Deus poſſit quamcumque aliam diſcontinuationem, vel vulnus corporis renovare; & tunc ſtat virginitas prò integritate carnis; Aliud autem eſt, quod nec miraculosè reparari poteſt, ut ſcil. quod qui expertus eſt voluptatem veneream, fiat non expertus: non enim poteſt Deus facere, ut ea, quæ facta ſunt, non ſint facta. Et fortè in hoc ſenſu locutus fuit *D. Hieronymus ad*
y Epiſt. 22. *Euſtochiam*, (y) dum dixit, audenter loquar, cum omnia poſſit Deus, virginem ſuſcitare non poteſt poſt ruinam, quoniam accipit tunc virginitatem pro ineſperientia venereæ delectationis modò corruptam, hoc eſt expertam, certum eſt enim, quod Deus non poteſt reparare, ut fiat inexperta.

z 3. p. q. 89. art. 1. Hoc totum *ex D. Th corroboratur, dum ait*, (z) homo per peccatum duplicem dignitatem amittit, unam quantum ad Deum, aliam quantùm ad Eccleſiam. Quantum ad Deum amittit duplicem dignitatē, unam principalem, qua ſcil. erat computatus inter filios Dei per gratiam, quam dignitatem recuperat per penitentiam, ut clarè patet in illo filio prodigho, & verè prodighus, quia non tantùm diſſipavit ſubſtantiam ſuam, verùm etiam illam devoravit cum meretricibus, attamen penitenti pater juſſit reſtitui ſtolam primam, *(quæ gratia Dei metaphoricè ſignificari poteſt:)* annulum, & calceamenta; Pater peccavi coram te & c., & pater dixit ad ſervos ſuos; Citò, (tantam vim habet penitentia, ut non amittat nec unum inſtans temporis ad miſerendum, & ad reſtituendum hominem in ſtatum priſtinum, etſi non innocentiæ, ſanctitatis tamen, quæ per gratiam habetur) proferte ſtolam primam & c.

Aliam dignitatem amittit, ſecundariam, nempe Innocentiam, de qua gloriabatur filius ſenior dicens. Ecce tot annis ſervio tibi, & numquam mandatum tuum præterivi; & hanc dignitatem recuperare non poteſt penitens, licet ex alia parte recuperare poſſit aliquando aliquid majus; quia recuperat ſanctitatem, de qua gaudent Angeli, nam gaudium eſt in Cęlo ſuper uno peccatore penitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſti, qui non indigent penitentia. *Hinc Div. Thom. ibid. ait*, majus ergo gaudium de eis, peccatoribus ſcil. fit in Cęlo, quia & Dux in prelio plus eum militem diligit, qui poſt fugam reverſus hoſtem fortiter premit, quàm illum, qui numquam terga prębuit, & numquam aliquid fortiter fecit.

Eſt & alia dignitas, quam homo per peccatum perdit ſcil. Eccleſiaſticam, utpotè quia indignum ſe reddit ad ea, quæ competunt dignitati Eccleſiaſticæ exercenda, quam quidem recuperare multipliciter prohibetur.

Primò quidem, quia non penitet, unde *Iſidorus ſcribens ad Maſſimianum Epiſcopum* dixit, illos ad priſtinum gradum redire canones præcipiunt; quos penitentiæ præceſſit ſatisfactio, vel condigna peccatorum confeſſio. Sic *& Gregorius ſcribens Secundino dixit*, poſt dignam ſatisfactionem credimus hominem poſſe redire ad ſuum honorem. *Et in Concilio Agathenſi legitur*, con- a Cap. 1. vel 2.
tumaces clerici, prout dignitatis ordo permiſerit, ab Epiſcopis corrigantur, ita ut cum eos penitentia correxerit, gradum ſuum, dignitatemque recipiant. Cęterum hi, qui à vitio corruptionis non emendantur, nec gradum honoris, nec gratiam recipiunt communionis.

Secundò, quia penitentiam negligenter facit, unde *idem Iſidorus Can. ſi quis Diaconus*, dicitur, cum in aliquibus nec compunctio humilitatis, nec inſtantia orandi appareat, nec jejuniis, nec lectionibus eos vacare videamus, poſſumus agnoſcere, ſi ad priſtinos honores redirent, cum quanta negligentia permanerent. Unde de iſtis *Hieron.* dicit, quicumque dignitatem divini gradus non cuſtodiunt, contenti fiant animam ſalvare, reverti enim in priſtinum gradum, non impoſſibile,
ſed difficile eſt; ut ait *Div. Thom.* difficile utique eſt, b ibi ad 2.
non impoſſibile hominum recuperare poſt peccatum priſtinum gradum, cum hoc non concedatur, niſi perfectè penitenti.

Tertiò ſi commiſit aliquod peccatum, quod habet irregularitatem annexam, Unde *in Concilio Martini Papæ dicitur*, ſi quis viduam, aut ab alio relictam duxerit, non admittatur ad Clerum; quod ſi irrepſerit, deiiciatur. *Dicitur à Concilio, aut ab alio relictam duxerit*, hoc dictum Concilii intelligere debemus, non de vidua, *cum dixerit in Concilium*, ſi quis viduam duxerit; nec de repudiata, ſiquidem in lege nova non datur repudium, ſive libellus repudii, ſed ſervare ſemper debemus illud, quod à Chriſto Domino dictum eſt, quod Deus conjunxit, homo non ſeparet, in lege verò veteri iſtud dabatur ob duritiem cordis eorum; ergo *meo videri* dictum Concilii intelligere debemus, de muliere utique corrupta per vinculum matrimonii, ſed à viro relicta ob aliquod impedimentum matrimonium dirimens: *Additur ad eodem Concilio*, ſi homicidii facto, aut præcepto, aut con-

filio, aut defenſione poſt baptiſmum conſcius fuerit, hoc tamen non eſt ratione peccati, ſed ratione irregularitatis.

At circa hoc, quod additur à Concilio, nempe aut defenſione, diſtinguendum eſt, cum quædam ſit neceſſitas ad homicidium, ut cùm quis non poteſt totaliter ſe defendendo ſuum evadere invaſorem, niſi occidat illum; hæc defenſio non inducit irregularitatem per nova jura tradita poſt felicem obitum *Div. Thomæ*; alia eſt defenſio non urgens ad homicidium, & iſta olim, & nunc irregularitatem conſtituit; & de hac etiam intelligendus eſt Div. Thomas, utpotè quia ſemper obſervavit id, quod præceptum fuit ab Eccleſia Catholica.

Quartò propter ſcandalum, unde *Rabanus* dicit, hi, qui deprehenſi, vel capti fuerint publicè in perjurio, furto, atque fornicatione, & cęteris hujuſmodi criminibus ſecundum Sacrorum Canonum inſtituta à proprio gradu decidant; quia ſcandalum eſt populo Dei tales perſonas ſuper ſe poſitas habere. Qui autem de prædictis peccatis abſconſe à ſe commiſſis occultè Sacerdoti confitentur, ſi per jejunia, & eleemoſynas, vigiliaſque, & ſacras orationes purgare curaverint, his etiam gradu proprio ſervato ſpes veniæ de Dei miſericordia promittenda eſt; quod eſt, quod dicitur *extra de qualitate ordinandorum*, ſi crimina ordine judiciario comprobata, vel aliàs notoria non fuerint, præter reos homicidii, poſt pœnitentiam in jam ſuſceptis, vel ſuſcipiendis ordinibus impediri non poſſunt.

Epiſt. 6. *Etſi conſtituti Canones apud Nicæam, ut Inn. Papa dicit ad Agapitum, & Macedonium*, pęnitentes etiam ab infimis officiis clericorum excludunt, tamen non ſunt omninò admittendi, vel ſano modo intelligendi, ut etiam *D. Auguſt. Bonifacio ſcribens dicit*, (*d*) ut conſtitueretur in Eccleſia, ne quiſquam poſt alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non deſperatione indulgentiæ, ſed rigore factum eſt diſciplinæ, alioquin contra claves Eccleſiæ datas diſputabitur; de quibus dictum eſt, quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cęlo. Et de facto nonne habemus ex Sacris literis hoc manifeſtum tùm de Davide, tùm de Petro Principe Apoſtolorum? *David* namque adulter, & homicida, crimina, per quæ homines conſtituebantur in veteri lege mortis rei, ſicut & in nova, licet aliqua ſit indulgentia in mundo præſenti, pęnitentiam egit, per quam remiſſa fuerunt ejus crimina, & nihilominus in honore ſuo, & dignitate ſua perſtitit.

d Epiſt. 50.

Petrus & ipſe pœnituit negaſſe ſuum Magiſtrum ac Dominum; nam recordatus Verbis Jeſu, quod dixerat, priuſquam gallus cantet, ter me negabis, flevit amarè peccatum ſuum, per quod denotatur, pęnitentiam egiſſe, & tamen Apoſtolus, & Apoſtolorum Princeps permanſit, & claves regni Cęlorum, quas Dominus ſemel illi tradidit, ab eo numquam ablatæ fuere.

e in Decr. diſt. 50. Denique *ſi legatur in Hiderlenſi Concilio* (*e*) hi, qui ſancto altari deſerviunt, ſi ſubitò in flenda carnis fragilitate corruerint, & Domino reſpiciente dignè pœnituerint, officiorum ſuorum ſic loca recipiant, ut non poſſint ad altiora officia ulteriùs promoveri. Hoc ſtatutum tamen non officit, nec aliquid contra hucuſque dicta facit; eò quia, ut bene *ait Div. Thom.* ſolùm intelligitur de illis, qui publicam pœnitentiam agunt, iſti utique poſtmodum non poſſunt ad majorem provehi gradum; & quod ita ſit, Sanctus Doctor dictum ſuum manifeſtat exemplo de Petro, qui poſt negationem, (quæ nulla indiget excuſatione *ut notat Hieronymus*; ſcio, *inquit*, quoſdam pro affectu erga Apoſtolum Petrum locum hunc ita interpretatos, ut dicerent, Petrum hominem negaſſe, non Deum, & eſſe ſenſum, neſcio hominem, quia ſcio Deum. Hoc quàm frivolum ſit, prudens lector intelligit: ſi enim iſte non negat, ergo mentitus eſt Dominus, qui dixerat, ter me negabis:) paſtor ovium conſtitutus eſt; Qua de cauſa etſi per negationem amiſerit dignitatem quantum ad Deum, etenim peccavit mortaliter, per quod unuſquiſque peccans anathematizatur, illam tamen recuperavit per pœnitentiam, & citò, quia etiam citò reſurrexit; Hoc autem ſit ad noſtrum documentum, ne in negatione permaneamus, ſed citò, dùm peccatum fuerit commiſſum, reſurgamus per pęnitentiam, ſi invenire optemus gratiam, quam per peccata perdidimus.

ibid. ad 3.

Veruntamen per illam negationem, quam injuſtè fecit Petrus de ſuo Magiſtro, ſolùm mortificata fuerunt opera virtutum in charitate facta, V. quando dixit, *Etſi oportuerit me mori tecum, non te negabo; etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, non tamen ego: juxta Div. Thom.* effectus operum virtuoſorum, quæ in charitate fiunt, eſt perducere ad vitam æternam; quod quidem impeditur per peccatum mortale ſequens, quod gratiam tollit, & ſecundum hoc opera in charitate facta mortificari dicuntur per peccatum mortale ſequens, *ſecundum etiam illud Ezech.* (*b*) ſi averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur: & meritò *ait D. Th.* eò quia ſicut opera peccatorum actu tranſeunt, & manent reatu, ita opera in charitate facta poſtquam tranſeunt actu, manent meritò in Dei acceptatione, & ſecundum hoc mortificantur, in quantum impeditur homo, ne ſuam conſequatur mercedem, nempe vitam æternam, hanc promiſit Chriſtus Dominus omnibus bona facientibus, ecce enim, *Lucæ* (*l*) merces veſtra multa eſt in Cęlo; quæ merces, nempe poſſeſſio regni Cęlorum, profectò impeditur per ſubſequens peccatum mortale, & taliter impeditur, ne habeat vim, & efficaciam perducendi illum, qui jam benè operatus eſt, ad vitam æternam; quo tamen impedimento remoto, ſtatim ſuum conſequitur effectum, & jus ad vitam æternam. *Hinc Concilium Trident. decrevit*; (*m*) hac igitur ratione, juſtificatis hominibus, ſive acceptam gratiam perpetuò conſervaverint, ſive amiſſam recuperaverint, *proponenda ſunt Apoſtoli verba, ad Corint.* (*n*) abundantes in omni opere bono, ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis in Domino. *Et ad Hebr.* (*o*) non eſt injuſtus Deus, ut oblivíſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius: ſuper quem locum Anſelmus ſic ait, ideò de vobis confidimus, quia olim multa operati eſtis, pro quibus, ſi de malis pęnitentiam egeritis, benefaciet vobis Deus. *Et poſtea ſubditur à Concil.* nihil ipſis juſtificatis amplius deeſſe credendum eſt, quò minus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo ſunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam, ſuo tempore etiam (ſi tamen in gratia deceſſerint) conſequendam, verè promeruiſſe cenſeantur. *Ex verbis Concilii ſatis conſtat*, merita per peccatum mortificata reviviſcere per pœnitentiam, illa omnia, quæ ex charitate vixerunt; quoniam homini reſurgenti per pœnitentiam debetur vita æterna non ſolùm ex vi præſentis operis, ſed etiam ex vi priorum meritorum, alioquin non reviviſcunt opera.

g 3. p. q. 89. a. 4.
h cap. 18.
i Ibi ad 1.
l cap. 6.
m Seſſ. 6. cap. 16.
n 1. cap. 15.
o cap. 6.

Ex eò autem, quod opera charitatis ſint fortiora quibuslibet peccatis non eſt inferendum, quod opera in charitate facta nequeant mortificari per ſequens peccatum mortale, cum hoc non ſit propter fortitudinem operum peccati, ut mortificentur opera prius in charitate facta, ſed hoc ſit propter libertatem voluntatis, quæ poteſt à bono in malum deflecti; & quia dum ſumus in via, liberi ſumus in bonum a malo, & in malum à bono deflecti, hinc eſt, ut dùm deflectimur à bono in malum, opera in charitate facta mortificantur per ſequens peccatum mortale; dùm verò in bonum à malo deflectimur, opera mortificata per peccatum reviviſcunt per pęnitentiam, *ut habetur ex Gloſſa ſuper illud Joelis, reddam vobis annos, quos comedit locuſta*, ait, non patitur perire ubertatem, quam cum perturbatione animi amiſiſtis, juxta quam explicationem jam videtur, quod illa ubertas eſt meritum bonorum operum, quod fuit perditum per peccatum: *Et Divus Thomas aſſerit*, quod opera meritoria remanent, quantum eſt de ſe etiam poſtquam per peccatum mortificantur; quia ſemper Deus illa opera, prout facta fuerunt, acceptabit, & Sancti de eis gaudebunt.

p cap. 2.
q 3. p. q. 89. a. 5.

Cæte-

Digitized by Google

Cęterum, quod non ſint efficacia ad ducendum in vitam æternam ille, qui ea fecit, provenit ex impedimento peccati ſupervenientis, per quod ipſe reditus eſt Indignus vita æterna, quæ enim, *dicam cum Paulo*, conventio Chriſti ad Belial? etenim peccatores verè membra arida ſunt apta ad interitum. At quia hoc impedimentum tollitur per pęnitentiam, in quantum per eam remittuntur peccata, inde ſequitur, quod opera prius mortificata, per pœnitentiam recuperant efficaciam perducendi eum, qui ſecit ea, in vitam æternam, quod eſt ea reviviſcere. *Hoc roborat etiam, dùm ait*, opera
r ibi ad 2. peccati abolentur per pęnitentiam ſecundum ſe, ita ſcil. quod ex his ulterius Deo indulgente, nec macula, nec reatus inducunt, *juxta illud Ezech. (ſ)* impietas im-
ſ cap. 33. pii non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit: at opera in charitate facta non abolentur à Deo, in cujus acceptatione remanent: licet ex alio capite impedimentum accipiant ex parte hominis operantis, unde remoto impedimento, quod eſt ex parte hominis operantis, Deus implet ex parte ſua illud, quod opera merebantur, unde & reviviſcunt.

Reviviſcunt utique per pęnitentiam opera in charitate facta, & quæ mortificata fuerunt per ſubſequens peccatum, at non ſemper eſt neceſſe, ut reſurgant, & reviviſcant in tanta gratia, & charitate, in quanta prius vitam habebant: juxta quod diximus ſupra *cum Div. Thom.*, pœnitens quandòqoe reſurgit in majori gratia, quam prius habebat, quandoque in equali,
t Seſſ. 6. cap. 7. quandoque in minori; *& juxta Concil. Trident.*, unuſquiſque recipit ſuam juſtitiam (ſive dicamus gratiam juſtificantem) ſecundum menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis, prout vult, & ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem; *Juxta etiam illa, quæ habentur ex D Th.* pęnitentia omnia
u 4. diſt. 22 q. pr. a 4. q 3. ad pr. x 3. p. q. 89 a. 5 ad 3. merita mortificata reſtituit, ſed nnn oportet, quod æqualia. *Unde & hic docet*, ille, qui per pęnitentiam reſurgit in minori charitate, conſequetur quidem præmium eſſentiale ſecundum quantitatem charitatis, in qua invenitur; habebit tamen gaudium majus de operibus in prima charitate factis, quàm dę operibus in ſecunda charitate, quod pertinet ad præmium accidentale; quod eſt conforme ad illud, *quod docuit in lib.*
y ibi. ad 4. *Sent. loco cit.* per priora merita merebatur homo tantam gloriam, quantam charitatem habebat, ſed per peccatum factus eſt alter, & per pęnitentiam nondùm eſt ad priſtinam gratiam reſtitutus, & ideò non recipit plenariè effectum priorum meritorum, niſi quantum ad præmium accidentale.

Propter quod eſt animadvertendum, quod aliud eſt loqui de opere meritorio, ut fecit in corpore, & aliud eſt ioqui de operis meritorii quantitate: quando enim reviviſcunt mortificata, ſemper omnia opera meritoria, quæ mortificata erant, reviviſcunt; eo quia iſti, in quo reviviſcont, debita eſt vita æterna ex vi illorum priorum operum, & non ſolùm ex vi præſentium operum; at quantitas operis meritorii non ſemper reviviſcit ſimpliciter, quoniam non ſemper recuperat eamdem efficaciam, quæ & perducere ęum ad tantum gradum beatitudinis æternæ: ut patet in illo, qui reſurgit in minori gratia, ita quod in ilia minori decedit, talis enim numquam perveniet ad illum beatitudinis gradum, quem quantitas prioris meriti debitum ſibi fecerat. Verùm cauſa hujus non reviviſcentiæ eſt ipſa reſurgentis indiſpoſitio, qui ſicut ſi non reſorrexiſſet à peccato, mortificata præterita non ſibi revivixiſſent, ita reſurgendo à pęccato cum minori tamen gratia ex hoc ipſo indiſpoſitus eſt ad ſuſcipiendum fructum majoris meriti.

Itaque reviviſcunt opera mortificata per pęnitentiam ad differentiam operum, quæ mortua dicuntur: ſed ut percipiamus hanc differentiam, opus eſt etiam conſiderare, quod opera humana alia ſunt viva, alia mortifera &c.

Ilia opera humana dicuntur viva, quatenus procedunt à principio vitali ordinis ſupernaturalis, nempe, gratia, & charitate, quæ in anima juſti eſt fons ille aquæ ſalientis in vitam æternam; cum Chriſtus Salvator noſter dicat, *Joan.* (z) Si quis biberit ex z cap. 4.
aqua, quam ego dabo ei, hoc eſt gratiam, propterea dicitur, gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt, non ſitiet in æternum, ſicut ſcriptum eſt, ſatiabor cum apparuerit gloria tua, quam nemo conſequi poteſt, niſi indutus veſte nuptiali, ſcilicet gratia, qua mediante homines ſanctificantur: ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam, & verè ſons, quia numquam in eo deſinet aqua charitatis.

Illa dicuntur opera mortua, licet ex genere ſuo, & proprio obiecto bona ſint, attamen carent vitæ principio, cum ſint ab homine exiſtente extra gratiam; patet enim, quod opera, quæ ſine fide, & charitate fiunt, nullo modo Deo grata eſſe poſſunt.

Ilia mortifera dicuntur, quæ mortem animæ inferunt, eam privando gratia, etenim gratia quantum ad vitam ſupernaturalem ſe habet ad animam, ſicut anima ad corpus, quantum ad naturalem: ut ſentit *Iſidorus de ſummo bono*, (a) vita corporis anima, vita a Lib. pr.
animæ Deus: *Et Div. Auguſt. de verbis Domini*, inquit, b Serm 5.
ſicut expirat corpus, cum animam amittit; ita expirat anima, cum Deum amittit; Deus amiſſus, mors animæ; Anima amiſſa, mors corporis.

Illa denique dicuntur mortificata, quæ à gratia, & charitate elicita, per ſubſequens peccatum impediuntur, ne habeant vim, & efficaciam perducendi hominem ad vitam æternam; Igitur mortificata dicuntur, & hoc non ex parte principii, ex quo proceſſerunt, ſed ex parte impedimenti extrinſeci, quale impedimentum tollitur per pęnitentiam, in quantum per eam remittuntur peccata; è converſo opera mortua dicuntur talia ex parte principii, & ideò illa vivificantur, non iſta; quæ rurſus dicuntur mortua ob defectum charitatis, & gratiæ, ſicut principii, qui defectus non præſtatur eis per pęnitentiam ſequentem, ut ex tali principio procedunt; *quod colligitur ex Div. Paulo* c p. C. 13.
ad Corint. (c) ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, (ecce opus bonum, & meritorium ex genere ſuo, & ex proprio obiecto, cum Chriſtus hæc præceperit, *Marci*, (d) vade, & vende omnia, d cap. 10.
quæ habes, & da pauperibus) & ſi tradidero corpus meum, (*per abſtinentiam, & jejunium,*) per hæc enim corpus maceratur, ita ut ardeam, *deſiderio tantùm*, propterea ſubditur, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt, quoniam non eſt vera dilectio; & cum non ſit talis, conſequenter implicat, ut per pœnitentiam ſubſequentem omnia illa vivificentur, per quod approbatur noſtrum intentum non vivificari opera mortua per pœnitentiam.

Div. verò Thomas (e) docet, quod opus mortuum e 3. p. q. 89 a 6.
dupliciter dicitur, effectivè, quia ſcilic. eſt cauſa mortis, & ſecundum hoc opera peccati opera mortua dicuntur, *juxta illud ad Heb.* (f) Sanguis Chriſti emun- f cap. 9.
dabit conſcientias noſtras ab operibus mortuis: (quoniam ipſe eſt mediator noſtræ ſalutis, & ipſe Dei gratiam nobis promeruit:) & hæc opera mortua non vivificantur per pęnitentiam, ſed magis abolentur; *Hinc Paulus ad Heb.* (g) poſtquam nos admonet, ut ad perfectiora ferre debeamus, ſubdit, non rurſus jacientes g cap. 6.
fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis. De quibus operibus ſtare poteſt *illud Sapientiæ*, (h) fructus h Cap. 4.
illorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti. Opera namque hominis fructus hominis vocantur, qui & arbori comparatur, etenim *Matt. legitur*, (i) video homines, ſicut arbores; unde ſicut i Cap 8.
a fructu cognoſcitur arbor, & arboris bonitas, ita per opera hominis, ejus bonitas agnoſci poteſt: *juxta illud Matth.* (l) ex fructibus eorum cognoſcetis eos: Vi- l cap. 7.
deamus itaque, ſi fructus hominis ſint charitatis, & continentiæ, vel potiùs laſciviæ, & carnalis delectationis: ſi fructus illius ſint liberalitatis, vel potius avaritiæ; ſi ſint humilitatis, an potius elationis, vel ambitionis temporalis: ſi primi, non inutiles ſunt, ſed proficui ad ſalutem æternam, ſi ſecundi, omni prorſus modo inutiles ſunt, & ad nihilum apti, vel ſi ad aliquid apti, ſolummodo ut in

Digitized by Google

morte confringantur, & igne æterno combnrantur; & cum convertantur privari æterna beatitudine, iode ſequitur, quod non poſſunt vivificari etiam per pęnitentiam opera mortua, aliàs quomodo poſſet dici abſolutè fructus eorum inutiles, & ad nihilum apti? Et *Pſaltes ad hanc rem ait*, quæ pro nihilo ha- [m Pſ. 89.] bentur (m) eorum anni erunt, Anni enim malorum, ſcilicet aliqua ſaltêm ipſorum opera moraliter bona in ipſis annis facta, ſi poſſent aliquando vivificari, non dicerentur abſolutę eſſe tamquam ea, quæ pro nihilo habentur.

Dicitur opus mortuum privativè, in quantum ſc. opera mortua carent principio, ſive vita ſpiritnali, quæ eſt charitate, per quam anima Deo conjungitur, *ſcriptum eſt enim*, (n) quod qui manet in charitate, [n 1 Io. c. 4.] in Deo manet, & Deo in eo; hæc eſt illa charitas, quæ unit nos Deo, qui eſt ultimus finis humanę mentis; hæc eſt illa, quæ & vinculum perfectionis vocatur, utpote quia omnes alias virtutes ligat in unitatem perfecta, ut Theologi etiam dicant, facit, ut attingant ultimum finem, Ex quo vivit, ſicut di- [o cap. 2.] cebat *Apoſtolus ad Gal.* (o) vivo ego, ſed non ego, vivit verò in me Chriſtus, (per quem modum etiam fides, quæ eſt ſine charitate, dicitur mortua, *ſecun-* [p cap. 2.] *dum illud Jacobi* (p) fides ſine operibus mortua eſt: in quantum non procedunt ex principio vitæ, ſcilic. dilectionis Dei ſuper omnia, unde concludit, differentia igitur mortis, & vitæ in operibus eſt ſecundum comparationem ad principium, à quo procedunt, nec poſſunt iterum à principio procedere, (quia tranſeunt,) nec poſſunt eadem numero opera reſumi, per quod impoſſibile fit, ut per pęnitentiam opera mortua iterum fiant viva, & taliter mortua ſunt, ut nunquam viva fieri poſſint.

Idcircò mirum non eſt, ſi Deus illa numquam remuneret in vita æterna, utpote facta in ſtatu peccati; nam remuneratio vitæ æternæ debetur ſolis operibus vivis ex charitate factis. Et licet illa Deus numquam remuneret in vita æterna, quia facta in ſtatu peccati; volumus tamen, quod Deus illa remuneret remuneratione temporali, ſicut remuneravit opera bona Romanorum, qui etſi gentiles adorantes Deos alienos, *de quibus David* (q) *canebat*, *ſimulacra gentium ar-* [q Pſ. 113.] *gentum*, *& aurum*, *opera manuum hominum*, ſuperſtitioſi, *reſpicientes ſigna Cęlorum*, contra illud decretum [r cap. 10.] Omnipotentis Dei *in Jerem.* (r) à ſignis cæli nolite metuere, quę timent gentes; quia leges populorum vanæ ſunt; attamen in lege naturæ multa opera bona faciebant, propter quæ Deus illorum opera cum felici Dominio Reipublicæ recompenſavit, quapropter & victores videbantur in multis, & univerſæ ferę nationes ſub eorum imperio illis ſubdebantur.

Sic temporali remuneratione remuneravit Deus obſtetrices, quæ ſalvavit Hæbreos *de quibus legitur E-* [ſ cap. 1.] *xodi* (ſ) quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificavit eis domus; ſic propter aliquod bonum, quod fecit ille dives, *de quo legitur Lucæ*, (t) quod induebatur [t cap. 16.] purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè, ſed mortuus ſepultus eſt in infernum, Deus donavit illi aliquam remunerationem in hoc ſeculo, & fuit, ut numquam efficeretur mendicus. Nam, *ut docet Divus Thomas*, (u) Deus recordatur bonorum, [u q. 89. ad 3.] quæ quis facit in ſtatu peccati, non ut remuneret ea in vita æterna: quod debetur ſolis operibus vivis, ſ. ex charitate factis; ſed remuneret ea temporali re- [x ho. 40. in Evan.] muneratione; *& Divus Gregorius* (x) *hanc rem conſiderando dixit in hom. de divite*, *& Lazaro*, niſi ille dives aliquod bonum egiſſet, & in præſenti ſæculo remunerationem accepiſſet, nequaquam ei Abraham diceret: recepiſti bona in vita tua. Addamus nos, Lazarus ſimiliter mala; ut intelligamus, quod ille, qui in hoc Mundo lætabatur feliciter, & omnia proſpera illi advenlebant, tantùm, quod temporaneum eſt, accepit pro remuneratione alicujus operis boni, quod fecit, ſed mortuus, ſepultus eſt in loco tormentorum, in quo loco nunquam ceſſabunt tormenta.

Iſte, quia à proſperitate alienus ſemper mendicus, & omnia mala, quæ illi acciderant, in voluntatem Dei refundebat, ideò per remunerationem horum, mortuus Mundo vivit æternaliter in cęlo; ab ipſa [y cap. 16.] veritate edocemur, *dixit enim in Joan.* (y) amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos; Mundus autem gaudebit; vos autem contriſtabimini (quia perſequemini de Civitate in Civitatem,) at triſtitia veſtra vertetur in gaudium; attamen ſcitote, quod gaudium veſtrum nemo tollet à vobis; quia ſempiternum; Timeant ergo illi de propria ſalute, dùm tantum fruuntur bonis temporalibus, gaudeant iſti de propria miſeria, quoniam divites erunt bonis ſpiritualibus in æternis manſionibus.

Super Quæſtionem Nonageſimam.

De partibus pœnitentiæ in Generali.

POEnitens, non ſatis eſt, ut pœniteat de iis, quæ operatus eſt contra Deum, contra proximum, aliàs omnes dicerentur veri pęnitentes, quamvis veram pęnitentiam non elicerent. Exemplum habemus *de Saule*, (a) qui & ipſe dixit, peccavi, quia prævaricatus ſum ſermonem Domini, & verba tua, pęnituit, [a 1 Reg. 15.] ſed dolosè, unde non verè pęnituit, ſed fictè non .n. inquit Cajetanus, ex integro corde confitetur peccatum ſuum, qui falſam apponit cauſam ſui peccati: ac proinde ficta fuit ejus pęnitentia, non enim verè doluit, & hoc conſtat ex eo, quod ſemper ſe excuſavit, & quod pejus eſt, dixit, ſe non feciſſe illicitum.

Itaque ut verè pęnitens nuncupetur, opus eſt, & quod corde doleat offendiſſe Deum, quod ore confiteatur peccata ſua, & quod pro viribus ſuis ſatisfaciat; iſta tria neceſſaria ſunt ad declarandum verum dolorem, & ad manifeſtandum cor contritum, & humiliatum; hæc tria ad perfectionem Sacramenti pœnitentiæ ſpectant; in quantum tamen ſe tenent ex parte materiæ, conſtat enim, quod per actus humanos hæc tria exercentur, quæ tamen verè partes Sacramenti pęnitentiæ ſunt: nec mirum ſi in iſto Sacramento, & non in aliis hoc fiat, ſiquidem in iſto, & non in aliis materia ſunt actus humani, in aliis autem eſt materia ſimplex, ut aqua, vel compoſita, ut Chriſma, quod conficitur ex oleo, & balſamo. Quàm bene aſſignentur iſtę tres partes in Sacramento pœnitentiæ, conſtat ex hoc, quod ex parte pęnitentis requiritur primò voluntas recompenſandi, (etenim in pœnitentia, fit recompenſatio offenſæ ſecundum voluntatem peccantis, & ſecundum arbitrium Dei, in quem peccatur, nec hic quæritur ſola redintegratio æqualitatis juſtitiæ, ſed magis reconciliatio amicitiæ, quod fit, dùm offendens recompenſat ſecundum voluntatem ejus, quem offendit.) Et hoc fit per contritionem; ſecundò, quod ſe ſubjiciat arbitrio Sacerdotis loco Dei, quod fit per confeſſionem; tertiò, quod recompenſet ſecundum arbitrium miniſtri Dei, quod fit per ſatisfactionem. Ex quibus tamquam ex partibus integralibus integratur perfectio ipſius pęnitentiæ; ad quarum etiam rationem exigitur, ut totum non adſit ſingulis partibus, neque ſecundum totam virtutem ejus, neque ſecundum totam ejus eſſentiam, ſed omnibus ſimul. Et ſicut aſſignantur tres partes integrales, ita pariter tres aſſignantur tres partes ſubjectivæ, in quas dividitur pęnitentia, quæ accipiuntur ſecundum diverſas immutationes, quas pęnitens intendit; prima per regenerationem in novam vitam, & hæc pertinet ad pęnitentiam, quæ eſt ante baptiſmum, ſecunda immutatio eſt per reformationem vitæ præteritæ jam corruptæ, & hæc pertinet ad pęnitentiam mortalium poſt baptiſmum. Tertia immutatio eſt in perfectionem operationem vitæ, & hæc pertinet ad pœnitentiam venialium,

quæ

Digitized by Google

quæ remittuntur per aliquem fervorem actus charitatis.

Hoc Sacramentum pęnitentiæ licet conveniat cum aliis Sacramentis in hoc, quod habeat materiam, & formam, attamen differt ab illis per iſtud, quod pęnitentia habet partes, quas non habent cætera Sa-
b 1.p.q.90 a.1. cramenta; *juxta Divum Thomam* (*b*) in aliis Sacramentis materia non ſunt actus humani, ſed aliqua ſes exterior una, ſive ſimplex, ut aqua, vel oleum, ſive compoſita, ut Chriſma; & ideò in aliis Sacramentis non aſſignantur partes, ſicut aſſignantur in hoc Sacramento, quæ pęnitentia etſi habeat partes, illas tamen non habet, ſecundum quod eſt virtus, benè verò ſecundum quod eſt Sacramentum, ad quod actus humani comparantur, ut materia proxima, eò quia ſecundum quod eſt virtus, actus humani non comparantur ad habitum virtutis, ſicut partes, ſed ſicut effectus; reſtat ergo, quod habeat partes, ſecundum quod eſt Sacramentum; & quia in Sacramento pęnitentiæ actus humani ſe habent, ut materia, hinc eſt, quod cum plures ſint actus humani, plures etiam actus humani requiruntur ad pęnitentiæ perfectionem, ſcilicet *contritio*, *confeſſio*; *& ſatisfactio*, quæ dicuntur partes Sacramenti pęnitentiæ. Et quod verè ſint partes pęnitentiæ Sacramenti habetur *tum ex Catechiſmo Romano*, (*c*) obi legitur, eſt autem
c hic n.22. hujus Sacramenti proprium, ut præter formam, & materiam, quæ omnibus Sacramentis communia ſunt, partes etiam habeat, quæ tamquam totam, integramque pęnitentiam conſtituat, Contritionem, ſc. confeſſionem, & ſatisfactionem: de quibus D. Chryſoſtomus hic verbis loquitur; Pęnitentia cogit peccatorum omnia libenter ſufferre, in corde ejus contritio, in ore confeſſio, in opere tota humilitas, vel fructifera ſatisfactio.

Tùm ex Sacris Scripturis, *nam ex illo Pſalm.* (*d*)
d Pſ.79. cibabis nos pane lachrymarum habetur *pars una*, *ſ.*
e Pſ.31. *contritio ex illo Pſ.* (*e*) dixi confitebor adverſum me in juſtitiam meam Domino, habetur *alia pars ſcil. con-*
f cap.3. *feſſio*: *& ex illo Matt.* (*f*) *& Lucæ*, facite fructus dignus pœnitentiæ, habetur *alia pars*, *ſ. ſatisfactio*. *Tum ex illo Levitici*; (*g*) anima, quæ peccaverit per igno-
g cap.5. rantiam, & peccati rea intellexerit iniquitatem ſuam, offeret arietem immaculatum de gregibus Sacerdoti juxta menſuram, æſtimationemque peccati. Siquidem *per ly rea peccati intellexerit iniquitatem ſuam denotatur una pars pœnitentiæ*, *ſcil. contritio*, nam ille, ut reus peccati intelligit iniquitatem ſuam, qui dolet de peccato ſuo. Et *per ly offeret arietem immaculatum Sacerdoti deſignatur alia pars*, *ſcil. confeſſio*, quoniam diverſæ oblationes pro diverſis peccatis offerri mandarentur, ſpecialis oblatio allata Sacerdoti notificabat peccati qualitatem offerentis, & ita gerebat vicem confeſſionis: & *per ly juxta menſuram*, *æſtimationemque peccati ſignificatur alia pars*, *ſ. ſatisfactio*; ſiquidem in hac fit quædam recompenſatio proportionaliter coreſpondens offenſæ divinæ.

Tùm ex Synodo univerſali ſub Eugenio Quarto, quartum Sacramentum eſt pęnitentia, cujus quaſi materia ſunt actus pęnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes, quarum prima eſt cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero. Secunda eſt oris confeſſio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, ſuo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia eſt ſatisfactio pro peccatis ſecundum arbitrium Sacerdotis, quæ quidem præcipuè fit per orationem, jejunium, & eleemoſinam.

Tum ex Sacro Concilio Tridentino, (*h*) ſunt autem,
h ſeſſ.14. n.3. quaſi materia hujus Sacramenti ipſius pęnitentis actus, nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio, qui quatenus in pęnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenam, & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur; hac ratione partes pęnitentiæ dicuntur.

i ib. can.4. *Deinde ſtatuit, ac decrevit*, ſi quis negaverit ad integram, & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pęnitente, ſ. contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit, duas tantùm eſſe pœnitentiæ partes, terrores, ſcil. incuſſos conſcientiæ agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, vel abſolutione, quas credit quis per Jeſum Chriſtum remiſſa peccata, anathema ſit. Quibus in locis Concilium apertè decrevit tres eſſe partes pęnitentiæ requiſitas ad integram, plenam, atque perfectam peccatorum remiſſionem, ſiquidem licet, quantum ad naturam pęnitentiæ attinet, *contritio*, *& confeſſio*, quibus homo juſtus fit, ſatis ſit, tamen niſi tertia etiam pars, *ſcilicet ſatisfactio*, accedat, aliquid ei omninò ad perfectionem deſit, neceſſe eſt.

Hoc colligitur *ex Divo Tho. dicente*, (*l*) partes ſunt lib. in ang. ſed contr
ex quibus perfectio alicujus integratur, ſic homo dicitur perfectus, quando non caret aliquo ex membris, ſive partibus integrantibus ipſum, & ideò à ſimili dicendum eſt, quod pęnitentiæ perfectio integratur ex pluribus, *ſc. ex contritione*, *confeſſione*, *& ſatisfactione*, quæ verè partes ipſius pęnitentiæ ſunt.

At quod iſtæ partes pœnitentiæ verè partes ſint, & connexionem habeant, ſatis apparet ex hoc, quod pęnitentia eſt veluti quædam delictorum compenſatio ab ejus voluntate profecta, qui deliquit, ac Dei arbitrio, in quem peccatum commiſſum eſt, conſtituta: & ideò videtur requiri, & voluntas compenſandi, in qua maximè contritio verſatur, & pęnitens Sacerdotis judicio, qui Dei perſonam gerit, ſe ſubjiciat, neceſſe eſt, ut pro ſcelerum magnitudine pęnam conſtituere in eum poſſit, ex quo tùm confeſſionis, tùm ſatisfactionis ratio, & neceſſitas perſpicitur. *Juxta Div. Thom. & juxta Concilium Trid.* m 3 p q.90 a.2
Juxta Div. Thom. (*m*) docentem, requiritur, inquit, ex parte pęnitentis, primò quidem voluntas recompenſandi, (in pęnitentia namque fit recompenſatio offenſæ ſecundum voluntatem peccantis, & ſecundum arbitrium Dei, in quem peccatur, maximè quia hic ſolùm quæritur reconciliatio amicitiæ, quod fit, dùm offendens recompenſat ſecundum voluntatem ejus, quem offendit), quod fit per contritionem, quæ licet in corde, & pertineat ad interiorem pęnitentiam, virtualiter tamen pertinet ad exteriorem pęnitentiam, in quantum, ſcil. implicat propoſitum confitendi, & ſatisfaciendi. Secundò, ut ſe ſubjiciat arbitrio Sacerdotis loco Dei, quod fit in confeſſione; etenim Chriſtus Dominus dedit illis, ſcilic: Sacerdotibus poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Tertiò quod recompenſat ſecundum arbitrium Miniſtri Dei, quod fit in ſatisfactione, quæ confert gratiam, prout eſt pars Sacramenti pœnitentiæ, auget verò illam, prout eſt in executione; quod colligitur ex differentia, quæ eſt inter ſatisfactionem Sacramentalem, & non Sacramentalem; prima valet non ſolùm ſecundum ſe, ſed etiam ad virtutem clavium; ſecunda valet ſolùm ſecundum ſe, quoniam à clavibus non emanavit, quo circa plus prodeſt unus dies jejunii ex impoſitione confeſſoris, quàm abſque tali impoſitione. *Juxta Concilium Tridentinum dicendum eſt*, (*n*) Chriſtiani hominis pęnitentiam poſt lapſum, multò aliam n ſeſſ.6 c.14.
eſſe à baptiſmali, eamque continere non modo ceſſationem à peccatis, & eorum deteſtationem, aut cor contritum, & humiliatum; verùm etiam eorumdem Sacramentalem confeſſionem, ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam, & Sacerdotalem abſolutionem; itemque ſatisfactionem per jejunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia &c.

Et licet aliquando dicatur ſatisfactio fructus pęnitentiæ, tunc ſolùm intelligitur, quod ſit fructus pęnitentiæ virtutis, non verò eſt pars Sacramenti; etenim quatenus eſt pars Sacramenti à Chriſto Domino hoc accepit, per quod intelligitur & illud Joannis Bapti-

ſtæ,

Digitized by Google

ſtæ, quando dixit, ut habetur *Matt. & Lucæ*, facite fructus dignos pęnitentiæ, ut ſentit Div. Thom., (*o*) non quod Joannes fuerit actor præcepti, ſed denunciator; Chriſtus autem Sacramenti inſtitutor eſt, & partium ejus.

o cap. 3

Certum eſt enim, quod ut eſt pars Sacramenti pœnitentiæ *ipſa ſatisfactio*, plura ad illam requiruntur, quàm ad peccatum, & hoc rationabiliter, quia illa quodam bonum eſt, peccatum, quodam malum eſt, immò malum abſoluté; proveniens ex quocumque defectu, juxta illud, bonum ex integra cauſa, malum autem ex quocumque defectu; idcircò bené *D. Th. ait*, (*p*) plura requiruntur ad bonum, quod procedit ex integra cauſa, quàm ad malum, quod procedit ex ſingularibus defectibus: hinc licet peccatum perficiatur in conſenſu cordis, à quo trahit, quod ſit malum; tamen ad perfectionem pœnitentiæ, (quæ eſt quodam bonum,) plura requiruntur, & contritio cordis, & confeſſio oris, & ſatisfactio operis; ad perfectionem utique pœnitentiæ, unde *dicitur in Apocalypſi*, (*q*) pœnitentiam age, non ſuſcipe, nam multi ſuſcipiunt, ſed minimé faciunt; nam ad perpetranda peccata redeunt, ac ſi hæc minimé planxiſſent; boni promittores, ſed mali redditores, hinc Iſidorus, irriſor eſt, & non pęnitens, qui iterùm agit, quod pęnitet.

p ibi ad 4. *q Cap. 2.*

Cum igitur ad perfectionem pœnitentiæ requirantur illa tria, jam bené ſequitur, quod ſint etiam partes convenienter aſſignatæ ipſi pœnitentiæ, nullatenus verò partes ſubiectivæ ejuſdem, aliàs ſingulis partibus, utpoté ſubjectivis, adeſſet tota virtus pœnitentiæ, & ſimul, & æqualiter; eò feré modò, quod tota virtus animalis, in quantum animal eſt, ſalvatur in qualibet ſpecie animalis, quæ ſimul, & æqualiter dividunt animal: nec pariter ſunt partes potentiales, quia ſingulis partibus potentialibus adeſt totum ſecundum totam eſſentiam; ſicut tota eſſentia animæ adeſt cuilibet ejus potentiæ, cum ergo non ſint partes ſubiectivæ, neque potentiales, remanet, quod ſint partes integrales pœnitentiæ, ad quarum rationem, *notat D. Th.*, (*r*) exigitur, ut totum non adſit ſingulis patribus, neque ſecundum totam virtutem ejus, neque ſecundum totam ejus eſſentiam, ſed omnibus ſimul; eò maxime quia illæ dicuntur partes integrales, ex quibus perfectio totius integratur, & cum, ut jam diximus ex Div. Thom., & ex Conc. Trid., ex contritione, confeſſione, & ſatisſactione integretur perfectio ipſius pœnitentiæ; jam ſequitur, eſſe partes integrales ejus; habentes tamen ordinem virtutis adinvicem; ſicut & temporis, quia ſunt actus, quorum primus virtute eſt cor, poſtea *confeſſio*, deinde *ſatiſfactio*, utpoté ordine virtutis dependentes adinvicem: & prior tempore eſt contritio, quoniam prius debet eſſe dolor de peccatis, poſtea confeſſio, hoc eſt narratio illorum cum dolore, denique ſatisſactio, per quam & completur confeſſio, & adimpletur contritio; moventur enim adinvicem, nam cor movet os, os movet potentias operativas, Corde enim creditur ad juſtitiam, ore confeſſio fit ad ſalutem, & rectè operando aperitur aditus ad ingrediendam viam ſalutis, hoc autem fit ſatisfactione. Pœnitentia, percipe, non illa, quæ eſt Sacramentum, ſed illa, quæ eſt virtus dividitur in pœnitentiam ante baptiſmum, in pœnitentiam mortalium, & in pœnitentiam venialium; hoc docet Div. Thom., (*ſ*) hæc diviſio eſt pœnitentiæ, ſecundum quod eſt virtus; quod autem talis diviſio ſit ſufficiens, demonſtratur & ex ſcripturis & ex Div. Thom. Ex Sacris Scripturis, nam quantum ad pęnitentiam ante baptiſmum habetur *ex illo Actorum*, (*t*) pęnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum Manifeſtum eſt namque, quod loquebatur cum Judæis, qui jam adulti erant, & peccatores; Hinc Auguſt., exceptis parvulis, cæterorum hominum nullus tranſit ad Chriſtum, ut incipiat eſſe, quod non erat, niſi eum pęniteat fuiſſe, quod erat. Siquidem & *Petrus, ut legitur in Actibus Apoſtolorum* dum Chriſtum colendum annunciaret Judæis interrogantibus, quidnam facerent. Reſpondit; pęnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum.

r 1. p. q. 90. art. 1. *ſ 1. p. q. 90. art. 4.* *t Cap. 2.*

Quantum ad pęnitentiam peccatorum mortalium habetur *ibid.* (*u*) de Simone Mago jam baptizato, iſte impius effectus ante baptiſmum, ut recolitur ex Div. Hieron., ſe magnam dicebat eſſe Dei virtutem; ego ſum ſermo Dei; ego ſum ſpecioſus; ego Paracletus; ego omnipotens; ego omnia Dei; in impietate etiam permanere voluit poſt baptiſmum; etenim volebat emere Spiritum Sanctum, ſive poteſtatem dandi illum, obtulit eis pecuniam; Veré impius, ſi erat *omnia Dei, erat omnipotens, erat paracletus*, ad quid ergo offerre pecuniam, ut acciperet poteſtatem per impoſitionem manus dandi Spiritum Dei? ac Petrus edoctus à ſuo Magiſtro; quod dimittenda ſunt peccata non tantùm ſepties, ſed ſeptuagies ſepties peccanti, ideò dixit ad illum; cor tuum non eſt rectum coram Deo; pęnitentiam age ab hac nequitia tua; & roga Deum, ſi forté remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.

u Cap. 8.

Quantum ad pęnitentiam venialium *legitur in Matt.* (*x*) dimitte nobis debita noſtra, peccata namque ſunt debita noſtra, quæ & confiteri jubet Chriſtus Dominus, *hinc Concilium Milevitanum*, (*y*) placuit, ut quicumque verba ipſa Dominicæ orationis tibi dicimus; dimitte nobis debita noſtra, ita vult à Sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur, anathema ſit. Et veré, & rationabiliter anathematizatur ille, qui oppoſitum aſſerit; utpoté quia quis eſt ille, qui vivens in hoc Mundo, vitare poterit per ſe peccata? etenim nulli ex Sanctis conceſſum eſt, quia ad minus peccatum veniale incurreret; ſi ita res ſe habeat, ſicut firmiter credendum eſt, jam conſtat, peccatum quantumcumque veniale numquam remitti poſſe abſque pęnitentiæ virtute: ſic colligimus *ex Concil. Tridentin.* (*z*) ex verbis quę jam adduximus alibi, & ſunt, licet enim in hac mortali vita, quantumvis ſancti, & juſti &c. Ex Div. Thom. docente, virtus pęnitentię actum ſuum habet in hoc tempore, ſecundum quod convenit novę legis: convenit autem novę legis, ut per pęnitentiam deteſtentur peccata pręterita cum propoſito immutandi vitam in melius, quod eſt quaſi pęnitentię finis: Hinc facit illud Auguſt. non voluntatis ſuę arbiter cõſtitutus poteſt novam vitam inchoare, niſi veteris pęnituerit. Et quia moralia ſpeciem recipiunt ſecundum finem, inde ſequitur, quod conveniens eſt, ut diverſę ſpecies pęnitentię accipiantur ſecundum diverſas immutationes, quas pęnitens intendit: & cum triplex ſit à pęnitente immutatio intenta; prima, ut regenerentur homines in novam vitam, & hæc ad pęnitentiam pertinet, quæ eſt ante baptiſmum, hæc autem pęnitentia, quæ eſt ante baptiſmum, non eſt Sacramentum, ſed eſt actus virtutis diſponens ad Sacramentum baptiſmi, ante quem non diſtinguitur pęnitentia venialium, & mortalium, cum certum ſit, ante baptiſmum peccata venialia non eſſe ſine mortalibus, ac proinde peccatum veniale ſine mortali dimitti non poſſe ante baptiſmum.

x Cap. 6. *y Ca. 7. 8.* *z Seſſ. 6. 11.*

Secunda eſt immutatio per reformationem vitæ pręteritæ jam corruptæ per peccatum mortale, & hæc pertinet ad pęnitentiam mortalium poſt baptiſmum.

Tertia eſt immutatio in perfectiorem operationem vitæ, & hæc pertinet ad pęnitentiam venialium; venialia namque remittuntur per aliquem ferventem actum charitatis. Ex quibus omnibus redditur manifeſtum, quod iſtæ duæ ultimæ pęnitentię, venialium ſcilicet, & mortalium ſe habent, ſicut perfectum, & imperfectum; eò quia licet illa pęnitentia quæ delet mortalia, deleat etiam venialia, non tamen illa, quæ delet venialia, delet & mortalia, cum iſta ſint contra Deum, illa verò ſint tantùm pręter Deum, unde non dicunt averſionem, ſed potius tepiditatem quamdam ob diminutionem charitatis Dei, quem ſemper diligere debemus puro corde, & affectu, ut per ſuam miſericordiam infinitam adiuvet nos, & redimat nos, ab inſidiis inimicorum omnium, ab illis ſcilicet, qui lequeum mortis parant, ut nos incidamus, nec pereamus.

Super

Digitized by Google

Super quæſtionem Primam ex Supplemento de Partibus pœnitentiæ in Spieciali.

De Contritione.

AUdiant peccatores, quàm perneceſſarium ſit accedere ad Deum per veram contritionem, & hoc a Pſal. 33. audiant à *Pſalte*, (a) accedite ad Deum, inquit ipſe, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur. Quaſi dicat, accedite, non ſicut illi, qui per dolorem peccatorum approximantur ad Deum, verumtamen, quia verus dolor non eſt, ideò in tempore tentationis ab eodem recedunt: ſed accedite ad ipſum, ſicut illa mulier, quæ erat in Civitate peccatrix, iſta namque acceſſit ad pedes ejus, à quibus numquam receſſit per dilectionem, & ita fortiter diligebat, ut à monumento Domini diſcipulis recedentibus non receſſit, ſic ergo accedendum eſt ad Domini Jeſu pedes, qui lux vera eſt, & illuminat omnem hominem, propterea ipſe dixit, ego ſum lux Mundi, ambulate, dum lucem habetis, non vos tenebræ, *nempe peccata*, compræhendant; & facies veſtræ non confundentur; ne forte dicat Deus illud, *quod olim dixit de populo ſuo, quando ab eodem receſſit per peccatum Idololatriæ*, dereliquiſti Dominum creatorem tuum, & ad Deos alienos converſus es; ſed oretur ad Dominum cum Propheta, Domine fiat cor meum immaculatum in juſtificationibus tuis, ut non confundar, recedendo à lege tua, & à mandatis tuis; hoc totum antem fieri non poteſt niſi per contritionem veram; Quæ multipliter definitur à Patribus, attamen modò veluti præcipuam tradimus, nempe, quod ſit animi dolor pro peccatis aſſumptus cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi, & cum ſit talis inter actus virtutum enumeratur, etenim & actus meritorius eſt, & importat aliquam rectitudinem voluntatis; quæ tamen multoties propter deficientiam charitatis, & nominari poteſt attritio ob diſplicentiam imperfectam de peccatis commiſſis; & iſta attritio nequit fieri contritio ob diverſitatem principiorum, quæ habent, eò quia attritio habet pro principio timorem ſervilem contritio verò amorem filialem.

Primò agitur de Contritione, & meritò, quoniam inter partes integrales hujus Sacramenti prima, ac præcipua pars eſt contritio; certum enim eſt, quod prius homo debet dolere ſe commiſiſſe peccatum, præcipuè quia per ipſum offenditur Deus, qui eſt ſummum bonum, unde numquam debet pretermitti tempus aliquod, quod non ſit gemitus, atque planctus; ſic *in-*
b Pſal. 6. *quiebat David* (b) laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum. *Laboravi*, inquam, *dixit ipſe*, quia meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum, *hoc eſt ad memoriam reducebam omnia peccata mea, & illa deteſtabar*, ac proinde in lachrymis immerſus orabam ad Dominum, ut exaudiret vocem orationis ſervi ſui; & vidi, quod Deus, cujus miſericordiæ non eſt numerus, exaudivit vocem flectus mei; nec per hoc ceſſabam à gemitu, ſed *lavabam per ſingulas noctes lectum meum*, quia ſemper mihi erat dolor internus de peccatis meis; juxta illud, quod *dix. cum Div Thom.*, pœnitentia interior eſt, qua quis dolet de peccato commiſſo, & hæc eſt illa pœnitentia, quæ debet durare uſque ad finem vitæ, cum ſemper debeat diſplicere homini, quod peccavit;
c c. 38. ſic *& in Ezech.* (c) legimus ipſum dixiſſe, recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.
d p. ca. 15. Sic & habemus *de Paulo Corint.* (d) dicente, non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei; Nam etſi gratia Dei erat in illo, *ut ipſe ibid. teſtatur*, gratia Dei ſum id, quod ſum; gratia Dei ſemper in me manet, attamen quando recordabatur de injuſta perſecutione erga populum Deo fidelem, & Chriſto Domino, ſemper de hoc peccato contra Deum, & proximum commiſſo dolebat; juxta illud;
e hic n. 24. quod *in Catechiſmo legitur*, neque ad ullum temporis punctum, cum ad memoriam peccata præterita redeunt, vel cum aliquid offendimus contritione animus vacare debet. Hæc omnia à *Sacro Concil. Trid. confirmantur, dum ſtatuit*, Contritio, quæ primum locum f Seſſ. 14. cap. 24.
inter pœnitentiæ dictos actus habet, & animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius, & in homine poſt baptiſmum lapſo; ita demùm præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia divinæ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua coniunctus ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur.

Requiritur ergo & deteſtatio peccati, ſicut etiam ceſſatio à peccato, & novæ vitæ inchoatio, & propoſitum, *juxta illud Epheſ.*, (g) proiicite à vobis om- g cap. 18.
nes iniquitates veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facit vobis cor novum, & ſpiritum novum. Nec tantùm deteſtatio debet eſſe de peccato commiſſo manifeſtè, ſed etiam de omnibus, quorum homo memoriam habet, & etiam de jis, quæ poſt diſcuſſam pluries conſcientiam obliviſcuntur; *juxta Div. Thom.*, (h) in tempore præcedente juſtificatio- h p. 2. qu. 113. art. 5. ad 3.
nem oportet, quod homo ſingula peccata, quæ commiſit, deteſtetur, quorum memoriam habet, & ex ea conſideratione præcedenti ſubſequitur in anima quidam motus deteſtantis univerſaliter omnia peccata commiſſa, inter quæ etiam includuntur peccata oblivioni tradita, quia homo in illo ſtatu eſt ita diſpoſitus, ut etiam de illis, quæ non meminit, contereretur, ſi memoriæ adeſſent, & iſte motus concurrit ad juſtificationem. Et tandem *Tridem. Concilium* (i) in confirmationem etiam doctrinæ. *Div. Thom.* ſtatuit, ſi quis dixerit, eam contritio- i ib. can. 5.
nem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine, ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, fæditatem, amiſtionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum cum propoſito melioris vitæ non eſſe verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem: anathema ſit.

At quàm meritò deteſtatio de peccatis commiſſis, & propoſitum non peccandi de cætero dicatur contritio, conſtat ex hoc, quod contritio à comminuendo, vel conterendo dicitur; nam ad partes minimas reducit id, hoc eſt peccatum, quod prius ſolidum erat, hoc eſt perſeverantia in malum, & ſicut hanc odit Deus minans ruinas multas illis, qui in malitia perſeveraverint, *ut legitur in lib. Regum*, (l) ſi perſeveraveritis in malitia; & vos, & Rex veſter, (non enim reſpicit perſonas hominum Deus) l Libr. 1. c. 12.
pariter peribitis; ita numquam deſpicit cor contritum, & humiliatum; Qua de cauſa & Deus ſuperbis reſiſtit, utpotè quia initium omnis peccati eſt ſuperbia, per quam homo ſenſui ſuo inhærens à mandatis divinis recedit, & humiles exaltat, non ob aliud niſi quia proprium eſt humilium conteri. Verùm quia in ipſa contritione multa poſſunt conſiderari; ſcilicet ipſa ſubſtantia actus, modus agendi, principium, & effectus, hinc eſt, quod de contritione quamplures traduntur definitiones.

Prima ergo contritionis definitio eſt quoad ſubſtantiam actus, eſtque dolor pro peccatis aſſumptus cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi: at quia actus contritionis & eſt actus virtutis, & eſt pars Sacramenti pœnitentiæ, ideò manifeſtatur dicta definitio, *in quantum eſt actus virtutis* in hoc, quod ponitur genus ipſius ſcilicet *dolor*, obiectum in hoc, quod dicitur pro peccatis, & electio, quæ requiritur ad actum virtutis in hoc, quod dicitur aſſumptus; in quantùm verò eſt pars Sacramenti pœnitentiæ per hoc, quod tangitur ordo ipſius ad alias partes, cum dicitur *cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi.*

Secun-

Digitized by Google

Secunda defiuitio traditur per hoc , quod eſt actus virtutis tautùm, additur tamen ad talem definitionem differentia contraheus ipſam ad ſpecialem virtutem , ſ. pœnitentiam; dicitur enim, contritionem eſſe dolorem voluntarium pro peccato punientem in ſe , quod dolet commiſiſſe.

In hac definitione ponitur ly *dolor*, ut certò ſciamus, hunc dolorem non eſſe corporis dolorem ſed animi, *hinc Auguſtinus (m)* dolorem pœnitentiæ comitem eſſe, non pœnitentiam; additur *ly voluntarius*, ad exprimendum , quod contritio eſt voluntatis actio; & ad impugnandum illos, qui aſſerebant eſſe dolorem coactum, & conſequenter nec liberum.

m hom 50

Contra quos *ſtat illud Pſalm. (n)* quandiù ponam couſilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem ? Hinc edocemur à *Divo Thoma (o)* aſſerente contra iſtos dolorem eſſe voluntarium. Propterea & *Concilium Tridentinum (p)* damnat omnes illos, qui temerè ſentiunt oppoſitum, ſi quis, decrevit, dixerit, contritionem eſſe dolorem coactum; & non liberum, ac voluntarium ; anathema ſit.

n Pſ. 12.
o in ſup. q. 2 a. p.
p ſeſſ. 14. can. 5.

Tertia *eſt Iſidori de ſummo bono* , *(q)* contritio eſt compunctio , & humilitas mentis cum lachrymis veniens de recordatione peccati, & timore judicii . Et hæc quidem tangit rationem nominis in hoc , quod dicit *humilitas mentis*, quia ſicut per ſuperbiam aliquis in ſuo ſenſu redditur rigidus , ita per hoc , quod à ſuo ſenſu recedit contritus, humiliatur; pariter tangit modum exteriorem in hoc, quod dicit *cum lachrymis*, & principium contritionis in hoc , quod dicit *veniens de recordatione peccati* , *& timore judicii*.

q l. 2 c. 12.

Alia eſt *Divi Auguſtini ſuper Pſalm. (r)* & tangit effectus contritionis ; contritio eſt dolor remittens peccatum diſpoſitivè , ſcil juxta id , quod ſtatuit *Concilium Tridentinum* , *(ſ)* & quamvis ſine Sacramento pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad gratiam Dei in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit.

r 146. ſi quis ſanat
ſ 14. c. 4.

Alia *Divi Gregorii ex hom. ſuper Ezech. (t)* contritio eſt humilitas ſpiritus annihilans peccatum inter ſpem, & timorem, & hæc tangit rationem nominis, in hoc, quod dicit , *contritio eſt humilitas ſpiritus*; & effectum ejus, in hoc, quod dicit, *annihilans peccatum* , originem in hoc, quod dicit *inter ſpem, & timorem*, nec ſolum ponit cauſam principalem , quæ eſt timor, ſed etiam cauſam, quæ eſt ſpes, ſine qua timor deſperationem facere poſſet.

t hom. 22.

Ex his ergo colligendum eſt , quod contritio debet habere ſeptem conditiones; Prima conditio eſt, ut ſit *diſcreta*, hoc eſt, quod non debet deſperare de venia, ſed ſperare de Miſericordia Dei , *juxta illud Divi Ambroſii*, nemo deſperet Judam proditorem , non ſcelus, quod commiſit, ſed ſua deſperatio fecit eum penitus interire . Quod confirmat *Sanctus Leo Papa ſerm. de paſſion Domini*, *(u)* Redi in integrum, & depoſito furore reſipiſce , clementia invitat , ſalus pulſat, ad vitam te vita revocat , quaſi dicat , noli deſperare de divina miſericordia , Chriſtus namque venit ad ſanandum infirmos, ad ſalvandum perditos , ad redimendum captivos, & ſunt illi, qui ſervi facti ſunt peccati; Hinc *Petrus aiebat (x)* patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti , quia omnes præceptis , conſiliis, minis, præmiis , à periculis revocat.

u ſer. 9.
x 2. c. 3.

Unde & *in Ezech.* legimus; & quare moriemini Domus Iſrael? quia nolo mortem morientis , dicit Dominus. Revertimini, & vivite . Propterea inquit Divus Aſterius ſerm. de pœnitentia de Juda ; equidem arbitror Judam proditorem , niſi ſui carnifex fuiſſet, ſi ad genua accedens miſericordiam deprecatus eſſet; veniam, quæ omni petenti conceditur , conſecuturum fuiſſe . Et Leo ait , flexiſſet miſericordiam , ſi ejus omnipotentiam non negaſſet.

Secunda conditio eſt, quod ſit *amara* , nam ſemper dolens debet eſſe de peccatis commiſſis, & cum metu, ſecundum illud , Divi Auguſtini ſcriptum eſt *in lib. Eccl. (y)* de propitiato peccato noli eſſe ſine metu; Et ideò Ezechias hæc conſiderando dicebat ; recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: & ecce dolor, quem habebat ſe commiſiſſe peccata; & poſtea dicebat, ecce in pace amaritudo mea amariſſima; quaſi diceret, quamvis in gratia Dei conſtitutus ſim, attamen ſemper mihi reſtat ob memoriam delictorum meorum in anima amaritudo mea amariſſima.

y cap. 6.

Tertia conditio eſt, quod ſit *lachrymoſa* , non quia lachrymæ in contritione neceſſariæ ſint, quamvis optandæ; *juxta Divum Aug. ſerm. de Sanctis*, non ſunt *(z)* in te Chriſtianæ charitatis viſcera , ſi luges corpus , à quo receſſit anima; animam verò, à qua receſſit Deus, non luges: optandæ tamen ſunt , immò & commendandæ ſicut dicitur ultrà de Ninivitis, de Davide , etiam de peccatrice illa, quæ lachrymis rigavit pedes Jeſu, & de Petro, qui flevit amarè: illi omnes plurimis lachrymis miſericordiam Dei implorantes peccatorum veniam impetrarunt . Hinc Bernardus ſuper Cant. in laudem lachrymarum pœnitentium ait, lachrymæ pœnitentium vinum ſunt Angelorum , quia in illis eſt dulcor vitæ , ſapor gratiæ , guſtus indulgentiæ, ſanitas redeuntis innocentiæ , reconciliationis jucunditas , & ſerenatæ conſcientiæ ſuavitas.

z ſer. 41.

Quarta conditio eſt , quod ſit *præmeditata* ; nam valdè difficile eſt , quod ſtatim poſt peccatum peccator conteratur , poteſt æque bene accidere , quod diſpliceat, quod peccavit, conſiderando turpitudinem , & fœditatem peccati , non verò deteſtando , & odium habendo peccato, ut requiritur ad perfectam contritionem , cum enim perfecta contritio ſit charitatis actio, quæ ab eo timore , qui filiorum eſt, proficiſcitur , patet eumdem charitatis, & contritionis modum ſtatuendum eſſe, at quoniam charitas, qua diligimus Deum, perfectiſſimus eſt amor , hinc fit, ut vehementiſſimum animi dolorem conjunctum contritio habeat; etenim ſicut maximè diligendus eſt Deus, ità quæ à Deo nobis abjerunt, deteſtari maximè debemus: immò & vehementiſſima debet eſſe, ſicut ſcriptum eſt *in Deuter. (a)* cum quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum; ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ; hæc eſt vera dilectio charitatis. Rurſus *in Jerem.* legitur , *(b)* quæretis me, & invenietis : cum quæſieritis me in toto corde veſtro, & inveniar à vobis , ait Dominus; Ecce ergo quomodo præmeditari debemus , & diligere Deum, à quo numquam ſeparari debemus , & deteſtari peccata.

a cap. 4.
b cad. 29.

Quinta conditio eſt, quod ſit *univerſalis*, de omni peccato actuali, & mortali, ſed illa conditio infrà cum D. Th. explicabitur.

Sexta, ut ſit *continua*, ut jam diximus ſupra Div. Thom.

Septima, ut ſit *de ſingulis peccatis*, ob quod dicitur *à Divo Auguſtino (c)* conſideret peccator qualitatem criminis in loco, in tempore, in veritate, & in perſona. Quantum verò ed definitiones ejuſdem dicendum eſt etiam; & præcipuè circa primam , in qua diximus, *cum propoſito confitendi* , *& ſatiſfaciendi*; quia licet tota pœna per contritionem poſſit dimitti, ut certè putandum eſt hoc eveniſſe Mariæ Magdalenæ , cui remiſſa fuerunt peccata multa, quia dilexit multum: & hoc aliquando, non ſemper, ut etiam ſtatuitur *à Concilio Tridentino* , *(d)* ſi quis dixerit , totam pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper à Deo ; anathema ſit; adhuc tamen neceſſaria eſt confeſſio, & ſatisfactio , eò quia confeſſio , & ſatisfactio ſunt in præcepto , ideòque *ait Divus Thomas (e)* ſi non confiteretur, & non ſatisfaceret , tranſgreſſor conſtitueretur.

c cap. 14.
d ſeſſ. 14. can. 12.
e ib. ad 7.

Dicitur *cum propoſito*, quia in caſu neceſſitatis poteſt exerceri contritio, ut ſi quis in periculo conſti-

tutus

Digitized by Google

tutus huic ſufficit contritio (perfecta tamen , cum illa includat dolorem , & deteſtationem peccati propter Deum ſummè dilectum , hoc eſt vinculum charitatis, per quod diſcernuntur filii Dei à filiis diaboli, iſti enim & diligere neſciunt, & charitatem ignorant, *juxta Auguſtinum* (*f*) dilectio ſola diſcernit inter filios Dei, & filios diaboli.) Additur tamen , & ſufficit, quod habeat propoſitum confitendi, & ſatisfaciendi, ſi à periculo poſtea evadat. Juxta illud, *quod definitum fuit à Concilio Tridentino* (*g*) docet propterea etſi contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat , hominemque Deo reconciliare , priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur ; ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni , ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam . Rurſus habetur *ex eodem Concilio* (*h*)Chriſtiani hominis pœnitentiam poſt lapſum, multò aliam eſſe à baptiſmali, eamq; continere, non modò ceſſationem à peccatis,& earum deteſtationem,aut cor contritum, & humiliatum : verùm etiam eorumdem Sacramentalem confeſſionem , ſaltem in voto , & ſuo tempore faciendam, & Sacerdotalem abſolutionem; itemque ſatisfactionem per jejunia , &c. non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento , vel Sacramenti voto, unà cum culpa remittitur , ſed pro pœna temporali , &c. dicitur *aſſumptus* , quia licet ſit à Deo ſolo quantum ad formam , qua informatur, tamen quantum ad ſubſtantiam actus eſt à libero arbitrio, & à Deo,qui cooperatur in omnibus operibus, & naturæ ,& voluntatis.

f 1. c. in Ep. 1. Joan.

g ſeſſ. 14. cap. 4.

h ſeſſ. 6. c. 14.

Et meritò ponitur *h dolor* in data definitione, quia licet peccata, quando acciderunt, voluntaria fuerint, tamen quando de eis conterimur , voluntaria non ſunt , ac per conſequens meritò dolor dicitur eſſe de his; quæ nobis nolentibus accidunt, non quidem ſecundum voluntatem , quam tunc habuimus , cum ea volebamus, ſed ſecundum illam, quam nunc habemus, qua vellemus, quod numquam fuiſſent.

Sicut & meritò ponitur in ſeconda definitione , quod contritio ſit *actus virtutis*, etenim actus meritorius eſt, quod autem meritorium eſt , virtuoſum eſt; Etenim , *ut ait Divus Thomas* , (i) hic non loquitur de contritione ſecundum proprietatem nominis ſui , quia ſi hoc modo loqueretur,potiùs ſignificaret quamdam paſſionem corporalem , ſiquidem contritio, ut nomen ſonat , nihil aliud ſignificat, quàm reductio uſque ad partes minimas, utpote quia derivatur à verbo *contero*,) quàm actus virtutis; ſed ſolùm loquitur de eo, ad quod ſignificandum hoc nomen per ſimilitudinem adaptatur: Undè de ſe contritio importat aliquam rectitudinem voluntatis, & cum importat hujuſmodi rectitudinẽ,videtur conſequenter, quod ſit actus virtutis Pœnitentiæ ſ. cujus eſt peccatum præteritum deteſtari, & deſtruere . Quod magis explicat *Divus Thomas* (*l*) dicendo, in contritione eſt duplex dolor de peccato : unus in parte ſenſitiva, quæ paſſio eſt, & hic non eſt eſſentialiter contritio, prout eſt actus virtutis, ſed magis effectus ejus: Licet ex alio capite hic dolor poſſit pertinere ad contritionem , in quantum eſt pars Sacramenti , cum Sacramenta non ſolùm in interioribus actibus, ſed etiam in exterioribus, & in rebus ſenſibilibus nata ſint eſſe .

i 4 par. in ſup. q. 2.

Alius eſt in voluntate , qui nihil aliud eſt, quam diſciplicentia alicujus mali, ſecundum quod effectus voluntatis nominentur per nomina paſſionum ; & hoc pactu contritio dicitur dolor per eſſentiam , eſtque actus virtutis pœnitentiæ . Et in Catech. legitur idem, (*m*) quod autem contritio dolore definita eſt , monendi ſunt fideles, ne arbitrentur eum dolorem corporis ſenſu percipi , contritio enim eſt voluntatis actio Tùm quia dolor in inferiori animæ parte , quæ vim concupiſcendi habet , ex ipſa contritione oritur, ut non incommodè contritio dolore definita fuerit, quod dolorem efficiat, ad eumque ad declarandum pœnitentes veſtes etiam mutare ſoliti ſint . De quo Dominus *apud Matt.* (*n*) inquit; Væ ſ: *gravis increpatio, & æternæ pœnæ comminatio* , ut notat *Divus Thomas* (*o*) tibi Corozain, & Bethſaida , quia ſi in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes , quæ factæ ſunt in vobis, olim jam in cinere , & cilicio pœnitentiam egiſſent; Chriſtus namque Dominus omnia operatus eſt in terris Judæorum, ut viſis tot ſignis, quæ faciebant, crederent in eum, non verò in terris gentium, cum ipſe dixerit, non ſum miſſus , niſi ad oves, quæ perierant Domus Iſrael; Poſtea verò prædicantibus ,& Evangelizantibus Diſcipulis, Tyro & Sidon crediderunt, ut notat Rabanus. Diximus, quod contritio dicitur à *conterendo* , *ſive à terendo* , ut per hoc intelligatur differentia , quæ reperitur inter attritionem, & contritionem; quod prima dicit diſplicentiam de peccatis commiſſis imperfectam, conſiderantur namque per iſtam & turpitudo peccati, & metus gehennæ , & pœnarum. Secunda verò dicit diſplicentiam de peccatis commiſſis perfectam, & talis differentia deſumitur ex propriis nominibus, quia attrita dicuntur, quæ aliquo modo diminuta ſunt, ſed non adhuc perfectè ſunt comminuta ; contrita verò dicuntur , quando omnes partes triiæ ſunt ſimul per diviſionem ad minima . Unde ſequitur ex his, quæ ſicut ea, quæ ſunt attrita , contrita non dicuntur , ſic pariter attritio nequit dici , immò nec fieri ex diverſitate principiorum , quæ habent, cum attritio habeat pro principio timorem ſervilem, contritio verò timorem filialem . Amor enim differt à timore per hoc , quod amare proprium eſt filiorum, timere verò proprium ſervorum eſt, & Deus non vult , ut timeatur ab hominibus ſerviliter, quaſi Dominus,ſed ut diligatur,quaſi Pater, qui adoptionis ſpiritum hominibus donavit: Et ut veniamus ad rem noſtram,certum eſt, quod attritio , dùm eſt ſub ratione attritionis non poteſt fieri contritio, & ſic actus attritionis numquam fieri poteſt actus contritionis, cum actus contritionis non maneat veniente contritione; maximè etiam quia attritio, & contritio dicunt tantùm actum , non habitum ; eò ferè modò, quo *docet Divus Thomas* (*p*) licet habitus fidei informis fiat formatus, numquam tamen actus fidei informis ſit actus fidei formatæ ; eò quia ille actus informis tranſit , & non manet veniente charitate . Hoc & à Concilio Tridentino videtur confirmatum , ſiquidem dùm de attritione loquitur, numquam dicit, quod attritio quandòque fiat contritio, quamvis dicat quod attritio diſponit ad gratiam impetrandam in Sacramento pœnitentiæ; Aliud eſt diſponere ad contritionem gratiam informatam , aliud eſt converti in contritionem , quod ut manifeſtum fiat , *adducuntur verba Concilii*, (*q*) illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur , quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ , & pœnarum metu communiter concipitur: ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ , declarat non ſolum non facere hominem hypocritam , verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis; quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat; & poſtea dicit, hoc enim timore utiliter concuſſi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt , & miſericordiam à Domino impetrarunt.

m 2. p. nu. 27.

n cap. 11.

o Opuſ. 58. c. 3.

p in ſupp. q. 1. a. 3.

q ſeſſ. 14. cap. 14.

Super Quæſtionem Secundam.

De Objecto Contritionis.

HOmo adhærendo huic ſeculo contrahit amicitiam cum illo , per quam conſtituitur poſtea inimicus Dei , attento illo, quod *Jacobus ſcripſit* (*a*) quicumque voluerit amicus eſſe ſeculi hujus , inimicos Dei conſtituitur : talis verò adhæſio alio modo non fit ab homine, niſi propter peccatum, illud

a cap. 4.

tanta

Digitized by Google

tantam vim habet, ut homo per ipſum reddatur ingratus beneficiis à ſumma Dei largitate ei præſtitis; immemor illius, quod in primordiis creationis acciderit parentibus noſtris, immemor, quod creatus ſit propter beatitudinem conſequendam, hæc eſt enim ultimus finis, per quem creavit illum Deus, ut ſpretis mortalibus ſpoliis deveniret ad poſſeſſionem illius regni, cujus hæredem conſtituit illum Omnipotens, in quo eſt ſatietas plena, *ut teſtis eſt David dicens*, ſatiabor, cum apparuerit gloria tua; ſpernit ergo homo per peccatum ea, quæ ſunt Dei, ut tantùm ſuo concupiſcibili adhæreat, propter quod amittit gratiam, quæ eſt via ducens ad vitam, *gratia Dei vita æterna*; amittit juſtitiam, de cujus ratione eſt, dare unicuique, quod ſuum eſt, maximè tamen Deo, cui omnia debemus, immò cujus ſunt omnia, ut ipſe dixit, mea ſunt omnia; Omnia illi debemus, quoniam ipſe creavit nos, Ipſe redemit, nos, ipſe ſalvavit nos de manu odientium; & nihilominus per peccatum homo recedit à Deo. Hoc totum facit amicitia hujus Mundi. Hanc igitur reſpuamus, ut denuò amicitiam Dei acquirere poſſimus, ſic nobis promiſit veritas dicendo, vos amici mei eritis, ſi feceritis, quę pręcipio vobis; propterea ſi deſecimus à lege mandatorum ſuorum peccando, renovamus greſſus noſtros per pœnitentiam; Siquidem hæc eſt illa virtus, quam maximoperè diligit Deus, dummodo verè ſit ab hominibus peccatoribus deteſtantibus peccata: ut autem perfecta ſit, debent conteri de culpa, utpotè quia contritio importat alicujus duri, & integri comminutionem, quæ integritas, & duritia invenitur in malo culpæ, ad differentiam mali pœnæ, quæ dicit ſimpliciter diminutionem, de quo malo utique poteſt eſſe dolor, ſed non contritio.

De malo ſolo culpæ conteri debent peccatores, & rationabiliter cum voluntas ſit cauſa ipſius, iniquè agendo, etenim peccatum eſt iniquitas, idcircò de omnibus peccatis actualibus commiſſis per proprium velle debet eſſe contritio; ut excludatur peccatum originale, de quo non poteſt eſſe contritio, cum iſtud inductum non ſit voluntate noſtra, ſed eſt ſolùm contractum ex vitiatæ naturæ origine, licet poſſit eſſe de eo diſplicentia, & dolor, cum inferat omnes pœnalitates, quæ abſque reatu culpæ in hac mortali vita ſuſtinentur: ploramus de infirmitate noſtra, & dolemus de noſtra miſeria, quoniam videmus nos ſubditos peccatis ſaltem per inclinationem; ſicut & per charitatem dolemus de peccatis alienis, parum tamen non erit, ſi de peccatis actualibus à ſemetipſo commiſſis conteratur, ſiquidem virtus Dei eſt, *ideòque bene ajebat ille*, qui dixit auxilium meum à Domino, indigemus namque auxilio Dei, ut de omnibus conteramur; & rationabiliter, eò quia in omnibus peccatis actualibus duritia quædam eſt, quæ ut tollatur, oportet, ut per contritionem comminuentem remittantur; quod debet tamen eſse de præteritis, non de futuris, ſiquidem de iſtis debet eſse magis cautio, quàm contritio, cum cautio ſit pars prudentiæ contritioni adiuncta, prudens enim eſt ille, qui dolet de præterito, & cavet de futuro; cæterum pœnitentia eſt virtus moralis, quæ eſt pars juſtitiæ; juſtum eſt enim, ut unuſquiſque rationem reddat de villicatione ſua, hoc eſt, de ſuis operationibus jam tranſactis.

Contritio cum importet *alicujus duri*, *& integri comminutionem*, de cujus ratione eſt reducere hoc, quod in ſe ſolidum erat ad partes minimas, hinc eſt, quod cum talis duritia, & integritas inveniatur in malo culpæ, (iſtud namque malum facit hominem ſimpliciter malum, cum per malum culpæ magis alienetur à Deo, & de facto aſſerit *D. Thom.*, (*b*) culpa ſeparat à Deo ſeparatione, quæ opponitur unioni charitatis, ſecundum quam quis vult bonum ipſius Dei ſecundum quod in ſe eſt,) rectè ſequitur, quod contritio ſolùm de malo culpæ eſſe debeat, non verò de malo pœnæ; nam pœna, ut *ait D. Th.*, (*c*) ſimpliciter dicit diminutionem, ideòque ſolùm de malis pœnæ poteſt eſſe dolor, ſed non contritio. Et ſi pęnitens debeat dolere ex hoc, quod virtute ſe privavit, attamen ille dolor, quo quis dolet de ammiſſione virtutis per peccatum, non eſt eſſentialiter ipſa contritio, ſed principium ejus; principium autem rei non eſt ipſa res, ſicut principium ſcientiæ non eſt ipſa ſcientia.

b In diſp. q. 1. de malo art. 4. ad 3.

c In ſuppl. q. 3. & ad 2.

Contritio cum ſit dolor pro peccatis aſſumptus cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi, hinc eſt, quod ſolùm debet eſſe contritio de peccatis commiſſis per liberam voluntem noſtram. Hæc ſunt illa, de quibus verè dolere debemus, & ore confiteri, & pro illis, quantum poſſibile eſt, ſatisfacere; de quorum numero peccatorum non eſt peccatum originale: etenim iſtud etſi contrahitur, attamen ſine noſtra voluntate, propterea aſſeritur nihil de voluntario habere, niſi fortè in quantum voluntariè originatum fuerit ab Adam, nam ipſo peccante peccavit humanum genus in illo, ſeù in omnium Patre; cujus voluntas, vi originis, tanquam truncus, aut ſtipes ramos omnes infecit, ut deſumitur *ex D Th.* (*d*) peccatum orignale non eſt noſtra voluntate peractum, niſi fortè in quantum voluntas Adæ reputatur noſtra ſecundum modum loquendi, quo *Apoſtolus dicit ad Rom.*, (*e*) in quo omnes peccaverunt; & egent gloria Dei, & rurſus *ibid.*, (*f*) per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt. Et in confirmationem doctrinę *D Th. ſtatuitur à Concil. Trident.*, (*g*) ſi quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli, & non ejus propagini aſſerit nocuiſſe; acceptam à Deo ſanctitatem, & juſtitiam, quam perdidit ſibi ſoli, & non nobis eam perdidiſſe, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum mortem, & pœnam corporis tantùm in omne genus humanum transfudiſſe, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ; anathema ſit; cum contradicat Apoſtolo dicenti per unum hominem peccatum intravit in Mundum, &c. Quapropter & nos privati ſumus & fructu illius arboris vitalis, quæ quaſi ad immortalitatem hominem in illo ſtatu innocentiæ perſeverantem ducebat, & damnati ſumus in ſudore vultus noſtri veſci pane noſtro, idcircò omnia mala nobis evenerunt per ipſius Adæ prævaricationem; de cætero inferendum non eſt, quod etiam de originali peccato debeat eſſe contritio; eò maxime quia *docet Div. Thom.*, (*h*) contritio non eſt de peccato ratione ſubſtantiæ actus tantùm, quia ex hoc non habet rationem mali, neque ratione deformitatis tantùm, quia deformitas de ſe non dicit rationem culpæ, ſed quandòque importat pœnam, ut importat peccatum originale; cæterum debet eſſe de peccato contritio, in quantum importat deformitatem ex actu voluntatis provenientem, quæ cum non ſit in peccato originali, de iſto conſequenter non debet eſſe contritio; & ideò relinquitur, *ait D. Th.* (*i*) quod ſolùm de illis peccatis poſſit eſſe contritio, quæ ex duritia voluntatis noſtræ in nos proveniunt; itaque cum originale peccatum non ſit noſtra voluntate inductum, ſed ex vitiatæ naturæ origine contractum, hinc ſequitur, quod licet de peccato originali poſſit eſſe diſplicentia, vel dolor, quoniam & dolemus de pœnalitatibus, quæ quotidie nobis accidunt, & diſplicet miſeria, in qua nati ſumus, & perpetuò nos agitat; non tamen propriè loquendo poteſt eſſe contritio. Hoc colligitur *Ex illo Actorum*, (*l*) pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum, quo in loco videtur apertè contritionem eſſe non poſſe de peccato originali; nam per hanc pœnitentiam non intelligitur contritio illa, quæ eſt pars Sacramenti pœnitentiæ; alioquin dicendum erit, quod antequam januam domus quis intraret, eſſet jam intra domum, intratur enim intra domum Eccleſiæ per baptiſmum, cum iſte ſit janua omnium Sacramentorum, & non per Sacramentum pœnitentiæ, ſed ſit tantùm intra domum cum omnibus ſuis partibus integralibus; unde cum ſit intra domum, impoſſibile eſt, ut per illam pœnitentiam ante baptiſmum intelligatur contritio, quæ eſt pars Sacramenti pœnitentiæ; cum impoſſibile ſit, aliquem intra domum reperiri, antequam januam ingrediatur; igitur non de peccato originali, ſed de omnibus illis pecca-

d 3. p. q. 84. art. 7. ad 2.

e cap. 3.

f Cap. 5.

g Seſſ. 5. cap. 2.

h In ſuppl. q. 2. art. 2. ad 1.

i ibid. in co.

l Cap. 2.

Digitized by Google

peccatis actualibus, utpotè provenientibus ex duritia noſtræ voluntatis debet eſſe contritio, quæ ad juſtificationem requiritur, & nemo juſtificatur, niſi prius peccatum dimittatur. Et rurſus omnis actualis culpa ex hoc coutingit, quod voluntas noſtra legi Dei non cedit, vel eam tranſgrediendo, vel omittendo, vel etiam præter eam agendo; hoc totum facit duritia cordis humani, quod in electione potius ſe vertit ad malum, quam eligat bonum; unde quid mirum ſi in omni peccato actuali duritia quædam eſt voluntatis, ut autem ſanetur voluntas humana ab hac gravi infirmitate, quam patitur ob duritiam provenientem ex actuali peccato, in quo ſi immoretur, & delectetur ob inclinationem depravatæ naturæ, jam peccatum mortale reſultat, ſi verò, ſi autem tepeſcat, & in charitate frigidus, jam conſtat eſſe peccatum veniale, ideò videtur neceſſarium, ut per contritionem comminuentem remittatur.

Et licet ſint quædam peccata, quæ per triſtitiam committantur, ut patet *de acedia, invidia, &c.* opus eſt, ut ſanentur alia triſtiria, quæ contritio dicitur; non enim gaudere debet ille, qui conteritur de peccatis *acediæ, invidiæ, &c.* ſed triſtitiam pati de commiſſione horum peccatorum, & per negligentiam circa bonum ſpirituale, & per carentiam dilectionis, quam ſemper erga proximum monſtrare debemus; ideircò non ſtat illud axioma, *contraria contrariis curentur*, ſiquidem & *Div. Thom. docet*, (m) quod contritio opponitur peccato ex parte illa, quæ ex electione voluntatis procedit, non ſequentis imperium divinæ legis, præcipit namque, ut loquamur in ſubiecta materia, ut primò quæramus regnum Dei, ut evitemus acediam, per quam negligentes redduntur homines circa divina, unde & à quibuſdam ſolet deſcribi *acedia, quod ſit ſtupor mentis bona negligentis inchoare*; ſecundò ut proximum diligamus, ut evitemus triſtitiam de bono proximi, ut ex Damaſceno definitur *invidia eſt triſtitia de alienis bonis*, hæc duo vitia immediatè opponuntur charitati, quæ eſt prima baſis legis, in his, ſcriptum eſt, duobus mandatis univerſa lex pendet &c.; non verò ex parte ejus, quod eſt in peccato materiale, hoc enim eſt illud, ſuper quod cadit voluntis electio, hæc antem cadit, & ſuper actus aliarum virium, quibus voluntas ad ſuum finem utitur, ut etiam ſuper actum proprium ipſius voluntatis, quia voluntas vult ſe velle aliquid; & ſic electio voluntatis cadit ſuper dolorem illum, ſive triſtitiam, quæ invenitur in peccato *acediæ, invidiæ, & hujuſmodi*.

m In ſuppl. ... ad 3

Diximus, quod debeat eſſe contritio de omni peccato actuali; ne excludantur illa, quæ per oblivionem non recordantur; *juxta Div. Thom.*, (n) de oblito tamen adhibita diligentia, unde ait, aliquod peccatum poteſt eſſe oblitum, aut ita quod in generali memoria maneat, ſed non in ſpeciali, & tunc debet homo cogitare ad inveniendum peccatum, cum de quolibet peccato mortali teneatur homo ſpecialiter conteri; ſi autem invenire non poſſit, juſta adhibita diligentia ſufficit de eo conteri, ſecundum quod in notitia tenetur, & debet homo non ſolùm de peccato, ſed etiam de oblivione ejus dolere, quæ ex negligentia *contingit*. Si autem peccatum omninò à memoria exciderit, tunc ex impotentia faciendi excuſatur à debito, & ſufficit generalis contritio de eo, in quo Deum offendit. Verùm quando impotentia tollitur, quod fit, quando in memoriam revocatur peccatum, tunc tenetur homo ſpecialiter conteri, ſicut etiam de peccato per ignorantiam commiſſo.

n ib. ad 2.

Diximus *de omni peccato actuali debere eſſe contritionem*, & modò addimus, de omni peccato actuali præterito tamen, certum enim eſt, quod ſi pœnitentia reſpicit tantùm præterita, etiam contritio, cum ſit pars pœnitentiæ, reſpicere debet tantùm præterita. unde & dolere debemus de his, quæ malè egimus, ſicut & orare tenemur, ut à Deo detur nobis auxilium, ad cavenda futura: ideòque *Div. Thom.* (o) ait, proprius actus pœnitentiæ eſt in ejus objectum proprium, quod eſt peccatum commiſſum; unde & ejus actus proprius, & principalis, ſcilicet *contritio*, ſecundum ſuã ſpeciem reſpicit tantùm peccatum præteritum: minus principaliter tamen reſpicere peccatum & futurum poteſt, ſecundum quod habet aliquid de actu prudentię adiunctum. Minus principaliter utique, quia in illud futurum ſecundum rationem propriæ ſpeciei non movetur, ac per conſequens ille, qui conteritur, dolet utique de peccato pręterito, & cavet futurum. Et ſic concluditur, quod de peccato futuro magis cautio, quæ eſt pars prudentiæ (etenim *& Paulus ait*, (p) videte, quomodo caute ambuletis, Hinc *Div. Thom. ibid.*, (q) cautio quædam conditio prudentiæ, per quam aliquis vitat impedimenta agendorum; Qui cautè non ambulat, Inſipiens eſt, non ſapiens. Itaque neceſſaria eſt cautio ad prudentiam, ut ſic accipiantur bona, quod vitentur mala) quàm contritio, quæ eſt pars pœnitentiæ eſſe debet; ut deſumitur etiam ex *Div. Auguſt.* in Regula dicentè, doleat de præterito, caveat de futuro, ut ſibi debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur.

o In ſuppl. ... art. 4.

p Cap. 5.

q 16. lect. 5

Et licet peccatum aggravetur ex conſequenti effectu, tamen ille effectus conſequens, qui peccatum aggravat, jam in actu præceſſit, veluti in cauſa, & ideò quando commiſſum eſt, totam ſuam quantitatem habuit, & ex effectu conſequente non accreſcit ei aliquid quoad culpæ rationem, non enim augetur peccatum adulterii per hoc, quod poſt commiſſum adulterium delectetur quis in ſe de illo actu præterito, licet accreſcat quoad pœnam accidentalem, ſecundum quod plures habebit rationes dolendi in inferno de pluribus malis ex ſuo peccato conſecutis; affertur & illud, quod Div. Hieronymus dicit de Arrio, pœna Arrii nondùm eſt terminata, quia adhuc eſt poſſibile aliquos per ejus hæreſim ruere, quibus corruentibus ejus pœna augetur, quoad pœnam, ſcilicet accidentalem; eo modò quò dictum fuit de Berengario, forſan peccatum te gravabit alienum, dùm deletum fuerit tuum; quoad pœnam, ſcilicet accidentalem. Ex his clarè videtur, contritio non poſſe eſſe niſi de præteritis peccatis; & non de futuris; nec obſtat dicendo, quod liberum hominis arbitrium dicitur eſſe de contingentibus futuris; quoniam ſi benè fiet conſideratio, patebit conſideranti, quod liberum arbitrium dicetur eſſe de futuris contingentibus, ſecundum quod eſt de actibus, & non ſecundum quod eſt de obiectis actuum. *Unde Div. Thom. docet*, (r) utique homo poteſt cogitare ex libero arbitrio de rebus præteritis, & neceſſariis, attamen ipſe actus ſecundũ quod ſub libero arbitrio cadit, contingens futurum eſt; & ideò mirum non erit, ſi etiam actus contritionis contingens futurum ſit, ſecundum quod ſub libero arbitrio cadit, quamvis ejus obiectum poſſit eſſe præteritum.

r ib. ad 1.

Diximus *de omni peccato actuali præterito tamen, & mortali*, & modò dicitur, quod de omnibus, & ſingulis peccatis mortalibus debeat eſſe contritio, & rationabiliter, cum de omnibus, & ſingulis debet eſſe confeſſio; ex quo relucet differentia inter baptiſmum, & contritionem in delendo peccata actualia; nam baptiſmus agit in virtute meriti Chriſti, qui habuit infinitam virtutem ad delenda omnia peccata, actuale ſcilicet, & originale, adeòque unus ſufficit contra omnia peccata; & etiam quia eſt ſpiritualis regeneratio, generatio autem fit per remotionem omnium accidentium contrariorum rei generatę, quę erant accidentia rei corruptę, cęterum in contritione cum merito Chriſti requiritur actus noſter, nam & nos cooperari debemus ad ſalutem noſtram per pœnitentiam, quę eſt quędam ſpiritualis ſanatio, quę recuperari nequit, niſi omnia, & ſingula peccata mortalia tollantur, & ſicut tolluntur per confeſſionem, ut dix. cum Concil. Trid. ita & per contritionem, ideòque, *docet Div. Thom.* (ſ) oportet, quod ſingulis peccatis reſpondeat ſigillatim, cum non habeat virtutem infinitam ad contritionem, ſi tamen conſideretur quantum ad ſui principium, & dicitur principium contritionis cogitatio, quàm quis cogitat de peccato, & dolet; & ſi non dolore contritionis, ſaltem dolore attritionis; non verò ſi conſideretur

ſ In ſuppl. q. 2. art. 6. ad 3.

Digitized by Google

retur contritio quantum ad terminum, quia terminus contritionis eſt, quando dolor ille jam gratia informatur, ac per conſequens benè dicitur à Divo Thoma, quod contritio quantum ad principium contritionis oportet, quod ſit de ſingulis peccatis, quæ quis in memoria habet, licet poſtea quantum ad ejus terminum ſufficiat, ut ſit una communis de omnibus, quia tunc ille motus agit in virtute omnium præcedentium diſpoſitionum.

Diximus, *de omnibus, & ſingulis peccatis actualibus præteritis, & mortalibus*, & modò addimus, & propriis, quia de peccatis alienis nemo poteſt conteri, t in ſup. q. 2. a. 1. ſicut nec aliena peccata debet quis confiteri: manifeſtum eſt enim, *ait Div. Thomas* (t), quod illud idem conteritur, quod prius durum, & integrum fuit, & ideò oportet, quod contritio ſit in eodem pro peccato, in quo duritia peccati præceſſit, cum autem non præceſſerit duritia peccati pro peccatis ab alio factis, jam de iſtis non poterit eſſe contritio in illo, qui iſta peccata non fecit; ſiquidem contritio cum ſit actus pœnitentiæ virtutis, quilibet tenetur exercere talem actum virtutis ſolùm de iis, quæ ipſe fecit. Et licet poſſit quis dolere de peccatis alienis, tamen non eſt opus, ut de alienis conteramur, ſicut licet miſetiam aliorum compatiamur, non tamen tenemur pati illam miſeriam, (tenemus utique ſubvenire miſeriæ pauperum, etenim conſiderandum eſt, quod bona temporalia quamvis quantum ad proprietatem ſint illius, qui ea poſſidet, attamen quantum ad uſum non ſolum debent eſſe, ſed etiam ejus aliorum; pauperum ſ. ne fortè u Pſ. 18. fame pereant.) Nec in contratium facit illud, quod *dicitur à Propheta in Pſalm.* (u) ab alienis parce ſervo tuo; quia per ly ab alienis intelligi poteſt de peccatis, quorum memoria non erat illi, & ideò impetrando veniam à Domino Deo de peccatis, univerſaliter con- x ib. ad 1. terebatur etiam de illis; vel ſecundum *Div. Thomam* dicendum eſt, (x) quod ibi ſolùm Propheta precatur, ut ne ex conſortio peccatorum per conſenſum aliquam x Pſ. 17. immunditiam contrahat, cum ab eodem dictum ſit, cum perverſo perverteris. Unde *& eſt documentum in* y cap. 1. *Proverbiis*, (y) fili mi, ne ambules cum eis, hoc eſt cum peccatoribus, prohibe pedem tuum à ſemitis eorum, quia impoſſibile eſt eſſe, ſtare, ambulare cum a Pſ. 58. illis, & non incidere in aliquod peccatum eorum. *Hinc & David dicebat*, (a) eripe me de operantibus iniquitatem, nam impoſſibile videtur habitare cum lupo, & non inſidiari vitam aliorum. Ob hoc autem dicit David, ab alienis parce ſervo tuo, nam quan- b Pſ. 50. tum erat de ſe, ipſe & contritus corde, & ore confeſſus erat, in veritatem hujus ipſe dixit, (b) tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci: ecce ergo quomodo peccata actualia propria, & de quibus memoriam habebat, deteſtatus fuit per veram con- c tritionem, cui addidit & confeſſionem propriam, & Pſ. 137. vocalem, *ut conſtat alio in loco dixiſſe*, (c) confitebor tibi Domine in toto corde meo, quoniam audiſti verba oris mei; narratione omnium peccatorum de quibus recordabatur, coram Deo fecit, & de illis de quibus etiam adhibita diligentia non poterat recordari, oravit ad Dominum, ut ab illis emundaret dicendo, ab occultis mei munda me Domine; Sciebat namque, quod de omnibus, & ſingulis peccatis dolendum eſſet; & quod maximum eſt, ſciebat, quod & de omnibus ſolus Deus abſolvere poteſt, unde, ut & nos de hac re certi ſimus, ipſe teſtatur his verbis, & de omnibus his, quæ iniquè ſcil. feci, eripuit me Dominus, qui juſtus, & miſericors eſt.

Super Quæſtionem Tertiam.

De Quantitate Contritionis.

Edoceantur fideles, illi qui poſt peccata ſua cucurrerunt, & in vanitatibus cordibus eorum averterunt ſe à Deo ſuo; iſti profectò ſimiles redduntur illis, de quibus olim *in Jerem.* (a) Deus lamentabatur, dicens, quis invenerunt patres veſtri in me a cap. 2. iniquitatis, quia elongaverunt ſe à me, & ambulaverunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt? Edoceantur utique à Maria Magdalenæ, nec verecundentur à muliere peccatrice edoceri, etenim ſi fuerit magiſtra erroris, facta fuit tamen diſcipula veritatis; *Hinc Gregorius dixit*, Maria Magdalenæ, quæ fuerat in Civitate peccatrix, amando veritatem lavit lachrymis maculas criminis; Hæc enim corde compuncta venit, nec timuit duram adſtantium increpationem: ad pedes Jeſu acceſſit, etenim inclinans caput ſimul cum corde, multis ſuſpiriis, lachrymarumque rivis rigabat pedes ejus, & vehementiſſimo deſiderio eos deoſculabatur, & intra ſe dicebat; non ignora Domine vitiorum meorum, auſa ſum ad te immaculatiſſimum accedere; ad te, qui in hunc Mundum veniſti, ut peccatores ſalvos faceret; & ecce mulier, quæ prius frigida peccando remanſerat, poſtmodum amando fortiter ardebat. Hanc imitentur peccatores fideles, ut pœnitentes evadant; accedant ad pedes Jeſu corde compuncti, & doleant de peccatis ſuis, & verè doleant, ſiquidem ſuſcipere debent dolorem ita maximum (à voluntate tamen provenientem, & in ipſa voluntate exiſtentem) ut excedat omnes alios dolores; hoc totum fit per contritionem perfectam, perfecta autem contritio charitatem maximam exprimit; & quia charitas, qua Deum diligimus, perfectiſſimus eſt amor, hinc fit, ut contritio vehementiſſimum animi dolorem conjunctum habeat; Verumtamen animadvertant, quod contritio ex parte doloris, qui eſt in ratione, ſc. diſplicentiæ, quo peccatum diſplicet, in quantum eſt offenſa Dei, non poteſt eſſe nimia, ſicut nec amor charitatis, quo intenſo talis diſplicentia intenditur, non poteſt eſſe nimius, ſicut nec amor charitatis, quo intento talis diſplicentia intenditur, non poteſt eſſe minus: *cum dicat Apoſtolus* (b) rationabile ſit ob- b ad Rom. cap. 12. ſequium veſtrum, debet tamen dolere magis de uno peccato, quàm de alio; cum magis peccet, qui committit ſimplicem fornicationem, & ſic de aliis.

Contritio cum ſit dolor, non ut in parte ſenſitiva, eò quia in parte ſenſitiva ſi eſt dolor, talis dolor eſt paſſio: Unde talis dolor cauſatur ex primo dolore, vel ex neceſſitate naturæ, ſecundum quod vires inferiores ſequuntur motum ſuperiorum; vel ex electione, ſecundum quod homo pœnitens in ſeipſo habens hunc dolorem excitatur, ut de peccatis doleat, ex quibus benè ſequitur, quod dolor in parte ſenſitiva exiſtens non ſit maximus dolor, eò quia vires inferiores moventur vehementiùs ab objectis propriis, quàm ex redundantia ſuperiorum virium: quapropter major dolor eſt in parte ſenſitiva ex læſione ſenſibili, quàm ſit ille, qui in ipſa redundat ex ratione, & major, qui redundat ex ratione de corporalibus deliberante, quàm qui redundat ex ratione conſiderante ſpiritualia. Unde dolor in ſenſitiva parte ex diſplicentia rationis proveniens de peccato non eſt major aliis doloribus, qui in ipſa ſunt.

Diximus, *cum ſit dolor non in parte ſenſitiva*, quia conſideratur ſolus hic dolor ille, qui eſt in ipſa voluntate, & iſte dolor eſt eſſentialiter contritio; & iſte nihil aliud eſt, quàm diſplicentia peccati præteriti, ac proinde iſte dolor in contritione excedit omnes alios dolores; & ratio à *Divo Thoma* (c) aſſi- c in ſup. 3. a. gnatur, quia quantum aliquid placet, tantùm contrarium ejus diſplicet; & quia finis ultimus ſuper

omnia

omnia diſplicere debet; Unde *Aug. de Civit. Dei ait*, (*d*) *d Lib. 14. cap. 7. & 9.* omnis dolor in amore fundatur, (& intelligitur de amore charitatis,) cum ergo amor charitatis, in quo fundatur dolor contritionis, ſit maximus, ſic & dolor contritionis in, quo fundatur amor charitatis, erit maximus.

Nota tamen in ſacris literis pro eodem loquendi genere magnitudo charitatis, & contritionis ſignificari ſolet; nam de charitate ſcriptum eſt, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; & de contritione jam conſtat ex eo, quod clamat Dominum per Prophetam Joelem, *convertimini ad me in toto corde veſtro*.

Verùm ſicut amor charitatis, quo intenſo diſplicentia, in quantum eſt offenſa Dei, intenditur, non poteſt eſſe nimia, ita & contritio ex parte doloris, qui eſt ex ratione, ſcilicet diſplicentiæ, quo peccatum diſplicet, in quantum eſt offenſa Dei, non poteſt eſſe nimia. Quod autem & contritio in ratione exiſtens non poſſit eſſe nimia, & quod illa in ſenſitiva parte poſſit eſſe nimia, hoc colligitur ex ſacris literis.

Et de prima inſinuatur *illud Eccl.* (*e*) glorificantes *e Cap. 43.* Dominum quantumcumque potueritis, ſupervalebit adhuc; nam glorificare Deum, quandoque in Scripturis ſtat pro conteri de peccatis propriis, & ea confiteri.

Hinc *Joſue ad Achaam dixit*, (*f*) fili mi da gloriam *f Cap. 7.* Domino Deo Iſrael, & confitere. Hoc eſt de peccato tuo propter amorem Dei contritionem habe, & ex iſta contritione confeſſionem fac; ideò & ſubditur, indica mihi, quid feceris, ne abſcondas, hoc eſt, ne taceas peccata tua, ne tacendo pereas: utique verum eſt, quod peccator, in quantum in ſe eſt, ignominiam, & injuriam affert Deo, quando peccat; ſed verum eſt etiam, quod quando de peccato conteritur, & illud confitetur, gloriam affert Deo, & tantam, ut etiam Angeli in cœlo de ea gaudium magnum concipiant ſicut ſcriptum *g Cap. 15.* eſt *Lucæ*, (*g*) gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Ex quo benè conſiderare debet homo peccator, quod quantò majorem, vel minorem contritionem habet de peccato ſuo, tantò majorem, vel minorem gloriam affert Deo, & illum glorificat.

De ſecunda verò inſinuatur *illud Corint.* (*h*) Conſole- *h 2. cap. 2.* mini, ne fortè abundantiori triſtitia abſorbeatur, qui ejuſmodi eſt; Timebat namque Paulus, ne fornicarius *ille Corinthius* contritione ſenſus nimia afficeretur, vel in deſperationem cadendo, vel puſillanimitatem quamdam, vel melancholiam contrahendo, vel etiam mortem, vel ineptitudinem ad officia pro tempore ne- *i qu. 1. in ſuppl. ar. 2.* ceſſaria incurrendo; & ideò *ſubdit Div. Thom.*, (*i*) in his omnibus debet accipi pro menſura ſubjecti conſervatio, & bonæ habitudinis ſufficientis ad ea, quæ *l Cap. 12.* agenda incumbant: *juxta Apoſtolum*, *ad Rom.* (*l*) Rationabile ſit obſequium veſtrum; non enim homo debet privari ſenſu ad ſerviendum Deo viventi; ſed ſolùm debet moderare ſenſum, ne tangat ea, quæ ipſum allicere poſſunt. Exemplum habemus in Beato Anſelmo dicente, utinam ſic impinguentur viſcera animæ meæ, ut medullæ corporis mei exſiccentur; non enim optabat ille, ex pinguedine devotionis medullas corporis exſiccari quantum ad humorem naturalem, ſed ſolùm quantum ad deſideria, & concupiſcentias corporales; quod utinam evenirent omnibus, illis, qui ab hoc igne caleſiunt, *juxta etiam Apoſtolum dicentem*; (*m*) caſtigo corpus meum, *ut am- m 1. cap. 9. ad Corint. plius non reddatur rebelle imperio rationis*; & in ſervitutem redigo, *ut ſcilicet ſub ratione tantùm vivat*: *& quod prius tyrannus videbatur*, *ſubditus ſit Dominio rationis*, *ſcilicet bonæ voluntati*, *ad obediendum Deo*, & hoc eſt exhibere corpus ſuum hoſtiam viventem, Sanctam, & Deo placentem. Exemplum etiam habemus in Beato Auguſtino dicente, ſe eſſe dignum oculos excæcare plorando; attamen licet ſe cognoſceret dignum amiſſione oculorum exteriorum propter peccatum, eò ferè modò, quò *Apoſtolus aſſerebat*, (*n*) non eſſe dignum vocari Apoſtolum *n 1. cap. 15.* propter peccatum, quod fecit in perſequendo Eccleſiam Dei. Nam & Auguſt., dùm in hæreſi Manichæorum morabatur, Eccleſiam Dei perſequebatur, & ob hoc dicebat ſe eſſe dignum oculos excæcare plorando, quia ut bene advertit *Div. Thom.*, (*o*) *o ad p. art 2 ibid.* quilibet peccator non ſolum æterna, ſed etiam temporali morte eſt dignus; attamen nolebat ſibi oculos excæcare. Et ideò diximus, quod *dolor in contritione excedit omnes alios dolores*, prout tamen eſt in voluntate ipſa, quia per hoc excludimus dolorem, qui eſt voluntate aſſumptus; tùm quia non obedit affectus inferior ſuperiori ad nutum, ut tanta, & talis paſſio ſequatur in appetitu inferiori, qualem ordinat ſuperior: tùm quia paſſiones aſſumuntur à ratione in actibus virtutum ſecundum menſuram quamdam, quam quandoque dolor, qui eſt ſine virtute, non ſervat, ſed excedit; de hoc dolore locutus fuit *Sapiens in Proverb.*, (*p*) ſpiri- *p Cap. 17.* tus triſtis exſiccat oſſa; *& rurſus*; (*q*) ſicut tinea ve- *q Cap. 25.* ſtimento, & vermis ligno, ita triſtitia viri nocet corde, & taliter, quod etiam quandoque rationem aufert, ut patet in his, qui propter dolorem in melancholiam, vel in maniam incidunt, & ideò *benè Eccl. ajebat*, (*r*) à triſtitia feſtinat mors; & cooperit virtutem, *r Cap. 38.* & cordis flectit cervicem, & ſit ſenſus, triſtitia facit, ut mors feſtinanter, & ante tempus adveniat; ipſaque triſtitia vires hominis tegit, ita ut ſe non prodant; ſed obſcurentur, ac ſopprimantur; flectitque cervicem, hominis, ita ut curvus, atque triſtis incedat.

Diximus, quod *dolor in contritione & prout eſt in ipſa voluntate*, *nihil aliud ſit*, *quàm diſplicentia præteriti peccati*; hoc diximus, ut ſciamus, quod quantitas diſplicentiæ de aliqua re debet eſſe ſecundum quantitatem malitiæ ipſius; malitia autem, *ait Div. Thom.*, (*ſ*) in *ſ Cap. 10.* culpa mortali menſuratur ex eo, in quem peccatur, in quantum eſt ei indigna, & ex eo, qui peccat, in quantum eſt ei nociva; & quia homo magis debet diligere Deum, quàm ſeipſum, & quàm proximum (*ſicut ſcriptum eſt Matt.* (*t*) qui amat Patrem, aut matrem pluſ- *t Opuſc. 1 cap. 10.* quam me, non eſt me dignus; & qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam; perdet utique illam, quia nec abnegavit ſeipſum, nec tulit crucem; etenim, ut *notat Div. Thom.*, (*u*) odium, & abnegatio ſui ipſius *u Cap. 1. 8 ad Rom.* eſt de neceſſitate ſalutis. *Hinc Chryſoſtomus in Hom. inquit*, tunc noſmetipſos relinquimus, & abnegamus, cum vitamus, quod per vetuſtatem fuimus: & ad hoc nitimur, quod per novitatem vocamur: Hoc martyres impleverunt, *ut ſentit Auguſt.* Martyres Chriſti ſunt, qui vitam præſentem propter Chriſtum quodammodo habuerunt odio abnegantes ſeipſos, propterea dicitur qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam, ideò plus debet odire culpam, in quantum eſt offenſa Dei, quàm in quantum eſt nociva ſibi.

Principaliter tamen eſt ſibi nociva, in quantum ſeparat ſeipſum à Deo, & ex hac parte ipſa ſeparatio à Deo, quæ pœna quædam eſt, magis debet diſplicere, quàm ipſa culpa, in quantum nocumentum hoc inducit, quia quod propter alterum oditur, minus oditur, ſed minus quàm culpa, in quantum eſt offenſa in Deum. Videtur ergo, quod inter pœnas malitiæ attenditur quidam ordo ſecundum quantitatem nocumenti, & ideò cum hoc ſit maximum nocumentum, quò maximum bonum privatur, erit inter maximas pœnas ſeparatio à Deo, à quo quis nos ſeparabit? dicamus *cum Paulò*, in teſtimonium dilectionis erga ipſum, ſi velimus unà cum Paulo gaudere de gratia Dei, per quam ſanctificatus fuit. Quis nos, *dicebat ipſe*, ſeparabit à charitate Chriſti? *Tribulatio*! non; quoniam ſi tribulationem patimur, & ſuſtinemus. Immò ab Eccleſia dicitur in tribulatione gaudentes, *an anguſtia?* neutiquã, quia anguſtiati, afflicti, hi teſtimonio fidei probati ſunt, *an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?* minime. Unde hæc, & alia Sanctus Martyr Ignatius rectè conſiderans dixit, nunc incipio diſcipulus Chriſti eſſe, cum nihil expetam, aut viſibilium, aut inviſibilium, ut Jeſum Chriſtum aſſequar. Ignes, cruces, ferarum concurſus, ſectiones, laniena oſſium inſcreptiones, membrorum conciſiones, totius corporis ſolutio, diaboli tormenta in me veniant, tantum-

Digitized by Google

modo ut Chriſtum nanſcicar: hæc omnia à Paulo didicit, *dixit namque*, certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à Charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

Adeſt & alia quantitas malitiæ accidentalis, quam oportet in diſplicentia attendere ſecundum rationem præſentis, & præteriti; quod enim præteritum eſt, jam non eſt, ac proinde minus habet de ratione bonitatis, & malitiæ; unde videtur, quod plus refugit homo ſuſtinere aliquid mali in præſenti, vel in futuro, quàm horreat de præterito; & ſic videtur, quod nec aliqua paſſio animæ directè reſpondet præterito, ſicut dolor reſpondet præſenti malo, & timor futuro; & ob hoc de duobus malis præteritis illud magis abhorret animus, cujus major effectus in præſenti remanet, vel in futurum timetur, etiamſi in præterito minus fuerit: & quia effectus præcedentis culpæ non ita percipitur, quandoque ſicut effectus præteritæ pœnæ, tùm quia culpa perfectiùs ſanatur, quàm quædam pœna, tùm quia defectus corporalis magis eſt manifeſtus, quàm ſpiritualis, hinc eſt, quod homo benè diſpoſitus quandòque in ſe magis percipit horrorem pręcedentis pœnæ, quàm præſentis culpę; licet magis eſſet paratus pati eamdem pœnam, quàm committere eamdem culpam.

At hoc eſt conſiderandum in comparatione culpæ, & pœnæ; quod quædam pœnæ habent inſeparabiliter connexam Dei offenſam, ut ſeparatio à Deo; quædam etiam addunt perpetuitatem, ut pœna inferni: ideòque illa pœna, quæ offenſam connexam habet, eodem modo cavenda eſt, ſicut etiam culpa; at illa, quæ perpetuitatem addit, eſt magis, quàm culpa ſimpliciter fugienda.

Diximus, *quod contritio debet eſſe major dolor, prout tamen in ipſa voluntate eſt*, hoc eſt, major dolor, qui poteſt eſſe in natura; & iſte major dolor debet eſſe de peccatis, in quantum ſunt offenſa Dei.

Verùm quia ex magis inordinato actu Deus magis offenditur, quàm ex minus inordinato,
x art. 4 ib. hinc eſt, quod *ait Div. Thom.*, (x) debet eſſe major dolor de uno peccato, quàm de alio. *juxta illud deuter.*
y Cap. 25. (y) pro menſura peccati erit & plagarum modus; unde & diverſitas modi plagarum erit, ubi erit diverſitas peccatorum. Nam plus meretur de plaga Idololatra, quàm fidelis peccator, & hoc conſiderato genere peccati, cum idololatra magis elongetur à Deo vivo, & verò, quàm fidelis peccator, cum iſte credat in Deum, licet illum non diligat; à numero tamen fidelium excludi poteſt avarus, quoniam iſte quaſi idololatra, *cum dicat Apoſtolus ad Epheſios*, quod avarus, quod eſt Idolorum ſervitus, magis elongatur à Deo.

Et plus meretur de plaga adulter, quàm fornicator, ille, quia injuriam facit Deo, & proximo, iſte tantùm contra præceptum Domini jubentis in decalogo non mœchaberis; hoc totum provenit ob diverſitatem majorem peccatorum.

Nec Paulus laudatur ex eo, quod de omnibus peccatis doleret ęqualiter, ſed quia de parvis peccatis tantùm dolebat, ac ſi eſſent magna, per comparationem ad alios, qui de peccatis dolent, non ſicut tamen tenentur exprimere dolorem: at ipſe multò amplius de majoribus doluiſſet, ſicut & quilibet peccator de majoribus debet multò plus dolere, eò quia licet quodlibet peccatum mortale à Deo avertat, & tollat gratiam, tamen quodam plus elongat, quàm aliud, in quantum habet majorem diſſonantiam ex ſua inordinatione in ordine divinę bonitatis, quàm aliud. *Juxta Div. Thom.*
z ad 3. ib. *dicentem*, qui dolet de hoc, quod Deum offendit, de diverſis implicitè dolet, diverſimodè ſecundum quod plus, vel minus per ea Deum offendit; & ideò *in corpore articuli docet*, quod de contritione poteſt loqui dupliciter; *primò* ſecundum quod ſigillatim ſingulis peccatis reſpondet, & ſic quantum ad dolorem ſuperioris effectus requiritur, quod de majori peccato quis doleat, quia ratio doloris eſt major in uno, quàm in alio, ſcilicet offenſa Dei, cum ex majori inordinato actu magis Deus offendatur. *Secundò* ſecundum quod eſt ſimul de peccatis omnibus, ſicut in actu juſtificationis, & hęc quidem contritio vel ex ſingulorum conſideratione procedit, & ſic quamvis ſit actus unus, tamen diſtinctio peccatorum virtute manet in ipſo, vel ad minus habet propoſitum de ſingulis cogitandi annexum, & ſic etiam habituatualiter eſt magis de uno, quàm de alio. Unde quocumque modo conſideretur, & loquatur, ſemper videtur, quod debet major dolor de uno peccato, quàm de alio.

Super quæſtionem Quartam.

De tempore contritionis.

IN peccatis nati ſumus, *ut teſtis eſt David*, in peccatis concepit me mater mea; unde quid mirum, ſi & peccatores evadimus? etenim, *ut aſſerit Auguſt.* nemo eſt, qui non peccet, etiam infans unius diei. Verumtamen ſi bene ſpatium vitę noſtrę conſideraretur breve, *unà cum Job dicente*, breves dies hominis ſunt, fortaſſe omnia, quę peccatorum ſapiunt, deteſtarentur, atque abominarentur. Utinam in hanc conſideratione venirent homines, nempe, quod homo natus ſtatim ac incipit vivere, etiam incipit mori, & quod ejus vivere eſt à vita tranſire. Audiant *Auguſt. de Civit. Dei*, a lib. 13.
ex quo, *inquit*, quiſque in iſto corpore morituro eſſe cępit, ſed in eo agit, ut mors veniat, hoc enim agit ejus mutabilitas toto tempore vitæ hujus, ſi tamen vita dicenda eſt, ut veniatur in mortem. Nemo quippe eſt, quin ejus mors poſt annum ſit propinquior, quàm ei ante annum fuit, & cras, quàm hodie, & hodie, quàm heri, & paulòpoſt, quàm nunc, & nunc, quàm paulò ante; Quoniam quidquid cras de tempore vivitur, hoc de ipſo ſpatio vivendi demitur, & etiam quotidie fit minus, minuſque quod reſtat; ut & omninò nihil aliud ſit tempus vitæ hujus, quàm curſus ad mortem. Audiant & cum rubore, *Senecam dicentem* b Cap. 17.
in ſuis floribus; (b) quotidiè morimur, quotidiè enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cum creſcimus, vita decreſcit. Infantiam amiſimus, deinde pueritiam, deinde adoleſcentiam uſque ad ſenium.

Quidquid tranſit temporis periit. Hunc ipſum, quem agimus diem, cum morte dividimus, diſcamus ergo ex his & pavere mortē, & timere judicem Deū, ut miſericors, & propitius fiat peccatis noſtris; & certè tunc miſericors erit, quando nos de peccatis noſtris dolorem habebimus, illa deteſtando, & ad nihilum illa redigendo per contritionem; quæ tamen non momentanea, ſed diuturna eſſe debet, immò & toto tempore vitæ noſtræ; & jure meritò, quia per peccatum præteritum vitæ noſtræ curſus in Deum retardatur, quia tempus illud, quod erat deputatum ad currendum, recuperari non oportet, quod in vitæ hujus tempore ſtatus contritionis maneat, quantum ad peccati deteſtationem. Toto tempore vitæ noſtræ, quod eſt continuè dolere de peccato, diſcretè tamen, ac moderatè, ne labatur anima noſtra in deſperationem, ut fęliciter in pace requieſcamus; nam poſt hunc vitæ curſum non erit contritio, cum repugnet dolor, ubi eſt plenitudo gaudii, dummodò tamen animæ regnent in cœlo; ad differentiam eorum, qui damnati ſunt in ignem æternum, iſti namque in æternum cruciabuntur, unde etſi dolorem habeant, deficit tamen eis gratia dolorem informans; ſed quid de illis, qui in purgatorio exiſtunt, iſti utique dolorem habent de peccatis gratia informatum, non meritorium, non enim ſunt in ſtatu merendi; purgantur namque à peccatis, quæ in vita commiſerunt, & de quibus veniam petierunt, nec intrabunt in regnum cœlorum, niſi uſque dùm plenè ſatis-

factum

ab eis cum nihil coinquinatum intraverit in cęlum.

Contritio, ut eſt in ipſa voluntate, cum ſit dolor ita intenſus, ut non ſit alius dolor major illo, hinc eſt quod ſemper dolere debemus, nec conſequenter aſſignari debet tempus, in quo ille dolor non ſit, & hoc quia dolor debet eſſe de commiſſo erga Deum peccato: unde debemus ſemper metuere, ne Deus contra nos iraſcatur vehementer, hac de cauſa & *c cap. 5.* *Eccl. ſcriptum reliquit*, (c) de propitiato peccato noli eſſe ſine metu; per quam ſcripturam videtur, quod illa nos monet ad propitiationem in toto tempore vitę noſtræ quærendam de peccatis; quam utique propitiationem ſcit inquiri ſolitam eſſe per contritionem, quaſi dixerit de peccatis commiſſis ſemper doleatur, ut faciliùs propitiationem de illis, quàm pro certo ex parte tui non ſciſte coniecutum, obtinere poſſis. Cui poteſt addi *& illud Prov.* (d) Beatus homo, qui ſemper eſt *d cap 28.* pavidus; iſte enim non adjiciet peccatum ſuper peccatum, ſed ſemper timor Domini etit in illo timor Domini Sanctus permanens in ſeculum ſeculi, inquiebat, *&* *David*. *Et Concilium Triden.* (e) in confirmationem *e ſeſſ. 6. c. 9.* hujus ſtatuit, ſed neque illud aſſerendum eſt, oportere eos, qui verè juſtificati ſunt, abſque ulla omninò dubitatione apud ſemetipſos ſtatuere ſe eſſe juſtificatos, neminemque à peccatis abſolvi, ac juſtificari, niſi eum, qui certò credat, ſe abſolutum, & juſtificatum eſſe, atque hac ſola fide abſolutionem, & juſtificationem perfici; quaſi qui hoc non credit de Dei promiſſis, deque mortis, & reſurrectionis Chriſti efficacia dubitet: nam ſicut nemo pius de Dei miſericordia, de Chriſti merito, deque Sacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet; ſic quilibet, dum ſeipſum, ſuamque propriam infirmitatem, & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare, ac timere poteſt; cum nullus ſcire valeat, certitudine fidei, cui non eſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum; ſic deſumitur *ex illo Eccleſiaſtes*; (f) ſunt juſti, atque ſapientes, & opera eorum in *f cap. 9.* manu Dei, & tamen neſcit homo, utrum amore, an odio dignus ſit.

g ſeſſ. 14. c. de ext. un. *Item ab eodem Conc.* (g) ſtatuitur, viſum eſt autem Sanctæ Synodi præcedenti doctrinæ de Sacramento pœnitentiæ adjungere ea, quæ ſequuntur de Sacramento extremæ unctionis, quod non modò pœnitentiæ, ſed etiam totius Chriſtianæ vitæ, quæ perpetua pęnitentia eſſe debet, conſummativum exiſtimatum eſt à Patribus. Et de facto *à Divo Auguſt. dicitur* (b) quod ubi dolor finitur, deficit pœnitentia, ubi deficit pœnitentia, nihil relinquitur de venia. Unde oportet ſemper de peccato dolere, quia ſemper oportet præ manibus habere, quod Altiſſimus eſt *b cap. 13. l. de Pœn.* patiens redditor. Propterea *Divus Thomas docet*, (i) licet per pœnitentiam peccator redeat ad priſtinam gratiam, & immunitatem à reatu pœnæ, numquam tamen redit ad priſtinam dignitatem innocentiæ, & ideò ſemper de peccato præterito aliquid in ipſo manet; ergo ſemper de peccato dolere debet, quia ſemper de peccato timere debet; & eò maximè *i in Suppl. q. 4. a. 1. ad 1.* quia *D. Th.* (l) aſſignat duplicem dolorem, in contritione, *unus rationis*, qui eſt deteſtatio peccati à ſe *l ib. ino.* commiſſi; *alius ſenſitivæ partis*, qui ex illo conſequitur, & quantum ad utrumque contritionis tempus, eſt totius vitæ præſentis ſtatus; quantum ad primum jam patet, quia cum per peccatum præteritum vitæ noſtræ curſus in Deum retardetur, tempus enim illud, quod erat reputatum ad currendum, recuperari non poteſt, & ideò oportet, quod ſemper in tempore hujus vitæ ſtatus contritionis maneat quoad deteſtationem peccati.

Quantum ad ſecundum etiam patet, eò quia homo peccando æternam pœnam meruit, & quia contra Deum æternum peccavit, pęna æterna debet in temporalem mutata ſaltem dolor in toto hominis æterno, ſ. in ſtatu hujus vitæ manere: ob hoc autem *docebat Ugo de Sancto Victore in libro ſummæ Sen-* *m l. 4. c. 11* *tentiarum*, (m) quod Deus abſolvens hominem à culpa, & pœna æterna, ligat eum vinculo perpetuæ deteſtationis peccati. Et licet non oporteat ſemper ſatisfacere, cum ſatisfactio attendatur ſecundum pœnam taxatam, quæ pro peccatis injungi debet, unde & terminari poteſt, ut non oporteat ulteriùs ſatisfacere; quæ pęna proportionatur culpæ, præcipuè ex parte converſionis, ex qua finitatem habet; attamen non ſequitur, quod non debeat eſſe in toto curſu vitæ contritionis dolor, eò quia talis dolor reſpondet culpæ ex parte averſionis, ex qua habet infinitatem quamdam ex infinitatę divinæ Ma- *n 3. p. q. 1. a. 2. ad 2.* jeſtatis; *ut jam docuit D. Th.* (n) peccatum contra Deum commiſſum quamdam infinitatem habet ex infinitate divinæ Majeſtatis, quia tantò offenſa eſt gravior, quantò major eſt ille, in quem delinquitur.

Ex quo etiam fit, quod contritio debet manere *o c. 13. l. de vera & falſa pœn.* ſemper *juxta Div. Aug.* (o) ſemper doleat pœnitens, & de dolore gaudeat, non ſolùm in hoc ſtatu vitæ noſtræ, ſed etiam in ſtatu patriæ, in quo ſtatu neque luctus, neque clamor, neq; planctus erit ultra, quia prima, *ea v. quæ in hoc mundo evenerunt*, abierunt. Unde & *in Matth. legitur Dominum dixiſſe*, (p) Beati qui *p cap. 5.* lugent, in hoc Mundo, v. quoniam ipſi conſolabuntur in æterna manſione. Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur, ſiquidem, ut docet *Div. Thom.*, (q) luctus, qui beatitudinem meretur, eſt de præ- *q 2. 2. q. 9. a. 4. ad 1.* teritis erratis; adeòque in beatitudine ponitur luctus pro merito, & conſolatio conſequens pro præmio; quæ quidem inchoatur in hac vita, perficitur autem in futuro. Et hoc *juxta illud*, *quod prius docuit*, (r) luctus præſens ad conſolationem vitæ futuræ per- *r p. 2. q. 35 a. 3 ad 1.* ducit: quia ex hoc ipſo, quod homo luget pro peccatis, vel pro dilatione gloriæ, meretur conſolationem æternam.

Beati igitur, qui lugent, hoc eſt, *qui contritionem habent*, *& continuò de peccatis ſuis*, quoniam ipſi conſolabuntur, hoc eſt, *gaudebunt in cælis cum Angelis* *ſ in Suppl. q. 4. a. 1.* *Dei*. Propterea à D. *Th.* docetur, (ſ) quod continuò debet contritio manere, cum iſta ſit actus virtutis, & in actibus virtutum hæc ſit conditio, ut non poſſit in eis accipi ſuperfluum, & diminutum, hinc eſt, quod etiam in contritione numquam poteſt eſſe ſuperfluum in actibus. E converſo dicitur da paſſionibus, iſtæ enim habere poſſunt ſuperfluum, & diminutum. Et ſicut actus virtutum quantum ad intenſionem non habeat aliquid ſuperfluum, ita nec quantum ad durationem, niſi ſecundum, quod actus unius virtutis impedit actum alterius magis neceſſarium pro tempore illo; ac proinde quantumcumque homo continuè in actibus hujus diſplicentiæ eſſe poſſit, quod magis, & melius eſt, dummodo actus aliarum virtutum vacet ſuo tempore ſecundum quod oportet. Ita & èeontra paſſiones quantum ad intenſionem, & quantum ad durationem habere poſſunt ſuperfluum, & diminutum.

Ob quam cauſam dicitur, quod ſicut paſſio doloris, quam voluntas aſſumit, debet eſſe moderatè intenſa ita debet moderatè durare, ne ſi nimis duret homo in deſperationem, & puſillanimitatem, & hujuſmodi vitia labatur. Hinc eſt, quod homo debet utique Deo placere, quod eſt ipſum diligere tota anima, & toto corde, & hoc eſt de neceſſitate præcepti, præcipitur namque homini, ut nihil cor hominis acceptet, quod ſit divinæ dilectionis contrarium, ſic D. *Th.* (t) *t Opuſ. 18. c. 14.* qui & docet præcipitur nobis, ut tota noſtra intentio feratur in Deum, (u) quod eſt ex toto corde illum diligere, & quod appetitus noſter reguletur ſecundum *u 2. 2. q. 44 a. 5. in c.* Deum, quod eſt ex tota anima ipſum diligere, & ſic miſericordiam faciet cum anima ſua, cui non debet dare triſtitiam illam, ſ. quæ affligat ſeipſam in conſilio ſuo *x cap. 30.* immoderato, ſ. ſic benè ajebat *Eccl.* (x) miſerere animæ tuæ placens Deo, & continuè, hoc eſt, *moderatè operaris in illa*, congrega cor tuum *in ſanctitate ejus*, *cujus amor debet eſſe puro*, *& corde ſincero*; ideò dicitur, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, *non ſimu-* *y cap. 10.* *latè*, hoc eſt, *corde diviſo*, ut habuerunt filii Iſrael, *ſicut ſcriptum*, eſt *in Oſea*, diviſum eſt cor eorum; & de facto, & Dominus locutus eſt ad *Iſ.* (z) dicens de iſ- *z cap. 29.*

tis populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Quod & de Hypocritis idem dicebat *a Cap. 15.* Jeſus *Matt.*, (*a*) etenim labiis Deum honorabant, puta *ſuadêtes hominibus poſt habitis omnibus Deo litarêt; ſed cor linguæ erat diſcor; quandoquidem ſuos intendebant proventus, ex lege participes munerum, & oblationum.* Triſtes erant, & tandem ſancti apparere volebant; ſed corde toto, *ſcilicet ſincerè*, eò modò quo orabat ad Deum Rex Iſrael, fiat cor meum immaculatum in tuis juſtificationibus, ut non confundar, *ut ſcilicet ne cadam in deſperationem, & ne præcipitem in puſillanimitatem ſpiritus*, quoniam per ipſam recedit homo à bonis, quod eſt peſſimum. Ergo triſtitia longè repelle à te, & meritò quia multos occidit, hoc eſt, *perdidit* triſtitia, & non eſt utilitas in illa.

Videtur ergo, quod ſi debet eſſe triſtitia, ſola illa debet eſſe, quæ eſt paſſio, qua moderatè utendum eſt; ſic exemplum habemus ex Chriſto Domino, qui etſi *b cap. 26.* dixerit *Matt.*, (*b*) triſtis eſt anima mea uſque ad mortem, locus fuit de triſtitia, quæ eſt paſſio; Manife- *c 1 p q. 35. art. 6.* ſtum eſt enim, docet *Div. Thom.*, (*c*) obiectum, & motivum triſtitiæ eſſe nocivum, ſeù malum interius apprehenſum, ſive per rationem, ſive per imaginationem; ſicut cum aliquis triſtatur de amiſſione gratiæ, vel pecuniæ. Potuit autem anima Chriſti interius apprehendere aliquid, ut nocivum, & quantum ad ſe, ſicut paſſio, & mors ejus fuit; & quantum ad alios, ſicut peccatum diſcipulorum, vel etiam Judeorum ipſum occidentium. *Hinc Hieronymus*, Dominus noſter, ut veritatem aſſumpti hominis probaret, verè quidem contriſtatus eſt, ſed ne paſſio in animo illius dominaretur, per propaſſionem dicitur, quod cæpit contriſtari; ut paſſio perfecta intelligatur, quando animo, ſcilicet rationi dominatur: propaſſio autem, *d ib. 3. ad 3. in fin.* quando eſt inchoata in appetitu ſenſitivo, ſed ulteriùs non ſe extendit; idcircò *ſubdit Div. Thom.* (*d*) ſecundum hoc, nempe quod ex nullo accidente ejus ratio perturbatur, triſtitia fuit in Chriſto ſecundum propaſſionem, non autem ſecundum paſſionem, etenim remota fuit à Chriſto triſtitia ſecundum paſſinnem perfectam; quamquam in eo fuerit initiata ſecundum propaſſionem. Aliud enim eſt contriſtari, aliud incipere contriſtari. Ut nos diſcamus, non fuiſſe in Chriſto, ut in nobis paſſiones, ſed propaſſiones, hoc eſt motus, vice paſſionum; In Chriſto namque Jeſu ſic inferior appetitus rationi ſubdelatur; ut nihil moveretur, niſi ſecundum ordinem rationis; ſecundum ſcilicet quod ratio ordinabat, vel permittebat, appetitum inferiorem moveri *f 1. qu. 46. a. 6. ad 2.* proprio motu. Et hinc eſt, quod *docuit Div. Thom.* (*f*) quod Chriſtus ut ſatisfaceret pro peccatis omnium hominum, aſſumpſit triſtitiam, maximam quidem quantitate abſoluta, non tamen excedentem regulam rationis. Propterea dixit, triſtis eſt anima mea uſque ad mortem, *moderatè namque uſus fuit illa triſtitia*, ut conſtat etiam ex jis, quæ ſtatim ſubdidit; Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte; per quod deſignatur motus appetitus inferioris, & naturalis, quo naturaliter quilibet mortem refugit, & appetit vitam; verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu; exprimitur motus ſuperioris rationis omnia conſiderantis, prout ſub ordinatione divinæ ſapientiæ continentur; Quoniam ſic expediebat, ut fieret, ut ſalvaretur univerſa creatura, ſic enim expediebat ad finem redem- *g In ſupl. q 4. art. 2. ad 4.* ptionis, ad quem erat ordinata ejus paſſio, mors, & reſurrectio. *Unde & Div. Thom.* (*g*) ait, moderatè utendum eſt triſtitia, ſecundum quod expedit ad finem, ad quem aſſumitur. *Et D. Bernardus dùm dixit*, dolor bonus eſt, ſi continuus non ſit; nam continuitas doloris multoties cauſat triſtitiam illam, quæ deſperatio vocatur; in quam facilè homines labuntur, illi præcipuè, qui cuſtodire vias Domini, nec ambulare in mandatis ejus, neſciunt; ibi, qui neſciunt, quod dùm ſumus in hac vita, peregrinemur à Domino; illi, qui neſciunt totam fiduciam noſtram in Deo eſſe; etſi illum offendimus per multiplicationem peccatorum, non ſiamus illum deprecari, ut nos adiuvet in infirmatibus noſtris, & donet nobis ſpatium verę pęnitentiæ, dùm in hac vita moramur; ſiquidem poſt ipſam dolor contritionis eſſe non poteſt, unde nec pœnitentia; indubitatum eſt enim, non manere in alia vita Sacramenta, quibus mediantibus aperitur aditus, quantum eſt ex ratione eorum, ad vitam æternam; hoc pat. diſcurrendo per ſingula; per baptiſmum itaque datur nobis ingreſſus in regnum Cœlorum, *niſi qui renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire regnum Cœlorum*; pariter per pœnitentiam aperitur cœlum, quorum remiſeritis, remittuntur eis, *ad aperitionem regni Dei*; quorum retinueritis, retenta ſunt, ſcilicet *ad excluſionem ejuſdem*; Per Euchariſtiam, quæ eſt Sacramentum Sacramentorum, in quo Chriſto ſumitur, in quo cor, & caro noſtra exultant, per quod datur nobis pignus æternæ vitæ, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, hæc promittitur in terris, & in cœlis nobis donatur per repromiſſionem, ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata; ergo dùm in hac lachrymarum valle ſumus, utamur ſacramentis, quæ cum gratiam conferant, deſerviunt ad introitum Civitatis novæ Jeruſalem; etenim poſt tranſitum vitæ noſtræ illa non manebunt, nec ad illa ullus recurſus erit; quapropter qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala, in ignem æternum; ut ergo in illam Sanctam Civitatem ingredi poſſimus, agamus contritionis dolorem, in qua tamen contritione tria ſunt conſideranda.

Primum contritionis genus, quod eſt dolor; ſecundum eſt contritionis forma, quæ eſt actus virtutis gratia informatus; Terrium contritionis efficacia, quæ eſt actus meritorius, & Sacramentalis, & quodammodo ſatisfactorius; In hac utique vita hæc tria inveniuntur, nullatenus verò poſt ſeparationem animæ à corpore; ſiquidem illæ animæ, quæ ſunt in Patria, contritionem, atque dolore habere non poſſunt, carent enim dolore propter plenitudinem gaudii. *Unde Div. Thom.* (*h*) in animabus bea- *h In ſupl. q. 4. art. 1. ad 1.* tis etſi charitas maneat, iſta tamen non cauſat dolorem de peccatis, niſi in illis, qui doloris capaces ſunt; quia tamen propter plenitudinem gaudii in Beatis omnis capacitas doloris excluditur, hinc eſt, quod licet charitatem habeant, & perfectam, cum ſolùm in Patria impleri poſſit præceptum de dilectione Dei; *Hinc Gregorius* (*i*) ait, cum quis ipſum, *i Hom. 14. ſuper Ezechiele.* quem amat, vidit, in amore ipſius amplius igneſcit contritione tamen carent. Et Div. Bernardus in quodam ſermone de Beatitudine ita exclamat; O Beata regio delitiarum, ad quam ſuſpiro de valle lachrymarum, ubi ſapientia ſine ignorantia, ubi memoria ſine oblivione, ubi intellectus ſine errore, ubi ratio ſine obſcuritate fulgebit. Addamus & nos, ubi gaudium ſempiternum, ut excludatur etiam memoria doloris. Quàm ergo benè dicebat Pſalmiſta de hac Beatitudine conſtat ex jis, quæ ait, Beati, qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te. Et quia beatitudo habita numquam amitti poteſt; *contra Origenem*; & pro teſte veritatis hujus adducitur *Iſaias*, (*l*) iſte enim loquens de Ci- *l Cap. 33.* vitate Sancta Jeruſalem *inquit*, Oculi tui videbunt Jeruſalem, habitationem opulentam, tabernaculum, quod numquam transferri poterit: nec auferentur clavi ejus in ſempiternum; & omnes funiculi ejus non corrumpentur: Quia ſolummodò ibi magnificus eſt Dominus noſter.

Animæ verò, quæ ſunt in inferno, carent contritione, quia etſi dolorem habeant, deficit tamen in eis gratia dolorem informans: Unde nou eſt charitas, quia neſciunt diligere, non eſt contritio, quia ille dolor potiùs odium cauſat, quàm dilectionem. Illæ denique animæ, quæ in Purgatorio ſunt, etſi habeant dolorem de peccatis gratia informatum, non tamen meritorius eſt illis, non enim ſunt amplius in ſtatu merendi: ac proinde etſi doleant de peccatis, tamen iſte dolor non eſt contritio cum deſit

illis

Digitized by Google

[m in Supl. q 5 art. 2. in corp. ſed cont.] illis efficacia contritionis, quod eſt, quod docet *D. Thomas*, (*m*) ſi aoimæ in purgatorio conteri poſſent poſſet vi contritionis eorum reatus pœnæ eis dimitti, & ita à pœna ſenſibili liberari, quod eſt falſum; ſicut & falium eit, quod pœna, quam animæ io purgatorio ſuitinent poſſit pruprię dici ſatisfactio, cum ſatisfactio opus meritorium requirat, & dicitur *propriè*, quoniam largo modo dici poteſt ſatisfactio, hoc eſt debitæ pœnæ ſoiutio, propterea à quodam doctore noſtro vocatur purgatorium, *Hoſpitale Dei, in quo ponuntur infirmi, ut ſaneutur*, & tunc ſanabuntur, quando plenariè ſatisfecerint,) ut etiam colligimus ea Sacris literis; *vid. ex illo Joannis*, (a) ubi à Chriſto Domino dicitur, venit nux, quando namo poteit operari, *.ſ. meritorie*, Cui ioco favet auctoritas Divi Auguſtini dicentis, Hic omne meritum com- [a cap. 9.] paratur, quo poſt hanc vitam relevari poſſit quiſpiam vel gravari: oemo autem ſperet, quod hic ooglexit, cum objerit apud Deum promereri. Immò *jo illud Eccl.* (*o*) ante obitum rnum operare juſtitiam, [o cap. 14.] quoniam non eſt apud inferos invenire cibum, *quo .ſ. ad meritum reſocilleris*.

Super Quæſtionem Quintam.

De effectu Contritionis.

DOlor, & verè dolor eſt contritio unà cum deteſtatione peccati, quæ ſtate nequit, niſi firmum habeat ille, qui verè conteritur, propoſitum emendandi decætero; & hoc totum habet contritio, quæ cum exprimat dolorem gratia informatum, non poteit, niſi producere effectum ſuum, qui eſt remiſſio peccati, & hoc inter effectus contritionis principaliter; etenim & conſiderari poteſt contritio, in quantum eſt pars Sacramenti, & in quantum eſt actus virtutis; ſi primò modo conſideretur, ſic operatur inſtrumentaliter ad remiſſionem peccatorum, Sacramenta namque inſtrumenta ſunt divinæ virtutis ſi ſecundo modo conſideretur; ſic eſt quaſi cauſa materialis remiſſionis peccati, diſponitur enim homo ad juſtificationem, diſpoſitio verò reducitur ad cauſam materialem, dummodò tamen accipiatur diſpoſitio diſponens materiam ad recipiendum. Hanc diſpoſitionem fuiſſe in David certò conſtat, quando ad Natan Prophetam Domini diait, peccavi Domino, unde & humiliavit ſemetipſum, Deo, cui obtulit ſemetipſum in Sacrificium, propterea tactus dolore cordis intrinſecus diait, Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies Quaprupter videns Deus veram compunctionem cordis ejus non potuit per viſcera Miſericordiæ ſuæ non purgare peccata ipſius; peccata utique, & oon peccatum, ſiquidem in uno crimine multa facinora, nempe adulterii, homicidii, & blaſphemiæ io Deum committit, ſic *jo ſenſit Eccl.* (a) nam dùm de David ſermonem habuit, dixit, Dominus purgavit peccata ipſius, & exalta- [a cap. 47.] vit in æternum cornu ejus; Ex quibus videtur, quod illi remiſſa fuere peccata, verumtamen tota pœoa non fuit ei remiſſa, quoniam de filio, qui natus eſt illi, pronunciatum fuit judicium Dei rectum in pœnam tot ſcelerum, morte morietur. Hoc totum credendum eſt illi eveniſſe, quia vel oon habuit tantam intenſionem doloris, vel charitatis, ſiquidem certum eſt, quod in illis, qui prorumpunt in tota dilectione charitatis erga Deum, ita intenditur contritio, ſive poſtea inteodatur contritio ex parte charitatis, ſive ex parte doloris ſenſibilis, ut tollatur totaliter pœnæ reatus, eò quia quod culpam tollat, abſolutè aſſerendum eſt, quoniam quantumcumque parvus ſit dolor dummodò contritionis rationem ſufficiat, omnem culpam delet.

Contritio & in quaotum eſt pars Sacramenti, & in quaotum eſt actus virtutis, licèt ſit cauſa remiſſiouis peccati, nihilominus tamen inter utrumque adeſt hoc diſcrimen etique, quod in quantum pars Sacramenti eſt, primò operatur inſtrumentaliter eò modò quò alia Sacramenta inſtrumentaliter ſe habent ad cauſandam gratiam; in quantum verò eſt actus virtutis, eſt quaſi cauſa materialis remiſſionis peccati; dicitur quaſi cauſa materialis &c. quia contritio ſe habet ut ultima diſpoſitio ad charitatem; ut etiam *docet Divus Thomas*, (*b*) unde & dicitur, quod [b 3. p. q. 69.] diſpoſitio eſt quaſi oeceſſitas ad juſtificationem; ſe habet tamen, ut cauſa materialis, eò quia ad cauſam materialem reducitur, loquendo tamen de diſpoſitione diſponente materiam ad recipiendum: quia certum eſt, quod loquendo de diſpoſitione agenti ad agendum talis diſpoſitio reducitur ad genus cauſæ efficientis, & tali pacto dicit Divus Thomas (*c*) [c in ſuppl. q 5 art. 1.] quod ſolus Deus eſt cauſa efficiens principalis remiſſionis peccati, licet cauſa diſpoſitiva poſſit eſſe etiam ex nobis, ſicut *etiam ſtatuitur à Concilio Tridentino* (*d*) fuit autem quovis tempore ad impetrandam ve- [d Seſſ. 14. cap. 4.] niam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius, & in homine poſt baptiſmum lapſo, ità demùm præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia divinæ miſericordiæ: & voto præſtandi reliqua conjunctus ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Et poſtea ſubditur ibid. ab eodem Concilio; docet præterea, etſi contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur, ipſam nihilominus reconcillationem ipſi contritioni, ſine Sacramenti voto, quod in illa iocluditur, non eſſe adſcribendam. Deinde ſubdit Divus Thomas, ſicut & cauſa Sacramentalis, quia formæ Sacramentorum ſunt verba à nobis prolata, quæ habent virtutem inſtrumentalem gratiam inducendi, mediante qua peccata remittuntur.

Obſervat tamen *Divus Thomas* (*e*) quod contritus [e ib. ad 3] non debet accedere ad Euchariſtiā ante confeſſionem; & hoc, quod obſervat *Divus Thomas* præcipit *Concil. Tridentinum* (*f*) quare communicare volenti, revo- [f Seſſ. 13. cap 7.] candum eſt in memoriam ejus præceptum, probet autem ſeipſum homo: Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quamvis ſibi contritus videatur abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat; *Et in Can. ſtatuit*, (*g*) atque declarat ipſa Sancta Sy- [g can. 11.] nodus illis, quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque, etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia confeſſoris, neceſſariò præmittendam eſſe confeſſionem Sacramentalem.

Propterea ſubdit *Div. Thom* (*h*) ante remiſſionem [h ib. ad 3.] peccati per miniſtros Eccleſiæ, ad quos ſpectat diſpenſatio Euchariſtiæ, non debet aliquis ad Euchariſtiam accedere, quamvis ſit ſibi culpa quantum ad Deum remiſſa, nè fortè præſumptuoſus evaderet, & non devotus, ſicut nec verè contritus.

Ea hoc autem, quod contritio ſumpta his duobus modis jam dictis, ſit remiſſionis peccati cauſa, rectè deſumitur à *D. Th.* (*i*) quod poſſit totaliter tollere rea- [i ſuppl. q. 5. a. 2.] tum pęnæ, ſi tamen ſumatur intentio contritionis ex parte charitatis, quæ diſplicentiam cauſat, quia ſic contingit tantùm intendi charitatem in actu, ut contritio inde ſequens merebitur, & culpæ amotionem, & abſolutionem ab omni pœna. Deus enim plus acceptat affectum cordis, quàm exteriorem actum; juxta illud, miſericordiam volo, utpote quia iſta provenit ex affectu cordis, ordinati ad charitatem, non ſacrificium, quamvis iſtud per actum exteriorem exerceatur; etenim & Caio obtulit Deo de fructibus terræ munera, & tamen nec ad Cain, oec ad munera illius reſpexit Dominus; benè verò reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus; ſiquidem Dominus reſpicit prius operantem, & deinde munera; Mani-

Digitized by Google

feſtum eſt enim, quod ad dignitatem, & valorem operum humanorum maximè refert dignitas perſonæ operantis.

Pariter etiam ex parte doloris ſenſibilis, quem voluntas ex contritione excitat, & quia illa pœna quædam eſt, tantùm poteſt intendi, quod ſufficiet ad deletionem culpæ, & pœnæ, & ſic credimus Petrum lachrymantem ſuſcepiſſe Dominum, ita ut mereretur eſſe abſolutum & à culpa & à pœna; Hinc exclamat Leo Papa, Felices, ò Apoſtole Sancte, lachrymæ tuæ quæ ad diluendam culpam negationis, virtutum Sacri habuere baptiſmatis. Sic credimus, quod latro, de [Cap. 23.] quo à Chriſto Domino dictum fuit, dùm in Cruce pendebat, hodie mecum eris in Paradiſo, per unicum actum pœnitentiæ meruerit, ut deleta fuiſſent peccata, & ſimul culpa, & pœna; actus autem pœnitentiæ fuit, Domine memento mei, dùm veneris in regnum tuum; Hujus latronis contritio tam valida, & intenſa fuit, ut ablatus illi reatus pœnæ totaliter fuit; nam certum eſt, ut habetur etiam *ex libro Apocal.* (m) non intrabit [m Cap. 21.] in eam, in Paradiſum videlicet, aliquod coinquinatum, & conſequenter dicendum eſt, quod neque intrabit in Paradiſum aliquid totaliter à pœnis debitis purgatum; relinquitur ergo, quod contritio illa latronis, totam purgatorii pœnam ſibi debitam, ſi communem ſolam contritionem habuiſſet, delevit. Sed dicet quis, quomodo ſtare poteſt illud, quod dictum fuit à Chriſto latroni, hodie mecum eris in Paradiſo, ſi jam Chriſtus per diem integrum, & duas noctes manſerit in inferno? *D. Thom.* (n) hanc difficultatem reſolvit [n 3. p. q. 52. ar. 4 ad 3.] docendo, illud verbum Domini eſſe intelligendum non de Paradiſo terreſtri corporeo, ſed de Paradiſo ſpirituali, in quo eſſe dicuntur, quicumque divina gloria perfruuntur. Unde latro, loco quidem cum Chriſto ad infernum deſcendit, ut cum Chriſto eſſet, quia dictum eſt ei, mecum eris in Paradiſo. Sed premio in Paradiſo fuit, quia ibi divinitate Chriſti fruebatur, ſicut & alii Sancti; Unde *ip. docet*; quod ſtatim Chri- [o 3. p. q. 52. art. 4. ad 3.] ſto (o) mortem patiente anima ejus ad infernum deſcendit, & ſuæ paſſionis fructum exhibuit Sanctis in inferno detentis, quamvis ex loco illo non exierint, Chriſto apud inferos commorante, quia ipſa Chriſti præſentia pertinebat ad cumulum gloriæ. *Et rurſus docuit*, [p Opuſc. 3. cap. 51.] (p) quod anima Chriſti deſcendit quidem ad inferos ſecundum locum, non autem ut ibi pœnam ſubiret, (quoniam ſolus ille fuit, de quo *dixit Realis Propheta in* [q Pſal. 87.] *Pſal.*, (q) inter mortuos liber,) ſed magis ut alios à pœna abſolveret, qui propter peccatum primi parentis illic detinebantur, pro quo jam plenè ſatisfecerat mortem patiendo.

Pariter firmiter credere debemus, quod etiam Mariæ Magdalenæ contritio valuit quoad remiſſionem to- [Cap. 7.] tius pœnæ; Unde legitur *Lucæ* (r) dixiſſe Dominum Jeſum, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, & quis poteſt remittere peccata, niſi Deus, qui remittendo peccata remittit quandòque etiam culpam, & pœnam totaliter peccatis debitam. De cætero verum eſt etiam, quod cum nullus ſit certus, quod contritio ſua ſit ſufficiens ad deletionem culpæ, & pœnæ, hinc eſt, quod tenetur confiteri, & ſatisfacere, maximè cum contritio vera non fuerit, niſi propoſitum confitendi habuerit annexum, & tale propoſitum debet ad effectum reduci propter præceptum, quod eſt de confeſſione datum.

Et quod mirabile eſt in contritione, apparet in hoc, quod per dolorem contritionis, qui eſt finitus, delentur & culpa, & pœna; quoniam ut bene *docet Div. Th.* (ſ) dolor contritionis etiam ſi ſit finitus quantum ad in- [ſ Ib. ad 3. in ſuppl. q. 5. art. 2.] tenſionem, habet tamen infinitam virtutem in charitate, qua informatur, ſecundum quam valere poteſt ad deletionem culpæ, & pœnæ. Hæc omnia confir- [t Seſſ. 14. Can. 12.] mata videntur *à Sacro Concil. Trid.* (t) pluribus in locis, præcipuè tamen ſtatuitur, ſi quis dixerit totam pœnam ſimul cum culpa ſemper remitti à Deo, anathema ſit; ergo ex Canone Sacri Concilii inferendum eſt, quandoque remittitur à Deo tota pœna, & tunc fieri credendum eſt, quando contritio eſt cum tota perfectione charitatis; ille enim maximus ardor charitatis eſt, qui habet majorem etiam vim ad extinguenda & peccata, & culpam, & pœnam illis debitam.

Denique quia diximus, quod contritio habet duplicem dolnrem, unum rationis, qui eſt diſplicentia peccati commiſſi, & alium in ſenſu, ſive ſenſitivæ partis, qui ex primo conſequitur; Et modò ad majorem elucidationem dicimus, quod primus dolor cum poſſit eſſe adeò parvus, quod non ſufficiet ad rationem contritionis, V. G. ſi minus diſpliceret ei peccatum; quàm diſplicere debeat ſeparatio ab ultimo fine, hinc eſt, quod hujuſmodi dolor contritionis non ſufficiet ad deletionem magnorum peccatorum. Cæterum parvitas doloris, qui habetur in ſenſu per contritionem, non impedit rationem contritinnis, quia non ſe habet per ſe [u In ſuppl. q. 5. art. 3.] ad contritionem; *ait Div. Thom.*, (u) ſed quaſi ex accidente ei adiungitur; & iterum non eſt in poteſtate noſtra, nihilominus tamen licet quantumcumque parvus ſit dolor, dummodo tamen ad rationem contritionis ſufficiat, ſcilicet quod ſit dolor ex dilectione proveniens de offenſa facta Deo, omnem culpam delet. Hoc deſumitur & ex auctoritate *Petri Apoſtolorum Principis dicentis*, (x) charitas operit multitudinem [x 1. p. cap. 4.] peccatorum; & ex *illo Proverb.*, (y) univerſa delicta operit charitas; Quibus in locis manifeſte videtur, [y Cap. 10.] non requiri tantam, vel tantam charitatem, adhoc ut deleantur multitudines peccatorum, ſed ſolùm dicunt ſimpliciter charitatem, quaſi dicerent, charitas ſecundum naturam ſuam ex conſequenti ſive parva, ſive magna fuerit, operit & multitudinem, & univerſitatem delictorum. *Et Div. Thomas docet*, quod con- [z Ibidem] tritio eſt medicina ſpiritualis, & medicina ſpiritualis cum habeat efficaciam infinitam ex virtute infinita, quæ in eis operatur, hinc ſequitur, quod illa medicina, quæ ſufficit ad curationem magni, uti clarè conſtat de baptiſmo, quo & parva & magna ſolvuntur, nam & regeneratio dicitur, ſic & de contritione dicendum eſt, dummodo tamen ad rationem contritinnis, ut diximus, pertingat; ſanatur enim ab omni infirmitate peccator per veram contritionem, ita ut poſſit æquè bene dici, quod *ſcriptum eſt Marci*, (a) nnn ne- [a Cap. 2.] ceſſe habent ſani medico; niſi ut conſulatur, ob hoc dicimus, quod etſi neceſſarium ſit, ut unus homo plus doleat de majori peccato, quàm de minori, ſecundum quod magis repugnat amori, qui dolorem cauſat: attamen *ait Div. Thom.*, (b) ſi unus alius haberet tan- [b Ib. ad 3.] tùm de dolore pro majori, quantum ipſe habet pro minori, ſufficeret ad remiſſionem culpæ. Reſtat ergo, ut quilibet conſcientiam ſuam frequenter excutiens videat, an ſervaverit ea, quæ à Deo, ſicut etiam ab Eccleſia præcepta ſunt; etſi cognoverit ſe reum eſſe alicujus ſceleris, oret ad Dominum, ut dignetur ſibi concedere ſpatium vitæ, cum neſciamus, qua hora Dominus noſter venturus ſit, ut ſemper dolere poſſit de jis, quæ malè geſſit, & ea confiteatur, & pro ipſis ſatisfacere poſſit jejuniis, eleemoſynis, & orationibus quantum poſſibilitas permitrir, & ſic veniam expoſcendo à Domino Deo ipſemet donet illi, & nobis ſic operantibus gratiam ſuam, ut laudare poſſimus infinitam bonitatem ſuam; & ſemper canere, Benedictus Dominus Deus noſter, qui fecit nobiſcum miſericordiam ſuam.

§ ✠ §

✠

Super

Digitized by Google

Super quæſtionem Sextam.

De Confeſſionis neceſſitate.

OMnia, quæ operatus eſt Deus, ad noſtram utilitatem operatus eſt; etenim conſtat & in creatione rerum omnium, ſiquidem propter hominem omnia fecit; Dominamini, inquit ad Adam, per quod verbum conſtituit Dominus Adam Regem Univerſorum, quæ in Mundo noviter creato fuerunt;) piſcibus Maris, volatilibus Cęli, & univerſis animantibus, quæ ſuper terram moventur, ſic vaſtum fuit ejus imperium, ita ut cum veritate aſſerri poſſit, quod ab ortu ſolis, uſque ad occaſum magnum fuit nomen ejus. Et in operatione Myſterii Incarnationis, quo mediante Verbum factum eſt caro, ut habitaret in nobis, non ut Dominus, ſed ut ſervus, ut habetur ex Paulo formam ſervi accipiens, quod totum factum fuit in remedium noſtrę ſalutis, per quam pati, & mori voluit; propterea rectè dictum fuit de Chriſto Domino, quod operatus ſit ſalutem in medio terræ, ut omnes participarent de effectu redemptionis; & in inſtitutione Sacramentorum ut non ſolùm bonis temporalibus frueretur homo in hoc Mundo, verùm etiam, & bonis ſpiritualibus, per quæ datur gratia in hac via, quæ eſt quædam præparatio ad gloriam, Inter quæ verò Sacramenta eſt Sacramentum pœnitentiæ, cujus ſecunda pars integralis eſt confeſſio Sacramentalis, quæ neceſſaria eſt, immò & præcepta jure divino, aliàs quomodo ſtaret *illud Joannis* (a) quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.? profectò ad
a cap. 21. nihilum deſerviret, ſi Sacerdotes non haberent poteſtatem remittendi peccata fidelium, & ſi ipſi fideles præceptum à Chriſto non haberent ſua peccata deferendi ad illos; qui miniſtri ab ipſo conſtituti ſunt; ad hanc confeſſionem exercendam peccatorum mortalium accedere debent fideles puritate conſcientiæ, & cordis munditia, de qua re *Divus Auguſtinus loquendo ad fratres in Eremo ait*, (b) ò felix conſcientiæ puritas, ò felix ſanctæ conſcientiæ jucunditas; quæ vermem interiorem excludit, quæ à car
b ſerm. 10. cere doloris liberas rationem, quæ omni immunditia purgas mentem; Hinc *Divus Thomas* (c) docebat quod fundamentum, & janua virtutum, omniſque gratiæ, ac ſpiritualis conſolationis principium eſt
c Op. 64. in princ. conſcientiæ puritas, ac cordis munditia, ad quam principaliter, & præcipuè per puram, ac veram, ac integram, & perfectam confeſſionem peccatorum acceditur ad ſtatum gratiæ, ad acquirendas virtutes, & ad vitia vitanda; ideòque dicitur; quod ſit neceſſaria ad ſalutem, & quod ſit præcepta jure divino, & hoc ad differentiam confeſſionis, quæ dicitur eſſe de jure naturali, nam licet confiteri peccatum in caſu ſit de jure naturali, ſcil cum quis in judicio conſtitutus à judice interrogatur, tunc enim non debet peccatum mentiri, tamen confeſſio, quę fit ſponte ad remiſſionem peccatorum conſequenda à Deo eſt de divino.

Eſt confeſſio Sacramentalis & de jure Eccleſiaſtico, ut conſtat ex Concilio Lateranenſis de quo infrà; Unde & ab Eccleſia hoc præcipitur, quod tamen præceptum eſt tantùm determinatio divini pręcepti quantum ad tempus confitendi, unde præcipit Eccleſia, ut ſaltem in Paſchate unuſquiſque teneatur confiteri peccata ſua, & hoc ut Eccleſiarum rectoribus ſui ſubditi innoteſcant, ne lupus intra gregem lateat.

Unde ut peccatores omnes ſe recognoſcerent, ex inſtitutione Eccleſiæ, tenentur confiteri peccata etiam venialia, vel ſe præſentando Sacerdoti, & dicant non habere mortalia, quod eis pro confeſſione reputaretur. Ad quam faciendam debent fidele confiteri peccata, quæ habent; ne mentiantur, conſequenter ne peccent, cum mendacium ſit peccatum quodlibet, illud ſit, & maximè in preſenti cum agatur de re gravi. Nec ſtatim tenentur fideles peccatores peccata ſua confiteri, quod bene videtur ex tempore ab Eccleſia ſtatuto, quale tempus aſſignatur pro omnibus fidelibus, ſive ſint ſeculares, ſive religioſi, etenim non iſti tenentur ad alia, quàm alii homines, quantum ad præcepta Eccleſiæ, licet quoad ea, ad quæ ex voto ſe obligaverunt, teneantur illi, non iſti. Et quia de jure divino eſt confeſſio Sacramentalis, hinc ſequitur, quod nullus, ut includatur etiam Papa diſpenſare poſſit in confeſſione Sacramentali, licet poſſit poſtea papa diſpenſare in confeſſione, ſecundum quod obligatur de pręcepto Eccleſię, ut poſſit ad diutius confeſſionem differre, quàm ab Eccleſia inſtitutum ſit.

Confeſſio, prout de illa in præſenti ſermo inſtituitur, non conſideratur, quatenus importat actum fidei, & dicitur confeſſa eſt divinæ veritatis; Sic Chriſtum Dominum confeſſa eſt Margarita, dùm ad Tyrannum dixit, genere ſum nobilis profeſſione Chriſtiana; ſic omnes Martyres, qui pro confeſſione fidei mortem ſuſtulerunt; nec conſideratur, quatenus laudationem Dei ſignificat, *ſecundum illud Pſalm.* (d) confitemini Domino, quoniam bonus, hoc eſt, d Pſ. 104
laudate Dominum, quoniam ſuavis eſt; quod apparet etiam magis ex alio *pſias Regis pſalentis*, (e) in inferno e Pſ. 6.
autem quis confitebitur tibi? quaſi dicat *quis te laudabit in illo pœnoſo loco*, in quo nihil aliud auditur, quàm fletus, & ſtridor dentium? in illo tenebroſo loco, in quo nullus conſtituitur ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat? Ergo non mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui deſcendunt in infernum, ſed nos, qui vivimus confitebimur tibi in ſeculum, quoniam tu es Deus, qui facis mirabilia, qui libera nos de manibus gentium. Quamobrem *Regius Pſal.* volens exprimere; quàm bonus ſit Dominus, quamq; laudandus voce plena clamavit, (f) confiteantur tibi popul Deus, f Pſ. 66.
confiteantur tibi populi omnes; ac ſi diceret, *nullus ſit populus, nulla natio, nullave ſit gens in Mundo, quod unoore non clament laudantes Dominum, quoniam benignus, quoniam miſericors eſt*; Ergo cum pueris Hæbreorum dicatur, laudate, & ſuperexaltate eum in ſecula, laudate, & confitemini ei, quia in omnia ſecula miſericordia ejus. Et in *Iſaia* confirmatum hoc videtur *per os Ezechiæ Regis Judæ* (g) dicentis, quia non infernus con- g cap. 38.
fitebitur tibi, neque mors laudabit te, ſed nos, qui vivimus, confitebimur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam.

Et *Eccleſiaſticus* admonet nos in oratione eſſe lau- h cap. 39.
dandum Dominum, dùm dixit, in oratione confitebitur Domino, non tamen ore; ne audiatur de nobis, quod dictum fuerit de populo illo Infideli, populus hic labiis me honorat cor autem eorum longè eſt à me, nam tota eorum inclinatio erat ad adorandum Deor alienos, Ammorhæorum, & Ammonitarum; ſed puro corde, & affectu, ſicut legitur in *lib. Joſue*, (i) dixit enim ille ad i cap. 24.
populum, nunc ergo timete Dominum, & ſervire ei corde perfecto, atque veriſſimo, auferte Deos alienos, quibus ſervierunt Patres veſtri in Meſopotamia, & in Ægipto, ac ſervite Domino; ſic & reperitur ſcriptum *in lib. Regum* (l) de Samuele di- l 1. Reg. c. 7.
centem ad gentem illam; ſi in toto corde veſtro revertimini ad Dominum, & auferte Deos alienos de medio veſtri, Baalim, & Aſtaroth, & præparate corda veſtra Domino, & ſervite ei ſoli; ergo nos populus Domini, de quo ſcriptum eſt, *gens ſancta, populus acquiſitionis*, diligamus Deum, ſerviamus illi, atque laudemus illum non verbo, ſed toto corde, & affectu; unde & dicamus, benedicamus Patrem, & Filium, cum Sancto Spiritu, laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſecula.

At non de iſtis duabus confeſſionibus locuti ſumus hic, benè verò de illa confeſſione, quatenus eſt ſecunda pars Sacramenti Pœnitentiæ;

& de iſta dicitur, quod ſit peccatorum coram Sacerdote manifeſtatio; per quam manifeſtationem delictorum confeſſio abſque dubio habet perficere contritionem, iſta enim etſi habeat importare maximum dolorem de peccatis, melius tamen exprimitur talis dolor ore, ſicut ſcriptum eſt *ad Rom.* (m) ore confeſſio fit ad ſalutem. Et quod à nobis dicitur, videtur *in Catechiſm. Rom. ſtabilium, dùm legitur*; (n) etenim ex fidei Catholicæ doctrina omnibus credendum, & conſtanter affirmandum eſt, ſi quis ita animo affectus ſit, ut peccata admiſſa doleat, ſimulque in poſterum non peccare conſtituat, etſi hujuſmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam ſatis eſſe poſſit: ei tamen, cum peccata Sacerdoti ritè confeſſus fuerit, vi clavium ſcelera omnia remitti, ac condonari: ut meritò à Sanctiſſimis viris Patribus noſtris celebratum ſit Eccleſiæ clavibus aditum in cœlum aperiri, de quo dubitare nemini fas eſt, cum à Concilio Florentino ſub Eugenio Papa Quarto decretum legamus, pœnitentiæ effectum eſſe abſolutionem à peccatis. Et hæc manifeſtatio peccatorum debet fieri non per modum cujuſdam narrationis, ſed per modum cujuſdam accuſationis; ſicut & Patres definientes confeſſionem dixerunt, eam eſſe peccatorum accuſationem, quæ ad Sacramenti genus pertinet, eò ſuſceptam, ut veniam virtute clavium impetremus; quapropter oportet, ut nos, tanquam rei læſæ majeſtatis accuſatores ſimus de peccatis contra Deum commiſſis, & illa confiteamur abſque ulla confuſione mentis, ſicut legitur *dictum fuiſſe ab Eccl.* (o) non confundaris confiteri peccata tua, ſed ſumma reverentia, atque moleſtia expectantes ſententiam à miniſtro habente poteſtatem clavium, atque liberationem à pœna æterna, *juxta determinationem etiam Concilii Trident.* (p) ſtatuentis, ante hoc tribunal tanquam reos ſiſti voluit, ut per Sacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum penitentes confugerint, poſſent liberari: Accuſare ergo debemus noſmetipſos; nam ſi juſtus prior eſt accuſator ſui, ut habetur *ex libr. Proverb.*, (q) quantò magis peccator accuſator ſui eſſe debebit? Accuſare ergo debemus, & dicere unà cum David, quoniam iniquitatem meam ego agnoſco, tibique ſoli peccavi; peccavi Domino; ſi velimus andire unà *cum eodem*; (r) Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris. Vel unà cum latrone illo dicente, (ſ) nos quidem juſtè, nam digna factis recipimus, hac enim confeſſione ſe accuſavit reum mortis, unde & clamavit ad Dominum, memento mei Domine, dùm veneris in regnum tuum; propter hoc meruit audire vocem illam Domini, hodie mecum eris in Paradiſo. Vel unà cum peccatore illo *publicano* (t) dicente, Deus propitius eſto mihi peccatori, ſi velimus unà cum eodem juſtificari, nam de illo legitur, deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo.

Et quàm benè dicatur *manifeſtatio delictorum*, conſtat ex hoc, quod per peccatum homo infirmatur ad mortem, *ſcriptum eſt namque Rom.* (u) & per peccatum mors; ut autem ſanetur homo ab hac infirmitate ſpirituali, quæ animam ducit ad mortem, opus eſt uti confeſſione tanquam medicina ſpirituali, nec erubeſcere homo debet, ſi manifeſtare debeat peccata ſua Sacerdoti, qui homo eſt, hoc eſt, & ipſe aliquando infirmus; Unde & ſcire debet miniſter, quod conſiderando ſeipſum patienter, toleranter, atque ſuaviter debet curare infirmitatem, & ſanitatem præſtare. Medicus enim, *inquit Petrus Chryſologus*, (x) qui non fert infirmitates, curare neſcit; & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non poteſt conferre ſanitatem. Sciat ergo homo peccator, quod erubeſcentia non debet eſſe impedimentum, ut detegantur peccata, & non ſanetur anima ab infirmitate mortali, quæ eveniet abſque ullo dubio, ſi illa non confiterentur. Exemplum affertur *à Sacro Concil. Trident.* (y) ſi enim erubeſcat egrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat.

At dicet quis, ſi homo ignorat peccata hominum, non ignorat tamen illa Deus, ergo ſi non eſt neceſſe, ut confiteamur Deo ſcienti; nec erit neceſſe, ut confiteamur homini neſcienti. Sed quàm impium ſit hoc aſſerere, audiat Concilium Tridentinum ibidem, impium eſt confeſſionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impoſſibilem dicere, aut carnificinam illam conſcientiarum appellare. Conſtat enim nihil aliud in Eccleſia à penitentibus exigi, quàm ut poſtquam quiſque diligentius ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum, & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit; & impietas iſta damnatur anathemare; (z) ſi quis dixerit, modum ſecretè confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſervavit, & obſervat, alienum eſſe ab inſtitutione, & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanum. Anathema ſit. *Et cum Div. Auguſt. lib. Confeſ. negandum eſt*, (a) non eſſe neceſſe, ut confiteamur Deo ſcienti. Nam dicit, numquid Domine, cum tua ſit æternitas, ignoras, quæ tibi dico, aut ad tempus vides, quod fit in tempore? Cur ergo tibi tot verùm narrationes digero? Non utique, ut per me noveris ea, ſed affectum meum excito in te, & eorum, qui hæc legunt, ut dicamus omnes, magnus Dominus, & laudabilis valde. Jam dixi, & dicam, amore amoris tui facio iſtud. Nam & oramus, & tamen veritas ait; novit Pater veſter, quid vobis opus ſit, priuſquam petatis ab eo. Affectum ergo noſtrum patefacimus in te: cofitendo tibi miſerias noſtras, & miſericordias ſuas ſuper nos; ut liberes nos omninò, quoniam cæpiſti; ut deſinamus eſſe miſeri in nobis, & beatificemur in te, quoniam vocati nos, ut ſimus pauperes ſpiritu, & mites, & lugentes, & eſurientes, & ſitientes juſtitiam, & miſericordes, & mundi corde, & pacifici, ecce narravi tibi multa, quæ potui, & quæ volui, quoniam tu prior voluiſti, ut confiterer tibi Domino Deo meo, quoniam bonus es, quoniam in ſeculum miſericordia ejus. Hæc ille; ergo deducam, dùm manifeſtamus peccata noſtra homini, confitemur illa coram Deo, qui non ſpernit ſperantes in ſe; ergò neceſſariò manifeſtanda ſunt peccata Sacerdoti, ſi velimus conſequi ſalutem animæ.

Et ob hoc *docet Div. Thom.*, (b) quod confeſſio inter medicinas ſpirituales numerari debet, de hoc adducitur ratio, quia ſicut medicina corporalis eſt neceſſaria ad ſalutem corporis, ita medicina ſpiritualis eſt neceſſaria ad ſalutem animæ. Ex quo deducendum eſt, quod confeſſio eſt de neceſſitate ſalutis, quoniam de neceſſitate ſalutis eſt, quod homo de peccatis medicinam accipiat; *juxta illud Boetii lib.* (c) ſi opera medicantis expectas, oportet, quod morbum detegerētur; aliàs ſi non detegeretur morbus, infirmus in mortem facilè incideret, ſic pariter ſi non detegeretur peccata per confeſſionem, quando poſſibile eſt fieri, & quando oportet, peccator jam ad mortem animæ proximus eſt. Ideòque meritò Sacramentum pœnitentiæ & illud baptiſmi, Sacramenta mortuorum dicuntur. Unde ſicut Sacramentum baptiſmi neceſſarium eſt ad regenerationem ſpiritualem, per quam homo renaſcitur Deo, ita Sacramentum penitentiæ eſt neceſſarium, ut homo reviviſcat ad gratiam, quam perdidit per peccata actualia mortalia, juxta Div. Thom. docentem, ſicut eſt de neceſſitate ſalutis, quod homo regeneretur ad vitam ſpiritualem per baptiſmum, qui aufert, & remittit peccatum originale contractum per voluntatem primorum parentum; ita de neceſſitate ſalutis eſt, ut homo reviviſcat per pœnitentiam, quæ aufert, & remittit peccatum actuale.

Hoc Conſortatur *ex Concil. Trident.*, (d) eſt autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, ut nondùm regeneratis ipſe baptiſmus. Nota tamen, quod hoc non ex propria virtute, ſed ex virtute paſſionis Chriſti, quæ operatur in nobis per Sacramentorum ſuſceptionem; ex ipſa namque paſſione Chriſti

Sacra-

m cap. 10.
n 2. par. de Confeſs. num. 39.
o Cap. 4.
p Seſſ. 14. cap. 14.
q cap. 18.
r Lib. 2 Reg. cap. 12.
ſ Luca ca. 23.
t Luca ca. 18.
u Cap. 15.
x Ser. 50.
y Seſſ. 14. cap. 5.
z Seſſ. 14. can. 1. l. 1. cap. 6.
a In Suppl. q 6 art. 1.
b in ſuppl. q 6. art. 1.
c Lib. 2. de Conſol. proſa 4.
d Seſſ. 14. cap. 2.

Digitized by Google

Sacramenta efficaciam habent; quod confirmatur ab eodem Concilio, (e) ex inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ jam explicata univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere. *Et per Canones ſtatuit*, (f) ſi quis negaverit, confeſſionem Sacramentalem, vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe jure divino; anathema ſit; ergo ut certum eſt, fatendum quod ut nobis dimittatur peccatum originale, vel actuale quantum ad culpam, requiritur neceſſariò Sacramentum Eccleſiæ, vel actu ſuſceptum, vel ſaltem voto, quod articulus neceſſitatis, non contemptus, Sacramentum excludit; ac proinde illa Sacramenta, quæ ordinantur contra culpam, cum qua ſalus eſſe non poſſit, ſunt de neceſſitate ſalutis; & quia confeſſio ſpectat ad unum ex illis Sacramentis, quæ ordinantur contra culpam, jam ſequitur, quod confeſſio ſit de neceſſitate ſalutis, ex hoc præcisè, quod ad remiſſionem culpę operatur, in quantum confitendo peccatum ſuum miniſtro Eccleſiæ ſe ſubjicit, ut per Sacramentum pœnitentiæ ab eo diſpenſatum remiſſionem conſequantur, qui congruum remedium adhibere non poteſt, niſi peccatum cognoſcat, quod fit per confeſſionem peccantis. *Sic & ſtatuit Concilium Trident.* (g) Quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus è terris aſcenſurus ad Cęlos, Sacerdotes ſui ipſius vicarios reliquit, tanquam præſides, & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint; quo pro poteſtate clavium remiſſionis, aut retentionis peccatorum ſententiam pronuncient: conſtat enim, Sacerdotes judicium hoc incognita cauſa exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervari potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non in ſpecie, ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent.

e Ib. d. c. 5.

f Ib. can. 6.

g Seſſ. 14. c. 5.

Diximus, *ex hoc præcisè, quod ad remiſſionem culpæ operatur &c.* quia ex hoc, quod operatur ad pœnæ remiſſionem non habet, quod ſit de neceſſitate ſalutis, cum pœna iſta temporalis ſit, ad quam poſt culpæ remiſſionem aliquis remanet ligatus: unde ſine hoc, quod in præſenti vita expiaretur, eſſet via ſalutis: Hæc doctrina *Div. Thomæ* (i) corroborata videtur *ex Concilio Trid.* (l) habetur enim, ſi quis poſt acceptam juſtificationis gratiam, cuilibet peccatori pęnitenti, ita culpam remitti, & reatum pęnæ æternæ deleri, dixerit, ut nullus remaneat reatus pęnæ temporalis exſolvendæ &c. anathema ſit.

i Ib. ad 5.

l Seſſ. 6. can. 30.

Diximus, eandem rationem ſub diverſa tamen formalitate eſſe de baptiſmo, ac de penitentia in ordine ad auferendum, & dimittendum utrumque peccatum, originale ſcilicet, & actuale; in ordine tamen ad eſſe neceſſarium ad ſalutem, & per hoc, quod addidimus, primum eſt contractum voluntate aliorum, & ſecundum per voluntatem propriam, intendimus aſſignare differentiam, quæ jam aſſignata fuit *à D. Th* (m) peccatum originale cum ſit contractum ex altero, poteſt omninò ab extrinſeco remedium habere, ut patet in parvulis, qui lavati aqua baptiſmali extrinſecè illis advenienie emundantur à tali peccato originali, & regenerantur ad gratiam, juxta illud Chriſti Domini, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire regnum Dei: per quam ſententiam videtur manifeſtè eſſe maxima differentia inter Baptiſmum Chriſti, & Baptiſmum Joannis, quod iſte dabatur tantùm in aqua, ille verò datur in aqua, & igne; qua de cauſa *Concil. Trid.* (n) utique cognoſcens hanc differentiam ſtatuit, ſi quis dixerit, baptiſmum Joannis habuiſſe eamdem vim cum baptiſmo Chriſti; anathema ſit. Eò maximè quia de Chriſto exclamavit Præcurſor, ut narrat Evangeliſta Joannes, ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi: *Ou hoc Concilium Trid.* (o) *ſtatuit* ſi quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum eſt, & propagatione, non imitatione transfuſam, & in omnibus ineſt, unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium aſſerit tolli, quàm per medium unius mediatoris Chriſtu Jeſu Domini noſtri, qui nos Deo reconciliavit in ſanguine ſuo, factus nobis juſtitia, ſanctificatio, & redemptio, anathema ſit. Peccatum verò actuale, quod ex ſeipſo quiſque commiſit, non poteſt expiari niſi aliquid cooperetur ille, qui peccavit; ideòque indiget ſola fide, & non alio ut juſtificetur, quod eſt de peccatore fieri juſtum, quod non eſt dicendum, ſicut *ſtatuit Concil. Trid.* (p) ſi quis dixerit, ſola fide impium juſtificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad juſtificationis gratiam conſequendam cooperetur, & nulla ex parte neceſſe eſſe, eum ſuæ voluntatis motu præparari, atque diſponi; anathema ſit. Subdit poſtea D. Th., ſed tamen non ſufficit ad peccatum expiandum ex ſeipſo, ſicut ſufficienter peccatum commiſit, cum peccatum ex parte converſionis ſit finitum, ex qua parte peccatū in ipſum reducitur. Ex parte verò averſionis habet infinitatem, ex qua parte oportet, quod peccati remiſſio ab alio incipiat, & ideò debet habere ex alio medicinam.

m Ib. ad 2.

n Seſſ. 7 de bap. can. 1.

o Seſſ. 5. can. 3.

p Seſſ. 6. can. 9.

Diximus, quod *Sacramentum pœnitentiæ, ſicut & alia Sacramenta, habet efficaciam non ex ſe, ſed virtute paſſionis Chriſti*, per quod & aſſerimus, quod Sacramenta non ſunt de jure naturali, adeòque nec iſtud pœnitentiæ, ſed ſolùm de jure divino, quod eſt ſupernaturale; (ſunt enim Sacramenta fidei proteſtationes, & fides eſt ſuper rationis naturalis cognitionem) ac per conſequens nec confeſſio, cum ſit pars Sacramenti pęnitentiæ, eſt de jure naturali; certum eſt enim *ſecundum Tullium*, (q) quod jus naturale eſt, quod opinio non genuit, ſed innata quædam vis inſervit. Licet quandòque etiam naturale dicatur, ſecundum quod cuilibet rei illud eſt naturale, quod & à ſuo Creatore imponitur; cęterum propriè naturalia dicuntur, quæ ex principiis naturæ cauſantur; illa verò, quæ ipſamet Deus ſibi reſervat, ſive naturæ miniſterio operanda, ſive in operationibus miraculorùm, ſive in revelationibus myſteriorum, ſive in inſtitutionibus Sacramentorum ſupra naturam ſunt; Unde ſupra naturam eſt, quod Dominus inſtituit Sacramentum ad hoc, ut deleantur peccata, *ut Concil. Trid.* (r) *ſtatuit*, Dominus autem Sacramentum tunc præcipuè inſtituit, cum à mortuis excitatus, inſufflavit in diſcipulos ſuos dicens, accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quò tàm inſigni facto, & verbis tàm perſpicuis poteſtatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles poſt baptiſmum lapſos, Apoſtolis, & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit. Hinc ſequitur, quod confeſſio, quæ ſacramentalem habet neceſſitatem, non eſt de jure naturali, ſed divino; hoc autem intelligitur de confeſſione, quæ fit ſpontè ad remiſſionem peccatorum conſequendam à Deo, non verò intelligitur de illa confeſſione, quæ fit Deo per recognitionem peccati, illa enim eſt de jure naturali, & idcircò vituperatur Adam ex hoc, quod peccatum ſuum coram Deo non recognovit, non enim dixit, peccavi, quia irritum feci præceptum tuum comedendo de ligno vetito, ſed excuſationem fecit de peccato ſuo, dicendo, mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi; ut habetur ex *Gen.* (t) at non ſolùm ex dictis conſtat, non recognoviſſe peccatum ſuum, ſed & mentitum fuiſſe; idcircò propter hæc omnia vituperatur. Sicut & vituperatur Cain, nam & ipſe in judicio conſtitutus mentitus fuit peccatum ſuum excuſando, immò & negando; ſiquidem quando Deus interrogavit Caio de Abel fratre ſuo, (u) & illi dixit, ubi eſt Abel frater tuus? Cain per negationem reſpondens dixit, neſcio, numquid Cuſtos fratris mei ſum ego? tenebantur iſti confiteri, ne operarentur contra jus naturale, eò quia confiteri peccatum in caſu ſcilicet, quando quis in judicio vocatus à judice interrogatur legitimè, eſt de jure naturali, & peccat contrafaciendo; Nec loquitur de illa confeſſione, quæ fiebat ab homine tùm in lege naturæ, in qua ſufficiebat recognitio peccati interior apud Deum; tùm in lege Moyſi, in qua oportebat aliquo ſigno exteriori peccatum proteſtari, ut per oblationem hoſtiæ pro peccato; ex quo innoteſcere & homini poterat eum peccaſſe; ſic habetur *ex lib. Levit.* (x) & in

q Lib. 2. de inventione.

r Seſſ. 14. cap. 1.

s Suppl. q. 6. a. 2. ad 1.

t cap. 3.

u cap. 4.

x cap. 4.

primis

primis de peccato Sacerdotis, Principis, & multitudinis per ignorantiam commiſſo legitur, ſi Sacerdos, qui unctus eſt, peccaverit, derelinquete faciens populum, offeret pro peccato ſuo vitulum immaculatum Domino; ſi omnis turba Iſrael ignoraverit, & per imperitiam fecerit, quod contra Domini mandatum eſt; & poſtea intellexerit peccarum ſuum, offeret pro peccato ſuo vitulum: ſi peccaverit princeps, & fecerit unum è pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur; & poſtea intellexerit peccatum ſuum, offeret hoſtiam Domino bircum de capris immaculatum. Si peccaverit anima per ignorantiam de populo terræ, ut faciat quidquam de bis, quæ lege Domini prohibentur, atq; delinquat; & cognoverit peccatum ſuum; offeret capram immaculatam:

ibid. Secundò pro peccatis ex ſilentio veritatis, immunditia, errore, juramento, &c habetur ex Levit., ſi peccaverit anima, & audierit vocem jurantis, teſtiſque fuerit, quod aut ipſe vidit, aut conſcius fuerit, niſi indicaverit, portabit iniquitatem ſuam.

Anima, quæ tetigerit aliquid immundum &c. & oblita fuerit immunditiæ ſuæ, rea eſt, & deliquit. Anima, quæ juraverit, & protulerit labiis ſuis, ut vel malè quid faceret, vel benè, & idipſum juramento, & ſermone firmaverit; oblitaque poſtea intellexerit delictum ſuum; agat pœnitentiam pro peccato, & offarat de gregibus agnam, ſive capram; Sin autem non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures, aut duos pullos columbarum. Anima ſi prævaricans cęremonias per errorem in his, quæ Domino ſunt ſanctificata, peccaverit, offeret pro delicto ſuo arietem immaculatum de gregibus, qui emi poteſt duobus ſiclis juxta pondus ſanctuarii. Anima ſi peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his, quæ Domini lege prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem ſuam, offeret arietem immaculatum de gregibus Sacerdoti juxta menſuram, æſtimationemque peccati.

6, Levit. Tertiò pro peccato ex certa ſcientia commiſſo. Anima, quæ peccaverit, & contempto Domino, negaverit proximo ſuo depoſitum, quod fidei ejus creditum fuerat, vel ſic aliquid extorſerit, aut calumniam fecerit, &c. pro peccato ſuo offeret arietem immaculatum de grege, & dabit eum Sacerdoti, juxta æſtimationem, menſuramque delicti. In qua tamen lege non oportebat, ut ſpeciale peccatum à ſe commiſſum manifeſtaret, & peccati circumſtantias: Benè verò loquitur in præſenti de illa confeſſione, quæ modò fit in lege nova, in qua oportet, ut ſpeciale peccatum à ſe commiſſum manifeſtet, ſicut & peccati circumſtantias: juxta determinationem *etiam Concilii Tridens.*
a Seſſ. 14. cap. 5. (a) *D. Thom. doctrinam confirmantis*; colligitur prætérea etiam eas circumſtantias in confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant; quod ſine illis peccata ipſa neque à pęnitentibus integrè exponantur, nec judicibus innoteſcant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum, rectè cenſere poſſint; & pęnam, quam oportet pro illis pęnitentibus imponere. Unde alienum à ratione eſt docere circumſtantias has ab hominibus otioſis excogitatas fuiſſe; aut unam tantùm circumſtantiam confitendam eſſe, nempe peccaſſe in fratrem, ſicut faciunt hæretici noſtri temporis.

Confeſſio, cum ſit medicina ſpiritualis, ideò poſt lapſum naturæ infirmatæ jam per peccatum, opus eſt, ut omnes utamur hujuſmodi medicina ſpirituali, ut mediante iſta acquirere poſſimus gratiam, quæ per
b lib. 5 tit. 38. cap 12. ex Concil. Lather. peccata deperdita fuit. *Unde juxta decret. de pœnit. & remiſſione* (b) ubi dicitur, omnes utriuſque ſexus cum ad annos diſcretionis pervenerint, tenentur peccata confiteri. Nec enim, *ſubdit Concil. Trid.* (c) per Con-
c Seſſ. 14. cap. 5. cilium Latheranenſe, Eccleſia ſtatuit, ut Chriſti fideles confiterentur; quod jure divino neceſſarium, & inſtitutum eſſe intellexerat, ſed ut præceptum confeſſionis ſaltem ſemel in anno ab omnibus, & ſingulis cum ad annos diſcretionis perveniſſent, impleretur.

d ib can. 8 Et rurſus *ſtatuit idem Concil.* (d) ſi quis dixerit ad confeſſionem omnium peccatorum non teneri omnes, & ſingulos utriuſque ſexus Chriſti fideles juxta magni Concilii Latheranenſis conſtitutionem ſemel in anno, & ob id ſuadendum eſſe Chriſti fidelibus, ut non confiteantur tempore quadrageſimæ; anathema ſit. Et hoc ſecundum quod docuit *D. Thom.* (e) inquit *e in ſuppl. q. 6. a. 5.* enim, ad confeſſionem dupliciter obligamur; primò ex jure divino ex hoc ipſo, quod eſt medicina; & ſecundum hoc non omnes tenentur ad confeſſionem, ſed tantùm illi, qui peccatum mortale incurrunt poſt baptiſmum. Et ideò definitum fuit à *Concilio Trident.* quod hoc Sacramentum pœnitentiæ ſit neceſſarium ad ſalutem lapſis poſt baptiſmum. Secundò ex præcepto juris poſitivi, ſive Eccleſiaſtici, & ſic tenentur omnes ex inſtitutione edita *in Concil. Generali ſub Innocent. III. juxta decret.* ut diximus paulò ante. Et hoc ob multiplicem rationem.

Tùm ut quilibet ſe peccatorem recognoſceret, quia nullum eſt dubium, *inquit Paulus*, (f) omnes pecca- *f ad Rom. cap. 3.* verunt, & egent gratia Dei; vel ut remittatur culpa, ſimul & pœna æterna, vel ut præſerventur, ne amplius peccent, non quod tamen peccare non poſſint, ne incidatur in hæreſim Jovinianorum tollentium libertatem arbitrii. Tùm ut cum majori reverentia ad Eucharistiam accedatur, *juxta ſtatutum Concil. Trid.* (g) *g Seſſ. 13. can. 11.* & ne tantum Sacramentum indignè, atque ideò in mortem, & condemnationem ſumatur, ſtatuit, atq; declarat ipſa Sancta Synodus, illis, quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment; habita copia confeſſoris, neceſſariò pręmittendam eſſe confeſſionē Sacramentalem. Tùm ut Eccleſiarum Rectoribus ſui ſubditi innoteſcant, ne lupus gregem lateat. Rectores enim Eccleſiæ evigilare debent ſuper gregem ſibi commiſſum, ſcientes, quod redituri ſunt rationem de ovibus ſanguine Chriſti redemptis, ſi ex malo regimine paſtorum, atque Eccleſiæ Dei Rectorum peribunt. Attendant ad illam parabolam, quæ habetur *in Matt.*, (h) *h cap. 13.* ſimile eſt regnum Cęlorum ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti, quam, cum impleta eſſet, educentes, & ſecus littus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt. (Sagena namque ſignificat vocationem ad fidem, ad quam omnes vocantur, boni, & mali: & per ly *ex omni genere piſcium*, *ut, notat Div. Thom.*, ſignificantur di- *t Opuſc. 5 cap. 18.* verſa genera hominum.) Eccleſia enim eſt congregatio fidelium, in qua, veluti in ſagena, coadunantur & boni, & mali, boni V. obedientes fidei, ſervientes Deo, ſervantes ejus mandata, in vaſa, hoc eſt in Eccleſia recipiantur, mali V. perſeverantes in peccatis, vel carnalibus, vel ſpiritualibus poſt admonitionem, & debitam correctionem, ab Eccleſia reſpuantur. Sciant tamen Rectores, quod ſicut dicebat *Paulus*, (l) *l 2. Tim. cap. 2.* cognovit Dominus, qui ſunt ejus; ita etiam dicebat ibid. cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati; nequando Deus det illis pęnitentiam ad cognoſcendam veritatem. Et reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.

Ex quibus omnibus ſequitur, quod omnes tenentur ad confeſſionem etiam venialium, non ex vi Sacramenti, ſed ex inſtitutione Eccleſiæ, quando tamen non habent alia, quæ confiteantur; niſi etiam dicatur cum aliquibus, quod quando dicitur *in Decret.*, *quod omnes utriuſque ſexus &c.* debent omnia peccata confiteri; non intelligitur de venialibus, eò quia nullus omnia confiteri poteſt, & ſecundum hoc etiam ille, qui non habet mortalia, non tenetur ad confeſſionem venialium, ſed ſufficit ad pręceptum Eccleſiæ implendum; ut ſe Sacerdoti repræſentet, & ſe oſtendat abſq; conſcientia mortalis eſſe, & hoc pro confeſſione reputatur; Nihilominus tamē *ſecundum D. Th.* debet confiteri *m ib ad 5.* etiam venialia, quia ait, quamvis homo in hac mortali vita poſt baptiſmum naufragium evadere poſſit, quod eſt peccatum mortale, non tamen evadere poteſt venialia, quibus ad naufragium diſponitur, contra quæ etiam pœnitentia ordinatur: & ideò manet etiam pœnitentiæ locus in illis, qui non mortaliter

Digitized by Google

liter peccant, ac per conſequens confeſſionis. Et hæc doctrina Divi Thomæ eſt vera, ſana, & ab erroribus immunis, utpotè confirmata à *Concilio Tridentino*, (*n*) ſtatuente, ſi quis dixerit, non licere peccata venialia confiteri; anathema ſit.

n Seſſ. 14. can 7.

In qua tamen confeſſione ſicut unuſquiſque tenetur confiteri omnia, & ſingula mortalia, & ſicut licitum eſt confiteri venialia aliqua, non omnia, ita nec tenetur, immò illicitum erit confiteri peccatum quod non habet etenim quicumq; dicit ſe feciſſe, quod non fecit, mentitur, videtur ergo, quod nullus debeat confiteri peccata, quæ non fecit, ne in confeſſione mentiatur, & anima detrimentum patiatur; cum (*ut*) *Sap.* (*o*) *dicat os*, quod mentitur, occidit animam. *Et Eccl. dicat*, (*p*) noli velle mentiri, &c. unde non eſſet confeſſio, ſed potius eſſet quædam vanitas, de quibus profectò David dicebat, quorum os locutum eſt vanitatem; hoc certiſſimè poſſet dici de quibuſdam hominibus de illis non ſolùm gloriantur, cum male fecerint, ſed qui etiam quod pejus eſt gloriantur in vanitatibus ſuis, contrà quos *dicebat Sap. in ſuis Prov.* (*r*) vanitatem, & verba mendacia longè fac à me: Et ſine omni dubio non eſſet confeſſio illa, cum confeſſio de peccatis commiſſis de præterito tantùm accuſatio ſit; tunc autem committeretur peccatum de præſenti, cum mendacium de præſenti diceretur. Quopropter *docet Divus Thomas*, (*ſ*) quod ut idonea ſit confeſſio, requiritur, quod os cordi concordet, ut ſolùm hoc os accuſet manifeſtando, non occultando, neque gloriando, quod conſcientia tenet, & ſic non mentietur, ſicut nec mentietur, ſi dicet peccatum, quod non fecit, dùm credit ſe commiſiſſe; ſic pariter quando quis dubitat de aliquo peccato, an ſit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente; nam qui aliquid committit, vel omittit, in quo dubitat eſſe mortale, peccat mortaliter, diſcrimini ſe committens, ſicut periculo ſe committit ille, qui de hoc dubitat eſſe mortale, negligit confiteri; non tamen debet aſſerere illud eſſe mortale, ſed dubitativè loqui, & judicium Sacerdotis expectare, illius Sacerdotis, qui ſcientiam diſcernendi inter lepram, & lepram habet, non illius, qui ſolam facultatem habet interrogandi ob dignitatem, quàm pluries indignè poſſidet, & nihil reſpondendi; de quo ſtat illud, quod legitur *in Matth.* (*t*) acceſſerunt Phariſæi ad Jeſum, & interrogavit unus ex eis legis doctor tentans eum; Magiſter, quod eſt mandatum magnum in lege? Vide præſumptionem hujus, & admirare: Si magiſter eſt, quare audes eum interrogare? Ecce præſumptio? ne dicam, ignorantia. Quia an ſcis, quod eſt mandatum magnum in lege, aut non. Si ſcis, quare non obſerves, & tu illud, quod eſt diligere Deum, & proximum. Si neſcis, quare non erubeſcis vocari legis doctorem? dicam ego, neſciebat ille, quale mandatum magnum fuerit in lege, volebat tamen ſcire, & ideò interrogavit, at ejus interrogatio doloſa fuit, quia præſumptuoſa, ac ignorantia plena. Sic & multi hujus noſtræ tempeſtatis Sacerdotes neſciunt reſpondere quæſitis, & tentant alios, Magiſtros, ſcil. ut reſpondeant pro illis, & tanta præſumptione audent hoc facere, quia in dignitate conſtituti, ut quamvis vocent illos Magiſtros, & ſciant eſſe tales, attamen impudenter eos audent interrogare. Unde de hoc legis doctore temerè audente interrogare Chriſtum Magiſtrum, ac Dominum, ut dictum eſt à Joanne Chryſoſtomo: Magiſtrum vocat, cujus tamen non vult eſſe diſcipulus. Vade ergo ad illos Sacerdotes, qui poſſunt reſpondere, & interrogare, & eorum judicium expectare debes, quia verè diſcernunt peccatum à peccato, & ſic verificabitur, quod ad bonam mentem pertinet, ut de illis culpis dubitanter ſe accuſet, quas dubitat non commiſiſſe. Et illud Gregorii, bonarum mentium eſt culpam agnoſcere, ubi culpa non eſt, debet intelligi non quantum ad ſubſtantiam actus, *ut ait Divus Thomas*, (quia ad bonam mentem non pertinet, ſed ad errantem, ut ſe actum aliquem

o cap. 1.
p cap. 7.
q cap. 21.
r cap. 30.
ſ in ſup. q. 6 a. 4.
t cap. 22.
Lib. ad 1.

commiſiſſe agnoſcat, quem non committit, benè verò debet intelligi quantum ad conditionem actus, eò quia juſtus in actu; qui de ſe bonus eſt, formidat, ne aliquis defectus ex parte ſua fuerit, ſicut habetur *de Job* dicente, (*x*) verebar omnia opera mea, ſciens, quod non parceres delinquenti: & idcircò ad bonam mentem etiam pertinet, ut hanc formidinem, quàm corde tenet, lingua accuſet, quod ſpectat ad humilitatem, & per hoc juſtus, qui verè eſt humilis, non reputat ſe deteriorem quantum ad perpetrationem actui, qui ſit pejor ex genere, ſed quia timet, ne in his, quę benè agere videtur, per ſuperbiam gravius delinquat.

x cap.

Confeſſio Sacramentalis medicina ſpiritualis eſſe non poſſet, niſi prius ſupponeret in infirmitatem in anima, quæ ut ſanetur ab infirmitate peccati, in quod cecidit per debilitatem virium, vel per fragilitatem ſenſus, opus eſt, ut cognoſcendo ſe aggravatam morbo potente illam ducere ad mortem vocetur medicus ſpiritualis, ut ſanare poſſit hanc infirmitatem, ſicut ſcriptum eſt *Lucæ* (*y*) non egent, qui ſani ſunt, medico, ſed qui malè habent: Quod autem hoc intelligatur non de juſtis, qui pœnitentia non indigent, ſed de peccatoribus; manifeſtum redditur ex eo, quod Chriſtus ſubdit dicens, non veni vocare juſtos, ſed peccatores, hoc concordat cum illo, non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus.

y cap. 5.

Quis autem ſit ipſe medicus, dicam, quod non eſt alius, niſi miniſter, qui habet clavim, hoc eſt auctoritatem, & poteſtatem traditam à Chriſto Domino Apoſtolis, & ſucceſſoribus eorum ligandi, atque ſolvendi, juxta id, *quod ſtatutum fuit à Concilio Tridentino*, (circa miniſterium hujus Sacramenti declarat Sancta Synodus falſas eſſe, & à veritate Evangelii penitus alienas, doctrinas omnes, quæ ad alios quovis homines præter Epiſcopos, & Sacerdotes clavium miniſterium pernicioſè extendunt, putantes verba illa Domini, quæcumque alligaveritis ſuper terram, &c. & quorum remiſeritis peccata &c. ad omnes Chriſtifideles indifferenter, & præcipuè contrà inſtitutionem hujus Sacramenti ita fuiſſe dicta, ut quivis poteſtatem habeant remittendi peccata, publica quidem per correptionem, ſi correptus acquieverit; ſecreta verò per ſpontaneam confeſſionem cuicumque factam.

u ſeſſ. 14. c. 6.

Verùm quia in infirmitate corporali non ſtatim medicus quæritur, ſed ſolùm quando neceſſitas curationis incumbit; ſic pariter in infirmitate ſpirituali non ſtatim tenetur quis confiteri peccata, niſi determinato tempore eò magis quia confeſſionis impletio eſt præceptum affirmativum, quod obligat ſemper, ſed non ad ſemper, & quod ita ſit, *habetur in decretal. cit. Concilii Lateranenſis*, quod ſimul datur præceptum determinatum de Confeſſione, & Euchariſtiæ perceptione, tempus autem determinatum, quo venit obligatio, qua Eccleſia omnes obligat, ad ſemel in anno confitendum eſt, ſicut & ad communicandum.

Et ideò ante tempus illud omnes tenentur confiteri, & talis obligatio eſt quoad confeſſionem actualiter faciendam, per accidens tamen, quando ſcilicet ad aliquid tenetur, quod non poteſt ſine peccato facere, niſi confeſſus; quia tunc tenetur confiteri, ut ſi debeat Euchariſtiam ſumere, ad quam nullus poſt peccatum mortale, niſi confeſſus, accedere debet, copia Sacerdotis oblata, & neceſſitate non urgente; hoc dicitur, quia & Sacerdos, quando tenetur ad celebrandum, ſi non deſit, copia Sacerdotum, confiteri tenetur, ſi autem deſit ſaltem confiteri debet, & habere propoſitum confitendi. Hæc doctrina *D. Thom.* (*a*) confirmata videtur à *Concilio Tridentino* (*b*) Quare communicare volenti revocandum eſt in memoriam ejus præceptum; probet autem ſeipſum homo: Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem eſſe neceſſariam, ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumvis ſibi contritus videatur abſque præmiſſa Sacerdotali confeſſione ad Sacram

a in ſup. q. 6. a. 5.
b ſeſſ. 13. 7.

Eu-

Euchariſtiam accedere debeat; quod à Chriſtianis omnibus etiam ab iis Sucerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuò ſervandum eſſe decrevit, modò non deſit illis copia Confeſſoris; quod ſi neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur.

Et ideò ſubditur, quod illud propoſitum eſt annexum contritioni; & cum huic ſit annexum, inde eſt, quod tunc quis tenetur ad hoc propoſitum, quando ad contritionem tenetur, quando V. peccata memoriæ occurrunt, præcipuè cum in periculo mortis exiſtit, aut in aliquo articulo, in quo ſine peccati remiſſione oportet eum peccatum incurrere.

Adeſt & alia obligario ad confeſſionem, & iſta eſt per ſe, certum enim eſt, quod ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, tenetur homo in hac vita implere, & ideò dicitur, quod ſi periculum mortis immineat, etiam per ſe loquendo, obligatur quis ad confeſſionem tunc ſaciendam, & differre erit peccatum mortale; eò modò quò obligatur quis ad baptiſmum ſuſcipiendum, & illum differre propter contemptum, vel aliquid hujuſmodi erit peccatum mortale, à quo non ſalvatur, niſi ex cauſa rationabili talis dilationis. Tamen ſicut non tenetur quis ſtatim ad baptiſmum ſuſcipiendum, poſtquam habet propoſitum baptiſmi, ita ut peccet mortaliter, niſi ſtatim baptizetur; nec eſt aliquod tempus determinatum, ultrà quod ſi baptiſmum differat, peccatum mortale incurrat; ita non tenetur quis ſtatim ad confeſſionem ſuſcipiendam, poſtquam habet propoſitum confitendi; ita ut mortaliter peccet, niſi ſtatim confiteatur, peccatum mortale incorrat; aliàs *ait D Th.*
c ibid. in arg. ſen c multa peccata mortalia homo incurreret pro una penitentiæ dilatione, quod videtur inconveniens.

Quibus admiſſis non videtur dicendum id, quod quidam dicunt, ſeculares non teneri ante quadrageſimale tempus confiteri, quod eſt eis tempus penitentiæ; Religioſos verò ad ſtatim teneri, quia totum tempus pœnitentiæ eſt eis: at hoc nihil eſt, quia Religioſi non tenentur ad alia, quàm ceteri homines, niſi ad quæ ex voto ſe obligaverunt, cujuſmodi non eſt confeſſio.

Laudandi tamen erunt Religioſi, ſicut & ſeculares ſtatim hoc facientes, eò quia neſciunt homines, quando veniet Dominus; & ideò *legitur in Luc.* (*d*) quod
d cap. 12. Beati ſervi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes; nam et ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit, beati ſunt ſervi illi; ad documentum fidelium Chriſti, V. ad hoc, ut ſemper parati eſſe debeant, in quocumque ſtatu inveniantur, quia qua hora non putabunt, filius hominis veniet. Itaque *in*
e cap. 25. *Matt.* (*e*) præcipitur vigilare, *dùm ait*, vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam; Hoc iterum, atque iterum repetitur, ut ne umquam ſomnus irruat, dùm de ſumma rerum omnium agitur. Sic & canit Eccleſia in hymno quadrageſimæ, *ne gravis ſomnus irruat, nec hoſtis nos ſubripiat, nec caro illi conſentiens, nos tibi reus ſtatuat*.

Diximus, quod *omnes tenentur peccata confiteri tempore determinato, & hoc ex inſtituto Eccleſiæ*, ceterum ex jure divino eſt, quod omnes teneantur ad confeſſionem, illi tamen, qui peccatum mortale incurrunt poſt
f Seſ. 6. cap. 14 baptiſmum. *Juxta etiam Concil. Trident.* (*f*) etenim pro his, qui poſt baptiſmum in peccatum labuntur, Jeſus Chriſtus Sacramentum inſtituit pœnitentiæ, *cum dixit*, accipite Spiritum Sanctum &c. Unde Eccleſia, & Caput ejus, quod eſt Summus Pontifex diſpenſare non poteſt, quod quis ſalvetur ſine confeſſione, ſecundum quod obligat ex ipſa vi Sacramenti, eò modò quò diſpenſare nequit, ut quis ſine baptiſmo ſalvetur.

Quare autem hoc? quia ad miniſtros Eccleſiæ non ſpectat novos articulos fidei condere, aut conditos removere, aut nova Sacramenta inſtituere, aut inſtituta removere, cum hoc ſit poteſtatis excellentiæ, quæ ſoli debetur Chriſto; qui eſt Eccleſiæ fundamentum,
g p cap. 3. *ſecundum illud Pauli ad Corint.* (*g*) fundamentum autem aliud nemo poteſt pondere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus: Unde & præceptum de Confeſſione non eſt ab homine prius inſtitutum, licet à *Jacobo Apoſtolo promulgatum*, dixit enim, confitemini alterutrum peccata veſtra, ut digni efficiamini gratia h cap. 5.
Dei per Sacramentum pœnitentiæ ab eodem inſtitutum, & ut gratior reddatur confeſſio veſtra Deo, orate pro invicem, ut ſalvemini; nec non ſine quare, cum multum valeat deprecatio juſti aſſidua. A Deo ergo inſtitutionem habuit hoc Sacramentum pœnitentiæ, ut confiteatur unuſquiſque peccata ſua, quamvis expreſſa ipſius inſtitutio non legatur: & quod ita ſit, nonne dixit Chriſtus Dominus & Petro, quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlo & c. Et Apoſtolis omnibus, quorum remiſeritis peccata &c. remittere autem peccata nemo poteſt, niſi prius ipſa ab aliquo audiantur, & eadem à pœnitente narrentur; quod fit per confeſſionem; certum enim eſt, quod nec in lege naturæ, neque in lege Moyſi fiebat à pœnitentibus narratio ſuorum peccatorum ab aliquo commiſſorum. Hæc autem omnia & quoad inſtitutionem hujus Sacramenti, & quoad remiſſionem etiam peccatorum habentur ſtatuta, & confirmata *à Concilio Trident.* (*i*) i Seſ. 7. can. 1.
ſi quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia à Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura, vel pauciora, quam ſeptem, *V. Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, pœnitentiam, & c.* anathema ſit. Secundò quoad remiſſionem peccatorum, ſi quis dixerit, verba illa Salvatoris (*l*) Domini, accipite Spiri- l Seſ. 14. can. 3.
tum Sanctum, quorum remiſeritis &c., non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit; anathema ſit.

Et Div. Thom. jam docuit, (*m*) quod etſi non legatur m in Supl. q. 6 a 6 ad 2.
expreſſa inſtitutio confeſſionis, invenitur tamen *in Luca*, (*n*) quædam præfiguratio ipſius in hoc, quod n cap. 17.
Dominus Sacerdotibus leproſos tranſmittit; ite, *legitur*, oſtendite vos Sacerdotibus, qui quamvis non eſſent Sacerdotes novi teſtamenti, tamen in eis novi teſtamenti ſacerdotium ſignificabatur; cum ergo Chriſtus Dominus dixerit, *ite, oſtendite vos Sacerdotibus*, voluit demonſtrare quantam poteſtatem habebant Sacerdotes veteris legis à Deo datam illis, ut mundarentur illi, qui infecti erant à lepra: legitur namque *in Levit.* (*o*) o cap. 14.
hic eſt ritus leproſi, dixit Dominus ad Moyſem, quando mundandus eſt: adducetur ad Sacerdotem, ergo benè dixit Jeſus, *ite, oſtendite vos Sacerdotibus*; ut ſecundum legem, quæ tunc nondùm erat conſummata, mundemini. Et quid per lepram intelligere debemus, niſi immunditiam peccati? Omnes ergo peccatores leproſi dici poſſunt, quia immundi ſunt propter peccatum; ad iſtos conſequenter dici poteſt illud Chriſti, *ite, oſtendite vos Sacerdotibus*, non veteris legis, ſed novæ legis; nam fateri opus eſt, in Eccleſia novum eſſe viſibile, & externum Sacerdotium, ita quod vetus tranſlatum eſt: ut habetur jam *ex Sacro Concilio Trident.* p Seſ. 23. cap. 1.
(*p*) ut emundentur à peccatis per Confeſſionem.

Ulterius dicam, quod colligitur ex inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ, iſtud fuiſſe à Chriſto Domino inſtitutum, cujus materia remota ſunt *peccata*, & forma eſt, *ego te abſolvo*; Nam quomodo aliquis poteſt abſolvere alium, niſi prius ipſe ſe accuſet de aliquo crimine commiſſo? Unde & Chriſtus Dominus Petro interroganti dixit, (*q*) Domine, quoties peccabit in me q cap. 18. Matt.
frater meus, & dimittam ei? uſque ſepties? quaſi diceret, ſi dixerit peccata commiſi, abſolvam tantùm ſepties? quaſi poſt hanc ſeptimam vicem non ſit amplius ſpatium confitendi peccata. Cui dixit Chriſtus, non dico tibi ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties, non enim aſſignavit tempus illis, qui pluries peccata commiſerunt, & pluries de illis confeſſi ſunt; ſic *& Concil. Tri-* r Seſ. 14. cap. 2.
dent. (*r*) juxta verbum Domini determinavit; ſed ante hoc tribunal tanquam reos ſiſti voluit, ut per Sacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſent liberari. Propter quod dixit Dominus *per os Ezechielis*, ſ cap. 18.
(*ſ*) impietas impii non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua, ergo & peccator ſi pluries peccaverit, & pluries veniam de peccatis ſuis petie-

Digitized by Google

petierit, & confeſſus fuerit, à Deo O. M. peccata illius remittentur; Deus namque non vult mortem impii, ſed ut convertatur impius à via ſua mala, & vivat; t cap. 18. *inquit enim Deus per os Ezechielis*, (*t*) nolo mortem morientis, (V. *peccatoris*, quia propter converſionem ad creaturas, & averſionem ad Deum mortuus dicitur, quamvis vivat Mundo; ſic *D. Paulus* (*u*) ſcripſit, ſi u ad Rom. cap. 8. enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini, ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, viveritis.) revertimini, & vivite, dicit Dominus Deus: qui & dixit, convertimini ad me, & ego convertar ad vos, ergo convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris. Vult ergo Deus, ut agamus pœnitentiam, & confiteamur peccata noſtra dolendo de illis, immò & præcepit hæc, & propter hoc inſtituere voluit hoc Sacramentum per mediatorem Dei, & hominum Chriſtum filium ſuum, ſicut & confeſſionem, à qua, quilibet ille ſit, nemo diſpenſare poteſt, cum non ſit major ratio de jure naturali, ac de jure poſitivo divino, cum ergo nemo diſpenſare poſſit in jure naturali, multò magis non poterit quis diſpenſare in jure poſitivo divino, eò quia præcepta juris divini non minus obligant, quàm præcepta juris naturalis.

Super quæſtionem ſeptimam

De confeſſionis quiditate.

PRofectò ſi interrogaverimus Cœlum, terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt, ſi dii ſunt, ut quidam falsò arbitrati ſunt, immò fuerunt aliqui, qui adoraverunt Solem, & Lunam, & Deos ſuos illos vocaverunt; ad interrogationem reſpondebunt, non ſumus Deus, ſed ipſe fecit nos: hunc ergo, qui fecit cęlum, & terram, negaverunt homines inſipientes, ut *teſtis eſt David*, dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus: quid ergo mirum, ſic nec æternum, nec infinitum, nec Omnipotentem, nec ſummum Proviſorem, nec legislatorem eſſe eum affirmaverunt? Manifeſtum eſt enim, quod qui ignorant eſſe, de aliquo, ignorant & conſequenter & quiditatem ejus: juxta Philoſophicum documentum *quæſtio quid eſt*, *ſequitur ad quæſtionem an eſt*. Ex his edocemur, quod cum debeat dari confeſſio Sacramentalis, quæ conſiſtit in peccatorum accuſatione, & præſupponatur neceſſaria ad ſalutem, jam de quiditate ipſius opus eſt in cognitionem venire: Hinc eſt ergo, quod amplectenda eſt definitio Confeſſionis tradita à D. Aug., quod *ſit*, *per quam morbus latens ſpe veniæ aperitur*, in qua multa conſideranda occurrunt, ut videbimus; Neceſſaria utique eſt confeſſio ad ſalutem, unde & cadit ſub præcepto, cum autem cadat ſub pręcepto, erit actus virtutis, certum enim eſt, quod cum ore confitetur, quod corde qui tenet, exercet actum virtutis, & licet elicitivè ad virtutem pœnitentiæ, attamen imperativè ad multas virtutes pertinere poteſt, ſecundum quod in finem multarum virtutum trahi poteſt confeſſionis actus.

Confeſſio, de qua diximus cum Patribus, quod ſit peccatorum accuſatio, quæ ad Sacramenti genus pertinet, eò ſuſcepta, ut virtute clavium veniam impetremus: modò cum D. Auguſt. illa definitur dicendo, quod *confeſſio eſt*, *per quam latens morbus ſpe veniæ aperitur:* hanc definitionem amplectitur *Div. Thom.* & illam explicat: inquit enim, quod in data definitione tangitur & ſubſtantia actus, *V. in apertione*, & de quo ſit confeſſio, *cum dicitur morbus latens peccatum ſcilicet*, quod eſt morbus latens in anima: & meritò dicitur *latens*, quia etiamſi aliquando peccatum ſit apertum, & manifeſtum, hoc tamen non facit, quod quando per confeſſionem exprimitur, non debent eſſe latens; hoc dicitur, quia licet Sacerdos, cui fieri debet confeſſio peccatorum, aliquando ſciat ejus peccatum, & taliter ſciat, quod etiam aliquando commiſerit cum illo, vel illa, nihilominus cum tunc illud ſciat, ut homo, non ut vicarius Chriſti, hinc ſequitur, quod quando ſciat peccatum, ut vicarius Chriſti, dicitur peccatum illud occultum, & latens. Exemplum habemus ex jure Civili, in quo manifeſtum eſt, quod & judex aliquando ſcit, ut homo, quod neſcit ut judex, & de illo, quod ſcit, ut homo, non poteſt judicare, benè tamen de illo, quod ſcit, ut judex, idcircò etiamſi videat hominem ſurantem, non poteſt illum damnare, ut homo, ſicut nec publicare illum eſſe furem, niſi prius conſtet per acta, & probata, ut talis ſit. Unde *bene D. Th. ait*, (*a*) quantum ad illud, quod eſt occultum, aperitur per a in Suppl. q. 7. a. 1. confeſſionem, quod ulterius manifeſtat dicendo, quamvis actus exterior in aperto ſit, v. g. furtum, homicidium, adulterium, & ſimilia crimina, actus tamen interior, qui eſt principium actus exterioris, in occulto eſt; & ideò oportet, quod per confeſſionem aperiatur; dicendo ſe eſſe reum de tali peccato, quod eſt contra dilectionem Dei, vel proximi; vel ſui ipſius; & ſic ſoli Sacerdoti, quatenus eſt vicarius Chriſti, aperitur in Confeſſione, in qua ſub ſigillo omnia ponuntur, ut non poſſit aliis manifeſtari Sacerdos, quod in confeſſionis actu aperitur.

In quo tamen actu confeſſionis multa occurrunt conſideranda. *Primò* ipſa ſubſtantia actus, ſive genus ejus, quod eſt manifeſtatio quædam. *Secundò* de quo ſit, ſcil. peccato: *Tertiò* cui fiat, ſcil. Sacerdoti: *Quartò* cauſa ejus, ſcil. ſpe veniæ: *Quintò* effectus ejus, ſcil. abſolutio à parte pœnæ, & obligatio ad aliam partem evolvendam. Quæ omnia etſi in dicta definitione Auguſt. videantur tangi, attamen aliæ ab aliis traditæ non excluduntur omnino, ut dicemus paulò infra.

Deinde in data definitione Aug. ponitur cauſa, dùm dicitur *in ſpe veniæ*: & hoc ut excludatur timor, eò quia confeſſio præſupponit charitatem, qua quis vivus efficitur, & conſequenter etiam præſupponit contritionem, in qua datur charitas. Unde qui charitatem habet, magis movetur ex ſpe, quàm ex timore: timor namque ſervilis, qui eſt ſine ſpe, eſt prævius ad charitatem, ac proinde meritò ponitur cauſa confeſſionis potius ſpes, quàm timor.

Aliæ ſunt definitiones confeſſionis, *nam Divus Gregorius* illam definit docendo, confeſſio eſt peccatorum deteſtatio, & ruptio vulnerum. Ab aliquibus definitur, quod confeſſio ſit coram Sacerdote legitima peccatorum declaratio à quibuſdam, quod ſit Sacramentalis delinquentis accuſatio ex erubeſcentia, & per claves Eccleſiæ ſatisfactoria, obligaos ad peragendam pœnitentiam injunctam, in quibus omnibus etſi tangantur plura, quæ non fuerunt tacta in prima, hoc provenit, *ait D. Th.* (*b*) quia non oportet in qualibet definitione b Ib. ad 4. omnia tangere, quæ ad rem definitum concurrunt; ideòque inveniuntur quædam definitiones, ſive aſſignationes datæ penes unam cauſam, quædam penes aliam; ceterum prima eſt optima, cum in prima tangantur omnia illa, quæ diximus ſpectare ad actum confeſſionis, in aliis verò definitionibus tantùm aliqua de illis.

Ex quibus omnibus jam ſequitur, confeſſionem eſſe actum virtutis, cum & cadat ſub præcepto, & præcepta legis ſint de virtutum actibus, mediantibus quibus meremur; pariter & meritoria, quia aperit cęlum, dùm tamen nos aperimus ore, quod corde tenemus; aliàs, *ut ait Divus Thom.*, (*c*) ſi quis proferat ore, quod c in Suppl. q. 7. a. 2. corde non tenet, non eſt confeſſio, ſed fictio; & hæc conditio ad virtutem pertinet, ut proferat, & confiteatur ore, quod corde tenet, & ſic confeſſio eſt bonum ex genere, eſtque actus virtutis, non ſolùm ſecundum quod eſt ex inſtitutione divini juris, ſed etiam ſecundum quod eſt de jure naturali; dicitur de jure naturali confeſſionem eſſe actum virtutis, in quantum ex principiis naturæ cauſatur; quo pacto *docet D. Thom.*, (*d*) d ib. ad 3. quod ad confeſſionem modo debito faciendam, ut oportet, & cujus oportet, & quando in generali inclinat ratio naturalis, confeſſio eſt de jure naturali; licet determinatio circumſtantiarum, *quando*, *& quomodo*, *& quid* confiteri oporteat, & *cui*, ſit ex inſtitutione divini juris in confeſſione, de qua nunc loquimur; iſta enim

propriè

propriè eſt actus virtutis, prima verò latè, & impropriè, nam mediante jure divino, quo circumſtantiæ determinantur, jus naturale inclinat ad confeſſionem, & ſicut inclinat ad confeſſionem, quæ eſt ex inſtitutione divini juris, ſic etiam jus naturale inclinare debet in omnia, quæ ſunt de jure poſitivo. Ut autem jus naturale inclinare poſſit, in omnia, quæ de jure poſitivo ſunt, opus eſt, ut ille, qui poſſidere debet talem inclinationem juris naturalis, habeat uſum rationis, per quem diſcernere poſſit, quid ſit bonum, quidvè malum; quapropter pueri, qui nondùm pervenerunt ad illam ætatem, per quam uſum rationis habere poſſint, ad confeſſionem non tenentur, cum neſciant diſcernere bonum à malo. Neminem, legimus in Catechiſmo Rom, (e) confeſſionis legem aſtrictum eſſe ante eam ætatem, qua rationis uſum habere poſſit; neque tamen ea ætas certo aliquo annorum numero definita eſt; ſed illud universè ſtatuendum videtur, ab eo tempore confeſſionem puero indictam eſſe, cùm inter bonum, & malum diſcernendi vim habet, in ejuſque mentem dolus cadere poteſt; nam cum ad id vitæ tempus quiſque pervenerit, in quo de ſalute æterna deliberandum eſt, tùm primùm Sacerdoti peccata confiteri debet, cum aliter ſalutem ſperari nemini liceat, qui ſcelerum conſcientia premitur. Et tunc confeſſio erit actus virtuoſus, quia cauſatur ex principiis naturæ, cujus eſt prudentialiter agere, & ſimul etiam erit actus virtutis, quatenus eſt ex inſtitutione juris divini, quo circumſtantiæ ad illam requiſitæ determinentur, ac per conſequens ex utraque parte videtur, quod ſit actus virtutis, ad quem ſufficit, ut in ſui ratione aliquam conditionem implicet, quæ ad virtutem pertineat;

[e 1. p. de Confeſſ. n. 43.]

Et diximus *aliquam conditionem eſſe ſatis, quod in ſui ratione implicet*, cum confeſſio non omnia, quæ ad virtutem requiruntur, importat, ſed solùm importet ex ſuo nomine manifeſtationem alicujus, quod in conſcientia tenet aliquis, quia ſic ſimul in unum os, & cor conveniunt. Itaque ad hanc rem loquitur *Concil. Trid. (f)* dùm omnia, quæ mamoriæ occurrunt, peccata Chriſti fideles confiteri audent: proculdubio omnia divinæ miſericordiæ ignoſcenda exponunt: (& iſti tales verè faciunt convenire in unum ſimul os, & cor: & de iſtis poteſt dici, quod dicebat *Salomon in Proverb. (g)* cor ſapientis erudiet os ejus: nam & facit illud, quod *David in ſuis Pſal. (h)* canebat, os juſti meditabitur ſapientiam; addit Salomon, & labiis ejus addet gratiam: quia poteſt repetere illud, inveni gratiam coram oculis Domini: dat enim gratiam ſuam Deus omnibus quærentibus illum.) Addit *ibid. Concilium*, qui verò ſecus faciunt, & ſcienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt.

[f Seſſ. 14. c. 5.] [g cap. 16.] [h Pſal. 36]

De iſtis enim *dixit Sapiens*, illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis ſermonibus. Unde & impii iſti tales dicuntur unà cum Sapientiſſimo, dùm ait, os impiorum operit iniquitas: de iſtis enim ſtat & illud, quod dicebat Chriſtus Dominus Judæis, quæretis me, & non Invenietis: *Quæretis me*, non quia credituri eſtis in me, & confeſſuri, quia Deus miſit me ad vos, ut ſalvemini, *ſed non invenietis*, quia corde non crediditis in me, nec in Patrem meum; ideò, tremenda ſententia, ubi ego ſum, vos numquam poteritis venire. Et hoc quia os eorum locutum eſt ſuperbiam, quæ contra Deum immediatè eſt: unde mirum non eſt, ſi & Deus ſuperbis reſiſtit. Et Chriſtus Dominus dicebat, (m) qui me confeſſus fuerit coram hominibus, *non tantùm ore*, nam multi ore benedicunt Dominum, quorum cor vanum eſt: *ſed etiam corde*; confitebor & ego eum coram Patre meo. Conſtat ergo ex his omnibus, quæ diximus, confeſſionem eſſe actum virtutis.

[i cap. 16.] [l Ioan. c. 10] [m Luc. cap. 12.]

At cujus virtutis ſpecialis ſit actus ipſa confeſſio, modò dicendum eſt *cum Div. Thom. (n)* quod eſt actus virtutis pœnitentiæ, ſiquidem pœnitentia ad deſtructionem peccati ordinatur, & quia confeſſio etiam ordinatur ad deſtructionem peccati, jam videtur, quod cõfeſſio non poſſit eſſe actus alterius virtutis, niſi ipſius pœnitentiæ: quæ Sacramentum eſt: & tunc incepit eſſe Sacramentum, quando Chriſtus Dominus à mortuis reſurgens inſuflavit in diſcipulos ſuos dicens, accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis &c. *juxta etiam Concil. Trid. (o) ſtatuens*. Porrò nec ante Chriſti adventum, pœnitentia erat Sacramentum, nec eſt poſt adventum ipſius, cuiquam ante baptiſmum; quod ex ſcripturis comprobatur; nam certum eſt, quod pœnitentia, quæ induxit filium prodighum ad confeſſionem dùm dixit, (p) peccavi in Cœlum, & coram te &c. non dicitur Sacramentum, ſed virtus: Et *Petrus (q)* peccatoribus baptiſmo initiandis commendavit utique pœnitentiam dicens, pœnitentiam agite, & baptizetur, unuſquiſque veſtrum; talis namque pœnitentia non erat Sacramentum, ſed tantùm virtus, eò quia virtuosè præparabantur homines ad baptiſmum ſuſcipiendum, eò fere modò quo & præcurſor, de quo dicitur, *non eſt major natus Joanne Baptiſta*, prædicabat in deſerto baptiſmum pœnitentiæ: ſiquidem erat tantùm præparatorius ad baptiſmum Chriſti; qui poſtquam à mortuis reſurrexit, inſtituit Sacramentum pœnitentiæ, ut diximus, cujus virtutis actus eſt confeſſio, juxta etiam illud, quod *Div. Thom. docet*, (r) in virtutibus conſiderandum eſt, quod quando ſupra objectum virtutis additur ſpecialis ratio boni, & difficilis, requiritur ſpecialis virtus, & de facto videtur, quod in Confeſſione veri, quæ quamvis ad veritatis virtutem pertineat, abſolutè tamen ſecundum quod aliqua ratio boni additur, ad aliam virtutem pertinere incipit; & ideò confeſſio, quæ fit in judiciis, non pertinet ad veritatis virtutem: ſed magis ad juſtitiam: nam tunc accuſatus, ſive reus tenetur judici interroganti legitimè dicere veritatem. Confeſſio beneficiorum Dei in laudem divinam non pertinet ad virtutem veritatis, ſed magis ad virtutem latriæ, quæ ſoli Deo exhibenda eſt. Sic ergo & confeſſio peccatorum ad remiſſionem eorum conſequendam non pertinet elicitivè ad virtutem veritatis, ſed ad virtutem pœnitentiæ, licet poſſit pertinere ad multas virtutes imperativè, ſecundum quod in finem multarum virtutum trahi poteſt confeſſionis actus. Et de facto poteſt pertinere ad ſpem, unde & ſpes, non ſicut eliciens, ſed ſicut imperans, eſt cauſa confeſſionis, ſed dicitur magis concauſa ad liberandum à pœna, in quantum ipſa etubeſcentia pœna quædam eſt.

[n In Suppl. q. 7. a. 1.] [o Seſſ. 14. cap. 1.] [p Luc. cap. 15.] [q Act. c. 2.] [r in ſup. q. 7. a. 1.]

Diximus, quod *poteſt pertinere ad multas virtutes imperativè*, ſecundum quod tamen in finem multatum virtutum trahi poteſt confeſſionis actus. Nam ſecundum quandam adoptationem partes pœnitentiæ tributis attributis perſonarum adoptari poſſunt, ut contritio miſericordiæ, vel bonitati reſpondeat propter dolorem de malo; confeſſio Sapientiæ propter veritatis manifeſtationem; ſatisfactio potentiæ propter ſatisfaciendi dolorem; Verum quia contritio eſt pars pœnitentiæ efficaciam aliis partibus præbens, hinc eſt, quod eodem modo judicatur de pœnitentia tota, ac de contritione.

Super quæſtionem Octavam.

De Miniſtro Confeſſionis.

AD vos, ò Sacerdotes miniſtri Chriſti, & Dei attinet impartiri ſalutem animarum omnium in Chriſto credentium, de quibus & reddituri rationem in tremendo illo judicio ante tribunal ſummi Judicis non patientis perſonarum acceptionem, de quo & miniſtri fuiſtis; in cujus veritatem tribuit vobis poteſtatem retinendi, & remittendi peccata; ut apertè ſentit *Aug. in Joan. (a)* explicans factum illud de Lazaro à mortuis excitato, & à vinculis, quibus conſtrictus erat, ſoluto: Ipſi, *inquit*, Sacerdotes, plus jam poſſunt proficere, plus confitentibus parcere, quibus crimen remittunt; Dominus ſcilicet per ipſos Apoſtolos Lazarum, quem jam ſuſcitaverat, contulit diſcipulis ſolvendum, oſtendens poteſtatem ſolvendi eſſe conceſſum Sacerdotibus; iſti ergo miniſtri Sacramentorum ſunt, & ideò ſolis Sacerdotibus facienda eſt Sacramentalis confeſſio;

[a Cap. 11.]

Verum-

Verumtamen cum & pœnitentia ſit Sacramentum neceſſitatis pro his, qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, ſicut & baptiſmus, ut filii Dei efficiantur, quod ſi filii, & hæredes regni cœlorum; hinc ſequitur, quod licet ſicut ex officio baptizare incumbat Sacerdoti, ita ex vi miniſterii confeſſio eſt facienda Sacerdoti, & ſicut ex ratione neceſſitatis diſpenſatio baptiſmi committitur cuilibet, dummodo ſervet ea, quæ ad formam baptiſmi requiruntur, ita pariter ex neceſſitate hujus vicem Sacerdotis ſupplere poteſt, ut & confeſſio fieri poſſit; at nota, quod laico ille confeſſus in articulo neceſſitatis conſecutus ſit veniam à Deo, eò quia propoſitum confitendi, quod ſecundum mandatum Dei percipit, ſicut potuit, implevit, non tamen adhuc Eccleſiæ reconciliatus eſt, ut ad Sacramenta Eccleſiæ admitti debeat, niſi prius à Sacerdote abſolvatur. Hoc autem reddit nos certos, quod ad Sacerdotem, tanquam ad miniſtrum Sacramenti pœnitentiæ peccator accedere debeat, ut abſolutionem, & remiſſionem peccatorum obtineat, & ſic perficiatur Sacramentum iſtud; quod intelligi debet de peccatis mortalibus, quia ſi loquatur de peccatis venialibus, cum per illud nec à Deo, nec à Sacramento Eccleſiæ homo ſeparetur, non oportet, quod venialia quis confiteatur Sacerdoti, bene tamen confiteri poteſt laico, cum & ipſa confeſſio facta laico quodam Sacramentale ſit, licet non ſit perfectum Sacramentum. Per hoc non tollitur, quod ut ſatisfiat præcepto Eccleſiæ, quod eſt confiteri ſemel in anno proprio Sacerdoti, ad quemlibet Sacerdotem ſe transferat confitendo peccata ſua, ſed tantùm ad proprium, ſub cujus cura vivit; qui ſicut in temporalibus debet ſubvenire, quantum poteſt, mendicitati ſuorum ſubditorum, ita & in ſpiritualibus, quod eſt, ut facilis, quod eſt diſcretè operari, ſit ad præbendum licentiam alteri confiteri: hoc quod ipſe Parochus poteſt, multò magis poteſt Epiſcopus, & à fortiori Papa, cujus auctoritas ſuper gregem Eccleſiæ non eſt limitata ad perſonam fidelem, nec ad aliquam determinatam Diœceſim; & hinc eſt, quod ſi aliquis impediatur, quod alterius confeſſionem audire non poſſit per juriſdictionis defectum, poteſt ſibi per quemcumque juriſdictionem habentem immediatam in illos committi, quod confeſſionem audiat, & abſolvat; ſi verò propter executionis ordinis impedimentum audire non poſſit, poteſt ſibi concedi, ut confeſſionem audiat per eum, qui impedimentum removere poteſt.

In caſu tamen, quod quis eſſet in articulo mortis conſtitutus, non ſunt ſervanda ea, quæ ab Eccleſia præſcribuntur, ſufficit namque, ut lex adimpleatur, unde tunc non eſt recurrendum ad proprium Sacerdotem, cum immineat mortis periculum, ſed ad quemlibet, ſiquidem quilibet Sacerdos, quantum eſt ex vi clavium habet poteſtatem indifferenter in omnes, & quantum ad omnia peccata; unde & à quolibet abſolvi poteſt nedùm à peccatis, verùm ab excommunicatione à quacumque perſona habente facultatem excommunicandi ſit lata. Poſt abſolutionem à peccatis à quocumq; Sacerdote habitam requiritur etiam, ut pœnitens ſub ejus judicio cadat, quoniam judex factus eſt Sacerdos ex virtute clavium, unde ut judex debet etiam condemnare reitatem illam, quam ut peccator commiſit, & in quam incidit per malos mores, & mala deſideria, quæ uſque in conſummationem completa fuerunt; hoc autem per pœnam, quæ taxari debet ſecundum quantitatem culpæ, in hoc autem multùm de prudentia neceſſe eſt, & Sacerdos diſcretè circa hanc taxationem procedere debet.

Confeſſio, cum præſupponat infirmitatem in anima per peccatum contractum, dicitur, quod ſit medicina ſpiritualis, qua mediante confertur ſalus animæ; medicina namque eſt cauſa ſanitatis, at quia infirmus, ut ſanetur, oportet, ut narret medico omnia illa, quæ ad ejus infirmitatem ſpectant, & quæ fuit cauſa ſuæ infirmitatis, cum reliquis circumſtantiis, quæ morbum aggravant; ſic pariter & peccator, ut reſtituatur in gratia, quam perdidit per peccata commiſſa, oportet, ut confiteatur peccata ſua, & circumſtantias, quæ ſpeciem mutant, (ut jam dictum fuit *unà cum Concil. Trident.*, colligitur præterea etiam eas circumſtantias in confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant;) Medico, ſcil. Sacerdoti, qui ultrà quod ſint illi claves Eccleſiæ commiſſæ, debet eſſe & vitæ integritatis, doctrina, & prudentia pollere; ut habetur *in ex Div. Thom.*, (*b*) circa pœnitentiale judicium duo ſunt neceſſaria Sacerdoti, b *Opuſc. 65 cap 4.*
ſcil. munditia vitæ, & ſcientia diſcernendi inter lepram, & lepram.

Munditia vitæ neceſſaria eſt, ut in nullo eorum ſit judicandus, quæ in aliis eſt judicare propinquus, *iuxta illud Domini*, qui ſine peccato eſt, primus in illam lapidem mittat. Scientia judicandi ſimiliter eſt neceſſaria, ut cognoſcat, quid debet judicare, ut ex errore non imponat falſas pœnitentias, per quas animæ ad inferna trahuntur; quia juxta ſententiam veritatis, ſi cæcus cæcum præſumat ducere, cæcum in foveam ductor primus cadit, inde ſecutor. Et *ex Catech. Romano* (*c*) opus eſt in primis, ut hujus Sacramenti mi- c *2. p. de conf c. 7.*
niſter, tùm ſcientia, & eruditione, tùm prudentia præditus ſit, judicis enim, ſimul & medici perſonam gerit, adeòque oportet, ut non ſit vulgaris ſcientiæ, qua & peccata inveſtigare, & ex variis peccatorum generibus, quæ gravia, quæ levia ſunt, pro cujuſque hominis ordine, & genere judicare poſſit. Ex quibus conſtat, quàm neceſſarium ſit confiteri hujuſmodi Sacerdoti, qui ſolus, ſemper tamen ut miniſter, poteſt conferre ſanitatem animæ, V. gratiam per Sacramenta novæ legis, ut jam ſtatutum fuit *unà cum Concilio Trid.* (*d*) *de Sacramentis in genere agendo, dix. enim*, quod d *Seſſ 7. can 7.*
ſi quis dixerit, non dari gratiam per hujuſmodi Sacramenta ſemper, & omnibus, quantum eſt ex parte Dei, etiam ſi ritè ea ſuſcipiant: ſed aliquando, & aliquibus; anathema ſit. Ideòque ſolus Sacerdos eſt miniſter, *ut ait D. Th.* (*e*) Sacramentorum, in qui- e *In Supl. q 8 art. 1.*
bus gratia datur; cum autem in Sacramento pœnitentiæ gratia conferatur, rectè ſequitur, quod ſolus Sacerdos ſit miniſter hujus Sacramenti; quod confirmatur *à Concil Trid.* (*f*) circa miniſterium hujus Sa- f *Seſſ 14. cap 6.*
cramenti declarat Sancta Synodus falſas eſſe, & à veritate Euangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quoſvis homines præter Epiſcopos, & Sacerdotes clavium miniſterium pernicioſè extendunt, ut diximus ſupra; Rurſus *habetur ex eodem Concilio*, ſi quis omnes Chriſtianos promiſcuè novi teſtamenti g *Seſſ. 23 cap 4.*
Sacerdotes eſſe, aut omnes pari inter ſe poteſtate ſpirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quàm Eccleſiaſticam Hierarchiam confundere. Et *deinde per Can. ſtatuit*, ſi quis dixerit non ſolos Sacer- h *Seſſ. 14. can. 10.*
dotes eſſe miniſtros abſolutionis, ſed omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus eſſe dictum, quæcumque ligaveritis &c., quorum verborum virtute quilibet abſolvere poſſit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, ſi correptus acquieverit; ſecreta verò per ſpontaneam confeſſionem; anathema ſit. Ex his omnibus benè infertur *cum D. Thom. ibid.* quod ſi ſolus Sacerdos poteſt conferre ſanitatem animæ in miniſtrando hoc Sacramentum pœnitentiæ, ſoli Sacerdoti etiam eſt facienda confeſſio Sacramentalis, utpote ſoli miniſtro ab Eccleſia, & à Chriſto Domino principaliter determinato, & ideò *ait D. Thom.*, (*i*) i *ib ad 4.*
cum ad ſolum Prælatum, vel Rectorem, dummodò tamen ſit Sacerdos, pertineat cognoſcere vultum pecorum ſuorum, quod ad hoc tamen ut provideatur ei competens medicamentum ſalutis, *& ideò ſubdit* cognoſcere hoc pacto vultum pecoris ſui pertinet ad eum, cujus eſt medicamentum ſalutis, ſc. Sacramentum Euchariſtiæ, & alia præbere, ad Sacerdotem V. & ad talem cognitionem pecoris confeſſio ordinatur, ad hunc finem ſanctè, & piè determinatum fuit ab Eccleſia, ut unuſquiſque in ſua Parochia ſaltem in Paſcha communicari debeat, ut ille, ſub cujus cura fideles vivunt, reſpiciat vultum eorum, & illos cognoſcat verè eſſe fideles Chriſti, & obedientes filios Dei.

Dixi-

Digitized by Google

Diximus, *hoc pacto cognoſcere vultum pecoris pertinere ad eum, ſ. ad Sacerdotem &c.* quia cognoſcere vultum pecoris quantum ad ordinationem gregis Chriſti, etſi pertineat ad curam, & ſolicitudinem paſtoralem, hæc tamen poteſt incumbere quandoque & illis, qui Sacerdotes non ſunt, à quibus etiam licet poſſit taxari quantitas pœnæ, quæ attenditur in ſatisfactione, non tamen virtus ejus, ſecundum quod eſt pars Sacramenti, cum iſta à ſolo Sacerdote taxari poſſit; & ſic confeſſio eſt ad hoc neceſſaria, ut taxetur pœnitenti ſatisfactionis modus ab illo ſolùm, qui eſt diſpenſator Sacramentorum, maximè illorum, quæ ad adultos pertinent.

Hoc dicitur, ut cognoſcatur maxima differentia, quæ reperitur præcipuè inter baptiſmum, & pœnitentiam, ob majorem etiam neceſſitatem. Nam Sacramentum baptiſmi, ut etiam docet *D. Thom.* (*l*) eſt magis Sacramentum neceſſitatis, quàm pœnitentia quantum ad confeſſionem, & abſolutionem; non dicit contritionem, & meritò, quia contritio ſemper debet eſſe cum propoſito confitendi, & deſiderio abſolutionis. Unde *Concil. Trident.* (*m*) etſi contritionem hanc aliquando charitate perfecta eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur, ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.

l ib. ad 2.

m ſeſſ. 14. c. 4.

Subdit tamen D. *Thomas*, quandoque namque baptiſmus prætermitti non poteſt ſine periculo ſalutis æternæ, ut patet in pueris non habentibus uſum rationis: & ideò in baptiſmo propter talem neceſſitatem quilibet homo poteſt eſſe miniſter, ne propter defectum baptiſmi homo ſalutis ſuæ remedium patiatur; & etiam quia ejus effectus per nihil aliud ſuppleri poteſt.

Benè tamen confeſſio prætermitti poteſt abſque periculo ſalutis æternæ, ut in adultis, in quibus, *verba ſunt Divi Thomæ*, contritio cum propoſito confitendi, & deſiderio abſolutionis ſufficit ad liberandum à morte æterna; ex quo patet, quod ejus effectus ſuppleri poteſt per ipſa met contritionem.

Verùm cum utrumque ſit Sacramentum neceſſitatis, hinc eſt, quod in aliquo caſu, *ut docet* Div. *Th.* (*n*) licebit aliis, quàm Sacerdotibus confiteri, eò quia ſicut in baptiſmo eſt duplex miniſter, unus, Sacerdos, cui ex officio baptizare incumbit, alius, quilibet homo, cui ratione neceſſitatis diſpenſatio Sacramenti committitur: Sic pariter & in pœnitentia duplex eſt miniſter, unus Sacerdos, cui ex officio confeſſio eſt facienda, alius laicus, qui in neceſſitate vicem Sacerdotis ſupplet, ut ei confeſſio fieri poſſit.

n in ſup. q. 8. a. 7.

Nihilominus adeſt aliqua differentia aſſignata à Div. *Thom.* (*o*) in baptiſmo ſanctificatio Eccleſiæ ad hominem pervenit per ipſum elementum exterius adhibitum, quod verbo vitæ ſanctificatur ſecundum formam Eccleſiæ, à quocumque detur, & hæc eſt ratio, quare ſemel baptizatus eſt à quocumque, non oportet, quod iterum baptizetur. In pœnitentia verò ſanctificatio Eccleſiæ non pervenit, niſi per miniſtrum, quia non eſt ibi aliquod elementum corporale exterius adhibitum, quod ex ſanctificatione inviſibilem gratiam conferat, & idcircò quamvis ille laico confeſſus in articulo neceſſitatis conſecutus ſit veniam à Deo, nam propoſitum, quod concepit confitendi ſecundum Dei mandatum, ſicut potuit, implevit; unde & Sacramentalis eſt quodammodo, certum enim eſt, *ait* Div. *Thom* (*p*) quod ratione neceſſitatis laicus, licet non ſit judex ejus, qui ſibi confitetur abſolutè, attamen accipit judicium ſuper eum, ſecundum quod confitens ex defectu Sacerdotis ſe ei ſubdit, non tamen Eccleſiæ adhuc reconciliatus eſt, ut ad Sacramentum Eccleſiæ admitti debeat, niſi prius abſolvatur à Sacerdote; ideòque oportet, ut iterum confiteatur Sacerdoti, quando copiam habere potuerit; præcipuè quia Sacramentum pœnitentiæ perfectum non fuit, ac per conſequens oportet, quod perficiatur, ut ex ipſa perceptione Sacramenti pleniorem effectum conſequatur, & ut mandatum de pœnitentiæ Sacramento recipiendo impleat; & ideò à Sacerdote facienda: verùm quia adeſſe poteſt defectus Sacerdotis, attamen non debet fieri dubitatio ulla, quod hunc defectum ſummus Sacerdos ſuppleret. Hæc autem doctrina Div. Thomæ, quæ manifeſtè corroborata videtur *à Concil. Trident. ſatis apparet ex illo, quod ſtatuit*, (*q*) docet inſuper Sacroſancta Synodus, in ordinatione Epiſcoporum, & Sacerdotum, & cæterorum Ordinum, nec populi, nec cujuſvis ſecularis poteſtatis, & magiſtratus conſenſum, ſive vocationem, ſive auctoritatem ita requiri, ut ſine ea irrita ſit ordinatio, quin potiùs decernit, eos, qui tantummodò à populo, aut ſeculari poteſtate, ac magiſtratu vocati, & inſtituti ad hæc miniſteria exercenda aſcendunt, & qui ea propria temeritate ſibi ſumunt, omnes non Eccleſiæ miniſtros, ſed fures, & latrones per oſtium non ingreſſos, habendos eſſe. Et *per Can. ſtatuit*, (*r*) ſi quis dixerit, eos, qui nec ab Eccleſiaſtica, & Canonica poteſtate ritè ordinati, nec miſſi ſunt, ſed aliunde veniunt, legitimos eſſe verbi, & Sacramentorum miniſtros; anathema ſit. Ecce ergo quomodo nullus præſumere debet, etiamſi in articulo neceſſitatis, ut ſi pœniteos ſit percuſſus, vel infirmus ad mortem, audiat confeſſionem alicujus, abſolvere pœnitentem, & credere abſolutionem datam eſſe ejuſdem rationis, ac illam, quam Sacerdos in Sacramento pœnitentiæ exercet per modum miniſterii, quod eſt illud, quod docet *Div. Thom.* & ideò.

o ib. ad 2.

p ib. ad 3.

q Seſſ. 23. cap. 4.

r ib. ca. 7.

Diximus, quod *quamvis poſſit aliquis in caſu neceſſitatis confiteri aliis, quàm Sacerdotibus*, adhuc tamen iterum tenetur confiteri, Sacerdoti, quando copiam habere potuerit, ſiquidem hoc intelligitur de peccatis mortalibus, maxime quia etiamſi conſecutus ſit veniam à Deo propter propoſitum, quod habuit ſervare mandatum Dei, attamen quia tunc Sacramentum pœnitentiæ perfectum non fuit, idcircò ut reddatur perfectum, opus eſt, ut ex ipſa perceptione Sacramenti pleniorem effectum, abſolutionem, ſcilic. conſequatur, & ut mandatum de Sacramento pœnitentiæ recipiendo impleat, ut jam diximus; & hæc dicta ſunt, ut ſciamus, quod de mortalibus extra caſum neceſſitatis nullus, qui non eſt Sacerdos, poteſt illa audire, *ut ſtatutum fuit etiam per Concilium* de venialibus verò diximus, quod etiam extra caſum neceſſitatis poteſt quis non Sacerdos confeſſionem venialium audire; & hoc juxta *Div. Thom.* (*ſ*) per peccatum veniale homo nec à Deo, nec à Sacramentis Eccleſiæ ſeparatur, *juxta decretum Concil. Trident.* (*t*) licet in hac mortali vita, quamvis ſancti, & juſti, in levia ſaltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, quandòque cadant, non propterea deſinunt eſſe juſti. Unde ad ejus dimiſſionem non indiget novæ gratiæ collatione, *ſubdit Divus Thomas*, ſicut nec indiget reconciliari Eccleſiæ. Et ob hoc non oportet, quod venialia aliquis Sacerdoti confiteatur, eò quia talis confeſſio facta laico Sacramentale quodam eſt, licet non ſit Sacramentum perfectum. Nec hoc mirum videri debet, ſiquidem nonne per tunſionem pectoris, per aſperſionem aquæ benedictæ, & hujuſmodi remittuntur peccata venialia. Quare autem hoc? quia omnia illa Sacramentalia dicuntur. Cum ergo & confeſſio laico facta ſit quodam Sacramentale, ſine dubio poterit remittere peccata venialia. Et hæc etiam *à Concilio Trident.* (*u*) determinantur; Venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quamquam rectè, & utiliter citràque omnem præſumptionem in confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat; taceri tamen citrà culpam, multiſque aliis remediis expiari poſſunt.

ſ in ſuppl q. 8. a. 2.

t ſeſſ. 6. c. 11.

u ſeſſ. 14. c. 5.

Inter quæ non debet eſſe dubium illud, quod *enumerat Div. Thom.* de confeſſione venialium facta laico, cui licet ſit permiſſum audire hanc confeſſio-

nem

Digitized by Google

nem venialium, nullatenus tamen permittendum eſt illi dare extremam unctionem, quæ quamvis ordinetur contra venialia, non tamen datur directè contrà veniale, ſicut nec aliquod aliud Sacramentum datur contra venialia, ſed ſolùm Sacramentalia.

Diximus, *non ſolùm eſſe neceſſarium confiteri peccata*, & hoc ob maximam utilitatem, quam reportant fideles per confeſſionem, nam & conſuetudinem peccandi evitat, occaſiones tollit, & ulterius majora crimina impedit, ne committantur; *hinc à Catecciſmo Rom. dicitur*, (x) ſi Sacramentalem confeſſionem è Chriſtiana diſciplina exemeris, plena omnia occultis, & nefandis ſceleribus futura eſſe, quæ poſtea, & alia multò graviora homines peccati conſuetudine depravati palàm committere non verebuntur. *Verùm etiam neceſſarium eſſe confiteri Sacerdoti*, eò quia per hoc ſolùm voluimus demonſtrare præceptum de confeſſione facienda, & cui eſt facienda, hoc tamen in communi diximus, debere eſſe Sacerdotem, excepto caſu neceſſitatis, non quia tunc ſit Sacramentum, ſed quia tunc conſequitur veniam à Deo; at modò deſcendimus ad particulare dicendo, neceſſarium eſſe, ut homo confiteatur proprio Sacerdoti, hoc eſt ſub illo, ſub cujus cura vivit ſpiritualiter, & noſtrum dictum ſundatur in præcepto Eccleſiæ volentis, quod unuſquiſque proprio Sacerdoti ſe præſentet ſaltem in anno, *juxta decretum Concilii Lateranenſis ſub Innoc. III.* omnes utriuſque ſexus ſemel in anno proprio Sacerdoti confiteantur, & tale decretum videtur confirmatum, roboratumque *in Concil. Trid. Seſſ. 14. cap. 5. & can. 8.* ubi poſtquam confirmavit illud, quod decretatum fuerit *à Concil. Lateranen. ſub dicto ibid.* Unde jam univerſa Eccleſia cum ingenti animarum fructu, fidelium obſervatur mos ille ſalutaris confitendi, ſacro illo, & maximè acceptabili tempore Quadrageſimæ, quem morem hæc Sancta Synodus maximè probat, & amplectitur, tanquam pium, & meritò retinendum; & illud roboravit *idem Concil. Trid.* (y) ſi quis negaverit, omnes, & ſingulos Chriſti fideles utriuſque ſexus cum ad annos diſcretionis pervenerint, ſaltem in Paſchate, ad communicandum, teneri ſingulis annis, juxta præceptum Sanctæ matris Eccleſiæ, anathema ſit. Hæc denique *decrevit idem Concil.* (z) In his quoque civitatibus, & locis, ubi Parochiales Eccleſiæ certos non habent fines, nec earum rectores, populum proprium, quem regant, ſed promiſcuè petentibus Sacramenta adminiſtrant; mandat Sancta Synodus Epiſcopis pro tutiori animarum eis commiſſarum ſalute, ut diſtincto populo in certas, propriaſque parochias, unicuique ſuum perpetuum, peculiaremque parochum aſſignent, qui eas cognoſcere valeat, & à quo ſolo licitè Sacramenta ſuſcipiant; aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant; ergo confiteri quilibet tenetur, dummodo annos diſcretionis habuerit, & hoc ſemel in anno, & proprio Sacerdoti, qui alius non debet eſſe, niſi Parochianus, *ut jam habetur ex Div. Thom.* (a) *docente*, quod ſicut Epiſcopus ſe habet ad Diœceſim ſuam, ita Sacerdos ad ſuam Parochiam; & ſicut non licet uni Epiſcopo in Diœceſi alterius Epiſcopale officium exercere, *juxta etiam Concil. Trident.* (b) nulli Epiſcopo liceat cujuſvis privilegii prætextu, pontificalia in alterius Diœceſi exercere, niſi de ordinarii loci expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubiectas tantùm: ſi ſecus factum fuerit, Epiſcopus ab exercitio Pontificalium, & ſic ordinati ab executione Ordinum ſint ipſo jure ſuſpenſi. Sic etiam pariter non licebit uni Sacerdoti parochianum alterius audire, ſive poſtea talis Sacerdos ſit Præsbyter, ſive Monachus, dummodo tamen ſit illis cura Parochiæ commiſſa, eò quia habent juriſdictionem.

[x c. 9. de Conf. n. 18.] [y Seſſ. 13. can. 9.] [z Seſſ. 24. c. 13. fin.] [a in Suppl. q. 8. a. 4. 2.] [b Seſſ. 6. de Reform.]

Et quamvis in alio tempore ſit in poteſtate noſtra eligendi diſcretum Sacerdotem, ut confiteatur peccata, quo beneficio uti debent Chriſtiani quoties vel periculum mortis imminet, vel aliquam rem tractare aggrediuntur, cujus tractatio non convenit hominibus peccatis contaminatis, veluti quando Sacramenta adminiſtrant, aut percipiunt & ideò toties etiam confeſſio fieri debet; Pariter ne obliviſcantur culpæ commiſſæ, ut fortè pluries accidere poteſt, quando longo poſt tempore ſit confeſſio; verùm non ſemper electio diſcreti Sacerdotis erit nobis commiſſa, ſed tenemur confiteri ſemel in anno proprio Sacerdoti, ſicut Eccleſia jubet, licet poſtea de licentia ſuperioris etiam pro illa vice poſſit fieri electio, & hoc ſi fortè proprius Sacerdos eſſet minus idoneus ad apponendum peccatis ſalutare remedium; ſicut etiam in caſibus illis, in quibus probabiliter timet periculum ſibi, vel Sacerdoti ex confeſſione, quam ei faceret; v. g. ſi peccator ſciat, Sacerdotem ſuum eſſe hæreticum, aut ſolicitatorem ad malum, aut fragilem, qui ad peccatum, quod quis confitetur ei, ſit pronus, vel ſi revelator confeſſionis probabiliter exiſtimetur; vel ſit peccatum contra ipſum commiſſum, de quo quis confiteri debet, in iſtis caſibus recurrere debet ad ſuperiorem; vel ab eodem petere licentiam alteri confitendi; quod ſi licentia haberi non poſſit, idem eſt judicium, ac de illo, qui non habet copiam Sacerdotis, *unde ait Div. Th.* (c) magis debet eligere laico confiteri, nec in hoc tranſgreditur quis præceptum Eccleſiæ, quia præcepta juris poſitivi non ſe extendunt ultrà intentionem præcipientis, quæ eſt finis præcepti; hic autem eſt charitas, *ut habetur ex Apoſtolo*, (d) finis autem præcepti eſt charitas. Nec ex hoc cauſatur injuria Sacerdoti, nam privilegium meretur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate, juxta illud dictum, *qui abutitur privilegio, meretur privilegio privari*; Ultrà hoc etiam peccaret Sacerdos, ſi facilis non eſſet ad præbendam licentiam alteri confitendi, nam multi ſunt adeò infirmi, quod potius ſine confeſſione morerentur, quàm tali Sacerdoti confiterentur, quapropter illi, qui nimis ſoliciti ſunt, ut conſcientias ſubditorum per confeſſionem ſciant, multis laqueum damnationis injiciunt, ac per conſequens ſibi ipſis;

[c ib. ad 5.] [d 1. cap. 1. ad Tim.]

Diximus, *juxta Concilium omnes utriuſque ſexus ſemel in anno proprio Sacerdoti confiteantur*, hoc enim decretum renovatum fuit, etenim obſervabatur tùm temporibus antiquis ante Concil. Lateranenſe, tùm temporibus Apoſtolorum: Temporibus antiquis conſtat conſervatum fuiſſe in Eccleſia jus ordinarii Sacerdotis juxta decreta Patrum, quibus determinatum fuit, ne quis Epiſcopus, aut Sacerdos in alterius parochia aliquid perere auderet, ſine ipſius auctoritate, qui illi præeſſet, aut niſi magna neceſſitas cogere videretur. Temporibus Apoſtolorum; nam ab Apoſtolo Paulo ſancitum eſt, cum Tito præceperit, ut in ſingulis civitatibus Sacerdotes conſtitueret, qui ſcil. doctrinæ, & Sacramentorum cęleſti pabulo fideles alerent, & educarent. Unde *legitur ad Titum*, hujus rei gratia reliqui te Crete, ut ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates Præsbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. Quibus tamen decretis non ſubſunt Papa, & alii Prælati, cum iſtis conceſſum ſit à jure, ut poſſint ſibi eligere proprios Sacerdotes confeſſores, qui quantum ad exercendum actum judicialem in confeſſione ſunt ſuperiores eis; cęterum ad confeſſionem tenentur, & abſolutè tenentur, cum confeſſio ſit de jure divino poſitivo, & nemo quantumcunque habeat de auctoritate etiam ſuprema in Eccleſia Dei diſpenſare poteſt, etiam ſeipſum, cum illud, quod eſt de jure divino poſitivo indiſpenſabile ſit. Relinquitur ergo, quod omnes præter iſtos teneantur proprio Sacerdoti confiteri, & hoc ex jure poſitivo.

Quod ſi curioſè inquiratur, quid nomine proprii Sacerdotis intelligatur? Reſpondetur, omnes ab ordinario approbati.

At ex hoc, quod omnes teneantur confiteri proprio Sacerdoti ex jure poſitivo, non tollitur, quin poſſint petere licentiam confitendi aliis à proprio Sacerdote, & cum hanc poſſint petere, conſequenter multò melius ſequitur, quod poſſint petere privilegium, vel mandatum ſuperioris, ut poſſint alteri, quàm proprio Sacerdoti confiteri. Nec ex tali privilegio, vel mandato ſequi poteſt præjudicium alicui, quia manifeſtum eſt, non fieri alicui præjudicium, niſi ei ſubtrahatur,

Digitized by Google

quod eſt in favorem ejus indultum. At quia juriſdictionis poteſtas non eſt commiſſa alicui homini in favorem ſuum, ſed in utilitatem plebis, & Dei honorem, ideò fit; quod ſi ſuperioribus Prælatis expedire videatur ad ſalutem plebis, & honorem Dei promovendum, quod aliis, quæ ſunt juriſdictionis, committant, in nullo fit præjudicium inferioribus Prælatis, nisi fortè illis, de quibus *dicebat Paulus*, (e) qui quærunt, quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, vel niſi fortè illis, qui gregem præſunt, non ut eos paſcant, ſed ut ab eis paſcantur; nihil paventes de minis Domini, quas per Ezechielem Dominus paſtoribus oves ſibi commiſſas negligentibus intentavit; dixit enim *per os Ezechielis*; (f) Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos; nonne greges à paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat, occidebatis; gregem autem meum non paſcebatis: Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis; & quod ægrotum, non ſanaſtis, & quod confractum, non alligaſtis: & quod abiectum, non reduxiſtis: & quod perierat, non quæſiſtis. Propterea paſtores audite verbum Domini: Vivo ego, dixit Dominus Deus, quia pro eo, quod facti ſunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium beſtiarum agri; eò quod non eſſet paſtor. Ecce ego ipſe ſuper paſtores requiram gregem meum de manu eorum. Quod facit *&* *illud Jeremiæ*, (g) parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.

e cap. 2. ad Philip.
f Cap. 34.
g Tren. cap. 4.

Utinam & his noſtris temporibus non eſſent quidã paſtores ſimiles paſtoribus Iſrael? & ultrà quod greges non paſcant, ut & devorent oves pingues; Utinam Patres, (*verba Concil. Trid. (h) ſunt*) utinam hæc tam vehemens increpatio, in tempora noſtra minimè convenirent: non tantum ovium numerum deſideraremur, non grex Domini tantopere disjectus, ac laceratus fuiſſet; Heù, quis tantam diſſipationem: diſſipationem autem, immò verò ſtragem, ac vaſtitatem ſatis dignè poſſit deplorare: ſuperat omnes non orationis modò copiam, ſed vita etiam doloris, tantæ, & tàm luctuoſæ cladis magnitudo. Expergiſcamur igitur; expergiſcamur, per viſcera miſericordiæ Domini Noſtri Jeſu Chriſti. Hæc illud; cum quo & jure meritò poſſumus verba hæc addere, attendant paſtores Eccleſiæ ad ea, quæ ad ſalutem animæ ſpectant, & vigilent ſuper gregem ſuum, & ſuper conſcientiam ſuam, & populorum; faciant, quod in ſe facere poſſunt, ut præcepta Dei, & Eccleſiæ ſponſæ ſuæ obſerventur, ne ſtudium ponant, ut omnes coram ſe genua flectant, & confiteantur peccata ſua, ſed quantum poſſibile eſt, relinquant, ut confiteantur cuilibet Sacerdoti, qui ſit vir prudens, & idoneus, & moribus probatus.

h Seſſ. 14.

Deinde *docet D. Th.* (i) quod Sacerdos aliquis poteſt impediri dupliciter, ne confeſſionem alicujus audiat, vel propter defectum juriſdictionis, vel propter impedimentum executionis ordinis, ut excommunicati, degradati, &c.

i in Suppl. q. 8. ar. 5.

Quicumque autem juriſdictionem habet, poteſt ea, quæ ſunt juris divini committere, & ideò ſi aliquis impediatur, quod alterius confeſſionem audire non poſſit propter juriſdictionis defectum, poteſt ſibi per quemcumque juriſdictionem habentem immediatam in illis committi, quod confeſſionem audiat, & abſolvat, ſive per ipſum Sacerdotem, ſive per Epiſcopum, ſive per Papam. Si verò propter executionis ordinis impedimentum audire non poſſit, poteſt ſibi concedi, quod confeſſionem audiat per eum, qui impedimentum removere poteſt.

Et quamvis Rectores Eccleſiarum per ſtatuta Eccleſiaſtica gregem ſuum paſcere debeant, & diligenter cognoſcere vultum pecoris ſui; nihilominus non videtur eſſe contra mandatum Dei illud privilegium, quod quis alteri, quàm proprio Sacerdoti confiteatur; ſiquidem, *ait*, *D. Th.* (l) rector Eccleſiæ cum debeat vultum pecoris ſui agnoſcere etiam per manifeſtationem confeſſionis, hinc eſt, quod quantum ad hanc cognitionem non poteſt majorem certitudinem accipere, quàm ut ſubdito credat, hoc enim ſatis eſt ad ſubveniendum conſcientiæ ſuæ. Unde in foro confeſſionis creditur homini & per ſe, & contra ſe, quod non fit in foro exterioris judicii, & ideò ſufficit, quod credat ſubdito dicenti ſe alteri abſolvere valenti conceſſum fuiſſe. Ex quo fit, quod talis cognitio pecoris per privilegium alteri indultum de confeſſione audienda non impeditur; nec ex eo, quod ille talis ex privilegio confeſſus fuerit aliis Sacerdotibus, teneretur iterum confiteri proprio Sacerdoti, etiamſi quantumcumque peteret; ſiquidem jam dimiſſa fuerunt peccata illa, & quantum ad Deum, & quantum ad Eccleſiam, licet poſtea ex alia parte ob ſtatutum Eccleſiæ de confeſſione facienda proprio Sacerdoti ſemel in anno, eodem modò ſe deberet habere, ſicut & ille, qui haberet ſolùm peccata venialia, talis enim ſolùm venialia confiteri deberet, vel profiteri ſe à peccato mortali eſſe immunem, & confeſſor in foro conſcientiæ ei teneretur credere. Si verò iterùm confiteri teneretur, *inquit Div. Thom.* (m) quod non fruſtra primò confeſſus fuiſſet, quia quantò pluribus Sacerdotibus confitetur quis, tantò plus de pœna ei remittitur. Unde toties poſſet confiteri, quod ab omni pœna liberaretur, nec reiteratio facit injuriam Sacramento, niſi in quo ſanctificatio adhibetur, vel per characteris impreſſionem, vel per materiæ conſecrationem, quorum neutrum eſt in pœnitentia.

l Ib. ad 2.
m Ib. ad 4.

Diximus *proprio Sacerdoti*, *non verò pluribus Sacerdotibus*, eò quia eſſet multùm inconveniens, quod duo æqualiter ſuper eamdem plebem conſtituerentur, ſicut eſſet inconveniens, ſi duo Epiſcopi ſupra eamdem plebem darentur; non eſt tamen inconveniens, quod duo, quorum unus ſit principalior alio ſuper eamdem plebem conſtituantur, ut Sacerdos Parochialis, Epiſcopus, & Papa: Unde & quilibet horum poteſt ea, quæ ſunt juriſdictionis ad ipſum pertinentia alteri committere, & ſic ab alio, quàm à proprio Sacerdote ex privilegio, vel mandato poteſt quis confiteri, & ab aliis à propriis Sacerdotibus etiam abſolvi.

Quod tamen privilegium non ſe extendit ad pœnitentes in fine vitæ, tunc enim abſente proprio Sacerdote, vel alio juriſdictionem habente quilibet ſimplex Sacerdos habet ab Eccleſia juriſdictionem; (quia certum eſt, quod quilibet Sacerdos quantum eſt ex virtute clavium habet poteſtatem indifferenter ad omnes, & ad omnia peccata, *ſic & ſtatuit Concil. Tridentin.* (n) in Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque ideò omnes Sacerdotes quoſlibet pœnitentes à quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſint. Quod verò quilibet Sacerdos non poſſit ab omnibus peccatis abſolvere, hoc eſt, *ait D. Th.* (o) quia per ordinationem Eccleſiæ habet juriſdictionem limitatam, vel omninò nullam, quod confirmatur *ex eodem Concil. ibid.*, quoniam igitur natura, & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem. At quia, ſubdit D. Th., neceſſitas legem non habet, ut contingit in fine vitæ, hinc eſt, quod quando neceſſitatis articulus imminet per Eccleſiæ ordinationem non impeditur, quin abſolvere poſſit; ex quo habet claves etiam Sacramentaliter, & tantùm conſequitur ex abſolutione alterius, ſicut à proprio Sacerdote abſolveretur; immò & tunc non ſolùm à peccatis poteſt à quolibet Sacerdote abſolvi, ſed etiam ab omni cenſura lata, cum etiam hæc abſolutio ad juriſdictionem ſpectet, quæ per legem Ordinationis Eccleſiæ coarctatur, quod & Concilium ſtatuit.

n Seſſ. 14. cap. 7.
o in ſuppl. q. 8. ar. 6.

Etſi inquiratur, quare autem hoc? Quia Eccleſia acceptat, ut quilibet Sacerdos abſolvere poſſit in articulo mortis; unde mirum non eſt, ſi uſum juriſdictionis habeat, quamvis careat juriſdictione.

Rurſus ſi inquiratur, ſi penitens in articulo mortis conſtitutus abſolvatur ab uno, vel ab alio Sacerdote etiam carente juriſdictione, & poſtea ſanetur, debet ne pœni-

tens

tens recurrere ad proprium Sacerdotē, ut iterùm à peccatis abſolvatur, vel non? Ad hoc reſpondet *Div. Th.* p Ib. ad 2. (*p*) quod non opertet, ut recurrat ad proprium Sacerdotem, ut iterùm à peccatis abſolvatur, à quibus in articulo mortis abſolutus eſt; ſed ſufficit, ut innoteſcat ei, quod ſit abſolutus, & hoc ut cognitionem habeat de vultu pecoris ſui, ſicut nec oportet, quod abſolutus ab excommunicatione ad judicem vadat, qui alàs abſolvere potuiſſet, abſolutionem petens, ſed ſatisfactionem offerens.

Diximus, *quod pœnitens in fine vitæ à quolibet Sacerdote poteſt abſolvi*, & meritò hoc diximus, quia ſic conſequitur abſolutionem Sacramentalem, quæ optima eſt; nec per hoc intendimus excludere laicum, ſed ſolùm volumus, quod ille, qui laico confitetur, licet amplius, quod ex parte ſua eſt de Sacramentali confeſſione, adhuc tamen non conſequitur Sacramentalem abſolutionem; ac proinde licet confeſſio facta laico aliquid valeat ei quantum ad diminutionem pœnæ, quæ ſit per confeſſionis meritum, & pœnam, non tamen conſequitur diminutionem illam pœnæ, quæ eſt ex vi clavium, ſed ut iſtam conſequatur, oportet, quod iterùm Sacerdoti confiteatur, ſi poſſibile eſt, quia ſupponimus illum eſſe in extremis totaliter poſitum.

Ex quo arguere non debet, idem eſſe dicendum de illo, qui à laico baptizatus eſt in articulo mortis; ſiquidem baptiſmus habet efficaciam ex ipſa ſanctificatione materiæ, & ideò à quocumque conferatur alicui, ille Sacramentum recipit. Vis autem Sacramentalis pœnitentiæ conſiſtit in ſanctificationem Miniſtri, qui eſt q Ib. ad 3. Sacerdos, & non laicus; Hæc *Div. Thom.* (*q*) doctrina videtur magis roborata *à Sacro Concil. Trident.* (*r*) aſſi- r Seſſ. 14. cap. 2. gnante differentiam inter Sacramentum pœnitentiæ, & baptiſmi; & in hoc conſiſtit, quod baptiſmi miniſtrum judicem eſſe non oportet; cum Eccleſia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipſam per baptiſmi januam fuerit ingreſſus. Secus eſt de domeſticis, quos Chriſtus Dominus lavacro baptiſmi ſui corporis membra ſemel effecit; nam hos, ſi ſe poſtea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito baptiſmo ablui, cum id in Eccleſia Catholica nulla ratione liceat, ſed ante hoc tribunal tanquam reos ſiſtis voluit, ut per Sacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſent liberari. Hæc *Concilium*, *quod* ſ Seſſio 7. can. 4. *magis de baptiſmo determinando dixit*, (*ſ*) ſi quis dixerit, baptiſmum, qui etiam datur ab hæreticis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, non eſſe verum baptiſmum, anathema ſit. Ex qua determinatione dicendum eſt, quod ſi baptiſmus ab hæretico datus cum plena intentione faciendi, quod facit Eccleſia, validus eſt, & à nullo alio, etiam Sacerdote, poteſt iterari, multò magis baptiſmus datus à laico Catholico validus erit, nec ab alio iterari poterit. Poſt hæc autem *rurſus* t Ib. ad 3. *docet Div. Thom.*, (*t*) quod magis ſic confeſſus à laico ſcilicet decedebas punitur poſt hunc vitam, quam ſi Sacerdoti fuiſſet confeſſus, ob poteſtatem clavium, quam ille laicus ſcilicet non habet.

De reatu verò poſt pœnitentiam remanente, & de taxatione ſecundum quantitatem culpæ agendum eſt etiam *cum Div. Thom.*, (*u*) qui docet, quod pœna, u In ſuppl. q.8. art.7. poſt demiſſionem culpæ exigitur ad duo, ſcilicet ad debitum ſolvendum, & ad remedium præſtandum. Si conſideretur taxatio pœnæ quantum ad debitum, ſic quantitas pœnæ radicaliter reſpondet quantitati culpæ, antequam de ea aliquid dimittatur, quapropter ſtat x Cap. 27. *illud Iſaiæ*, in menſura contra menſuram cum abiecta fuerit, judicabis eam, quod eſt dicere juxta quantitate culpæ erit & quantitas pœnæ, ſecundum illud juxta delictum, ita & pœna. Secundum tamen, quod per primum eorum, quæ pœnam nata ſunt remittere, plus remittitur, ſecundum hoc per aliud minus remittendum, vel ſolvendum reſtat; Quia quantò per contritionem plus de pœna dimiſſum eſt, tantò per confeſſionem minus dimittendum reſtat.

Si verò conſideretur taxatio pœnæ quantum ad remedium, vel illius, qui peccavit, vel aliorum, ſic quandòque pro minori peccato iniungitur major pœnitentia; vel quia peccato unius difficilius poteſt reſiſti, quàm peccato alterius; ſicut juveni imponitur pro fornicatione major pœna, quàm ſeni, quamvis minùs peccet; & hoc rationabiliter colligitur *ex Div. Thom.*, (*y*) propter peccati conſuetudinem, in quam de facili juvenes incidunt, & ideò major pœna iſti debetur, quia y par. 3. q. 84. art. 2. ad 9. à peccatis conſuetis non facilè homines abſtrahuntur, niſi per graves pœnas, propter multam concupiſcentiam, & delectationem in peccato, quæ major repetitur in juvenibus, eò quia frequentior; ablui tamen non de facili homines abſtrahuntur, niſi propter graves pœnas; propter facilitatem committendi peccatum, & jacendi in ipſo; & licet quantum ad ſecundam partem ſint multi ſenes, qui in peccato jacent, tamen quantum ad utramque magis competit juvenibus facilitas peccatum committendi, & etiam facilitas jacendi in peccato. Vel quia peccatum illius eſt periculoſius, ſicut in Sacerdote, quàm in alio, vel quia multitudo magis prona eſt ad illud peccatum, & ideò per pœnam unius alii ſunt exterrendi. *Et à Concil. Trid. ſtatutum eſt*, (*z*) debent ergo Sacerdotes Domini, quantum ſpiri- z Seſſ. 14. cap. 8. tus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & convenientes ſatisfactiones iniungere, ne ſi forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant; leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis iniungendo alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem; Cæterùm pœna in foro conſcientiæ quantum ad debitum ſolvendum, & quantum ad remedium præſtandum taxanda eſt.

Unde ſequitur, quod non ſemper pro majori peccato major pœna imponatur: & licet in veteri lege deberetur pro peccatis pœna ſeptem dierum, ut ſcilicet ſeptem diebus immundi eſſent pro uno peccato mortali, attamen illa pœna non erat expiativa à pœna debita peccato. Et per hoc dicitur, quod ſi poſt illos dies moreretur, in purgatorio puniretur. Expiabatur tamen ab irregularitate, à qua omnia ſacrificia expiabant, ut apertè legitur in libro Levitici.

Nec ex eo, quod in novo teſtamento imponatur pœna ſeptennis pro uno peccato mortali, videtur, quod quantitas pœnæ non reſpiciat quantitatem culpæ. Eò quia ut benè docet *Div. Thom.*, (*a*) hoc non eſt univer- a Ib. ad 5. ſaliter verum, ut exigatur pro quolibet mortali ſeptennis pœnitentia, ſed hoc eſt quædam regula quaſi communis, ut in pluribus competens, quam tamen oportet omittere conſideratis diverſis peccatorum, & pœnitentium circumſtantiis. Cæteris autem paribus plus peccat homo in nova lege, quàm in veteri propter ſanctificationem ampliorem, qua ſanctificatur in baptiſmo, & propter beneficia potiora Dei humano generi exhibita; ut conſtat per humanitatem, quam aſſumpſit Verbum divinum, quod pati, & mori voluit, pro ſalute omnium credentium in eum, & ob hoc *Apoſtolus* (*b*) dixit, quanto magis putatis deteriora mereri ſup- b Cap. 10. ad Heb. plicia, qui filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit.

Diximus, quod *pœna poſt dimiſſionem culpæ ad duo exigitur, & ad debitum ſolvendum, & ad remedium præſtandum*, quia uſque modò locuti ſumus de pœna temporali, ob differentiam, quæ reperitur inter pœnā temporalem, & inter pœnam purgatorii; nam pœna temporalis habet illa duo; pœna verò purgatorii ſolùm eſt ad ſolvendum debitum peccatorum jam in vita contractū, dùm viverent homines, *juxta etiam Div. Thom. docentem*, (*c*) quod pœna Purgatorii eſt in ſupplementum ſatisfactionis, quæ non fuerat plenè in corpore conſum- c Infra q. 71. art. 6. mata; *& juxta Concil. Trid.* (*d*) non ſolùm determinans purgatorium eſſe, ſed etiam confirmans id, quod docuit

Digitized by Google

e Seſſ.22. c. 2. *Div Thom.* (e) Quare non ſolùm pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus, ſed & pro defunctis in Chriſto nondùm ad plenum purgatis, ritè juxta Apoſtolorum traditionem offertur ſacrificium Miſſæ, *juxtà etiam illud Apocalypſis*, (f) non intrabit in eam aliquid coinquinatum. Et hæc, quia, ſubdit *Div.Thom.*, non manet ulterius locus peccandi; non enim liberum arbitrium in ordine ad amandum, vel non amandum remanet poſt hanc viam; & conſequenter non ſunt amplius illi, qui diſceſſerunt ab hac vita, in ſtatu merendi, ſicut nec demerendi. Aliàs & Beati in Patria reſidentes poſſent damnari, & damnati in Inferno exiſtentes poſſent ſalvari, quod nihil abſurdiùs. Qua de cauſa hæc omnia firmiter, fideliterque tenenda ſunt, qui veram fidem tenent, & qui credunt, non poſſe ſalvari, niſi credendo, quæ præcepit Deus, ſicut & illa, quæ Eccleſia Catholica proponit, ut credantur.

f cap. 21.

Super Quæſtionem Nonam.

De Qualitate Confeſſionis.

UT in via Domini immaculatus quis ambulare poſſit, oportet, ut ſequatur charitatis ſemitas, tunc enim augebit de virtute in virtutem; ſiquidem plusquam certum eſt, quod charitas eſt illa, per quam homo Deo unitur, per quam fides relucet, per quam ſpes non defraudatur; hæc eſt illa, ſine qua reliquarum virtutum opera nihil valeret: *Paulo atteſtante ad Corint.* (a) inquit enim, ſi linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam &c. ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam: etſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum: Ubi, ut tu vides, comparat Apoſtolus charitatem cum Prophetia, cum fide, cum operibus miſericordiæ, cum martyrio, & tamen ſemper concludit nihil valere abſque charitate opera aliarum virtutum. Sumus itaque in caſu, quoniam confeſſio, prout eſt actus virtutis, ſine charitate non valet; quæ & in quantum eſt pars Sacramenti, poteſt reddi informis, cum poſſit eſſe in illo, qui non eſt contritus, de cujus ratione, ſicut & de ratione ſatisfactionis eſt, ut homo ſit Deo unitus per charitatem, non verò de ratione confeſſionis, cum fictè accedere poſſit ad illam, accedat igitur non fictè, ſed puro corde, ut fructum abſolutionis percipere poſſit; quem fructum abſque omni dubio percipiet, ſi ultrà puritatem cordis enarraverit omnia, & ſingula peccata, quæ in memoria habebit, quod ſpectat ad integritatem confeſſionis, ne fortè tacendo ſit ſimulatio confeſſionis; ad quam verè faciendam inter multas conditiones requiſitas puritatem, & verecundiam eſſe neceſſariam aſſerimus, quoniam ſi pura fidelis, ſi pura integra, ſi pura accuſans, ſi pura humilis, &c. ſi verecunda, lachrymabilis, ſi verecunda ſecreta &c. ſi verecunda ore, non ſcripto eſt facienda, maximè quia ſecundum quod eſt pars Sacramenti habet determinatum actum, nempe proprium verbum: & hoc regulariter, ne excludamus alios modos inductos in ſupplementum illius.

a 1. cap. 13.

Confeſſio, jam diximus, quod eſt actus virtutis, & cum ſit talis, non poteſt eſſe, niſi charitate firmata immò, ut ait *Div. Thom.*, (b) conſiderata, ſecundum quod eſt actus virtutis, eſt actus meritorius propriè, & ſic confeſſio non valet ſine charitate, quæ eſt principium merendi. Pariter diximus, quod eſt pars Sacramenti & ſic conſiderata poteſt eſſe non charitate formata; ut enim eſt pars Sacramenti ordinat confitentem ad Sacerdotem, qui habet claves Eccleſiæ, qui per confeſſionem confitentis conſcientiam agnoſcit, & ſecundum hoc confeſſio poteſt eſſe etiam in eo, qui contritus non eſt; quia poteſt peccata ſua pandere Sacerdoti, & clavibus Eccleſiæ ſe ſubiicere, & tunc licet non percipiat abſolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet; & ideò *ait D. Thom.*, quod non tenetur iterare confeſſionem, qui fictus accedit; ſed poſtmodum fictionem ſuam confiteri, eò quia quantum ad ſubſtantiam confeſſionis jam cor concordavit voci, vel verbis, licet diſcordaverit à fine confeſſionis, nam non verè loquitur coram Deo, cujus oculis nuda eſt abyſſus humanæ conſcientiæ; qua de cauſa *dicebat Aug. lib. Confeſ.*, (c) ecce enim veritatem dilexiſti; quoniam qui facit eam, venit ad lucem: & ideò volo eam facere in corde meo coram te in confeſſione; licet verè loquatur quantum ad narrationem delictorum: quia *ſubdit D. Th.* (d) ille, qui peccata, quæ habet, narrat, verè loquiturr, & ideò diximus, quod confeſſio, ut eſt pars Sacramenti, poteſt eſſe non charitate formata propter charitatis carentiam: quod autem dicitur de confeſſione tali pacto conſiderata, nequit dici de contritione, & ſatisfactione, de quarum ratione eſt, *Div. Thom. teſte*, (e) quod homo ſit unitus Deo per charitatem, quæ eſt vinculum perfectionis, quæ eſt plenitudo legis, quæ eſt finis præcepti, per quæ non unitur homo per confeſſionem, unde mirum non eſt, ſi poteſt eſſe non charitate formata, eò quia fit homini neſcienti, quid ſit in homine.

b in Suppl. q. 9. a. 1.

c Lib. 10. cap. 1.

d ib. ad 2.

e ib. ad 3.

Ex eo autem, quod confeſſio ſit non charitate formata, non ſequitur, quod non debeat eſſe integra, ſed potiùs è contra, quod provenit ex hoc, quod ſit pars pœnitentiæ, & cum pœnitentia integra eſſe debeat, ſic & confeſſio; quod etiam provenit ex illo, quod in peccatis unum peccatum aggravatur ex adjunctione alterius, & illud, quod uni peccato eſſet conveniens medicina, alteri incentivum præſtaret, cum quandòque aliquis contrariis peccatis infeſtus ſit, ac proinde de neceſſitate confeſſionis eſt, ut homo omnia peccata confiteatur, quæ tamen in memoria habet, ut diximus, quod ſi non faciat, non eſt confeſſio, ſed confeſſionis ſimulatio, ſive hypocriſis, quæ impedimentum pœnitentiæ eſt, cum habeat dividere confeſſionem, & in tantum hypocrita dividit confeſſionem, in quantum meo videri vult, ut non appareat etiam in tribunali ita Sacroſancto, (in quo quamvis narretur peccatum homini, confitetur tamen Deo, ut *dicebat D. Aug.* (f) *in lib. Confeſ.*, confeſſio itaque mea Deus meus in conſpectu tuo tibi tacitè fit, & non tacitè, tacet enim ſtrepitu, clamat affectu; neque enim dico recti aliquid hominibus, quod non à me tu prius audieris) ejus malitia in narrando multitudinem peccatorum. Multitudo namque peccatorum demonſtrat malitiam peccantis, vel magnam corruptionem morum ejuſdem; & ideò ut ab hominibus ſanctus videatur, dividit peccata diverſis ſic faciendo, ut videatur, quod ſi lapſus fuerit ex infirmitate, vel ex humana fragilitate, ita etiam ſimplex vult, ut videatur ab hominibus, qui exteriora cernunt, interiora verò perſpicere nequeunt: at quod pejus eſt, non ſolùm homines fallunt, ſed etiam Deum intuentem corda intendunt fallere, ſic tantùm præſumunt de ſua malitia, & ſic de ſe ipſis ſuperbiunt, quod nec Deum timent, nec homines reverentur. Decipiunt ergo homines dividendo confeſſionem, quia ſciunt, quod unum peccatum per ſe conſideratum non ita demonſtrat malam diſpoſitionem peccantis, ſicut quando eſt cum pluribus aliis conſideratum, & decipiendo homines non confitentur Deo: è converſò ille hypocrita non eſt, qui confitetur omnia peccata ſua in ſeipſum, nec pavet de erubeſcentia, ſiquidem hæc ſervit ad diminutionem pœnæ, nec conſiderat illam eſſe majorem confitendo omnia peccata ſua ſimul, quàm confitendo dividendo peccata diverſa diverſis, tunc enim erubeſcentia non eſt, ſed malitia, quæ dicitur erubeſcentia hypocritarum: ſicut nec conſiderare debet amorem magnum Dei erga ſemetipſum, qui de mortuo ad peccatum vivum fecit ad gratiam: & taliter qui hypocrita non eſt, debet confiteri peccata ſua uni Sacerdoti, ut recipiat pœnam pro ipſis peccatis debitam,

f Lib. 10. cap. 2.

bitam, & impoſitam, ut ſit ſufficiens; ſiquidem certum eſt, *ait Div. Thom.*, (ſ) quod pœna à diverſis Sa-
[g In Suppl. q. 9. art. 2. ad 2] cerdotibus impoſita pro diverſis peccatis dividendo illa non eſſet ſufficiens; ratio hujus eſt, quia quilibet conſideraret tantùm unum peccatum per ſe, & non gravitatem ipſius, quam habet ex adjunctione alterius; & quandòque pœna, quæ contra unum peccatum daretur, eſſet promotiva alterius peccati: maledicti ergo hypocritæ, quia eodem modo faciunt confeſſionem, quo habent contritionem, ſimulant dolorem de offenſa facta Deo, & proximo; ſimulant & pœnitentiam, quia exterminant facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes, ſimulant & confeſſionem, quia ſimulant Sanctitatem, quam non habent; unde quamnam contritionem habere poſſunt de ſuis peccatis, ſi illa dividunt diverſa diverſis? Nam contritio non eſt, niſi quis de omnibus peccatis memoriæ occurrentibus conteratur, ergo ſi contritio tunc nulla erit, pariter nec ulla erit confeſſio, niſi quis de omnibus, quæ memoriæ occurrerint, confiteatur.

Diximus, *& quod homo omnia peccata confiteatur, quæ in memoria habet, & quod contritio non eſt, niſi de omnibus peccatis memoriæ occurrentibus, quis conteratur.* Eò quia contingera poteſt, quod poſt confeſſionem factam, & ſatisfactionem perfectam recordetur quis alicujus peccati mortalis, quod dùm confitebatur, in memoria non habebat, & tunc copiam proprii Sacerdotis, cum quo primò confeſſus fuit, habere non potuit,
[h ib. ad 3.] unde in tali caſu ſufficit, *ait Div Thom.* (*h*) quod homo peccatum confitens dicat explicitè, & alia in generali dicendo, quod cum multa alia confiteretur, hujus oblitus fuit; & tunc cor concordabit voci, ſive verbis, & quantum ad ſubſtantiam confeſſionis, & quantum ad finem ejuſdem: & hoc eſt verè loqui narrando peccata, quæ fecit, & verè confitetur, certum enim eſt, quod tunc per narrationem verè quis propriam conſcientiam pandit Sacerdoti, ſive miniſtro, nec ſufficit unius, vel alterius, ſed requiritur narratio omnium peccatorum commiſſorum, & illorum, quæ in memoria habentur: de illis autem, quæ facta diligentia non occurrunt cogitanti, in eadem confeſſione intalligantur incluſa; *ut etiam determinatum*
[i Seſſ. 14. cap. 5.] *fuit in Concil. Trident.* (i) reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eadem confeſſione incluſa eſſe intelliguntur. Pro quibus *cum Propheta* (*l*) fideliter dicimus, ab occultis
[l Pſal. 18.] meis munda me Domine.

Hæc autem narratio peccatorum à quolibet debet fieri per ſe ipſum, non verò per alium; quia ſi per ſeipſum peccavit, per ſeipſum etiam pœnitere debet, ſicut nec per ſcriptum, ſiquidem ita tenetur homo ad confeſſionem peccatorum, ſicut ad confeſſionem fidei, & quia iſta ore eſt facienda, ita & illa.

Nec dicatur, quod aliquandò proprius Sacerdos eſt abſens, cui non poteſt pœnitens propria voce loqui; eo quia nonne dictum fuit, quod in abſentia proprii Sacerdotis etiam laico poteſt fieri confeſſio? Ad quid ergo fieri ſcriptum, cum ore poſſit manife-
[m in Suppl. q. 9. a. 3.] ſtare peccata ſua, unde benè *Div. Thomas*, (*m*) plus pertinet ad neceſſitatem confeſſionis, quàm ille, cui fit confeſſio: quid autem ſit iſte actus, audiatur idem Angelicus in actu Sacramenti confeſſionis ad manifeſtandum ordinatè aſſumitur ille actus, quò maximè conſuevimus manifeſtare ſcil. proprium verbum; quia tunc conſideratur confeſſio, ſecundum quod eſt pars Sacramenti; & ut pars Sacramenti debet habere determinatum actum, ſcilicet actum pęnitentis, qui eſt materia proxima Sacramenti pœnitentiæ, & ideò in pęnitentia non ſufficit qualitercumque peccata manifeſtare, ſed oportet, quod per actum determinatum manifeſtentur, eò modò quo nec in baptiſmo ſufficit qualitercumque abluere, ſed per elementum determinatum, quod eſt determinata materia, ſcilicet aqua.

Dixi, quod *tunc conſideratur confeſſio, ſecundum quod eſt pars Sacramenti*, quia ſi conſideretur, ſecundum quod eſt actus virtutis, ſufficit, qualitercumque fieri, hoc eſt, vel per alium, vel per ſcriptum, vel per nutum, vel etiam per interpretem, quia alii iſti modi ſunt inducti in ſupplementum iſtius, quod fit per os. Quod magis explicat *D. Thom.*, (*n*) in eo, qui uſum linguæ non habet, ſicut eſt mutus, vel qui alterius eſt linguę, ſufficit, quod per ſcriptum, aut per nutum, aut per interpretem confiteatur, cum non exigatur ab homine, pluſquam poſſit.

Ex quo rurſus habetur alia differentia inter baptiſmum, & pęnitentiam, quæ ſtat in hoc, quod homo non poteſt, nec debet accipere baptiſmum, niſi in aqua, quæ eſt omninò ab exteriori, & nobis ab alio exhibetur, non enim quis poteſt baptizare ſeipſum, cum nemo poſſit dicere ſibi ipſi, *ego te baptizo*, &c. cęterum actus confeſſionis eſt ab intra, quia eſt in voluntate, & à nobis, quia parati tunc ſumus ad ſervandum Dei præceptum, & Eccleſiæ; quapropter dùm non poſſumus uno modò ſcil. per vocem, & verbum confiteri, debemus, ſecundum quod poſſumus, confiteri; & ideò non impedit, ut confiteatur, quod fiat ore, vel ſcripto, vel nutu, vel interprete.

Verùm quocumque modo fiat confeſſio, ſervato ordine, atque doctrina tradita, videntur ſemper requiri iſtæ conditiones, quæ in numero ſunt ſexdecim, & continentur his verſibus.

Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, diſcreta, libens, verecunda
Integra, ſecreta, & lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

Hæ ſunt conditiones requiſitæ ad confeſſionem piè, devotè, ac fideliter faciendam; ideòque inter has conditiones quædam ſunt de neceſſitate confeſſionis, quædam verò de bene eſſe ipſius.

Illæ ergo, quæ ſunt de neceſſitate confeſſionis, vel conveniunt confeſſioni, ſecundum quod eſt actus virtutis, vel ſecundum quod eſt pars Sacramenti. Si ſecundum quod eſt actus virtutis, hoc multipliciter, vel ratione virtutis in genere; & ſic aſſignantur quatuor conditiones.

Prima, ut *aliquis ſit ſciens*, ut ſciat Vid. diſcernere
peccatum à peccato, & majorem, vel minorem quan-
titatem peccati, & conſequenter magis dolere de gra-
vitate peccati, & quantum ad hoc dicitur, quod con- 5
feſſio debet eſſe diſcreta, quæ diſcretio conſiſtit in
hoc, ut majora peccata cum majori pondere, hoc eſt
dolore, confiteantur.

Secunda, *quod ſit eligens*, quia actus virtutum de-
bent eſſe voluntarii, ſicut & actus vitiorum volunta-
rii dicuntur, certum eſt enim, quod non eſt peccatum,
niſi voluntarium, ab intellectu namque peccatum 2
non fit, & ideo quantum ad hoc dicitur libens.

Tertia, ut propter hoc ſcil. debitum finem opere-
tur, & quantum ad hoc dicitur, *quod debeat eſſe pura*, ut
ſcil. ſit recta intentio, quia ſi eſt actus voluntarius,
debet etiam rectè intendi. Vel dicitur pura, quia non
debent dici verba palliantia, aut cooperientia, vel
minuentia peccatum; ſicut faciunt multi magnas phi- 3
lacterias, & hiſtorias longas dicentes, antequam pec-
catum explicent; ut ſic per illas oſtendunt ſe minus
culpabiles de peccato, quod quidem peccatum in fine
illorum verborum ſuperfluorum excludunt.

Quarta ut immobiliter operetur, hoc eſt fortiter &
quantum ad hoc dicitur *fortis*, ne V. propter verecun- 4
diam veritatem dicere non dimittat.

Aut ratione ſpecialis virtutis, cujus eſt actus,
confeſſio autem eſt actus virtutis pęnitentiæ & hæc,
quia ſumit initium in horrore turpitudinis pecca-
ti, & quantum ad hoc, dicitur, quod *debet eſſe* 5
verecunda, ut ſcilicet non ſe jactet de peccatis pro-
pter aliquam ſeculi vanitatem admixtam, ſcire namque debet, quod proprium eſt hominum in peccatis profundatorum, quibus ſua peccata non diſplicent, ſed magis de eis gloriantur, carere verecundia; at non ſe jactare de peccatis, ut diximus, eſt etiam ſimul cum verecundia, prudentiam exercere. Unde vehementer commen-

dandi ſunt, qui prudentiam, & verecundiam in rebus explicandis adhibent, neque enim nimis multis verbis agendum eſt; ſed quæ ad cujuſque peccati naturam, & rationem pertinent, brevi oratione, quæ modeſtiam adjunctam habeat, aperienda ſunt,

Secundò progreditur ad dolorem de peccato com-
6 miſſo, unde & dicitur, quod *debeat eſſe lachrymabilis*,
hoc autem intelligendum eſt de oculis mentis, & non
corporalibus; ſiquidem illæ oculorum in poteſtate no-
ſtra non ſunt. Quod autem ſit intelligendum de ocu-
lis mentis, & de lachrymis ejuſdem, & non oculo-
o Pſal. 41. rum; ſatis colligitur *ex Propheta Iſraelitico*, dum di-
xit, fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac no-
cte, ſed quia conſiderabat, quod opus erat, ut redde-
ret rationem ante tribunal Dei, cujus judicium eſt re-
ctum, non enim juxta intuitum hominis judicat Deus,
p lib. 1. cap. 16. *ut habetur ex lib. Regum*, (p) nec reſpicit perſonas ho-
q Cap. 22. minum; *juxta Matt.* (q) & apud Deum non valet ex-
r Cap. 15. cuſatio delictorum, cum & ipſe dixerit *in Joan.* (r) ſi
non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum
non haberent; nunc autem excuſationem non habent
de peccato ſuo: conſiderabat ergo David iniquitatem
ſuam, & peccatum ſuum, & iniquitatem fatendo di-
cebat, quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, &
peccatum meum contra me eſt ſemper; unde ut flere
poſſet, hoc eſt dolere toto corde de peccato ſuo, ora-
vit ad Dominum, ut illuminaret mentem ſuam, ne
unquam illum offendere poſſet, illumina, ipſe dixit,
oculos meos, ſcil. oculos cordis oportet intelligi, *no-*
ſ in Pſal. 12. *tat D. Auguſtin. in Pſal.* (ſ) ne delectabili defectu pec-
cati, claudantur; ne unquam obdormiam in morte,
hoc eſt, ut non permaneam in peccato mortali, quod
mors animæ dicitur; nam aggravata anima peccato
mortali moritur, ſive mortua eſt Deo, qui vita eſt;
Unde & qui confitetur peccata ſua, debet ſic flere, hoc
eſt dolere de peccatis commiſſis, ne amplius commit-
tantur.

Tertiò inabiectione ſui terminatur, ideò dicitur,
7 quod *debet eſſe humilis*, ut ſe minimum inter homines,
t Pſal. 21. ego ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum,
u Pſal. 37. & abiectio plebis; (u) ut ſe miſerum, miſer ſactus ſum,
& curvatus ſum uſque in finem, uſque in mortem; to-
ta die, hoc eſt tota vita, contriſtatus ingrediebar. Ut
x Pſal. 30. ſe infirmum, nam infirmata eſt in paupertate virtus
mea, & oſſa mea conturbata ſunt; & maximum in-
ter peccatores confiteatur, ut ſic faciendo Deus, qui
eſt ſuper omnia benedictus in ſecula, videndo humili-
tatem hujus dimittere poſſit univerſa ejuſdem delicta,
ſicut & David (y) inquiebat, vide humilitatem meam,
y Pſal. 24. & laborem meum, & dimitte univerſa delicta mea,
illa V. non ſolùm juventutis, & ignorantiæ meæ, ve-
rùm etiam illa, quæ per infirmitatem, vel vitæ hujus
caliginem admittuntur.

Aut ex ipſa ratione actus, ex qua habet confeſſio,
quod ſit manifeſtativa, quæ manifeſtatio per quatuor
impediri poteſt: primò per falſitatem, & ideò dicitur,
8 quod *debeat eſſe fidelis, ſcilicet, vera*; Debent enim ſe
accuſare, & non ſe excuſare peccatores: contra quos
z 2. p. de Conf. n. 40. excuſantes peccata *dicitur in Catech. Rom.* (z) in primis
autem reprimenda eſt quorumdam ſuperbiam, qui ſce-
lera ſua, excuſatione aliqua, vel defendere, vel mi-
nora facere nituntur. Nam exempli gratia, cum ali-
quis fateatur, ſe ira vehementius commotum fuiſſe,
ſtatim hujus perturbationis cauſam ad alium confert,
à quo prius ſibi injuriam factam eſſe quæritur. Mo-
nendus itaque eſt, hoc elati animi, & hominis pecca-
ti ſui magnitudinem, vel deſpicientis, vel planè igno-
rantis ſignum eſſe: tum verò ejuſmodi excuſationis ge-
nus ad augendum potiùs, quàm ad minuendum pec-
catum pertinere, nam qui ita factum ſuum probare
contendit, hoc videtur profiteri, ſe tunc patientia uſu-
tum eſſe, cum à nemine injuria læderetur, quo quidem
nihil homine Chriſtiano indignius eſſe poteſt. Debet
eſſe vera, ita ut nulla falſitas dicatur ſcienter, nec
aliquod dubium affirment, ſed certa, ut certa, & du-
bia, ut dubia ſunt dicenda; vera debet eſſe, ita ut nec
addere, vel minuere gravitatem peccati debeat; non
enim ſufficit dicere interemiſſe hominem, ſed opus eſt
explicare illum, vel eſſe ſacris ordinibus initiatum,
vel ſecularem, ſicut nec ſufficit dicere, peccavi cum
muliere, ſicut Calviniſtæ faciunt, ſed explicare illam,
vel eſſe alterius uxorem ob adulterium tali crimini an-
nexum, vel eſſe liberam, ut intelligatur, quod ſit
ſimplex fornicatio, vel eſſe propinquam, ut cogno-
ſcatur eſſe inceſtum, vel alicujus voti ſponſione con-
ſecratam Deo propter ſacrilegium, quod tale crimen
importat; Nec ſufficit dicere, tale furtum feci, ſed
fideliter dicere, furatus ſum aureum nummum, aut
centum, vel majorem pecuniam, eò quia levius eſt
peccatum furari unum, quàm centum, & majus pec-
catum eſt furari pecuniam ſacram, vel aliud, quod in
ſe ſacrum ſit, quàm furari centum nummos, qui non
pertinent ad rem ſacram; Augent enim pravitatem
rei, ideòque verè fideliter, ac ſincerè enumeranda
ſunt, ne crimen in confeſſione committatur; & hoc
ad differentiam illorum, quæ pravitatem rei magno-
perè non augent, nam hæc ſine crimine omitti poſſunt;
at hæc de circumſtantiis pro nunc autem ſolùm dici-
mus, quod celando peccati gravitatem, ultrà quod
eſſet grave crimen, teneretur repetere confeſſionem in
integrum, & denuò ſe accuſare de tali reitate com-
miſſa.

Secundò per obſcuritatem verborum, adeòque *&*
nuda dicitur, quod debeat eſſe, hoc eſt aperta, atque 9
ſincera, eò modò quo commiſſa ſunt, & confiteri de-
bent; unde non debet uti verbis occultis, ſed quæ co-
gnitionem afferunt apud omnes, qui lingua vulgari lo-
quuntur; lingua utique vulgari, ſed non illa, quæ in-
decentiam, aut modum loquendi immoderatè affert;
ut faciunt præcipuè idiotæ, undè admonendi ſunt, ne
ita exprimant, ſed modeſtè, ut generent pudorem,
quem non ſolùm in hoc tribunali, ſed etiam ubicum-
que proferant, generare debent.

Tertiò per verborum multiplicationem, & ideò *di-*
citur ſimplex, quod debeat eſſe, ut non recitetur in con- 10
feſſione, niſi quod ad quantitatem peccati pertinet.
Nuda ergo, & ſimplex debet eſſe confeſſio, & non
artificiosè compoſita, ut à nonnullis fit, præcipuè à
mulieribus, iſtæ enim ſolent potiùs vitæ ſuæ, vel alio-
rum rationem exponere, quàm peccata confiteri; &
rurſus confitentes peccata, ſemper miſcent aliorum
peccata, quaſi non ſua, ſed aliorum ſint, nec propria
voluntate commiſſa, ac perpetrata, ſed voluntate
aliena; neſcio, an hoc faciant ex malitia, ex igno-
rantia, vel ex ſimplicitate; attendant ergo Sacerdo-
tes miniſtrantes clavim ad deſtruendam malitiam
illarum, ad illas edocendas, & ad illas inſtruen-
das, quod ſimplicitas non excuſat, ubi offenditur
Deus.

Quartò per ſubtractionem, ut ſcil. non ſubtraha- 11
tur aliquid de his, quæ manifeſtanda ſunt, *& dicitur*
integra; Et hoc quantum ad id, quod ſpectat ad pec-
cata mortalia; omnia namque peccata mortalia confi-
teri tenemur, ſi juſtificari velimus: Unde *D. Ambroſius* a Cap. 4.
lib. de Paradiſo, (a) non poteſt quis juſtificari à pec-
cato, niſi confeſſus fuerit peccatum. Et juxta D. Hie-
ronymum dicentem, ſi quem ſerpens diabolus occultè
momorderit, & nullo conſcio eum peccati veneno in-
fecerit, ſi tacuerit, & pœnitentiam non egerit, nec
vulnus ſuum fratri, aut magiſtro voluerit confiteri:
magiſter, qui linguam habet ad curandum prodeſſe
non poterit. *Et juxta Concil. Trid.*, (a) ex his colligi- b Seſſ. 14. cap. 5.
tur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia,
quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem, conſcien-
tiam habeat, in confeſſione recenſeri, etiamſi occul-
tiſſima illa ſint, & tantùm adverſus duo ultima præce-
pta Decalogi commiſſa, quæ nonnumquam animum
graviùs ſauciant, & periculoſiora ſunt his, quæ in ma-
nifeſto admittuntur.

Et poſtea ſubdit, verùm cum univerſa mortalia pec-
cata, etiam cogitationes homines iræ filios, & Dei
inimi-

Digitized by Google

inimicos reddant, neceſſum eſt, omnium etiam veniam cum aperta, & verecunda confeſſione à Deo quærere: Itaque dùm omnia, quæ memoriæ occurrunt peccata Chriſti fideles confiteri audent, proculdubio omnia divinæ miſericordiæ ignoſcenda exponunt. Præſupponit ergo dictum Concilium, quod Chriſti fideles cum diligentia propriam conſcientiam examinent, ut confeſſio ne iteretur: & dùm dicit, omnia, quæ memoriæ occurrunt peccata &c., vult, quod facta diligentia de peccatis tunc non iteretur confeſſio, ſed ſufficiet, quod quando peccata, quæ oblitus erat, in memoriam reduxerit, ea Sacerdoti alio tempore confitentur. *Et rurſus*
e Seſſ.14. c.7. *ſtatuit*, ſi quis dixerit in Sacramento pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta; & quæ ſunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant, ſed eam confeſſionem tantùm eſſe utilem ad erudiendum, & conſolandum pęnitentem; & olim obſervatum fuiſſe tantùm ad ſatisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit eos, qui omnia peccata confiteri ſtudent, nihil relinquere velle divinæ miſericordiæ ignoſcendum, anathema ſit. Non ſic de venialibus, quia juxta idem Concilium ibid., venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quamquam rectè, & utiliter, citraq; omnem præſumptionem in confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam, multiſque aliis remediis expiari poſſunt.

Secundum autem quod eſt pars Sacramenti, ſic concernit judicium Sacerdotis, qui eſt miniſter Sacramenti, & ideò hoc pacto conſiderata, opus eſt, *quod ſit*
12 *accuſans ex parte confitentis*, & *quod accuſet ſe*, & *non alios*, quia nunquam perſona individuata, hoc eſt Petrus, vel Paulus, Antonia, vel Titia, nominanda eſt, benè verò qualitas perſonæ, ſi v. g. eſt ordinibus initiata, ſi Sacerdos, ſi voto aſtricta, & quali voto, an ſolemni, vel ſimplici, ſi libera, ſi alterius uxor, & alia hujuſmodi propter gravitatem majorem, vel minorem, quam includit.

13 *Parere parata*, per comparationem ad Sacerdotem, miniſtrum Dei, qui ut miniſter Dei habet poteſtatem ligandi, atque ſolvendi; verùm hæc poteſtas ligandi, atque ſolvendi cum ad judicium pertineat, & judicium non poſſit fieri, niſi ſit indutus doctrina, prudentia, & integritate vitæ, ideòque requiritur, quod miniſter habeat omnes has qualitates, V. doctrinam, qua & peccata inveſtigare poſſit, & ex variis peccatorum generibus, quæ gravia, quæ levia ſunt, immò pro cujuſque hominis ordine, & genere judicare poſſit: plus enim peccat Theologus, quàm Idiota, plus ille, qui pervenit ad ſtatum perfectum, quàm ille, qui ad ſtatum perfectum ordinatur.

Prudentiam, nam cognito morbo infirmi, hoc eſt peccatoris, debet adhibere ea remedia, quæ videntur neceſſaria ad hoc, ut reddatur anima illius ſana ab infirmitate, quam incurrerat per peccatum.

Et ſicut medicus aſſignat infirmo modum proprium conſervandi ſalutem, ita medicus ille ſpiritualis debet aſſignare remedia aptiora ad bene vivendum moraliter, & ſe conſervandum in gratiam Dei; ergo non erubeſcat peccator confiteri peccata ſua, ut ab illis liberetur, ſicut non erubeſcere debet medico infirmitatem ſuam detegere.

Integritatem vitæ, ut ſerviat ad exemplum ſubditorum, maximè pęnitentiam, qui de facili reducuntur ad ſtatum pęnitentiæ propter ſanctitatem illius, ad quem accedunt. Et his omnibus eruditus, non eſt dubium, quod utetur maxima diligentia in obſervando, ſi pęnitens veram peccatorum ſuorum contritionem habeat, & verum, deliberatumque propoſitum in poſterum à peccatis abſtinendi; quod ſi ita animo affectum eſſe animadverterint; moneant, & vehementer hortentur, ut pro tanto, & tam ſingulari beneficio, maximas agat Deo gratias, ab eoque cęleſtis gratiæ præſidium petere numquam deſinat, quo munitus, ac tectus facilè poterit pravis cogitationibus reſiſtere, ac repugnare. Sin autem Sacerdos intellexerit eum, qui velit confiteri, adeò peccata ſua non dolere, ut verè contritus dicendus ſit, conetur magno contritionis deſiderio eum afficere, ut deinde hujus præclari doni cupiditate incenſus, illud à Dei miſericordia petere, & efflagitare in animum inducat. Sicut monendi ſunt illi, qui quadam ſtulta verecundia impediti videntur, nihil eſſe, quod vitia ſua aperire vereantur, nullique mirum videri debere, ſi intelligat homines peccare, qui quidem communis eſt omnium, & in humanam imbecillitatem propriè cadit; conſideret peccator, hominem, qui confeſſiones audit, & ipſum eſſe; ac per conſequens & ipſum peccare poſſe, adeòque & peccatorem; Cum illis verò, qui pigri ſunt, & negligentes circa conſcientiam ſuam, ſcire debeat, quod illos acriùs objurgare opus eſt, & in primis docere, priuſquam ad Sacerdotem aliquis adeat, omni ſtudio curandum eſſe, ut peccatorum ſuorum contritione commoveantur; id verò præſtari nullo modo poſſe, niſi ea reminiſcendo ſigillatim recognoſcere ſtudeat. Alia exercenda ſunt à Sacerdote, viro probo, ac prudente, ſicut illi acciderit.

Secreta quantum ad conditionem fori, in quo de occul- 14
tis conſcientiæ agitur, quapropter maximè laborandum eſt tùm confitenti, tùm Sacerdoti, ut eorum ſermo in confeſſione ſecretò habeatur; & taliter ſecreta eſſe debet confeſſio, ut omninò nemini, neque per nuncium, neque per literas, quoniam ex ratione nihil jam occultè agi poteſt, peccata confiteri liceat: *Sic & determinavit Concilium Tridentinum*. (*d*) Ceterum d Seſſ.14. cap.5.
quoad modum confitendi ſecretò apud ſolum Sacerdotem, etſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tùm ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem delicta ſua publicè confiteri poſſit; non eſt tamen hoc divino præcepto mandatum, nec ſatis conſultè, humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præſertim ſecreta, publica eſſent confeſſione aperienda. *Deinde & ſtatuit*, (*e*) ſi quis dixerit, modum ſe- e ib. can.6.
cretè confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſervavit, & obſervat, alienum eſſe ab inſtitutione, & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanum; anathema ſit. Quod deſumitur *ex illo Jacobi*, (*f*) confitemini alterutrum peccata f cap.5.
veſtra.

Quare autem hoc? quia per hoc vult oſtendere, quod patefacere numquam licet ea, quæ inter confitendum ſunt audita, verbo, aut ſigno; eò quia naturale eſt homini occultare turpitudinem illam, quam per peccatum committit, vel cogitat committere; nam obſervat & tempus opportunum, obſervat ne videatur ab aliquo, ſecretò operatur, quia ſecretò vult conſummare operationem ſuam, unde quàm meritò monendi ſunt fideles, quod potiùs mori debent Sacerdotes confitentes peccata populi, quàm alicui unquam indicare etiam per minimum ſignum peccatum confeſſum; *ſicut & ſtatuit Concilium Latheranenſe*, (*g*) g cap.21.
caveat omninò Sacerdos, ne verbo, vel ſigno, vel aliquo quovis modo prodat aliquatenus peccatorem.

Illę verò conditiones, quę de bene eſſe confeſſionis ſunt, ſunt utique, & *quod ſit frequens*, & *quod* 15
ſit accelerata; ut ſcilicet ſtatim confiteatur: certum 16
eſt enim, quod nulla res fidelibus adeò curę eſſe debet, quàm ut frequenti peccatorum confeſſione animam ſtudeat expiare; ſiquidem quando quis mortifero ſcelere urgetur, nihil ei magis ſalutare eſſe poteſt, ob multa, quę impendent vitę pericula, quàm ſtatim peccata ſua confiteri: quis enim eſt ille, qui in eluendis corporis, aut veſtium ſordibus totam diligentiam non adhibeat, ut ſi non ſtatim, ſaltim modico tempore ab illis non ſe expediat? ergo ſi eluendis corporis, aut veſtium ſordibus

Digitized by Google

tanta diligentia adhibetur, quanta major exhiberi debet diligentia, ne animæ ſplendor turpiſſimis peccatis maculis obſoleſcat? Etſi ſordeſcit animus proſpicere ſordes corporis, & veſtium; quantò magis debet ſordeſcere animus in turpitudinem peccati morari? Agamus ergo pœnitentiam de peccatis, & confiteamur illa quampriùs, dùm ſani ſumus, quia tunc gaudemus magis de voluntario; conſilium, quod dedit nobis *ipſe Eccleſiaſticus*, (*b*) dùm dixit, confiteberis vivens, nec tantùm vivens, ſed vivus, & ſanus confiteberis; exprimere namque voluit vim confeſſionis per deteſtationem peccatorum, dùm vita, & ſanitate gaudemus. Sic & Aug. nos animadvertit dicendo, peccata etſi ſunt quotidiana, vel non ſint mortiſera, hoc eſt, nobis non ſint ad mortem, ſtatim pœnitere debemus de peccato contra Deum commiſſo. b cap. 17.

Statim, hoc eſt, antequam veniat dies mortis, ante mortem confitere, dixit Eccl. ibidem. A mortuo quaſi nihil perit confeſſio. Ergo oramus Deum, ut det nobis ſpatium veræ pœnitentiæ, & præſtet nobis auxilium ſuum, ut liberari poſſimus ab inſidiis, atque incurſibus diaboli, à concupiſcentia mala, à tentationibus Mundi, & ab omnibus delectationibus ſuis, ut poſſimus ſemper laudare, benedicere Deum Patrem Omnipotentem, filiumque ejus unigenitum, & Spiritum Sanctum Pataclctum, Trinitatem in perſonis, Unitatem in eſſentia.

Super Quæſtionem Decimam.

De Effectu Confeſſionis.

MEdicina corporalis hominibus data eſt à Deo, ut ſanarentur illi à languoribus, quos quotidie patiuntur ob aſſiduas infirmitates; Altiſſimus, *inquiebat Eccleſ.* (*a*) creavit de terra medicamenta; & quamvis iſta amara ſint, attamen non ſunt, niſi imprudenter, à languentibus abhorrenda, quoniam & cauſam ſanitatis, quæ à medicina provenire ſolet, & effectum medicaminis omninò reſpuunt; Hinc eſt, quod multi potiùs pati volunt infirmitatem, quàm recuperare ſanitatem, etiam ſi deſiderent illam; Vanum, atque fruſtaneum deſiderium eſt, dùm non apponitur opportunum remedium. a cap. 38.

Unde & mors ſupervenit iſtis, dum cogitant miſerè longo tempore vivere: hoc totum de medicina ſpirituali fas eſt aſſerere, hæc enim ex aromatibus divinæ miſericordiæ condita eſt, & habet omnem ſuavitatis odorem, continet in ſe gratiam ſuam, hanc medicinam præparavit Altiſſimus Chriſti fidelibus, ut per iſtam ſani redderentur, & ſalvi fierent; Sani utique redderentur à languoribus, quos quotidie patiuntur per graves tentationes, quibus mediantibus infirmatur animus adhærendo illis; per ſuggeſtiones dæmonum, quibus mediantibus ratio deprimitur, per vanitates ſeculi, quibus mediantibus homo dùm illis adhæret, deperditur: ex quibus omnibus ſequitur, quod medicamenta ſpiritualia abhorrentur, à multis, ne dicam ab omnibus, qui in peccato vivere volunt; & quod mirandum eſt de malitia ipſorum, hoc eſt, quod reſpuunt & Sacramenta, quæ cauſant gratiam, & effectus eorumdem, licet omnia iſta ordinata, atque inſtituta ſint à Deo in remedium omnium infirmitatum, quæ ab homine peccatore pati ſolent, unde iſte potius eligit infirmitatem pati, hoc eſt in peccatis morari, quàm recuperare gratiam, quam perdidit per peccatum, illam deſiderat, ſed fruſtaneum eſt deſiderium, dùm non affertur remedium; quod eſt confiteri peccata ſua, ſiquidem per confeſſionem à morte peccati liberatur; etenim ſi per peccatum mors, per pœnitentiam vita; & ſicut per peccatum homo æterna pœna damnatur, quod eſt ſpiritualiter mori, ita per penitentiam homo per gratiam Dei à culpa liberatur, quod eſt ſpiritualiter vivere: manifeſtum eſt enim, quod in Sacramento pœnitentiæ gratia infunditur, per quam fit remiſſio peccatorum, unde quid mirum ſi confeſſio ex vi abſolutionis conjunctæ remittit culpam, & ſi hoc mitum non videatur, mirum nec etiam debet eſſe, ſi confeſſio habet ſimul cum abſolutione vim liberandi à pœna ex vi ipſa abſolutionis, à qua pœna, æterna V., homo liberatus, adhuc manet obligatus ad pœnam temporalem, ſecundum quod pena eſt medicina purgans, & promovens; diminuit pariter pœnam ex ipſa natura actus confitentis, qui habet penam erubeſcentiæ annexam, propter quod quantò aliquis pluries de ipſis peccatis confitetur, tantò magis pena minuitur: & quia culpa, & pena ſunt impedimenta prohibentia introitum in Paradiſum, hinc eſt, quod amotis his impedimentis per veram confeſſionem Paradiſus aperitur, nec immeritò, quoniam per confeſſionem aliam ſpem homo habere non poteſt, niſi ſalutis æternæ; ut autem hanc aquirere poſſit, confiteatur peccata ſua homo, & confitendo peccata, in memoriam omnia peccata, quæ fecit, reducat; ut deleantur ea; unum tamen obſervatione eſt dignum, quod etiam confeſſio generalis ſufficit ad delenda peccata mortalia oblita, dummodo tamen accedatur ad Deum non fictè, ſed verè. Confeſſio rectè facta proprio Sacerdoti, quando tamen neceſſitas non urget, & ſervat ea, quæ in enumeratis, & explicatis conditionibus requiruntur, non poteſt non liberare à morte pecccati; aliàs ad quid illæ conditiones? ad quid fides noſtra? totum namque erit inane, & inutile. Ad quod inſtituere Sacramenta, & præcipere, quod homo teneatur ad illa percipienda? ſi jam à morte peccati hominem non liberaret? Ad quid verba Domini dicentis, quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cęlo &c. ſi per hæc verba non dimitterentur peccata, & non liberarentur homines ab æterna morte? Forſan dicet aliquis cum Novatianis aſſerentibus ſoli Domino poteſtatem remittendi peccata reſervandam? Hæc eſt hæreſis damnata non ſolùm à Sanctis Patribus, verùm etiam *à Concil. Trid.* (*b*) & Novatianos remittendi poteſtatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Eccleſia Catholica tanquam hæreticos exploſit, atque condemnavit; ergo dicendum firmiter eſt, quod ſi liberant à morte peccati per gratiam, quam & Sacramenta, & omnia illa, quæ cum Sacramentis connexionem habent neceſſariam, hinc eſt, quod & confeſſio, quæ pars Sacramenti pœnitentiæ eſt, liberat hominem à peccati morte, ac proinde per gratiam, quæ infunditur in Sacramento penitentiæ, fit remiſſio peccatorum, eò modò quo fit in baptiſmo; & meritò, quia ſicut in prima tabula, *quæ eſt baptiſmus*, fit remiſſio peccatorum in ſuſcipientibus illum, ſic & in ſecunda tabula, *quæ eſt pœnitentia*, debet fieri remiſſio peccatorum in verè pœnitentibus, & quod Sacramentum penitentiæ juſtè dicatur ſecunda tabula, habetur *ex Concil. Trid.* (*c*) ſi quis Sacramenta confundens, ipſum baptiſmum penitentiæ Sacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint, atque ideò penitentiam non rectè ſecundam tabulam poſt naufragium appellari: anathema ſit. Meritò, inquam, quia ſicut baptiſmus liberat à morte peccati, & ſecundum quod actu ſuſcipitur, & ſecundum quod in voto habetur, ut clarè patet in illis, qui jam ſanctificati ad baptiſmum accedunt, & ſi aliquis impedimentum non præſtatet ex ipſa collatione baptiſmi, gratiam conſequeretur remittentem peccata, ſi prius ei remiſſa non fuiſſent; Sic & confeſſio ex vi abſolutionis conjunctæ remittit culpam. Unde & ſecundum quod in voto penitentis præceſſit, à culpa liberavit, poſtmodum autem in actu confeſſionis, & abſolutionis gratia augetur, ſi præcedens dolor de peccatis non ſufficiens ad contritionem fuiſſet, & ipſe tunc gratiæ obicem non præberet; ac proinde eodem modo confeſſio liberat à morte peccati, ſicut & baptiſmus; & ſicut deſiderium baptiſmi liberat à culpa baptizandos, ita contritio habens votum confeſſionis annexum liberat à culpa vere pœnitentes; qui tamen non debent tardare ad accedendum

b Seſſ. 14. cap. 1.

c ib. can. 2.

d In ſuppl. q. 1. art. 1.

dum

Digitized by Google

dum ad hoc tribunal, in quo etſi reilæſæ majeſtaris liberantur à culpa, & abſolvuntur à pœna æterna.

a in Suppl. q. 10. a. 2. *Et Divus Thomas*, etiam docet, quod non ſolùm confeſſio liberat à morte peccati, hoc eſt à culpa, etiam liberat aliquo modo à pœna ſimul tamen cum abſolutione, & hoc non ſolùm ex vi abſolutionis, quo pacto liberat in voto exiſtens à pęna æterna, ſicut etiam à culpa, quæ quidem pœna eſt pęna condemnans; & ex toto exterminans; à qua homo liberatus adhuc manet obligatus ad pœnam temporalem, ſecundum quod pœna eſt medicina purgans, & promovens, & hæc pæna eſt in Purgatorio patienda etiam iis, qui à pæna inferni liberati ſunt.

Seſſ. 14. c. 4. Hæc doctrina Divi Thomæ in omnibus videtur confirmata à *Sacro Concilio Tridentino* (f) In primis namque determinat, quod ante hoc tribunal tamquam reos, *peccatores*, ſc. ſiſti voluit, ut per Sacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis, ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſent liberari. Ecce quomodo per confeſſionem homines liberantur à peccati morte. g ib. ca. *Secundò ſtatuit*, ſi quis dixerit, totam pœnam ſimul cum culpa remitti à Deo ſemper, anathema ſit: *& rurſus*, (b) ſi quis poſt g ſeſſ. 14. can. 30. acceptam juſtificationis gratiam, cuilibet peccatori pęnitenti, ita culpam remitti, & reatum pœnæ æternæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pænæ temporalis exolvendæ, vel in hoc ſæculo, vel in futuro, in purgatorio, antequam ad regna cælorum aditus patere poſſit, anathema ſit.

Hoc idem ſtatuit aliis in locis, ſed quia multoties de his fuit ſermo, ideò omittimus. Et hæc pęna *ſubdit Divus Thomas*, improportionata eſt viribus pęnitentis in hoc Mundo viventis, ſed per vim clavium in tantùm minuitur, quia proportionata viribus pœnitentis remanet, ita quod ſatisfaciendo ſe in hac vita purgare poteſt; ſed etiam diminuit pęnam ex ipſa natura actus confitentis, qui habet pęnam erubeſcentiæ annexam, & ideò quantò aliquis pluries de ipſis peccatis confitetur, tantò magis pęna minuitur; & quod ita ſit, rurſus docet *Divus Thomas*, (i) confeſſus, & abſolutus minus in purgatorio punitur, i ad 2. ib. quàm contritus tantum, qui habuit propoſitum confitendi, quia tunc voluntas reputatur pro facto in his, quæ ſunt omninò ab homine, non verò in his, quæ ſunt ab alto, ut eſt baptiſmus; non enim tantùm valet voluntas ſuſcipiendi baptiſmum, ſicut ipſius ſuſceptio.

Confeſſio, ut eſt pars pęnitentiæ, cum non ſolùm liberet à morte peccati, verùm etiam aliquo modò à pœna, dùm de æterna ſit temporalis, hinc eſt, quod quantum eſt de ratione confeſſionis aperit Paradiſum, à cujus introitu prohibetur aliquis per culpam, & reatum pœnæ, quæ impedimenta confeſſio amovet: *Sic D.Th.*

l in Suppl. q. 10. a. 3. Diximus, *quantum eſt de ratione confeſſionis*, qui ante votum confeſſionis Paradiſus clauſus erat peccanti mortaliter, licet poſtea per contritionem in virtute voti confeſſionis apertus ſit etiam ante confeſſionem actualiter factam: attamen obſtaculum reatus non eſt totaliter amotum ante confeſſionem, & ſatisfactionem; Quapropter ſi aperit Paradiſum ipſamet confeſſio, quantùm eſt de ratione confeſſionis, jam tribuit ſpem ſalutis æternæ ex gratia Redemptoris, cum remiſſio peccatorum non ſit nobis, niſi per Chriſtum, à quo inſtitutum fuit hoc Sacramentum pœnitentiæ, *juxta decretum Concilii Trident.* (m) m Seſſ. 14 can. 1. ſi quis dixerit in Catholica Eccleſia pęnitentiam non eſſe verè, & propriè Sacramentum pro fidelibus quoties poſt baptiſmum in peccata labuntur ipſi Deo reconciliandis à Chriſto Domino inſtitutum; anathema ſit, & tunc, ut diximus, inſtitutum fuit, quando Chri- n Cap. 20. ſtus Dominus dixit *in Joan.* (n) quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c. (Chriſtus ergo Dominos inſtituere voluit Sacramenta; ut homines videndo miſericordiam, & maximam bonitatem Dei, habeant ſemper ſperare in Domino, ut verè fideles Chriſti nominentur, & ſint; ſicut *aiebat Propheta Regis*, (o) Beati omnes, qui ſperant in eo; hæc autem ſpes. & vera ſpes erit in homine, quando per confeſſionem & fiet mitior, & humilior, & ſe ſubjiciet o Pſ. 33. clavibus Eccleſiæ ex paſſione Chriſti virtutem habentibus, per hæc enim accipit homo ſpem ſalutis, *inquit Divus Thomas.* (p)

Et Div. Auguſtinus ſuper Pſal. ait, (q) iſte eſt modus p in Suppl. q. 10 a. 4. humanæ naturæ, ut vita mortalis quantumlibet pro- q Pſ. 31 ficiat, quia ſine delicto eſſe non poteſt, in hoc non delinquat, ſed ſperat in eum, in quo eſt remiſſio delictorum.

Etſi ſpes ex omnibus actibus meritoriis proveniat, tamen *ut ait Divus Thomas*, (r) ex actibus non po- r ib. ad 19 teſt eſſe ſpes ſalutis principaliter, ſed ex gratia Redemptoris. Hoc confirmatur *ex Concilio Trident.* (ſ) bene operantibus uſque in finem, & ideò ſperantibus, ſ ſeſſ. 6 c. 16 proponenda eſt vita æterna, tamquam gratia, filiis Dei, per Jeſum Chriſtum miſericorditer promiſſa, & tamquam merces ex ipſius Dei promiſſione, bonis ipſorum operibus, & meritis, fideliter reddenda. Hæc eſt enim illa corona juſtitiæ, quam poſt ſuum certamen, & curſum repoſitam ſibi eſſe ajebat Apoſtolus, à juſto judice ſibi reddendam, & non ſolùm ſibi, ſed & omnibus, qui diligunt adventum ejus. *Sicut & ſtatuit*, (t) ſi quis dixerit, juſtos non debere t ib. cã. 26. pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta expectare, & ſperare æternam retributionem à Deo per ejus miſericordiam, & Jeſu Chriſti meritum, anathema ſit; ac proinde ſubdit *Divus Thomas* (u) u ib. loc. 4. cum confeſſio gratiæ Redemptoris innitatur, ideò ſpem ſalutis tribuit, non ſolùm ut eſt actus meritorium; verum etiam ut eſt pars Sacramenti.

Ut autem confeſſio ſuam efficaciam habeat dimittendi pœnam æternam, ſc. præſupponit ipſam contritionem, per quam deletur culpa ex vi dilectionis Dei ſuper omnia, ex qua dilectione odium, & deteſtatio peccatorum ſequitur; ad quid namque confeſſio delictorum, ſi contritio illorum nulla eſſet? Quapropter *docet D. Thom.* quod confeſſio operatur præſuppoſita contritione, quæ culpam delet, & ſic confeſſio x Suppl q. 10. a. 8. directè ordinatur ad dimiſſionem pœnæ; quod quidem facit ex erubeſcentia, quam habet ex dolore, ſc. quem tenet de peccatis, ſive ex verecondia narrandi illa, quæ & modo irrationabili perpetrata fuerunt, & veluti quadam brutalitate conſummata, nam hęc omnia gignunt poſt commiſſionem maximam verecundiam; pariter hoc facit, pœnam ſc. dimittere ex vi clavium, quibus ſe confitens ſubjicit. Verùm quandòque contingit, quod per contritionem præcedentem peccatum aliquod deletum eſt quoad culpam, ſive in generali, ſi ejus memoria tunc non habebatur, hoc dicitur, quia ſi ad memoriam venerit, tenetur ſine dubio de illo iterùm confiteri: ſive in ſpeciali, & tunc quando confitens alicujus peccati oblitus eſt; & hoc ut tollatur de medio ipſa ignorantia, illa ſc. ignorantia, quæ dicitur juris, nam iſta non excuſat peccatum, & cum ipſa peccatum ſit; nemo enim ignorare debet fornicationem, adulterium, furtum, homicidium, mercedem defraudare, uſuram committere, ſimoniamque, eſſe peccata, cum omnia iſta cadant ſub jure; non verò tollitur de medio ipſa ignorantia facti cum iſta excuſet. Hæc omnia à *Div. Thom.* (z) dicuntur, inquit enim, aliquis de hoc, z ad 4. ib. quod non confitetur peccata, quia neſcit ea eſſe peccata propter ignorantiam juris divini, non excuſatur à fictione; excuſaretur tamen, ſi neſciret ea eſſe peccata propter ignorantiam particularis circumſtantiæ, ſicuti ſi cognovit alienam, quam credidit eſſe ſuam. Et hoc quia ignorantia juris eſt ignorantia legis, ad quam tenemur; & ignorantia facti eſt, quando cum ſcientia juris ignoratur, circumſtantia aliqua ratione cujus ignoratur, quod tale objectum ſit prohibitum, ut pat. de Jacob; iſte enim non ignorabat legem, utrumne accedendum eſſet ad non ſuam, ſed ignorabat circumſtantiam, an Lia eſſe ſua; ſed de his, de ignorantia videb.

Dein-

Digitized by Google

Deinde ſubdit Divus Thomas, oblivio, autem de actu peccati habet ignorantiam facti, unde excuſatur à peccato fictionis in confeſſione, ac proinde generalis confeſſio, ſicut tollit peccata oblita, ita tollit peccata per ignorantiam facti commiſſa tantùm; ſi verò poſtea hujuſmodi peccata per ignorantiam facti commiſſa certò ſcirentur, teneretur illa confiteri, ne tranſeant ad ignorantiam juris; ſicut teneretur etiam confiteri illa peccata, quæ jam oblita aliàs poſtea redeunt, vel ad memoriam, vel ad notitiam; & licet abſolutione ſit functus etiam in generali confeſſione de omnibus peccatis commiſſis, adhuc teneretur confiteri, ut ſuppleretur, quod defuerit ad Sacramentalem confeſſionem.

Nec aliud eſt dicendum circa hoc, *meo tamen videri* niſi quod loquimur de peccatis oblitis in aliis confeſſionibus particularibus, quia ſi in talibus confeſſionibus particularibus fuerint narrata omnia peccata, quæcumque, quomodocumque, & quantumcumque facta, & numquam in illis, quod recordari poſſit, oblita fuere, non teneretur iterùm confiteri, etiam ſi in memoriam venerint poſt confeſſionem generalem. Et eadem eſt ratio de illis peccatis, de quibus facta plena diligentia, in memoria quaſi impoſſibile eſt evenire, ſicut & *Concilium Tridentinum ſtatuit* (y) reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eadem confeſſione incluſa eſſe intelliguntur. Unde concludendum eſt, quod ille, qui confitetur omnia peccata, quæ ſcit, & ſcire procurat per examen multum, ſi multo tempore confeſſionem non fecit, paucum verò, ſi parvo tempore; ac proinde dicitur, quod ille, qui confitetur omnia peccata, quæ ſcit, accedit ad Deum, quantum poteſt; *ſicut & David dicebat*, (a) accedite ad eum *puro corde*, *tota dilectione*, & illuminamini, *& illuminabit Deus corda veſtra*, *ut pœnitentiam agatis*, *& inde ſumatis dignè corpus ſuum*, *& ſanguinem*, ut magis accedamus ad ipſum, & charitas Dei diffundatur in cordibus noſtris.

Hinc *Auguſtinus in Pſal.* accedamus ad eum, ut illuminemur, non quomodo acceſſerunt Judæi, ut tenebrarentur. Acceſſerunt enim illi ad illum, ut crucifigerent, nos ad eum accedamus, ut corpus, & ſanguinem ejus accipiamus. Illi de crucifixo tenebrati ſunt, nos manducando crucifixum, & bibendo illuminamur. Accedamus ad eum humiliando noſmetipſos, & ipſe illuminabit, *hoc eſt exaltabit nos*, ut verificetur illud, omnis, qui ſe humiliat, exaltabitur. Per humilitatem namque noſtram placatur ira Dei, nec permittit, ut perdantur illi; qui verè pœnitentes humiliaverint ſe ad ipſum, ipſa enim pœnitentia tantæ virtutis eſt, ut facit nos accedere ad Deum, igitur pœnitentiam agamus, ſi velimus accedere ad ipſum, & quod magis eſt illum videre non per ſpeculum in ænigmate, ſed facie ad faciem, uti eſt in ſe.

a Pſ. 33

Super Quæſtionem Undecimam.

De ſigillo Confeſſionis.

PEr multum laudabile eſt, ut illi, qui ex officio auxilium præſtare debent pœnitentibus, ut tota fiducia, atque ſecuritate enarrent, dicant, proferant peccata commiſſa, edoceant iſtos, ne celent, aut taceant ob verecundiam, quam non habuerunt, dùm committebant, vel ob timorem, ne fructum dilectionis erga Deum amittant, peccatum: quamvis maximam turpitudinem habeant annexam, inſinuare etiam debent iſti, quod omne, quod auditur in foro conſcientiæ à peccatore pœnitente, & ſe dolente, non ſolùm cadit ſub ſigillo, verùm etiam perditur memoria illius, cum poſt abſolutionem à peccatis viri prudentes nec per iota reflectere debent ſuper iis, quæ in confeſſione audierunt; Unde nec recordari de illis, in hoc Summam Sapientiam Divinam imitari debemus, etenim Deus non ſolùm condonat peccata penitentibus, verùm etiam non recordatur amplius de illis, hoc ipſe dixit *in Ezech.* (a) ſi impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt; omnium iniquitatum ejus non recordabor. Si Deus hoc facit, quamvis graviter offenſus fuerit, quare & illi qui audiunt peccata in confeſſione hoc agere non debebunt? Profectò multa prudentia neceſſaria eſt Sacerdotibus miniſtrantibus hoc pœnitentiæ Sacramentum, maximaque cautela in loquendo; expedit namque, quod non ſedeant in conviviis ne forte abſorpti à vino errent præ ebrietate, per quam reddantur immemores legis, & ignorantes judicium, adeſt enim in conviviis multitudo frequenter loquentium, immò & facilitas loquendi, in quibus etiam facile revelatur ſecretum; propterea rectè *nos animadvertit Sap. dicens*, nullum Secretum (b), ubi regnat ebrietas; *Et Philoſophus ille moralis in ſuis floribus* (c) ſic pronunciat, Onerati mero quemadmodum non continent cibum vino redundante, ita ne ſecretum quidem: quod ſuum, alienumque eſt, pariter effundunt. Videant itaque quanta diligentia oportet ambulare, ne in peccatum incidant, & ne retrahantur peccatores ad confeſſionem; ſiquidem peccat tamquam violator Sacramenti, qui confeſſionem revelat; & utilitates, quæ ſequuntur ex celatione tolluntur, & ſunt, quod homines magis ad confeſſionem attrahuntur per hoc, & ſimpliciùs etiam peccata confitentur, & licet ſigillum confeſſionis non ſe extendat, niſi ad illa, de quibus eſt Sacramentalis confeſſio, & hoc directè; indirectè tamen id, quod non cadit ſub Sacramentali confeſſione, etiam ad ſigillum confeſſionis pertinet, ut illa, per quæ poſſet peccator, vel peccatum deprehendi, & loquitur de Sacerdotibus tantùm, quoniam cum ſint miniſtri hujus Sacramenti, illi ſoli tenentur ad ſigillum confeſſionis, cum iſtud ſit annexum Sacramento huic. Unde nullo modo habent revelare peccatum in confeſſione auditum; quoniam occultatio ipſa eſt de eſſentia Sacramenti, cum illud ſciat, ut Deus, & non ut homo: & ad vitandum ſcandalum; cæterum ſi confitens licentiam det Sacerdoti ad dicendum, & quod illud, quod ſciebat ut Deus, ſciat etiam ut homo, ſi dicat, non frangit ſigillum confeſſionis ſicut nec illud frangi, quod aliàs ſit, ſive ante confeſſionem, ſive poſt, quoniam ſcit, ut homo, unde & tenetur dicere, ſcio illud, quod vidi.

Confeſſio, quæ eſt pars Sacramenti pœnitentiæ, cum debeat eſſe narratio peccatorum commiſſorum proprio Sacerdoti, quantum eſt de ſe, & ut cor concordet voci, vel verbis, debeat eſſe *integra*, *humilis*, ſicut & habere omnes illas conditiones, quæ ad neceſſitatem confeſſionis requiruntur, inter quas numeratur illa, quæ *ſecreta* dicitur, & hæc conditio ſe tenet ſolum ex parte miniſtri, Epiſcopi, ſcilic. & Sacerdotis, eò quia iſti ſoli habent poteſtatem clavium ligandi, atque ſolvendi, ad iſtos ſolos Dominus dixit, quorum remiſeritis peccata, &c. Hoc dicitur, quia intendimus per hoc excludere errores eorum, quos damnavit *Sancta Tridentina Synodus* (d) circa miniſtrum hujus Sacramenti declarat, falſas eſſe, & à veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quovis homines præter Epiſcopos, & Sacerdotes clavium miniſterium perniciosè extendunt; putantes illa verba Chriſti Domini, quæcumque alligaveritis ſuper terram &c. & quorum remiſeritis peccata &c. ad omnes Chriſti fideles indifferenter, & promiſcuè contra inſtitutionem hujus Sacramenti ita fuiſſe dicta, ut quivis poteſtatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem, ſi correptus acquieverit; ſecreta verò per ſpontaneam confeſſionem cuicumque factam.

Quod & in *Can. decimo ibid.* expreſſit, anathematizando eum, qui oppoſitum aſſerere præſumpſerit.

a cap. 18.
b cap. 31.
c Ep. 83.
d Seſſ. 14. 6.

Solis

Digitized by Google

Solis itaque Epiſcopis, & Sacerdotibus conceſſa eſt clavis claudendi, & aperiendi, & cum habeant hanc clavim, habent etiam hóc, quod omnia, quæ à confitentibus dicuntur, debent intra ſe ita occultare, ut nullum ſit ſignum, nullum ſit verbum, nulla ſit umbra per quod, vel per quam poſſit præjudicari illis, qui propria peccata confeſſi ſunt, & unico verbo dicam, quod confeſſio ex parte miniſtri debet eſſe taliter ſecreta, quod in quolibet caſu, *ut ait Div. Thom.*, (*e*) tenentur celare peccata, quæ ſigillo confeſſionis novit, Sacerdos, *&c docet*, (*f*) ſumma cura, & ſollicitudine curare debet, ne revelet aliquis de his, quæ dicta ſunt ſibi in confeſſione neq; per verbum, neque per ſignum: *juxta illud decret. de pœnitentia, &c remiſſione*; (*g*) Caveat Sacerdos, ne verbo, aut ſigno, aut quovis alio modo aliquatenus prodat peccatorē. Ne peccet contra triplex præceptum, naturale ſcilicet, ſiquidem de jure naturali eſt ſervare ſecretum ſibi commiſſum; divinum, utpotè quia confeſſio, quæ eſt juris divini, ſine ſecreto eſſet nimis odioſa, ac proinde moraliter impoſſibilis; humanum, ſive Eccleſiaſticum, etenim Eccleſia & ſtrictiſſimè præcipit ſigillum confeſſionis ſervari, & pœnis graviſſimis ejus violatores punit; Scire namque debet Sacerdos, quod eſt miniſter Dei; & cum ſit talis, oportet etiam, ut ſcire debeat, quod ſicut Deus poſt pœnitentiam peccatoris non recordatur peccatorum illius, in quantum ſcilicet tegit ideo non puniendo amplius, ita oportet, ut confeſſarius peccata ipſius confitentis tegat, quod eſt ſigillum cuſtodire; hæc non ſolùm habetur manifeſtum ex Sacra Scriptura, (*h*) in qua legitur dixiſſe Dominum per os *Ezechielis*; ſi autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodiret omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & juſtitiam; vita vivet, non morietur; Omnium iniquitatum ejus, quæ operatus eſt, non recordabor, & etiam redditur manifeſtum ex Doctrina *Div. Thom.* (*i*) Sacerdos debet Deo, cujus eſt miniſter, conformari, cum autem Deus peccata, quæ per confeſſionem panduntur, non revelet, ſed tegat, hinc eſt, quod nec Sacerdos revelare illa debet; contra illos, qui dixerunt, non teneri Sacerdotem ſervare ſub ſigillo confeſſionis, niſi peccata, de quibus penitens emendationem promittit; aliàs poteſt ea dicere ei, qui poteſt prodeſſe, & non obeſſe, ſiquidem confeſſio non deſinit eſſe Sacramentum, etiam ſi ille, qui confitetur, emendationem non proponat; & cum ita ſit, nullum eſt dubium, quod ſub ſigillo etiam iſta tenenda ſit.

e in Suppl. q. 11. ar. 1. — *f Oraſt. 6. cap. 4.* — *g Diſt. 6.* — *h Cap. 18.* — *i Ibid. in 2. & 4. ſid. 1.*

Contra illos, qui dixerunt, ſigillum confeſſionis contra charitatem militare, eò quia charitas non requirit, quod opponatur remedium peccato, quod homo neſcit; ſed quomodo illud neſcit, ſi jam illud penitens narrat? De hoc dicitur, quod etſi penitens narret peccata ſua Sacerdoti miniſtro Dei, intendit illa ſolùm narrare, ſicut & ſeipſum juſtificari apud Deum; cui etiam intendit illa revelare. Et ideò ſi homo illa audit, non tamen illa ſcit, ut homo, ſed ut Deus. *Unde Div. Thom.*, (*l*) illud autem, quod ſub confeſſione ſcitur, eſt quaſi neſcitum, cum illud non ſciat quis, ut homo, ſed ut Deus. Contra illos, qui dixerunt, quod celatio iſta confeſſionis eſt introducta ex ſtatuto Eccleſiæ, ignorabant enim iſti, quod præceptum de confeſſione conſequitur ipſum Sacramentum, ac perinde ſicut præceptum de confeſſione Sacramentali facienda eſt de jure divino, & non poteſt aliqua diſpenſatione, aut juſſione humana homo abſolvi ab eo, ita nullus ad revelationem confeſſionis poteſt ab homine cogi, vel licentiari.

l Ib. ad 1.

Diximus, *vel juſſione humana*, quia etiamſi præciperetur ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & diceret, ille, qui ſcit de tali peccato, dicat, nam etiam ſi ſciret aliquid de peccato illo, de quo inveſtigatur, non deberet, dicere, cum exiſtimare deberet intentionem præcipientis eſſe, ſi ſciret, ut homo, in confeſſione verò non ſciret, ut homo, ſed ut Deus; ac per conſequens non incurreret excommunicationem, quia tunc non ſubiiceret ſuperiori ſuo, cum ut ſciret, ut Deus, & non ut homo, qui cum non adducitur in teſtimonium, niſi ut homo, hinc eſt, quod ſine læſione conſcientiæ, poteſt jurare, ſe neſcire, quod ſcit tantùm, ut Deus.

Eſt etiam tantæ vis ipſa confeſſio, quod etiam Prælatus ſine læſione conſcientiæ dimittere poteſt peccatum impunitum, quod ſcit tantùm, ut Deus. Vel ſine aliquo remedio, non enim tenetur adhibere remedium niſi eò modò quò refertur; & ſic in his, quæ ad ipſum deferuntur in foro pœnitentiæ, debet in eodem foro, quantùm poteſt, adhibere remedium. Sic Abbas V.G. quando ſcit per confeſſionem alicujus prioris ſibi ſubjecti peccatum ex cujus occaſione inducit ipſum ad ruinam, ſi ei prioratum dimittat, unde tenetur ei auferre dignitatem curæ paſtoralis, in tali caſu debet ipſe Abbas eum admonere, ut prioratum reſignet, vel ſi noluerit, poteſt ex aliqua alia occaſione abſolvere eum à cura prioratus, eò quia ex multis aliis cauſis redditur quis indignus ad prælationis officium, quàm ex peccato. Animadvertat tamen, quod debet vitare omnem inquiſitionem de confeſſionis revelatione, ne peccet mortaliter, ſiquidem eſt de neceſſitate Sacramenti, quod quis confeſſionem celet.

Diximus, *quod ex multis aliis cauſis redditur quis indignus ad prælationis officium, quod ex peccato*; quia ſi aliquis per confeſſionem alicujus, quem audivit, poſſet accipere conſcientiam, quod ſit prælatione indignus, ſi vellet contradicere, nec ſuſpicionem de crimine inducere, nec confeſſionem revelare, debeat proſpicere, ſi adeſſent aliæ cauſæ, ex quibus poteſt reddi indignus prælatione. Nam deeſſe poſſunt defectus ſcientiæ, ætatis, vel aliquid aliud hujuſmodi, tanquam cauſæ, ab iſtis deberet accipere fundamentum excludendi ab officio prælationis, non ab illa ſcilicet à peccato, ne revelet confeſſionem, ſic taliter eſt neceſſarium ſigillum in confeſſione. Hoc autem ſigillum directè, ſe deberet extendere ad illa, de quibus eſt Sacramentalis confeſſio, quia certum eſt, quod ſigillum confeſſionis eſt aliquid annexum Sacramentali confeſſioni; ea autem, quæ annexa ſunt alicui Sacramento, non ſe extendunt ultrà illud Sacramentum, unde mirum non debet eſſe, ſi etiam ſigillum confeſſionis non ſe extendat, niſi ad ea, de quibus eſt Sacramentalis Confeſſio.

Diximus *directè ſigillum confeſſionis ſe extendere ad illa, de quibus eſt Sacramentalis confeſſio*, per quod tamen non excludimus indirectè id, quod non cadit ſub Sacramentali confeſſione, ſed dicimus hoc idem ad ſigillum confeſſionis pertinere; ut V. G. illa, per quæ poſſet peccator, vel peccatum depræhendi; Verùm illa ſummo ſtudio etiam ſunt celanda, tùm propter ſcandalum, tùm propter pronitatem, quæ ex conſuetudine accidere poteſt. *Ex Div. Thom.* (*m*) Tùm etiam addendum eſt, ut conformetur divinæ bonitati, de cujus magnitudine eſt, non eſt ſolùm per miniſtrum ſuum tegere peccata ſibi confeſſa Sacramentaliter, verùm etiam ab eodem confeſſario tàm ſtrictiſſima circumſpectione illa tegi, & hoc voluit, ut eorum videatur mox poſt confeſſionem totaliter oblitus; Hoc manifeſtavit, dùm dixit *per Ezechielem*, ſi autem dixerit impios morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato ſuo, feceritque judicium, & juſtitiam; & pignus reſtituet ille impius, *juxta illud*, *quod ſcriptum eſt in lege Moyſi*, (*o*) ſi pignus à proximo ſuo acceperis veſtimentum, ante ſolis occaſum reddet ei; rapinamque reddiderit; de contrafacientibus dicitur *in lib. Proverb.* (*p*) rapinæ eorum detrahent eos, quia noluerunt facere judicium: & *illud David in Pſal.* (*q*) facit ad intentum; dùm dixit, & rapinas nolite concupiſcere; Lucra damnanoſa ſunt, quæ fiunt per rapinam; & juſtitiæ repugnantia, quoniam licet inveniatur pecunia, & ſatietur appetitu illius, ſi tamen ſatiari illa poteſt, deperditur juſtitia, de cujus ratione dare, non auferre, unicuique, quod ſuum eſt: in mandatis vitæ ambulaverit, juxta illud, quod dixit Dominus in Proverbiis, ſerva mandata mea, & vives; Et *Eccleſiaſtes dixit*, (*r*) Deum time, & mandata ejus obſerva; nec fecerit quemquam injuſtum, nam

m In Suppl. q. 11 art. 2. — *n Cap. 33.* — *o Exod. 22. 22.* — *p Cap. 21.* — *q Pſal. 61.* — *r Cap. 12.*

juxta

juxta illud Pſalm. (*f*) injuſti punientur, & ſemen impio-
f Pſal. 36. rum peribit; & dicitur ſemen impiorum, quaſi opera impiorum, omnia ergo opera impiorum peribunt, & verè peribunt, quoniam nullum fructum reddent tempore ſuo: vita vivet, & non morietur: omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei, quaſi dicat, *oblivioni tradetur*. Videant ergo confeſſarii, quomodo ſe debent continere in confeſſionibus audiendis, & de peccatis in illis confeſſis, ut numquam recordari debeant, ut revelentur. Sciant, quod violatio ſigilli confeſſionis eſt contra ſignificationem Sacramenti pœnitentiæ, ſignificat namque remiſſionem peccatorum, quæ eſt tectio quædam, & occultatio, quam facit Deus de peccatis, *ſecundum illud Pſal.*, (*t*) Beati quorum
t Pſal. 31. remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata: *tecta*, non autem *cooperta*, nam quod coopertum eſt, amplius non videtur. Unde ſi tecta ſunt, ſi remiſſa ſunt peccata, quare poſtea memoriam habere debebunt miniſtri Dei, ſi jam Deus non recordatur de illis, ut videant, & puniant; nam quod eſt videre Dei peccata, niſi punire peccata? adeòque ſi Deus non videt peccata confeſſa, ut puniat, nec tu videre debebis illa, ut revelentur. Hæc pro documento Sacerdotis.

Adeſt & documentum pro illis, qui de facili recipiunt aliquod ſecretum, veluti ſub ſigillo confeſſionis. Eſtque tale documentum *Div. Thom.* (*u*) docentis, non
u ib. ad 2. debet qui de facili recipere aliquod hoc modo, ſcilicet ſub ſigillo confeſſionis; ſi verò recipiat, tenetur hoc modo ex promiſſione celare, ac ſi in confeſſione haberet; & ideò relinquitur pro documento, quod non ſit ita facilis ad recipiendum quis aliquod ſecretum ſub ſigillo confeſſionis, nam difficiliter poſſit ſervari promiſſio ſub tali ſigillo. At quia promiſſio poteſt fieri & de re levi, & de re notabili, hinc eſt; quod docet Cajet., Promiſſio, ſi fiat de aliquo levi ſimpliciter, vel illi cui, & propter quem promittitur, non obligat ad mortale; ſi verò de notabili obligat ad ſui obſervationem ſub mortali; unde rei fidei dicuntur non ſervantes promiſſum licitum. Ut autem non recipiant aliquid ſub ſigillo confeſſionis, ſciant, quod illis non competit hæc recipere ſub tali ſigillo. cum hoc competat Sacerdoti, in quantum etiam eſt miniſter hujus Sacramenti, cum iſte ſolus ſit miniſter Dei.

Et quia diximus ſupra, quod *in caſu neceſſitatis poteſt & laicus confeſſione audire*, in tali caſu habet etiam participare aliquid de actu clavis, dùm confeſſionem audit, & conſequenter habet participare aliquid de ſigillo confeſſionis, per quam participationem tenetur celare; per participationem utique, quia loquendo propriè ſigillum confeſſionis non habet. Sicut & in caſu, quo quis per interpretem neceſſitate confiteretur ſacerdoti, tunc interpres teneretur celare ſub ſigillo illa, de quibus audivit; immò & interpretavit in confeſſione, licet ſigillum propriè non haberet; Itaque numquàm ſive propriè, ſive impropriè, ſive directè, ſive indirectè ſigillum habet quis, erit licitum peccatum pœnitentis, & confitentis alteri prodere, niſi fortè de licentia confitentis, tunc enim poterit Sacerdos, & à fortiori laicus, ac interpres, peccatum ejus, quod habebat ſub ſigillo confeſſionis, alteri prodere: (exerceri tamen circa hoc debet debita cautela à quolibet,) eo quia poteſt confitens facere, ut illud, quod Sacerdos ſciebat, ut Deus, ſciat etiam, ut homo; & hoc facit, dum licentiat eum ad dicendum; quæ tamen licentia debet eſſe ſolùm ipſius confitentis, & non alterius, quilibet ille ſit: cum nec Papa poſuit licentiare ad dicen-
x in ſuppl. q. 11. ar. 4. dum; quia, *ut ait Div. Thom.*, (*x*) non poteſt facere, quod illud ſciat, ut homo: & ex eo, quod ipſe confitens daret licentiam ad dicendum, irritaretur illud, quod eſt inſtitutum propter bonum commune; unde ſigilli confeſſionis tunc non frangeretur, quia diceretur, quod alio modo ſciretur; ſciretur tunc autem ut homo, & ſic ut homo conſequenter non frangeret ſigillum: at-
y ib. in c. tamen bene advertat Sacerdos, *ait Div. Thom.* (*y*) quod ſi non frangat ſigillum confeſſionis dicendo, debet tamen vitare ſcandalum dicendo, nè fractor ſigilli prædicti reputetur,

Sed quid dicendum eſt de illo, cui iſte peccatum revelabit? poteſtne revelare peccatum, & illum publicare, an non?

Ad hoc Reſpondet *Div. Thom.*, (*z*) quod cum ille, ad quem notitia peccati devenit mediante Sacerdote de z ib. ad 4. voluntate confitentis, participet in aliquo actu Sacerdotis, tenetur & ipſe celare peccatum illius, quia aliquid etiam de actu ſigilli confeſſionis participat, ut diximus de interprete, niſi fortè peccator velit, quod ille abſolutè ſciat, & liberè. Et ut excludantur omnes viæ iniquitatis, & ne detur pallium malitiæ hinc eſt, ait Div. Thom., quod non poteſt confitens dare licentiam Sacerdoti, quod revelet id, quod etiamſi per confeſſionem ſciverit, tamen alio modo illud ſcivit, quia jam de ſe habet facultatem revelandi, cum jam ſciverit illud, ut homo, & non ut Deus; illud, quod homo aliàs ſcit, ſive ante confeſſionem, ſive poſt non tenetur celare quantum ad id, quod ſcit, ut homo; & ideò poteſt dicere, ſcio illud, quia vidi; ſicut quando aliquis dicit, ſe vidiſſe, quod in confeſſione audivit, non revelat, niſi per accidens, quia dicit auditum, cui accidit viſum eſſe, adeòque non frangit ſigillum confeſſionis; frangeret tamen illud, in quantum ſciat, ut Deus, unde nequit dicere, ego hoc audivi in confeſſione.

Ultimò tandem *aſſignat Div. Thom.* (*a*) regulam ge- a in ſuppl. q. 11. ar. 5. neralem, quod propter ſcandalum debet Sacerdos abſtinere, ne de hoc loquatur, niſi immineat neceſſitas, unde ait, non debet vitari ita peccatum ex una parte, quàm ex alia juſtitia relinquatur. Veritas enim non eſt propter ſcandalum dimittenda, & ideò quando imminet periculum juſtitiæ, & veritatis, dimitti non debet revelatio ejus, quod quis in confeſſione audivit, ſi aliter ſciat; propter ſcandalum; hoc autem quantum in ſe eſt, evitare tenetur, eò maximè quia juſtitiæ executio eſt in præcepto, & cum ſit in præceto non tenetur quis cellare peccatum, quod in confeſſione audivit, ſi aliàs ipſum ſciat. Aliter ſecundum hoc poſſet impediri juſtitia Eccleſiæ, ſi aliquis, ut evaderet ſententiam excommunicationis, quæ in ipſum ferenda eſſet propter aliquod peccatum, de quo convictus eſt, confiteretur ei, qui ſententiam ferre debuiſſet. Ex utraque parte poſſet eſſe malitia, tàm pœnitentis, & confitentis, quàm Sacerdotis. Unde bene attendendum eſt, ne ſub ſpecie boni coloris, hoc eſt bonæ fidei, incidatur in ignorantiam ob defectum diſcernendi, quando, & quo tempore poteſt & Sacerdos revelare illud, quod jam in confeſſione audivit, & confitens præbere Sacerdoti licentiam, ut dicat illud, de quo confeſſus fuit.

Multi enim ſunt, qui malitiorè, ac protervè tentant illos, qui confeſſionem audiunt, ut dicant, & ideò cautè ambulandum eſt ab illis, ut de ſua malitia poſtea prætium indignum afferant, vel propter injuſtiam vindictam de juſtitia ab illis facta, de correctione fraterna; corrigentibus mores depravatos, & ſimilia; propter odium, non enim ſciunt, quibus armis uti, niſi calumniæ, malum, quod vel ab invidia naſcitur, vel ab ira conſurgit. Ideòque orandum eſt ad Dominum, ut qui verè cognoſcit corda hominum, & intima cordis penetrat, evadat hominem à malignitate b Pſal. 5. eorum, ab illis, de quibus dicitur *in Pſalm.*, (*b*) cor eorum vanum eſt, ſepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis dolosè agebant. Vanum utique eſt cor illorum, in quorum ore veritas exiliata eſt; & dolo, & mendacio ſolùm plenum eſt, adeòque congruè ſepulchrum patens vocatur guttur eorum, hinc Auguſt. *ſuper hunc locum* ait, poteſt & illud intelligi, quòd mendacio, & blanda adulatione trahunt in ſe, quos ad peccata illectant, & eos tanquam devorant, cum in ſuam vitam convertunt; & hoc propter malignitatem, quam in linguis ſuis habent; mala ſemper loquuntur, cum ſemper linguas malas habeant. Et rurſus, quorum os locutum eſt vanitatem; attendite, & rectè proſpicite ad vanitatem, quam loquuntur; hanc loquuntur, ut illaqueamini, propterea cavete, nè talia loquamini juxta malitiam circumvenientium in malum, cavete

a frau-

Digitized by Google

à fraude ipſorum, fraudolenter enim agunt, ut decipiant vos; aliud enim non optant, niſi imitemini illos, qui maligna loquuntur, igitur averrat Deus miniſtros ſuos ab hominibus ita pravis, qui numquam ſciunt, ubi eſt Deus eorum.

Super Quæſtionem Duodecimam.

De ſatisfactione, & ejus quiditate.

AD verum dolorem de peccatis commiſſis erga Deum ſequitur verum propoſitum emendandi vitam præteritam, ad quorum remiſſionem fidelis, integraque delictorum omnium præcipuè mortalium requiritur oris confeſſio, & ut impleatur totum illud, quod ad Sacramentum pœnitentiæ attinet, opus eſt, ut paratus ſit, immò & promptus pœnitens, ad ſufferendas pœnas, quæ peccatis debitè debentur, ut ſi non plenè ſaltem quantùm poſſibile ſit, fiat ſatisfactio pro eiſdem; quæ duplex dicitur deberi Deo pro commiſſis ſceleribus, una pro culpa, ut eſt offenſa Dei; & fit per actum contritionis; alia pro pœna, non tamen æterna, cum per confeſſionem peccatorum ore prolatorum tollatur iſta, & de æterna temporalis fiat, ſit & pœna, quæ debebatur Adæ pro tranſgreſſione præcepti, in temporalem Deus miſericorditer, qui non vult mortem peccatoris, mutavit, ut apertè ex Gen. conſtat; & iſta ſatisfactio pro pœna temporali fit per actum injunctum à Sacerdote in Sacramento pœnitentiæ; tunc enim Sacerdos, cum ſit judex, habet proferre ſententiam, cui debet & peccator ſubjicere, ut opus virtutis exerceat, certum eſt namque, quod nullus actus operatur ad delectionem peccati, niſi ſit actus virtutis, & quia per ſatisfactionem peccatum totaliter annihilatur, jam ſatisfactio actus virtutis erit, maximè quia ad pœnitentiam, quæ & virtus eſt, & actus virtutis, ſpectat; & cum ſit actus virtutis, eſt & juſtitiæ, ſatisfactio enim, quæ æqualitatem reſpectu offenſæ præcedentis in ſatisfaciente importat, opus juſtitiæ eſt, quantum ad illam partem, quæ pœnitentia dicitur. Juxta etiam totum hoc ſolet definiri ſatisfactio, (de qua dicitur, quod ſit medicina curans præterita peccata, & præſervans à futuris;) & reſpectu culpæ præteritæ, quam recompenſando curat, & ſic dicitur, quod ſatisfactio eſt illatæ injuriæ recompenſatio ſecundum juſtitiæ æqualitatem; & ut præſervat à culpa futura, & ſic dicitur, quod ſatisfactio eſt peccatorum cauſas excipere, & eorum ſuggeſtionibus aditum non indulgere.

Impræſentiarum, ut tu vides, non eſt ſermo de ſatisfactione illa præſtantiſſima Chriſti Domini, qui pro ſalute humani generis, pati, & mori voluit, ut æterno Patri plenariè ſatisfaceret, & taliter plenariè, quia, *ut docet D. Thom.* (a) ejus paſſio non ſolùm ſufficiens, ſed & ſuperabundans pro peccatis humani generis, ſecundum illud *Joann.* (b) ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius Mundi. Juxta etiam illud *Conc. Trid.* (c) accedit ad hæc, quod dùm ſatisfaciendo patimur pro peccatis; Chriſto Ieſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur, certiſſimam inde arram habentes, quod ſi compatimur, & conglorificabimur. Neque verò ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, quam pro peccatis noſtris exolvimus, ut non per Chriſtum Ieſum, nam quod ex nobis, tamquam ex nobis, nihil poſſumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia poſſumus; ita non habet homo, unde glorietur, ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo vivimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre. Solùm itaque loquimur de illa ſatisfactione, quæ eſt tertia pars pœnitentiæ Sacramenti.

a 3 p. q. 48. a. 2.

b p. c. 2.

c ſeſſ. 14 c. 8.

De illa ergo loquendo dicimus, quod quatenus eſt pars Sacramenti pœnitentiæ non poteſt non eſſe actus virtutis, cum ſit actus pœnitentiæ, quæ virtus eſt, ſic & Concilium Tridentinum, (d) *& partem pœnitentiæ eſſe ſatisfactionem, & actum ejuſdem decrevit.* Sunt autem, quaſi materia hujus Sacramenti ipſius pœnitentis actus, *nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio,* qui quatenus in pœnitente ad integritatem, ad plenamque, & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione partes pœnitentiæ dicuntur; Unde & contra hæreticos, præcipuè tamen contra Lutherum, *ſtatuit*, ſi quis negaverit ad integram, & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pœnitente, quaſi materiam Sacramenti pœnitentiæ, *videlicet contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem*, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur, anathema ſit. d ib. c. 3.

e ib. can. 4.

At ſatisfactio nedùm dicitur actus virtutis, quia non habet malitiam implicitam, vel defectum debitæ circumſtantiæ, quod eſt eſſe actus virtutis materialiter, ſed dicitur actus virtutis, quatenus in ſuo nomine formam, & rationem virtutis implicitam habet, quod eſt eſſe actus virtutis formaliter, v. g. fortiter ſuſtinere dicitur actus fortitudinis; Unde *Paulus ad Heb. dicebat*, (f) fortes facti ſunt in bello; ex quo deſumitur fundamentum dicendi ab Eccleſia, *eſtote fortes in bello, & pugnate cum antiquo ſerpente, & accipietis regnum æternum*, & in Cronicis Fratrum Ordinis Prædicatorum narratur, quomodo Deipara Virgo dixit ad fratres illos, qui eam verè laudabant, *fortiter viri fortes*, & Jeſus Chriſtus ad diſcipulos ſuos *dixit*, ſuſtinete hic, & vigilate mecum, quaſi diceret, *fortes eſtote fratres, ſicut ego fortis ſum*. Sic & de ſatisfactione dicitur, quod eſt, quantum eſt de ſe actus virtutis formaliter, formale namque, *ait Divus Thomas* (g) cujuslibet virtutis eſt ratio medii, quapropter omnis actus, qui rationem medii importat, actus virtutis formaliter dicitur, cum ergo æqualitas medium ſit, quod ſuo nomine ſatisfactio importat, (non enim dicitur aliquid ſatisfieri, niſi ſecundum æqualitatis proportionem ad aliquid) hinc ſequitur, quod ſatisfactio etiam formaliter ſit actus virtutis.

f cap. 11.

g in ſup. q. 12. a. 1.

Nec tollitur, quod non poſſit eſſe actus virtutis ex eo, quod non fiat per electionem, & reſpiciat principaliter exteriora opera. Siquidem aliud eſt, *docet Divus Thomas*, (h) quod accipi poſſit principale in ipſa virtute, ut virtus eſt, quia hoc pacto ea, quæ ad rationem ejus pertinent, vel magis propinqua ſunt ei, principaliora ſunt in virtute, ideò bene dicitur, quod ſatisfactio cum non ſit, niſi actus virtutis, non habet principaliter fieri per electionem, nec per interiores actus, cum electio, & interiores actus in virtute, inquantum virtus eſt, principaliores ſint, tamen quia in ipſa virtute principale poteſt accipi: non in quantum virtus, ſed in quantum eſt talis virtus; ſic principaliùs in ipſa eſt illud, ex quo determinationem accipit actus interior, qui utique in aliquibus virtutibus determinatur per actus exteriores, ideòque mirum non eſt, ſi electio, quæ eſt communis omnibus virtutibus, ex hoc, quod eſt electio talis actus efficiatur propria hujus virtutis, ac per conſequens mirum non debet eſſe, ſi in aliquibus virtutibus actus exteriores ſint principaliores, ut de facto contingit in ſatisfactione. h ib. ad 2.

Quæ non ſolùm eſt actus virtutis formaliter; verùm eſt formaliter actus juſtitiæ, de cujus ratione eſt, quod medium juſtitiæ accipiatur ſecundum adæquationem rei ad rem, in proportionalitate aliqua; quam adæquationem hoc nomen ſatisfactionis importat; nam hoc adverbium *ſatis* æqualitatem proportionis deſignat; ex quo conſtat, quod ſatisfactio ſit formaliter actus juſtitiæ, quod conſonat

ſonat cum illo, quod aliqui docent, quod ſatisſactio eſt rei debitæ integra ſolutio, nam quod ſatis eſt, ei videtur nihil deeſſe, cæterum quantum ad ſatiſfactionem, de qua modò loquimur, doctores ſatisfactionis nomen divinarum rerum ad declarandam eam compenſationem uſurparunt, cùm homo pro peccatis commiſſis Deo aliquid perſolvit, quod æqualitatem proportionis deſignat, & conſequenter actum juſtitiæ. Hoc habetur & ex Sacris litteris & ex D. Th. Ex primis namq; habemus *illud Matt.* (i) facite fructus dignos pœnitentiæ hoc eſt *veſtras ſatisfactiones facite*, ut ad æqualitatem proportionaliter præcedentium offenſarum, de quibus jam vos pœnituit, fiant; unde videtur, quod & æqualitatem proportionis, & ad juſtitiam ſatisfactio pertineat, ſic & colligitur ex illo *Deut.* (l) pro menſura peccati erit & plagarum modus.

i cap. 3.

l cap. 25.

Et in Apocal. legitur, (m) quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum, & luctum: Audiſti æqualitatem; infer modò juſtitiam.

m cap. 18.

Nam *Paulus ad Corinth.* (n) dixit, ſi nosmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremus, quod autem judicium ſit actus juſtitiæ; jam docuit *D. Thom.* (o) judicium eſt actus juſtitiæ, ſicut inclinatio ad rectè judicandum. Deinde *ex illo Rom.* (p) habetur, ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem. Quaſi diceret, *unuſquiſque quot in ſe habuit oblectamenta, tot de ſe inveniat holocauſta*. *Et Concilium Trid.* (q) *comprobando has ſcripturas, & etiam ut videbimus D. To. doctrinam determinavit*, habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum; ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem.

n 1. p. c. 11.

o 2. 2. q. 50 a. 1.

p cap. 8.

q ſeſ. 14. c. 8

Ex *D. verò Thoma* (r) habetur, ſatisfactio, quia æqualitatem in ipſo faciente exprimit, ideò dicit actum juſtitiæ, qui eſt ſui ad alterum propriè loquendo, per quod ſequitur, quod ſatisfacere manifeſtè æqualitatem in actionibus demonſtrat, licet quandoque unum pro altero ponatur.

r In Suppl. q. 12. a. 2.

Verùm quia *adæquatio* non eſt, niſi inæqualium, ideò ſatisfactio inæqualitatem actionum præſupponit, quæ quidem offenſam conſtituit, & ideò habet reſpectum ad offenſam præcedentem; nulla autem pars juſtitiæ reſpicit offenſam præcedentem, niſi juſtitia vindicativa, quæ æqualitatem conſtituit in eo, qui juſtum patitur indifferenter, ſive ſit patiens idem, quod agens, ut quando aliquis pœnam ipſi infert, ſive non ſit idem, quod agens, ut quando judex alium punit ad utrumque juſtitia vindicativa ſe habente. Similiter & pœnitentia, quæ æqualitatem tantùm in faciente importat, quia ipſemet pœnitens pœnam tenet, fit, ut quodamodo pœnitentia vindicativæ juſtitiæ ſpecies ſit, & per hoc, ait Div. Thom. conſtat, quod ſatisfactio per æqualitatem reſpectu offenſæ præcedentis in faciente importat, opus juſtitiæ eſt, quantùm ad illam partem, quæ pœnitentia dicitur.

Et cum juſtitia ad hoc tantum tendat; ut inæqualitatem præcedentem auferat puniendo culpam præteritam, ſed etiam ut in futurum æqualitatem cuſtodiat; quia ſecundum Philoſophum pœnæ medicinæ ſunt; ſic & ſatisfactio, quæ eſt juſtitiæ actus pœnam inferentis, eſt medicina curans peccata præterita, & præſervans à futuris; & ideò quando homo homini ſatisfacit, & præterita recompenſat, & à futuro cavet. Propter quod ait *D. Thom* (t) quod ſecundum hæc omnia dupliciter poteſt ſatisfactio definiri; primò reſpectu culpæ præteritæ, quam recompenſando curat; unde dicitur quod *ſatisfactio eſt illatæ injuriæ recompenſatio ſecundum juſtitiæ æqualitatem*; quod in idem redit definitio Anſelmi dicentis, ſatisfacere eſt honorem debitum Deo impendere, & hoc ut conſideretur debitum ratione culpæ commiſſæ; etenim certum eſt; quod nemo poteſt debitum honorem tribuere Deo, niſi quia peccata omninò vitare inſtituat, quapropter dicitur, quod quamvis honorem debitum poſſit innocens utique Deo impendere, (cum unuſquiſque teneatur venerari Deum, vel ſub ratione auctoris naturæ, vel ſub ratione auctoris gratiæ), non verò ſatisfacere; ſiquidem tunc intelligitur debitum, quod debemus Deo ratione culpæ commiſſæ, cum debitum pœnitentia reſpiciat;

ſ 4. Et. c. 1.

t in Suppl. q. 12. a. 3.

In qua definitione nulla videtur neceſſitas ponendi ea, quæ poſuit Divus Auguſtinus, quando definivit ſatisfactionem; ſatisfacere eſt peccatorum cauſas excidere, & eorum ſuggeſtionibus aditum non indulgere; eò quia Div. Auguſtin. ſolùm definivit ſatisfactionem, ſecundum quod præſervat à culpa futura in qua definitione duo ponit, ſ. abſciſſionem cauſarum, quantum ad primum, nam remota cauſa removetur effectus, & ideò deſtructa cauſa peccandi tollitur effectus, qui conſequitur ad peccandum, & renitentia liberi arbitrii ad ipſum peccatum quantum ad ſecundum, juxta etiam illud *Concilii Trident.* (u) ſiquis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum non poſſe diſſentire, ſi velit, ſed velut inanime quodam, nihil omninò agere, mereque paſſivè ſe habere; anathema ſit. *Et Div. Tho.* (x) aſſignat duplicem cauſam peccati actualis, proximam, & remotam. Proxima duplex, ſ. interior; ut libido ex conſuetudine, vel actu peccati relicta, & ea, quæ dicuntur reliquiæ peccati; & exterior, ut exteriores occaſiones ad peccandum, ut locus, mala ſocietas, & hujuſmodi & tales cauſæ tolluntur in hac vita per ſatisfactionem; licet fomes, qui eſt cauſa remota peccati actualis, non tollatur totaliter in hac vita per ſatisfactionem; etſi debilitetur. Quod eſt *juxta illud, quod decrevit Concilium Tridentinum* (z) manere autem in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem hæc Sancta Synodus fatetur, & ſentit, quæ quidem cum ad agonem relicta ſit; nocere non conſentientibus, & viriliter per Ieſu Chriſti gratiam repugnantibus non valet, quinimò qui legitimè certaverint, coronabuntur.

u ſeſ. 6. c. 4.

x ib. a. 1.

z ſeſ. 5. a. 7.

Et quamvis ſatisfactio dicatur reſpectu offenſæ præteritæ, & de offenſa præcedenti nulla fiat mentio in definitione tradita Auguſtini, non per hoc poteſt dici, quod inconvenienter illa aſſignetur; cum *ut ait D Thomas* definitur etiam à Divo Auguſtino (z) ſatisfactio, ſecundum quod Deo fit, cui ſecundum rei veritatem nihil ſubtrahi poteſt, licet peccator, quantum in ſe eſt, aliquid ſubtrahat; hinc ergo eſt, quod in tali ſatisfactione principaliùs requiritur emendatio in futurum, quàm recompenſatio præteritorum, nihilominus tamen licet ex iſta parte definierit Auguſtinus ſatisfactionem, addit Divus Tho. quod ex cautela futurorum cognoſci poteſt recompenſatio præteritorum, quæ fit circa eadem diverſo modo. In præterito enim reſpicientes cauſas peccatorum propter peccata deteſtamur à peccatis incipientes deteſtationis motum: at in cautela à cauſis incipimus, ut cauſis ſubtractis, faciliùs peccata vitemus. Quapropter æquè bene videtur, quod definiatur ſatisfactio per hoc, quod dicitur, quod ſit peccatorum ſuggeſtionibus aditum non indulgere. Nec tollitur talis definitio per hoc, quod non indulgere aditum peccatorum ſuggeſtionibus reſpiciat futurum, & non præteritum. Nam cum ſatisfactio ſit pars pœnitentiæ, eò modò ſe habet, ſicut ſe habet pœnitentia; cum ergo pœnitentia, licet ex prima ſui inſtitutione reſpiciat præteritum, cum ſolùm de præteritis dolere debeamus, tamen etiam ex conſequenti reſpicit futurum; in quantum eſt medicina præſervans, ſic & ſatisfactio ex prima ſui inſtitutione habet reſpicere præteritum, nam nemo poteſt ſatisfacere de futuris, ex conſequenti verò reſpicit futurum, quia, ut diximus, eſt medicina curans peccata præterita, & præſervans à futuris; cum ergo ita ſit, rectè deducendum erit, eſſe pluſquam neceſſarium fidelibus, ut totis viribus ſtudeant exercere ſe in hoc, quod eſt ſatisfacere Deo pro culpis commiſſis in divinam ſuam bonitatem; at ne erremus

z ib. ad 1.

cum

Digitized by Google

cum impiis, ſciendum eſt, duo eſſe, quæ peccata conſequantur, *maculam ſcilicet*; *& pœnam*: & licet ſemper culpa dimiſſa ſimul & pœna, illa ſcilicet, quæ ad inferos deducit, condonetur, nihilominus tamen non ſemper contingit, ut Dominus peccatorum reliquias, & pœnam certo tempore definitam, quæ peccatis debetur, remittat. Hoc declaratum fuit *ex Conc. Trident.* a Seſſ. 14. cap. 6. (*a*) & de ſatisfactionis neceſſitate; Sancta Synodus declarat, falſum omninò eſſe, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino numquam remitti, quin univerſa etiam pœna condonetur.

Ad quod magis manifeſtandum adducuntur illuſtria, ac perſpicua exempla in Sacris literis reperta; In primis habetur *in Gen. de Adam*, b Cap. 3. (*b*) qui poſtquam ſatiavit ſe cibo vetito ſibi à Deo, Deus illi dixit, quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, ubi videtur, Deum condonaſſe illi culpam, ſed non remiſiſſe illi pœnam, ſcilicet temporalem, c Cap. 12. Habetur & *in lib. Num*: (*c*) de Maria uxore Aaron, quæ cum locuta fuiſſet contra Moyſen, Dominus veſtivit eam lepra, & tàm fortiter, ut medium carnis ejus devoratum fuiſſet à lepra; At Moyſes, cum eſſet vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra, clamavit ad Dominum illum obſecrando, ut ſanaret eam, qui dimiſſa culpa non ſtatim dimiſit pœnam, ſed aſſignavit ſpatium ſeptem dierum, dixit enim, ſeparetur ſeptem diebus extra caſtra, & poſtea revocabitur.

Habetur & illud præclariſſimum exemplum *de David*, d Libr. 2. cap. 12. cui etſi dixerit Nathan, Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, *commiſſum in Vriam Hethæum quem percuſſiſti gladio, & uxorem illius accepiſti in uxorem tibi, & interfeciſti eum gladio filiorum Ammon*, non morieris; ecce peccatum dimiſſum; non tamen dimiſſa fuit illi pœna temporalis, quia dixit Dominus, ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in oculis ſolis hujus. Et de facto e Ib. ca. 16. *legitur infra*, (*e*) quod Achitophel dixit ad Abſolon, ingredere ad concubinas Patris tui, quas dimiſit ad cuſtodiendum domum. Verumtamen non ceſſavit David clamare ad Dominũ implorando ejus auxilium toto corde, *dixit enim*, amplius lava me ab inquitate mea. Et quamvis ſciret tranſtuliſſet Dominum peccatum ſuum, attamen exorabat illum, ut ſimul cum crimine etiam pœnam crimine debitam condonaret: & tamen filius ex adulterio natus mortuus fuit, & Abſalon contra Patrem ſuum tumultuavit.

Etſi non ſint ſatis hæc exempla tempore antiquiori eventa, accedamus, quæſo, ad tempus noſtrum, & videſimus, quot, & quanta exempla adducere poſſemus: at quia longiùs eſſet illa enumerare, ideò relinquitur enarratio, benè tamen ponitur conſideratio, conſiderent ergo Patres filios ſuos, & filii eorum patres; illi conſiderent, quot mala fecerunt, & de malis ſuis quaſnam pœnas ſuſtinuerunt; nam privatio bonorum, infirmitates, carceres, & ſimilia mala illis evenerunt, quæ omnia ſub pœna temporali cadunt; conſiderent & filii, quomodo paternis bonis privati ſunt ex malis ab ipſis commiſſis; & quid privatio bonorum, niſi pęna tẽporalis? Conſiderent matres filias ſuas, & filiæ matres earum. Et videbunt, quomodo per concupiſcentiam ſuam, ſuperbiam, & ambitionem ex inani pulchritudine ortam filiæ ſuæ fame pereunt, & filiæ propter earum infamiam, matres ignominioſæ ſunt Mundo. Conſideret tandem unuſquiſque in quolibet ſtatu conſtitutus pœnalitates ſuas, & videbit, has omnes illis evenire propter peccata jam commiſſa. Et ne ab hujuſmodi experientia avertamus mentem noſtram ſtatuit, atque decrevit Concilium Trident., (*f*) anathema eſſe, ſi quis dixerit, totam pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper à Deo, ſatisfactionemque pœnitentium non eſſe aliam, quàm fidem, qua apprehendunt Chriſtum pro eis ſatisfeciſſe. Et rurſus definit, ſi quis dixerit, claves Eccleſiæ eſſe datas ſolùm ad ſolvendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes, dùm imponunt pęnas confitentibus, agere contra finem clavium, & contra inſtitutionem Chriſti, & fictionem eſſe, quod ſublata virtute clavium, pęna æterna, & pęna temporalis plerumque exolvendo remaneat; anathema ſit.

Super quæſtionem tertiamdecimam.

De ſatisfactionis Poſſibilitate.

QUis eſt homo ille, qui natus de muliere gloriari poteſt amicum ſe habere Deus profectò nullus, quoniam omnis, qui ex utero matris venit, in peccatis conceptus eſt, & in peccatis natus eſt totus: etenim infallibilis veritas eſt, quod omnes in Adam peccaverunt; Peccavit ipſe, & per ejus peccatum ingemuit tota humanitas ſub jugo ſervitutis, à quo numquam liberatus fuiſſet homo, niſi factus fuiſſet homo Verbum divinum in utero Virginis., Venit ergo in hunc Mundum, ut peccatores ſalvos faceret; propter quod & perfectè ſatisfacere voluit Patri ſeipſum offerendo hoſtiam æterno Patri placabilem, Quamvis, ut dicamus *cum Auguſt. de Trinitate*, iſtum modum, quo a Lib. 13. nos per mediatorem Dei, & hominum Chriſtum Jeſum, Deus liberare dignatur, aſſeramus bonum, & divinæ congruum dignitati; verùm etiam oſtendamus, non alium modum poſſibilem Deo defuiſſe, cujus poteſtati cuncta æqualiter ſubjacent, Perfectè igitur ſatisfecit filius hominis, & ejus ſatisfactio cum ſuperabundans fuerit, fuit & æquivalens ſecundum quantitatem; per hanc nullum debet eſſe dubium, quod homo ſatiſfacere nequeat Deo, cum impoſſibile ſit, ut homo reddat æquivalens ſecundum quantitatem; poſſibile tamen eſt, & hoc ſufficit, ut reddat homo, quod poteſt, & cui homo poteſt utique ſatisfacere Deo, quatenus tamen ly ſatis importat æqualitatem proportionis; ab amico namque non eſt petendum, quod exigat æquivalens, benè verò quod poſſibile eſt; unde homo quando de peccatore fit juſtus, fit conſequenter amicus Dei, vos amici mei eritis, *inquit veritas ipſa*, ſi feceritis, quæ præcipio vobis; præcepit namque, ut diligamus Deum, & mandata ejus obſervemus, relinquendo peccata, & quantam poſſibilitas noſtra permittit, ut pro peccatis noſtris ſatisfactionem reddamus ſecundum proportionalitatem; præcepit, ut adinvicem diligamus noſmetipſos, unde quid mirum, ſi in quantum duo homines ſunt unum in charitate, quod unus ſatisfacere poſſit pro alio ad remiſſionem pęnæ? ſatisfactio namque conſiſtit in actu exteriori, ad quem aſſumi poſſunt inſtrumenta, inter quæ computantur & amici, intellige tamen quoad ſolutionem debiti, quod ſatisfactio unius poſſit prodeſſe alteri.

Satisfacere Deo homo non poteſt, ſi ly *ſatis* æqualitatem quantitatis importet, bene verò ſi importet æqualitatem proportionis, quia hoc ſicut ſufficit ad rationem juſtitiæ, ita & ad rationem ſatisfactionis ſufficit; homo namque, ut *ait Div. Thom.*, (*b*) Deo du- b In ſupl. q. 13. art. 2. pliciter debitor efficitur; & ratione beneficii accepti, & ratione peccati commiſſi; & ſicut gratiarum actio, vel latria, vel aliquod hujuſmodi reſpicit debitum accepti beneficii, ita ſatisfactio reſpicit debitum peccati commiſſi; in his autem honoribus qui ſunt ad parentes, & Deum, impoſſibile eſt, reddere æquivalens ſecundum quantitatem, ſufficit tamen, quod homo reddat, quod poteſt, quia amicitia non exigit æquivalens, ſed quod poſſibile eſt; & hoc eſt etiam æquale aliqualiter, ſcilicet ſecundũ proportionalitatẽ: & ideò dicitur, quod per hoc ſatisfactio debet æquari offenſæ, quæ offenſa licet habuerit quamdam infinitatem ex divinæ majeſta-

tis

Digitized by Google

tis infinitate, ſic & ſatisfactio accipit quamdam infinitatem ex divinæ miſericordiæ infinitate, prout eſt gratia informata per quam acceptom redditur, quod homo reddere poteſt; Unde videtur, quod ſatisfactio debet æquari offenſæ, & eum huic offenſæ æquetur homo poteſt bene ſatisfacere Deo, hoc eſt debitum honorem illi impendere, quem nomen honorem debitum Deo nemo poteſt tribuere, niſi peccata omninò vitare conſtituat:

Et licet vitare peccata poſuit homo per liberum arbitrium, ex ſe tamen non habet ſufficientiam illa evitandi, cum omnis noſtra ſofficientia à Deo ſit, nihil igitur poſſumus ex nobis, quaſi ex nobis: ſicut etiam diximus cum *Concilio Tridentino* in principio hujus, & modo ſolùm addimus, occaſione accepta *ex illo Lucæ* (*c*) ſacite ſtuctus dignos pœnitentiæ, *videl. ut ſecundum qualitatem, & quantitatem culpæ ſit qualitas, & quantitas pœnæ*: non enim par debet eſſe fructus boni operis ejus, qui nihil, vel minus peccavit, & ejus; qoi gravius cecidit, fructus verò pœnitentiæ ex illo vim habent ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.

c cap. 3.

Ex quibus conſtat & ſatisfactionem eſſe in præcepto Quapropter *Hyeronimus dicit*, qui dicit Deum aliquid impoſſibile homini præcepiſſe, anathema ſit; poſſibile eſt ergo hominem Deo ſatisfacere, non tamen æquivalenter, benè verò ſufficienter. Sic legitur feciſſe Ninivitas, *de quibus habetur*, (*d*) & crediderunt viri Ninivitæ in Domino, & prædicaverunt jejunium, & veſtiti ſunt ſaccis à majori uſque ad minorem, & vidit Deus opera eorum, quia converſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quàm locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit. *Sic legitur feciſſe Achab, de quo habetur*; (*e*) & cum audiſſet Achab ſermones iſtos, ſcidit veſtimenta ſua; & operuerit cilicio carnem ſuam, jejoniavitque, & dormivit in ſacco, & ambulavit demiſſo capite. Et factus eſt ſermo Domini ad Eliam Thebiten dicens, nonne vidiſti humiliatum Achab coram me? qoia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus ejus; Ex quibus, & aliis locis rectè inferre debemus, quod ſatisfactionibus à Sacerdotibus injunctis poteſt homo Deo ſatisfacere, ſi Deus pœnitudinem eorum, & afflictiones ipſorum ſpontè ſuſceptus; clementia ſua, velut juſtam pœnæ temporali, (*quæ eorum ſceleribus debebatur*) ſatisfactionem admiſit; ideòque cohibuit flagellum, quod illis dignè inferrè meditabatur, multò magis ad ſatisfactiones hominum à confeſſariis injunctas ipſemet Deus talia operabitur: Qui tamen confeſſarii ſeire debent, quod determinavit circa ſatisfactiones imponendas *Concilium Tridentinum* (*f*) debent ergo Sacerdotes Domini, *habetur ex Conc.* quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere; ne ſi fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem.

d cap. Ionæ 3.
e 3. Reg. cap. 21.
f ſeſſ. 14. c. 8.

Et ſi diceretur, quod nullo modo homo poſſit ſatisfacere Deo, quia quidquid homo eſt, & poteſt, habet, non ſufficit ad exolvendum debitum pro beneficio creationis: Attamen *Div. Thomas* (*g*) ait, hoc ſolùm concludere, quod æquivalens ſatisfactio Deo fieri non poſſit, non verò quod non poſſit ei ſufficiens fieri: ſiquidem quamvis totum ſuum poſſe homo Deo debeat, non tamen ab eo exigitur de neceſſitate ſalutis, ut totum, quod poſſit, faciat; cum hoc ſit homini impoſſibile ſecundum ſtatum præſentis vitæ, ut totum poſſe ſuum in aliquid unum expendat; cum oporteat eum circa multum eſſe ſolicitum; ſed eſt quædam menſura homini adhibita, quæ ab eo requiritur, ſ. impletio mandatorum Dei; & ſuper hæc poteſt aliquid erogare, ut ſatisfaciat; maxime quia homo non ſe habet, ut ſervus, iſte enim non poteſt pro aliquo debito recompenſare, quia totum, qood habet, Domini eſt. Unde non eſt amplius in ſua libertate: homo verò aliquid libertatis participat, in quantum eſt Dominus ſuorum actuum per liberum arbitrium; & ideò agendo liberè per liberum arbitrium ſatisfacere Deo poteſt; Sic & deſumitur *ex Concilio Tridentino* (*h*) ſi quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas mala facere; ſed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permiſſivè ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe, ut ſit ejus proprium opus, non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli: anathema ſit. Et *Divus Thomas dicit*, (*i*) quod homo quamvis ſit Dei, prout eſt à Deo ſibi conceſſum; tamen liberè ei traditum eſt, ut ejus Dominus ſit: qood ſervo non competit, & ſic ſatisfacere poteſt pro ſe pro offenſa facta Deo.

g ib. ad 3.
h ſeſſ. 6 can. 6.
i ibid. ad 2.

Et dicitur ſatisfacere, in quantum quod aſſignatur illi pæna, per quam fit ipſa ſatisfactio. Vnde & pœna ſatisfactoria vocatur, quæ tamen pœna cum ſit ordinata & ad ſolutionem debiti, & ad medicinam pro peccato vitando, hinc eſt, quod quantum ad medicinam ſequentis peccati ſatisfactio unius, non prodeſt alteri, patet enim, quod ex jejunio unius caro alterius non domatur, nec ex actibus unius alius benè agere conſuevit, niſi ſecundum accidens, in quantum, ſcil. aliquis per bona opera poteſt alteri mereri augmentum gratiæ, quæ efficaciſſimum remedium eſt, ad vitandum peccatum. Verùm hoc eſt per modum meriti, magis, quàm per modum ſatisfactionis.

Diximus, In quantum *ſc. aliquis per bona opera poteſt alteri mereri augmentum gratiæ*, & hoc ſecundum accidens: eò quia *ut ait Divus Thomas*, (*l*) unus alteri non meretur præmium eſſentiale, niſi meritum ejus habeat efficaciam infinitam, ut Chriſti cujus ſolo merito pueri per baptiſmum ad vitam æternam perveniunt; cœterum pęna temporalis pro peccato debita poſt culpæ remiſſionem non taxatur ſecundum diſpoſitionem ejus cui debetur, quia quandòque ille, qui melior eſt, habet majoris pœnæ reatum, & ideò quantum ad pęnæ remiſſionem unus alteri poteſt mereri & actus unius efficitur actus alterius mediante charitate, per quam omnes unum ſumus in Chriſto; *ſic & Paulus ajebat ad Gal.* (*m*) alter alterius onera portate, ſatisfaciendo unum pro alio mediante charitate.

l In Suppl. q. 13. a. 2.
m cap. 6.

Verùm, ut diximus, *hoc magis ſe habet per modum meriti, quàm per modum ſatisfactionis*, ſolùm autem Chriſtus Dominus per merita ſua, & per ſatisfactionem propriam ſubjiciendo morti ſatisfecit pro omnibus nobis; quapropter damnandi ſunt, qui hoc negant, tamquam hæretici, ſicut *& illos damnat Concilium Tridentinum*, (*n*) qui aſſerunt pro peccatis, quod pœnam temporalem minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri pęnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, ſtatuit ergo, ſi quis dixerit pro peccatis quoad pęnam temporalem minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis, ſed neque ſpontè ſuſceptis, ut jejuniis, orationibus, elemoſynis, vel etiam aliis pietatis operibus, atque ideò optimam pœnitentiam eſſe tantùm novam vitam; anathema ſit.

n ſeſſ. 14. 13.

Concilium itaque enumerat illa tria opera ſatisfactoria, *jejunium*, *orationem*, *& eleemoſynam*, utpotè quia omne genus ſatisfactionis, ad illa tria referendum eſt, quoniam reſpondet hæc tria tribus bonis *animæ*, *ſ. corporis & externorum*, unde nihil aptius, nihil convenientius ad extirpandas omnium peccatorum radices eſſe poteſt; de quibus profectò loquendo *Io: dixit* omne, quod eſt in Mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ. Ideò contra iſtas tres radices ordinantur tres partes ſatisfactionis, ut hiſce morbis cauſis totidem opponantur medicinæ. *Sic ſentit*, *& Divus Thomas*, *dum*

ait

Digitized by Google

ait, eleemoſyna contra oculorum concupiſcentiam, oratio contra ſuperbiam vitæ; jejunium contra concupiſcentiam carnis. Pariter quia in Deum peccatur, in proximum, & in noſmetipſos, hinc eſt, quod oratione Deum placamus, eleemoſyna proximo, quem offendimus, ſatisfacimus, & jejunio noſmetipſos caſtigamus.

Unde prima pars ſatisfactionis eſt eleemoſyna (& meritò prima ponitur, ſiquidem inter charitatis effectus præſtantiſſimum eſt eleemoſynarum opus;) hæc enim, *inquit Tobias*, (o) ab omni peccato, & à
o cap.4. morte liberat; & non patietur animam in tenebras ire. Sicut *Daniel ad Nabuchodonoſor* dixit (p) peccata tua
p cap.4. eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum. *Et Eccl.* (q) eleemoſyna reſiſtit pecca-
q cap.29. to: In quantum, ſc. largitur proximo, quod illi debetur. Nam de hac largitione per quam exhibemus aliquod temporale ſubſidium propter Deum, loquimur, utpotè quia ſequimur dictum Domini *Lucæ* dicentis, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. *Et dictum Ambroſii, qui dixit*, paſce morientem fame, & niſi paveris, occidiſti; hæ ſunt
r cap. 11. veræ eleemoſynæ, ſi verè fiant, hoc eſt non exiſtentes in peccato mortali; eò quia permanentes in peccato mortali etſi eleemoſynas largè fiant, non tamen per eas ſatisfaciunt, quia inordinatè agunt, qui à ſe non incipiunt. *Hinc Eccl.* 29. miſerere animæ tuæ placens Deo.

Secunda pars ſatisfactionis eſt *jejunium*, de quo *di-*
s cap. 12. *citur in Tobia* (ſ) bona eſt oratio cum jejunio, hoc eſt ab abſtinentia, non illa corporis à cibo materiali, nec illa afflictionis à gaudio temporali, ſed illa à peccato mortali, nam parum homini proficit jejunare à cibo, niſi jejunetur à peccato; primum namque jejunium eſt abſtinere à peccato. Hinc *Iſaias* in perſona jejunantium dixit, quare jejunavimus, & non aſpexiſti, humiliavimus animas noſtras, & neſciſti? Et in perſona Dei reſpondit. Ecce ad lites, & contentiones jejunatis, & percutite pugno impiè. Numquid tale eſt jejunium, quod elegi affligere hominem animam ſuam, eò quia quid prodeſt homini jejunare, & orare, & alia religionis opera agere, ſi poſtea mens ab iniquitate non revocetur. Unde *Iſ.* ſubdit per os
t cap 58. Domini. Nonne hoc eſt magis jejunium, quod elegi? diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti ſunt, liberos, & omne onus dirumpe.

Tertia pars ſatisfactionis eſt oratio, quæ à *Damaſc. definitur.* Oratio eſt pius affectus mentis in Deũ tendens vel congeries vocum in Deum tendentium; immò ſecundum eumdẽ dicitur aſcenſus in Deum mentis: per hanc aſcendimus in Deum, & à terrenis ad cæleſtia levamus *Eccl.* (u) oratio humiliantis ſe nubes penetrabit; per hanc intendimus magis nos ad Deum levare, & noſtram voluntate ſuo beneplacito conformare. Exemplum nobis præbuit Chriſtus Dominus, qui orando ad Patrem hunc ſermonem habuit; non ſicut ego volo, ſed ſicut tu; quibus in verbis exprexit motum ſuperioris rationis omnia conſiderantis prout ſub ordinatione divinæ ſapientiæ continentur.

Inter has tamen ſatisfactionis partes potior eſt eleemoſyna, nam continet in ſe tàm virtutem orationis, quàm jejunii, etenim eleemoſyna eſt quædam oblatio facta Deo, quæ vim orationis habet, et inſtituit eum, cui datur, debitorem ad orandum pro eò, qui dedit. Hinc *Eccl.* conclude eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Pariter eleemoſyna continet jejunium, in quantum per illam bona exteriora, quæ ad corporis ſuſtentationem pertinent, diminuuntur. Unde in Iſa. legitur capit. cit. Nonne hoc eſt magis jejunium, quod elegi? frange eſurienti panem tuum, & egenos, vagoſque induc in domum tuam; cum videris nudum, operi eum.

Sed ad nos, *diximus namque, quod unus alteri poteſt mereri quantum ad remiſſionem pœnæ, & ſic pro alio ſatisfacere mediante charitate.* Cui non obſtat, quod unus non poſſit confiteri pro alio, ſicut nec conteri, quamvis poſſit poſtea ſatisfacere; nam eſt diſpar ratio, *ait Divus Thomas*, (y) contritio enim ordinatur contra cul-
pam, quæ ad diſpoſitionem bonitatis, vel malitiæ hominis ſpectat; & ideò per contritionem unius alius à culpa non liberatur, & pariter per confeſſionem homo ſe Sacramentis Eccleſiæ ſubjicit, unde non poteſt unus Sacramentum pro alio accipere, quoniam in Sacramento gratia ſuſcipienti datur, non aliis. At Satisfactio poteſt utique pro alio fieri, cum poſſit quis per bona opera alteri mereri augmentum gratiæ, & quantum ad ſolutionem debiti mediante charitate, quæ magis poteſt apud Deum, quàm apud homines, & cum unus apud homines poſſit pro amore alterius debitum ejus ſolvere, multò fortiùs hoc in divino judicio fieri poteſt; licet hoc non ſit permittendum, quod aliquis pro alio pœnitentiam agat, niſi defectus aliquis appareat in pœnitente, vel corporalis, per quem ſit impotens ad ſuſtinendum, vel ſpiritualis, per quem non ſit promptus ad portandam pœnam. Concludamus ergo cum *Div. Thom.* quod quantum ad ſolutionem debiti unus pro alio poteſt ſatisfacere, dummodo ſit in charitate, ut ejus opera ſatisfactoria eſſe poſſint; & rationabiliter, quia hoc ſe præcipuum in ſatisfactione, ut is, qui ſatisfacit, juſtus ſit, & amicus Dei; nam opera, quæ ſine fide, & charitate fiunt, nullo modo grata Deo eſſe poſſunt. y ib. ad 2.

Ex quibus etiam ſequitur dicendum, ſuppoſito, ut unus pro alio ſatisfacere poſſit quantum ad ſolutionem debiti, dummodo in charitate ſit, non per hoc tamen major pœna imponenda eſſet ei, qui pro alio ſatisfaceret, quàm principali imponeretur, eò quia pœna maximè habet vim ſatisfaciendi ex charitate, qua homo ipſum ſuſtinet; ſed potius minor pœna requiritur in eo, qui pro alio ſatisfacit, quàm in principali requireretur ob majorem charitatem, quæ in illo reducere videtur.

Et hoc eſſe verum non dubitatur, cum legatur in Vitis Patrum, quod propter charitatem unius, qui alterius fratris ſui charitate ductus; pœnitentiam fecit pro peccato, quod non commiſerat, dimiſſum eſt etiam ei. Sicut non dubitari debet, ait *Divus* z ib. ad 3.
Thomas (z) quod qui pro alio ſatisfacit, non ſatisfacit etiam pro ſe, nam illa quantitas pœnæ non ſufficit ad utrumq; peccatum tamen ſatisfaciendo pro alio ſibi meretur aliquid majus, quàm ſit dimiſſo pœnæ, ſc. vitam æternam. Pariter indubitatum eſt, quod ſi quis ad aliquam pœnam ſe obligaſſet, non prius eſſet à debito immunis, quàm ſi eam ſolviſſet, ac proinde pœnam ipſe patietur, quamdiù ille ſatisfactionem pro eo fecerit, quàm ſi non fecerit, tunc uterque eſt debitor illius pœnæ, unus pro commiſſo, & alius pro omiſſo. Ex his *Div. Tho.* (a) docet, in-
ferendum non eſſe, quod peccatum unius bis puniatur: manifeſtum eſt.n. quod tunc duplex eſt ratio peccati, adeòque debetur etiam duplex pœna. Subdit tandem *Div. Th.* non exigitur quoad ſolutionem debiti, quod ille, qui pro alio ſatisfacit, ſit impotens ad ſatisfaciendum, eò quia etiam ſi eſſe potens, alio ſatisfaciente pro ipſo, ipſe à delicto eſſet immunis; verùm hoc requiritur, in quantum pœna eſt ſatisfactoria in remedium. De cœtero benè attendendum eſt, non eſſe permittendum, quod aliquis pro alio pœnitentiam agat, ut diximus. a ib. ad 4. b ib. eod.

Super Quæſtionem Quartam Decimam.

De Qualitate ſatisfactionis.

HOmo, ut totam perfectionem ſibi debitam habeat, opus eſt, ut non ſolùm conſtitutus ſit ex anima, quæ immediatè creatur à Deo, ad differentiam animarum aliorum animalium, quæ educuntur de potentia materiæ, & ex corpore, quod

Digitized by Google

generatur ex virtute ſeminis à Patre emiſſi, & à matre ſuſcepti, illud fovente, à qua conſervatur, ut proles generetur. Verùm etiam oportet, ut habeat omnia ea, quæ ad integritatem corporis neceſſaria ſunt: hinc eſt, quod olim in lege ſcripta prohibebatur, ne Sacerdotes ad altare accederent, illi tamen, qui habebant aliquam maculam in corpore, vel corporalem defectum, vel aliquã mutilationem membrorũ, & ideò *nec gibbus, nec torto naſus, nec cęcus, nec claudus, nec mutilatus* etiam in parte minima poterat ſacrificiũ offerre non ob aliud, niſi quia perfectione corporali carebat. Si hoc de perfectionis corporalis carẽtia dicitur, quãtò magis de perfectione ſpirituali dicendum erit? Quomodo igitur poterit dici ille verè pœnitens, ſi contritionem non haberet de peccatis ſuis, ſi non confiteretur omnia peccata mortalia, quæ ad integritatem confeſſionis requiruntur, ſi præſumeret ſatisfacere de uno peccato, & non de omnibus! certè quod & pœnitens non erit, & virtute pœnitentiæ carebit, & Sacramentum pœnitentiæ non ſuſcipiet; ob carentiam partium integralium ad hoc Sacramentum ſpectantium; de cujus ratione gratiam conferre eſt, quæ proculdubio aufertur per quodlibet peccatum mortale; unde quomodo poterit aliquis ſatisfacere de uno, vel pluribus peccatis, & non de alio? Quænam ſatisfactio erit iſta, quam aliquis aſſumeret faciendam, ſi furatus fuerit decem, & præſumeret de quinque ſatisfacere? & ſi commiſerit adulterium, & homicidium, ſatisfacere de adulterio, & non de homicidio? nulla propemodum, quia imperfecta. Nec præſumat verè ſatisfacere de omnibus, quæ jam per præcedentem contritionem remiſſa fuerunt, ſi antequam de illis ſatisfaciat, in peccatum incidat, cum jam careat charitate, ſine qua opera facta non ſunt ſatisfactoria; nec redduntur ſatisfactoria etiam poſtquam homo charitatem habeat, quaſi ſunt opera extra charitatem facta, unde cum mortua ſint, non vivificantur etiam per pœnitentiam, & cum non vivificentur, nec incipiunt eſſe ſatisfactioria; quia extra charitatem facta, quæ etiam non ſunt meritoria ex condigno neque æterni, neque temporalis alicujus boni apud Deum; quamvis, ut bonitas divina in omnibus reſplendeat, ex merito congrui dicatur aliquis mereri aliquod bonum per opera extra charitatem facta; Verumtamen hoc meritum non propriè dicitur meritum. Quæ opera extra charitatem facta habent minuere pœnam inferni, nam homo reatum omiſſionis evadit, quia hujuſmodi opera perficit; & etiam quia hujuſmodi opera aliquo modo ad bonum diſponunt, ut homo ex minori contemptu etiam peccata faciat, vel etiam à multis peccatis per hujuſmodi opera retrahatur; attamen nec fortificatur, ut melius ſuſtinere poſſit, cum culpa non minuatur; nec diminuitur pœna quantum ad vermen ſcilicet conſcientiæ; eo quia ſicut pœna ignis æquatur culpæ, ita & pœna remorſionis conſcientiæ, unde ſicut illa erit æterna, ita & vermis conſcientiæ; ſicut *legitur in Mar.*, *(a)* ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

a Cap. 9.

Satisfactio, *ut jam vidimus*, eſt medicina curans peccata præterita, & præſervans à futuris, & hoc mediante gratia, ſive qua peccata vitari non poſſunt, *juxta illud, quod Concil. Trident. ſtatuit*, *(b)* ſi quis dixerit, poſſe in tota vita peccata omnia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, anathema ſit; Quapropter dicimus, quod quodlibet peccatum actuale mortale aufert gratiã, & conſequenter manifeſtum etiam erit, quod non poteſt homo de uno peccato ſine alio ſatisfactionem facere, & hoc *juxta D. Thom. docentem*, *(c)* quodlibet peccatum amicitiam charitatis impedit, quæ eſt hominis ad Deum; & hinc eſt, quod impoſſibile eſt, ut homo de uno peccato ſatisfaciat, alio retento. Nam impoſſibile eſt, quod ſit fidelis Chriſto Domino, dùm ſub ſervitute diaboli vivit per peccatum. Hujus veritas habetur manifeſta *ex illo Matt.*, *(d)* nemo poteſt duobus Dominis ſervire, aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſervire, & mammonæ, hoc eſt, *nemo poteſt Deo, & appetitu diabolica conformæ ſatisfacere*; quod ſanè eſt uno peccato velle ſatisfacere, alio retento. Quod & facit illud, quod legitur *in lib. Regum*, *(e)* quando Elias dixit ad populum. Uſquequò claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum; ſi autem Baal, ſequimini illum; per hoc enim voluit demonſtrare populo, quod rem inconvenientem, & impoſſibilem facere conatur; dùm & Domino Deo adhærere vult, & à diabolo ſimul non vult diſcedere.

b Seſſ. 6. can. 23.

c in ſuppl. q. 14. art. 1.

d Cap. 6.

e Lib. 3. Reg. 18.

Quod videtur etiam evidenter ex differentia, quæ reperitur inter commiſſionem peccatorum, & remiſſionem eorumdem. In tantùm enim unum peccatum quis incurrere poteſt ſine alio, in quantum peccata non habent connexionem adinvicem in aliquo uno, quannam namque habet connexionem ſacrilegium cum homicidio, vel homicidium cum fornicatione in aliquo uno ſecundum propriam rationem? certè nullum. Cęterum unum, & idem eſt, ſecundum quod omnia peccata remittuntur, adeóque remiſſiones peccatorum connexæ ſunt.

Ex quo ſequitur, quod de uno ſine alio ſatisfactio fieri nequit: eſſet enim ridiculum, quod homini ſatisfaceret, qui pro alapa ei data, eum proſterneret, & aliam ſimilem daret; quidnam modus ſatisfactionis eſſet iſte? Unde *Div. Thom.* *(f)* ad hoc, quod per ſatisfactionem offenſa tollatur, non ſolùm oportet, quod Æqualitas juſtitiæ reſtituetur per recompenſationem talis pœnæ, ſed etiam quod reſtituatur æqualitas amicitiæ, quod nequit fieri, dùm aliquid eſt, quod amicitiam impediat; amicitia ergo erga Deum tunc impeditur, quando homo adhuc in peccato perſeverat, & tunc etiam in peccato perſeverans eſt, quando adhuc retinet unum, vel aliud; qua de cauſa definiendo ſatisfactionem diximus, quod *eſt peccatorum cauſas excidere, nec eorum ſuggeſtionibus aditum indulgere*. Et ſi quis luxuriam refrænet, & avaritiæ inſiſtat; quomodo peccatorum cauſas excidit. Unde *bene Gregorius*, *(g)* unum peccatum ſuo pondere ad aliud trahit, *Et Div. Thom.*, *(h)* qui unum peccatum retinet, non ſufficienter cauſas alterius peccati excidit.

f Ib. art.

g Lib. 9. mor. cap. h Ib. art.

At ſicut homo non poteſt ſatisfacere de uno peccato ſine alio, quia habet aliquid, quod amicitiæ reſtitutionem impedit, hoc eſt peccatum, quod impedit amicitiam charitatis, ita nec ille, qui de omnibus peccatis contritus fuit prius, & poſtea in peccatum incidit, de aliis peccatis, quæ ſibi per contritionem dimiſſa fuerunt, ſatisfacere poteſt extra charitatem exiſtens, quia *juxta Div. Thom.* *(i)* in ſatisfactione oportet, quod amicitia reſtituta etiam juſtitiæ æqualitas reſtituatur, cujus contrarium amicitiam tollit. Æqualitas verò in ſatisfactione ad Deum non eſt ſecundum æquivalentiam, ſed magis ſecundum acceptationem ipſius; & ſic oportet, quod etiam ſi jam offenſa ſit dimiſſa per præcedentem contritionem, quod opera ſatisfactoria ſint Deo accepta, quod dat eis charitas, ideóque concludit, opera ſine charitate facta non eſſe ſatisfactoria. Scire namque debemus, quod Chriſtus Dominus propter ſuam nimiam charitatem, qua dilexit nos, pro nobis dolens ſatisfecit in ara Crucis æterno Patri. Quare ergo & nos ſatisfaciendo Deo, & Chriſto Domino noſtro pro peccatis noſtris charitate careremus? forſan erit, qui dicet, ſatisfecit pro nobis Chriſtus, quod ſufficit, ut nos non ſatisfacere debemus, falſitas hæc eſt: quæ etiam, ut videbimus, damnatur à *Concil. Trid.* ſicut veritas eſt iſta, quod Chriſtus ſatisfecit pro nobis, ut ſatisfactiones noſtræ ad ipſius exemplum fierent, ut ipſius ſatisfactionis vim haberent, ad hoc ut acceptarentur à Patre. Unde *Conc.* ait, accedit ad hæc, quod dùm ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Jeſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur, &c. Neque noſtra ita eſt ſatisfactio hæc, quam pro peccatis noſtris exolvimus, ut non ſit per Chriſtum Jeſum &c., ut diximus in principio de ſatisfactione.

i In ſuppl. q. 14. art. 1.

l Seſſ. 14. c. 8.

Quale autem ſit præcipuum opus in ſatisfactione,

dixi-

Digitized by Google

diximus, eſſe eleemoſynam, quia cum iſta non valeat extra charitatem, habetur enim *ex Paulo*, (*m*) ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt; ſic & ſatisfactio non erit aliqua cum peccato mortali. Quo pacto intelligitur & illud *Danielis de Nabuchodonoſor*, peccata tua eleemoſynis redime, ut ſcilicet *ceſſaret à peccato*, & *peniteret*, & *per eleemoſynas ſatisfaceret*. Hoc dicitur, ut habeatur tanquam certum, quod eleemoſyna extra charitatem facta non valet, ergo requiritur charitas, ut opera ſatisfactoria reddantur: at quia charitas non eſt, ubi moratur peccatum mortale, hinc eſt, quod qui in peccato mortali ſunt, charitatem non habent; ergo qui charitatem non habent, de certo ſcire debent, quod ordo digni ſunt.

m 1 Cor. cap. 13. — n Cap. 4.

Verùm non de omnibus ſic dicendum eſt, etiamſi optime dicat *Eccl.*, (*o*) nemo ſcit, utrum amore, vel odio dignus ſit, *quantum ad electionem*, & *prædeſtinationem*. Ex quo nec deduci debet, quod ſi non poſſit fieri ſatisfactio, niſi ab eo, qui eſt in charitate, nullus ſciret, ſe ſatisfeciſſe; ſiquidem in charitate eſt, qui quantum eſt de ſe & contritionem, & ſatisfactionem fecit de peccatis ſuis, & de illis ſatisfactionem facere intendit: ultrà hoc etiam requiritur, quod non ſolùm debet intendere peccata præterita curare, ſed etiam præſervare à futuris, aliàs, ut docet *Div. Thom.*, (*p*) intenta interrupta eſſet per peccatum ſequens, unde non daret vim aliquam operibus poſt Peccatum facit, quæ opera per peccatum, ſive extra charitatem facta non poſſunt vivificari per pœnitentiam, ita nec poſſunt incipere eſſe ſatisfactoria, & conſequenter nec eſſe Deo accepta, quia non ſunt informata charitate, nec ſatisfactoria eſſe poſſunt, quia carent charitate formata; ergo quomodo opera facta extra charitatem, vel quæ nullo modo ex charitate proceſſerunt, vel de cætero procedere poſſunt inter ſatisfactionem computari? certè numquam. Idcircò maledicebant illi, qui volebant, quod per charitatem ſequentem opera extra charitatem facta vivificentur quantum ad hoc, quod ſint ſatisfactoria, non verò quantum ad hoc, quod ſint meritoria vitæ æternæ. Siquidem, *ut ait Div. Th.* (*q*) ſicut charitas adveniens non poteſt opera extra charitatem facta grata facere quantum ad hoc, quod ſint meritoria vitæ æternæ, ita nec quantum ad hoc quod ſint ſatisfactoria.

o Cap. 9. — p Ib. ad 3. — q in ſuppl. q. 14. ar. 1.

Diximus, *nec quantum ad hoc*, *quod ſint ſatisfactoria*, quia cum totaliter tranſierit actus ille, per quem opera illa reddantur ſatisfactoria, numquam talia fieri poſſunt; ſed opus eſt, ut iterentur. Quod totum manifeſtat *Div. Thom.*, (*r*) dùm aſſignat & aliquas ſatisfactiones, ex quibus manet effectus aliquis in ſatisfacientibus, etiam poſtquam actus ſatisfactionis tranſiit; ſicut ex jejunio manet corporis debilitatio, & ex eleemoſynarum largitione ſubſtantiæ diminutio. Et tales ſatisfactiones in peccatis factæ, non oportet, ut iterentur, quia quantum ad hoc, quod de eis manet, per pœnitentiam Deo acceptæ ſunt; ſicur per pœnitentiā ſequentem hujuſmodi opera præcedentia ſatisfaciendi efficaciam accipiunt. Et alias ſatisfactiones aſſignat, quæ non relinquunt aliquem effectum in ſatisfaciente, poſtquam actus tranſiit, & hæ, oportet, ut iterentur, ut orationes, & hujuſmodi; unde ſubdit, actus interior, quia totaliter tranſiit, nullo modo vivificatur, ſed ut iteretur, oportet. Ex quibus *Concil. Trid.* (*ſ*) aſſumpſit fundamentum determinandi, & ſtatuendi. Determinavit namque; adverſus etiam hominum quorumdā callida ingenia, qui per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentium, aſſerendum eſt, non modo infidelitate, per quam & ipſa fides amittitur, ſed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam juſtificationis gratiam amitti, & hoc quia per peccatum mortale à Chriſti gratia ſeparantur. *Statuit*, ſi quis dixerit, nullum eſſe peccatum mortale, niſi infidelitatis; aut nullo alio, quantumvis gravi, & enormi, (præterquam infidelitatis) peccato, ſemel acceptam gratiam amitti; anathema ſit.

r Ib. ad 1. — ſ Seſſ. 6. ca. 15. — t Ib. can. 27.

Diximus cum *Div. Th.* *quod charitas adveniens non poteſt opera extra charitatem facta grata facere quantum ad hoc, quod ſint meritoria vitæ æternæ*, ſiquidem cum *eodem Div. Thom.* volumus, quod opera extra charitatem facta non ſint alicujus boni meritoria. Et ut à nobis hoc intelligendum ſit, duplex meritum aſſignatur, aliud de condigno, & aliud de congruo. Primum actus ille, per quem efficitur, ut ipſe agens habeat debitum recipiendi, & vocatur meritum condigni. Secundum actus ille, per quem efficitur, ut ſit debitum dandi in dante ſecundum decentiam ipſius, & vocatur meritum congrui: Cum ergo in omnibus illis, quæ gratis dans prima ratio dandi ſit amor, impoſſibile eſt, quod aliquis propriè ſibi debitum faciat, qui amicitia caret: quapropter cum omnia, & temporalia, & æterna ex divina liberalitate nobis donentur nullus acquirere poteſt debitum recipiendi aliquod illorum, niſi per charitatem ad Deum. Sic habemus *Paulum dicentem ad Corint.*, (*x*) ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam; & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Et ideò benè ſequitur quantum ad hoc, quod opera extra charitatem facta non ſint meritoria de condigno neque æterni, neque temporalis alicujus boni apud Deum. Quod confirmat *Div Thom.* (*y*) dicendo, nullum opus noſtrum ex quantitate ſuæ bonitatis habet, quod aliquid meretur, ſed habet ex vi charitatis, quæ facit ea, quæ ſunt amicorum eſſe communia. Unde quantumcumque ſit opus bonum extra charitatem factum, non facit propriè loquendo in homine debitum aliquod à Deo recipiendi: At opus malum, (ecce quod ponitur differentia inter utrumque opus) ex quantitate ſuæ malitiæ ſecundum æquivalentiam meretur pœnam, cum ex parte Dei non ſint nobis aliqua mala facta, ſicur bona, & ideò quamvis opus malum mereatur pœnam de condigno, non tamen opus bonum ſine charitate meretur ex condigno præmium. Subdit tamen *D. Th.* quia divinā bonitatem decet, ut ubicumque diſpoſitionem inveniat, perfectionem adiiciat, juxta illud, quod diximus *cum Concil. Trident.*, quamvis ſine Sacramento pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit. Cum ergo opera alia extra charitatem facta diſponant ad gratiam, à fortiori ad bonorum operum aſſuetudinem, & ad bonorum temporalium adeptionem valebunt & *D. Thom.* ideò ex merito congrui dicitur aliquis mereri aliquod bonum per opera bona extra charitatem facta, & ſecundum hoc opera iſta ad triplex bonum valent, ſcilicet *ad temporalium conſecutionem*; ut de obſtetricibus legitur *Exod.*, (*z*) & quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificavit eis domos; & de Rege Babylonis habetur *in Ezech.* (*a*) Fili hominis, Nabuchodonoſor Rex Babylonis ſervire fecit exercitum ſuum ſervitute magna adverſus Tyrum, & merces non eſt reddita ei, neque exercitui ejus de Tyro pro ſervitute, qua ſervivit mihi adverſus eam. Propterea hæc dixit Dominus Deus. Ecce ego dabo Nabuchodonoſor Regem Babylonis in terra Ægypti, & accipies multitudinem ejus, & deprædabitur manubias ejus, & diriget ſpolia ejus, & erit merces exercitui illius. Et operi, quo ſervivit mihi, adverſus eam, dedi ei terram Ægypti pro eo, quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus. Ecce ergo quomodo videtur manifeſtum ex his Sacris locis, quod opera tùm obſtetricum, tùm regis Babylonis, quamvis eſſent facta extra charitatem, meruerunt tamen de congruo & rerum temporalium abundantiam, & prolis fœcunditatem, & terram Ægypti.

u in ſuppl. q. 14. ar. 4. — x 1 Cor. cap. 13. — y Ib. ad 1. — z Cap. 1. — a Cap. 29.

Ad diſpoſitionem ad gratiam, ut diximus *cum Concil.* (*b*) ex quo habetur, cum enim Chriſtus Jeſus, tanquam caput in membra, tanquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus, bona eorum opera ſemper antecedit, comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſent. *Et ad aſſuefactionem bonorum operum*; at quia hoc meritum non propriè dicitur meritum,

b Seſſ. 6. c. 16.

ideò magis concedendum eſt, quod hujmodi opera non ſint alicujus boni meritoria, quàm quod ſint. Quia licet diſponant ad gratiam, tamen hoc de materiali ſe habet cum diſpoſitio ad cauſam materialem ſpectet, & quia iſta eſt imperfecta, nomquam id, quod fit per eam, ad ſtatum perfectum reduci poteſt, donec perficiatur per cauſam formalem.

Verùm quamvis illa opera, non ſit meritoria, non per hoc tollitur, quo talia opera non valeant ad pœnæ
b ſeſſ. 9. c. 30. infernalis mitigationem, Hinc *D. Th.* (c) pœnæ inferni mitigari non poteſt, per opera extra charitatem facta, quæ neque culpam tollere, neque diminuere poſſunt manifeſtum eſt enim, quod nemo poteſt liberari à pœna, niſi ſit abſolutus à culpa. De cætero pœnam infernalem diminuere intelligi poteſt hoc pacto, ita
b in Supl. q. 14. a. 5. ut meritum pœnæ impediatur, *& ideò docet D. Thom.*, quod hujuſmodi opera pœnam inferni minuunt; tùm quia homo reatum omiſſionis evadit, qui hujuſmodi opera perficit. Tùm quia hujuſmodi opera aliquo modo ad bonum diſponunt, ut homo ex minori contemptu peccata faciat, atque etiam à multis peccatis per talia opera retrahatur. Non poſſent verò minuere pœnam inferni talia opera, ſi non deſervirent ad Dei cultum.

Si autem hujuſmodi opera hoc faciant, quid facient opera illa in charitate facta? Certè, quod mediante gratia, & mediantibus meritis Chriſti reducent nos ad viſionem beatam; ergo tollat unuſquiſq; de corde ſuo eſſe figmenta hominum inducere homines ad pœnitentiam, ut quantum eſt de ſe, poſſit ſatisfacere Deo pro culpis commiſſis; ſic & *Concilium Tridentinum* (d) cer-
d ſeſſ. 14. can. 14. tificat nos damnando illos, qui oppoſitum ſentiunt. Si quis dixerit, ſatisfactiones, quibus pœnitentes per Ieſum Chriſtum peccata redimunt non eſſe cultum Dei, ſed traditiones hominum: doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipſum beneficium mortis Chriſti obſervantes; anathema ſit.

Super Quæſtionem Quintam Decimam.

De iis, per quæ fit ſatisfactio.

DEus cum ſit juſtus judex; & rectum judicium ejus, hinc ſequitur, quod juſtitia Dei, & ejus rectum judicium omni eſt metuendum peccanti. Propterea & flere fletu magno debet peccator, cum in Deum redemptorem ſuum peccaverit, ne fortè ita Dei veniat ſuper illum; Exemplum de Petro, qui in Magiſtrum ſuum peccando, dùm illum ter negavit, flevit, ſed amarè, & propter amaritudinem doloris recuperavit, quod perdiderit, nempe gratiam, quam amplius non amiſit.

Quapropter etſi antequam peccator evaderet, veluti jactanter dixerit ad Ieſum, tecum paratus ſum & in carcerem, & in mortem ire, nihilominus tamen poſt negationem omnia hæc in executionem mandavit, ut pleniùs ſatisfaceret; nam & quot carceres ſanctificavit, quot catenas decoravit, quot tormenta ſuſtinuit, quod maledicta toleravit, *jam ex D. Joanne Chriſoſtomo audivimus.* Flevit & Magdalena, quando acceſſerit ad pedes Domini Ieſu, quia peccatrix erat, & quamvis miſericorditer remiſſa fuerint peccata, attamen à lachrymis non ceſſabat, ſicut nec ceſſavit toto tempore vitæ ſuæ, ita ut verè dicatur de iſta, quod ſit ſpeculum pœnitentiæ.

Exempla, quæ ferè ab omnibus miranda conſiderantur, ſed non omnes, at quod mirabiliùs eſt, nec pauci illa imitantur, & hoc fortè contingit, quia ubi ſuperabundavit iniquitas, jam refrigeſcit charitas; proptereà diximus, quod opera, quæ ſine charitate fiunt, nullo modo Deo grata eſſe poſſunt, ac proinde nec ſatisfactoria, ut autem ſatisfactoria reddantur, oportet, ut moleſtiam, & dolorem afferant non cum dilectione ſiquidem, cum præteritorum ſcelerum compenſationes ſint, & *ut notat Cyprianus Martyr* redemptrices peccatorum, neceſſarium eſt, ut aliquid acerbitatis habeant. Oportet igitur fieri ſatisfactionem per opera pœnalia; cum oporteat ad hoc; quod recompenſatio fiat, ut aliquid ſubtrahatur de peccante per ſatisfactionem, quod in honorem Dei cedit, quæ ſubtractio nequit fieri per opus bonum, niſi pœnale ſit; ac per conſequens, ad hoc quod aliquod opus ſit ſatisfactorium, oportet quod ſit bonum, in honorem Dei, & pœnale, ut aliquid peccatori ſubtrahatur. Qui etſi patiatur aliquid mali, hoc malum cogitare debet, quod, pro peccatis ſuis à Deo infligitur; etenim flagellum medicamentum eſt contra peccata; patienter itaque ſufferenda ſunt, quæ juſtè pro peccatis patitur, & cogitetur, quomodo ſatisfactio facienda ſit, ad quam implendam, oportet, ut per ipſam aliquid ſubtrahatur ad honorem Dei; & cum non habeantur, niſi tria bona, bona animæ, bona corporis, & bona fortunæ, quæ exteriora ſunt; de iſtis ſubtrahatur aliquid per eleemoſynam, de bonis corporalibus per jejunium, de bonis animæ per orationem humiliando, & ſubmittendo animas noſtras Deo.

Satisfactio, ut conſtat ex ipſa definitione tradita à Divo Anſelmo, & ex illa à Div. Aug. habet reſpectum & ad præteritam offenſam, pro qua recompenſatio fit per ſatisfactionem, & ad futuram culpam, à qua per eam præſervamur, hinc eſt, quod ſive dicat reſpectum ad præteritam offenſam, ſive ad futuram cul-
pam, exigitur neceſſariò, quod ſatisfactio fiat per o- e l. 4. 21.
pera pœnalia, *ſicut & ipſe Gregorius teſtatur in Mor* (a) juſtum eſt, inquit; ut peccator tantò majora ſibi inferat lamenta per pœnitentiam, quantò majora ſi-
bi intulit damna per culpam, & *D. Thomas*, (b) re- b In Supp. q. 15. a. 1.
compenſatio offenſæ importat adæquationem, quam oportet eſſe ejus, qui offendit, ad eum, in quem offenſa commiſſa eſt. Adæquatio autem in humana juſtitia attenditur per ſubſtractionem ab uno, qui plus habet juſto, & additionem ad alterum, cui ſubtractum eſt aliquid. At licet Deo, quantum eſt ex parte ejus nihil ſubtrahi poſſit, non enim indiget aliquo, ut dicatur Deus, ſed eſſet Deus, etiamſi omnes reſpuerent eum, ac dicerent, non eſt Deus; vel ſi aſſerunt Deum eſſe, de illo tamen nihil cogitant, quia & volunt poſt mortem nullam voluptatem eſſe; Quàm autem impium ſit hoc aſſerere, dicant illi, qui in alio ſpem non habent, niſi in Deo ſalutari ſuo in illo, qui ſalvos facit omnes ſperantes in ſe.

At ſi nihil poſſit ſubtrahi Deo, ut in ſe eſt, nihilominus peccator, quantùm in ipſo eſt, aliquid ei ſubtraxit peccando. O miſeria pauperum, hoc eſt peccatorum, quia verè pauperes facti ſunt illi, qui per peccatum nedum privati ſunt gratia illa ſpirituali, per quam redduntur divites, hoc eſt beati in gloria, verùm etiam digni ſunt; ut priventur bonis temporalibus. *Juxta etiam D. Auguſt.* dicentem; peccator non eſt dignus pane, quo veſcitur. O miſeria pauperum, & captivorum, illorum ſ. qui per peccatum ſervi facti ſunt per peccati, hoc eſt diaboli, qui ab initio peccatum fecit, & ipſe peccatum eſt, quia ſemper voluntas ejus inflexibilis eſt in malo, & nunquam converti poſſit in bonum, & taliter in ſervitutem redacti ſunt, quod perdiderunt regem, & principes ejus, hoc eſt liberum arbitrium, quod veluti Rex omnium noſtrorum actuum imperat eſſe agendum bonum, vel malum aliis potentiis ſibi ſubjectis, immò & libertatem, qua per gratiam Dei, & per merita Ieſu Chriſti liberi facti fuerunt, *ſicut & Paulus ad Gal.* (c) perdiderunt libertatem illam qua Chriſtus nos liberavit. O ergo miſeria pauperum, & captivorum, qui reliquerunt Domin. diſſipaverunt legem
Domini Dei ſui, ſpreverunt ejus mandata, & deriſerunt c cap. 4.
Sabbata ejus, hoc eſt, præcepta Dei uſquedùm cogitatis mala in cordibus veſtris, ut in ſervitutem vos redigatis illa majorem? Tempus breve eſt, ut veniant dies

Domini

Digitized by Google

Domini; ergo dùm tempus habemus, operemur bonum, hoc eſt reddamus honorem debitum illi, qui dixit, nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat; ergo uſquedùm gratia Dei vivimus, ſatisfactionem de peccatis noſtris illi reddamus, eò magis quia & *Div. Anſelmus* definivit ſatisfactionem in hoc conſiſtentem, quod eſt honorem debitum Deo impendere per emendationem in futurum, & per recompenſationem præteritorum; talis verò recompenſatio nequit fieri ſine pœna peccantis, ut conſideretur debitum ratione culpæ commiſſæ, quia oportet ad hoc, ut recompenſatio fiat, ut aliquid ſubtrahatur de peccanto per ſatisfactionem, quod in Dei honorem cedat. Et hoc, quia opus bonum ex hoc, quod eſt hujuſmodi, non ſubtraxit aliquid ab operante, *ſed magis* perficit ipſum: & ideò ſubdit Div. Thom., ſubtractio non poteſt fieri per opus bonum, niſi pœnale ſit, unde mirum non eſt, ſi ad hoc, quod aliquod opus ſatisfactorium ſit, oportet, quod ſit bonum, in honorem Dei, & pęnale, ut aliquid peccatori ſubtrahatur.

Et meritò opus eſt, ut illud opus ad hoc, ut ſit ſatisfactorium, ſit penale, quia, *ut ait Div. Thom.*, pœna à culpa præſervat, non enim homo ita facile ad peccata redit, ex quo pęnam expertus &c. *Sic & Concil.* *d Seſſ. 14 cap. 8.* *Trident. conſultò determinavit*; (*d*) & divinam clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittantur, ut occaſione accepta leviora putantes, velut injurii, & contumelioſi Spiritui Sancto in graviora labamur; theſaurizantes nobis iram in die iræ; proculdubio enim magnopere à peccato revocant, & quaſi quodam fręno coerceant; hæ ſatisfactoriæ pęnæ, cautioreſque, & vigilantiores in futurum pęnitentes efficiunt, medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus malè vivendo comparatos contrariis habitus virtutum actionibus tollunt. Neque verò ſecurior ulla via in Eccleſia Dei unquam exiſtimata fuit ad ammovendum imminentem à Deo pęnam; quàm ut hæc pęnitentiæ opera, homines cum vero animi dolore frequentent. Verùm & Sacerdotes miniſtri Dei clavem habentes in irroganda ſatisfactionis pęna non pro ſuo arbitratu aggravare debent pęnitentes, ſed imponere debeat illis illas ſatisfactiones, quæ juſtitia, prudentia, ac pietate videbuntur expedientes.

Pariter etiam mirum non debet eſſe, nec videri, quod tale debitum ſit recompenſatio offenſæ, quæ ſine pęna peccantis non fit; eo quia ſemper recompenſatio debet fieri per opera pęnalia, *juxta Div. Thom.* *e In ſuppl. q. 15. ar. 1.* *dicentem* (*e*) ut per hoc conſideretur debitum ratione culpæ commiſſæ erga Deum; qui licet non delectetur in pęnis noſtris, ut ſunt pęnæ, (quoniam Deus mortem non fecit,) delectetur tamen in illis, ut ſunt juſtę, quo pacto & ſatisfactorię eſſe poſſunt; ideoque flagella, quę pro peccatis noſtris à Deo juſto judice infliguntur, ſi fiant aliquo modo ipſius patientis, rationem ſatisfactionis accipiunt. Ob hoc docet pręterea *f Seſſ. 14. cap. 9.* *Sancta Synodus Trid.*, (*f*) tantam eſſe divinæ miſericordię largitatem, ut non ſolùm pęnis ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis aut Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis, ſed etiam, (quod maximum amoris argumentum eſt,) temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum per Jeſum Chriſtum ſatisfacere valeamus. Exempla multa habentur in Sacris paginis de *g Cap. 3.* hac veritate; *ſic de Tobia* habetur, quod ipſe dixit in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te; & hæc verba, quod ſint de flagellis à Deo inflictis, non eſt dubitandem, nam protulit illa in ſuæ magnæ tribulationis, & afflictionis propoſito unà cum *h Cap. 2.* Sara Muliere. Et *in Eccleſ. habetur*, (*h*) Pius, & miſericors eſt Deus, & remittit in die tribulationis pec- *i Pſal. 98.* cata. Et *David in Pſalm. dixit*, (*i*) Deus tu propitius fuiſti eis, & ulſciſens in omnes adinventiones eorum; in quibus verbis inſinuatur, quod flagella nobis immiſſa reputantur pro ſatisfactionibus, ſi patienter tolerentur, & hoc eſt magna propitiatio Dei erga nos ſic flagellantis; Vide, quàm bonus ſit Deus, quàmque laudandus: ipſe namque, ut non deficiamus, blanditur, & ut non pereamus, cædit. Ob hanc cauſam admonendi ſunt fideles à Patribus Eccleſiæ, ut patienter tolerentur flagella, quæ pro peccatis commiſſis illis adveniunt; & à Deo juſtè infliguntur. *Sic in Catechiſmo Rom. legitur*; (*l*) quoniam multæ, variæque ærum- *l 2. p. n. 76.* næ, & calamitates, dùm in hac vita ſumus, nos premunt illud maximè fideles docendi ſunt, eos, qui patienti animo, quidquid laborioſi, & incommodi Deus immiſerit, ferant, ferant, amplam ſatisfaciendi, & merendi materiam nactos eſſe, qui autem invicti, & repugnantes pęnam hujuſmodi ſuſtinent, omni ſatisfactioni fructu privari, ſed Dei tantùm juſta judicio peccata ulciſcenti, animadverſionem, & ſupplicium perferre. Unde benè inſpectores fuerunt hujus veritatis filii Jacob, qui tradiderunt Joſeph (*m*) fratrem tuum, *m Gen. ca. 42.* nam dixerunt, meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtias animæ illius, dùm deprecaretur nos, & non audivimus, idcircò venit ſuper nos tribulatio; quæ *ſecundùm Apoſtolum ad Rom.*, (*n*) patientiam operatur, patientia autem pro- *n Cap. 5.* bationem, ſcilicet *à peccato purgationem*; unde *Div. Thom.*, fiunt autem flagella ipſius patientis, in quantum ea acceptat ad purgationem peccatorum, eis utens patienter; & hoc non ſolùm propter punitionem pręteritę culpę, quoniam delectationi culpę debetur amaritudo pęnę; ſed etiam propter cohibitionem futurę; Hinc *Iſidorus de ſum. bono*; duriùs circa ſuos electos in *o Lib. 3.* hac vita Deus agit; ut dùm fortioribus flagellis ſtimulis feriuntur, nulla eos oblętantia pręſentis vitę delectent; ſed cęleſtem Patriam, ubi certa quies expectatur, indeſinenter deſiderent. Electus Dei doloribus vitę hujus atteritur, ut perfectionem vitę futurę mereatur. De cętero ſi eis omninò per impatientiam diſſentiat, tunc non efficiuntur aliquo modo ipſius, ac proinde non habent rationem ſatisfactionis, ſed vindicationis tantùm. Quando, inquit etiam, fit ab alio talis recompenſatio vindicationis magis, quàm ſatisfactionis rationem habet, quando verò fit ab ipſo, qui offendit, rationem etiam ſatisfactionis habet.

Et licet flgella; quibus juſte punimur à Deo, à nobis non ſint, adhuc tamen ſatisfactoria ſunt: eo quia, *ut docet Div. Thom.*, (*p*) licet illa flagella non ſint om- *p Ib. ad 1.* ninò in poteſtate noſtra, tamen quantum ad aliquid ſunt, ut ſcilicet eis patienter utamur, & ſic homo ille ſcilicet prudens, qui dirigit conſilium ejus, & diſciplinam, facit de neceſſitate virtutem; unde & meritoria, & ſatisfactoria eſſe poſſunt: immò purgativa à peccato dici poſſunt, quia, quantum eſt ex parte noſtra Deo pro peccatis ſatisfacimus; at ut plenius apud Deum ſatisfaciamus, oportet, ut per opera pœnalia tranſeamus, & ſic verificabitur *illud David* tranſivimus per ignem, *purgantem ſcilicet peccata noſtra*, per ignem utique perſecutionum, maledictionum, infirmitatum, paupertatis, miſeriarum, & ſimilium; Et per quam *hoc eſt*, *per tolerantiam*, *lavantem ſcilicet immunditias*, *quas per carnem commiſimus*, & eduxiſti nos in refrigerium, *in illam ſcilicet æternam felicitatem*, *in qua non erit luctus*, *neque clamor*, *neque ullus dolor*, *in qua* nullum *timebimus inimicum*, *nullum tentatorem*, *nullum invidum*, *nullum ignem*, *nullam aquam*, *perpetuum refrigerium erit ibi*. *Et ut docet Div. Thom.*, (*q*) per ſatisfactiones opor- *q in 2. ſeſ. cap. 1.* tet peccati vulnus perfectè ſanari, hoc eſt perfectè emundari, quod utique fit per pœnas, de quarum ratione eſt, quod ſint medicinæ, ſicut illas eſſe medicinas *docuit Philoſophus in lib. Ethicorum*. (*r*)

Diximus, quod ſatisfactio debet eſſe talis, per quam aliquid nobis ſubtrahamus ad honorem Dei, & quia nos non habemus, niſi tria genera bonorum, ſcilicet bona animæ, bona corporis, & bona fortunæ ſcilicet exteriora. Hinc ſequitur, ut impendamus honorem debitum, quod ex bonis fortunæ ſubtrahamus aliquid nobis per eleemoſynam, ex bonis corporis aliquid

ſubtrahamus per jejunium; ex bonis verò animæ non oportet, quod aliquid nobis ſubtrahamus quantum ad eſſentiam, vel quantum ad diminutionem ipſorum, cum per ea efficiamur Deo accepti, ſed per hoc, quod ea ſubmittimus totaliter Deo, quod fit per orationem.

Et ultrà ea, quæ dicta fuerunt *in quæſtione præcedenti articulo ſecundo*, dicendum reſtat, quod prædictus numerus competit quantum ad hoc, quod ſatisfactio eſt peccatorum ſuggeſtionibus aditum non indulgere, eò quia omne peccatum, vel in Deum committimus, & contra hoc ordinatur oratio, vel in proximum, & contra hoc ordinatur eleemoſyna, vel in noſmetipſos, & contra hoc ordinatur jejunium. Videtur ergo, quod convenienter enumerentur opera ſatisfactoria, ſcilicet oratio, non quæ eſt contemplativorum, ſiquidem iſta cum ſit totaliter delectabilis, non eſt ſatisfactoria; bene tamen illa, quæ pro peccatis gemitus fundit, & talis habet pœnam, & eſt ſatisfactionis pars; quo pacto *legitur in Actibus Apoſtolorum de Cornelio*, [ſ Cap. 10.] quod orationes ſuæ aſcenderunt in conſpectu Dei, nec tantùm orationes, ſed eleemoſynæ illius, ſicut & ejus jejunium, legitur enim, quod à nudiuſquarta die uſque ad hanc horam, orans eram hora nona in domo mea, & ecce vir ſtetit ante me in veſte candida, & ait, Corneli, exaudita eſt oratio tua, & eleemoſynæ tuæ commemoratæ ſunt in conſpectu Dei; & hoc ſecundum opinionem quorumdam.

Secundum verò Doctrinam Div. Thom. etiam dicendum eſt, [t In ſuppl. q. 15. ar. 3.] (t) quod quælibet oratio habet rationem ſatisfactionis, nam licet habeat ſuavitatem ſpiritus oratio contemplativorum, habet nihilominus afflictionem carnis, *juxta Div. Gregorius in Eph.* [u Hom. 14.] (u) dùm creſcit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur proculdubio fortitudo carnis, *ut conſtat de Jacob, de quo legitur Gen.*, [x Cap. 32.] (x) ecce vir luctabatur cum eo uſque mane; qui cum videret, quod eum ſuperare non poſſet, tetigit nervum femoris ejus, & ſtatim emarcuit. Quod conſtat *cum illo, quod Div. Thom. docuit*, [y 2. 2. qu. 179. art. 7.] (y) Jacob poſt contemplationem uno pede claudicabat; quia neceſſe eſt, ut debilitato amore ſeculi, convaleſcat aliquid ad amorem Dei, ut *Gregorius dicit ſuper Ezechielem*: [z Hom. 14.] Et ideò poſt agnitionem ſuavitatis Dei unus pes in nobis ſanus remanet, atque alius claudicat: omnis enim, qui uno pede claudicat: ſolùm illi pedi innititur, quem ſanctum habet.

Eleemoſyna, quæ licet mundet omnia peccata, *juxta illud Lucæ, date eelmoſynam, & omnia munda ſunt vobis*, per hoc tamen deduci non debet, quod aliæ ſatisfactiones ſint ſuperfluæ ſcilicet *oratiò, & jejunium*: [a Cap. 11.] (a) eò quia docet Div. Thom., licet ſingula iſtorum trium per quandam convenientiam ſingulis peccatis approprientur, cum congruum ſit, ut in quo quis peccaverit, in hoc puniatur, *juxta illud Sapientiæ*, [b Cap. 11.] (b) per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Et quod peccati commiſſi per ſatisfactionem radix abſcindatur, tamen quodlibet horum pro quolibet peccato ſatisfacere poteſt; idcircò non videntur aliæ ſatisfactiones ſuperfluæ: ſicut *de facto docet Div. Thom. ibidem*, ei, qui non poteſt unum ex jis perficere, iniugatur aliud, & præcipuè eleemoſyna *aliorum* vices ſupplere poteſt, in quantum alia ſatisfactionis opera per eleemoſynam quiſque ſibi mercatur, quodammodo in illis, quibus eleemoſynam tribuit. Certum eſt enim, quod per eleemoſynam non ob inanem gloriam factam; ſed ut ſubveniantur pauperes, manifeſtatur dilectio Dei, cum mediante iſta diligantur & homines; Mirum ergo non cogitetur, ſi in diſtribuendo ea, quæ poſſidentur, maximè ſuperflua, pauperibus, omnia munda reddantur; cum jam ex corde fiat talis diſtributio; *Hinc Auguſt. in Pſal. dicebat*, [c Pſ. 125.] (c) ſi enim manum porrigas, nec in corde miſerearis, nihil feciſti. Si autem in corde miſerearis, etiamſi non habeas, quod porrigas manu, acceptat Deus eleemoſynam tuam. Hanc miſericorditer fac, & Deus miſerebitur tui, quoniam Beati miſericordes, iſti namque & miſericordiam conſequentur; nec imputabitur in die judicii hic defectus miſericordiæ, ſicut imputabitur damnatis, iſtis, quia miſericordiam neglexerunt, nec peccata remiſſa fuerunt, illis è contra cum miſericordiam habuerint, peccata dimiſſa fuerunt; *ſic ex Div. Thom. colligimus in Joann.*, (d) per miſericordiam omnia peccata purgantur. [d in Ioan. cap. 16 leſ. 5.]

Apparet & *Jejunium*, *eò* quia diſtribuendo facultates maceratur concupiſcentia carnis, Unde *Div. Thom.* (e) peccatum carnale dicitur dupliciter, uno modo, [e Ad 2.] quod in ipſa delectatione carnis completur, ut gula, & luxuria. Alio modo, quod completur in jis, quæ ad carnem ordinantur, quamvis non in delectatione carnis, ſed in delectatione animæ magis perficiatur, ut avaritia; Unde talia peccata ſunt quaſi media inter ſpiritualia, & carnalia, ideòque oportet, quod eis etiam aliqua ſatisfactio reſpondeat propria, ſcilicet eleemoſyna; hinc *ſtat illud Eccl.*, (f) miſerere animæ tuæ placens Deo; [f Cap. 30.] cui ſi placet miſericordia erga alios, multò magis placebit ei miſericordia, quæ exercetur erga ſemetipſum, etenim unuſquiſque prius tenetur diligere ſeipſum prius, & poſtea proximum, ſicut ſeipſum.

Jejunium denique, ſub quo comprehendi poteſt omne, quod ad afflictionem pertinet, *juxta Div. Thom.*, (g) quidquid ad afflictionem corporis pertinet, totum ad jejunium refertur, ſicut quidquid in proximi utilitate expenditur, [g Ib. ad 3.] totum eleemoſynæ rationem habet; & quæcumque latria exhibetur Deo, orationis accipit rationem.

Ex quibus omnibus jam videtur manifeſtè, quod unum opus poteſt habere plures modos ſatisfaciendi; hinc de primo ad ultimum ſuperfluum videtur aſſignare plura opera ſatisfactoria præter aſſignata, & enumerata, non obſtante, quod etiam ſint multa peccata in [h Ib. ad.] ſpeciei licet enim ſint multa, nihilominus tamen omnia ad illas tres radices, vel ad illa tria genera peccatorum, ſcilicet concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, ſive avaritiam, & ſuperbiam vitæ, (quam comprimit oratio, qua nos, & omnia noſtra, ſi tamen noſtra, cum dicat Deus, mea ſunt omnia (Deo ſubiicimus,) reducuntur, ac per conſequens omnia reſpondent ad dictas ſatisfactiones. Sicut etiam peregrinationes, afflictiones, atque diſciplinæ. Et hæc de ſatisfactione.

Super quæſtionem ſextadecimam.

De Poteſtate Clavium.

OStium non ſolùm Paradiſi terreſtris clauſum fuit per peccatum Adæ, etenim poſt ejus peccatum, collocavit Deus Cherubim, & flammeum gladium atque verſatilem (a) ad cuſtodiendam viam ligni vitæ; Verùm etiam clauſum fuit oſtium regni cœleſtis, & [a Gen. c. 3.] hoc per peccatum perſonale cujuslibet hominis; *Hinc Div. Thom. docet*, (b) quod clauſio januæ eſt obſtaculum quodam prohibens hominem ab ingreſſu; Prohibebantur autem homines ab ingreſſu regni cœleſtis propter peccatum, [b 1 p. q. 49. art. 1.] quia ſicut *dicitur Iſaiæ*, (c) via illa Sancta vocabitur, & non tranſibit per eam pollutus. Hoc [c Cap. 35.] oſtium à nullo alio aperiri poterat, niſi à Chriſto Domino, qui ſicut redemit nos per mortem ſuam, ita & liberavit nos per paſſionem & à peccato communi totius naturæ humanæ, propter quod tenebantur clauſi, veluti in carcere Sancti Patres, & à peccatis propriis ſingulorum; qui tamen communicant ejus paſſioni per fidem, & charitatem, & fidei Sacramenta. Adeòque per paſſionem Chriſti aperta eſt nobis janua regni cœleſtis. Et hoc eſt, quod *Apoſtolus ad Heb.* (d) dicit, Chriſtus aſſiſtens pontifex futurorum bonorum per [d Cap. 9.] proprium ſanguinem introivit ſemel in Sancta, æterna redemptione inventa; *Et rurſus ibidem* (e) [e Cap. 10.]

habe-

Digitized by Google

habemus fiduciam in introitu Sanctorum, ſc. cœleſtium, in ſanguine Chriſti. Igitur Claves à paſſione Chriſti efficaciam habent; per quam Chriſtus aperuit nobis januam regni cœleſtis.

Has dedit Petro, & ſucceſſoribus ejus; tibi dabo claves regni cęlorum &c. dixit ad illum Ieſus; Et licet *dicat Aug. ſerm. de ſanctis* (*f*) [*f ſer. 38.*] ſolus Petrus meruit audire, tues Petrus, &c. ut eſſet clavis ad regnum, attamen non debet ſic intelligi, Petro commiſiſſe, quaſi ipſe ſolus haberet claves, ſed ut per eum derivarentur ad alios, aliàs *ut docet D. Thom.* (*g*) [*g in Matt. cap. 16.*] non eſſet ſufficienter fidelium ſaluti proviſum. Iſtæ claves in Eccleſia Dei eſſe debent, hoc eſt poteſtas removendi obſtaculum ad introitum regni cœleſtis, clauſi per peccatum & quantum ad maculam, & quantum ad reatum pœnæ, quæ poteſtas reſidere debet in miniſtris Eccleſiæ, cum iſti ſint diſpenſatores divinorum. Iſti ſunt judices, ſub quibus unuſquiſque fidelium ſubmittere debet, & ut Iudices Eccleſiaſtici hanc poteſtatem clavium habeant, quæ conſiſtit in ligando, atq; ſolvendo & dicuntur claves, non clavis, ut certò ſciamus eſſe duas, non unam tantùm. *Nam ut ait D.Th.* (*b*) ſunt claves Eccleſiæ auctoritas diſcernendi, & poteſtas [*b 4. p. 3. q. 18.*] judicandi. Ad quam judiciariam poteſtatem duo requiruntur, ſ. auctoritas cognoſcendi de culpa, & poteſtas abſolvendi, & condemnandi, idcirco duæ Claves, prout hìc conſiderantur, non dicuntur claves auctoritatis eò quia iſta auctoritas clavium non habetur, à Domino Deo. De hac clavi utique loquebantur Iudæi *Mar. & Luc.* quis poteſt dimittere peccata, niſi [*i cap. 2. & 5.*] ſolus Deus:

[*l cap. 43.*] *Et in Iſa. legitur*, dixiſſe Dominum, Ego ſum, Ego ipſe ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me & peccatorum ſuorum non recordabor. Sicut nec ſumuntur claves pro clave Eccleſiæ, quam habet Chriſtus Dominus, *ſecundum illud Iſajæ loquentis in* [*m cap. 22.*] *perſona Dei de Chriſto*; dabo clavem David ſuper humerum ejus. Hæc enim eſt propria Chriſti, *juxta etiam Div. Thom.* (*n*) [*n 3. p. q. 84. a. 3. ad 1.*] docentem, ad poteſtatem excellentiæ, quam ſolus Chriſtus habuit, pertinuit, quod Chriſtus effectus Sacramenti pęnitentiæ, qui eſt remiſſio peccatorum; contulit mulieri adulteræ, ſine exterioris pęnitentiæ Sacramento; *ſecundum illud, quod prius docuit*, & quia cauſa non dependet ab effe- [*o 3. p. q. 84. a. 3. & 4.*] ctu, ſed potius è converſo, quantò ad excellentiam poteſtatis Chriſti pertinet, quod ipſe potuit effectum Sacramentorum ſine exteriori Sacramento conferre. Sed accipiuntur claves pro clave miniſterii, hæc enim tranſmittitur Sacerdotibus omnibus, dùm accipiunt ordinem Sacerdotalem per Ieſum Chriſtum, qui licet in quantum Deus poteſtatem auctoritatis in Sacramentis habeat, tamen ſecundum quod eſt homo poteſtatem excellentiæ habet in illis, & hanc poteſtatem ſolam excellentiæ communicavit Miniſtris, dando illis tantam gratiæ plenitudinem, ut eorum meritum operaretur ad Sacramentorum effectus: Qua de cauſa *dicebat Ambroſius*, verbum Dei dimittit peccata, Sacerdos eſt judex; Sacerdos quidem officium ſuum exhibet, non propria poteſtate exercet, ſed à Deo acceptus. Habent ergo miniſtri hanc poteſtatem clavium, per quas aperitur, & clauditur regnum cælorum, illud, v. regnum, in quo Chriſtus ſedet ad dexteram Dei Patris, illud utique regnum, (*p*) de quo Deus ipſe dixit cælum ſedes mea, terra [*p Iſ. c. 66.*] autem ſcabellum pedum meorum. Illud regnum, in quo beati coronantur, quia legitimè certaverarunt in terris, pugnantes cum principibus tenebrarum, inimicorum, videlic. Crucis Chriſti, in quo eſt ſalus animę, vita Beatorum, & reſurrectio omnium, qui verè in hoc Mundo illum dilexerunt, ipſum ſecuti fuerunt.

Iſtæ ergo claves, quod in Eccleſia eſſe debeant colligitur manifeſtè *ex illo Matt.* (*q*) [*q cap. 16.*] ubi Chriſtus poſtquam audierit confeſſionem Petri dicentis, tu es Chriſtus filius Dei vivi, ſtatim dixit illi: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum, & in cęlis; ecce ergo quomodo conſtituit illum principem Eccleſiæ poſt ſeipſum.

Nec ex eo, quod dixit, *tibi dabo claves Regni Cælorum*; ſequitur, quod numquam datæ fuerunt Petro, ſed dabo poſt mortem; tunc enim conſummabuntur omnia, quæ dicta ſunt de filio hominis, & ante aſcenſionem ad Patrem, *ut habetur Joan* (*v*) paſce oves [*r cap. 21.*] meas, hic enim Chriſtus exhibet Petro de præſenti, quod antea promiſerat de futuro, quod corroboratur [*ſ cap. 3.*] ex illo, quod Chriſtus Dominus (*ſ*) dum ambulans juxta mare Galileæ vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus mittentes rete in mare (erant enim piſcatores,) & ait illis, venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum, promittit namque his, quod eſſent piſcatores hominum; *& in Marco*, (*t*) illus conſtituit tales, quando [*t cap. ult.*] poſt reſurrectionem ſuam, & ante admirabilem, & glorioſam aſcenſionem ſuam in cęlis, dixerit illis, euntes in Mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.

Et tunc communicavit illis, & ſucceſſoribus ſuis poteſtatem, quam in ſe habebat, paſcendi, regendi, & gubernandi Eccleſiam Univerſalem, præcipuè tamen Petro, qui Princeps Apoſtolorum conſtitutus fuit à Chriſto Domino, & ab Eccleſia Catholica veneratus, unde & dicit, Tu es paſtor omnium, Princeps Apoſtolorum, tibi tradidit Deus claves regni cælorum. Et rurſus vocatur ab eadem Ianitor Cęli; Hinc ſumpſit occaſionem dicendi *Hilarius*; O Beatus cæli Ianitor? cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur; cujus terreſtre judicium præjudicata auctoritas ſit in cælo: ut quæ in terris aut ligata ſunt, aut ſoluta ſtatuti ejuſdem conditionem obtineant & in cælo.

Verùm ſolùm poſt aſcenſionem Chriſti ad Patrem Petrus remanſit Vicarius Chriſti Domini in terris, & quia Vicarius licet in ligando, & ſolvendo poteſtatem habeat non tamen habet poteſtatem abſolutam faciendi, quidquid vult, ſed diſpenſator eſt; *ſicut, & Paulus ad Corinth. ſcribens* (*u*) vocavit miniſtros [*u 1. c. 4.*] Eccleſiæ, non Dominos, quando dixit, ſic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.

Et quia omnis diſpenſator, claves eorum, quæ diſpenſat, habere debet, hinc eſt, quod et miniſtri Eccleſiæ, utpotè diſpenſatores Myſteriorum Dei, debent habere claves non illas, quæ deſerviunt, ut inſtrumentum ad aperiendum oſtium; benè tamen illas, quæ deſerviunt ad aperiendam januam regni Cælorum; quod licet, quantum eſt de ſe ſemper apertum ſit, attamen clauditur nobis propter peccatum, & quantum ad maculam, quam contraximus per peccatum originale, & quantum ad reatum pęnæ. Et ideò *D. Th. ait* [*x in Supp. q. 17. ar. 1.*] (*x*) alicui clauſum dicitur propter impedimentum intrandi in cęlum, quod in ipſo eſt, impedimentum autē totius humanę naturę ex peccato primi hominis conſecutum per paſſionem Chriſti amotum eſt. Sed adhuc alicui quotidiè manet clauſum ob peccatum originale, quod contraxit, vel actuale, quod commiſit, & ob hoc Indignos Sacramētis, & clavibus Eccleſię, indignemus Sacramentis emanatis à fonte aquę vivę, ſ. à Chriſto [*y Io. c. 7.*] *juxta illud*, (*y*) ſi quis ſitit veniat ad me, & bibat, nam ſitiendo vitam ęternam, tunc illam conſequetur, unde & verificabitur *illud*, ſatiabitur ab ubertate domus tuæ, hoc eſt glorię tuę, ſecundum illud *Pſal* ſatiabor, cum apparuerit gloria tua. Indigemus clavibus Eccleſię, hoc eſt miniſtris habentibus legitimam poteſtatem, (ut excludantur ſchiſmatici, atque hęretici) ligandi, atq; [*a Pſ. 16.*] ſolvendi. Et ideò ait *D Th* poteſtas, qua tale obſtaculum removetur, ſ. quando clauſum eſt oſtium per peccatum, ut aperiatur, dicitur clavis.

Hęc autem clavis, & dicitur auctoritatis, propter quod poteſtas, quę eſt in divina Trinitate per auctoritatem, dicitur, quod habeat clavem auctoritatis, & hęc nulli creaturę communicari poteſt.

In Chriſto verò homine fuit hęc poteſtas ad removendum hoc obſtaculum per meritum paſſionis

Digitized by Google

quæ & dicitur januam aperire, & dicitur, quod habeat claves excellentiæ, eò quia ex latere Chriſti in Cruce dormientis, (& benè dormientis, quoniam tertia die ſurrexit à ſomno ſuo, ſic & Propheta loquendo in perſonam Chriſti Domini dixit, Ego dormivi, & ſoporatus ſum, & exurrexi quia Domin. ſuſcepit me,) Sacramenta fluxerunt, ex quibus Eccleſia fabricatur; idcircò in Saetamentis Eccleſiæ efficacia paſſionis manet, & ob hoc etiam miniſtris Eccleſiæ, qui ſunt diſpenſatores Sacramentorum, poteſtas aliqua ad prædictum obſtaculum removendum collata eſt, non propria, ſed virtute divina, & paſſionis Chriſti; hoc dicitur, quia ſolius Chriſti fuit claudere limbum, ne aliquis ultrà in illum deſcendat; & aperire Paradiſum remoto impedimento naturæ per ſuam paſſionem, unde ille eſt, de quo dicitur in *Ap.* (*a*) qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit. *a cap. 3.* Aperit .n. & nemo claudit, *confeſſoribus ſuis*, illis namq; qui pro ſuo nomine morti ſe tradiderunt, iſti .n. habent ingreſſum in regno cœlorum, & ſemper apertum inveniunt illud oſtium, hoc eſt paratum Chriſtum Dominum ad illos accipiendos, ſiquidem Chriſtus de ſeipſo dixit, ego ſum oſtium, ſi quis per me, hoc eſt confitendo nomini meo, introjerit, ſalvabitur; quia & ego confitebor eum coram Patre meo. Claudit, & nemo aperit, illis namque, qui non ſolùm non cognoverunt Patrem, neque me, ut infideles, verùm etiam & illi, qui quamvis vocentur nomine fideles, operatione tamen infideles fuerunt; utiq; iſti cognoverunt Patrem & me, in cujus ſignum dicent iſti in die illa, in qua judicandi erunt; Domine nonoe in nomine tuo prophetavimus, nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus? At defecerunt in charitate, unde de iſtis verè dicet Chriſtus non dilexerunt patrem, neque me, ſed dilexerunt magis tenebras; vid. ea, quæ Mundi ſunt quàm lucem, ea quæ ſunt cæleſtia; dilexerunt magis tenebras, ea quæ carnis ſunt quàm lucem, quàm ea, quæ ſunt ſpiritus, dilexerunt, magis tenebras, *ea v. quæ diaboli ſunt; quàm lucem; quàm ea, quæ ſunt Dei.*

Miniſtri verò Eccleſiæ cum habeant poteſtatem à Deo, & derivatam ex paſſione Chriſti Domini, habent etiam poteſtatem dimittendi reatum pœnæ æternæ: verùm ille, cui talis reatus dimittitur, non illico in regnum introducitur propter reatum pœnæ temporalis, qui manet. *b ſeſſ. 6. can. 30.* *Iuxta etiam Conc. Trid.* (*b*) ſi quis dixerit poſt acceptam juſtificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatus æternæ pœnæ deleri, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exolvendæ, vel in hoc ſeculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regnum aditus patere poſſit; anathema ſit. Unde miniſtris datur magis poteſtas, & clavia regni, quàm clavis inferni; & hoc quia datur poteſtas gratiam conferendi; per quam homini aperitur infernus, ut de peccato educatur, quod eſt inferni porta, & clauditur, ne ultrà homo in peccatum labatur gratia ſuſtentatus. Poteſtas autem gratiam conferendi ſolius Dei eſt, *ait* *ſ ib. ad 3.* *Divus Thomas*, (*c*) & ideò clavium inferni ſibi ſoli retinuit. Verùm quia, alii dicunt, ex hoc ipſo, quod alicui aperitur unum, & clauditur alterum, hinc eſt, quod eadem eſt clavis inferni, & cœli; attamen dicendum eſt, quod habent clavium regni cœlorum, & nō inferni miniſtri, eò quia denominatio fit à digniori.

Clavis iſta, quæ in Eccleſia Dei eſſe debet; eſt poteſtas ligandi, & ſolvendi, qua Eccleſiaſticus judex dignos recipere, indignos excludere debet à regno. Ad quam definitionem explicandam utitur *Divus Thomas*, (*d*) *auctoritate Ariſtotelis in ſecundo de anima*, *d in Supp. q. 17. ar. 2.* potentiæ per actus definiuntur. Ex quibus *docet Divus Thomas*, cum clavis ſit potentia quædam, opus eſt, quod per actum, ſive per uſum ſuum definiatur, & quod in actu objectum exprimatur, à quo ſpeciem recipit actus, & modus agendi, ex quo apparet potentia ordinata. Unde in data definitione poteſtas ſe habet, ut genus, & meritò, ſiquidem genus dicitur illud, quod convenit cum omnibus contentis ſub illo: unde eadem poteſtas eſſe videtur per eſſentiam, qua Sacerdos conficere poteſt, & qua poteſt ſolvere, & ligare, ſi juriſdictio adſit, nec differt, niſi ratione ſecundum quod ad diverſos effectus comparatur.

Et dicitur, quod ſit poteſtas ligandi, & ſolvendi contrà illos impiè ſentientes, immò & Auctoritatem Evangelii impugnantes; *nam legitur Matth.* (*e*) quodcumque ligaveritis &c. & quodcumque ſolveritis &c. *e cap. 18.* *& in Joann. habetur*, (*f*) quorum remiſeritis peccata &c. & quorum retinueritis, retenta ſunt. *f 20.* Super autem hæc verba ad noſtrum propoſitum clavium, vel poteſtatis Sacerdotalis *Concilium Tridentinum in primis determinavit*; (*g*) verbis tàm perſpicuis poteſtatem remitendi peccata ad reconciliandos fideles poſt baptiſmum lapſos Apoſtolis, & eorum legitimè ſucceſſoribus fuiſſe communicatum univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit. *g ſeſſ. 14. cap. 1.* Sicut *& determinavit*; (*h*) *h ib. cap. 8.* Claves Sacerdotum non ad ſolvendum dumtaxat, ſed etiam ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres credunt, & docent, vel propterea exiſtimarunt Sacramentum pœnitentiæ, eſſe forum iræ, vel pœnarum, ſicut nemo unquam Catholicus ſentit, ex hujuſmodi noſtris ſatisfactionibus vim meriti, & ſatisfactionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti vel obſcurari, vel aliqua ex parte imminui; quod dum Novatores intelligere volunt, ita aptiſſimam pœnitentiam novam vitam eſſe docent, ut omnem ſatisfactionis vim, & uſum tollant.

Videtur ergo hoc determinatum fuiſſe, quia fuerunt aliqui, qui dixerunt claves Eccleſiæ eſſe datas, tantùm ad ſolvendum; idcircò *hos tales anathematizat idem Concilium*, *dùm decrevit*, (*i*) ſi quis dixerit, claves Eccleſiæ eſſe datas tantùm ad ſolvendum, non etiam ad ligandum, *i ſeſſ. 14. can. 15.* & propterea Sacerdotes, dùm imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, & contra inſtitutionem Chriſti; anathema ſit. Ex eo ergo, quod Sacramentum pœnitentiæ ordinatum ſit etiam ad ligandum, nomquam licitum erit aſſerere eſſe forum iræ, & pœnarum; ſiquidem dùm ligat, intendit ſolùm finaliter reconciliare fideles peccatores Deo. Adeò ut ſive non remittendo peccata, ſive imponendo pœnas, ſive excommunicando (quamvis excommunicatio ad forum exteriorem pertineat) ſemper ad hunc finem reconciliationis tendit.

Subdit tamen Divus Thomas, (*l*) & licet omnis poteſtas ſpiritualis detur cum aliqua conſecratione, ac *l ib. ad 2.* per conſequens eum ordine detur; nihilominus tamen executio clavis indiget materia debita, quæ eſt plebs ſubdita per juriſdictionem, quapropter claves in ordine conferuntur; & ſic antequam juriſdictionem habeat, habet claves, ſed non habet actum clavium: & quia clavis per actum definitur, ideò in definitione clavis ponitur, aliquid ad juriſdictionem pertinens. Unde ſubditur Judex Eccleſiaſticus, ut ſubjectum poteſtatis, & actus excludere, & recipere ſecundum duos actus materialis clavis, qui ſunt aperire, & claudere, cujus objectum tangit in hoc, quod dicit à regno.

Deinde in hoc, quod dicit, *dignos*, *& indignos* in illis, in quos actus exercetur, modus penſatur. Verùm *ly dignos* non accipitur *pro digno*, quod ipſum habendi jus habeat, cum ſit quilibet dignus, jam habet cœlum apertum, ſed *pro digno*, quod inſit ei aliqua congruitas ad hoc, quod ei detur; & ſic *dignos ait D. Tho.* (*m*) quibus nondum apertum eſt cœlum, poteſtas clavium recipit. Et *ly indignos dicitur* Sacerdos excludere, non quod impedimentum ad intrandum ponat, ſed quia impedimentum poſitum non amovet, quia ipſe amovere non poteſt, niſi prius Deus amoverit. Etſi Eccleſia rogat Deum, ut ipſe abſolvat, hoc fit ſub eadem, ut Sacerdotis abſolutio locum habeat.

Deinde *ly à regno*, ſtat in hoc, quod actus Sacerdotis non eſt immediatè ſupra regnum, non enim habet poteſtatem abſolutam, & auctoritativam unde Chriſtus Dominus, ut homo loquendo, dixit ad matrem filiorum Zebedei, ſedere autem ad dexteram; vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis, ſed quibus para-

paratum eſt à Patre meo: ſed ſupra Sacramenta, quibus homo ad regnum pervenit, per quod ſolùm exprimitur poteſtas miniſterii:

At quia judex Eccleſiaſticus recipit dignos, & indignos excludit per clavem, hinc ſequitur, quod indiget judicio diſcretionis, quo idoneitatem judicet, ex ipſo receptionis actu, & ad utrumque horum poteſtas quędam, ſive auctoritas requiritur. *Et ideò ait D Th.* (n) quod ſecundum hoc ſunt duę claves, una pertinens ad judicium de idoneitate ejus, qui abſolvendus eſt, & alia ad ipſam abſolutionem; & iſtę duæ claves non diſtinguuntur in eſſentia auctoritatis, cum utraque ad idem officium expectat; benè tamen diſtinguuntur ex comparatione ad actus, quorum unus alium præſupponit. Iſtæ autem duæ claves ſunt ſcientia, & poteſtas; & licet ſcientia poſſit eſſe in omnibus, ſive ſint Sacerdotes, ſive non, attamen poteſtas non in omnibus eſt, ſed ſolùm in Sacerdotibus juriſdictionem habentibus, & conſequenter uſum clavium, juxta id, quod determinatum *fuit à Concil. Trid.*, (o) declarat Sancta Synodus falſas eſſe, & à veritate Euangelii penitùs alienas, doctrinas omnes, quæ ad alios quoſvis homines præter Epiſcopos, & Sacerdotes clavium miniſterium pernitiosè extendunt. *Et etiam ſtatutum fuit*, (p) ſi quis dixerit, non ſolos Sacerdotes eſſe miniſtros abſolutionis, ſed omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus eſſe dictum, quæcumque ligaveritis, &c. quorum verborum virtute abſolvere poſſit peccata; anathema ſit.

[n *Suppl. q. 17. a. 3.*]
[o *Seſſ. 14. cap. 6.*]
[p *Seſſ. eâ can. 10.*]

Scientia utique, & poteſtas dicuntur claves, inter quas tamen iſte eſt ordo; quod clavis, quæ dicitur poteſtas ligandi, atque ſolvendi, eſt ſecunda; eſtque illa, quæ immediatè aperit ſeram peccati, & clavis, quæ dicitur poteſtas, oſtendit, cui aperienda ſit ſera illa: Verumtamen ſciendum eſt, quod clavis, *quæ dicitur ſcientia* jux a meliorem, & approbatam etiam *à D. To.* (q) opinionem, non accipitur pro ſcientia, quæ eſt habitus, ſed pro auctoritate actum ſcientiæ exercendi, quę auctoritas quandoque ſine ſcientia eſt; quandoq; ſcientia ſine ipſa, ut patet. Aliquis namque judex ſecularis habet auctoritatem judicandi, qui non habet juris ſcientiam, ut multoties contingit in illis, qui præſunt Reipublicæ; & aliquis è contrà habet juris ſcientiam, qui non habet auctoritatem judicandi. Multi enim ſunt, qui allegant actu, & probara, & tamen ab aliis, qui non habent juris ſcientiam, expectant judicium.

[q *16. a. 2.*]

Quod autem accipiatur pro auctoritate actum ſcientiæ judicandi *habetur ex Div. Thom.*, *dum ibid. ſubdit*, & quia actus judicii, ad quem aliquis ex auctoritate ſuſcepta obligatur, non autem ex ſcientia habita, ſive utroque bene fieri non poteſt; & ideò auctoritas judicandi, quæ clavis eſt ſcientiæ, ſive ſcientia non poteſt ſine peccato accipi; licet ſcientia ſine peccaro habere poſſit. *Et dicitur clavis poteſtas ligandi, atq; ſolvendi*, eò quia poteſtas conficiendi non connumeratur inter claves, & hoc quia poteſtas conficiendi eſt ad unum actum tantùm alterius generis, & meritò enumeratur ſcientia, & poteſtas inter claves, ſiquidem nec voluntas abſolvendi debet dici clavis, cum certum ſit, quod velle unicuique eſt liberum; unde ad volendum non exigitur auctoritas, & cum non exigatur auctoritas, propter hoc voluntas non dicitur clavis, niſi dicatur, quod per liberam voluntatem aperitur aditus ad conterendum de peccatis, ad illa confitenda, & ad pœnas, quæ pro commiſſis peccatis infliguntur a miniſtro prompto animo ſatisfaciendas.

Super Quæſtionem Decimam octavam,

De Effectu Clavium.

QUamvis Deus per filium ſuum Jeſum dederit Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, attamen ſibi ſoli auctoritatem, atque virtutem peccata remittendi reſervavit; quoniam ſolius Dei eſt hoc agere propia virtute; nam quis dimittere poteſt peccata, niſi Deus? Sacerdotes autem, cum miniſtri Dei ſint, agere non poſſunt propria virtute in Sacramentis, ſed tantùm inſtrumentaliter, adeòque poteſtas clavium, quam illi poſſident, ordinatur aliquo modo ad remiſſionem culpæ, non ſicut cauſans, ſed ſicut diſponens ad eam; Quapropter *& Magiſter Sententiarum in littera dicit*, Sacerdotibus commiſſa eſt poteſtas remittendi peccata, non ut propria virtute remittant, quia hoc Dei eſt, ſed ut operationem Dei remittentis oſtendant, tanquam miniſtri, non veteris, ſed novæ legis; ſiquidem Sacerdos veteris legis oſtendebat tantùm, & nihil operabatur, propterea dicitur quod Sacramenta veteris legis operationem Dei ſignificabant, ut futuram; Sacerdos verò novæ legis oſtendit abſolutos à culpa, cum Sacramenta novæ legis emundationem oſtendant divinitùm factam; ac proinde ſignificant utique divinam operationem in remiſſionem culpæ præſentem, & ad ipſam aliquid diſpoſitivè, & inſtrumentaliter operatur.

Et cum non poſſit remittere peccatum quoad culpam, ut conſtat, nec poterit dimittere peccatum quoad pœnam æternam ex vi clavium, nihilominus tamen dimitere poteſt ex vi earumdem peccatum quoad pœnam temporalem, & hoc non quantum ad totum, cum aliquid de pœna temporali, cujus reatus poſt abſolutionem à pœna æterna remanere potuerit, benè verò quantum ad partem, & ideò adhuc manet obligatus pœnitens ad pœnam ſatisfactoriam ſive in hoc ſeculo, ſive in futuro, in Purgatorio, in quo aliquid de pęna, quæ in illo debetur, remittitur: ut aliquid minus in eodem puniatur, quod contingit & in illo, qui abſolutus ante ſatisfactionem decidit, quam ſi ante abſolutionem decederet. Solvit itaque à pœna, quam dimittit, cum jam dictum ſit, quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cęlis; pariter & ligat ad pęnam, quæ remanet, cum jam ſubdetur, quodcumque ligaveris ſuper terram, etit ligatum & in cęlis; Verumtamen in ſolutione, & ligatione poteſtatis ex vi clavium Sacerdotibus datæ, non debent iſti ſecundum proprium arbitrium dimittere, & imponere de pœna quantum vellent, ſed debere uti diſcretione, etenim non omnes æqualiter peccant, adeoque non omnibus ſunt imponendæ pęnæ ſatisfactoriæ in canone determinatæ, unde variandæ ſunt ſecundum arbitrium Sacerdotum divino tamen inſtinctu regulatum; ne pęnitens à pęnitentia recedat.

Clavium poteſtas, quæ eſt in Sacerdote ad effectum Sacramenti pęnitentiæ, licet ſe habeat, ſicut ſe habet virtus, quæ eſt in aqua baptiſmi ad effectum baptiſmi; cum baptiſmus, & pęnitentia conveniant quodammodo in effectu, quia utrumque contra culpam ordinatur directè, quod non eſt de aliis Sacramentis: differunt tamen in hoc, quod Sacramentum pęnitentiæ eò quod habet actus ſuſcipientis, quaſi materiales, non poteſt dari niſi adultis, in quibus requiritur præparatio ad ſuſcipiendum effectum Sacramentorum: at baptiſmus, quandòque datur adultis, quandoque pueris, & aliis carentibus uſu rationis, & hinc eſt, quod per baptiſmum datur gratia, & remiſſio peccatorum pueris ſine aliqua ſui pręparatione pręcedente, non autem adultis, in quibus præexigitur præparatio removens fictionem, quæ pręparatio quandòque pręcedit tempore ſufficiens ad gratię ſuſceptionem, antequam baptiſmus actu percipiatur, ſed non ante uſum baptiſmi poſt tempus propalatę veritatis: quandòque verò talis pręparatio tempore non pręcedit, ſed eſt ſimul cum baptiſmi ſuſceptione, & tunc per baptiſmi ſuſceptionem gratia remiſſionis culpę confertur. E contrà verò per pęnitentię Sacramentum gratia numquam confertur, ſive datur, niſi pręparatio adſit, vel prius fuerit, hinc fit, ut *habetur ex Div Thom.*, (a) quod virtus clavium operatur ad culpę remiſſionem, vel in voto exiſtens, vel in actu ſe exercens, *juxta illud*, *quod determinavit Concilium Tridentinum*; (b) quamobrem falsò quidam calumniantur catholicos ſcriprores, quaſi tradiderint Sacramentum pęnitentię abſque bono motu ſuſcipientium,

[a *In ſuppl. q. 18. a. 1.*]
[b *Seſſ. 14. cap. 4.*]

Digitized by Google

tium, gratiam conferre; quod numquam Eccleſia Doi docuit, & ſenſit. *Subdit poſtea Div. Thom.*, ſicut & aqua baptiſmi; & cum baptiſmus non agat, niſi ut inſtrumentum, non quidem pertingens ad ipſam gratiæ ſuſceptionem curandam etiam inſtrumentaliter, ſed diſponens ad gratiam, per quam fit remiſſio culpæ; ita eſt & de poteſtate clavium, & meritò, cum ſolus Deus remittat per ſe culpam. Hinc *Iſaiæ* dixit Dominus, ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitatem.

Ex quibus *docet Div. Thom.*, quod poteſtas clavium ordinatur aliquo modo ad remiſſionem culpæ, non ſicut cauſans, ſed ſicut diſponens ad eam. Qua de cauſa ſi quis ante abſolutionem non fuiſſet perfectè diſpoſitus ad gratiam ſuſcipiendam in ipſa confeſſione, & abſolutione Sacramentali, gratiam conſequeretur, ſi obicem non poneret; quod corroboratum videmus hoc, *quod Div. Thom.*, (*d*) à Sacro Concilio Trid., ſi quis
d Seſſ. 7. cap. 6. dixerit Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre; anathema ſit. Et hoc propter differentiam; quam etiam idem Concilium intendit
e Ib. ca. 2. eſſe inter Sacramenta novæ, & veteris legis: unde *ibi ſtatuit*, (*e*) ſi quis dixerit, ea ipſa novæ legis Sacramenta, à Sacramentis antiquæ legis non differre, niſi quia cæremoniæ ſunt aliæ, & alii ritus externi: anathema ſit.

f In ſuppl. art. 2. q. 18. Deinde *docet Div. Thom.*, (*f*) & idem eſt judicium de effectu, quia poteſtas clavium actualiter exercita complet in eo, in quo contritio tempore præceſſit, & de effectu baptiſmi, qui jam habenti gratiam datur: Nam aliquis per fidem, & contritionem præcedentem baptiſmum gratiam remiſſionis peccatorum quantum ad culpam conſecutus eſt; ſed quando actualiter poſtea baptiſmum ſuſcepit, gratia augetur, & à reatu pœnæ totaliter abſolvitur, eò quod fit particeps paſſionis Chriſti. Sic pariter & illi, qui per contritionem conſecutus eſt remiſſionem peccatorum quantum ad culpam, ac per conſequens quantum ad reatum pœnæ æternæ, quę ſimul cum culpa remittitur ex vi clavium, (non ſimul quantum ad pœnum temporalem, *juxta illud quod ſta-*
g Seſſ. 14. cap. 15. *tutum fuit in Concil. Trident.*, (*g*) ſi quis dixerit, fictionem eſſe, quod virtute clavium ſublata pœna æterna, & pœna temporalis plerumque exolvenda remaneat; anathema ſit.) Ex paſſione Chriſti efficaciam habentium, augetur gratia, & remittitur temporalis pœna, cujus reatus adhuc remanſerat poſt culpæ remiſſionem, non tamen tota, ſed pars ejus, & per hoc à baptiſmo diſtinguitur, quia in iſta homo regeneratus configuratur paſſioni Chriſti, totaliter paſſionis Chriſti efficaciam in ſe ſuſcipiens, ut nihil de pœna prioris
h Ib. ca. 2. actualis peccati remaneat: *ut diximus unà cum Concilio Tridentino alibi, & modò idem repetimus*, per baptiſmum enim Chriſtum induentes nova prorſus in illo efficimur creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes; certum eſt enim, *ſubdit Div. Thom.*, quod in iſto homo novam vitam ſuſcipiens fit per gratiam baptiſmalem novus homo unde cum novam vitam incipiat, hinc eſt, quod nullus reatus pœnæ in eo remanet pro præcedenti peccato. In pœnitentia verò cum homo non mutetur in novam vitam, cum non ſit regeneratio, ſed quædam ſanatio, (*ut diximus, & ut colligitur etiam ab eodem Con. dicente*, ad quam autem novitatem, & integritatem per Sacramentum pœnitentiæ ſine noſtris magnis fletibus, & laboribus divina id exigente juſtitia pervenire nequaquam poſſumus, ut meritò pœnitentia laborioſus quidam baptiſmus à Sanctis Patribus dictus fuerit,) ideò ex vi clavium, quæ operantur in Sacramento pœnitentiæ, non tota pœna remittitur, ſed aliquid de pœna temporali, cujus reatus poſt abſolutionem à pœna æterna remanere poſſit. Quod magis patet ex eo, *quod*
i Ib. ad 1. *docet Div. Thom.*, (*i*) Sacerdos non remittit totam pęnam temporalem, ſed partem, & ideò adhuc manet
l Ib. ad 3. obligatus ad pœnam ſatisfactorium. Et *rurſus ait*, (*l*) pro quolibet peccato oportet aliquam pœnam ſatisfactoriam remanere, per quam medicina contra peccatum præſtetur, & ideò licet virtute abſolutionis dimittatur aliqua quantitas pœnæ debita pro aliquo magno peccato, non oportet, quod tanta quantitas pœnæ dimittatur, reſpectu cujuslibet peccati, quia ſecundum hoc aliquod peccatum remaneret omninò ſine pœna; ſed virtute clavium de pœnis ſingulorum peccatorum proportionaliter dimittitur.

Ex quo ſequitur, quod Sacerdos poteſt remittere peccatum quantum ad pœnam, & hoc per virtutem clavium, habet namque poteſtatem ligandi, & ſolvendi; Unde cum poſſit iniungere pœnam temporalem, poſſit & abſolvere ab eadem, & quod poſſit per poteſtatem clavium ligare, *jam habetur ex illo Matt.*, (*m*) quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum m Cap. 16.
& in Cœlis; per quæ verba, etſi dicta fuerint Petro à Chriſto Domino, tamen dixit illi, in quantum conſtituit illum caput totius Eccleſiæ; nam illi dixit, tibi dabo claves regni Cœlorum, tribuit namque tunc illi facultatem claudere cœlum nubibus, & aperire portas ejus; nihilominus tamen poteſtas clavium in ordne Eccleſiaſtico, & ad remittenda peccata ſingulorum, immò & ad remittenda peccata ſingulorum, immò & ad remittenda ſingula peccata data fuit à Chriſto Domino omnibus Apoſtolis, quandò illis dixit, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.

Et quod talis poteſtas ſit ad remittenda omnia, & ſingula peccata, & quod ad illa remittenda nullo tempore circumſcribatur, habemus manifeſtum *ex Cath. Rom.* (*n*) n In 2. par. de art. Sym. Art.
Neque verò exiſtimandum eſt, hanc poteſtatem certis quibuſdam peccatorum generibus definitum eſſe, nullum enim tàm neſarium facinus, vel admitti, vel cogitari poteſt, cujus remittendi poteſtatem ſancta Eccleſia non habeat, quemadmodum etiam nemo adeò improbus, & ſceleſtus fuerit, quem ſi erratorum ſuorum verè pęniteat, certa ei veniæ ſpes, propoſita eſſe non debeat. Sed neque hæc eadem poteſtas ita circumſcribitur, ut præfinito ſolùm aliquo tempore ea uti liceat; nam quacumque hora homo peccator ad ſanitatem redire voluerit, reiiciendum non eſſe docuit Salvator noſter; cum Principi Apoſtolorum interroganti quoties peccatoribus ignoſcendum eſſe, an ſepties? reſpondit, non ſepties, ſed ſeptuagies ſepties.

Rurſus quod poſſit per poteſtatem clavium ligare, *colligitur etiam ex illo Eccl.*, (*o*) vincula illius alligatura o Cap. 6.
ſalutis; & hoc ne de facili in peccatum graviſſimum incidatur; & quod hujuſmodi ligaturæ ſint ſalubres, *colligitur ſatis ex Concil. Trid. dicente*. (*p*) Et divinum p Seſſ. 14. cap. 8.
clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittantur, ut occaſione accepta peccata leviora putantes, veluti iniurii, & contumelioſi Spiritui Sancto in graviora labamur: theſaurizantes nobis iram in diæ iræ. Proculdubio enim magnopere à peccato revocant, & quaſi fræno quodam coercent, hæ ſatiſfactoriæ pœnæ, cautioneſque, & vigilantiores in futurum pęnitentes efficiunt, medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus malè vivendo comparatos contrariis virtutum actioribus tollunt.

Subdit *autem Div. Thom.*, (*q*) & hoc maximè, quia q In ſuppl. q. 18. ar. 1.
operatio Sacerdotis in uſu clavium eſt conformis Dei operationi, cujus eſt miniſter.

Dicitur conformis operatio Sacerdotis in uſu clavium operationi Dei, quia operatio illa Sacerdotis in uſu clavium operationi Dei, quia operatio illa Sacerdotis eſt inſtrumentalia, illa verò Dei eſt principalis, & ut principalis, Deus habet operationem & in culpam, & in pœnam; in culpam ad ſolvendum directè; ut habetur manifeſtè *ex illo Joannis*, (*r*) quando r Cap. 8.
Scribæ, & Pharisæi adduxerunt ad Jeſum mulierem in adulterio deprehenſam: conſtat enim, quod illis dixit, qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illa lapidem mittat; Quo audito unus poſt alium exibant, incipientes à ſenioribus, utpotè quia magis capaces, immò & frequentes in delitiis, & inverecundi propter canitiem per quam multa delicta committunt, quæ tamen non judicantur ab hominibus. Niſi etiam dicamus, quod tunc fuit ad demonſtrandam prudentiam ſenectuti debitam, quæ eſt conſiderare propria, & non admirari

de

de alienis. Sed quidquid ſit de hoc: Reverſus Jeſus ad mulierem dixit ei, ubi ſunt, qui te accuſabant? nemo te condemnavit? Quæ dixit, nemo, Domine. Tunc Jeſus dixit, nec ego te condemnabo. Immò vade, & quod majus eſt, noli amplius peccare: iſta mulier non ſolum ſoluta fuit à pœna, quæ illi debebatur juxta legẽ Moyſi, per quam pręcipiebatur hujuſmodi lapidare, verùm etiam à culpa, per hoc, quod dictum fuit illi, vade, noli amplius peccare.

Ad ligandum verò indirectè, in quantum obdurare dicitur, dùm Gratia non largitur: In pœnam verò habet operationem directè quantum ad utrumque, quia & pœnæ parcit, & pęnam infligit. Sacerdos autem è contra, licet in abſolvendo ex vi clavium habeat aliquam operationem ordinatam ad culpæ dimiſſionem, non tamen ligando aliquam operationem habet in culpam, niſi ligare dicitur, in quantum non abſolvit, ſed ligatos oſtendit; at in pęnam habet poteſtatem & ligandi, & ſolvendi; nam à pęna, quam dimittit, ſolvit, & ligat quoad pęnam, quæ remanet. Sed adhuc conſiderandum eſt, quod ligare ad pęnam, & conſideratur ipſa quantitas pęnæ in communi, & ſic non ligat, niſi in quantum non ſolvit, ſed ligatum oſtendit: & conſideratur pęna hæc, vel illa determinatè, & ſic ligat ad pęnam imponendam.

Et licet habeat poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, attamen non poteſt ſecundum proprium arbitrium ligare, & ſolvere. Non enim operatur, ut agens principale, ſed ut inſtrumentum, quod eſt id, quod *docet D. Th.* (ſ) Sacerdos operatur in uſu clavium, ſicut inſtrumentum, & miniſter Dei, & quia nullum inſtrumentum habet actum efficacem, niſi ſecundum quod movetur à principali agente, hinc ſequitur, quod *ſecundum Dionyſium de Eccleſiaſtica Hierarc.* (t) Sacerdotibus utendum eſt virtutibus hierarchicis, quandò divinitas eos moverit. In cujus ſignum *tùm Matth* (u) ante poteſtatem clavium Petro traditam fit mentio de divinitatis revelatione ei facta; dicitur enim, Beatus es Simon Barjona, quia caro, & ſanguis non revelabit tibi, ſed Pater meus qui in Cęlis eſt. Non enim per carnem, & ſanguinem poteſt agnoſci divinitus, propterea dicitur, ſed Pater meus, qui in cęlis eſt, revelavit tibi, ad cognoſcendum quæ, & qualis ſit veritas revelata, intellige tu de myſterio Trinitatis, & conſubſtantialitatis filii, & proceſſionis Spiritus Sancti à Patre, filioque. *Tùm ex illo Joannis*, (x) ubi præmittitur poteſtati remiſſionis datæ Apoſtolis Spiritus Sancti donum, quo filii Dei aguntur, nam legitur, priuſquam dixerit, quorum remiſeritis peccata &c. inſuflavit, & dixit eis, accipite Spiritum Sanctum. Quapropter ſi quis præter illum motum divinum uti ſua poteſtate præſumpſerit, non conſequeretur effectum, & à divino ordine averteretur, unde & in culpam incurreret, mortalem utique, cum iſta importet averſionem à Deo: ne ergo Sacerdos in uſu clavium avertat animam ſuam à Deo, non debet ſecundum proprium arbitrium ligare, & ſolvere, ſed ſecundum illud, quod prudentia illi dictat, & timor Domini movet illos ad religiosè operandum in ligando, atque ſolvendo.

ſ in Supl. q. 18. a. 4.
t cap. ult.
u cap. 16.
x Cap. 20.

Et quamvis temporibus præteritis ab Eccleſia obſervaretur, ut cum aliquo publicè flagitium commiſſum eſſet, publica etiam pęnitentia ei indiceretur, ut cęteri timore perterriti deinceps peccata diligentiùs vitarent; quod etiam in occultis criminibus, quæ graviora eſſent, interdùm fieri ſolitum erat; ſed in publicis hoc perpetuum fuit, ut qui ea commiſerunt, antequam publicam pęnitentiam ſuſciperent, non abſolverentur.

Modò tamen de hujus veteris diſciplinæ ſeveritate remiſſum eſt ob hoc præcisè, quod refrigeſcit charitas multorum, ut jam plerique ex fidelibus ad peccatorum veniam impetrandam, nullum intimum animi dolorem, atque gemitum cordis neceſſarium pateat, ſed illud ſatis arbitrentur eſſe, ſi ſpeciem tantùm dolentis habeant; & hoc quia non ob aliud, niſi quia ſuperabundavit iniquitas. Quod *& Concil. Trid. hoc animadvertens determinavit*, (y) Apoſtolus monet publicè peccantes, palàm eſſe corripiendos, (*ſic enim legitur ad Timot.* (z) peccantes coram omnibus argue, ut & cęteri timorem habeant;) quando igitur ab aliquo publicè, & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit; unde alios ſcandalo offenſos, commotoſque fuiſſe non ſit dubitandum: huic indignam pro modo culpæ pęnitentiam publicè injungi oportet; ut quos exemplo ſuo ad malos mores provocavit, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam revocet vitam. Epiſcopus tamen publicè hoc pęnitentiæ genus in aliud ſecretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire. Sic ergo videmus, quod & hoc tribunal publicè peccantibus publicam pœnitentiam infligit; ſicut & illud piè, ac religiosè inſtitutum à religioſiſſima, piiſſima, & ſemper Catholica Republica Veneta contra publicos blaſphemantes nomen Sanctum Dei, nomen Virginis Marię, atque Sanctorum, contra illos, qui inverecundè proferunt verba ita ſcandaloſa, ut melius eſſet, illa numquam ſcire, ut de eorum nominibus memoria evaneſceret. Unde ſæpè ſæpius iſti tales videntur, vel ſignati in fronte, ut ſemper eorum infamia appareat, vel abſciſſa eſt illis lingua, ut non ſolùm non proferant blaſphemias, & verba orrenda, ſed etiam ut non amplius audiri poſſint ab ore illorum; & hæc publicè, & per publicum miniſtrum juſtitiæ: vel damnati in publica carcere, vel in triremi, & hoc ad exemplum aliorum, ne in ſimilia peſtifera ſcelera delinquant.

y Seſſ. 14. de Reform. cap. 8.
z 1. p. cap. 5.

Verùm *ſubdit Div. Thom.*, pœnæ ſatisfactoriæ infligendæ ſunt medicinæ, & cum ſint tales, rectè ſequitur, quod ſicut medicinæ in arte determinatæ non omnibus competunt, ſed variandæ ſunt, ſecundum arbitrium medici non propriam voluntatem ſequentis, ſed ſcientiam medicinæ, ita pœnæ ſatisfactoriæ in canone determinatæ non omnibus competunt, ſed variandæ ſunt ſecundum arbitrium Sacerdotis divino inſtinctu regulatum, ac proinde ſicut medicus aliquando prudenter non dat medicinam ita efficacem, quæ ad morbi curationem ſufficiat, ne propter debilitatem naturæ majus periculum oriatur; Ita Sacerdos divino inſtinctu motus non ſemper totam pęnam, quæ uni peccato debetur, injungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine pęnæ deſperet, & à pęnitentia totaliter recedat; Quod eſt conforme ad illud, quod *docuit D. Th.* (a) ſit autem Sacerdos ita cautus, ut non imponat pęnitentiam ita gravem, & auſteram pęnitenti, ut pęnitens totum dimittat. In remiſſione pęnæ debitæ diſcretio exhibenda eſt, ita ut ſicut nec ita gravem imponere debeat pęnitentiam, ita nec ita levem, ne peccator contemnat peccatum, & ut ex levitate pęnitentiæ libentius in peccatum relabatur. Faciat igitur quodam temperamentum ex miſericordia, & ſeveritate, ut pęnitentia non ſit nimis diſſoluta, nec nimis rigida; adeòque non ſecundum proprium arbitrium ipſius Sacerdotis imponenda eſt peccatori pęnitenti pęnitentia; ſed reflectere debet, & ſit in documentum omnium claves habentium, quod Chriſtus Dominus ſolùm habuit poteſtatem excellentię in Sacramentis, unde ſolus ipſe ex auctoritate pęnam totam, vel partem pęnę poterat dimittere, ſicut volebat; Miniſter autem Sacramentorum operari ſolùm debet, ſicut pręſcripſit illi Dominus, ſicut & Eccleſia, quę in Sacramentis non addit aliquid, ad eorum eſſentias pertinens, ſed ſolùm pręſcribit, quomodò ſit operandum, & qualiter ſanctè, ac religiosè, ut eorum fructus magis in fidelibus augeatur.

a Opuſc. 65 cap. 4.

Super Quæſtionem Decimamnonam,

De Miniſtris Clavium,

LEgem veterem imperfectam fuiſſe manifeſtat *Paulus ad Heb. dicens*, (a) umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum; promittebat namque bona futura per Chriſtum à Deo promiſſum, *hinc Moyſes exorabat Dominum dicens*, mitte, quem miſſurus es; & redempturum Iſrael; quę

a cap. 10.
b Exod. cap. 4.

tamen

Digitized by Google

c Jo. 1. tamen bona non dabat, ut *teſtatur Joannes dicens*, (c) lex per Moyſen data eſt, gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt; per ipſum namque apertum eſt cęlum, quod priùs clauſum omnibus tenebatur; unde d Pſal. 23. *& David in ſpiritu viſionis exclamavit*, (d) attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Propterea ipſemet Chriſtus, ac Redemptor ad diſcipulos illos, quorum oculi tenebane Luc. c. 24 tur, ne eum agnoſcerent, dixit, Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Et hoc in ſignum noſtræ redemptionis, omniumque bonorum, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum: In viſione namque Dei omnia bona fruuntur: Quibus bonis nemo poterat frui antequam Chriſtus paſſus fuiſſet, cum ipſe ſolus habebat clavem David aperiendi, & claudendi per auctoritatem, in quantum Deus, & per meritum in quantum homo; & inde eſt, quod rectè dicitur, quod habet clavem excellentiæ; quam clavem, non excellentiæ, cum ſolùm in Chriſto ſit; nec etiam miniſterialem Sacerdotes legales habebant, & rationabiliter, eò quia poteſtas illius Sacerdotii non ſe extendebat ad cęleſtia, in cujus veritatis ſignum Sacramenta veteris legis gratiam non conferebant, ſed ad figuras cęleſtium, adeòque per poteſtatem illorum non poterat aperiri regnum Cęlorum. Igitur ſoli Sacerdotes legis novæ, quæ lex gratiæ dicitur, habent hanc poteſtatem clavium, ut miniſtri tamen, qui poteſtatem habent removendi impedimenta introitus in cęlum per remiſſionem peccati; ſolis Sacerdotibus hoc conceſſum eſt, ſive ſint boni, ſive mali, cum omnes miniſtri ſint, adeòque ſi mali non propter hoc privantur uſu clavium, cum jam & ipſi ordinentur populo in iis, quæ directè ſunt ad Deum. Solis, & omnibus Sacerdotibus, non verò aliis, etiam ſi homines ſancti eſſent, dummodo Sacerdotes non eſſent, ſiquidem ille, qui effectum clavium conſequitur, non aſſimilatur utenti clavibus, ſed Chriſto, & ideò quantumcumque aliquis habeat de gratia, non poteſt pertingere ad effectum clavium, niſi applicetur ad hoc, ut miniſtet per ordinis ſuſceptionem. Sed quid de hæreticis, ſchiſmaticis, & excommunicatis? iſti habent ne uſum clavium? Jam præſupponitur, quod iſti omnes Sacerdotes ſint, & cum ſint tales, conſequenter concedendum eſt in omnibus illis manere poteſtatem clavium quantum ad eſſentiam, non tamen uſum, qui impeditur ex defectu materiæ; Eccleſia namque hæreticos, ſchiſmaticos, & alios ſimiles privat, ſubtrahendo ſubditos, vel ſimpliciter, vel quantum ad aliquid, & ideò quantum ad hoc, quod privati ſunt, non poſſunt uſum clavium habere.

Diximus, quod Sacerdos operatur in uſu clavium, ſicut inſtrumentum, & miniſter Dei, quia, ut bene ait f Lib. 3. de pænit. c. 1. *Div. Ambroſius*, (f) hoc jus ligandi, V. & ſolvendi, ſolis Sacerdotibus eſt conceſſum. Solis Sacerdotibus, intellige tamen tù ſolis Sacerdotibus novi teſtamenti, quia Sacerdotes veteris teſtamenti, ſive legales, clag In ſu pl. q. 19. a. 1. ves non habuerunt, quia, ut *docet Div. Thom.* (g) Sacerdotii illius poteſtas non ſe extendebat ad cęleſtia, ſed ad figuras cęleſtium; non enim ſe extendebat ad cęleſtia, hoc eſt, ad aperiendum regnum Cęlorum, quod h cap. 3. conſtat ex *illo Pauli ad Gal.* (h) ſi enim data eſſet lex, quæ poſſet vivificare, verè ex lege eſſet juſtitia, & ſi per legem juſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt; at quia Chriſtus non eſt mortuus ſine cauſa, ſive gratis, hinc eſt etiam, quod ex lege non erat juſtitia, ſive lex non poterat vivificare.

Sed, *ſubdit Div. Thom.*, ad figuras cęleſtium, eò modò quò Sacramenta veteris legis non conferebant gratiam, ſed erant figuræ gratiæ per Chriſtum Jeſum, unde nec mirum, quod ſicut Sacramenta illa promittebant gratiam futuram, ita eorum miniſtri claves non habebant regni Cœlorum, licet in eis figura clavium præceſſerit; vel ſi aliquas claves habuerunt, non tamen illa Cęli, benè verò illas terreni tabernaculi. Unde i cap. 9. *Paulus ad Heb.* (i) dicebat, quæ parabola eſt temporis inſtantis, juxta quam munera, & hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt juxta conſcientiam perfectum facere ſervientem ſolummodò in cibis, & potibus, & variis baptiſmatibus, & juſtitiis carnis uſque ad tempus correctionis impoſitis. Ecce ergo quomodo Sacerdos legalis non mundabat conſcientiam, ſed tantùm juſtitias carnis, ſcil. munditias exteriores operabatur uſque ad tempus correctionis impoſitas; ac per conſequens, vide, quomodo claves non habebat, ſed figuras clavium. *Et Div. Thom. ait*, (l) Sacerdotes veteris legis habebant l ib. ad 2. auctoritatem diſcernendi, & judicandi, ſed non ut admitteretur homo judicatus ab eis in cęleſtia, ſed in figuras cęleſtium. Quaptopter *à Paulo ibid. ſubditur*, ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus ſanguinatos ſanctificat ad emundationem carnis; ergo quare non licebit dicere, quod legalia tantùm exteriùs emundabant? Pariter *& dixit ad Hebr.* (m) reprobatio m cap. 7. quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem. Inutile dicitur utique mandatum legale, non abſolutè, ſiquidem tenebantur illud ſervare, ſed comparativè ad interiorem emundationem, quæ novo teſtamento reſervabatur. *Et Div. Th. ait*, (n) quod non habebant Sacerdotes veteris legis n ib. ad 3. ſpiritualem auctoritatem, (per quam mundabantur homines interiùs,) quia per Sacramenta legalia non à culpis, ſed ab irregularitatibus, homines purgabant, ut ad manufactum tabernaculum aditus purgatis pateret per eos.

Aliàs, *ut benè Paulus dicebat ad Heb.* (o) ſi illud priùs o cap. 8. culpa vacaſſet, non utique ſecundi locus requireretur; ergo Chriſtus gratis mortuus eſſet; ergo quare Paulus loquendo de Sacerdotio Chriſti dixit, Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum non manufactum, ſcilic. non hujus creationis? Non ob aliud, niſi quia ibi Sacerdotium Chriſti præferens Sacerdotio legali per hoc, quod Chriſtus aſtitit Pontifex futurorum bonorum ad tabernaculum cœleſte introducens non per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem non manufactum, in quod introducebat Sacerdotium veteris legis per ſanguinem hircorum, & taurorum.

Quæ tamen omnia *à Sacro Concil.* (p) approbantur, p Seſſ. 6. cap. 1. dùm decrevit; declarat Sancta Synodus, juſtificationis doctrinam probè, & ſincerè intelligendam oportere; ut unuſquiſque agnoſcat, & fateatur, quod cum omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidiſſent facti immundi, & natura filii iræ; uſque adeò ſervierunt peccari, & ſub poteſtate diaboli, ac mortis, ut non modò gentes per vim naturæ, ſed ne Judæi quidem per ipſam etiam literam legis Moyſi inde liberati, aut ſurgere poſſent; tametſi in eis liberum arbitrium minimè extinctum eſſet viribus, licet attenuatum, & inclinatum. Et poſtea *ſtatuit*, (q) ſi quis q Ib. can. 1. dixerit, hominem ſuis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, abſque divina per Jeſum Chriſtum gratia, poſſe juſtificari coram Deo; anathema ſit. *Et rurſus*, (r) ſi quis dixerit r Seſſ. 7. can. 8. per ipſa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem divinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere; anathema ſit.

Solis ergo Sacerdotibus novi teſtamenti hoc, quod dicimus de clavi, tribuitur per virtutem Chriſti Domini, de quo *dicitur illud Apocal.* (ſ) hæc dicit Sanctus, & veſ cap. 3. rus, qui habet clavem David, quaſi exponat, quod ſit illa clavis habita à ſancto, & vero anthonomaſticè ſc. à Chriſto, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit, ſcil. qui rectum, infallibile judicium habet in aperiendo, & claudendo, & hoc eſt ad differentiam habentium clavem miniſterialem, qui quandòque aperiunt, & claudunt ſecundum propriam voluntatem, & non ſecundum inſtinctum Spiritus Sancti.

Unde videtur rectè neceſſe eſſe ponere in Chriſto clavem excellentiæ, utpotè quia, *ut ait D. Th.* (t) pot in Suppl. q. 19. a. 1. teſtas clavium, quam nos habemus, & aliorum Sacramentorum, eſt virtus inſtrumentalis: & in Chriſto eſt, ut in per ſe agente, ad ſalutem noſtram per auctoritatem quidem, in quantum eſt Deus, & per meritum, in quantum eſt homo. Idcircò *Matt. habetur*, (u) Chriu cap. 9. ſtum dixiſſe, ut autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata &c. Hinc

Chry-

Digitized by Google

Chryſoſtomus ſuper Matt. ſignanter dixit, in terra dimittendi peccata; ut oſtenderet, quod humanæ naturæ poteſtatem divinitatis univit indiviſibili unione: quia etſi factus eſt homo, tamen Dei verbum permanſit. *Et in Catechiſmo Romano legitur;* (x) quare veriſſimas eſſe priſcorum Patrum voces, agnoſcimus, quibus confitentur, ab uno Deo hominibus peccata condonari; neque ad alium auctorem, quàm ad ſummam ejus bonitatem, & potentiam, tàm mirificum opus referendum eſſe; Nam ipſe eſt, ut diximus qui delet iniquitates. Nam ſcelerum dimittendorum eadem ratio videtur eſſe, quam in pecunia debita ſervare oportet; Quemadmodum igitur à nemine, niſi à creditore pecunia, quæ debetur, remitti poteſt; ita cum uni Deo peccatis obſtricti ſimus, ſiquidem quotidie oramus, dimitte nobis debita noſtra, perſpicuum eſt à nemine, præter illum debita nobis condonari poſſe. Et ecce quomodo Chriſtus habet clavem, qua dimittuntur peccata, quæ clavis cum ſit excellentiæ, non poteſt eſſe clavis miniſterialis, ſed principalis; ſi enim eſſet miniſterialis, non poſſet per illam facere effectum Sacramenti ſine Sacramento, cum tamen remiſiſſe peccata abſque Sacramento pœnitentiæ conſtat & de Maria Magdalena, & de adultera, ut alibi diximus. Quæ omnia *à Div. Thom.* (y) tradita fuerunt, dùm dixit, clavis illa, quam Chriſtus habuit, non erat Sacramentalis, ſed Sacramentalis clavis principium; *& rurſus*, (z) poteſtas clavium, quæ in nobis à Chriſto derivata eſt, ſequitur characterem, quo Chriſto conformamur; in Chriſto autem non conſequitur characterem, ſed principalem formam *juxta illud quod priùs docuit*, (a) in Chriſto oportet ponere clavem, altiori tamen modo, quàm ſit in ejus miniſtris, & ideò meritò dicitur, quod habet clavem excellentiæ.

x 1. 2 de ſyn. n. 8.
y ib. ad 3.
z ib. ad 2.
a ib. in c.

Solis ergo Sacerdotibus novi teſtamenti conceſſum eſt jus clavium præcipuè illius, quæ ſe extendit ad ipſum cælum immediatè, removendo impedimenta introitus in cælum per remiſſionem peccati, & vocatur clavis ordinis, & hanc ſoli Sacerdotes habent, & non oſtiarii, nec Reges, nec mulieres, ut Abbatiſſæ. Soli Sacerdotes illam habent, quia ipſi ſoli ordinantur populo in his, quæ directè ſunt ad Deum. Sic *confirmat hanc Div. Thom. doctrinam Concilium Tridentinum*, (b) circa miniſtrum autem hujus Sacramenti declarat Sancta Synodus falſas eſſe, & à veritate Euangelii penitus alienas, doctrinas omnes, quæ ad alios quoſvis homines præter Epiſcopos, & Sacerdotes, clavium miniſterium pernicioſè extendunt, &c. Quid autem intelligat per Sacerdotes, *declarat idem Concil.* (c) Dominus autem Sacramentum iſtud tunc præcipuè inſtituit, cum à mortuis excitatus inſufflavit in diſcipulos ſuos dicens, accipite Spiritum Sanctum &c. Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis poteſtatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles poſt baptiſmum lapſus, Apoſtolis, & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatum, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit. Ubi videtur, quod per Sacerdotes intelliguntur Apoſtoli, & eorum legitimi ſucceſſores, ſcil. legitimè juxta Eccleſiæ Apoſtolicæ inſtituta ordinati in Sacerdotium. Sic & in Catechiſmo Rom. loc. cit. habetur, Dominus enim non omnibus, ſed Epiſcopis tantùm, & Sacerdotibus tam ſancti muneris poteſtatem dedit.

b in Suppl. q. ... Con. Seſ. 14. c. 6
c ib. cap. 1.

Diximus, non oſtiarii, cum iſti non habeant clavem ſpiritualem, ſed ſolùm illam, quæ deſervit ad cuſtodiam eorum, quæ in templo materiali continentur, & licet habeant judicium à tali exemplo excludendi, & admittendi, non quidem ſua auctoritate judicantes, qui ſunt digni, vel indigni, ſed judicium Sacerdotum exequentes, ut ſic quodammodo executores poteſtatis Sacerdotalis videantur.

Non Reges, qui quamvis poteſtatem in populum fidelem divinitùs habeant, ideòque à regendo dicitur, & eſt nomen tàm honoris, quàm oneris; ſiquidem tenetur exemplum aliis præbere probitatis moralis, ita ut dicat *cum Gedeone, ut ſcriptum eſt in lib. Judicum*, (d) quod me facere videritis, hoc facite; ut edoceamur, quod plus movent egregia facta Principis, quàm juſſa imperia. In hoc laude eſt dignus Julius Cæſar, ille namque numquam dixit militibus ſuis, ite, benè verò venite) & per unctionem ſanctificentur, attamen non habent aliquam poteſtatem in ſpiritualibus, ſed ſolùm in temporalibus, quæ etiam non niſi à Deo eſſe poteſt, non enim eſt poteſtas, niſi à Deo, ut *habetur ex Paulo ad Rom.* (e) & per illam unctionem non conſecrantur in aliquo ordine, ſed excellentia poteſtatis ipſorum à Chriſto deſcendere ſignificatur, ut & ipſi ſub Chriſto in populo Chriſtiano regnent.

d cap. 7.
e cap. 13.

Non mulieres, cum mulier ſit in ſtatu ſubiectionis, juxta ſententiam Domini, (f) ſub viri poteſtate eris; unde ex tali ſtatu non poteſt habere aliquam ſpiritualem juriſdictionem, quia *etiam ſecundum Philoſophum*, (g) corruptio eſt urbanitatis, quando ad mulierem dominium pervenit. *Et ideo docet Div. Th.* (h) mulier non habet, neque clavem ordinis, neque clavem juriſdictionis. Et ſi committitur mulieri aliquis uſus clavium, ut habere correctiones in ſubditas mulieres, hoc permittitur propter periculum, quod imminere poſſit, ſi viri mulieribus cohabitarent.

f Gen. c. 3.
g Lib. 8. Eth. c. 10.
h ib. ad 4.

Deinde & aſſignatur & alia clavis, eſtque, quæ non directè ſe extendit ad ipſum Cælum, ſed mediante Eccleſia, per quam aliquis ad cælum vadit, dùm per eam aliquis excluditur, vel admittitur ad conſortium Eccleſiæ militantis per excommunicationem, vel abſolutionem, quæ vocatur clavis juriſdictionis in foro cauſarum; quam clavem etiam non Sacerdotes habere poſſunt, ſicut Archidiaconi, & electi, & alii, qui excommunicare poſſunt, verùm non propriè dicitur clavis Cæli, ſed quædam diſpoſitio ad eam; quod magis confirmat *D. Thom. dicendo*, (i) ſpiritualis juriſdictio poteſt haberi ab uno ſolo, ut ab Epiſcopo, & à pluribus ſimul, ut à capitulo, & ſic habent clavem juriſdictionis, non tamen claves ordinis omnes ſimul.

i ib. ad 3.

Solis ergo Sacerdotibus conceſſum eſt jus clavium ad excluſionem tùm Sanctorum hominum non Sacerdotum, tùm illorum, qui excommunicati, hæretici, ſchiſmatici, ſuſpenſi, & degradati ſunt, non tamen ad excluſionem majorum Sacerdotum. Excluduntur itaque Sancti homines ab uſu clavium, quia *ut ait Div. Thomas*, (l) quantumcumque aliquis habeat de gratia, non poteſt pertingere ad effectum clavium, niſi applicetur ad hoc, ut miniſter per ordinis ſuſceptionem. Nemo igitur audeat, quamvis Sanctus, quamvis in gratia Dei conſtitutus ſit, uti hac clavi, ſed memor debet eſſe unuſquiſque de illo, quod evenit Azariæ, ſive Oziæ Regi Juda, iſte enim, & ſi fecerit, quod erat Placitum coram Domino, attamen cum non eſſet Sacerdos, & Sacerdotum ſacra adminiſtraſſet, in lepram incidit; *ſicut legitur in lib. Regum*, (m) percuſſit autem Dominus Regem, & fuit leproſus uſque in diem mortis ſuæ. Unde nemo ſit, qui audeat officium Sacerdotis præſumptuosè, vel quocumque modo exercere; quia pro certo tenendum eſt, quod non effugiet manus homini, dùm honorem Sacerdotum ſibi arrogaverit; Imitari debemus Chriſtum, qui non ipſe ſe glorificavit, ut fieret Sacerdos, ſed expectavit, ut à Patre audiretur, tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech: & de facto Core, Dathan, & Abiron non effugerunt manus Domini; nam & vivi in infernum deſcenderunt, & non ob aliud, niſi quia Sacerdotium, & ejus officium auſi ſunt exercere, *ut deſumitur ex Num.*

l in Suppl. q. 19. ar. 4.
m Lib. 4. cap. 15.
n ex lib. Num. c. 16.

Non excluduntur tamen Sancti homines, quod poſſint benedicere, non benedictione, quæ ſpectat ad uſum clavium, ſed illa, quæ ad bonitatem vitæ & morum attinet; *juxta Div. Thom. docentem*, (o) licet purus homo non poſſit alteri ex condigno mereri gratiam; tamen ſuius meritum poteſt cooperari ad ſalutem alterius: & ideò duplex eſt benedictio; una,

o ad 2. ib.

quæ

Digitized by Google

quæ eſt ab ipſo homine puro, ſicut merente per proprium actum, & talis poteſt fieri à quolibet ſancto, in quo Chriſtus habitat per gratiam, & hæc requirit majoritatem bonitatis ad minus in quantum hujuſmodi; alia eſt benedictio, qua homo benedicit, ut benedictionem, quæ eſt ex merito Chriſti inſtrumentaliter alicui applicans, & quantum ad hanc requiritur majoritas ordinis, & non virtutis.

Pariter ſancti homines cooperantur ad remiſſionem peccatorum, non ex vi clavium, ſed ex merito congrui, tanquam per membra columbræ, membra enim columbæ ſunt illi homines, qui templum Spiritus Sancti ſunt, utpotè habitantis in illis, *juxta illud Pauli ad Corint. (p)* templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis, per iſtos enim facit Deus remiſſionem peccatorum, in quantum eorum interceſſionibus peccata remittit.

p 1. cap. 3.

Excluduntur hæretici, Schiſmatici, ſuſpenſi degradati, ab uſu clavium, hunc enim non habent, licet habeant poteſtatem clavium quantum ad eſſentiam, eò quia cum ſint Sacerdotes, nam de his hæreticis, ſchiſmaticis &c. loquimur, non de hæreticis, ſchiſmaticis in communi, habent conſequenter & conficere Sacramentum Euchariſtiæ, & alia Sacramenta, quæ ad ordinem Sacerdotalem pertinent miniſtrare; ſolùm igitur excluduntur iſti omnes ab uſu clavium, cum iſte impediatur ex defectu materiæ: Eccleſia namque hæreticos &c. privat ſubtrahendo ſubditos, vel ſimpliciter, vel quantum ad aliquid; quantum ad hoc, quod privati ſunt, non poſſunt uſum clavium habere; *ut D. Th.*, (q) qui magis apparere facit hanc veritatem hoc exemplo; inquit enim, materia Sacramenti Euchariſtiæ, in quam ſuam poteſtatem exercet Sacerdos, non eſt homo, ſed panis triticeus; & in baptiſmo homo ſimpliciter quocirca ſicut ſi ſubtraheretur hæretico panis triticeus, abſque dubio conficere non poſſet; ſic ergo à ſimili ſi ſubtraheretur Prælato prælatio, nec abſolvere poterit; quia non habet, unde uſum clavium exercere poſſit; & hoc quantum ad ligandum, & ſolvendum; hoc eſt quantum ad remittenda, & retinenda peccata, hoc dicitur, quia licet poſſit baptizare, & conficere, cum maneat in illo poteſtas clavium quantum ad eſſentiam, adhuc tamen baptizando, & conficiendo, quia indignè, ad ſuam damnationem eſſet; & baptizando etiam, extra articulum neceſſitatis, nam in articulo neceſſitatis non ſolum hæretici, &c. verùm etiam hebræi, atque gentili convenit baptizare, & baptiſmus eorum ratus habebitur ab Eccleſia, ſi tamen ab iſta viſum fuerit, quod illi, qui baptizarunt, habuerunt intentionem faciendi, quod facit Eccleſia.

q In ſuppl. q. 19. ar. 6.

At denique mali Sacerdotes, illi V. qui aliquo peccato mortali gravati ſunt, aliquo peccato ſcil. mortali, eò quia unum peccatum mortale ſufficit ad conſtituendos malos Sacerdotes, & inimicos Dei, non excluduntur ab uſu clavium; ſed illum plenè habent, *ſicut & Concilium Trident. (r)* in confirmationem *Doctrinæ D. Th.* adducendæ ſtatuit, ac decrevit, ſi quis dixerit, miniſtrum in peccato mortali exiſtentem (modò tamen omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertineat, ſervaverit) non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema ſit. *Et Div. Thom. (ſ) docet*, quod Sacerdos eſt ſolùm miniſter: Unde iniquitas miniſtri nequit auferre liberalitatem Domini, & conſequenter nec ſua malitia donum à Deo tranſmiſſum per eum nobis poteſt auferre: non enim miniſtrorum meritò credendum eſt niti, ſed Chriſti Domini virtute, & poteſtate geri. *Et rurſus D. Thom. (t) docet*, ſicut participatio formæ, quæ eſt inducenda in effectum, non facit inſtrumentum, ita nec ſubtractio talis formæ, tollit uſum inſtrumenti, ut patet de ſera, nam numquam eſt tabula, & ita ſubtracta non perdit uſum; ſic pariter cum homo ſit tantum inſtrumentaliter agens in uſu clavium, quantumcumque ſit per peccatum privatus gratia, per quam fit remiſſio peccatorum, nullo modo privatur uſu clavium; *ſic & determinavit Concilium Trident. (u)* docet quoque etiam Sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus Sancti in ordinatione collatam, tanquam Chriſti miniſtros functionem remittendi peccata exercere, eoſque pravè ſentire, qui in malis Sacerdotibus hanc poteſtatem non eſſe contendunt; adeòque ſi quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali ſunt, poteſtatem ligandi, atque ſolvendi non habere, anathema ſit. Inferendum eſt itaque *cum D.Th. (y)* quod donum Spiritus Sancti exigitur ad uſum clavium, at veriſſimum eſt etiam, quod non ut ſine quo fieri non poſſit, ſed quia ſine eo incongruè fit ex parte mentis, ac proinde remanet certum, quod ſubiiciens ſe clavibus effectus clavium conſequatur, eò maximè quia Rex cœleſtis ad differentiam Regis terreni, in ſuo theſauro defraudari non poteſt; & hoc quia totum ad ſuum honorem cadit etiam, quod aliqui clavibus malè utantur; novit namque ex malis elicere bona, & per malos multa bona facere, quod corroboratur *à D. Th. docente, (z)* interceſſio, quam Sacerdos malus ex propria perſona facit, non habet efficaciam, ſed illa, quam facit, ut miniſter Eccleſiæ, habet efficaciam ex merito Chriſti, qui dat effectum Sacramenti: verùm ne populus ſubiectus curæ hujuſmodi mali Sacerdotis defraudatus remaneat, dicendum eſt, quod utroque modo interceſſio Sacerdotis populo ſubiecto prodeſſe debet.

r Seſſ. 7. can. 12.

ſ in Suppl. q. 19. a. 5. in 2. arg. ſed C.

t ibid. ar. 6.

u Seſſ. 14. cap. 6.

x ib. can. 9.

y ib. ad 3.

z ib. ad 4.

Super Quæſtionem Vigeſimam.

De iis, in quos uſus clavium exerceri poteſt.

AD ſalutem omnium in Chriſto credentium inſtituta fuerunt Sacramenta ab eodem, & voluit, ut a Sacerdotibus, qui miniſtri ſunt Dei, & Chriſti conficerentur, & diſtribuerentur; propterea juſſit, ut per totum Mundum ſe transferrent, & ibi prædicarent Evangelium omni creaturæ, omni populo, cum pro ſalute omnium pati, & mori voluerit, incipientes à baptiſmo, ut regenerati per fidem, tanquam membra fierent unum in Chriſto, qui eſt caput totius Eccleſiæ, quæ una eſt, ſicut Chriſtus eſt unus. Ad quod opus conſummandum miſſi fuerunt Apoſtoli in varias civitates & loca, & conſtituti fuerunt Epiſcopi, & Præsbyteri earumdem, ut haberent ſuper illos, qui fidem Chriſti amplexabantur poteſtatem miniſtrandi Sacramenta, & conſequenter ligandi, atque ſolvendi; & ut ordine pacifico omnia dirigerentur, unuſquiſque gregem ſuum paſcebat prædicatione, & doctrina, reſervata tamen abſoluta poteſtate ſuper omnes Eccleſias Petro, qui vicem Chriſti in terris gerebat, ſicut & modò reſidet tota poteſtas in ſucceſſoribus Petri; hinc ergo eſt, ut Papa, qui habet indiſtinctam poteſtatem ſuper omnes, poteſt uti clavibus in omnes; Epiſcopi verò poteſtatem habent diſtinctam, & diverſam, cum tantùm in ſuis diœceſibus præbeant, ſicut & de illis tantùm animabus ſuæ curæ commiſſis redditurі ſunt rationem in die tremenda judicii. Adſunt & alii Sacerdotes, qui & Parochiani, iſti habent poteſtatem minus diſtinctam, cum ſolummodo ſuper illos, qui in ſua parochia exiſtunt, poteſtatem clavium exercere poſſint, hoc eſt quantum ad uſum, qui tamen in articulo neceſſitatis omnibus datus eſt, Sacerdotibus tamen. Qui tamen ſuper populum ſibi ſubditum habet poteſtatem abſolvendi illum, & ſemper, niſi à Superiori poteſtate aliqua peccata ſibi reſerventur: & hic enumerantur quinque caſus, in quibus oportet, ut ſimplex Sacerdos pœnitentem ad ſuperiorem remittat; qui caſus explicabuntur. Verumtamen ille, qui ſuperior eſt ſive jam tota Eccleſiis, ut ſummus Pontifex, ſive in parte Eccleſiæ, ut Epiſcopus, cum & ille, & iſte ſic circumdatus infirmitate, & peccare ipſos contingat, & remedium contra peccatum aliud non ſit, niſi uſus clavium, & po-

Digitized by Google

& poteſtas ejuſdem, & in ſeipſos uti hac poteſtate clavium non poſſit, non enim poteſt eſſe ſimul judex, & reus, ideò ſequitur, quod etiam inferior Sacerdos poſſit in ſuum ſuperiorem uti poteſtate clavium; tunc enim non eſt ſuperior, ſed inferior, in quantum ei, ſe ut peccatorem ſubiicit.

Solis ergo Sacerdotibus videtur conceſſum eſſe jus clavium, & cum ſint delegati à Deo in miniſterium, hinc eſt, quod non omoibus conceſſum eſt, uti clave, quam habet in quemlibet hominem, ſed aliquibus, precipuè illis, qui habent indiſtinctam poteſtatem ſuper omnes, ſic Epiſcopi ſuper omnem ſuum gregem commiſſum poteſtatem habent, & Summus Pontifex ſuper univerſum orbem; ceterum illi, qui ſub eo diſtinctas poteſtates acceperunt, non in quolibet poſſunt uti clavibus, ſed in eos tantùm, qui eis in ſortem venerunt, *juxta Decretal. (a) ubi habetur*, nulli Sacerdotum liceat parochianum alterius abſolvere, & ligare, quod debet intelligi præter articulum neceſſitatis, in quo caſu nemini ſunt Sacramenta deneganda: *Et hoc confirmatum videtur à Sacro Concil. Trid. (b)* mandat Sancta Synodus Epiſcopis pro tutiori animarum eis commiſſarum ſalute, ut diſtincto populo in certas, propriaſque parochias, unicuique ſuum perpetuum, peculiaremque Parochnm aſſignent, qui eas agnoſcere valeat; & à quo ſolo licitè Sacramenta ſuſcipiant; aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant.

a ib q. 1. cap. 16.

b Seſſ. 24. cap. 13.

Et licet in quolibet Sacerdote ſit poteſtas ordinis, non tamen in quolibet eſt poteſtas juriſdictionis. Ex quo etiam videtur *illud dictum Joan. (c)* accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, intelligi debet de poteſtate, quæ conſequitur ordinem, quia, *ut benè ait Div. Thom.*, *(d)* poteſtas ordinis eſt æqualiter in omnibus Sacerdotibus, unde & Sacerdotibus, dùm ordinantur illa verba dicuntur, accipite Spiritum Sanctum &c. Petro autem dedit ſimpliciter poteſtatem dimittendi peccata, *quapropter dictum fuit illi à Chriſto Domino*, *(e)* & tibi dabo claves regni Celorum, & quodcumque ligaveris & c. Ex quibus verbis rectè ſequitur, quod ipſe præ aliis habet poteſtatem juriſdictionis: & ſi aliis dictum fuerit, quorum remiſeritis peccata & c. hoc intelligitur, quod uſus illius poteſtatis eſſe debeat præſuppoſita poteſtate Petro collata ſecuodum ipſius ordinationem.

c cap. 20.

d in Suppl. q. 20. ar. 1 ad 1.

e cap. 16.

De illis verò Sacerdotibus, qui non habent poteſtatem in omnibus dicitur, quod poſſint abſolvere ſemper ſuum ſubditum, ſemper utique, & ab omnibus peccatis, ab illis V. qui ab Epiſcopis non reſervantur, niſi ex ſpeciali licentia ab eiſdem conceſſa. Quod autem Epiſcopi reſervare poſſint aliqua peccata, *ſtatutum, & determinatum fuit à Concil. Trid. (f)* Magnopere verò ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere, Sanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt; ut attrociora quædam, & graviora crimina non à quibuſvis, ſed à ſummis dumtaxat Sacerdotibus abſolverentur. Unde meritò Pontifices Romani pro ſuprema ſibi poteſtate in Eccleſia ſibi univerſa tradita, cauſas aliquas criminum graviores ſuo potuerunt peculiari judicio reſervare. Neque dubitandum eſt, quando omnia, quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt; quia hoc idem Epiſcopis omnibus in ſua utique Diœceſi in ædificatiooem tamen, non in deſtructionem liceat; pro illis in ſubditos tradita ſupra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, preſertim quoad illa, quibus excommunicationis cenſura annexa eſt.

f Seſſ. 14. cap. 7.

Hanc autem delictorum reſervationem, cooſonum eſt divinæ auctoritati, non tantùm in externa politia, ſed etiam coram Deo vim habere: Verumtamen piè admodum ne hac ipſa occaſione aliquis pereat. *Et ſtatuit*, *(g)* ſi quis dixerit, Epiſcopos non habere jus reſervandi cibi caſus, niſi quoad externam politiam, atque ideò caſuum reſervationem non prohibere, quò minus Sacerdos à reſervatis verè abſolvat; anathema ſit. *Et D. Th.* in tantùm aſſerit, quod Sacerdotes poſſint abſolvere ſemper ſuum ſubditum, in quantum vult, quod cuicumque committitur principale, & acceſſorium committitur, qua de cauſa cum de Sacerdotibus committatur, quod ſubditis ſuis Euchariſtiam diſpenſent, ad quam ordinatur abſolutio à peccatis quibuſcumque, etiam illis committitur, ut ab omnibus peccatis, non tamen reſervatis, ſuum ſubditum abſolvere poſſint.

g ib. can. 11.

Et diximus *de non reſervatis tamen*, quia ut certum ſupponimus, quod poteſtas ordinis quantum eſt de ſe, ſe extendit ad omnia peccata dimittenda: verùm quia ad talem uſum poteſtatis requiritur juriſdictio, quæ à majoribus in inferiores deſcendit, hinc eſt, quod poteſt ſuperior aliqua ſibi reſervare, in quibus judicium inferiori non committat, aliàs de quolibet poſſet ſimplex Sacerdos habens juriſdictionem abſolvere; at quia non de quolibet ſimplex Sacerdos abſolvere poteſt, hinc fit, ut de illis habeat notitiam, de quibus opus eſt penitentem remittere ad Superiorem.

Quinque ergo caſus ſunt, in quibus oportet, ut ſimplex Sacerdos pœnitentem ad ſuperiorem remittat. *Primus eſt, quando ſolemnis pœnitentia eſt imponenda*, quia ejus miniſter proprius eſt Epiſcopus. Olim namque in Eccleſia mos iſte obſervabatur, ut cum ab aliquo publicè flagitium commiſſum eſſet, publica etiam pœnitentia ei judicetur: ut ceteri timore præterriti deinceps peccata diligentiùs vitarent. Modò autem de veteri diſciplinæ ſeveritate remiſſum eſt, quia refrigeſcit charitas, & hinc eſt, quod illud, quod ad honorem Dei fiebat, converſum eſt ad honorem proprium; & ideo, ubi prius & dolor, & timor erat, modò dolor in elationem converſus eſt, & timor in faſtum.

Secundum eſt de excommunicatis, quando inferior Sacerdos non poteſt abſolvere, utpote quando eſt à ſuperiori excommunicatus. Excommunicatio namque pronunciatur ab habente juriſdictionem, à quo debet & abſolutio fieri.

Tertius quando invenit irregularitatem contractam, pro cujus diſpenſatione debet ad ſuperiorem remittere. Hoc dicitur, quia licet penitentia ab omnibus defectibus culpæ liberet, non autem ab omnibus defectibus pœnæ, quia adhoc poſt peractam pœnitentiam de homicio v. g. (additur de judicio uſque ad ſanguinem, vel de bigamia, quoniam quamvis non peccent illi, qui rectè judicant, ſicut nec bigami, incurrunt tamen irregularitatem, à qua ſimplex Sacerdos nequit abſolvere) aliquis remanet irregularis. Unde Sacerdos poteſt de crimine abſolvere, & pro pœna amovenda ad ſuperiorem remittere debet; niſi in excommunicatione, cum abſolutio ab iſta præcedere debeat abſolutionem à peccato; nam quamdiu aliquis eſt excommunicatus, non poteſt recipere aliquod Eccleſiæ Sacramentum: *ut notat D. Th. (h)* caveat, inquit, autem Sacerdos, ut non recipiat ad confeſſionem excommunicatos, interdictos, antequam abſolvantur; quia tales ſunt remoti à Sacramentis Eccleſiæ. *Quartus de incendiariis*, cui caſui excommunicatio additur, propriè illis incendiariis Eccleſiæ, vel locorum ſacrorum. *Quintus, quando eſt conſuetudo in aliquo Epiſcopatu, quod enormia crimina ad terrorem reſerventur*: immò abſque conſuetudine illa poſſunt ab Epiſcopis reſervari crimina, quæ non ſolùm enormia ſunt, ut homicidium voluntarium, inceſtus, raptus, ſodomia, atque beſtialitas, abuſus Sacramentalium, & alia hujuſmodi, verùm etiam illa, quæ abominabilia ſunt ob turpitudinem facti.

h Opuſc. 65. cap. 4.

Adeſt & caſus, in quo Sacerdos non debet audire confeſſionem mulieris, cum qua peccavit, de illo peccato, ſed debet ad alium mittere; ſicut nec mulier debet ei confiteri, unde debet petere licentiam eundi ad alium, vel ad ſuperiorem recurrere, ſi ille licentiam denegaret, & hoc propter periculum, vel novæ delectationis, vel novæ ſuggeſtionis etiam cum periculo tunc de ſollicitatione ob vehementem concupiſcentiam, quæ cognitionem abſorbet, & cor de bono in malum de facili convertitur ad luxuriam: tùm quia eſt minor verecundia, unde tolleretur conditio illa, quæ ad confeſſionem neceſſaria eſt; *quod ſit verecunda*.

His tamen non obſtantibus ſi abſolveretur, eſſet abſoluta; ac per hoc intelligitur *illud dictum Auguſt.*, *(i)* nullus officio Sacerdotis uti debet, niſi immunis ſit ab illis, quæ in aliis vindicat ſecundum congruitatem, &

i Lib. de vera, & falſa pœn. cap. 20.

non

non ſecundum neceſſitatem Sacramenti, *ut benè docet*
l In Suppl. q.20.a.7. *Div. Thom.* (*l*) ſiquidem quantum eſt de poteſtate clavium, eſt extenſio ad omnes, & ad omnia peccata dimittenda, & quoad uſum hujuſmodi poteſtatis requiritur juriſdictio; unde rectè poteſt quemlibet parochianum abſolvere; immò & quemlibet accedentem ad ſe juxta limitationem tamen poteſtatis, etiam ſi ſuperior ſit. Et ideò dicitur, quod etiam in ſuum ſuperiorem
m in ſuppl. q.20 ar.2. poteſt uti clavibus *juxta Div. Thom. dicentem*, (*m*) quod in aliquem Sacerdos non poſſit uti clavium poteſtate, ex hoc contingit, quod ejus poteſtas eſt ad aliquos limitata, unde ille, qui limitavit, poteſt extendere, in quem voluerit. Et propter hoc etiam poteſtatem ſibi dare poteſt in ſeipſum, licet ipſe in ſeipſum uti clavium poteſtate non poſſit; quia poteſtas clavium requirit pro materia aliquem ſubiectum, & ita alium, quia manifeſtum eſt, quod ſibi ipſi aliquis ſubiectus eſſe non poſſit. Sic & Epiſcopus, etiamſi ſit ſuperior ſimplici Sacerdoti ſimpliciter, tamen dùm illum ſimplex Sacerdos abſolvit, ſine dubio eſt illo inferior; eò quia ſe ſubiicit illi tanquam peccatorem; & ſubiiciendo ſe Sacerdoti ſimplici, iſte habet exercere, & poteſtatem clavium, & uſum illarum ſupra illum: ac proinde rectè ſequitur, non eſſe idem judicium de judicio exteriori, & de judicio confeſſionis; quia judicium exterius eſt ſecundum homines: at judicium confeſſionis eſt quantum ad Deum, apud quem aliquis reddit minor ex hoc, quod peccat, non autem apud hominum prælationes; & ita in judicio exteriori, ſicut nullus in ſeipſum ſententiam excommunicationis dare poteſt, ita nec alteri committere, nec ſe excommunicare: At in foro conſcientiæ poteſt alteri committere ſuam abſolutionem, qua ipſe uti non poſſit; cadere debet unuſquiſque, quilibet ille ſit, ſub judicio Eccleſiæ, nec quilibet ſit, poteſt ſe diſpenſare, ne confeſſio fiat, cum ſit de jure divino, & ſolùm de ratione Dei ſit abſolvere à peccatis, & illa remittere ſine Sacramenta pœnitentiæ, non tamen ſine fructu pęnitentiæ. Niſi etiam dicamus *cum D. Th.*, (*n*) quod abſolutio in foro confeſſionis eſt principaliter poteſtas clavium, & ex conſequenti reſpicit juriſdictionem, ad differentiam excommunicationis, quæ reſpicit totaliter juriſdictionem: hæc de clavibus.

Super Quæſtionem Vigeſimam primam.

De Excommunicatione.

POEnam excommunicationis à Deo comminatam illis, qui nolebant obedire ejus mandatis, ſicut & inflictam illis, qui ſpernebant præcepta Dei, jam ex veteri lege ſatis colligitur etiam tunc temporis fuiſſe:
a cap. 7. In primis namque legimus *in Deut. dixiſſe Dominum*, (*a*) non inferes quippiam de idolo in domum tuam, ne fias anathema; ſicut & illud eſt, quaſi ſpurcitiam deteſtaberis, & velut inquinamentum, & ſordes abominationi habebis, quia anathema eſt. *Et rurſus ibid. habetur*
b cap. 13 *præcepiſſe Dominum*, (*b*) & non adhærebit de illo anathemate quidquam in manu tua, ut avertatur Dominus ab ira furoris ſui. Et apertè videtur *in libro Joſue*,
c cap. 6. (*c*) quod Deus excommunicaverit civitatem illam Jericho, dùm dixit; ſitque civitas hæc anathema, & omnia, quæ in ea ſunt, Domino, ſola Rahab meretrix vivat cum univerſis, qui cum ea in domo ſunt. Quod autem talis excommunicatio à Deo inflicta ab omnibus timeri debeatur ex illo, quod evenit impio Achan, ſatis manifeſtum apparet. Iſte enim auferendo de anathemate ex Dei juſſu fuit lapidatus; & meritò quia illam non timendo, non ſolùm venit furor Domini ſuper eum, verùm etiam ſuper omnem populum propter illum: *legitur enim ibid. iratus Dominus di-*
d cap. 7. *xiſſe*, (*d*) non poteris ſtare Iſrael contra hoſtes ſuos, eoſque fugiet, quia pollutus eſt anathemate; non ero ultrà vobiſcum, donec conteratis eum, qui hujus ſceleris reus eſt: ſicut evenit, nondum enim placatus fuit Dominus, uſque dùm omnis Iſrael non lapidaverit eum, & cuncta, quæ illius erant, igne conſumpta fuerint. Unde & ſtatim poſt hæc expugnaverunt Hai, & regem ejus tradidit Deus in manu Joſue, quod ante per excommunicationem, in quam cecidit Achan, non potuerunt, ſed percuſſi ab inimicis terga verterunt. Utinam & his noſtris temporibus multi impii Achan non reperirentur? qui ſpretis omnibus, quæ à Chriſto Domino præcepta ſunt, & ab Eccleſia Romana ſtabilita, ut homines legi Dei, ac ejus præceptis obedientes ſint, excommunicationem contemnunt, & quod pejus eſt, perversè ſuſtinent, non ſolùm non eſſe timendam, verùm etiam cum gaudio ſuſcipiendam, & procurandam. Non animadvertentes, quod & Acham cum gaudio ſuſcepit pallium coccineum valde bonum, & ducentos ciclos argenti, regulamque auream quinquaginta ſiclorum, & abſcondit in terra contra medium tabernaculi ſui; & quia illam non timuit lapidibus obrutus obiit. Sic & ferè omnibus, qui hæc, & ſimilia docuerunt, accidit. Nam Arrius ſecundum judicium Dei rectum ſimul cum excrementis inteſtina omnia, & animam effudit. Donatiſtæ, qui cum canibus Euchariſtiam projeciſſent, ab eiſdem canibus lacerati ſunt. Neſtorius lingua impia à vermibus conſumpta miſerrimè interiit. Lutherus, qui in ſuis articulis, ſivè falſis dogmatibus docuit, *& eſt articulus vigeſimus quartus in ordine*, docendi ſunt Chriſtiani plus diligere excommunicationem, quam timere, morte repentina ſublatus eſt. Zuinglius in bello contra Catholicos trucidatus eſt. Caroloſtadus à dęmone interſectus eſt, & Calvinus vermibus conſumptus expiravit, de quo *Hieronymus Bolſerus ait*, cum dæmonibus invocatis blaſphemans, & execrans obiit. Hęc autem omnia iſtis non eveniſſent, ſi excommunicationem, in quam propter perfidiam, propter oblectamenta carnalia, propter avaritiam, in odium Eccleſiæ Romanæ, in contemptum præceptorum ejus inciderunt, timuiſſent. Inobedientes fidei, Sacramenta negantes eſſe à Chriſto Domino, ſicut & ab eodem eſſe præceptam excommunicationem. Et tamen ſole clariùs eſt, quod hanc comminavit, hanc voluit eſſe, quando *dixit Matt.* e cap. 18
(*e*) ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum; quàm totum corpus mittatur in gehennam. Præbuit nobis hanc ſimilitudinem, cum per ipſam voluerit nos docere, quomodo membra putrida, & ab Eccleſia reciſſa per ſententiam excommunicationis proiicienda ſunt à nobis, ne fortè & ſimul cum illis ab eadem proiiciamus, quia *ut bene ajebat David*, cum Sancto Sanctus eris, & cum perverſo perverteris. Unde & Chriſtus Dominus *ſubdit Matt.* (*f*) bonum eſt tibi f cap. 18.
cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in ignem æternum; quaſi diceret, ſi vis ad vitam ingredi ſerva mandata unius fidei, unius Eccleſiæ, cujus ego ſum caput, illius V. Eccleſię Catholicę, & Apoſtolicæ Romanæ; eſto huic obediens, ſicut & omnibus, quæ tradidit, utpotè à me edocta, & à Spiritu Sancto dictata, & illuminata. Aliàs ſi ad dexteram, vel ſiniſtram declinabis, hoc eſt ad errores hæreticorum, & eorum, qui per falſas doctrinas obſcurare intendunt Euangelium meum, & deſtruere fundamentum illud ſolidum, ſive petram ſtabilem, ſupra quam fundavit Eccleſiam meam, jam paratus eſt iſtis ignis æternus.

Denique poteſtatem excommnnicandi tribuit Chriſtus Petro, quando illi dixit, & tibi dabo claves regni Gœlorum, & quodcumque ligaveris &c. (*g*) cer- g Cap. 16.
tum eſt enim, quod per vinculum excommunicationis ligatur homo, ne capax ſit ſuffragii, & orationis, ſicut nec Sacramentorum Eccleſiæ, donec ab iſta non ſolvatur.

Et quamvis præcipua poteſtas ligandi, atque ſolvendi collata fuerit Petro, attamen quia poteſtas excommunicandi eſt poteſtas juriſdictionis, hinc eſt, quod & Chriſtus etiam aliis Apoſtolis talem poteſtatem dedit; nam & iſtos conſtituit Principes ſuper

omnem

Digitized by Google

omnem terram, *dum dixit Matt.* amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata [i Cap. 5.] &c. Et de facto non ſolùm *in actibus Apoſtolorum (i)* de Anania, & Zaphira pereuntibus ob ſententiam Apoſtoli Petri, per quam à conſortio fidelium ablati ſuut. Verùm *etiam Paulus Apoſtolus uſus fuit tali* [k 1. cap. 5.] *poteſtate, dùm ad Corint. ſcribens dixit eis*; nunc ſcripſi vobis non commiſceri, ſi is, qui frater nominatur, eſt fornicator, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum ejuſ- [m 2. cap. 3.] modi nec cibum ſumere. *Et ad Theſſal.*, *(m)* denunciamus autem vobis fratres in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundum traditionem, quam acceperunt à vobis. Si quis autem, *ſubdit*, non obedit verbo noſtro per Epiſtolam hanc notate, & ne commiſceamini cum illo, ut confun- [n 1. cap. 1.] datur. *Et ad Timot. (n)* habens fiduciam, & bonam conſcientiam, quam quidem repellentes circa fidem naufragaverunt. Ex quibus eſt Hyrmeneus, & Alexander, quos tradidi ſatanæ, ut diſcant non blaſphemare. Etenim *ut notat Div. Thom. ibid.*, *(o)* [o Seſſ. 4.] fuit excommunicatio Apoſtoli tantæ virtutis, quod excommunicati, mox corripiebantur à diabolo, & [p Cap. 3.] corporaliter vexabantur. Deinde *ad Titum (p)* hæreticum hominem poſt unam, & ſecundam correctionem devita, ſic enim fit in Eccleſia in excommunicationibus, In tertia quippe, ſeù præmiſſa tertia canonica admonitione, conſueverunt excommunicari, niſi reſipiſcant ipſo facto. Ergo non ſunt audiendi hæretici noſtri temporis, *ut Lutherus*, qui dixit, excommunicationes eſſe tantùm pœnas externas, nec privare hominem communibus ſpiritualibus Eccleſiæ orationibus, & conſequenter non eſſe excommunicationem timendam, ſed cum gaudio ſuſcipiendam, & procurandam, ſicut nec audiendi ſunt alii dicentes excommunicationem à Papa, aut à quocumque Prælato non eſſe timendam, ſed eſſe cenſuram Antechriſti, *ut Joannes Uvicleff.* erraverunt utique iſti, & taliter erraverunt, ut inciderunt in foveam, quam aliis paraverunt; de iſtis *bene dixit* [q Cap. 27.] *Eccl.*? *(q)* qui foveam fodit, incidit in eam, & qui laqueum aliis ponit, peribit in illo. Erraverunt utique, ſed à fide, propter quod rejiciuntur ab Eccleſia Catholica, quæ in unitate fidei ſemper conſervatur; At non tantùm erraverunt, ſed locuti ſunt falſa, & ideò meritò excommunicandi ſunt; ſi reſipiſcere contemnant doctrinam fidei, & Eccleſiæ, [r Cap. 22.] ſic *deſumitur etiam ex illo Proverb.*, *(r)* ejice deriſorem, & exibit cum eo jurgium, ceſſabuntque cauſæ, & contumeliæ. *Et ex Apoſtolo Paulo ad Rom.*, [ſ Cap. 16.] *(ſ)* rogo vos fratres, ut obſervetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis. Et tandem [t Epiſt. 2.] ex *Joanne in ſua Canonica*, ſi quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi, Ave, communicat operibus ejus malignis. Erraverunt ergo iſti, unde nec defuerunt Sancti Pontifices, qui errores iſtorum damnaverunt, ut habetur namque *dictum fuiſſe ſub Anacleto Papa & Martyre*, veteri quidem lege, habetur, quod quicumque Sacerdotibus non obtemperaſſet, aut extra caſtra poſitus lapidabatur à populo, aut gladio cervice ſubiecta contemptum expiabat cruorem. Nunc verò inobediens ſpirituali animadverſione privatur, & ejectus ab Eccleſia rapido dæmonum ore diſcerpitur; ergo taceant illi, nec audeant proferre excommunicationem à Papa, aut à quocumque Prælato non eſſe timendam. Pariter *ab Urbano Papa, & Martyre dictum fuit*, ne pœnam, & mortem Ananiæ. & Zaphiræ incurrant, & quod pejus eſt, anathema Marantha fiant; etſi non corpore, ut Ananias, & Zaphiras ceciderint, animam tamen, quæ potior eſt corpore mortua, & alienata à conſortio fidelium cadant, & in profundum barathri labantur. Videtur ergo, quomodo ſit metuenda ipſa excommunicatio, cum per ipſam ſeparentur homines excommunicati, in quorum numero ſunt hæretici, à cætu Eccleſiæ. Ex quibus autem bene ſequitur, rectè ipſam excommunicationem definiri, quod ſit ſeparatio à communicatione Eccleſiæ quoad fructum, & ſuffragia generalia; quod intelligitur de excommunicatione majori; hoc autem fit ab Eccleſia, nempe ſeparare aliquem à ſuffragiis, & aliis ſpiritualibus, quia in hoc etiam vult imitari divinum judicium, quo hominem ſibi relinquit, ut per humilitatem cognoſcens ſeipſum ad Deum redeat: & ſicut Deus anathematizavit Acham, quia peccavit contra mandatum Dei, ſic & Eccleſia anathematizat illum, qui vel peccavit mortaliter, vel qui damnificavit aliquem corporaliter, ac proinde pro damno illato Eccleſiæ aliquem excommunicare poteſt; & à fidelibus, & Eccleſiæ ſubiectis ſemper timenda eſt excommunicatio, etiamſi iniuſta eſſet, idcircò humiliter obedire debent, ut ſit eis ad meritum, & petere abſolutionem, & non contemnere, ne mortaliter peccent.

Definitur excommunicatio, quod ſit ſeparatio à communicatione Eccleſiæ quoad fructum, & ſuffragia generalia. Hæc definitio *à Div. Thom. (u)* explica- [u In ſuppl. q. 21. ar. 1.] tur, *dùm ait*, quod per ſuffragia generalia nedùm intelligitur perceptio Sacramentorum, ſed etiam fructus fidelium, & quod ita ſit, *inquit ipſe*, fructus [x Ib. ad 1.] ſpiritualis Eccleſiæ non ſolùm eſt ex ſuffragiis, ſed etiam ex perceptione Sacramentorum, & ex fructu fidelium; qui etſi orare poſſint pro excommunicatis, tamen fructum non percipiunt, quamdiù in excommunicatione manent; & ſi oretur, oratur ſolùm, *ait Div. Thom.*, *(y)* ut detur eis ſpiritus pœni- [y Ib. ad 1.] tentiæ, & ab excommunicatione ſolvantur; ſic & ab Eccleſia oratur in die Paraſceves, *omnipotens ſempiterne Deus, qui ſalvas omnes, & neminem vis perire: reſpice ad animas diabolica fraude deceptas, ut omni hæretica pravitate depoſita, errantium corda reſipiſ-* [z Ib. ad 4.] *cant, & ad veritatis tuæ redeant unitatem.*

Ex quibus conſtat, quod non tantùm pro hæreticis, qui à jure excommunicati ſunt, verùm etiam pro excommunicatis ab homine, ut ſunt illi, qui quamvis de corpore Eccleſiæ ſint, tamen pro juſtiſſimis cauſis, & pro graviſſimis delictis ab eadem per ſententiam judicis excommunicantur privatim, oratur, ut ab excommunicatione ſolvantur.

Ab illa ſcilicet majori, nam duplex eſt excommunicatio; *major, & minor.* Major etſi pateat, quid ſit ex definitione tradita, ulterius dicitur, quod major eſt ſeparans à cætu fidelium, & à participatione Sacramentorum, immò & ab ingreſſu Eccleſiæ, unde & verè anathema dicitur, *cum anathema ſit nomen græcum, & dicitur omne ſeparatum à communi uſu*; Minor verò eſt ſeparans tantùm à participatione Sacramentorum, hoc eſt à perceptione, ſed non à collatione, ab electione quoque paſſiva, ut inhabilitas beneficii conſequendi, & quamvis conferendo peccet mortaliter talis excommunicatus, nihilominus tenet collatio; & meritò cum etiam ſi ab hæreticis & ſchiſmaticis, qui excommunicati excommunicatione majori ſunt, dùm conferuntur Ordines, & alia Sacramenta, tenet collatio, licet & ipſi, & ſuſcipientes certi de illorum hæreſi, vel ſchiſmate peccent mortaliter. *Unde Div. Thom. loquendo de excommunicatione minori ait*, hæc non habet perfectam rationem excommunicationis, ſed aliquid ipſius participat, ac proinde non oportet, quod ei totaliter excommunicationis definitio conveniat, ſed ſolùm quoad aliquid.

Unde non cum excommunicatis minori excommunicatione, ſed cum excommunicatis majori excommunicatione prohibetur participatio, ſive communicatio fidelium, tùm in ſpiritualibus, ut mutuæ orationes, & conventus ad ſacra percipienda, tùm in corporalibus actibus legitimis, qui quidē actus

humilitatem ſeipſum cognoſcens ad Deum redeat. Nam Deus punit peccatores relinquendo hominem ſibi, ut auxiliis ſubtractis, quibus à malo præpediebatur; ſuam infirmitatem cognoſcat, & humilis ad Deum redeat, à quo ſuperbus diſceſſerat.

Excommunicatus triplex incurrit incommodum per tria, quæ quis ex ſuffragiis Eccleſiæ conſequitur. *Valent enim ad augmentum gratiæ, eis, qui iam habeat, vel ad merendum eis, qui non habeat*; & quantum ad hoc gratia Dei per excommunicationem ſubtrahitur. *Valent etiam ad cuſtodiam virtutis, & quantum* ad hoc protectio ſubtrahitur, non quod omnino à Dei providentia excludatur excommunicatus, ſed ſolùm ſubtrahitur ab illa protectione, qua filius Eccleſiæ ſpeciali modo cuſtodit; hoc eſt privatur protectione ſpeciali, non generali: *Valent denique ad defendendum ab hoſte, & quantùm* ad hoc datur diabolo major poteſtas ſæviendi in ipſum & ſpiritualiter, & corporaliter. Unde in primitiva Eccleſia quando oportebat per ſigna ad fidem homines invitare, ſicut Spiritus Sancti donum viſibili ſigno manifeſtabatur, ita & excommunicatio corporali vexatione à diabolo innoteſcebat. Ut conſtat *ex* ſ Ep. cap. 1. *illo Pauli ad Tim.* (ſ) quidam circa fidem naufrageverunt, quos tradidi ſatanæ; à quo vexabantur. Nec conſideretur hoc, ut inconveniens, ſi ille, qui deſperatus non erat, hoſti dabatur, etenim non dabatur, quaſi damnandus, ſed quaſi corrigendus, cum in poteſtate Eccleſiæ eſſet; ex eius manu ipſum cum voluerit eripere; abſolvendo ſcilicet eum ab excommunicatione, à qua per poteſtatem à Chriſto illi collatam erat ligatus.

Excommunicati non ſolùm excluduntur ab Eccleſia, tamquam à miniſtrante Sacramenta, verùm etiam excluduntur à regno Dei quodammodo per iudicem Eccleſiaſticum, *verùm ut ait Div. Thom.*, (t) cum non de- t In ſuppl. q. 21. ar 3. beat excludere niſi indignos, & indignus, quis non redditur, niſi per peccatum mortale amiſerit charitatem, quæ eſt via ducens ad regnum, ideò nullus excommunicari debet, niſi pro peccato mortali; & quia in damnificando aliquem corporaliter, vel in rebus temporalibus aliquis mortaliter peccat, & contra charitatem facit, ideò pro damno illato temporali Eccleſia aliquem excommunicare poteſt. Quod videtur habuiſſe initium tempore Apoſtolorum, quando Ananias u Act. Ap. cap. 5. cum Zaphira (u) uxore ſua vendidit agrum, & fraudavit de pretio agri, conſcia uxore ſua pro cuius defraudatione Petrus Ananiam, & Saphiram ſententiam mortis damnavit, nam iam erat conſtitutus à Chriſto Dño in Eccleſia ſua, dùm dixit ad illum, & tibi dabo claves regni cœlorum, &c. & meritò pœna excommunicationis damnati fuerunt, quia mentiti fuerunt Spiritui S. & defraudaverunt de pretio agri, quod fuit inferre damnum temporale primitivæ Eccleſiæ, nocumentum ſcilicet, tunc enim omnia erant illis communia; & quamvis non fuerit grave nocumentum illatum Eccleſiæ, attamen propter gravitatem culpæ, utpotè quia & mendacium protulerunt, de genere illorum, quæ ſunt peccata mortalia, & contra charitatem egerunt, excommunicati fuerunt. Et ideò benè *Div. Thom. ait*, x Ib. ad 2. (x) quod excommunicationis pœna licet excedat nocumentum, non tamen excedit quantitatem culpæ; cuius ratio eſt, quia culpæ quantitas non menſuratur ex nocumento, quod quis facit, ſed ea voluntate, quod quis facit contra charitatem agens: de reliquo conſiderandum eſt, quod excommunicatio cum ſit graviſſima pœnarum, non debet infligi etiam pro peccato mortali, niſi quis contumax fuerit; vel non veniendo ad iudicium, vel ante terminationem iudicii ſine licentia recedendo, vel determinationi non parendo; quia tunc poſtquam monitus fuerit, ſi contempſerit, contumax reputatur, & excommunicari debet à iudice iam non habente, quid contra ipſum faciat amplius, ut videbimus infrà etiam ex determinatione Concilii Tridentini.

Excommunicatio poteſt dixi iniuſta dupliciter, *uno modò ex parte excommunicantis*, ſicut cùm ex odio, vel ex ira excommunicat, & tunc nihilominus excommunicatio habet effectuum ſuum, quamvis ille, qui excommunicat, peccet; iuſtè enim patitur iſte; licet ille iniuſtè agat; Unde *Div. Gregorius inquit*, præcepta paſtoris ſive iuſta, ſive iniuſta timenda ſunt; non eſſent autem timenda, niſi aliquid nocerent, etiam iniuſta. *Alio modo, & Div. Thom. ex parte ipſius excommunicationis*, (y) vel quia cauſa y In Suppl. q. 21. art. 4. excommunicationis eſt indebita, vel quia infertur ſententia iuris ordine prætermiſſo; & tunc ſi talis error ex parte ſententiæ ſit, qui ſententiam nullam eſſe faciat, effectum non habet; quia non eſt excommunicatio, ſi autem talis error ſententiam non annullet, habet effectum ſuum, & debet excommunicatus humiliter ei obedire, & erit ei ad meritum, vel abſolutionem petere ab excommunicante, vel ad ſuperiorem iudicem recurrere, ſi autem contemneret, eò ipſo mortaliter peccaret.

Poteſt etiam quandòque contingere, quod ſit debita cauſa ex parte excommunicantis, quæ non eſt debita ex parte excommunicati, ut dùm aliquis pro falſo crimine in iudicio probato excommunicatur & tunc ſi humiliter ſuſtinet, humilitatis meritum recompenſat excommunicationis damnum. Manifeſtum eſt enim, quod excommunicatio iniuſta charitatem non poteſt alicui auferre, cum charitas ſit de maximis bonis, quæ non poſſunt alicui invito auferri.

Diximus ſupra, quod *excommunicatio cum ſit graviſſima pœnarum, non debet illa infligi, etiam pro peccato mortali, niſi quis contumax fuerit, vel non veniendo ad judicium &c.*, & hoc, quod diximus cum Div. Thom., videtur roboratum *etiam ex Concil. Trident.* z Seſſ. 25. de Reform. cap. 3 fin. (z) ulterius ſic ſtatuente; quicumque verò excommunicatus, ſi poſt legitimas monitiones non reſipuerit; non ſolùm ad Sacramenta, & communionem fidelium, ac familiaritatem non recipiatur; ſed ſi obdurato animo, cenſuris annexus, in illis per annum inſorduerit, etiam contra eum, tanquam dé hæreſi ſuſpectum, procedi poſſet.

Super quæſtionem vigeſimam ſecundam.

De jis, qui poſſunt excommunicare, & excommunicari.

CHriſtus Dominus claves Eccleſiæ tribuit Petro, quoniam ſapienter ſtatuit per voluntatem ſuam, ut pondus nedùm totius Eccleſiaſtici ordinis ipſe ſuſtineret poſt ejus aſcenſionem in cœlum, verum etiam totius Chriſtianæ Reipublicæ, ac proinde ut eſſet iudex vivorum, illorum omnium, qui per regenerationem baptiſmatis, veluti membra unum in terris efficerentur in Chriſto; Propter quod dedit ei principaliter ordinis, & juriſdictionis ſuper omnes gentes, quæ cognoverunt gratiam Dei, poteſtatem; unde quid mirum ſi ipſe habebat abſolutam poteſtatem in omnibus, ſicut & verè, legitimèque habent omnes illi, qui ſucceſſivè ſedent ſuper thronum ejus; anathematizandi omnes illos, qui renuunt obedire ipſi, & præceptis ejus? Deinde Apoſtolis, qui Epiſcopi conſtituti fuerunt ſuper omnem terram, ut prædicarent Chriſtum eſſe Filium Dei, ut docerent omnia, quæ à Chriſto audierunt, & baptizarent omnes, qui in Chriſto crederent; dixit, quæcumque alligaveritis ſuper terram, &c. per

Digitized by Google

quæ verba denotatur poteſtas juriſdictionis conſiſtens in anathematizando omnes illos, qui converſi ad Dominum contumaces redduntur in fide, in dilectione, in obedientia legis, & religionis Catholicæ, & Apoſtolicæ Romanæ. Et quod ita ſit, *notat Sapientiſſimus vir Magiſter noſter Pincini his verbis*; videtur mihi dixiſſe alligaveritis compoſito verbo, non verò ligaveritis, ut ſuprà verbo ſimplici dixerat Petro: quia hic directè de vinculo cenſurarum, quæ ad aliquid agendum, vel non agendum ligant, comminatoriæ, latæque ſic ligant, ut in foro exteriori ſint extra Eccleſiam, Ideò dicitur, quod excommunicatio ad forum exterius pertinet, adeòque illi poſſunt excommunicare, qui habent juriſdictionem in foro exteriori judiciali, ac proinde ſoli Epiſcopi propria auctoritate, & majores Prælati ſecundum communem opinionem poſſunt excommunicare; ad excluſionem Præsbyterorum Parochialium, qui non niſi ex commiſſione eis facta, vel in certis caſibus, ut in furto, rapina, & in ſimilibus, in quibus eſt eis à jure conceſſum; quod excommunicare poſſint. Non tamen ad excluſionem eorum, qui etſi non ſint Sacerdotes, ut Archidiaconi, Legati, & electi excommunicare poſſunt, ſi tamen juriſdictionem habeant in foro contentioſo. Et dato caſu, quod aliquis ſit excommunicatus, vel ſuſpenſus, iſte facultatem non habet, nec poteſtatem præſumere debet, alios poſſe excommunicare, manifeſtum eſt namque, quod excommunicatus uſu juriſdictionis privatur.

Sicut quilibet ille ſit, ſive excommunicatus, ſive non, non poteſt excommunicare ſeipſum, cum nullus poſſit inferre damnum ſibi ipſi, nec infligere pœnam aliquam, & quia caret juriſdictione in ſeipſum, ſicut in ſuperiorem, ſiquidem juriſdictio reſpicit ſubditos, ac denique in æqualem, eò quia non poteſt ferre judicium, ubi eſt æqualitas. Pariter ille, qui juriſdictionem excommunicandi habet, non debet illam exercere cum tota communitate, cum ferè impoſſibile ſit, ut tota communitas ſit conſentiens ad malum, ne fortè in colligendo zizanias eradicetur ſimul & triticum. Colligenda eſt tantum zizania, & ponenda eſt in faſciculos ad comburendum, ne prævaleat adverſus triticum. Zizania ſunt illi, qui contumaces, & inobedientes perſeverant contra legem Dei & Eccleſiam, propterea excommunicandi in pœnam; etenim excommunicatio quædam pœna eſt, quæ excommunicatio, ſi fas eſt, reiteranda eſt ad majorem ſui confuſionem, vel propter alias cauſas, nam tot ſunt excommunicationes, quot cauſæ, pro quibus quis excommunicatur.

Excommunicatio cum ſit vinculum ſpirituale, hinc eſt, *ait Divus Thomas*, (*b*) quod excommunicatus non poteſt excommunicare, ligatus enim corporaliter non poteſt alium ligare, ut de ſe patet; & quia vinculum ſpirituale eſt fortiùs, quàm corporale, inde ſequitur, quod qui eſt ligatus vinculo ſpirituali per excommunicationem, non poteſt alium ligare eodem vinculo excommunicationis; immò hoc magis conſtat, nàm excommunicatus jam ſeparatur a communione fidelium, ſi ergo ſeparatur à communione fidelium, ſi ergo ſeparatur à tali communione, privatur conſequenter uſu juriſdictionis, & carendo uſu juriſdictionis caret & facultate excommunicandi; & loquitur de excommunicatis denunciatis.

b In ſuppl. q. 22. ar. 1.

Ex quo patet differentia, quæ reperitur inter amiſſionem juriſdictionis, & inter amiſſionem uſus juriſdictionis; & conſiſtit in hoc, quod ille, qui eſt excommunicatus, vel ſuſpenſus, licet non amittat juriſdictionem, cum cura ei iterum non committatur, amittit juriſdictionis uſum, in quantum ſc. alios non poteſt excommunicare.

Excommunicatio ad forum exterius pertinet per illam homines jam ſeparantur à communione fidelium, & quia in foro judicii exterioris cauſa agitur hominis ad hominem, non verò inter homines, & Deum, ut in foro conſcientiæ, ideò illi ſoli poſſunt excommunicare, qui habent juriſdictionem in foro judiciali, & iſti ſunt Epiſcopi, & majores Prælati ſecundum communem opinionem.

Verùm etſi poſſint excommunicare, non tamen ſemper debent, ſed prius re benè conſiderata, & maturè diſcuſſa illam pronunciare. *Juxta etiam Concilium Tridentinum* (*b*) Quamvis excommunicationis gladius nervus ſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio populos valdè ſalutaris; ſobriè tamen magiſque circumſpectione exercendus eſt; cum experientia doceat, ſi temerè, aut levibus in rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari & perniciem potius parere, quàm ſalutem.) Gladius etſi ſobriè magnaque circumſpectione exercendus ſit, attamen juſtè aliquando ferit hæreticos, & apoſtatantes, atque etiam peccatores, *ut notat Divus Thomas ad Corinth.* (*c*) quippe qui ſubduntur adhuc poteſtati Eccleſiæ. Cui Dominus gladium acuit, quo exterius eos cohiberet, qui ipſum labefactare, & ad exitium trahere pervicaciter coarcentur. Immò & verè gladius, quia ſicut gladius ſeparat, ſic vi excommunicationis ſeparatur à cætu fidelium, qui excommunicationi ſubduntur.) Quapropter excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmiſſis ad finem revelationis, ut aiunt, aut prò deperditis, ſeù ſubtractis rebus ferri ſolent, à nemine prorſus, præterquam ab Epiſcopo diſcernantur, & tunc non aliàs, quàm ex re non vulgari, cauſaque diligenter, ac magna maturitate per Epiſcopum examinata, quæ ejus animum moveat: nec ad eas concedendas cujuſvis ſecularis, etiam Magiſtratus auctoritate adducatur, ſed totum hoc in ejus arbitrio, & conſcientia ſit poſitum; quando ipſe pro re, loco, perſona, aut tempore decernendas eſſe judicaverit. Et ecce quomodo Epiſcopi, & majores Prælati propria auctoritate excommunicare poſſunt, quando urget neceſſitas.

b Seſſ. 25. de Ref. n. 4.

c Ep. c. 5. lect. 3.

Et rurſus ab Eodem Concilio ibidem determinatur. In cauſis verò judicialibus mandatur omnibus judicibus Eccleſiaſticis, cujuſcumque dignitatis exiſtant, ut quandoque executio realis, vel perſonalis in qualibet parte judicii propria auctoritate ab ipſis fieri poterit, abſtineant ſe tàm in procedendo, quàm definiendo à cenſuris Eccleſiaſticis, ſeù interdicto, & poſtea, ſi executio realis, vel perſonalis adverſus reos hac ratione fieri non poterit; ſitque erga judicem contumacia: tunc eos etiam anathematis mucrone arbitrio ſuo præter alias pœnas ferire poterit.

Deinde in cauſis criminalibus, ubi executio realis, vel perſonalis, ut ſuprà, fieri poterit, erit à cenſuris abſtinendum; ſed ſi dictæ executioni facile locus eſſe non poſſit, licebit judici hoc ſpirituali gladio in delinquentes uti, ſi tamen delicti qualitas, præcedente bina ſaltem monitione etiam per edictum, id poſtulet. Videtur ergo *ex Sacro Concilio*, quanta diligentia, & maturitate debeant uti Epiſcopi, immò & prælati majores, antequam evaginetur gladius iſte ſpiritualis adverſus reos.

Diximus, quod ſoli Epiſcopi, & majores Prælati propria tamen auctoritate excommunicari poſſunt, utpote habentes juriſdictionem in foro judiciali; & quod diximus, intelligi debet in omnibus caſibus, ſervatis tamen ſervandis, juxta ea, quæ definivit Concilium; pariter hoc diximus, ut ſciamus, quod Præsbyteri Parochiales non poſſunt excommunicare propria auctoritate, ſed vel ex commiſſione eis facta, vel ſolùm in certis caſibus, ut in furto, rapina, & hujuſmodi, in quibus eſt eis à jure conceſſum, ut excommunicare poſſint; quod *magis confirmat Divus Thomas dicendo* (*d*) Sacerdotes Parochiales habent quidem juriſdictionem in ſubditos ſuos,

d in Suppl. q. 22. a. 2. ad 5.

quo-

Digitized by Google

quoad forum conſcientiæ, ſed non quoad forum judiciale, quia non poſſunt coram eis convenire in cauſis contentioſis, & ideò excommunicare non poſſunt, benè tamen abſolvere in foro pœnitentiali.

Nec obſtat, quod forum pœnitentiale ſit dignius, quàm forum judiciale; nam in foro pœnitentiali non requiritur tanta, nec major ſolemnitas, ut requiritur in foro judiciali, & hoc quia in illo opus eſt, quod ſolùm Deo ſatisfiat, in illo verò & Deo, & homini oportet, quod ſatisfiat; ut de ſe pat.

Diximus, quod ſolùm illi poſſunt excommunicare, qui habent juriſdictionem in foro judiciali, hoc eſt in foro judicii exterioris; quia, *ut bene Div. Thom. docet*, (e) excommunicatio non eſt actus clavis directè, ſed magis reſpectu exterioris judicii: *Subdit tamen Div. Thom.*, licet in exteriori judicio ſententia excommunicationis promulgetur; quia tamen aliquo modo pertinet ad aditũ regni ſecundum quod Eccleſia militans eſt via ad triumphantem, hinc eſt, quod & talis juriſdictio, per quam homo excommunicare poteſt, clavis poteſt dici; nam ſub hoc nomine clavis continetur & illa, quam omnes Sacerdotes habent, & illa juriſdictionis in foro judiciali, quam habent ſoli judices exterioris fori; Utramque tamen Chriſtus Dominus Petro contulit, & ab ipſo in alios deſcendit, qui utramque habeat, ut eſt ſummus Pontifex in univerſo Mundo, cæterique Pontifices in ſua diœceſi, nullatenùs vero Sacerdotes etiam Parochiales, qui etſi habeant juriſdictionem, illam tamen habent limitatam, ut diximus, ſpectantem ſolùm ad forum conſcientiæ. *Hoc corroboratur à Concil. Trid.* (f) Quoniam igitur natura, & ratio judicii illud exponit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur; perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat; nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem, tàm in caſuum reſervatione, de qua loquitur *ibi Concilium*, tàm in abſolutione ab excommunicatione, quæ utique reſervatur illis, qui imponunt eam etiam ſi Sacerdotes non ſint, *ſecundum Div. Thom. dicentem*, (g) quod Archidiaconi, Legati, & Electi, qui quandoque non ſunt Sacerdotes, excommunicant, & hoc quia licet non habeant clavem ordinis, habent tamen clavem juriſdictionis, quæ ſufficit ad excommunicationem inferendam, per quam privatur homo ſuffragiis Eccleſiæ: Et eò maximè quia poſſunt etiam non Sacerdotes excommunicare, quia excommunicatio non reſpicit directè gratiam, ſicut Sacramenta, in quibus confertur gratia, nam Sacramenta diſpenſare ad ſolos Sacerdotes pertinet, ſicut & abſolvere, & ligare in foro pœnitentiali, ſed ex conſequenti in quantum homo privatur ſuffragiis Eccleſiæ, quæ ad gratiam diſponunt, vel in gratiam conſervant: Et ideò mirùm non debet eſſe, ſi non Sacerdotes, dummodo juriſdictionem habeant in foro contentioſo, poſſint excommunicare.

e Ib. ad 1.

f Seſſ. 14. c. 7.

g In ſuppl. q. 22. art. 2.

Excommunicati conficere utique poſſunt Corpus Chriſti, certum enim eſt, quod quantumcumque quis in excommunicationem (*hæreſim, vel Schiſma*,) labatur; attamen ab iſto Sacerdotalis ordo amitti non poteſt; & etiam quia conficere ſequitur poteſtatem characteris, qui indelebilis eſt; non ſic de excommunicatione, quæ juriſdictionem ſequitur, quæ auferri poteſt, vel ligari, *ut docet Div. Thom.*, (h) qui hæc omnia priùs dixerit, *tùm, dùm docuit*, (i) mali Sacerdotes, etiam Schiſmatici, hæretici, vel excommunicati, vel degradati poſſunt conſecrare, ſed graviter peccant; *tùm etiam, dùm docuit*, (l) excommunicatio eſt medicinalis, & ideò excommunicatis non aufertur executio Sacerdotalis poteſtatis, quaſi in perpetuum, ſed ad correctionem uſque ad tempus; degradatis autem aufertur executio, quaſi in perpetuum condemnatis. *Et rurſus alibi ait*, excommunicati Sacerdotes, (idem de hæreticis, & Schiſmaticis, & peccatoribus) licet habeant poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam, non tamen ea rectè utentur, ſed peccant utentes; privati enim ſunt executione conſecrandi per ſententiam Eccleſiæ, idcircò peccat, quicumque eorum miſſam audit, vel ab eis accipit Sacramenta.

h In ſuppl. q. 21. ar. 3. ad 2.

i 3 p. q. 64. art. 9. ad 2.

l 3 p. q. 82. art. 8. ad 3. & 9 in c. & ad 3.

At circa peccatores ſciendum eſt, quod non omnes peccatores ſunt per ſententiam Eccleſiæ executione hujus poteſtatis privati; ſed ſolùm illi, qui peccato concubinatus peccant. Et de illis dicitur, quod nemo audiat miſſam horum, quod pariter intelligi debet de notorio, vel per ſententiam, quæ fertur in convictum, vel per confeſſionem in jure factam, vel quando non poteſt peccatum aliqua tergiverſatione celari. Et de *iſtis habetur determinatum in Concil. Trid.*, (m) prohibet Sancta Synodus quibuſcumque clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus poſſit haberi ſuſpicio in domo, vel extra domum, detinere, aut cum jis ullam conſuetudinem habere audeant; alioquin pœnis à Sacris Canonibus, vel ſtatutis Eccleſiarum impoſitis puniantur. Quod ſi à ſuperioribus moniti ab jis ſe non abſtinuerint, tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum, beneficiorum ſuorum quorumcumque, & penſionum ipſo facto ſint privati; quæ fabricæ Eccleſiæ, aut alteri pio loco arbitrio Epiſcopi applicetur. Si verò in delicto eodem cum eadem, vel alia fœmina perſeverantes ſecundæ monitioni adhuc non paruerint; non tantùm fructus omnes, ac proventus ſuorum beneficiorum, & penſiones eò ipſo amittant, qui prædictis locis applicentur: ſed etiam à beneficiorum ipſorum adminiſtratione quod Ordinarius, etiam uti Sedis Apoſtolicæ delegatus, arbitrabitur, ſuſpendantur; & ſi ita ſuſpenſi, nihilominus eas non expellant, aut cum jis etiam verſentur, tunc beneficiis, portionibus, ac officiis, & penſionibus quibuſcumque Eccleſiaſticis perpetuò priventur, atque inhabiles, ac indigni quibuſcumque honoribus, dignitatibus, beneficiis, ac officiis in poſterum reddantur, donec poſt manifeſtam vitæ emendationem ab eorum ſuperioribus cum jis ex cauſa viſum fuerit diſpenſandum. Sed ſi poſtquam eas ſemel dimiſerint, intermiſſum conſortium repetere, aut alias hujuſmodi ſcandaloſas mulieres ſibi adjungere auſi fuerint, præter prædictas pœnas, excommunicationis gladio plectantur. Ex quibus ſolùm habetur & privatio beneficiorum, proventuum, & aliorum ſimilium, & privatio penſionum, & adminiſtrationis beneficiorum, inhabilitas ad honores, beneficia, dignitates, &c.: & deinde quod excommunicentur, numquam tamen legitur, quod priventur ordine Sacerdotali, vel quod conficiendo non conficiant Sacramenta Eccleſiæ Euchariſtiæ ſcilicet, & aliorum ad eorum poteſtates ſpectantium.

m Seſſ. 25. de Reform. cap. 14.

Excommunicatio cum ſit pœna, & pœna cum non infligatur, niſi reo, ſeù illi, qui peccavit peccato inobedientiæ Eccleſiæ, hinc ſit, quod licet habens poteſtatem excommunicandi poſſit in ſuos ſubditos hujuſmodi pœnam infligere, non tamen poteſt excommunicare ſeipſum, ſuperiorem, vel æqualem. Et hoc provenit ex eo, quod nemo in ſeipſum, vel in ſuperiorem, vel in æqualem juriſdictionem habet, *ait Div. Th.*, (n) etenim per juriſdictionem aliquis conſtituitur in gradu ſuperioritatis. Et dato, ut diximus, quod Sacerdos Parochialis excommunicet in generali pro furto, rapina, & hujuſmodi, in quibus eſt eis conceſſum, quod excommunicare poſſit, & accidat, quod ipſemet fecit, vel ſuperior, vel æqualis, tamen tunc nullus excommunicatur, *ait Div. Thom.*, (o) quia par in parem nullum habet imperium, multò magis in ſeipſum, cum nemo in eadem cauſa poſſit eſſe reus, & judex; unde ut certum remanet, nullam habere juriſdictionem, nec in ſe, nec in ſuperiorem, vel æqualem.

n In ſuppl. q. 22. art. 4.

o Ib. ad 2.

Excommunicationis ſententia ferri non poteſt in aliquam Univerſitatem, Eccleſia namque conformatur, ut diximus, in judicando judicio Dei, & cum non ſit Dei, qui judicat omnem terrã, ut condemnet juſtum cũ impio ut *leg. Gen.* (p) ubi Dñs Deus ad Abrahã dixit, ab-

p Cap. 18.

ſit à te, ut rem hanc facias, & occidas juſtum cum impio; conſequenter non erit Eccleſiæ condemnare aliquam univerſitatem ſub pœna excommunicationis; Sic & [q Cap. 11.] *Div. Auguſt. ſuper Matt. dixit*, (*q*) Princeps, & multitudo non eſt excommunicanda. Ex quibus poſtea *Div.* [r In ſuppl. q. 22. ar. 5.] *Thom. docet*, (*r*) quod Eccleſia, quæ Dei judicium imitari debet, ſatis providè ſtatuit, ut communitas non excommunicetur, ne cum Loliis, & zizaniis (*zizanium namque eſt vitium tritici*, propterea amplè *à Div.* [ſ Sex. Dom. 4. poſt Oſt. Epiphaniæ] *Thom.* (*ſ*) accipitur, dum ait, malediciuntur zizania, quæ ſunt loſium per luxuriam, vitia per avaritiam, avena per ſuperbiam) ſimul eradicetur & triticum. Manifeſtum eſt namque, quod non eſt probabile, quod tota communitas ita tota ad malum conſentiat, quin aliqui ſint diſſentientes; *legitur enim in lib. Gen.*, [t Cap. 6.] (*t*) quod Deus miſit diluvium, per quod conſummaretur omnis caro, finis, *inquit Dominus*, univerſæ carnis venit coram me: & tamen Noe, cum eſſet vir juſtus, atque perfectus, ſalvatus fuit; *immò Deus ad Noe dixit*, ponam ſædus meum tecum, & ingredieris arcam tu, & filii tui, uxor tua, & uxores filiorum tuorum tecum. Et quando pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulfur, & ignem de cœlo; nonne libe- [u Cap. 19.] ratus fuit (*u*) Loth cum filiabus ſuis? Et hoc in ſignum, quod Deus non punit juſtum cum impio: Sic ergo & Eccleſia ad immitationem Judicii Dei non poteſt excommunicare ipſam totam communitatem, licet ex alia parte ab Eccleſia poſſint ſinguli de communitate excommunicare: de qua etiam redditur ratio, nam excommunicari non debet aliquis, niſi pro peccato mortali, peccatum autem in actu conſiſtit; & actus non eſt communitatis, ſed ſingularum perſonarum, ut frequenter, idcircò non tota communitas, ſed ſinguli de communitate excommunicari poſſunt.

Nec eſt formandum idem judicium de ſuſpenſione, ſive interdicto, ac de excommunicatione; nam, *ut* [x ad 9. Ib.] *ait Div. Thom.*, (*x*) ſuſpenſio non tanta pœna eſt, quanta excommunicatio; ſuſpenſi enim non fraudantur Eccleſiæ ſuffragiis, ſicut excommunicati, ac proinde non ſolùm aliquis ſine peccato proprio ſuſpenditur, ſed & totum regnum ponitur ſub interdicto pro peccato Regis, non ſic ponitur tota communitas, immò & totum regnum ſub excommunicatione pro peccato unius, vel plurium.

Excommunicatio cum ſit quædam pœna, & pœnæ medicinæ ſint, & medicinæ iterum, atque iterum dentur infirmo, ut ſanetur, & ut fortiùs habeatur; quod eſt medicinas iterari neceſſariò, quia cauſa ſic exigit; ſic eò ferè modò dicendum eſt de excommunicatione, quæ cum ſit medicinale remedium, ut homo reſipiſcat, & convertatur de via ſua mala, meritò iterari poteſt, ad majorem etiam confuſionem illius, qui [y in ſuppl. q. 21. ar 6. ad 1.] excommunicatur. (*y*) Hoc autem intelligitur de Chriſtianis, qui per characterem baptiſmalem enumerati ſunt inter populum Dei, & ſemper remanent Chriſtiani, quia ſemper remanet Character baptiſmalis, qui indelebilis eſt, ac per conſequens cum ſemper ſit inſignitus charactere baptiſmali, de iſto ſemper Eccleſia judicare debet. Quod autem dicitur de Chriſtianis, nullo modo debet dici de Paganis, & aliis infidelibus, iſti enim numquam inſigniti fuerunt charactere baptiſmali, ac proinde numquam fuerunt enumerati de populo Dei; idcircò ſolùm Chriſtiani poſſunt excommunicari, atque iterum excommunicari; quod eſt poſſe iterari excommunicationem, cum quo tamen ſtat, quod ille, qui pluries eſt excommunicatus, ſit etiam magis elongatus à ſuffragiis Eccleſiæ, quàm qui ſemel tantùm. Verum tamen eſt, quod qui pluries excommunicatur, nequit ſic excommunicari, niſi occaſionem præſtet, ut excommunicetur. Rurſus excommunicatio taliter iterari poteſt; ut iterum excommunicetur ille, qui jam eſt privatus à divinis; *nam, ut* [z Ib. ad 2.] *ait Div. Thom.*, (*z*) privatio licet non recipiat magis, ac minus, ſecundum ſuam cauſam, juxta illud, quod docuit, tunc tot ſunt principales excommunicationes, quot cauſæ, pro quibus aliquis excommunnicatur.

Super Quæſtionem Vigeſimam tertiam.

De participatione cum excommunicatis.

SOlet ab omnibus communiter proferri veluti in Proverbium, gratiæ ſunt amplianda, pœnæ verò reſtringendæ fundamento deſumpto ex aſſertione etiam hujus, quod dicitur, favorabilia eſſe omnia jura; quoniam videmus, pœnas non dari ad exitium, ſicut nec ad ruinam, benè verò dari ad ſalutiferum remedium, ſicut & ad medicinam ſalutarem: Quapropter etſi excommunicatis aſſignentur pœnæ, nempe ſeparatio à Sacramentis Eccleſiæ, ſegregatio à communione fidelium, attamen à commorantibus in eadem domo non ſegregantur; propter quod dicitur, in purè corporalibus licere uxori, filio, ſervo, ruſtico, & ſervienti, ſuppoſito tamen, quod ante excommunicationem ſe ei ſubdiderunt; Pariter quando adeſt neceſſitas, & urget, ut illis ſubveniatur, nam tunc prævalere debet præceptum divinum, præcipit namque Deus, ut proximus diligatur, excommunicatus itaque quamvis peccator, & ut peccator diligendus non ſit, tamen in quantum homo, quia ut eſt homo, proximus eſt, diligendus eſt, dilectio autem demonſtratur in hoc, quod quando urget neceſſitas, ei ſubveniatur, ne ſame pereat, & hujuſmodi, quæ deſerviunt ad corporalia; & ſi hæc de corporalibus, multò magis concedendum eſt de jis, quæ ad ſalutem animæ pertinent, unde de talibus rebus homo poteſt licitè cum excommunicatu loqui. Præter hos uſus illicitum erit loqui cum excommunicato, ut non incurrat vel excommunicationem majorem, ſi ipſe ſit excommunicatus cum omnibus ei participantibus, vel minorem, ſi in verbo, in oſculo, vel in menſa participet; & tali modo participando non peccat mortaliter, in quod tamen peccatum mortale incurrit ille, qui in crimine ſibi participat, vel in divinis, vel in contemptum Eccleſiæ.

Excommunicato excommunicatione majori, quæ, ut diximus, ſeparat hominem & à Sacramentis Eccleſiæ, & à communione fidelium, communicare non licet; hoc tamen non dicit *abſolutè Div. Thom.*, (*a*) ſed præciſis conditionibus exprimendis, quia [a in ſuppl. q. 23. ar. 1.] certum eſt, quod Eccleſia ſemper habet imitari divinum judicium, qua de cauſa ſicut Deus non vult mortem peccatoris, ut ipſe dixit, nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat; ſic & Eccleſia inducit quidem excommunicationem ad medelam, non ad interitum; ideòque ab hac generalitate excipiuntur quædam, in quibus communicare licet, ſcilicet in his, quæ pertinent ad ſalutem, quia de pertinentibus ad ſalutem animæ homò licitè poteſt cum excommunicato loqui, & ſimul etiam alia verba intercerere, ut facilius ſalutis verba ex familiaritate recipiantur; juxta illud, quod *jam docuit Div. Thom.*, (*b*) per excommunica- [b c. 2. q. 10. art. 4. ad 2.] tionem non interdicitur illa communicatio, per quam aliquis ſalubribus monitis diviſos reducit ad Eccleſiæ unitatem; cum etiam ipſa ſeparatio quodammodo eos reducat, dùm de ſua ſeparatione confuſi quandoque ad pœnitentiam reducuntur.

Excipiuntur quædam perſonæ, ad quas ſpecialiter pertinet proviſio excommunicati, ſcilicet *uxor*, *filius*, *ſervus*, *ruſticus*, & *ſerviens*.

At præter uxorem, quia iſta debet eſſe parata ad obediendum viro ſuo, ſecundum illud uxor ſub poteſtate viri ſit, de aliis poteſt eſſe aliqua dubietas; unde *filius*, ſi non habitet unà cum Patre in domo, tenetur vitare Patrem;

Digitized by Google

c In ſuppl. q.23 — trem; *juxta Div. Thom.* (c) per ly filios intelligitur de filiis non emancipatis, aliàs ſi extra domum eſſent acceptis ſuis portionibus, tenerentur vitare patrem: ſicut & *per ly ſervus, ruſticus, & ſerviens* intelligitur de iis, qui ante excommunicationem ſe ei ſubdiderunt, non verò ſi poſt; quoniam tunc non liceret excommunicato communicare.

Sunt & alii caſus, ut quando ignoratur excommunicatio; & quando aliqui ſunt peregrini, & viatores in terra excommunicatorum; iſti enim licitè poſſunt ab eis emere, immò & accipere eleemoſynam. Pariter ſi quis videat excommunicatum in neceſſitate, tunc enim tenetur ex præcepto charitatis ei ſubvenire; & providere. d 2.2. q.33 a.2. ad 3. — Juxta ea, quæ ſupra *docuit D. Th.*, excommunicatis, & Reipublicæ hoſtibus ſunt beneficia ſubtrahenda, in quantum per hoc arcentur à culpa: ſi tamen immineret neceſſitas, ne natura deficeret, eſſet eis ſubveniendum, debito tamen modo, ne fame, aut ſiti morirentur, aut aliquod hujuſmodi diſpendium, niſi ſecundum ordinem juſtitiæ paterentur.

e 2.2. q.69 ad 1. a.49. quæſt. 3 — Hæc autem auctoritas *D. Thom.* (e) inquit Cajet. quia fundatur ſuper caſu neceſſitatis, in quo hoſtes Reipublicæ, vel excommunicati conſtituti eſſent, &c. ideò exceptio intelligenda eſt, quod fiat à debito ſubveniendi, & non à poteſtate ſubveniendi damnatis ad patiendum ſecundum ordinem juſtitiæ hujuſmodi diſpendia; ita ut ſenſus ſit, quod licet neceſſitas deficientis naturæ imminens in hoſte Reipublicæ, aut excommunicato obliget nos ad illis ſubveniendum, ne fame, aut ſiti moriantur, aut ſimile diſpendium patiantur, non tenemur tamen ad hujuſmodi ſubventionem, ſi ſecundum juſtitiæ ordinem hæc patiantur; cum quo tamen ſtat, quod licitè poſſumus damnatis ad mortem, & hujuſmodi diſpendia patiendum, miniſtrare neceſſaria vitæ. Sicut nec excluduntur inimici à tali communicatione, ſed eſſet eis ſubveniendum ex præcepto charitatis; f Ib. ad 2. — *& ideò D. Th. ait*, (f) non prohibetur communicatio in illo caſu, in quo aliquis ex præcepto charitatis communicare tenetur. Ut autem hæc omnia de facili memoriæ mandentur, præſcribitur verſus,

Utile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

Ly utile refertur ad verba ſalutis; *ly lex* ad matrimonium; *ly humile* ad ſubjectionem, *ly res ignorata* ad ignorantiam invincibilem de excommunicatione, in quam aliquis eſt cenſuratus; *ly neceſſe* ex præcepto charitatis imperante, quod unicuique ſubveniendum eſt, ne periclitetur in morte.

Excommunicato excommunicatione majori participans eſt excommunicatus quandoque excommunicatione majori, quandoque verò minori; *juxta Div.* g In Suppl. q.23. a.2. — *Thom. docentem*, (g) quod excommunicatio poteſt in aliquem ferri dupliciter; vel ita ut ipſe ſit excommunicatus cum omnibus ei participantibus, & tunc dubium non eſt, quod quicumque participat ei, eſt excommunicatus excommunicatione majori: vel eſt excommunicatus ſimpliciter, & tunc ei aut participat in crimine præbendo illi auxilium, conſilium, aut favorem, & ſic iterum eſt excommunicatus excommunicatione majori, vel participat in aliis, ut in verbo, in oſculo, vel in menſa, & ſic eſt excommunicatus excommunicatione minori; Unde quicumque participat excommunicato majori excommunicatione ſemper incurrit excommunicationem majorem, vel minorem, & hoc non ob aliud etiam, niſi quia excommunicatus eſt poſitus extra Eccleſiam, & communionem propter inobedientiam, & ideò, qui communicat excommunicato, à communione Eccleſiæ recedit, ac proinde eſt excommunicatus.

Adeſt tamen differentia inter illum, qui eſt excommunicatus majori excommunicatione, & inter illum, qui eſt excommunicatus minori excommunicatione, quod non licet communicare excommunicato majori excommunicatione, ne tranſeat excommunicatio in aliam perſonam; cæterum non tranſit excommunicatio in tertiam perſonam, quando eſt excommunicatus minori excommunicatione; ac proinde licet communicare excommunicato excommunicatione minori, & hoc ut tollatur proceſſus in infinitum.

Diximus, quod excommunicatus excommunicatione majori participans eſt excommunicatus &c. hoc utique diximus, ut ſciamus, tanquam certum, nos loqui de fidelibus, quorum cura Eccleſiæ ſibi incumbit; non verò de infidelibus, qui licet ab Eccleſia ſint ſeparati, Eccleſia tamen ſuper illos poteſtatem non habet; hæc omnia habentur ex *Div. Thom* (h) Eccleſia non intendit corrigere infideles, ſicut fideles, quorum cura ſibi incumbit; & ideò non ita arcet à communione infidelium, ſicut à communione fidelium illorum, quos excommunicat, ſuper quos habet aliquam poteſtatem, & iſti ſunt, ut ſæpè ſæpius diximus, hæretici, ſchiſmatici, & illi, qui contumaces redduntur ob inobedientiam Eccleſiæ debitam. — h Ib. ad 1.

Cum excommunicato participare in caſibus non conceſſis, ut *in verbo, oſculo, menſa, &c.* probabiliter videtur, quod non ſemper peccat mortaliter, ſed juxta ſuperius dicta; ſolùm quando in crimine participat, quia tunc eſt excommunicatus majori excommunicatione, quæ ſemper datur pro peccato mortali: vel in divinis, *ſecundum quod loquitur Decretalis illa dicens*, (i) quod propter timorem mortis non debet aliquis excommunicato communicare; cum aliquis debeat prius ſuſtinere mortem, quàm quod peccet mortaliter; vel quia ſimilis ratio eſt de peccato mortali, & de veniali quantum ad hoc, quod ſicut peccatum mortale non poteſt bene fieri, ita nec veniale; ideòque ſicut homo debet prius ſuſtinere mortem, quàm quod peccet mortaliter, ita etiam quàm quod peccet venialiter, illo modo debiti, quod debet veniale vitare. — i Lib. 1 decret. c. 42. Etſi Eccleſia precipiat, quod excommunicato nullus communicet, tamen hoc præceptum Eccleſiæ directè reſpicit ſpiritualia, & ex conſequenti legitimos actus, ac propterea, qui ei communicat in divinis, facit contra præceptum, & peccat mortaliter; qui verò participat ei in aliis, facit præter præceptum, & peccat venialiter.

At licet participare hoc pacto excommunicato ſit peccatum veniale, nihilominus tamen participare ei pertinaciter eſt peccatum mortale, & propter hoc, *ait Div. Thom.* (l) poteſt aliquis excommunicari ſecundum jura excommunicatione majori, quia V. excommunicato participat. — l In Suppl. q.23. a.1. ad 4.

Diximus in caſibus non conceſſis, ut per hoc intelligamus, quod aliquis ſine culpa aliqua quandòque ab Euchariſtia arcetur, etiamſi incurrat minorem excommunicationem, ut patet *in ſuſpenſis, vel interdictis*, quia tales pœnæ quandòque alicui pro culpa alterius, quæ in eis punitur, inferuntur, ut etiam ex dictis ſupra conſtat.

Super Quæſtionem Vigeſimam quartam.

De Abſolutione ab Excommunicatione.

OMnia in Eccleſia Dei ordinata ſunt, etenim videmus unum eſſe caput, cætera verò membra conſtituentia unum corpus, *juxta Paulum ad Corint.* (a) corpus non eſt unum membrum, ſed multa; quæ tamen poſuit Deus, unumquodque eorum in corpore, ſicut voluit; propterea pes non poteſt eſſe manus, nec manus poteſt eſſe oculus; nec unum poteſt operari opera alterius, ſed debet ſervari ordo illorum, ut rectè, & conſonanter omnia procedant: talis ordo & in Eccleſia ſervatur, Caput Eccleſiæ eſt Chriſtus, inviſibiliter, caput verò Eccleſiæ viſibilis eſt Summus Pontifex; membra Eccleſiæ ſunt omnes fideles, præcipua tamen membra Eccleſiæ ſunt Epiſcopi, dein- — a 1. ad Cor. c. 12.

de Sacerdotes, denique cæteri omnes, qui tamen non debent contemni, veluti membra infirmiora, quoniã, inquit Paulus ibid. multò magis, quæ videntur membra corporis Infirmiora eſſe, neceſſaria ſunt; Verumtamen ſi ſunt membra omnes, quos poſuit Deus in corpore Eccleſiæ, ſicut voluit, conſequenter unus non poteſt operari opera alterius; hinc prohibetur à Conciliis, quod nemo mittat manum ſuam in meſsem alienam, ſic & habetur *in Concil. Trident.*, (b) nulli Epiſcopo liceat cujuſvis privilegii prætextu, pontificalia in alterius diœceſi exercere &c. ſi ſecus factum fuerit, Epiſcopus ab exercitio pontificalium &c. Multò minus Sacerdotes etiam curam animarum habentes debent ſe ingerere in iis, quæ non ſunt juris ſui; cum autem non ſit ſui juris excommunicare, oportet aſſerere etiam, quod non ſit juris ſui abſolvere ab excommunicatione, majori tamen cum careat juriſdictione in foro exteriori; ab Epiſcopo autem, vel ab eo, qui juriſdictionem habet, & poteſtatem excommunicandi, ſolùm poteſt ab excommunicatione abſolvi, & ita abſolutionem impartiri, quod etiam ab ea abſolvi poterit invitus, eò modò quò poteſt ferri excommunicatio in aliquem invitũ. Immò poteſt fieri abſolutio ab una excommunicatione, & non ab alia, dummodo quis fuerit excommunicatus à pluribus, & diverſis judicibus, quoniam ſi ab uno, tunc quando abſolvitur ab una, intelligitur ab omnibus abſolvi, niſi contrarium exprimatur.

b Seſſ. 7 de Reform. can. 5.

Excommunicatio major, vel eſt lata à judice, & ſic ille, qui tulit, vel ejus ſuperior poteſt abſolvere; vel eſt lata à jure, & tunc Epiſcopus, vel etiam Sacerdos poteſt abſolvere, exceptis tamen ſex caſibus, quos ſibi juris conditor, ſcilicet Papa reſervavit.

Primus, quando aliquis injicit manus in Clericum, vel in Religioſum; à quo tamen caſu octo excipiuntur. Primus eſt in articulo mortis, in quo à qualibet excommunicatione poteſt à quolibet Sacerdote abſolvi. Sic etiam *ſtatutum fuit in Concil. Trid.*, (c) in Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque ideò omnes Sacerdotes à quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſint.

c Seſſ. 14. cap. 7.

Secundus ſi ſit oſtiarius alicujus potentis, & non ex odio, vel propoſito percuſſit; ſiquidem tunc non intelligitur manum violenter injicere in clericum.

Tertius ſi percutiens ſit mulier cauſa pudicitiæ cuſtodiendæ.

Quartus ſi ſit ſervus, & Dominus Læderetur de ejus abſentia, qui non eſt in culpa.

Quintus ſi regularis regularem percutiat, niſi ſit enormis exceſſus.

Sextus, ſi ſit pauper. Septimus, ſi ſit impubes, vel ſenex, vel valetudinarius. Octavus, ſi habeat inimicitias capitales. Unde ei ſit difficilis acceſſus ad Papam.

Sunt & alii ſeptem caſus, in quibus percutiens clericum excommunicationem non incurrit. *Si cauſa diſciplinæ, ut Magiſter, vel Prælatus percuſſerit*; non enim ſupponitur odium, vel violentia, ſed potius eſt quædam inardeſcentia animi ad corrigendum diſcipulos errantes in adipiſcendis ſcientiis.

Secundus ſi jocoſa levitate hoc ſit à quocumque.

Tertius; ſi invenerit eum turpiter agentem cum uxore, vel matre, vel ſorore, vel filia, tunc enim ſit in defenſione propriis honoris, & ad corrigendum ſcelus ab illo, qui ſe abſtinere omninò debet ab hujuſmodi iniquitatibus; unde cum neſciverit cuſtodire vas ſuum in honorem turpiter agendo, non eſt dignus honore, nec reverentia, ut ab aliis habeatur.

Quartus ſi ſtatim vim vi repellat, licitum eſt enim vim vi repellere; quia unuſquiſque tenetur defendere ſe ab invaſoribus opprimentibus ſe.

Quintus ſi ignoret eum eſſe clericum, vel quia eſt de nocte, & clericus inſolenter procedit, vel quia depoſuit habitum, nec apparuit veſtigium aliquod, quod ſit clericus, tunc enim ignoranter percutitur, licet clericus.

Sextus, ſi invenit eum in apoſtaſiam poſt trinam admonitionem; quia tunc redditur indignus, ut revereatur, ut clericus, ſi jam apoſtataverit à Religione, & multò magis, ſi à fide.

Septimus ſi transfert ſe clericus ad actum penitus contrarium, ut fiat miles, vel ad bigamiam tranſeat.

Secundus in ordine eſt caſus, quem Papa ſibi reſervavit, de illo, qui incendit Eccleſiam, & denunciatus eſt, ergo ſi non fuerit denunciatus, à Papa non eſt reſervatus; ſicut & Tertius de illo, qui frangit Eccleſiam, & denunciatus eſt; conſequentiam hanc ego inutili, utpote deducta *ex Div. Thom. doctrina*, (d) cæterum ſi eſt aliquid, quod Eccleſia determinavit, ad illud ſtandum eſt.

d in ſupple. q.24. ar.1.

Quartus de illo, qui in divinis communicat ſcienter excommunicatis nominaliter à Papa.

Quintus de illo, qui falſificat literas Apoſtolicæ ſedis.

Sextus de illo, qui excommunicatis in crimine communicat. Non enim debet abſolvi, niſi ab eo, qui excommunicavit, (ſervatis iis, quæ dicimus,) etiam ſi non ſit ejus ſubditus, niſi propter difficultatem accedendi ad ipſum, abſolveretur ab Epiſcopo, vel à proprio Sacerdote præſtita juratoria cautione, quod parebit mandato illius judicis, qui ſententiam tulit.

Diximus præſtita juratoria cautione, ad differentiam abſolutionis à peccato, in qua non exigitur cautio juramenti, ſicut exigitur, ut *etiam ait Div. Thom.*, (e) in abſolutione ab excommunicatione. Et hoc quia per juramentum controverſiæ, quæ ſunt inter homines terminantur; ut apertè colligitur *ex illo Pauli ad Hebr.*, (f) homines per majores ſui jurant, & omnis controverſiæ eorum finis ad confirmationem eſt juramentum.

e Ib. ad 1.

f Cap. 6.

Ex quo ſequitur, quod licet vinculum excommunicationis non ſit majus ſimpliciter vinculo peccati, tamen quantum ad aliquid eſt majus illud, quam illud, in quantum ſcilicet non ſolùm obligat ad Deum, verùm etiam in facie Eccleſiæ; Ideòque abſolvendo ab excommunicatione requiritur juriſdictio in foro exteriori, non verò in abſolutione à peccato.

Excommunicatus abſolvi non poteſt à ſuo confeſſore de aliis peccatis, niſi prius ſit abſolutus ab excommunicatione, nam, *ut ait Div. Thom.* (g) excommunicatus non eſt particeps Sacramentorum Eccleſiæ, & ob hoc Sacerdos non poteſt excommunicatum à culpa abſolvere, niſi prius ſit abſolutus ab excommunicatione; & ſi fuerit excommunicatus excommunicatione majori, debet prius abſolvi ab eo, penes quem eſt abſolvere, quàm à Curione ſuo, hoc eſt à Sacerdote curiæ de aliis peccatis abſolvi. Excommunicatus verò excommunicatione minori à quolibet poteſt abſolvi, qui poteſt à peccato participationis abſolvere: de his ergo, quæ diximus ſupra, præcipuè de illis caſibus videnda erunt à curioſo lectore *decretalia*. (h)

g Ibid. ad 2.

h Lib. 5 cap. 14. 5. 23 & 8 & 1. & 32 & cap. 22.

Excommunicatus, quod poſſit abſolvi invitus, clarè conſtat, ſiquidem nonne excommunicatio poteſt inferri contra voluntatem alicujus? Si excommunicatio poſſit inferri contra voluntatem alicujus, quare poſtea & ab invito non poterit tolli excommunicatio? Quapropter *Div. Thom.* (i) hoc probando docet, quod ea, quæ contra voluntatem eveniunt, etiam contra voluntatem amovere poſſunt; & hoc confirmando ait, (l) manente contumacia, (hoc eſt, quandò aliquis non vult abſolvi excommunicationem contemnens, eſt enim maxima contumacia,) poteſt aliquis diſcretè excommunicationem juxtè latam remittere, ſi videat ſaluti ejus expedire, in cuius medicinam excommunicatio lata eſt.

i In ſuppl. q.24. ar.3.

l Ibid. ad 1.

Nec refert, ſi abſolutione ab excommunicatione ſit aliquod beneficium ſpiritnale, & ſpiritualia non conferantur alicui invito, eò

quia

Digitized by Google

quia iſta propoſitio habet veritatem de illis bonis ſpiritualibus, quæ in noſtra voluntate conſiſtunt, ut ſunt virtutes, quæ non poſſunt à nolentibus perdi; ſicut ſcientia, licet ſit ſpirituale donum, tamen etiam poteſt à nolente per infirmitatem amitti; cum autem excommunicatio non ſit de bonis illis, quæ in noſtra voluntate conſiſtunt, ſed multoties, immò & ſemper in voluntate aliena, hinc eſt, quod etiam ſi nolit excommunicatus abſolvi, poteſt nullatenus abſolvi adhuc invitus.

Nec hoc mirum, nam hæc eſt differentia inter malum culpæ, & malum pœnæ, quod culpæ principium eſt in nobis, omne namque peccatum voluntarium eſt; at pœnæ principium quandoquè eſt extra nos; quoniam de ratione pœnæ magis eſt, quod ſit contra voluntatem, quàm quod ſit voluntaria; videtur itaque, quod ſicut peccata non committuntur, niſi in voluntate, ita nec remittuntur alicui invito: è converſo autem ſicut excommunicatio in aliquem invitum ferri poteſt, ita etiam ab excommunicatione invitus abſolvi poteſt.

Denique excommunicationes cum non habeant connexionem in aliquo, hinc eſt, quod poſſibile eſt, ut aliquis ab una abſolvatur, & in altera remaneat, maxime quia, ut ſæpius diximus, excommunicatio quædam pœna eſt, & cum ſit pœna, quid mirum, ſi ab una pœna aliquis liberetur alia remanente.

m in ſup. q. ... ar. 3 ad 1. Si jam à *D. Thom. edocetur*, (*m*) quod excommunicationis abſolutio utique in Eccleſia fit, & ille, qui una excommunicatione eſt irretitus, & extra Eccleſiam, & quia pluribus de cauſis aliquis erat extra Eccleſiam, ita poſſibile eſt, ut iſta ſeparatio removeatur quantum ad unam cauſam, & remaneat quantum ad alteram.

At quia quandòque excommunicatus eſt pluribus excommunicationibus ab uno judice quandòque verò à pluribus judicibus, ideò rectè ſequitur eſſe animadvertendum; quod quando aliquis eſt excommunicatus pluribus excommunicationibus ab uno judice, tunc quando abſolvitur ab una, juxta D. v. Th. intelligitur ab omnibus abſolvi, niſi contrarium exprimatur, vel niſi in cauſa, qua quis abſolutionem impetrat de uno tantùm caſu excommunicationis, cum tamen pluribus excommunicatus ſit. Cæterum quando eſt excommunicatus pluribus excommunicationibus à diverſis judicibus, tunc abſolutus ab una excommunicatione non propter hoc eſt abſolutus ab altera, niſi omnes alii ad petitionem ejus abſolutione confirmaverint, vel niſi omnes nol demandaverint abſolutionem.

Et quod dicitur de excommunicationibus, quæ non habent connexionem in aliquo, in hoc ordine, ſ. quod ab una aliquis abſolvatur; & quod in altera remaneat, non poteſt dici de peccatis: eò quia *D. Tho* (*n*) docet, ſicut & docuit alius in locis, quod omnia peccata ha-
n Ib. ad 2. bent averſionem voluntariam à Deo, cum qua peccatorum remiſſio eſſe non poteſt; Excommunicationes verò non habent aliquam talem connexionem; nec ſ. terùm abſolutio ab excommunicatione impeditur propter voluntatis contrarietatem, ſiquidem, ut conſtat ex dictis, etiam invitus poteſt abſolvi ab excommunicatione.

Ex quibus jam ſatis apparet, quanta ſit differentia inter abſolutionem à peccatis, & abſolutionem ab excommunicatione, à qua utiq; Deus præſtet nobis auxilium, ut vel per pravam voluntatem, vel ob aliquem finem malevolum incidere non poſſimus, & ne hæc pœna ſuperaddatur nobis, jam in occultis peccatis delinquentibus, utpote quia etſi peccata mortifera ſint, magis tamen ad mortem ſempiternam conducit ipſa excommunicatio, nos utique, qui contemnentes Eccleſiæ obedientiam, digni ſumus, ut ab ejus filiatione excludamur, & Filii non Dei, qui creavit, & redemit nos, ſed filii iræ nominemur, & ſimus; Quapropter ſicut per peccata irritamur infinitam bonitatem Dei excludentis à regno Dei peccatores, & dicentis, neſcio vos, ſ. fideles Chriſti ſequaces Evangelii, ſervantes præcepta mea, odientes malum, ſequentes bonum, ita per contumacem voluntatem in non obediendo Eccleſiæ Romanæ, quæ Catholica, & Apoſtolica eſt, irritamur ſuam piiſſimam miſericordiam, ut inter ſua membra computemur, ſed extra corpus ſuum tamquam membra putrida projiciat nos per excommunicationem, ergo fratres cariſſimi ſubditi eſtote tantæ piiſſimę matris, quę non ſpernit venientes ad ſe, ſed adjuvat, & præparat vias bonas per remiſſionem peccatorum, per indulgentias, per admonitiones; etſi aliquando procedit per vinculum excommunicationis, hoc facit ad correctionem noſtram, non ad deſtructionem Eccleſiæ, ut cognoſcamus errata noſtra, & ne in peccatis permaneamus; diligit nos, ut filios ſuos, & ideò nos corripit; jam ſcitis, quod ſcriptum eſt, quos amo, corrigo, & caſtigo, ſicut etiam *habetur in lib. Apoc.* (*o*) ego quos amo, arguo, & caſtigo.
Jam ſcitis, quod *ſcriptum eſt in lib. Prov.* (*p*) diſcipli- o Cap. 3.
nam Domini, fili mi, ne abjicias, nec deficias, cum p cap. 3.
ab eo corriperis; Quem enim diligit Dominus, corripit, & quaſi Pater in filio complacet ſibi. Unde & *Job*, (*q*) qui typum pęnitentiæ in novo, & veteri te- q Cap. 5
ſtamento eluceſcit; dicebat, beatus homo, qui corripitur à Deo, increpationem ergo Domini ne reprobes, & hoc nè fortè veniat ſuper nos juſtum judicium Dei;
ſicut habetur ſcriptum à *Sapient.* (*r*) qui verò ludibriis r cap. 12.
& increpationibus non ſunt correcti, juſtum Dei judicium experti ſunt. Si ergo corripimur à Domino, à Domino etiam glorificabimur, *juxta illud Pauli ad*
Corinth. (*ſ*) à Domino corripimur, ut non cum hoc ſ p. 11.
Mundo damnemur.

Habemus namq; documentum Sanctiſſimum mu-
lieris illius glorioſiſſimæ Judith. (*u*) quæ videns angu- u Cap. 8
ſtias populi ſui dixit; Et nos ergo non ulciſcamur pro his, quę patimur, ſed reputantes peccatis noſtris hęc ipſa ſupplicia minora eſſe, flagella Domini, quibus quaſi ſervi corripimur ad emendationem, & non ad perditionem noſtram eveniſſe credamus: hoc itaque documentum ſervemus, ut miſericordiam Dei conſequamur, & vita vivamus longæva, unde & correptionem diligere debemus, & non odire: ſiquidem *dicit Ecc.*
(*a*) qui odit correptionem, minuetur vita. Quapro- u cap. 19.
pter quamvis peccatores erubeſcamus, ut de nobis
dicatur *illud Eccl.* (*x*) peccator homo vitabit corre- x cap. 32.
ptionem.

SUPER

Digitized by Google

SUPER QUÆSTIONEM VIGESIMAM NONAM.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

a Pſ. 72. QUam bonus Iſrael Deus his, qui recto ſunt corde, canebat *Pſ.* (*a*), & quàm meritò hęc protulerit verba, clarè patet, nam Deus dat gratiam illis, qui requirunt eum in veritate, illis diligentibus puro corde Deum, præcepta ejus cuſtodientibus, & in lege Domini ambulantibus. Illis utique Deus dat gratiam; ſicut hanc illis denegant, qui eum in voluptatibus, atque concupiſcentiis requirunt, quaſi quod Deus malorum ſit; & tamen quis ignorat, quod neſcit Deus patrocinium dare criminibus? ſicut illis requirentibus eum in temporalibus bonis, nam nec illi diligunt Deum; ille verò diligebat Deum, qui & dicebat, ideò dilexi mandata tua ſuper aurum, & topazion; nec illi ſerviunt, ſed potiùs mamonnæ iniquitatis. Tribuit pariter Deus per infinitam ſuam miſericordiam auxilium peccatoribus, ut per Sacramenta emundari, & emundari poſſint ab omnibus inquinamentis eorum; hoc tamen tribuit, immò & donat peccatoribus illis, qui toto corde de peccatis dolent, qui ore vere confitentur, & qui religiosè, ac plenè, quantum poſſunt, & quantum humana fragilitas permittit, ſatisfaciunt. Illis enim non permittit Deus abſque magno conſilio ſuo, ut ſine ſpatio pœnitentiæ, adeòque ſine Sacramentis è vita decedant, ſed auxilium præſtat illis mediantibus Sacramentis conferentibus de ſe gratiam, ut & ſtatuit *Concilium Tridentinum*, etiam in vitæ extremum; ad quem terminum unuſquiſque pervenit per extremum morbum, at quia extremi morbi extrema eſt medicina, hinc eſt, quod ad extremum vitæ noſtræ diem datur nobis extremum remedium, quod eſt Sacramentum extremæ unctionis, per quod habetur expeditior via ad cęlum, etenim ut medicina ſalutaris valet ad remiſſionem peccatorum; unde & Sacramentum eſt, etenim extrema unctio pertingit ad curationem morbi peccati, *ut teſtis eſt Iacobus Apoſtolus* (*b*) etſi in peccatis ſit remittentur ei; eſtque unum Sacramentum, etiamſi fiat per plures unctiones,
b Iac. 5 quia abſque omni dubio iſtæ plores unctiones, ſive actiones ſunt de perfectione Sacramenti, curatio namque interiorum vulnerum non poteſt perfectè ſignificari, niſi per oppoſitionem medicinæ ad diverſas vulnerum radices: Et cum ſit verè Sacramentum, & Sacramentum novæ Legis, fatendum eſt à Chriſto Domino inſtitutum fuiſſe, non enim niſi à Deo inſtitui poſſunt Sacramenta, quibus omnibus ſuam propriam materiam determinavit, ſicut & formam; Materia itaque hujus Sacramenti eſt oleum olivæ, quod oleum oportet; ut ſit conſecratum, & propter plenitudinem gratiæ, quæ confertur non ſolùm, ut tollat culpam, ſed etiam reliquias, & infirmitates corporis, & etiam ex hoc, quod effectus ejus corporalis, ſcilicet ſanatio non cauſatur ex materię naturali proprietate, propter quod oportet, ut hæc efficacia ſibi per ſanctificationem detur, quæ efficacia primò & à Chriſto, à quo & deſcendit in alios ordinatè, ſcilicet in populum mediantibus miniſtris, qui Sacramenta diſpenſant; & in miniſtros inferiores, mediantibus ſuperioribus, qui materiam ſanctificant, adeòque in omnibus Sacramentis, quæ indigent materia ſanctificata, prius ſanctificatio materiæ fit per Epiſcopum, & uſus quandòque per Sacerdotem, ut oſtendatur poteſtas Sacerdotalis ab Epiſcopali derivata; ſignificatio autem materiæ non determinatur ad effectum determinatum, cum ad multa ſe poſſit habere, niſi per formam verborum. Verba autem ſunt iſta, *per iſtam ſanctam unctionem, & piiſſimam ſuam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid peccaſti per viſum &c.* per quæ denotatur, quod forma hujus Sacramenti proferri debeat per orationem deprecativam.

Extrema unctio dicitur talis, eò quia hæc omnium Sacrarum unctionum, quas Dominus Ieſus Chriſtus Eccleſiæ ſuæ commendavit, ultima adminiſtranda eſt, unde & à Sanctis Patribus Sacramentum unctionis infirmorum, & Sacramentum exeuntium dicta eſt; & merito talis unctio appellata fuit, ut omnes fideles in memoriam illius noviſſimi temporis poſſint revocari, non ſolùm quando hanc vitam ducunt feliciorem fruendo ſanitate, & rebus temporalibus, utpote edocti ab *Ecc.* (*c*) in omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis. Verùm etiam quando infirmitate gravati ſe noſcunt in extremis conſtitutos, tunc enim rationabiliter deberet excludere omnia vana, omnia unguenta pigmentaria, & toto corde petere hanc unctionem, quæ propriè vocatur unctio infirmorum, & fit in extremis periodis vitæ Oleo per Epiſcopum conſecrato. c cap. 7

Diximus, quod hæc *unctio ultimò adminiſtranda ſit*, nam tria ſunt genera unctionis; *Prima namque unctio eſt*, qua Cathecumeni, & Neophyti unguntur in pectore, & inter ſcapulas in baptiſmi perceptione; *ſecunda*, quæ fit in Chriſmate, & dicitur principalis unctio, quia principaliter Spiritus Paracletus datur in ea, in qua & oleum conſcientiæ, & balſamum bonæ famæ tribuitur. *Tertia denique, & ultima* dicitur oleum infirmorum, quæ verè enumeratur inter ſeptem Sacramenta à Chriſto Domino noſtro inſtituta, quidquid dicant hæretici, *quorum caput fuit Lutherus*, iſti dixerunt extremam unctionem non eſſe connumerandam inter Sacramenta, quoniam à Patribus, & non à Chriſto Domino dimanavit pro Sacramento, adeòque à Chriſto Domino non fuiſſe inſtitutam.

Contra quos *definitum fuit à Concilio Tridentino*, (*d*) d ſeſſ. 7 de Sac. can. 1
eſſe

Digitized by Google

ſi quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura, vel pauciora, quàm ſeptem, ſc. *Baptiſmum*, *Confirmationem*, *Eucariſtiam*, *Pænitentiam*, *ex-*
e ſeſ. 14. c. 1 *tremam unctionem &c.* anathema ſit. *Et rurſus* (e) Sancta Synodus circa inſtitutionem hujus Sacramenti extremæ unctionis declarat, & docet, quod clementiſſimus Redemptor noſter, qui ſervis ſuis quoviſtempore voluit de ſalutaribus remediis adverſus omnia omnium hoſtium tela eſſe proſpectum; quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit, quibus Chriſtiani conſervare ſe integros, dùm viverent, ob omni graviori Spiritus incommodo poſſint; ita extremę unctionis Sacramento finem vitæ tamquam firmiſſimo quodam præſidio munivit. Ecce ergo quomodo *à Concilio Tridentino enumeratur* inter Sacramenta, quę Chriſtus Dominus inſtituit, ac *deinde damnat illos, qui*
f ib. can. 1. *oppoſitum ſentiunt* (f). Si quis extremam unctionem non eſſe verè, & propriè Sacramentum à Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & à Beato Jacobo Apoſtolo promulgatum, ſed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum anathema ſit.

Et damnantur ex D. Th. (g) dùm docet, in tantum
g in Suppl. q. 30. ar. 1 extrema unctio eſt Sacramentum, in quantum eſt quædam ſpiritualis medicina, valens ad remiſſionem peccatorum, *ut habetur apertè ex Verbis Iacobi Apoſtoli*, quæ ſunt, etſi in peccatis ſit, remittentur ei; *Et Concilium Tridentinum*, (h) ſi quis dixerit, Sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, anathema ſit; idcircò bene dicitur,
h ib. can. 2 quod ſit medicina ſpiritualis valens ad peccatorum remiſſionem; quia Sacramenta nihil aliud ſunt, quàm quædam ſpirituales medicinæ, & cum ſint tales, oportet etiam, quod ſint cauſæ per quas homo reddatur generatus ad gratiam, corroboratus in fide, firmus in ſpe, robuſtus in charitate; & cum ſint hujuſmodi cauſæ, oportet etiam, quod habeant producere ſuum effectum, effectus autem intentus in adminiſtratione Sacramentorum eſt curatio morbi peccati.

Unde ſicut infirmus naturaliter deperdit vires naturales per morbum infirmitatis, ſic & infirmus per morbum peccati deperdit vires ſupernaturales; & ſicut ut vires naturales acquirantur, opus eſt curare infirmum, quæ curatio non fit, niſi per medicinam, ſic pariter, ut vires ſupernaturales acquirantur, opus eſt curare infirmitatem peccati, quæ in anima reperitur, quæ curatio fit per extremam unctionem, ad quem effectum, *ait Divus Thomas*, pertingit extrema unctio: *hoc totum habetur ex Divo Jacobo*, infirmatur quis in vobis, inducat præsbyteros Eccleſiæ, (ad quos pertinet adminiſtrare Sacramenta) & orent ſuper eum (ut oratio eorum fiat in ſalutem); ungentes eum oleo in nomine Domini, (*ob cujus paſſionem Sacramenta habent efficaciam*,) & allievabit eum Dominus, etſi in peccatis ſit; remittentur ei, (*ecce fructus Sacramentorum liberare hominem à morte æterna per remiſſionem peccatorum.* (*unde benè Iſajas*; (i) hic eſt
i cap. 2. omnis fructus, ut tollatur peccatum; quo ablato ſtatim conſequitur gratia, cum ergo per extremam unctionem conſequatur gratiam, & conſequenter remiſſionem peccatorum, ut & definitum fuit à *Concil. Tridentino*, (l) ſi quis dixerit, ſacram infirmorum un-
l Seſſ. 14. de ext. un. can. 2. ctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec allieviare infirmos, ſed jam ceſſaſſe, quaſi olim tantùm fuerit gratia curationum; anathema ſit.

Eſt ergo Sacramentum, & non Sacramentale, cum non ordinetur ad aliud Sacramentum, quaſi ei annexum, quod diximus, quia adeſt maxima differentia inter Sacramenta, & Sacramentalia, (*in his tamen, quæ Eccleſia viſibiliter operatur*). Sacramentum enim dicitur illa actio Eccleſiæ, quæ attingit ad effectum principaliter intentum in adminiſtratione Sacramentorum. Sacramentale verò dicitur illa actio, quæ licet non pertingat ad illum effectum, ordinatur tamen aliquo modo ad illam actionem principalem.

Et quatenus eſt Sacramentum, habet etiam vim illuminativam, & purgativam, licet non ita plenam, ſicut habet baptiſmus, iſte enim eſt Sacramentum neceſſitatis ſimpliciter, ſine quo nemo poteſt introire regnum Dei, & per ipſum fit nova regeneratio, & ideò plenariò remittuntur peccata; cæterum etſi per extremam unctionem remittuntur peccata, tamen non remittitur totaliter purgatio. Diximus *ex Divo Iacobo ungentes eum oleo*, ut habeatur differentia inter oleum, quo Catechumeni unguntur, ſua unctione non perducit ad peccati remiſſionem; quia hoc ad baptiſmum pertinet, ſed aliquo modo ad baptiſmum diſponit; at oleum, quo unguntur infirmi, ſua unctione perducit ad peccati remiſſionem; & ideò illa unctio non eſt Sacramentum, benè verò iſta, quæ unctio etſi multiplicetur per plures actiones, non facit, quod non ſit unum Sacramentum, ſicut nec ex eo, quod ſit in hoc Sacramento pluralitas materiæ, & formæ, ſequitur, quod tollatur unitas hujus Sacramenti, & quod ita ſit, *ait Divus Thomas*, quod quan- m in Sup. q. 30. ar. 2
do una actio ſufficit ad perfectam ſignificationem, unitas Sacramenti conſiſtit in illa actione tantùm, ut patet in Confirmatione; Quando autem ſignificatio Sacramenti poteſt eſſe & in una, & in multis actionibus, tunc Sacramentum perfici poteſt, & una actione, & pluribus, ut baptiſmus una immerſione, & tribus, quia ablutio, quæ ſignificatur in baptiſmo, poteſt eſſe per unam immerſionem, & per multas; quando autem perfecta ſignificatio non poteſt eſſe, niſi per plures actiones, tunc plures actiones ſunt de perfectione Sacramenti, ut patet in Eucharistia, quia refectio corporalis, quæ ſignificat refectionem ſpiritualem, non poteſt eſſe, niſi per cibum, & potum, *juxta illud Chriſti Domini*, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur. Et ideò idem eſt in hoc Sacramento, quia curatio vulnerum interiorum non poteſt perfectè ſignificari, niſi per appoſitionem medicinæ ad diverſas vulnerum radices; idcircò plures actiones ſunt de perfectione hujus Sacramenti: quod tamen ſequitur eſſe unum Sacramentum, unum, ſcilicet non partium continuatione, quæ dividi non poſſint, ſed perfectione, cujuſmodi ſunt cætera omnia, quæ ex pluribus rebus conſtant. Quemadmodum enim domus, quæ ex multis, & diverſis partibus compoſita eſt, una tantum forma perficitur, ita hoc Sacramentum, etſi ex pluribus rebus, & verbis conſtituitur, unum tamen ſignum eſt, & unius rei, quàm ſignificat, efficaciam habet. Hoc totum deſumitur ex *D. Th.* ibid. quod unum numero per ſe loquendo tripliciter dicitur.

Primò; ſicut Indiviſibile, quod nec actu, nec potentia eſt plura, ut punctus, & unitas.

Secundò, ſicut continuum, quod quidem eſt unum actu, potentia plura, ut linea.

Tertiò ſicut perfectum aliquod, quod ex pluribus partibus conſtituitur, ut domus; eſt enim multa quodammodo in actu, ſed illa multa in aliquo uno conveniunt, & hoc modo quodlibet Sacramentum dicitur unum, in quantum multa, quæ ſunt in uno Sacramento, adunantur ad unum ſignificandum, vel cauſandum; Sacramentum .n. ſignificando cauſat. n Ib. ad 2.
In cujus Confirmationem etiam docet, (n) quod illæ actiones licet ſint plures ſimpliciter, uniuntur tamen in una perfecta actione, quæ eſt unctio omnium exteriorum ſenſuum, quibus hauritur morbus interior. *Et rurſus docet*, (o) quod unitas totius perfecti non tollitur propter diverſitatem materiæ, aut formæ, quæ eſt in partibus totius; conſtat enim, quod non eſt eadem materia carnis, aut oſſis, ex quibus conſtituitur unus homo, nec eſt eadem forma: unde & in Euchariſtiæ Sacramento, & in iſto pluralitas materiæ, & formæ unitatem Sacramenti non tollit; ſicut nec tollitur unitas hujus o Ib. ad 1.

ex eo

ex eo, quod ſi poſt primam unctionem Sacerdos moriatur, tunc enim in tali caſu alius Sacerdos debet ulterius procedere, eò quia talis pluralitas miniſtrorum non tollit unitatem hujus Sacramenti, cum inſtrumentaliter tantùm operentur.

Ex quo magis apparet differentia, quæ reperitur inter hoc, & illud Euchariſtiæ Sacramentum, quod ſi poſt conſecrationem panis moriretur Sacerdos, alius Sacerdos deberet ad conſecrationem vini, incipiendo ubi ille dimiſit, vel etiam à capite ſupra aliam materiam; cęterum in hoc Sacramento extremæ unctionis non poteſt à capite incipere, ſed debet procedere ſemper, ubi alius dimiſit; & ſic conſtat ex dictis hoc Sacramentum eſſe unum, etiamſi fiat per plures actiones, quia iſtæ, licet plures, ſunt de perfectione Sacramenti.

Unum ergo eſt Sacramentum, & taliter unum, quod eſt diſtinctum ab aliis, quæ Chriſtus Dominus inſtituit, inter quæ & hoc Sacramentum numeratur, cum enumerentur etiam inter Sacramenta novæ legis, quæ de certo inſtitutionem habuerunt à Chriſto Domino, *ut habetur ex Concil. Trident.* (p) inſtituta eſt autem Sacra haec unctio infirmorum, tanquam verè, & propriè Sacramentum novi teſtamenti à Chriſto Domino noſtro apud Marcum quidem inſinuatum, per Jacobum autem Apoſtolum, ac Domini fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum.

p Seſſ. 14 de Extr. Unct. cap. 1

Immò taliter inſtitutionem habuit hoc Sacramentum à Chriſto Domino, quod & à ſolo Chriſto Domino removeri poteſt, ab Eccleſia verò habente eamdem auctoritatem, quam Apoſtoli habuerunt, numquam auferri poteſt Sacramentum hoc.

Ex quibus ſequitur, quod non fuit inſtitutum ab Apoſtolis, niſi dicatur, ut ſolvatur quædam obiectio, quod in tantùm ab Apoſtolis dicitur inſtitutum, in quantum per doctrinam Apoſtolorum nobis promulgata eſt ejus inſtitutio. Unde Chriſtus Dominus dixit Apoſtolis ſuis, *Marci*; (q) euntes in Mundum univerſum prædicate Euangelium omni creaturæ; & licet in Euangelio non fiat mentio, niſi de Baptiſmo, Pœnitentia, Euchariſtia, Ordine, & Matrimonio, ſecundum quod repræſentat conjunctionis myſterium Chriſti, & Eccleſiæ, quia ſecundum hoc dicitur Sacramentum novæ legis, attamen per hoc non debet deduci, quod à Chriſto Domino inſtituta non fuerit extrema unctio.

q cap. ult.

Quare autem hoc? quia certum eſt, quod multa fecit Dominus, immò & dixit, quæ in Euangeliis non continentur. Niſi dicamus quod ſecretius de iſtis duobus Sacramentis, *Confirmatione*, & *extrema unctione* mentionem fecerit, eò quia confirmatio in baptiſmo, & extrema unctio in pœnitentia intelliguntur, *juxta Div. Thom.* (r) confirmatio quodammodo perficit baptiſmum, extrema unctio pœnitentiam.

r 1. p. q. 65 art. 4.

Rurſus *ſi dicatur*; quare multa, quæ fecit Jeſus, in Euangeliis non continentur? Quia Euangeliſtæ curaverunt tantùm tradere ea, quæ ad neceſſitatem ſalutis, & Eccleſiæ diſpoſitionem pertinent; & ideò potius inſtitutionem *Baptiſmi*, *pœnitentiæ*, *Euchariſtiæ*, *&* *Ordinis*, & *Matrimonii*, factam narraverunt Apoſtoli, quàm extremæ unctionis, & confirmationis, *& hoc cum Div. Th.* (ſ) potiùs de aliis, quàm de iſtis, ſcil. extrema Unctione, & Confirmatione, quæ neque ad neceſſitatem ſalutis, neque ad Eccleſiæ diſpoſitionem pertinent Apoſtoli mentionem fecerunt præcipuam.

ſ Ib. ad 1. in Suppl.

Diximus *præcipuam*, ſiquidem conſtat, quod aliquam mentionem fecerunt etiam de iſto Sacramento, ſive de materia hujus Sacramenti, quod eſt oleum; *ſic enim legitur Marci*, (t) ungebant oleo multos ægros, & ſanabant, quod conſonat cum illo *Jacobi dicentis*, ungentes eum, ſcil. ægrotum in nomine Domini, tale verò oleum, non dicitur, niſi oleum olivæ, *ut habetur ex Concil. Trident.* (u) intellexit enim Eccleſia, materiam eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum, oleum, hoc eſt liquor non ex quavis pingui, & craſſa materia, ſed ex olearum baccis tantùmmodo expreſſus; & iſtud præcipuè dicitur oleum, eò maxime quia, ut deſerviat Sacramento, debet eſſe in ſuis naturalibus, ſicut & de materia aliorum Sacramentorum conſtat; iſtud ergo debet aſſumi in materiam hujus Sacramenti, in qua nulla debet eſſe admixtio balſami, nam balſamum propter odorem pertinet ad bonitatem famæ, qua non indigent propter ſe exeuntes ex hac vita, ſicut indigent nitore conſcientiæ, qui per oleum ſignificatur.

t cap. 6.

u Seſſ. 14. loc. cit.

Quod verò ſit materia conveniens hujus Sacramenti, oleum ſcil. *colligitur etiam ex Catech. Rom.* (x) aptiſſimè, inquit, hæc materia illud ſignificat, quod vi Sacramenti interius in anima efficitur; nam ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnoperè proficit, ita Sacramenti virtus animi triſtitiam, ac dolorem minuit; Oleum præterea ſanitatem reſtituit, hilaritatem affert, & lumini tanquam pabulum præbet, tùm verò ad recreandas defatigati animi vires, maximè accommodatum eſt, quæ omnia, quid in ægroto divina virtute per hujus Sacramenti adminiſtrationem efficiatur, declarat. *Et Div. Thom.*, (y) hoc Sacramentum eſt ſpiritualis medicatio, immò & ſanatio, quæ quia in fine adhibetur, debet eſſe perfecta; & lenis etiam eſſe debet, ut ſpes, quæ exeuntibus eſt maximè neceſſaria, non frangatur, ſed foveatur: cum autem oleum lenitivum ſit, penetrativum uſque ad intima, & diffuſivum, meritò conſtituitur oleum conveniens materia hujus Sacramenti, & quia oleum principaliter nominatur olivæ liquor, alii tamen liquores ex ſimilitudine ad ipſum: *Hinc ait Div. Thom.*, oleum namque, non verò vinum, eſt materia hujus Sacramenti; *& ideò ſubdit*, oleum liniendo ſanat, vinum ſanat mordendo; quia curatio per vinum magis pertinet ad pœnitentiam, quàm ad hoc Sacramentum.

x 2. par. de Ext. Unct. num. 5.

y In Suppl. q. 29. a. 4.

Hoc autem oleum, *ut jam diximus*, debet eſſe oleum olivæ, non admixtum aliquo alio liquore, ſed in ſua natura conſtitutum, non tamen præcisè, ſed requiritur, ut ſit conſecratum, *ſic & definitum fuit in Concil. Florentino*, quintum Sacramentum eſt extrema unctio, cujus materia eſt oleum olivæ per Epiſcopum benedictum; *& etiam in Concil. Trident.* (z) *ut diximus*, *quod & ſubdit*, nam unctio aptiſſimè Spiritus Sancti gratiam, qua inviſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat. Debet eſſe conſecratum, *inquit Div. Thom.* (a) tùm quia omnis efficacia Sacramentorum à Chriſto deſcendit, qua de cauſa mirum non eſt, quod illa efficacia, quæ eſt ex inſtitutione Sacramenti applicetur huic materiæ per ſanctificationem.

z loc. cit.

a in Suppl. q. 29. ar. 6.

At quare in hoc Sacramento requiratur ſanctificatio materiæ, non verò in Euchariſtia, & Baptiſmo? Quia illa Sacramenta, quibus Chriſtus eſt uſus, habent efficaciam ex ipſo uſu, & cum Chriſtus Dominus uſus fuerit pane, & vino pertinentibus ad Sacramentum Euchariſtiæ, & aqua pertinente ad Sacramentum baptiſmi, jam non requiritur ſanctificatio materiæ in his Sacramentis. Cęterum hoc Sacramento non eſt uſus, (*nam ſine peccato erat*, *ut de ipſo jam prophetavit Iſaias dicens*, (b) iniquitatem non fecit, neque dolus inventus fuerit in ore ejus; *& ut teſtatur Petrus*, (c) *dum ait de Chriſto*, qui peccatum non fecit, neque inventus eſt dolus in ore ejus, ſicut nec fuit uſus Sacramento pœnitentiæ ob eamdem rationem) nec aliqua corporali unctione; Chriſtus namque dicitur unctus non materiali unctione, ſed oleo lætitiæ ob plenitudinem S. S. & inviſibili unctione, & ita præ aliis participibus tuis; quia non ad menſuram; Nota tamen non poſſe dici Verbum Dei unctum Spiritu Sancto, quia ſic Spiritus Sanctus eſſet major filio, ut ſanctificans ſanctificato, ſed refertur unctio ad humanitatem, & ſic exponitur *illud Iſaiæ*, eò quod Dominus unxerit me, ſcil. hominem, ſic & ſentit Damaſcenus, unctionem ad humanitatem pertinere, nemo, qui ſanè ſapiat, dubitat: Ipſe enim in quantum homo unctus eſt oleo ſpiritus. Idcircò in omnibus unctionibus requiritur ſanctificatio materiæ.

b Cap. 5.

c 1. cap. 2.

Tùm quia eſt propter plenitudinem gratiæ, quę confertur, non ſolùm ut tollat culpam, ſed etiam reliquias, & infirmitatem corporis: Tùm quia ex hoc, quod effectus ejus corporalis, ſcil. unctio corporalis non cauſatur ex materiæ proprietate naturali, hinc eſt,

quod

Digitized by Google

quod oportet, quod hæc differentia ſibi per ſanctificationem detur. Nec ſuperflua eſt iſta ſanctificatio, quæ ad materiam hujus Sacramenti ſit, cum hæc ſit materiæ ſecundum ſe ad differentiam illius ſanctificationis, quæ ſit in uſu per formam verborum, eò quia iſta magis pertinet ad uſum ipſius, ſecundum quod eſt actu conferens effectum ſuum; nec hoc mirum, cum videamus, quod etiam inſtrumenta accipiant ab artifice efficaciam, & dùm fiunt, & dùm actu applicantur.

Diximus, *oleum olivæ requiri, quod ſit conſecratum*, & juxta Concilium per Epiſcopum, (& hoc in Eccleſia Latina, nam Græci miniſtrant hoc Sacramentum in oleo à ſimplici Sacerdote ex commiſſione Epiſcopi benedicto juxta antiquiſſimam conſuetudinem, *quam approbavit Clemens VIII.*) juxta id, *quod docet D.Th.* (*d*) à ſolo Epiſcopo conſecratum debet eſſe, à quo conſecratur materia etiam in aliis unctionibus; & meritò ab Epiſcopo conſecratur materia in hoc Sacramento, quia & in aliis Sacramentis, quæ indigent materia ſanctificata, priùs ſanctificatio ſit per Epiſcopum, & uſus per Sacerdotem, ut oſtendatur Sacerdotalis poteſtas ab Epiſcopali derivata: *juxta illud Pſal.* (*e*) ſicut unguentum in capite, ſcil. *in Chriſto*, à quo primò efficacia Sacramenti eſt; quod priùs deſcendit in barbam Aaron, *hoc eſt in Pontificem, ſeù Epiſcopum*, qui materiam ſanctificat, uſque ad oram veſtimenti, *hoc eſt in populum*, mediantibus tamen miniſtris, ſcilic. *Sacerdotibus*, qui Sacramenta diſpenſant. *In confirmationem hujus eſt Concil. Trid. ſtatuens*, (*f*) ſacroſancta Synodus declarat præter cæteros Eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos Præsbyteris *ſuperiores* eſſe, ac Sacramentum Confirmationis conferre, miniſtros Eccleſiæ ordinare, atque alia, pleraque peragere ipſos poſſe, quarum functionum poteſtatem reliqui inferioris ordinis nullam habent;

d in Suppl. q. 29. a. 6.

e Pſal. 132

f Seſſ. 23. cap. 4.

Diximus, quod in hoc, & in aliis ſimilibus Sacramentis uſus ſit per Sacerdotem ad differentiam materiæ Sacramenti Euchariſtiæ, eò quia hoc Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtit in ipſa materiæ ſanctificatione, non verò in uſu; & ideò propriè loquendo, *inquit Div. Thom.* (*g*) illud, quod eſt materia Sacramenti, non eſt, quid conſecratum, unde non præexigitur aliqua ſanctificatio circa materiam per Epiſcopum facta, ſed ſolùm exigitur ſanctificatio altaris, & hujuſmodi; immò & ipſius Sacerdotis, quæ nonniſi per Epiſcopum fieri poteſt; Et quia exigitur ſanctificatio Sacerdotis, quæ nonniſi per Epiſcopum fieri poteſt, jam videtur, quod etiam in Sacramento Euchariſtiæ oſtenditur poteſtas Sacerdotalis derivata ab Epiſcopali; ſi ergo in hoc Sacramento exigatur ſanctificatio Sacerdotis, ad hoc poſtea, ut conſecrare poſſit materiam, in cujus ſanctificatione Sacramentum conſiſtit; & non in uſu, multò magis in hoc Sacramento extremæ unctionis exigitur ſanctificatio materiæ per Epiſcopum facta, cujus uſus tantùm ſit per Sacerdotem, ideòque videtur, materiam hujus Sacramenti eſſe oleum ab Epiſcopo conſecratum.

g ib. ad 1.

Et cum verè extrema unctio ſit Sacramentum, hinc eſt, quod cum habeat materiam, debet aſſignari & forma, nam omne Sacramentum habens materiam habere debet & formam. Quocirca *docet D. Thom.* (*h*) quod omne Sacramentum efficit ſignificando, ſignificatio autem materiæ non determinatur ad effectum determinatum, cum ad multa ſe poſſit habere, niſi per formam verborum, eò veluti modo, quo genus non determinatur, niſi per ſpeciem, quæ dat eſſe ſpecificum; adeòque in omnibus Sacramentis novæ legis, quæ efficiunt, quod figurant, oportet eſſe res, & verba: verba autem ſunt forma Sacramenti; *unde bene D. Jacobus conſtituit* totam vim hujus Sacramenti in oratione, quæ eſt forma hujus Sacramenti, quæ licet non inveniatur in Sacra Scriptura; nam *ex Div. Jacobo habetur*, infirmatur quis in vobis, inducat præsbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei; tamen Eccleſia ex traditione Apoſtolorum, qui à Domino acceperunt facultatem, *juxta illud Pauli ad Corint.* (*i*) ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, hanc habet; quod & *Concil. Tridont. decrevit*, (*l*) quibus verbis ex Jacobo Apoſtolo deſumptis, & ex Apoſtolica traditione per manus accepta Eccleſia didicit, docet materiam, *nempe unctionem*, formam, *nempe orationem*, miniſtrum proprium, *nempe præsbyterum*, ſubiectum, *nempe infirmum*, effectum hujus ſalutaris Sacramenti, *nempe alleviationem*, hoc eſt conſortationem adverſus difficultates tunc occurrentes, & peccatorum remiſſionem. Intellexit enim Eccleſia materiam eſſe oleum ab Epiſcopo conſecratum &c. formam deinde eſſe verba per iſtam unctionem &c. *ut habetur etiam ex Concil. Florentino ſub Eugenio Papa IV.* quintum Sacramentum eſt extrema unctio, forma hujus Sacramenti hæc eſt, per iſtam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquiſti per viſum, &c.

h in Suppl. q. 29. a. 7.

i 1. cap. 11.

l Seſſ. 14. cap. 1.

Quæ tamen omnia determinando Concilium, corroboravit eò amplius doctrinam *D. Thom. dicentis*, (*m*) formæ aliorum Sacramentorum ſcil. Extremæ unctionis, & Confirmationis non inveniuntur in Sacra Scriptura traditæ, ſed hanc Eccleſia ex traditione Apoſtolorum habet, qui à Domino acceperunt, ad differentiam formæ baptiſmi, qui cum ab omnibus dari poſſit, conſequenter in Sacra Scriptura exprimi debet, ſicut & forma Euchariſtiæ, quæ exprimit Sacramenti illius fidem, quæ eſt de neceſſitate ſalutis, juxta opinionem illorum, aſſerentium quædam Sacramenta per ſe ipſum Chriſtus Dominus promulgavit, quæ ſunt majoris difficultatis ad credendum; unde & præcepit Apoſtolis, ut irent in Mundum univerſum, & docerent gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; & illis dixit, dùm in ultima cœna corpus ſuum, & ſanguinem illis tribuit: *hoc eſt corpus meum, hic eſt calix ſanguinis mei, &c. hoc facite in meam commemorationem*; quædam verò Apoſtolis promulganda reſervavit, *ut Extremam unctionem, & Confirmationem*.

m ib. ad 1.

Diximus, quod totam vim hujus Sacramenti conſtituit *Beatus Jacobus Apoſtolus in oratione*, quæ eſt forma hujus Sacramenti; & modò dicimus, quod debeat eſſe oratio deprecativa, & non indicativa; ut ſit in Baptiſmo, *dum dicitur, Ego te baptizo &c.* ut ſit in Confirmatione, *dum dicitur, ſigno te ſigno Crucis &c.* ut ſit in Euchariſtia, *dùm dicitur, hoc eſt Corpus meum*, ut ſit in pœnitentia, *dùm dicitur, ego te abſolvo*, ut ſit etiam in Sacramento Ordinis, in quo licet non fiat oratio indicativa, nihilominus tamen pronunciatur per modum imperantis, *dùm dicitur, accipite poteſtatem &c.* debet eſſe oratio deprecativa in extrema unctione, *cujus verba ſunt*, per iſtam unctionem ſanctam, & piiſſimam ſuam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti oculorum, ſive narium, ſive tactus vitio.

Quare autem deprecativa oratio eſſe debeat? Quia cum hoc Sacramentum adhibeatur, ut præter ſpiritualem gratiam, quam tribuit, ſanitatem etiam reſtituat ægrotis, (nam hoc Sacramentum prodeſt ad duo, primò quia citiùs ſanantur infirmi, ſi ſint convalituri; ſecundò quia tollit peccatum veniale, ut patet per Jacobum, unde ſumitur iſtud Sacramentum, *ubi dicitur, alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, dimittentur ſibi, ex Div Thom.* (*n*)) hinc eſt, quod quia non ſemper ſequitur, ut ægri à morbis convaleſcant, ob eam cauſam precatione forma conficitur; & à Dei benignitate impetremus id, quod Sacramenti vis conſtanti, & perpetuo ordine efficere non ſolet.

n Opuſc. 66. cap. de Ext. Unct.

Immò quod ſit oratio deprecativa, colligitur *ex Div. Thom.* (*o*) illa verba ungo hos oculos oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, non ſunt forma hujus Sacramenti, ſed diſpoſitio ad formam, in quantum intentio miniſtri determinatur ad actum illum per illa verba.

o in Suppl. q. 29. ar. 8. ad 1.

Et rurſus ait, illud, quod eſt forma Sacramenti, ab omnibus oportet, ut ſervetur, hæc autem verba, ungo hos oculos oleo &c. non dicuntur ſecundum conſuetudinem omnium Eccleſiarum; ideòque *benè dixit D. Th.* (*p*) quod illa verba, quæ ſunt de eſſentia formæ ſcilicet *oratio deprecativa*, ab omnibus dicantur; alia autem, quæ ſunt de bene eſſe, ab omnibus non obſervantur.

p loc. cit. a. 9. ad 2.

Obſer-

Digitized by Google

Obſervari tamen debent ab omnibus ritus proprii, qui adhibentur in hujus Sacramenti adminiſtratione; immò & preces, quibus Sacerdos ad ægroti ſalutem impetrandam utitur; & taliter hæc omnia obſervari debent, quod ſi quis dixerit ritum, & uſum hujus Sacramenti, quem Sancta Romana Eccleſia obſervat, repugnare ſententiæ D. Jacobi, *anathematizatur à Concil. Trident. ſtatuente*, (q) ſi quis dixerit, Extremæ Unctionis ritum, & uſum, quem obſervat Sancta Romana Eccleſia repugnare ſententiæ Beati Jacobi Apoſtoli, ideòque eum mutandum, poſſeque à Chriſtianis abſque peccato contemni, anathema ſit.

q Seſſ. 14. de Extr. Unct. can. 1.

Immò quod ſit oratio deprecativa, colligitur ex verbis Apoſtoli, infirmatur quis in vobis, inducat preſbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes &c.

Nota, quod Sacerdos ille, qui ungit, debet ſuper infirmum fundere orationem, non enim unus debet ungere, & alius orationem dicere, ut non ſit diviſio Sacramenti, poſſunt tamen alii Sacerdotes ſimul cum ipſo Sacerdote ungente, & orante orare.

Et dùm dixit Beatus Jacobus, inducat præsbyteros Eccleſiæ, intelligit per ly præsbyteros Sacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, *juxta Concil.* (r) *ſtatuens*, ſi quis dixerit, præsbyteros Eccleſiæ, quos Beatus Jacobus adducendos eſſe ad infirmum ungendum hortatur, non eſſe Sacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate ſeniores in quavis communicate, ob idque proprium Extremæ Unctionis miniſtrum non eſſe ſolum Sacerdotem, anathema ſit.

r ibid. c. 4.

Deinde ex uſu Eccleſiæ Romanæ, quæ ſolùm verbis deprecativis utitur in collatione hujus Sacramenti, & hoc meritò, tùm quia ſuſcipiens (ſ) hoc Sacramentum eſt propriis viribus deſtitutus, unde indiget orationibus ſublevari; patet enim, quod nullum aliud eſt Sacramentum, quod pluribus precibus conficiatur, quàm iſtud Extremæ Unctionis, nec ſine rationabili cauſa, cum potiſſimum eo tempore fideles piis obſecrationibus ſunt adjuvandi. Quare & alii omnes, quos tunc adeſſe contigerit, & præcipuè Parochi, debent orare Deum ex animo, & ejus miſericordiæ laborantis vitam, & ſalutem omni ſtudio commendarunt.

ſ in Suppl. q. 29. a. 8.

Tùm quia datur exeuntibus, qui jam deſinunt eſſe de foro Eccleſiæ, & in Dei ſolius manu requieſcunt; unde & ei per orationem committuntur. Etſi de foro Eccleſiæ jam deſinunt eſſe illi, quibus datur Sacramentum Extremæ Unctionis, multò magis deſinunt eſſe de foro ſeculari, unde ſicut Eccleſia illis omnia condonat, nec citra illos procedit judicialiter, ita pariter nullum debet eſſe tribunal, aut Magiſtratus laicalis, qui contra tales infirmos procedere poſſit, & hoc ſciendum eſt.

Tùm quia hoc Sacramentum non habet aliquem effectum, qui ſemper ex operatione miniſtri conſequitur omnibus, quæ ſunt de eſſentia Sacramenti, etiam ritè peractis; ut character in baptiſmo, & Confirmatione, tranſubſtantiatio in Euchariſtia, remiſſio peccati in pœnitentia, exiſtente contritione, quæ utique eſt de eſſentia Sacramenti pœnitentiæ, non autem de eſſentia hujus Sacramenti, & per hoc in hoc Sacramento forma indicativi modi non poteſt eſſe, ſicut in dictis Sacramentis; ex quibus ſequitur, quod ipſa oratio deprecativa debet eſſe forma hujus Sacramenti; & quia in omni forma Sacramentorum debet exprimi intentio miniſtri, quæ ad Sacramentum requiritur, *juxta illud Concilii Trid.*, (t) ſi quis dixerit in miniſtris, dùm Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia: anathema ſit; ideòque *ait Div. Thom.* (u) per illum actum, qui in forma ponitur (per iſtam Sanctam Unctionem) exprimitur intentio.

t Seſſ. 7. can. 11.

u ib. a. 2.

Quod autem dicta oratio ſit competens forma hujus Sacramenti, non poteſt eſſe dubium, *docet D. Thom.* (x) cum dicta oratio & tangat iſtud Sacramentum in hoc, *quod dicitur per iſtam Sanctam Unctionem*, & illud, quod operatur in Sacramento, ſcil. *divinam miſericordiam*, de cujus ratione eſt reſpicere miſeriam, in qua poſiti ſunt graviter decumbentes ob infirmitatem, quæ inter numerum pœnalitatum originem trahentium à peccato originali poſita eſt, adeòque meritò in hoc Sacramento potiùs, quàm in aliis ſit mentio de miſericordia, nec eſt in aliquo alio ſperandum, quàm in miſericordia Altiſſimi. Et denique effectum ejus, ſcil. *remiſſionem peccatorum*, qui ut effectus principalis exprimitur in forma, & iſte eſt remiſſio peccatorum, iſte enim effectus ſemper inducitur, *ait Div. Thom.*, (z) ex Sacramento, niſi ſit defectus ex parte recipientis; & licet corporalis ſanitas quandoque ſequatur, nihilominus tamen non eſt effectus principalis, per quod videtur, quod D. Jacobus, hunc effectum ſcil. remiſſionem peccatorum, *dùm dixit*, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, &c. attribuit orationi, quæ eſt forma hujus Sacramenti. Quod & *Concil. Trid. dixit*, ut videbimus dùm de ſanitate corporali, quæ eſt effectus hujus Sacramenti, agemus.

x in Suppl. q. 29. a. 9.

z ib. a. 3.

Super Quæſtionem Trigeſimam.

De Effectu hujus Sacramenti.

Effectus cum ſemper præſupponat cauſam, hinc eſt, quod ex nobilitate cauſæ relucet effectus nobilitatis: hoc videmus apertè in creatura rationali, hæc enim effectus eſt Dei creantis, dixit namque Deus, *faciamus hominem ad imaginem*, &c. ex quo fit, quod homo gloriatur de ſua creatione, ex qua traxit talem, ac tantam nobilitatem ſui eſſe: hanc tunc fortè obſcurat, obnubilat, ac tollit, quando inverecundè agit, & committit peccatum, veniale, vel mortale: ad quæ tollenda inſtituit Dominus Sacramentum pœnitentiæ, quod & Sacramentum mortuorum dicitur, cum homo per peccatum maximè, & præcipuè mortale ad gratiam moriatur: itaque per iſtud Sacramentum homo reſurgit ad vitam, quoniam mediante iſto Sacramento fit remiſſio peccatorum; quæ tamen remiſſio peccatorum non tollitur per extremam unctionem, cùm iſta & Sacramentum vivorum ſit, de cujus ratione eſt non cauſare per ſe primò primam gratiam, ſive remiſſionem peccatorum, ſed conſequenter, & per accidens, unde & dicitur veluti complementum, & conſummatio Sacramenti pœnitentiæ, ſicut enim iſtud peccata tollit, ita Sacramentum Extremæ Unctionis tantùm reliquias peccatorum abſtergit, hinc eſt, quod Sacramentum iſtud non datur contrà defectus, quibus ſpiritualis vita tollitur, ſcil. contrà peccatum originale, & mortale, ſed contra illos defectus, quibus homo ſpiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actua vitæ, gratiæ, vel gloriæ, & hic defectus nihil aliud eſt, quàm quædam debilitas, & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali, vel originali, & contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc Sacramentum: unde ſolùm redditur clarum, quod effectus hujus Sacramenti eſt tollere reliquias peccatorum, per quas oportet intelligi languor, debilitas ad operandum bonum, & reſiſtendum tentationibus dæmonum in illo ultimo agone occurrentibus; & ideò tollere reliquias peccatorum eſt effectus principalis hujus Sacramenti, ad differentiam effectus illius, qui dicitur corporalis ſanatio, quia Extrema Unctio non facit corporalem ſanationem ex proprietate naturali materiæ, ſed virtute divina, quæ rationabiliter operatur; & dùm cauſat corporalem ſanationem, jam ſequitur, quod non imprimat characterem, eò quia non ſemper fit talis ſanatio, ſed opus eſt, ut homo ſolvat per mortem tributum naturæ, *ſtatutum enim eſt hominibus ſemel mori*, unde quando proximus eſt ad mortem, hoc Sacramentum confertur, hinc diximus cum Patribus, Sacramentum iſtud eſſe Sacramentum unctionis infirmorum, & Sacramentum exeuntium, quod ſi recuperat ſanitatem, ulteriùs iteratur, dùm denuò graviter infirmatur, unde conſtat, quod characterem non imprimat.

In his verbis *etſi in peccatis ſit, remittentur ei*, ponitur *ly conditionalis ſi*, ad denotandum, quod Extre-

ma

Digitized by Google

ma unctio valet ad remiſſionem peccatorum, ad hoc enim principaliter eſt inſtitutum Sacramentum iſtud ad ſanandum infirmitatem peccati, ideòque dicitur, quod eſt quædam ſpiritualis ſanatio, vel medicatio: Verùm tamen eſt, quod hoc Sacramentum non datur contra defectus, quibus vita ſpiritualis tollitur, ſcil. contra peccatum originale, vel mortale; Nam contrà primum datur Sacramentum Baptiſmi, per quod licet tollatur pœna debita pro peccato originali, immò & ipſum peccatum, non tollitur tamen concupiſcentia, vel fomes, ſed manet *juxta illud, Concil. Tri-*
a Seſſ. 5. can. 6. *dent.* (a) manere autem in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem hæc Sancta Synodus declarat, & ſentit; quæ quidem cum ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, ut viriliter per Jeſu Chriſti gratiam repugnantibus non valet; quinimò qui legitimè certaverit, coronabitur. Hanc concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat Eccleſiam Catholicam numquam intellexiſſe, peccatum appellari, quod verè, & propriè in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat; & ſi quis in contrarium ſenſe-
b Seſſ. 6. cap. 2. rit; anathema ſit. Pariter *habetur*, (b) quod reliquiæ hujuſmodi attenuant liberi arbitrii vires, & infirmas reddunt; licet liberum arbitrium non extinguant. *Ut deſumitur ex eodem Concilio ſtatuente*, tametſi in eis liberum arbitrium minimè extinctum eſſet viribus, licet attenuatum, & inclinatum. *Rurſus ex eodem Concilio*
c Seſſ. 14. cap. 2. (c) *de Extr. Unctione:* Res porrò, & defectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei; res enim gratia eſt Spiritus Sancti, cujus unctio, delicta, (ſi quæ ſunt adhuc expianda) ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat; magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatus, & morbi incommoda, ac labores leviùs fert, & tentationibus dæmonis calcaneo inſidiantis, faciliùs reſiſtit, & ſanitatem corporis interdùm ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur. Ex quibus videtur, quod non contrà peccatum mortale datur hoc Sa-
d In Suppl. q. 30. a. 1. cramentum, ſed illud pœnitentiæ, *idcircò ſubdit*, (d) hoc Sacramentum datur contrà defectus illos, quibus homo ſpiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ, gratiæ, vel gloriæ; & talis defectus nihil aliud eſt, quàm quædam debilitas, & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex actuali peccato, vel originali, & contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc Sacramentum.

At quia hoc robur gratia facit, quæ ſecum non compatitur peccatum: nam contraria ſunt, & contraria ſimul eſſe nequeunt in eodem ſubiecto, in gradu ſupremo, ex conſequenti ſi invenit, *ait D. Thom.* (e)
e ibid. aliquod peccatum, vel mortale, vel veniale quoad culpam, tollit ipſum, dummodò non ponatur obex ex parte recipientis. Concluditur itaque principalem effectum hujus Sacramenti eſſe remiſſionem peccatorum quoad reliquias peccati, quia ſemper remittit quoad debilitatem, non enim habet perfectum vigorem ad actus vitæ, gratiæ, vel gloriæ, ex conſequenti etiam quoad culpam, cum non ſemper deleat pec-
f ib. ad 2. catum, nam non ſemper invenit. *Et rurſus ait*, (f) Extrema Unctio aliquo modo quantum ad hæc tria, ſcil. *maculam*, *reatum pœnæ*, *& reliquias peccati* peccatum remittit; & licet culpa quoad maculam ſine contritione non dimittatur, tamen hoc Sacramentum per gratiam, quam infundit, facit, quod ille motus liberi arbitrii in peccatum ſit contritio, & ideò *diximus*, quod ſi invenit peccatum actuale, vel veniale, quantum ad culpam tollit, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis. Ecce fructus, atque utilitates, quas ſecum affert hoc Sacramentum, juxta ea,
g 2. p. de Ext. Unct. num. 14. quæ diximus, *ex Catechiſmo Rom.* (g) docebunt, *legitur*, paſtores hoc Sacramento gratiam tribui, quæ peccata & in primis quidem leviora, & ut communi nomine appellantur, *venialia*, remittit; exitiales enim culpæ pœnitentiæ Sacramento tolluntur; neque enim hoc Sacramentum primario loco ad graviorum criminum remiſſionem inſtitutum eſt; ſed Baptiſmus tantùm, & pœnitentia vi ſua hoc efficiunt. Altera eſt Sacræ Unctionis utilitas, quod animam à languore, & infirmitate, quam ex peccatis contraxit, & a ceteris omnibus reliquiis peccati liberat.

Pariter, *ſubdit Div. Thom.*, diminuit & reatus pœnæ temporalis, quia ſi convaleſcit, tenetur perficere ſatisfactionem injunctam, ſed ex conſequenti, in quantum debilitatem, quam diximus, tollit; quia eamdem pœnam levius portat fortis, quàm debilis; unde non oportet, quod propter hoc minuatur ſatisfactionis menſura. Quoad reliquias verò peccati, iſtæ non dicuntur hic diſpoſitiones ex actibus relictæ, quæ ſunt quidam habitus inchoati, ſed quædam ſpiritualis debilitas in ipſa mente exiſtens, qua ſublata etiam eiſdem habitibus, vel diſpoſitionibus manentibus, non ita mens poteſt inclinari ad peccatum.

Si autem quæratur, quando fiat talis remiſſio peccatorum in Extrema Unctione?

Reſpondendum erit, quod fit in ultima Unctione, tunc enim gratia infunditur, quæ effectum Sacramento præbet; *Hoc ex Div. Thom.* (h) quando ſunt multæ h ib. ad 3.
actiones ordinatæ ad unum effectum, ultima eſt formalis reſpectu omnium præcedentium, & agit in virtute earum. Et in caſu, quo infirmus moreretur poſt primam Unctionem, cum iſta ſit ultima, jam conſequeretur effectum Sacramenti V. remiſſionem peccatorum; idem dicitur ſi poſt alias; nam quantum erat in ſe, infirmus erat etiam paratus ad ſuſcipiendum omnes illas actiones ordinatas ad talem effectum.

Verumtamen ad Parochos, vel Curatos ſpectat invigilare ſupra infirmum, cui debent præſtare omnia auxilia, quàm citò poſſibile eſt, ad ſalutem animæ ſpectantia; & tunc tempus huic Unctioni exiſtimandum eſt aptiſſimum, dùm gravi morbo affligatur, ac vitæ periculum impendet.

Nec retardandum eſt, ut ſubveniatur illi, tribuere hanc Sanctam Unctionem, non ob aliud motivum, niſi vel propter affectum, vel ob ſpem, ut ſanetur, vel ob timorem ne contremiſcat infirmus, & deſperet de ſua ſalute; hæc enim omnia vana ſunt, quoniam tempus noſtrum ſemper eſt paratum, (*audiant & Senecam dicentem*, (i) Non tàm benignum, ac libe- i In flor. Epiſt. 117.
rale tempus natura nobis dedit, ut aliquid ex illo vacet perdere, & vide, quàm multa etiam diligentiſſimis pereant,) & ab illo diſcant agnoſcere velocitatem temporis, de quo *& dicitur*, fugit irrevocabile tempus) unde vigilare debemus, quia neſcimus diem, neque horam, quando veniet dies Domini magna, & amara valde; ob hoc, quod reddituri ſumus de omnibus, quæ in corpore geſſimus.

Diximus, *quod principalis effectus hujus Sacramenti eſt remiſſio peccatorum &c.* ſed quia addidimus ſuprà, quod ex tali Unctione, quæ fit in Extrema Unctione, corporalis ſanitas quandòque ſequitur, hinc eſt, quod licet iſta excludatur à ratione effectus principalis, non tamen excluditur à ratione cujuſcumque effectus; ac proinde ſanitas corporalis eſt effectus talis Sacramenti: & de facto per Apoſtolos ſanabantur oleo multi infirmi etiam ante paſſionem Chriſti; ex quibus deducitur, quod ſi tunc habuerit talis unctio efficaciam ex vi paſſionis Chriſti futuræ, ut ſanarentur quamplures infirmi, majorem nunc habere debet efficaciam ex vi ejuſdem paſſionis, cum per iſtam Sacramento habeant producere ſuum effectum, qui eſt gratia, & conſequenter ſanitatem, ſive mundationem, ſive fortitudinem, quæ omnia ſunt effectus Sacramentorum. Quod magis conſtat ex hoc, quod Extrema Unctio & habeat aliquam convenientiam cum Baptiſmo, in hoc, quod ſicut iſte per ablutionem corporalem emundationem ſpiritualem facit à maculis ſpiritualibus; ita hoc Sacramentum per medicationem ſacramentalem exteriorem facit ſanationem interiorem; & ſicut ablutio Baptiſmi habet effectum corporalis ablutionis, quia etiam corporalem mundationem facit, ita Ex-

trema

Digitized by Google

trema Unctio habet effectum corporalis medicationis, ſcil. corporalem ſanationem.

Et etiam ut habeat differentiam in hoc, quod corporalis ablutio ex ipſa naturali proprietate elementi facit corporalem mundationem, adeòque eam ſemper facit, Extrema verò Unctio non facit corporalem ſanationem ex proprietate naturali materiæ, ſed ex divina virtute, quæ rationabiliter operatur, *ut docet Div.*
l in Suppl. q. 30. ad 1.
Thom. (*l*) *qui & addit*, quia ratio operans numquam inducit ſecundarium effectum, niſi ſecundum quod expedit ad principalem, ideò ex hoc Sacramento non ſemper ſequitur corporalis ſanatio, ſed quando expedit ad ſpiritualem ſanationem, & tunc ſemper eam inducit, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis. Nam corporalis ſanatio enumeratur inter utilitates hujus Sacramenti. Quod ſi ægroti eò tempore eam minus conſequuntur, id quidem non Sacramenti vitio, ſed ob eam potiùs cauſam evenire credendum eſt, quod eorum magna pars, vel qui ſacro oleo perunguntur, vel à quibus adminiſtrantur, fides infirmior eſt; *teſta-*
m cap. 13.
tur enim Matt. (*m*) Dominum apud ſuos multas virtutes non feciſſe propter incredulitatem eorum, *ſic enim legitur*, & non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum. *Ob hoc & Div. Jacobus dixit*, oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus.
n ib. ad 3.
Undè *D. Thom. huic veritati adhærendo docet*, quod cum oratio illa ſit forma hujus Sacramenti, hinc benè ſequitur, quod hoc Sacramentum ex ſua forma habet efficaciam, quantum eſt de ſe ad ſanationem corporalem.

Nec andiendi ſunt illi, qui impudenter aſſerere præſumunt illam Epiſtolam D. Jacobi non eſſe de Canone Scripturarum ſacrarum, ideòque ipſam reiiciendam eſſe, nec per illam poſſe comprobare veritatem, *quam D. Th. aſſerit, ut certam*. Impudenter utique procedunt, & eò magis quaſi ignoranter.

Ab univerſa namque Eccleſia acceptata fuit *Epiſtola illa Beati Jacobi*, & unum, vel alterum de membris ejus, ſi tamen putrida non ſunt, qui ab eadem reciſa, audebit illam negare? Verùm ne tanta præſumptio, ſine pœna maneat; *Concil. Trident.* (*o*) *hos anathematizat,*
o Seſſ. 4. Pr. decr.
dùm ſtatuit, Sacrorum verò librorum indicem huic decreto adſcribendum cenſuit; ne cui dubitatio ſuboriri poſſit, quinam ſint, qui ab ipſa Synodo ſuſcipiantur; ſunt enim infraſcripti; *Teſtamenti veteris quinque libri Myſi, &c. Teſtamenti novi quatuor Euangelia, Epiſtola Beati Apoſtoli una &c.* Si quis aſſerit libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata latina æditione habentur, pro Sacris, & Canonicis non ſuſceperint: & traditiones prædictas, ſciens, & prudens contempſerit; anathema ſit.

Ex iſta tamen Extrema Unctione, ex qua poſtea reſultat Sacramentum iſtud non imprimitur character; Etenim hoc Sacramentum non datur, niſi in remedium, & non deputatur per ipſum homo ad aliquod ſacrum agendum, & ſuſcipiendum, ut fit in Ordine; & Confirmatione; in iſtis enim unctio eſt unctio conſecrationis, qua homo deputatur ad aliquod ſacrum; & in baptiſmo datur unctio, qua homo deputatur ad alia Sacramenta ſuſcipienda; at in hoc Sacramento eſt tan-
p in Suppl. q. 30. a. 3. ad 2.
tùm unctio medicationis, *ut ait Div. Thom.*, (*p*) per quam unctionem licet unctus diſtinguatur à non uncto, non per hoc tamen ſequitur, quod imprimat characterem per Extremam Unctionem. Nam *ex definitione tùm Concilii Florentini ſub Eugenio IV. habetur ſtatutum*, inter hæc Sacramenta, *Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo* characterem, ſcil. ſpirituale quodam ſignum à cęteris diſtinctivum imprimunt in anima indelebile, unde in eadem perſona non reiterantur. Reliqua verò quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admit-
q Seſſ. 7. can. 9.
tunt. *Tùm etiam ex definitione Concil. Trident.*, (*q*) ſi quis dixerit, in tribus Sacramentis *Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine* non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quodam ſpirituale, & indelebile; unde ea ite-
r Seſſ. 23. cap. 2.
rari non poſſunt; anathema ſit. *Quod idem decrevit* (*r*) quoniam verò in Sacramento Ordinis, ſicut in Baptiſmo, & Confirmatione character imprimitur, qui nec deleri poteſt, nec auferri. *Et Div. Thom.* (*ſ*) *jam dixit*,
ſ Opuſc. 4. c. de Extr. Unct.
poteſt Sacramentum iſtud iterari, ſicut & pœnitentia. Nam iſta tria Sacramenta, *Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo*, iterari non poſſunt; reliqua poſſunt reiterari; quæ ſunt quatuor; quia iteratur morbus peccati, neceſſe erat, ut poſſet iterari medicina Sacramenti. *Et*
t ib. ad 10.
hic docet, (*t*) character facit diſtinctionem ſtatuum quoad ea, quæ in Eccleſia ſunt agenda, quam diſtinctionem homo non habet a** aliis fidelibus, per hoc, quod ipſe ſit inunctus; ſicut diſtinctionem habet homo fidelis ab aliis non fidelibus per hoc, quod ipſe ſit baptizatus, illi non.

R*rſus diſtinctio, quæ fit ſecundum characterem Sacramentalem, eſt diſtinctio eorum, qui ſunt in præſenti Eccleſia, ſic confirmati diſtinguuntur à non confirmatis, & illi, qui Sacramentum Ordinis ſuſceperunt, diſtinguuntur ab illis, qui ſeculo præcisè deſerviunt; ut ſunt ſeculares; Extrema verò Unctio confertur ei, qui exit ab Eccleſia præſenti: cum detur tantùm exeuntibus, & vocetur Sacramentum exeuntium; quia jam deſinunt eſſe de ſoro Eccleſiæ, & in ſolius Dei manu requieſcunt; & ideò per illam character non imprimitur. Quo pacto etiam in hoc Sacramento res, & Sacramentum non eſt character, ſed quædam ſpiritualis devotio, quæ eſt ſpiritualis unctio; quod autem iterari poſſit de hoc infrà, ſicut quod nec characterem imprimat.

Super Quæſtionem Trigeſimam primam.

De Miniſtro hujus Sacramenti.

A Natura hoc præſcribitur, ut omnia conſona ſint, & ordo ne pervertatur, & ut omninò tollatur confuſio in potentiis, ut non tranſeant iſtæ limites ſuæ activitatis in ordine ad obiectum proprium, & determinatum; certum namque eſt, ut experientia docet, potentiam viſivam nullam ingerentiam habere circa ſonorum, quod eſt proprium obiectum auditus, nec potentiam auditivam ſe ingerere circa viſibile, & ſic de aliis potentiis exterioribus: quod pari paſſu aſſerendum eſt à Conciliis, *præcipuè à Tridentino, ut patebit*, & ab Eccleſia Catholica præſcriptum eſſe, ut non omnes omnia Sacramenta miniſtrare poſſint, ſed illi ſoli, quibus data eſt facultas miniſtrandi illa, eaque conficiendi; hinc determinātur ab Eccleſia proprii miniſtri in quolibet Sacramento, & taliter ut nemo ſit, qui audeat, & præſumat extra limites ſuæ activitatis, atque poteſtatis tranſcendere; propterea à ſolo Epiſcopo reſervata eſt poteſtas miniſtrandi Sacramentum Chriſmatis, conſecrandi, & conferendi Sacros Ordines, à ſolis Sacerdotibus conficiendi Corpus, & Sanguinem Domini, & præter Epiſcopum etiam miniſtrandi Sacramentum Extremæ Unctionis, & abſolvendi à peccatis: nuptias benedicendi: nam Sacramentum Matrimonii fit per cōſenſum Sponſi, & Sponſæ; Omnibus tamen conceſſa eſt poteſtas baptizandi in caſu neceſſitatis abſque eo, quod præjudicetur Sacramento baptiſmi, etenim ſive vir, ſive mulier ſit, poteſt baptizari, ſive ſit Judæus, ſive Gentilis, ſive hæreticus, ſive excommunicatus, dummodò omnes intendant facere, quod facit Eccleſia, omnes baptizari poſſunt, cum ſit Sacramentum maximæ neceſſitatis, quæ neceſſitas fuit declarata, quando dixit Jeſus, *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* attamen talis neceſſitas utendi Baptiſmo fuit indicta ſolùm poſt Paſſionem, & Reſurrectionem, quoniam ante paſſionem Chriſti currebant ſimul lex, & Euangelium: quia myſterium Chriſti erat inchoatum, ſed nondùm conſummatum. Ex quibus ſequitur quod laici numquam

Digitized by Google

quam poſſuat miniſtrare alia ſacramenta, nec miniſtri eſſe, niſi baptiſmi, dùm neceſſitas urget, & hoc divina diſpenſatione factum eſſe videtur, ut nulli regenerationis ſpiritualis facultas Dei ſit; unde ſicut nec abſolvere à peccatis poſſunt, ita nec Sacramentum extremæ unctionis conſerre, cum ſit completivum Sacramenti pœnitentiæ; Nec diaconl ut non contrarietur verbis Apoſtoli dicentis, indncat præsbyteros Eccleſiæ; Unde ſimpilces Sacerdotes habent miniſtrare hoc Sacramenium, per hoc tamen non intendimus excludere Epiſcopos, cum in ſua diæceſi ipſe ſit primus paſtor ovium, at quia ſine gravi incommodo non poſſet accedere ad omnes ſuæ diæceſis infirmos, ideò ſequitur, quod alii ſimplices Sacerdotes rectè hoc Sacramentum extremæ unctionis adminiſtrantur.

Extremæ unctionis miniſter non poteſt eſſe *laicus*, nec *diaconus*, nec *ſolus Epiſcopus*, *hoc dicitur*, quia & alii ſimplices Sacerdotes poſſunt eſſe miniſtri hujus. Sic etiam *deſumitur ex illo Jacobi inducat presbyteros*, quo nomine non eos ſignificat, qui ætate provectiores ſunt, *græcè namque presbyter ſenex latinè dicitur*, non propter ætatem, ſed propter ſapientiam, quæ in eis debet eſſe; *ſic & Concil. Trident. ſapienter exponit, dùm determinat*;
[a Seſſ. 14. cap. 1.] (*a*) Jam verò quod attinet ad præſcriptionem eorum, qui & ſuſcipere, & miniſtrare hoc Sacramentum debent, haud obſcurè fuit illud etiam in verbis prædictis traditum: nam & oſtenditur illic, proprios hujus Sacramenti miniſtros eſſe Eccleſiæ presbyteros, quo nomine eo loco, non ætate ſeniores, aut primures in populo intelligendi veninnt, ſed aut Epiſcopi, aut Sacerdotes, ab ipſis ritè ordinatis per impoſitionem manuum
[b Ib. can. 4.] præsbyteri. (*b*) Et ſi quis dixerit, præsbyteros Eccleſiæ, quos Beatus Jacobus adducendos eſſe ad infirmum ungendum hortatur non eſſe Sacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate ſeniores in quavis communitate, & ob id proprium extremæ unctionis miniſtrum non eſſe ſolùm Sacerdotem, anathema ſit, *& ideò à Div. Thom. excluditur laicus à miniſterio hujus Sacramenti*,
[c In Suppl. q. 31. art. 1.] (*c*) præcipuè etiam quia laici non habent poteſtatem ullam dimittendi peccata, unde cum hanc poteſtatem non habeant, nec miniſtri aliorum, & maximè hujus nõ eſſe poſſunt; cum in iſto fiat remiſſio peccatorum. Etenim licet baptizari poſſint in caſu neceſſitatis, *hoc eſt per accidens*, *& ulterius* ex divina diſpenſatione factum eſt, ut nulli regenerationis ſpiritualis facultas deſit; cæterùm præſtare extremam unctionem etiam in caſu neceſſitatis nullatenus poſſunt, cum ſine iſta fidelis utique ſalvari poſſit. Diximus *per accidens*, *nam*, *ut bene ait Div. Thom.*, nullius Sacramenti diſpenſatio laico ex officio competit.

Diximus, *præſtare extremam unctionem laici etiam in caſu neceſſitatis nullatenus poſſunt*; quia per ly *extremam unctionem* intelligimus Sacramentum, de quo modò loquimur; & ut excludamus illas unctiones à ratione Sacramenti, *quæ fiebant à beata Genoveſa*, *& etiam illas, quæ de quibuſdam Patribus in ægypto morantibus narrantur*, *feciſſe*. Illa ungebat oleo infirmos, iſti oleum ad infirmos tranſmittebant, & ſanabantur. Meritò ergo
[d Ib. ad 2.] excluduntur ab unctione Sacramentali prædictæ unctiones, *ait Div. Thom.*, (*d*) illæ, docet, ſcilicet Patrum, & Genoveffę unctiones non erant Sacramentales, ſed ex quadam devotione recipientium talem unctionem, & meritis ungentium conſequebatur effectus corporalis per gratiam ſanitatum, *juxta il-*
[e 1. Cor. cap. 12.] *lud Pauli*, (*e*) qui poſtquam dixerit, unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem, *ſubdit*, alii datur gratia ſanitatum in uno ſpiritu; & ideò rectè inferendum eſt, quod ſi per gratiam ſanitatum conſequebatur effectus corporalis, jam non per gratiam Sacramentalem.

Excluditur pariter à Div. Thom. (*f*) *diaconus*, *&*
[f In Suppl. q. 31.] *hoc juxta auctoritatem beati Jacobi Apoſtoli dicentis*, *ſi quis in vobis infirmatur*, *inducat Præsbyteros Eccleſiæ*. Unde *& ait*, ejus diſpenſatio non committitur omnibus in articulo neceſſitatis, non enim eſt neceſſarium ſimpliciter hoc Sacramentum, ſed ſolùm illis, quibus ex officio competit, .V. *proprio paſtori*, qui juriſdictionem habeat, ſive alteri, cui ille ejus muneris ſungendi poteſtatem ſecerit, hoc Sacramentũ miniſtrare licet, *ut ſtatutum eſt ab Eccleſia*. Si ergo non omnibus Sacerdotibus adminiſtrare liceat hoc Sacramentum, multò magis nec diaconis, cum iſtis etiam ex officio baptizare non competat; quod *magis roborat Div. Thom.*, (*g*) diaconus, *inquit*, habet vim pur- [g Ib. in c.]
gativam tantùm, non illuminativam: unde cum illuminatio fiat per gratiam, hinc eſt, quod nullum Sacramentum, in quo gratia confertur, diaconus dare poteſt ex officio, idcircò cum in hoc Sacramento gratia conferatur *juxta Con. Tr. ſi quis dixerit*
(*h*) Sacramenta novæ legis, inter quæ conſtat ex- [h Seſſ. 7. can. 6.]
tremam unctionem numerari, non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem, non conferre anathema ſit, jam deducitur, & benè, quod diaconus ex officio non poſſit illud conferre.

Diximus, *nec ſolus Epiſcopus*, nam certum eſt, quod ipſe ſolus accedere non poteſt ad omnes Infirmos ſuæ diæceſis, immò ſolis Epiſcopis reſervantur illa Sacramenra diſpenſanda, quæ ſuſcipientem in aliquo ſtatu perfectionis ſuper alios ponunt; *juxta* etiam *illud*, *quod Concilium Trident. determina-*
vit Epiſcopos ad hunc hierarchicum ordinem per- [i Seſſ. 23. cap. 4.]
tinere, & poſitos, à Spiritu Sancto regere Eccleſiam Dei; eoſque præsbyteris ſuperiores eſſe, ac Sacramentum Confirmationis conferre, miniſtros Eccleſiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipſos poſſe; quarum functionum poteſtatem reliqui inferioris ordinis nullam habent; Hoc autem non currit in Sacramento extremè unctionis, cum in iſto ſuſcipiens non ponatur in aliquo ſtatu perfectionis ſuper alios, (ſicut ponitur ille, qui ſuſcipit confirmationem, confirmatio itaque, *ait Div. Thom.*, (*l*)
imprimit characterem, quo collocatur homo in ſta- [l In Suppl. q. 31. art. 3. ad 1.]
tu perfectionis,) & ideò per ſimplices Sacerdotes poteſt adminiſtrari, *juxta illud Div. Jacobi*, inducat præsbyteros Eccleſiæ, ubi nomini præsbyterorum intelligit Epiſcopos, vel Sacerdotes; *ſic & à Concilio Trident.*, *& à Concil. Florentino*, miniſter hujus Sacrmenti dicitur eſſe Sacerdos. *Additur à Div. Jacobo*, *& orent ſuper eum*, ut per hoc intelligamus, quod illa oratio non dicitur facta à Sacerdote in perſona ſua, quod evidenter conſtat, nam cum poſſit eſſe quandoque peccator, non eſſer exaudibilis, cum Deus peccatores non exaudiat; dicitur tamen facta à Sacerdote in perſona totius Eccleſiæ, & tunc ſunt veluti perſona publica, hoc dicitur, ut excludatnr oratio laici, qui ſemper perſona privata eſt, adeòque numquam orare poteſt in perſona totius Eccleſiæ.

Diximus, *non ſolus Epiſcopus conſerre poteſt hoc Sacramentum*, *ſed & Sacerdotes*, ad quos ſpectat ob juriſdictionem, quam poſſident ſuper gregem ſibi commiſſum; ut ſciamus, quod licet Sacerdotes poſſint conferre hoc Sacramentum, & uti uſu materiæ ſanctificatæ ſupra infirmos, non tamen ſanctificare materiam, ſed hanc ſolus Epiſcopus habet ſanctificare; idcircò etſi videatur, quod uſus materiæ ſanctificatæ, in genere cauſæ finalis ſit potior, quàm ſanctificatio materiæ, tamen in genere cauſæ efficientis ſanctificatio eſt potior, quia ab eadem pender uſus, ſicut ab activa cauſa; & ideò ſanctificatio requirit majorem, & altiorem virtutem activam hoc eſt, Epiſcopalem, quàm uſus, quia tantùm Sacerdotalem. Et de facto quomodo Sacerdos poſſet uti materia ſanctificata oleo, ſcilicer infirmorum, ſi non eſſet conſecratum ab Epiſcopo? certè numquam; ergo & ſignum eſt, quod Epiſcopl ſunt ſuperiores Præsbyteris, ſive Sacerdotibus; & quod Epiſcopi habeant poteſtatem conſecrandi materiam. & illa utendi, & Sacerdotes ſolùm illa utendi, & miniſtrandi.

Digitized by Google

Super Quæſtionem Trigeſimam Secundam.

Quibus hoc Sacramentum conferri debet, & in qua parte.

DUm dicitur, quibus hoc Sacramentum confeſſri debet, exprimitur ſubjectum, quod habet ſuſcipere Sacramentum iſtud; attamen hic non accipitur ſubjectum in communi, cum non omnes, quamvis per januam baptiſmi ingreſſi ſint in Eccleſiam Dei, ſint capaces hujus Sacramenti extremæ unctionis; etenim extrema unctio dari debet, *adultis, infirmis, pœnitentibus, & petentibus*, de quorum morte timetur, *non verò ſanis, pueris, & non pœnitentibus*, ideóq; non in communi, ſed in particulari accipitur ſubjectum in hoc Sacramento; debet dari *adultis, & non pueris*, quia Sacramentum extremæ unctionis non datur contra reliquias originalis peccati, niſi ſecundum quod ſunt per actualia peccata quodammodo confortatæ, unde principaliter contra peccata actualia da[illegible], quæ in pueris non ſunt; & quia exigit hoc Sacramentum devotionem in ſuſcipiente, quæ devotio exigitur neceſſariò in adultis, in pueris autem pro illo tunc non poteſt eſſe ob imperfectionem cognitionis.

Debet dari *infirmis*, *non ſanis*; *juxta illud Jacobi*, *infirmatur quis in vobis &c.* oam Sacramentum iſtud eſt quædam ſpiritualis curatio, propterea illis, quibus corporalis curatio non competit, ſ. ſanis, non debet hoc Sacramentum conferri. *Pœnitentibus dari debet, & non illis, qui in peccatis adhuc morari volunt*; Nam Sacramentum iſtud non dat remiſſionem peccatorum, ſicut facit pœnitentiæ Sacramentum, ſed ſolùm abſtergit reliquias peccatorum, taliter, quod ſi daretur caſus, quod adultus etiam poſt ſuſceptionem baptiſmi non peccaſſet, proculdubiò incapax eſſet hujus Sacramenti, ſicut ex alio capite eſſet incapax ejuſdem ille, qui eſſet involutus in peccatis actualibus, & in illis obſtinato animo perſiſtere vellet. *Infirmis adhuc*, at non in omnibus infirmitatibus, ſed ſolùm quando de morte eorum timetur; quoniam hoc Sacramentum eſt ultimum remedium, quod Eccleſia poteſt immediatè conferre, quaſi diſponens ad gloriam, ac proinde illis tantùm infirmantibus debet exhiberi, qui ſunt in ſtatu exeuntium ob hoc, quod ægritudo nata eſt inducere mortem, & de periculo timetur.

Petentibus, ut excludantur *furioſi*, & *amentes*, quibus dari non debet, quia nec recognoſcere poſſunt, nec cum devotione illud ſuſcipere, ſed irreverentiam facere Sacramento per aliquam immunditiam non verò eſt denegandum iſtis, dùm apparent in eis lucida intervalla.

Dicitur in qua parte corporis, ut notitiam habeamus, quod non totum corpus ungendum ſit, & ut ſervetur univerſalis Eccleſiæ ritus, & etiam quia curatio corporis non oportet, quod fiat per appoſitam toti corpori medicinam, & hinc eſt, quod unctio Sacramentalis debeat fieri in illis partibus tantùm, in quibus eſt radix ſpiritualis infirmitatis. Tales verò fontes, & radices ſpiritualis infirmitatis, ſunt *quinque ſenſus*, *oculi propter viſum*, *aures propter auditum*, *manus propter tactum*, *nares propter odoratum*, *os propter guſtum*, *pedes propter motivam vim*; aliquibus unguntur renes ob vim appetitivam; Et ſi aliqui privati fueſint aliquibus his partibus, ut mutilati, adhuc tamen debet illis fieri unctio, quoniam etſi non habeant membra habent tamen potentias animæ, quę illis membris debentur, ſaltem in radice, & interius peccare poſſunt per ea, quæ ad partes illas pertinent, quamvis non exterius.

Hoc Sacramentum licet ad omnes pertineat, excipiuntur tamen quædam genera hominum, quibus adminiſtrandum non eſt; idcircò excipiuntur illi, qui ſano, & firmo corpore ſunt, iſtis enim extrema unctio tribuenda non eſt; benè tamen tribui debet infirmis, *juxta illud Iacobi*, *infirmatur quis in vobis?* Juxta illud, *quod habetur ex Marco (a)* Apoſtoli ungebant oleo multos ægros, quæ unctio erat mentio a cap. 6.
hujus Sacramenti. *Iuxta Concilium Florentinum*, hoc b Op. 66.
Sacramentum niſi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet, *Iuxta id quod Divus Thomas docuit*, extrema unctio debet dari infirmis, de quorum morte timetur. *Iuxta Concilium Tridentinum*, *(c)* decla- c Seſſ. 14. cap. 1
ratur etiam eſſe hanc unctionem infirmis adhibendam, illis verò præſertim, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur, unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur. *Iuxta Divum Tho.*, *(d) non .n. inquit Sanctus Doctor*, hoc d in Supp. q. 32. a. 1.
Sacramentum eſt quædam ſpiritualis curatio? ſi talis eſt, jam benè deduci debet, dari debet illis, quibus corporalis unctio convenit, & cum iſti ſint infirmi, ſolis Infirmis dari debet, & conferri. Etenim, nonne hoc Sacramentum exeuntium ex hac vita mortali, ut induant immortalitatem, eſt? *Iuxta illud*, *quod habetur in Catechiſmo Romano*, *(e)* cum c 2. p. de extr. un. n. 11
igitur illi tantùm, qui morbo laborant, curatione indigent, idcircò iis etiam, qui adeò periculo ægrotare videntur, ut ne ſupremus illis vitæ dies inſtet, metuendum ſit, hoc Sacramentum præberi debet.

At ne quis decipiatur nota, quod non omnibus exeuntibus dandum eſt hoc Sacramentum, benè verò illis ſolùm exeuntibus, quibus corporalis unctio competit, illis, *inquit Divus Thomas*, *(f)* f In Supp. q. 32. a. 2.
qui ſunt in ſtatu exeuntium propter hoc, quod ægritudo nata eſt inducere mortem, & de periculo timetur. Quo circà illis, qui per juſtitiam *vel truncato capite*, *vel fracto collo*, vel quovis modo mortem ſubire debent, hoc Sacramentum dari non debet, ſicut nec illis, qui periculoſam navigationem aſſumunt; nec illis, qui prælium inituri ſunt, à quo certa mors illis impendeat; nec illis, qui gravi morbo affecti non ſunt, benè tamen ſenibus, cum ſenectus quidam morbus, immò morbus continuus ſit.

Et licet hoc Sacramentum dari non debeat, niſi infirmis, qui gravi morbo affecti videantur, non debet dari in qualibet infirmitate, ſed ſolùm in illa, in qua infirmi deſinunt eſſe de foro Eccleſiæ. Quoniam verò non omnis infirmitas ad extremum vitæ perducit, *cum ex Philoſopho (g)* quæ- g l. de jamegit & ſenect. in princ.
dam ægritudines ſint cauſa langvoris vitæ, hinc eſt, quod non in qualibet infirmitate dari debet Sacramentum iſtud: maximè etiam quia eſt ultimum remedium, quod Eccleſia poteſt conferre, quaſi immediatè diſponens ad gloriam. Et licet quælibet infirmitas augmentata poſſit mortem inducere, tamen ut in illa detur extrema unctio, debemus penſare, vel genera infirmitatum, vel modum, & ſtatum infirmitatis; ſi ergo penſantur genera infirmitatum, hac conſideratione facta poteſt dari in qualibet infirmitate hoc Sacramentum; & ideò hac conſideratione præmiſſa Apoſtolus nec ille determinavit infirmitatem aliquam; cæterum ſi penſatur modus, & ſtatus infirmitatis, non debet ſemper infirmantibus dari illud.

Nec debet dari *furioſis*, *& amentibus*, cum non habeant cognoſcere hoc Sacramentum, ut dignè recipiatur; *juxta Divum Tho* dicentem, *(h)* illis, qui non h in Supp. q. 32. a. 4.
poſſunt recognoſcere, & cum devotione ſuſcipere hoc Sacramentum, dari non debet, & præcipuè furioſis, & amentibus, qui poſſent irreverentiam Sacramento per aliquam immunditiam facere, niſi ha-

Google

ſi haberent lucida intervalla, in quibus Sacramentum recognoſcerent, & ſic eis in illo ſtatu poſſet conferri; *Hæc doctrina Divi Thomæ magis ampliatur in Catechiſmo Romano, ubi habetur* (i) amentes, & furioſi, nisi interdum rationis uſum haberent, & eò potiſſimum tempore pii animi ſignificationem darent, peterentque, ut ſacro oleo ungerentur; nam qui ab ipſo ortu numquam mentis, & rationis fuit, ungendus non eſt; ſecus verò ſi ægrotus, cum mente adhuc integra hujus Sacramenti particeps fieri voluiſſet, poſtea in inſaniam, & furorem incidit. Et meritò talibus dari non debet, quia in hoc Sacramento requiritur motus liberi arbitrii, qui motus non requiritur in illis.

h. p. de ex.un.c.9.

Et ſi inquiratur, quare datur baptiſmus amentibus & furioſis, in quo non requiritur motus liberi arbitrii, & non extrema unctio? Reſpondeo, quod baptiſmus datur amentibus, & furioſis, quia datur contra originale peccatum, quod non curatur in nobis ex noſtro libero arbitrio, non verò extrema unctio.

Denique nec pueris dandum eſt hoc Sacramentum, non quia non poſſunt recognoſcere, & cum devotione illud ſuſcipere, *ut contingit in amentibus, & furioſis*, ſed quia non peccaverunt per viſum, auditum, & cæteros ſenſus, ut in forma hujus Sacramenti exprimitur. Hinc *Hieronymus ſuper Matt. inquit*, parvulus non perſeverat in iracundia, non læſus meminit, non videns pulchram mulierem delectatur, non aliud cogitat, & alud loquitur. Ideò *Divus Thomas ait*, nulli debet dari hoc Sacramentum, cui non convenit forma Sacramenti.

l In Suppl. q.32.a.4.

Diximus, quia non peccaverunt per viſum, &c. nam advertendum eſt, quia hoc Sacramentum non datur contra reliquias peccati originalis, etſi daretur contra iſtas, daretur ſolùm ſecundum quod reliquiæ peccati originalis per actualia peccata conſortatæ eſſent quodamodo. Sed datur contra actualia peccata, quorum reliquias ſanare hujus Sacramenti remedio opus ſit; ergo cum pueri non peccaverint actualiter; ideò illis non eſt dandum, *ac proinde docet Divus Thomas*, (m) quod infirmitates in pueris non ſunt ex peccato actuali cauſatæ, contra quas præcipuè infirmitates hoc Sacramentum datur, benè tamen in adultis, & ideò iſtis, & non illis dandum eſt.

m ib. ad 1.

Dandum eſt ergo adultis, & illis, qui recognoſcunt ipſum, nec de hoc amplius reſtat dubitandum, licet poſſit dubitari, an in partibus determinatis, an potius in toto corpore ſit illud præbendum.

Verùm ut reſolvatur dubium *docet Divus Thomas & cum illo omnes*, quod eſt ritus Eccleſiæ, ut totum corpus non debeat inungi, ſed in determinatis partibus. *Inquit enim* (n) hoc Sacramentum per modum curationis exhibetur, & curatio corporalis non oportet, quod fiat per medicinam toti corpori appoſitam, ſed ſolùm illis partibus, ubi eſt radix morbi; ſic & unctio Sacramentalis debet fieri in illis partibus tantùm, in quibus eſt radix ſpiritualis infirmitatis; & quia hæc radix in potentiis animæ eſt, hinc eſt, quod licet anima ſit tota in qualibet parte corporis quoad eſſentiam, non tamen quoad potentias ſenſitivas, quæ ſunt radices actuum peccati. Et ſic in partibus determinatis fieri oportet, in quibus illæ potentiæ habent eſſe.

n in Supp. q.32.a.1.3

Quænam autem ſint iſtæ partes, *Divus Thomas*, (o) illas enumerat, oculos, ſ. aures, nares, labia, manus, ac pedes, quam enumerationem deducit ex eo, quod principia peccandi in nobis ſunt eadem, quæ & principia agendi. Principia verò agendi in nobis ſunt tria, *primum dirigens, ſ. vis cognoſcitiva. Secundum imperans, ſ. vis appetitiva; Tertium exequens, ſ. vis motiva.* Quæ omnia regulantur per illud principium, *omnis noſtra cognitio ortum habet à ſenſu*; ideò ad omnes ſenſus exteriores, debet fieri illa unctio, quæ Sacramentum eſt; certum eſt, *ait D. Th.* quod ubi eſt prima origo peccati in nobis, ibi debet unctio adhiberi; & quia origo prima peccati in quinque ſenſibus reperitur ideò meritò junguntur loca quinque ſenſuum, *ſ. oculi propter viſum.*

o in Supp. q.32.a.6.

Ex viſu namque augetur amor terrenorum, & diminuitur amor divinorum; ex viſu delectatur homo in appetitu ſemper majorum bonorum temporalium, etiamſi iſta citò tranſeant, & contemnit, immò nauſea eſt illi illorum bonorum cæleſtium, quæ numquam marceſcunt. Ex viſu amor Mundanus naſcitur, de quo dicitur, quod facilem habet ingreſſum ob vehementem appetitivam voluntatem, difficilem verò regreſſum ob repugnantiam voluptatis ſenſualis, unde optimè dicitur concupiſcentia oculorum, cum in ipſa immergatur homo ob mundana.

Aures propter auditum, nam per auditum delectatur homo audire ea, quæ vana ſunt, & relinquere illa, quæ veritatem ſecum afferunt; ob hoc dicebat *Paul ad Tim* (p) à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Etſi aliquando audiant verbum, & cum gaudio illud ſuſcipiant; attamen nihil boni operantur, quia radices veluti non habent propter perverſitatem morum; vel ſi audiunt, divitias, & voluptates vitæ non amittunt, nec divitias pauperibus diſtribuunt, ſed potiùs pauperes, & egenos defraudant, ut abundantiores ſint in divitiis. Et ſi audiunt verbum illud Domini *Lucæ*, (q) omnia, quæcumque habes, vende, & da pauperibus, & veni, & ſequere me; tamen contriſtati recedunt à verbo veritatis, mundana ſequentes. At quam optimè corriguntur iſti *ab Apoſtolo Jacobo in ſua Can.* (r) audiant ipſum, eſtote, *inquit*, factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes voſmetipſos. *Et Paulus ad Roman.* (ſ) non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur.

p p. c.4.

q cap. 18.

r cap. 1.

ſ cap. 2.

Nares propter odoratum; per odoratum enim ſolent multò delinquere homines; quoniam immunditias corporis tollunt per ipſum, nihil cogitantes de immunditiis animæ. Apothecas odorum ſecum afferunt, & xenodochia faſtidiunt, neſcientes, quod ubi eſt amor proprius, ibi non eſt charitas, quia charitas non quærit, quæ ſua ſunt, ſed quæ Chriſti Jeſu. Memores ergo debent eſſe homines hujus Mundi, quod omnia tranſeunt, cælum, & terra tranſibunt, *dixit Dominus, Matth* (t) verba autem mea non præteribunt. Ergo ad quid unguenta odorifera, ſi poſtea ad extremum vitæ omnia, opus eſt, ut relinquantur, & illa ſola unctione olei conſecrati utantur. Ambitio perturbat nos, & licet in Arabia odorifera nati non ſimus, attamen de patria illa gloriamur eſſe. Stultitia Mundi eſt, perfrui bonis odoribus, unde & ſtultò dicunt, ſequamur eam vitam, quæ rebus ipſis perfruatur, & non perfrui bonis moribus; per illos namque placemus Deo, non per illos, qui faciunt nos ſuperbire, & ideò optimè dicitur, omne, quod eſt in Mundo, ſuperbia vitæ eſt.

t cap. 24.

Os propter guſtum; per hunc enim amiſerunt Patres noſtri innocentiam inducti namque à ſerpente, qui erat calidior cunctis animantibus: tulerunt de ligno ſcientiæ boni, & mali, quod erat pulchrum viſu, &c., & comederunt: per hunc erraverunt & Patres antiqui; poſtquam enim dederat Deus illis Manna ad manducandum, murmuraverunt contra Dominum dicentes, anima noſtra nauſeat ſuper iſto cibo leviſſimo. Per hunc & nos erramus, nam non quærimus neceſſaria ad vitam, ſed ſuperflua, ut plenè ſatietur gula; unde *de guloſis dicitur*, guloſis non ſufficiunt fructus arborum, non aves cæli, non beſtiis terræ, non piſces maris, ſed quæruntur pigmenta, parantur aromata, ita ut non plenè ex iſtis ſatiati invenerunt varios modos; ut ſuperfluè etiam ſatiarentur; unde & converterunt ſubſtantiam in accidens, mutaverunt naturam in artem, & hoc non ob aliud, niſi ut ſaturitas tranſeat in eſuriem, ut revocet appetitum ad irritandam gulam, non ad ſuſtentandam naturam, non ad

S 2 neceſ-

neceſſitatem ſupplendam, ſed ad cupiditatem explendam.

Nihil conſiderantes, quod per hunc guloſum guſtum deperduntur virtutes omnes, & ſolùm vitioſi redduntur homines. Hinc *Greg.* ajebat, dùm venter in ingluvië ſëdit, virtutes animæ per luxuriã deſtruuntur.

Manus propter tactum; multa ſiquidem per ipſum tactum oriuntur obiectamenta, immò multoties eſt origo diverſorum generum peccatorum; tanta eſt complacentia in illo. *Ob hoc autem dicebat Paulus ad Corinth.* (u) bonum eſt homini mulierem non tange-
u 1. Cor. 7. re, eò quia ad tactum illius ad concupiſcentiam trahitur homo. *Et in Cant. Cant. legitur de ſponſa dicente*, (x) venter meus intremuit ad tactum ejus.

x cap. 5. *Tactus autem præcipuè viget in pulpis digitorum*; hoc dicitur, quia etſi tactus toto corpore æqualiter effuſus eſt, in illa tamen parte maximè fuſus eſt, & cum ſit prima, eò quod primum principium operationis humanæ eſt cognoſcitiva, hinc fit, quod illa unctio ab omnibus obſervatur, quæ fit ad quinque ſenſus; ſtatuitur ergo, & tamquam certum ab omnibus tenendum eſt, quod hunc ungendi ritum Eccleſia univerſalis retinet, atque etiam hujus Sacramenti naturæ optimè convenit. Quare *decrevit Conc. Trident.*
z ſeſſ. 14. c. 2. (z) nulla ratione audiendi ſunt illi, qui dicunt ritum, & uſum, quem Sancta Romana Eccleſia in hujus Sacramenti adminiſtratione obſervat, Iacobi Apoſtoli ſententia repugnare, atque adeò in alium commutandam eſſe, nec ſunt audiendi, quia anathematizati, *ut conſtat ex eodem Conc.*

y ib. can. 3. Nec dicere, quod totum corpus malè affectum ſit ſolùm, quod tantùm illi parti curatio adhibeatur, cum ſoli illi parti adhibeatur curatio, à qua tamquam à fonte, & origine morbos manat, atque adeò per hoc non totum corpus, ſed ea membra, in quibus potiſſimum ſentiendi vis eminet; & cum talia membra ſint quinque ſenſus jam enumerati, ideò docet *Divus Thomas* talis unctio fit ad illos, quaſi neceſſitate Sacramenti.

Subditur etiam à Divo Thoma, propter appetitivam verò inunguntur aliquibus renes, pedes verò inunguntur propter motivam, qui ſunt principaliùs inſtrumentum ejus; à quibuſdam tamen non ſervantur illæ, à quibuſdam verò ſervatur illa pedum, non illa renum, quia appetitiva, & motiva ſunt ſecundaria principia. Unde *Divus Thomas*, (a) ſecundum quo-
a ib. ad 3. ſdam conſuetudinem fit in renibus propter hoc, quod ibi magis viget concupiſcibilis, at appetitiva non eſt prima radix, viget utique maximè concupiſcibilis in renibus, & ideò dicitur, quod renes libidinis, & voluptatis ſedes ſunt.

Et licet per alia membra corporis peccetur, ſicut per pedes, qui nobis ingreſſus, & ad locum movendi principium ſunt; tamen non omnibus membris corporis adhibenda eſt unctio, ut patet de membris genitalibus quibus ob immunditiam illarum partium, & honeſtatem Sacramenti non debet adhiberi unctio, etiam ſi ſint organa corporis, quibus actu peccati exercentur; ſicut licet ex corde exeant cogitationes, quæ coinquinant hominem, de corde enim, *inquit Chriſtus Dominus Matt.* (b) exeunt cogitationes malæ,
b cap. 15. homicidia, adulteria, fornicationes, &c. hæ ſunt, quæ coinquinant hominem: at quia cor non eſt prima radix cogitationis, ſed organa ſenſuum, niſi quatenus cor eſt principium totius corporis; verum hoc principium eſt radix remota, principium namq; proximum operationis eſt ſenſus, ideòque in pectore non debet fieri inunctio, ſed ſolùm in illis partibus debet hæc fieri, quibus contingit puritatem mentis coinquinari. Sic habemus etiam definitum *in Concilio Florentino*, infirmus in his locis ungendus eſt, ut oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum, vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem.

Ex quibus omnibus ſcire debent Catholici, quod Eccleſia in dandis Sacramentis errare non poteſt; à quorum numero excluduntur illi, qui contra tàm apertam, & dilucidam Apoſtoli Jacobi ſententiam docent (c) hanc unctionem, vel figmentum eſſe humanum, vel ritum à patribus acceptum; nec mandatum Dei, nec promiſſionem gratiæ habentem; ſicut excluduntur & illi, qui illam ceſſaſſe aſſerunt, quaſi ad gratiam curationum dumtaxat in primitiva Eccleſia referenda eſſet; denique excluduntur & illi, qui hanc extremam unctionem à fidelibus ſine peccato contemni poſſe, affirmant; hæc enim omnia maniſeſtiſſimè pugnant cum perſpicuis tanti Apoſtoli verbis. c ſeſſ. 14. de ex. un. c. 3.

Nec profectò Eccleſia Romana aliarum omnium mater, & magiſtra in hac unctione adminiſtranda quoad ea, quæ hujus Sacramenti ſubſtantiam perficiunt, obſervat, quam quod Beatus Jacobus præſcripſit. Nec verò, *concludit idem Concilium ibid.* tanti Sacramenti contemptus abſque ingenti ſcelere, & ipſius Spiritus Sancti injuria eſſe poteſt. Omnes illi excluduntur à cætu fidelium propter anathema.

At quid dicendum erit de illis, qui mutilati ſunt? V. G. de illis, qui carent manibus, aut pedibus, aut aliqua ex his partibus, in quibus debet fieri inunctio?
Dicendum *erit cum Divo Thoma*, (d) quod mutilati d in Supp. q. 32. a. 7.
debent inungi in illis partibus jam enumeratis, eò quia defectus corporis non impedit aliquod aliud Sacramentum, unde nec iſtud impedire debet; & cum de neceſſitate illius Sacramenti ſit quælibet unctionum, omnes iſtę debent fieri mutilatis, & illi debent inungi; Et debent inungi, *ait D. Thô.* quantò propinquius fieri poteſt ad partes illas, in quibus unctio fieri debuerat; licet enim non habeant membra, habent tamen potentias animæ, quæ illis membris debentur, ſaltem in radice. Et rurſus licet exterius peccare non poſſint, per ea, quæ ad illas partes pertinent, nihilominus tamen peccare poſſunt interius. Unde & cæco etiam ſi à nativitate fuerit talis, ut per hoc numquam deliquerit per viſum, debet fieri inunctio, ſic & Chriſtus Dominus inſtitutor omnium Sacramentorum linivit lutum ſuper oculos cæci nati. Pariter ſurdo, & muto, & aliis, qui ſic a nativitate nati eſſent, deberet fieri inunctio, illa ſ. quæ debet dari in extremis illis, quorum mors eſt propinqua ſecundum æſtimationem hominum: & propter hoc ſolùm Sacramentum iſtud dicitur extrema unctio, quæ iterari debet, ſicut corporalis curatio iteratur.

Super Quæſtionem Trigeſimam tertiam.

De iteratione hujus Sacramenti.

TRia eſſe Sacramenta, nempe baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem, quæ iterari nullatenus poſſunt, jam conſtat ex eo, quod Eccleſia Catholica ſemper docuit, & à Conciliis definitum fuit; & hoc rationabiliter, quia & imprimunt characterem, propter quod & dicitur, ponere ſignum indelebile in anima, veluti in ſubjecto, unde & perpetuitatem habere dicitur, certum eſt.n ut qui baptizatus eſt ſemel in virtute Trinitatis Deificæ, rebaptizari nequit, etiamſi fieret de numero Judæorum, vel Turcarum ob avaritiam, vel concupiſcentiam, & hoc meritò ne fieret injuria Sacramento, quaſi quod Sacramentum baptiſmi non fuiſſet efficax ad cauſandum illum effectum in anima, hoc eſt regenerari ad gratiam, quæ maxima eſt in baptiſmo, cum tollat peccatum originale in pueris, originale, & actuale in adultis, & ne tantùm hoc, ſed & reatum cujuslibet pœnæ; ad differentiam Sacramentorum Confirmationis, ſ. & Ordinis, quæ Sacramenta habent omnia, quę habet & baptiſmus, pręter hoc, quod per hæc duo pœna temporalis omni-

ninò non tollitur: Alia denique Sacramenta charaterem non imprimunt, & conſequenter nec habent effectum perpetuum, & cum perpetuitatem non dicant poſſunt utique iterari abſque injuria eorumdem: etenim patet, quod ſanitas mentis, & corporis, quæ ſunt effectus Sacramenti hujus, poſſunt amitti, poſtquam fuerint per Sacramenta effecta, & quod dicitur de hoc Sacramento, dicitur & de aliis ordine tamen ſervato, & eò maxime quia datur hoc Sacramentum infirmis, illis tamen, qui ſecundum æſtimationem humanam judicari ſolent proximi ad mortem; Verumtamen quia vita, & mors in manu Dei ſunt, hinc eſt, quod accidere poteſt multoties, quod infirmi, illi, qui ſecundum hominem judicantur proximiores morti, ab eadem illi infirmitate teneantur, ſequitur & bene, quod denuò inungantur oleo extremæ unctionis; at quia aliæ ſunt infirmitates diuturnæ, aliæ verò non; ideò quomodo contineri debent miniſtri in dando hoc Sacramentum fidelibus dicemus infrà.

Si quis interrogaverit, quare iterari debeat extrema unctio? *nos cum D. Th* (a) aſſignabimus rationem; quia Sacramentum, quod habet effectum non perpetuum, poteſt iterari ſine injuria, ut effectus deperditus iteratò recuperetur; & quia ſanitas corporis, & mentis, quæ eſt effectus hujus Sacramenti poteſt amitti poſtquam fuerit per Sacramenta effecta, ideò poteſt iterari abſque injuria ejuſdem Sacramenti; & *meritò dictum fuit à Concilio Florentino*, reliqua verò quatuor Sacramenta characterem non imprimunt, & reiterationē admittunt; *Et Conc Trid ſtatuit*(b) quod ſi infirmi poſt ſuſceptam hanc unctionem convaluerint, iterùm hujus Sacramenti ſubſidio juvari poterunt cum in aliud ſimile Eccleſiæ vitæ diſcrimen inciderint; Non enim, *inquit D. Th.* (c) talis unctio fit ad conſecrationem hominis, cum non imprimatur character per eam. Hæc de hoc Sacramento dicta ſunt ad differentiam illius Sacramenti, vel Sacramentalis, quod habet effectum perpetuum, neutrum enim debet iterari, ne oſtenderetur Sacramentum non fuiſſe efficax ad faciendum illum affectum, & ne fieret injuria illi Sacramento; ſic namque conſtat de unctione lapidis, iſta unctio cum fiat ad conſecrationem altaris, quæ eſt perpetuò in lapide, quamdiù altare manet, iterari non poteſt.

a in Suppl. q. 33 ar. 2.

b Seſſ. 14. cap. 1.

c ibid. ad 1.

Et cum detur extrema unctio infirmis, hinc ſequitur, ut debeat dari illis, quorum mors eſt propinqua ſecundum æſtimationem hominum; etenim hoc Sacramentum reſpicit non ſolùm infirmitatem, verùm etiam ſtatum infirmitatis, *ut ait Divus Thomas* (d) qui aſſignat duplex genus infirmitatum; quædam enim infirmitates non ſunt diuturnæ, quapropter ſi in eis datur hoc Sacramentum, tunc ſi homo ad ſtatum illius perveniat, quod ſit in periculo mortis, non recedit à ſtatu illo, niſi infirmitate curata. Et ſic non debet iterum inungi, ſed ſi reſiduum patiatur, erit alia infirmitas, & poteſt fieri alia unctio.

d In Suppl. q. 13. a. 2.

Quædam verò ſunt infirmitates, ſive ægritudines diuturnæ, hectica, hydropiſis, & hujuſmodi, & in talibus non debet fieri inunctio, niſi quando videtur perducere ad periculum mortis, etſi homo illum articulum evadat eadem infirmitate durante, & iterum ad ſimilem ſtatum per ægritudinem reducatur, iterùm poteſt inungi, quia quaſi eſt alius ſtatus infirmitatis, quamvis non ſit alia infirmitas ſimpliciter. Ex quibus jam concludendum eſt, quod hoc Sacramentum extremæ unctionis in numero eorum Sacramentorum, quæ iterari ſolent repondendum ſit.

poſſit, quid credendum, quid diligendum ſit gregi ſibi commiſſo, & hoc illi ſpecialiter incumbit, & ideò vigilare debet ſuper gregem, nè fortè veniente Lupo, Luthero, vel Calvino, vel aliquo ex illis, qui præceſſerunt, diſpergantur oves gregis falſa ſequendo dogmata hæreticorum.

Ad Epiſcopum ſpectat, ut irreprehenſibilis ſit, ne fortè alios corrigere nequeat; nemo enim niſi temeritatis nota, vel præſumptione poteſt corrigere proximum, nè amplius illum committat defectum, in quo & ipſe perſeverans eſt. Hoc proprium hypocritarum eſt, videre feſtucam in oculo fratris ſui, & non videre
a cap. 7. trabem in oculo ſuo. De quibus *Matt.* (*b*) dicitur hypocrita ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere feſtucam de oculo fratris tui; ergo Epiſcopus in moribus irreprehenſibilis eſſe debet, ut mores malorum hominum corrigantur, ac proinde debet eſſe bonitate plenus, & moribus ornatus, atque conſtitutus in ſtatu perfecto, ſicut *ibid.* aſſerit Apoſtolus dicens, oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe unius uxoris virum, unius ſcilicet Eccleſiæ ſponſum, vel unius fidei. Sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, hoc eſt, liberalem, immò facilem ad ſuſcipiendum hoſpites hoſpitio, non illos reſpuere, quia pauperes: Doctorem, non violentum, ne fortè crapulatus à vino dormiat vomens in ſinu ſuo, nec tantùm in ſinu ſuo, ſed pejus eſſet; ſi dormiret in ſinu alieno, ſcire namque debet, quod ubi ebrietas, ibi reperitur, & luxuria; quia ſi ſine Cerere, & Bacho friget Venus, hoc eſt tepeſcit luxuria, ſine dubio cum Cerere, & Bacho calebet Venus. Non percuſſorem. Eccleſia etenim Dei non eſſet ſervanda more Caſtrorum, qui indigent baculo, ne devient à veſtigis paſtoris ſui; ſed modeſtum, omni humilitate plenum, ut magis exemplo, quàm verbo, dicitur namque, quod magis movent exempla, quàm verba, præbeat rectum iter ad oves gregis ſibi commiſſi.

Non litigioſum, non enim quærere debet, quæ Mundi ſunt, ſed quæ ſunt Dei cum omni charitate, quoniam iſta patiens eſt, benigna eſt, nec quærit, quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti. Non cupidum ne fortè cupiditatem, ſive aviditatem ad cumulandum pro norma habeat; cupiditas enim radix omnium malorum eſt; avertatur ergo animus à cupiditate, ſive à deſiderio cumulandi divitias pro carne, & ſanguine, & hoc illi de facili eveniet, reflectendo, quoniam Pater pauperum eſt, ergo ſubvenire debet pauperibus Domini diſpergendo divitias, ſublevando miſerias pauperum, & egenorum, ne iſti fame pereant, ne apud Deum homicida videatur, *juxta illud*, ſi non paviſti, occidiſti.

Sed ſuæ domui bene præpoſitum, accuratè, atque diligenter vigilando, ne quis de ovibus ſuis pereat; ſimilis ergo Patri familias eſſe debet, cujus officium eſt domum ſuam prudenter gubernare, illam cuſtodire, ne appropinquetur ad illam fur, & auferat ſubſtantiam ſuam; nam & officium Epiſcopi eſt regere ſapienter domum ſuam, quæ eſt Eccleſia, & Eccleſia aliud non eſt, niſi congregatio fidelium, & illam cuſtodire ab inſidiis inimicorum Dei, qui tamquam latrones veniunt ad illam, ut Patrimonium Eccleſiæ, ſubſtantia pauperum diſſipetur.

Filios habentes ſubditos cum omni caſtitate, ne fortè dicant iſti, quare nos vivere caſtè debemus, ubi templum luxuria, & commeſſationibus plenum eſt? Reminiſcatur ille, qui præeſt Eccleſiæ ſanctæ Dei, quomodo de animabus propriè curæ ſubjectis ante tribunal Domini rationem redditurus ſit. Bonus ergo odor bonæ famæ diffundere debet in ſibi ſubditos, ut ad odorem ipſius verecundentur iſti in impietate permanere, ubi adeſt paſtor pius. Hinc *dicebat Paulus*, ſi quis domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit? Si enim amor Dei in Epiſcopo, vel in illo, qui præeſt, deſit, qualis amor proximi in illo exiſtere poterit?

Non Neophytum, ſed miles veteranus in fide eſſe debet in ſcientia, in doctrina, in ſapientia; de cujus munere eſt, ut timeat Deum, cum initium ſapientiæ timor Domini ſit; & Beatus vocabitur vir, ſi in Sapientia morabitur; quia ſi bonus, & rectus, impoſſibile eſt, ut in ſuperbiam elevetur cor ejus, & conſequenter, quod in judicium incidat diaboli, qui pater ſuperbiæ eſt.

Subdit Paulus, diaconos ſimiliter pudicos, quia in miniſtrando Sacramentum puri eſſe debent, ſicut Sacramentum purum eſt. Olim miniſtrabant Sacramentum Euchariſtiæ diſpenſando corpus, & ſanguinem Chriſti fidelibus.

Idcircò ſubdit Paulus, loquendo de Diaconibus, qui enim bene miniſtraverint, gradum bonum ſibi accipient, quaſi dicat reputabantur digni non ſolùm gradu, quem poſſident, ſed etiam erunt digni, ut ad gradus præsbyteratus promoveantur. Qui gradus præsbyteratus per maximè in Eccleſia c ad Tit. c 1.
Dei neceſſarius eſt, ut ipſe *Paulus teſtatur*, (*c*) hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deſunt, corrigas, ut conſtituas per Civitates Præsbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi, qui ſi dignè præſunt, duplici honore digni habeantur, *ut ait*, (*d*) maximè qui laborant in verbo, & doctrina, prædicando, d p. c 5 ad Timoth.
& docendo.

Etſi alios Ordines *Paulus* non nominet, niſi Præſbyteratum, & Diaconatum, hoc eſt, quia in primitiva Eccleſia Diaconus omnia præſtabat, quæ modò præſtant illi, qui alios ordines exercent. At de hoc inferius. Concludendum ſolùm reſtat contra illos, qui cum impietate dixerunt, Ordine in Eccleſia Dei inſerre eidem detrimentum, cum jam videatur, quod Ordo pro Tutela Eccleſiæ in ipſa Eccleſia detur.

Et talis Concluſio majorem vim accipit à *Concilio Tridentino*, (*e*) à quo damnando eorum petulantiam ſic ſtatuitur. Ut Sanctorum ordinum à Diaconatu e ſeſ 23 c. 17.
ad oſtiarium functiones ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia laudabiliter receptæ, & pluribus in locis aliquamdiù intermiſſæ in uſum juxta Sacros Canones revocentur, neque ab hæreticis tamquam otioſæ traducantur, illius priſtini moris reſtituendi, deſiderio fragans, Sancta Synodus decernit.

Cognovit ergo *Concilium Tridentinum* ordinem eſſe neceſſarium in Eccleſia Dei, & multò magis Sacerdotium; quoniam iſtud non ſolùm in principio legis novæ conſtitui debebat, ſed etiam in antiqua lege Moyſi, & in illa antiquiori lege naturæ, *unde idem Concilium* (*f*) ſtatuit, Sacrificium, f ib.
& Sacerdotium in Dei ordinatione conjuncta ſunt, ut utrumque in omni lege extiterit; itaque nulla fuit lex, in qua non eſſet Sacerdotium, & maximè nova, in qua immolatur ille, qui ſimul eſt Sacerdos, & victima.

Quod autem in illa prima ætate naturæ fuerit Sacerdotium, tamquam certum habendum eſt; nam ſi in illa prima ætate fuit lex, opus erat, ut etiam in tali lege eſſet ille, qui haberet poteſtatem ſpiritualem, *ſicut legitur* (*g*) Hic enim Melchiſedech Rex Salem Sacerdos Dei ſummi; qui obviavit Abrahæ regreſſo à cæde Regum, & benedixit g c. 7. ad Hab.
ei, cui & decimas omnium diviſit Abraham; & ecce Sacerdotium in lege naturæ. In lege verò ſcripta tranſlatum fuit Sacerdotium, quia tranſlata fuit & lex; ergo & in hac lege populus Iſraeliticus poteſtate ſpirituali non caruit; erat enim tribus Levi, quæ hanc poteſtatem habebat, utpote quia illi, qui ex illa naſcebantur, erant dicati ad mancipandum Deo offerendo illi hoſtias, atque pacificas victimas, quod proprium eſt Sacerdotis. Talis verò poteſtas licet ſuperior fuerit illa, qua in lege naturæ Sacerdotes præditi e-

raut, attamen inferior dicenda eſt legis Evangelicę poteſtati, quia hæc poteſtas non à Sacerdotio Moſaico, ſed à Chriſto Domino, qui non ſecundum Aaron Sacerdos fuit, ſed ſecundum Ordinem Melchiſedech ortum habet; *juxta illud, tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*; ipſe enim obtulit panem, & vinum, *ut legitur Geneſ.(b)* Melchiſedech Rex Salem proferens panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei Altiſſimi, hanc autem poteſtatem reliquit Chriſtus Eccleſiæ ſuæ offerendo à Sacerdotibus panem, & vinum, & quod unus, & aliud convertantur in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti Domini.

b cap. 14.

Si autem quæratur, quis fuit iſte Melchiſedech. *Cum Paulus ad Hæbr. dicat (i)* quod eſt Rex pacis, ſine Patre, ſine Matre, ſine Genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens aſſimilatus autem filio Dei.

i cap. 7.

Dicendum eſt *cum Divo Thoma (l)* quod iſte Melchiſedech, de quo dicitur, quod eſt *Rex pacis, ſine patre, & ſine Matre &c.* fuit Sem Primogenitus Noe, ut Hebræi dicunt. Unde *ait D. Th.* Melchiſedech dictus eſt *ſine Patre, ſine Matre, ſine Genealogia, & quod non habet initium dierum, neque finem*, non quia iſta non habuerit, ſed quia in Scriptura Sacra iſta de eo non leguntur. Et ideò ex hoc ipſo ab Apoſtolo dicitur, aſſimilatus eſt filio Dei, quia in terris eſt ſine Patre, & in Cælis eſt ſine Matre, & ſine Genealogia, *juxta illud Iſajæ, (m)* generationem ejus quis enarrabit? & ſecundum divinitatem neque principium, neque finem habet dierum.

l 3. p. q. 2. a. 6. ad 1.

m c. 53.

Et quod fuit Sem, *confirmat D. Thoma ſuper illud Heb. (n) dùm ait* Sem fuit Melchiſedech occurrens Abrahæ Nepoti ſuo ſecundum Gloſſ. quia Hebræi dicunt ipſum Melchiſedech fuiſſe primogenitum Noe; & tunc quando Abraham habuit victoriam, erat annorum 390. aliàs 309.

n lect. 1. ib. c. 7.

Nec per hoc, quod dicitur ab Apoſtolo, aſſimilatus eſt filio Dei, debet deduci, atque inferri fuiſſe filium Dei, quia ut benè conſideranti patebit, quod aſſimilari alteri non eſt idem, ac dicere, quod eſt ipſemet, non enim ex eo, quod Petrus aſſimilatur Paulo, valet dicere, Petrus eſt Paulus, bene tamen Petrus, qui eſt alius à Paulo, ſimilis veluti eſt illi; *ac proinde aſſerit D. Thomas (o)* quod eſt hæreticum aſſerere Melchiſedech fuiſſe filium Dei.

Diximus, quod *ſecundum ordinem Melchiſedech*, & non *ſecundum Aaron Chriſtus dicitur Sacerdos*, non quia Chriſtus dicatur eſſe Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, quaſi principalioris Sacerdotis, ſed quaſi præfigurantis excellentiam Sacerdotii Chriſti ad Sacerdotium Leviticum. Et ut pleniùs intelligatur, quæ dicta ſunt de Sacerdotio Melchiſedech, & Levitico; opus eſt notare, quod in Sacerdotio Chriſti duo poſſunt conſiderari, & ipſa oblatio Chriſti, & participatio ejus, quantum ad ipſam oblationem. Sacerdotium Chriſti expreſſius figurabat Sacerdotium legale per ſanguinis effuſionem, quàm Sacerdotium Melchiſedech, in quo ſanguis non effundebatur; at quantum ad participationem hujus ſacrificii, & effectum hujus præfigurabatur expreſſius per Sacerdotium Melchiſedech, qui offerebat panem, & vinum, ſignificantia Euchariſticam unitatem, quam conſtituit participatio ſacrificii Chriſti, quamobrem & in nova lege verum Chriſti Sacrificium communicatur fidelibus ſub ſpecie panis, & vini.

o ibid. ad Heb.

Diximus, quod *hanc poteſtatem reliquit Dominus Eccleſiæ ſuæ*, nam habuimus notitiam *(p) ex Sac. Conc. Trid. cùm igitur* in novo teſtamento Sanctum Euchariſtiæ Sacrificium viſibile ex Domini inſtitutione Catholica Eccleſia acceperat, fateri etiam oportet, in ea novum eſſe viſibile, & externum Sacerdotium, in quod vetus tranſlatum eſt; hoc autem ab eodem Dom. Salvatore noſtro inſtitutum eſſe, & Apoſtolis, eorumq; ſucceſſoribus in Sacerdotio poteſtatem traditam conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi corpus, & ſanguinem ejus, nec non et peccata dimittendi, & retinendi Sacræ literæ oſtendunt, & Catholicæ Eccleſiæ traditio ſemper docuit, Et ſi quis oppoſitum dixerit, anathematizatur; dùm in Canone, (q) ſic definivit, ſi quis dixerit, non eſſe in novo teſtamento Sacerdotium viſibile, & externum, vel non eſſe poteſtatem aliquam conſecrandi, & offerendi verum corpus, & ſanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi, ſed officium tantùm, & nudum miniſterium prædicandi Evangelium, vel eos, qui non prædicant, prorſus non eſſe Sacerdotes; anathema ſit; ergo jure meritò damnati ſunt, ſicut, & damnantur illi, qui dicunt; & dixerunt ordinem in Eccleſia Dei non eſſe de utilitate ejuſdem, ſed potiùs de ejus detrimento.

p ſeſ. 23. c. 1.

q ib. can. 1

Verùm *priuſquam Concilium Tridentinum hunc errorem damnaverit, illum rejecit Divus Thomas aſſeverando (r)* quod ordo in Eccleſia eſſe debeat ſumpto fundamento *ex illo Rom. (ſ)* quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, & quia Sapientia divina ædificavit ſibi domum, *Eccleſiam ſuam* ſc. excidit columnas ſeptem, *quæ ſunt Septem Sacramenta*, immolavit victimas ſuas, *ſ. corda fidelium, qui pro Dei amore, & Eccleſia ejuſdem ſanguinem ſuderunt*, miſcuit vinum, & propoſuit menſam, *quia ſatiavit animam inanem, & animam eſurientem ſatiavit bonis præbendo in cibum, & ſanguinem ſuum in potum*. Ex quo videtur quod Sapientia divina ita bene diſpoſuit, & ordinavit omnia, ut impium eſſet dicere, ordinem in Eccleſia Dei ab ipſo non eſſe.

r Suppl. 3. q. 34. ar. 1

ſ cap. 13.

Dicant itaque omnes timentes Dominum *unà cum Divo Thoma*, quod illa, quæ fecit, convenienter fecit; ſi convenienter fecit, ergo nemo ſit, qui audeat aſſerere oppoſitum. Eò *magis quia docet Div. Thom.* quod Deus ſua opera in ſimilitudine ſua producere voluit, quantum poſſibile fuit, ut perfecta eſſent, dicendum igitur eſt, quod & ordinatè poſuit ordinem in Eccleſia, ut ſibi aſſimilaretur, & hoc magis apparet ex eo, quod ſi voluerit omnia eſſe perfecta, ſ. omnia opera ſua, etiam minima, quare non magis voluerit Eccleſiam ſuam, quam elegit ſibi in ſponſam eſſe perfectam? De iſta namque Eccleſia *dicitur illud Cant. Canticorum*, quod ſit quaſi caſtrorum acies ordinata.

t cap. 6.

Et ut certiores ſimus de hac veritate, hanc nobis *manifeſtat Divus Thomas*, aſſignando triplicem ſtatum, ſc. ſtatum naturæ, ſtatum gloriæ, & ſtatum Eccleſiæ, & hunc aſſerit eſſe medium inter ſtatum naturæ, & ſtatum gloriæ, & eum medium participet de utroque extremo, hinc eſt, quod cum ſtatus Eccleſiæ ſit medius, habet conſequenter participare de utroque ſtatu naturæ, & gloriæ; & cum à nemine negari poſſit, quod in ſtatu naturæ non inveniatur ordo, experientia namque videmus; quod & ſuperiora in ſuperioribus locis, media in mediis, infima in infimis ſint collocata, *teſte Divo Dionyſio, (u)* hanc legem naturalem impoſuit omnibus, ut ultima per media reducerentur, & perficerentur, & media per prima.

u l. c. de Cæl. Hier.

In ſtatu gloriæ, etiam ordo reperitur, nam Angeli ſuperiores illuminant inferiores, juxta ordinem hierarchicum in illis poſitum.

Tres namque ſunt hiærarchiæ Angelorum, in quarum prima continentur *Seraphin*, quorum nomen non imponitur tantùm à charitate, ſed à charitatis exceſſu, quem importat nomen ardoris, vel incendii; *Cherubin*, horum nomen imponitur à quodam exceſſu ſcientiæ, unde interpretatur plenitudo ſcientię; *& Throni*, quorum ordo habet excellentiam præ inferioribus ordinibus in hoc, quod immediatè in Deo rationes divinorum operum cognoſcere poſſunt. In ſecunda continentur *Dominationes*, & dicuntur tales per participationem veri Dominii, quod in Deo eſt; *Hinc Dionyſius de divinis nominibus*, Dominatio laudatur in Deo ſingulariter per quemdam exceſſum: ſed per participationem divina eloquia vocant Dominos principaliores ornatus, per quos inferiores ex donis ejus accipiunt.

x cap. 12.

Virtu-

Digitized by Google

Virtutes, & dicuntur tales per participationem divinæ virtutis, nomen autem virtutis ſignificat quamdam virilem, & inconcuſſam fortitudinem. *Poteſtates*, horum nomen ſignificat quamdam ordinationem, & circa ſuſceptionem divinorum, & circa actiones divinas, quas ſuperiores in inferiores agunt, eas ſurſum ducendo. In tertia continentur *Principatus*, quorum nomen ſignificat ductivum cum ordine ſacro: illi enim, qui alios ducunt, primi inter eos exiſtentes, principes propriè vocantur. *Archangeli*, dicuntur quaſi principes *Angeli*, *ut aſſerit Gregorius*, dicuntur Archangeli ex eo, quod principantur ſoli Ordini Angelorum, quaſi magna nunciantes; Angeli verò dicuntur tales, quia minima nunciant, attamen hoc nomen Angeli non eſt nomen naturæ, ſed officii, propterea Angelus nuncius dicitur, ſive miſſus. Immò Omnes celeſtes Spiritus, in quantum ſunt manifeſtatores divinorum, Angeli vocantur.

Et corpora Eccleſia ordine quodam influunt in hæc inferiora, & ſublunaria influunt, non cogunt, præſertim in homine; in quo intellectus, & voluntas non ſunt actus organorum corporeorum. Quapropter ſi ordo in ſtatu naturæ, & gloriæ reperitur, quare & ordo non reperietur in Eccleſia? idcircò abſque dubio fateri debemus, Ordinem in Eccleſia eſſe, & hoc ne deeſſet Eccleſiæ pulchritudo illa, quæ in illis ſtatibus reperitur; poſuit Deus ordinem in ea, *aſſerit Div. Thom.*, ut quidam aliis Sacramenta traderent, ſuo modo in hoc Deo aſſimilari, quaſi Deo cooperantes, ſicut in corpore naturali quædam membra aliis influunt.

Ad Pulchritudinem autem Eccleſiæ ſpectat, ut illa ſit compoſita & clericorum, & laicorum, & ad illos attinet Sacramenta iſtis adminiſtrare. Immò voluit Deus, ut Epiſcopatus ſub Papatu ſit, qui jam jure divino inſtitutus fuit à Chriſto Domino, *ut habetur Joan.* (y) paſce oves meas, *dixit Jeſus Petro*; & hoc eſſe de fide aſſeritur. [y Cap. 21.] *Præsbyteratus ſub Epiſcopatu, juxta Concil. Trid.*, (z) Epiſcopi ſunt præsbyteris ſuperiores, & ſi quis dixerit oppoſitum ab eodem anathematizatur. [z Seſſ. 23. cap. 4. & can. 1.] Ordines Majores, *Diaconus*, & *Subdiaconus* ſub Præſbyteratu, *minores* ſub majoribus, *ut ſtatutum fuit ab eodem Concil.*, (a) Subdiaconi, & Diaconi ordinentur, [a Ibid. de Reform. c. 13.] habentes bonum teſtimonium, & in minoribus ordinibus jam probati &c., & poſtea, promoti ad ſacrum Subdiaconatus Ordinem, ſi per annum ſaltem in eo non ſint verſati, ad aliorum gradum (niſi aliud Epiſcopo videtur) aſcendere non permittantur. Et denique Laici ſub Clericis; Volendo ergo hæc omnia Deus, voluit pariter & ordinem eſſe in ſua Eccleſia. Ordinem, & non ſubiectionem, hoc dicitur, quia iſte ordo, non requirit illam ſubiectionem, quam ſervus præſtat Domino ſuo, iſte enim utitur ſubiecto, non utilitate ſubiecti, ſed utitur illo juxta proprium ſuum commodum: etſi aliqua ſubiectio reperiatur in Ordine, ſolùm illa reperiri debet, quam ponit *Div. Thom.*, (b) [b ad 4.] ut qui præſunt, ſolùm ſalutem ſubditorum quærere debeant, non propriam utilitatem; illa ergo in Eccleſia debet dari, quia proficua non illa, quia ſcandaloſa; iſta libertati repugnat, non verò illa; eò quia Ordines ſunt quædam officia, mediantibus quibus quilibet inſignitus illis debet ſe reputare ſuperiorem non merito, [c ad 2.] ſed officio; *ſicut docet Div. Thom.*, (c) quia licet unuſquiſque debeat, alterum arbitrari ſeipſum ſuperiorem merito, ut ejus humilitas ab omnibus laudari poſſit, *juxta illud Pauli*, (d) in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes; [d cap. 2. ad Philip.] tamen non debet quiſque ſe reputare altero inferiorem officio; quo pacto honorandus eſt non ratione perſonæ, cui nihil boni poſſit habere; ſed veluti gerens imaginem Dei, cum ſub tali vicigerentia habeat poteſtatem diſpenſandi Sacramenta, quæ ſunt cauſæ inſtrumentales gratiæ.

Quæ poteſtas rurſus dividitur in alias ſecundum majorem, vel minorem eminentiam, & idcircò ſolus ordo poteſtatis in Eccleſia reperitur, non verò ordo naturæ attenditur, ſicut nec ordo gratiæ: *non ordo naturæ*, cum omnes homines ſint ejuſdem naturæ ſpecificæ; unde *benè ait Div. Thom.*, quod in Angelis ordo naturæ reperitur, cum unus Angelus ſit perfectioris ſpeciei, & intellectus, utpote per univerſaliores ſpecies intelligens, quàm alius. Et *hic et in præſenti* (e) doceat, [e ib. ad. 3.] quod ordo in Angelis non attenditur ſecundum diſtinctionem naturæ, loquitur de Ordine, qui attenditur ſecundum diſtinctionem poteſtatis, non verò de ordine, qui attenditur ſecundum diſtinctionem gratiæ gratum facientis; *unde ait*, Ordo in Angelis non attenditur ſecundum diſtinctionem naturæ, niſi per accidens, in quantum ad diſtinctionem naturæ ſequitur in eis diſtinctio gratiæ; attenditur autem per ſe ſecundum diſtinctionem in gratia, quia eorum ordines reſpiciunt participationem divinorum, & communicationem in ſtatu gloriæ, quæ eſt ſecundum menſuram gratiæ finis, & effectus quodammodo: & hoc ad differentiam Eccleſiæ militantis ordinum, iſti enim reſpiciunt participationem Saeramentorum, & communicationem, quæ ſunt cauſa gratiæ, & quodammodo gratiam præcedunt; & ſic non eſt de neceſſitate noſtrorum ordinũ gratia gratum faciens, ſed ſolùm poteſtas diſpenſandi Sacramenta. Unde & *concludit*, quod ordo non attenditur per diſtinctionem gratiæ gratum facientis, ſed per diſtinctionem poteſtatis, ac proinde videtur, quod nec ordo gratiæ requiritur in Eccleſia, quoniam gratia perfectior infuſa eſt à Deo in perfectiori natura, ſicut & perfectior gloria, lumen gloriæ, ac beata viſio, non enim omnes æquales ſunt in Patria reſpectu illarum.

Ordo, qni in Eccleſia Dei eſſe debet, & qui ordinatur ad ſacrificium altaris complendum, convenienter definitur, quod *ſit ſignaculum quodam Eccleſiæ, per quod ſpiritualis poteſtas traditur*, *cui* definitioni additur & officium; Quod autem conveniat Ordini, in quantum eſt Sacramentum, *Div. Thom.* (f) manifeſtat illam; [f in Suppl. q. 34. a. 2.] Ordo eſt ſignaculum, ſcilicet *ſignum exterius materiæ, & formæ exterioris*, quod pertinet ad eſſentiam, & rationem Sacramenti; de cujus ratione eſt, qnod ſit ſignum rei Sacræ ſanctificantis hominem, ſcilicet ſignum viſibile rei exterioris ordinatæ ad interiorem ſanctificationem hominis per gratiam, quam cauſat Sacramentum in anima dignè tamen illud ſuſcipientibus.

Dicitur, *per quod ſpiritualis poteſtas traditur ordinato*, quia per hoc explicatur effectus Sacramenti interior cauſatus ab illo ſigno; & per *ly officium* habetur id, quod pertinet ad executionem poteſtatis ſpiritualis, cujus exercitium per pœnas, & cenſuras Eccleſiæ impediri poteſt: Videtur ergo juxta definitionem traditam à *Mag. Sent.* & juxta explicationem *à Div. Thom.* datam, quod in ipſa Ordinis definitione *ly ſignaculum* non ſumitur pro ſigno interiori indelebili, qni eſt character, & effectus Sacramenti Ordinis, ſed ſolùm ſumitur pro ſigno exteriori ſenſibili, ſcilicet *pro ſenſibili traditione materiæ, & pro ſenſibili prolatione formæ*; hoc enim ſignum exterius eſt Sacramentum Ordinis cauſans ſignum interius ſcilicet characterem; ſemper enim remanet poteſtas ſpiritualis, & mediante iſta habet quis eſſentialiter Sacramentum Ordinis, ſcilicet characterem, qui indelebilis eſt, immò principaliter in charactere conſiſtit Sacramentum ordinis *juxta Div. Thom.*, (g) ſignaculum, *ait*, non ponitur hic pro charactere, [g ib. ad 2.] interiori, iſte enim inviſibiliter imprimitur in anima, ad differentiam characteris exterioris, qui eſt ſignum illud, quod cadit ſub ſenſibus corporeis, (*ut calix, patena tradita ab Epiſcopo, & ſimilia*) ſed ponitur pro eò, quod exterius geritur, quod eſt ſignum interioris poteſtatis, & cauſa, quo pacto ſumitur character in illa definitione; & iſte character eſt eſſentialiter, & principaliter ipſum Sacramentum Ordinis, ac proinde ipſe character interior dicitur res, & Sacramentum; res, quia eſt ſignificatus, & cauſatus à Sacramento exteriori; Sacramentum, qnia ſignificat ultimum effectum, ſcilicet *gratiam*. Per quam impreſſionem characteris diſtinguitur Sacramentum Ordinis à Sacramentis Baptiſmi, & Confirmationis, in quibus licet imprimatur character, nulla tamen fit mentio de charactere, ſicut fit in iſto Sacramento Ordinis;

Google

dinis; ſive ut melius dicamus in ejus definitione, *dùm dicitur poteſtas ſpiritualis*; Et hoc quia magnum videtur eſſe diſcrimen inter hoc, & illa duo Sacramenta quantum ad effectum principalem importatum ab ipſis: principalis enim effectus Baptiſmi eſt ablutio, quapropter etſi non imprimeret characterem, adhuc Sacramentum Baptiſmi ſubſiſteret, & cauſaret gratiam, & b ib. ad 2. gloriam, *juxta doctrinam Div. Thom.* (*b*) in Baptiſmo licet conferatur aliqua ſpiritualis potentia recipiendi alia Sacramenta, ratione cujus characterem imprimit, non tamen hic eſt principalis effectus ejus, ſed ablutio interior, poſtquam baptiſmus fieret, etiam priori cauſa non exiſtente; hoc idem dicendum eſt de Confirmatione, cujus effectus principalis eſt confirmatio in fide, & ideò etiamſi non imprimeret characterem, adhuc Sacramentum Confirmationis ſuum effectum haberet; Non ſic in Sacramento Ordinis, in quo principalis effectus cum ſit character, & non gratia, hinc eſt, quod etiam ſi in peccato mortali ordinaretur, reciperet utique characterem, & ſpiritualem poteſtatem, non tamen gratiam: *Undè Div. Thom. ſubdit*, Ordo poteſtatem ſpiritualem importat, & ideò character, qui eſt ſpiritualis poteſtas in definitione Ordinis ponitur, & non in definitione Baptiſmi, in cujus definitione licet ponatur ſignaculum quodam, per quod ſpiritualis poteſtas paſſiva recipiendi alia Sacramenta traditur baptizato, cum baptiſmus ſit janua ad omnia Sacramenta ſuſcipienda, non tamen per hoc ſequitur, quod dicta definitio tradita de Ordine convenire poſſit Sacramento Baptiſmi; eò quia illa potentia paſſiva, quæ recipitur in Sacramento Baptiſmi, eſt verè potentia paſſiva; è contra verò potentia, quæ recipitur in Sacramento Ordinis, non eſt dicenda tantùm potentia activa, ſed & poteſtas ſignificans potentiam activam cum quadam præeminentia pertinente ſcil. ad dignitatem; *ut docet D. Thom.* (*i*) in Baptiſmo datur quædam i ib. ad 3. potentia ſpiritualis ad recipiendum, & ita quodammodo paſſiva; at quia poteſtas propriè nominat potentiam activam cum aliqua præeminentia, hinc fit, quod hæc definitio non convenit Baptiſmo.

Dicitur *potentia*, & *non poteſtas*, ut ſciamus, quod potentia dicitur tàm de potentia activa, quàm de paſſiva; at poteſtas dicitur tantùm de potentia activa cum quadam præeminentia agendi, & operandi; conſtat autem, quod in baptiſmo datur potentia ſpiritualis ad recipiendum, & potentia ad recipiendum eſt potentia paſſiva; & in Ordine cum detur poteſtas ſpiritualis, jam debemus fateri, quod iſta ſit potentia activa, maximè quia eſt cum quadam præeminentia adminiſtrandi Sacramenta, quæ præeminentia etiam facit, quod Ordo licet poſſit dici relatio quædam, non tamen debet dici tantùm relatio, ſed gradus, *ut docet Div. Thom.* (*l*) no- l ib. ad 4. men Ordinis dupliciter accipitur, quandòque ſignificat ipſam relationem, & ſic eſt tàm in inferiori, quàm in ſuperiori, cum hoc pacto ſalvetur relatio in utroque extremo, ut patet in relatione paternitatis ad filium, ſi enim non eſſet filius, nec pater poſſet dici, cum pater ſit alicujus filii pater.

Et ſic conſiderata relatione non accipitur in præſenti ipſa relatio: aliquando accipitur pro ipſo gradu, qui ordinem primo modo acceptum facit; & quia ratio ordinis, prout eſt relatio, invenitur, ubi aliquid ſuperius altero occurrit; ideò hic gradus eminens per poteſtatem ſpiritualem ordo nominatur; ac per conſequens licet relatio quędam ſit, non tamen eſt relatio tantùm, quia non eſt relatio formaliter, bene tamen fundamentaliter; non enim reperitur formaliter in omnibus extremis; licet poſſit dici relatio fundamentaliter pro rebus ad invicem ordinatis ſecundum ſub, & ſupra: ſiquidem datur gradus inter ordines: per quos gradatim aſcenditur, & deſcenditur, nec unus eſt æqualis alteri in gradu; manifeſtum eſt enim, quod in Sacramento Ordinis dantur etiam ſeptem poteſtates Eccleſiaſticæ ad invicem ordinatæ ſecundum majorem, vel minorem excellentiam poteſtatis (juxta Ordines majores, & minores) per comparationem ad ſupremum; quæ eſt Sacerdotii poteſtas. Unde videtur apertè, quòd non ſit relatio formalis, cum quidquid ſit in uno, non ſit in alio formaliter, non enim mutuò ſe inferunt, nec ambo ſint ſimul natura, & cognitione: quia *oſtiariatus* v. g. non infert Sacerdotium, nec primus eſt ſimul natura cum ſecundo, licet poſtea unus ordinetur ad alium ordinem, & ſic in uno reperitur fundamentum in ordine ad alterum, quod eſt quædam relatio, ſed non relatio tantùm: oſtiariatus ergo habet relationem, ſed fundamentalem ad gradum lectoratus, & ſic de aliis, uſq; dùm veniat ad ſupremam poteſtatem, quæ reſidet in ſupremo gradu Sacerdotii.

Ordo ex eo, *quod ſit ſignaculum quodam Eccleſiæ conſiſtens in materia, & forma exteriori*, per *quod ſignaculum ſpiritualis poteſtas, character*, ſcil. *traditur ordinato*, jam ſequitur, quod ſit Sacramentum, cum Sacramentum ſit quædam ſanctificatio homini exhibita cum aliquo ſigno ſenſibili, cum ergo in ſuſceptione Ordinis quædam conſecratio exhibeatur per viſibilia ſigna, *ſicut ſtatutum fuit ex Concil. Trident.* (*m*) perficitur namque ſa- m Seſſ. 23. cap. 2. cra Ordinatio verbis, & ſignis exterioribus, *ideò à Div. Th. concluditur*, Ordinem eſſe Sacramentum, *ut decrevit idem Concilium, tùm ibi, ubi legitur*, cum ſcripturæ teſtimonio Apoſtolica traditione, & Patrum unanimi conſenſu, perſpicuum ſit per Sacram Ordinationem conferri gratiam: nemo dubitare debet, Ordinem eſſe verè, & propriè unum ex ſeptem Sanctæ Eccleſiæ Sacramentis: *Et rurſus ſtatuit*, (*n*) ſi quis dixerit, Ordi- n ib. can. nem, ſive Sacram Ordinationem non eſſe verè, & propriè Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, vel eſſe figmentum quodam humanum, excogitatum à viris rerum Eccleſiaſticarum imperitis, aut eſſe tantùm ritum quemdam eligendi miniſtros verbi Dei, & Sacramentorum: anathema ſit. *Tùm decrevit*, (*o*) ſi quis o Seſſ. 7. can. 1. dixerit Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia à Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura, aut pauciora, quam ſeptem, V. Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem & c. aut aliquid horum ſeptem non eſſe verè, & propriè Sacramentum: anathema ſit. *Concilium ergo Trid. approbavit doctrinam Div. Thom.* (*p*) p In Suppl. q. 34. ar. 3. *docentis*, Ordinem eſſe Sacramentum, cum habeat totum id, quod ad rationem Sacramenti requiritur.

Et licet verum ſit, Sacramentum eſſe materiale elementum, attamen non eſt nudè ſumptum, ſed materia ſenſibilis exprimitur, quæ materia traditur ordinando, quo pacto, & Ordo nominat aliquod materiale elementum, cum in quolibet Ordine inveniatur materia tradita ordinando, *ut patebit infrà*, ideòque eſt Sacramentum. *Unde Div. Thom.* (*q*) licet Ordo non ex- q ib. ad 2. primat aliquod materiale elementum, tamen non confertur ſine aliquo elemento materiali.

Et quod ita ſit, magis colligitur ex differentia, quæ reperitur inter Angelos, & homines, reſpectu Ordinis, qui eſt Sacramentum.

In Angelis licet ſit Ordo, & ſpiritualis poteſtas, eſt tamen in illis exhibita ſpiritualiter, ſicut naturæ Angelicæ convenit, & cum in illis non detur per exhibitionem materiæ, & formæ ſenſibilis, hinc eſt, quod in illis non datur Ordo, qui eſt Sacramentum: cęterum in hominibus eſt Ordo, quia datur in illis poteſtas ſpiritualis per exhibitionem materiæ, & formę ſenſibilis, & hoc juxta proportionem ſuæ naturæ: *ut deſumitur ex D. Thom.* (*r*) poteſtates proportionari debent illis, ad r ib. ad 2. quæ ſunt: communicatio autem divinorum, ad quam attenditur ſpiritualis poteſtas, non fit Angelis per aliqua ſigna ſenſibilia, ſicut in hominibus contingit: ideòque poteſtas ſpiritualis, quæ eſt Ordo, non adhibetur Angelis cum aliquibus ſignis viſibilibus, ſicut hominibus, in quibus utique eſt Ordo Sacramentum, ſed non in Angelis. Conſtat enim, quod homines manuducuntur in cognitionem inviſibilium per viſibilia, *unde dicebat Paulus* (*ſ*) inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, ſ cap. 1. ad Rom. ſcil. *viſibilia*, intellecta conſpiciuntur: ſic enim ſpiritualia ad modum rerum corporearum intelligimus: & quamvis aſſeramus Deum, Angelos, & animas ſeparatas non eſſe res corporeas, illa tamen omnia intelligere non poſſumus, niſi in quantum comportat noſtra

cogni-

Digitized by Google

cognitio, quæ induta hac corporeitate ſemper ad modum rerum corporearum intelligit; quæ tamen manuducatio per viſibilia ad cognitionem inviſibilium non attenditur in ordine reperto in Angelis, utpotè quia ſunt ſubſtantiæ purè ſpirituales à ſenſibus omninò denudatæ.

Hæc de differentia circa Ordinem, qui eſt Sacramentum, inter Angelos, & homines; inter quos, homines ſcilicet datur & alia differentia inter prælationem ſpiritualem, & ſecularem, quia etſi prima detur quadam conſecratione, ſicut & ſecunda, & hoc quia adeſt maximum diſcrimen inter utramque prælationem. Prima namque datur cum benedictione, & conſecratione ad diſpenſanda Sacramenta, & talis benedictio, & conſecratio ſpectat ad Sacramentum ordinis. Secunda verò ſolùm datur cum benedictione, & conſecratione attinente ad gubernandos alios, ut pat. *de Abbatibus*, qui benedicuntur, & per talem benedictionem datur illis facultas monaſterium gubernandi; & ut patet *de Regibus*, qui inunguntur, & per talem unctionem declaratur habere dominium ſupra ſubditos, & Civitates ſibi ſubiectas; at talis unctio in Reges incæpit in Saul, *ut legitur in hiſtoria Regum*, tulit Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus, & deoſculatus eſt eum, *& ait*, ecce, unxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam, in Principem, & liberabis populum ſuum de manibus inimicorum ejus, qui in circuitu ejus ſunt; Quæ tamen benedictiones, & unctiones non
u Ib. ad 3. pertinent ad Sacramentum Ordinis, nec ſunt Sacramentum. Differentia, quæ *deſumitur ex D Th.*, (u) non omnis benedictio, quæ hominibus adhibetur, vel conſecratio, eſt Sacramentum, quia & Monachi, & Abbates benedicuntur, & tamen tales benedictiones non ſunt Sacramenta, ſicut nec regalis unctio, cum per hujuſmodi benedictiones non ordinentur aliqui ad diſpenſationem divinorum Sacramentorum, ſicut per benedictiones Ordinis; differentia, quæ deſumitur
x 1. cap. 4. *etiam ex Apoſtolo*, (x) ſic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & quod majus eſt, diſpenſatores myſteriorum Dei; ponitur ergo & ly miniſtri, & ly diſpenſatores Myſteriorum Dei, ut diſtinguantur Sacerdotes à Regibus, quia licet ſint Miniſtri Chriſti, *juxta*
y Cap. 13. *illud Rom., nam loquendo de Principibus ait*, Dei enim miniſter eſt tibi in bonum, ſi autem malum feceris, time, non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt; non tamen ſunt diſpenſatores Myſteriorum Dei; ſicut Sacerdotes, & Epiſcopi; *primo* in ordine ad conficiendum, & diſpenſandum Sacramentum Euchariſtiæ, & alia Sacramenta Eccleſiæ in quibus habet juriſdictionem: *ſecundo* in ordine ad Confirmandum, & ordinandum; qua facultate carent illi, ſcilicet ſimplices Sacerdotes; ac proinde benedictiones, ſicut etiam conſecrationes reſpectu miniſtrorum Chriſti non ſunt Sacramentum, ſicut illæ reſpectu diſpenſatorum Myſteriorum Dei. Quod autem diximus de Epiſcopis, & Sacerdotibus in ordine ad diſpenſandum Sacramenta Eccleſiæ, & cætera alia, *jam habetur ex*
z Seſſ. 23. cap. 4. *Concil. Trident.*, (z) Sacroſancta Synodus declarat præter cæteros Eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos, (qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt) ad hunc hierarchicum Ordinem præcipuè pertinere, & poſitos, *ſicut Apoſtolus* ait, à Spiritu Sancto regere Eccleſiam Dei, eoſque præsbyteris ſuperiores eſſe; at Sacramentum Confirmationis conferre, Miniſtros Eccleſiæ ordinare, atque alia peragere ipſos poſſe quarum functionum poteſtatem reliqui inferioris ordinis nullam habent.

Ordo cum ſit unum ex ſeptem inſtitutis à Chriſto Dño, aſſignari debet neceſſariò in illa propria forma, & propria materia, uti eſt de ratione cujuslibet Sacramenti, *ſicut etiam definitum fuit à Conc. Tr. de quolibet Sacramento*; unde indubitatum reſtat, quolibet Sacramentum conſtare ex materia, & forma, *quod ut certum ſupponitur à Div. Thom.*, (a) dùm ſolùm inveſtigat, an convenienter exprimatur forma in Sacra-
a In Suppl. q. 34. a. 4. mento Ordinis, dùm dicitur, *accipe poteſtatem*, nec tantùm accipe poteſtatem, ſed ulteriùs addendum, *legendi Evangelium*; quod idem de aliis formis reſpectivè, & ideò ſic inveſtigando aſſerit; quod in forma Ordinis exprimitur uſus Ordinis per actum, qui imperatur, & exprimitur traductio poteſtatis per imperativum modum, quod videtur manifeſtum in hoc, quod dicitur, *accipe poteſtatem*; in ipſa namque poteſtate tradita principaliter hoc Sacramentum conſiſtit. Unde poteſtas à poteſtate traducitur, poteſtas enim Ordinantis à poteſtate Oridinandi derivatur, & ideò traducitur in Ordinando illa poteſtas quæ jam reſidet in Ordinante; cum ergo traductio poteſtatis convenienter exprimatur per verbum imperativi modi, dicendo, accipe poteſtatem ſimilem poteſtati, quam ego habeo, V. G. habeo poteſtatem legendi Evangelium, conſimilem poteſtatem in te traduco *juxta Div. Thom. poteſtas à poteſtate traducitur, ſicut ſimile ex ſimili*.

Ultrà, *accipe poteſtatem*, addendum eſt *legendi Evangelium*, cum neceſſe ſit explicare uſum proprium illius poteſtatis, *ſicut docet Div. Thom. dùm ait*, potentiæ explicantur, & notificantur per actus; videtur ergo, quod in Sacramento Ordinis ne dùm eſt forma conveniens, *accipe poteſtatem*, ſed ulterius debet in illa exprimi uſus poteſtatis, quæ traditur imperando uſum illius per actum, qui imperatur dicendo, accipe poteſtatem legendi Evangelium.

Diximus, *quod in hoc Sacramento poteſtas à poteſtate traducitur, ſicut ſimile ex ſimili*, ut magis manifeſtetur diſparitas, quæ reperitur inter formas aliorum Sacramentorum, cum in fine illorum contineatur invocatio Sanctiſſimæ Trinitatis, & inter formas Ordinum, in iſtis enim non fit illa invocatio. Verùm hæc diſparitas deſumitur ab effectu principali tùm aliorum Sacramentorum, tùm hujus Sacramenti Ordinis, nam alia Sacramenta, licet etiam quædam ex illis, ut Sacramenta Baptiſmi, & Confirmationis imprimant characterem, habent tamen pro principali effectu infuſionem gratiæ, quam divina virtus, ut cauſa principalis operatur, & Sacramenta ſunt veluti inſtrumenta concurrentia unà cum Deo ad cauſandam gratiam. At principalis effectus Sacramenti Ordinis eſt collatio poteſtatis, quàm Epiſcopus in ſe formaliter habet, eſtque cauſa principalis univoca illius poteſtatis, quam ordinato communicat: de ratione cauſæ univocæ principalis autem eſt cauſare effectum ſibi ſimilem; *idedque ait Div. Thom.* (b) quod alia Sacramenta non ordinantur principaliter ad effectus ſimiles poteſtati, per quam Sacramenta diſpenſantur, ſicut hoc Sacramentum ordinatur princi- b Ib. ad 1
paliter ad effectum ſimilem poteſtati, per quam Sacramentũ Ordinis traditur ordinato. Unde non ut purum inſtrumentum, ſed ut cauſa univoca influit poteſtatem illam, quam poſſidet reſpectu hujus Sacramenti: *Juxtà D. Th. ibid.*, in hoc Sacramento eſt quaſi quædam communicatio univoca, quia ordinatus ab Epiſcopo, habet utique poteſtatem legendi Evangelium, ſicut & Miſſam celebrandi, & pari virtute conſecrandi corpus Chriſti ex virtute, quam in ſe Epiſcopus habet, & quam habet in ſe, tradit illam eamdem in ſpecie Ordinato; ex quo videtur, quod poteſtas derivata in ipſo Ordinato eſt ſimilis univocè poteſtati Ordinantis, & ideò Epiſcopus non ſe debet facere, ut purum inſtrumentum Sanctiſſimæ Trinitatis, per invocationem illius, ſicut in aliis Sacramentis, quorum effectus principalis eſt gratia, reſpectu quorum Epiſcopus eſt merum inſtrumentum *juxta Div. Thom.*, in aliis Sacramentis exprimitur aliquid ex parte divinæ virtutis, cui effectus Sacramenti aſſimilatur: unde non poteſt eſſe communicatio univoca circa iſta Sacramenta, ſicut eſt in Sacramento Ordinis. Quia in aliis Sacramentis effectus principalis eſt effuſio gratiæ, quæ derivatur à virtute divina, ut à cauſa principali, (virtus autem divina numquam poteſt dicere univocationem cum effectu creato,) non verò in hoc Sacramento exprimitur aliquid ex parte divinæ virtutis, benè tamen exprimitur traductio poteſtatis per modum Imperativum, & hoc quia hoc Sacramentum principaliter conſiſtit in poteſtate tradita.

Quod *corroborat D. Thom. dicendo*, licet in Epiſcopo, qui eſt miniſter hujus Sacramenti, tamen habet aliquam

quam

Digitized by Google

quam auctoritatem reſpectu poteſtatis ordinis, quæ confertur per ipſum, in quantum à ſua poteſtate derivatur. Igitur dùm dicitur, quod auctoritas non reſidet apud eum, qui Sacramenta diſpenſat, ſed miniſterium tantùm, non videtur argui contra noſtrum intentum, cum hoc ſolùm verificetur per reſpectum ad alia Sacramenta, non verò per reſpectum ad illud; quia licet Epiſcopus ſit miniſter hujus Sacramenti, reſpectu effectus ſecundarii, qui eſt cauſare gratiam, reſpectu tamen effectus primarii, qui eſt character, & poteſtas in ſuo genere eſt cauſa univoca dans id, quod habet, & producens effectum ſimilem in ſpecie formæ, & characteri, quo operatur; quam ſimilitudinem habemus

c lib. de hæreſibus, hæreſ. 75.

ex D. Epiphanio contra Æsium, dicere Epiſcopum, & Præsbyterum eſſe æqualem, quomodo erit poſſibile? Epiſcoporum ordo, pater generator eſt; Patres enim generant Eccleſiæ filios, nutriendo in ſpe, erudiendo in fide, educando in charitate, docendo in doctrina ſana, ne convertantur ad fabulas; Præsbyterorum autem Ordo non poteſt generare filios, quia & ipſi ſub Epiſcopi diſciplina ſunt, unde & admonitio illis debetur, ſi ſemitas juſtitiæ non cuſtodiunt, & ſuſpenſiones aſſignantur, ſi in eſſentialibus deficiunt, reſpectu ſui officii, & privationes à divinis aſſignantur inobedientibus, vel etiam protervis. *Juxta etiam Concilium Trident.* (d) omnes Eccleſiarum Prælati, qui ad corrigendum ſubditorum exceſſus diligenter intendere debent, & à quibus nullus clericus per hujus Sanctæ Synodi ſtatuta, cujuſvis privilegii prætextu tutus cenſetur, quo minus juxta canonicas ſanctiones viſitari, puniri, & corrigi poſſit, ſi in Eccleſiis ſuis recederint, quoſcumque ſeculares clericos, qualitercumque exemptos, qui aliàs ſuę juriſdictioni ſubeſſent, de eorum exceſſibus, criminibus, & delictis, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra viſitationem tanquam ad hoc Apoſtolicæ Sedis delegati corrigendi, & caſtigandi facultatem habent.

d can. 4. de Reform. ſeſſ. 14.

Diximus, quod *in forma hujus Sacramenti debet exprimi, & uſus poteſtatis, quæ traditur &c.* dùm dicitur *accipe poteſtatem legendi Evangelium*, hoc dix. ut ſciamus, quod licet uſus poteſtatis ſit effectus in executione, non tamen in intentione, ſed eſt cauſa finalis movens efficientem ad recipiendam poteſtatem propter uſum illius, tanquam propter finem, quocirca ſi accipiatur uſus in executione, ſic forma explicat effectum poteſtatis: at ſi accipiatur uſus in intentione, ſic forma explicat cauſam finalem poteſtatis; quod deſumitur ex illo principio, *primum in intentione eſt ultimum in executione*: & fundatur etiam *in doctrina Div. Thom.* (e) *dicentis*, uſus poteſtatis eſt effectus poteſtatis in genere cauſæ efficientis, & ſic non habet, ut in definitione Ordinis ponatur, ſed eſt quodammodo cauſa in genere cauſæ finalis, & ſecundum hoc ponitur in definitione Ordinis.

e ib. q. 4. a.

Ordo cum habeat formam, & convenienter habeat illam, debet conſequenter habere & materiam, ad hoc maximè, ut habeat omnia, quæ eſſentialia ſunt in Sacramentis, talis verò materia debet eſſe extrinſecùs exhibita, cum materia hoc pacto extrinſecùs adhibita, requiratur in quovis Sacramento; ut *apertè habetur ex Div. Thom.* (f) materia in Sacramentis extrinſecùs adhibita ſignificat virtutem in Sacramentis agentem ex extrinſeco omninò advenire, character autem, qui eſt proprius effectus hujus Sacramenti Ordinis, ex extrinſeco advenit ordinando, & nulla concurrente operatione, vel actu recipitur ab illo, qui ad Sacramentum accedit; ſicut requiritur ad Sacramentum pœnitentiæ, ad quod non pertinet habere materiam extrinſecùs adhibitam, cum materia ipſius ſint actus pęnitentis, *contritio, & confeſſio*: & etiam ſicut requiritur ad Sacramentum Matrimonii, ad quod conficiendum non eſt opus materia extrinſecùs adhibita, cum materia ſit conſenſus unius coniugis, & forma ſit conſenſus alterius coniugis; At his non obſtantibus, Sacramento Ordinis competit diverſimode habere materiam ab extrinſeco exhibitam ab illis Sacramentis, quibus competit habere materiam extrinſecùs exhibitam, cum in

f in Suppl. q. 34. a. 1.

aliis Sacramentis materia à Deo aſſumatur ad cauſandum effectum Sacramenti dando ei virtutem cauſandi inſtrumentaliter effectum Sacramenti; & in hoc Sacramento utitur Deus quidem materia, ut inſtrumento ad cauſandum effectum ſecundarium hujus Sacramenti, qui eſt gratia, non tamen utitur materia extrinſecùs exhibita ad cauſandum characterem, ac proinde effectus primarius hujus, qui eſt poteſtas ſpiritualis, & character habetur à miniſtro, quo Deus tamen utitur, non ut inſtrumento (ſicut utitur in aliis Sacramentis, in quibus eſt gratia, & character derivatur à Deo, ut à cauſa principali, à materia verò, & à forma, ut à cauſa inſtrumentali inanimata, à miniſtro verò, ut inſtrumentum Dei animatum) ſed ut à cauſa principali in ſuo genere, *ut docet D. Thom.* (g) *dicendo*, illud, quod in aliis Sacramentis confertur, derivatur tantùm à Deo, non à miniſtro, qui Sacramentum diſpenſat; at illud, quod in hoc Sacramento traditur, ſcil. ſpiritualis poteſtas, derivatur etiam ab eo, qui Sacramentum dat, ut poteſtas imperfecta à perfecta, quod magis declaratur ex diverſitate efficacię aliorum Sacramentorum, & hujus Sacramenti; efficacia enim aliorum Sacramentorum principaliter conſiſtit in materia, quæ virtutem divinam habet, & ſignificat, & continet ex ſanctificatione per miniſterium adhibita; at efficacia hujus Sacramenti principaliter reſidet peneseum, qui Sacramentum diſpenſat: Concludit itaque, quod materia magis adhibetur ad determinandam poteſtatem, quæ traditur particulariter ab habente eam completè, quam ad poteſtatem cauſandam, & de facto in aliis Sacramentis materia ad cauſandum effectum ipſorum Sacramentorum adhibetur, ſicut aqua baptiſmi adhibetur ad cauſandam munditiam interiorem per exteriorem, & idem de aliis ſecundum ſuum modum, in illo verò Sacramento ad determinandum illud, quod cauſatur ab alio, puta à poteſtate exiſtente in Epiſcopo.

g ib. q. 4. a.

Determinat namque, ad quem uſum datur poteſtas ab Epiſcopo ei, qui ordinatur & ideò quando Epiſcopus determinat materiam, V. *claves, urceolum, librum &c.* tunc demonſtrat, ad quem uſum ordinetur illa materia, quam tradit; & hoc eſt, *quod docet, D. Th. quando ait*, patet ex hoc, quod materia competit uſui poteſtatis, videtur enim, quod claves traditæ Oſtiario competunt huic uſui, ſcilicet clauſioni oſtiorum, & ſic de aliis.

Diximus, quod in hoc Sacramento ſpiritualis poteſtas derivatur ab eo, qui dat Sacramentum, & principaliter efficacia hujus Sacramenti reſidet peneseum, qui Sacramentum diſpenſat; quia clavibus, & candelabro in tantùm, eſt virtus cauſativa gratiæ inſtrumentaliter, in quantum Deus utitur clave, & candelabro, ut inſtrumentis ad illam cauſandam, non tamen ad imprimendum characterem, cum Deus utatur miniſtro, ut cauſa univoca illius, & de facto materia in aliis Sacramentis benedicitur ad inſinuandum primarium effectum eſſe gratiam, & non characterem *juxta D. Th.* (r) materiam in aliis Sacramentis ſanctificari oportet propter virtutem, quam continet: non ſic de Sacramento Ordinis, in quo non benedicitur materia, & hoc ad inſinuandum primarium effectum eſſe characterem, & ſecundarium eſſe gratiam. Et licet differat in hoc ab aliis, in alio tamen convenit cum illis, V. in contactu, quia ſicut in aliis Sacramentis eſt neceſſarius contactus materiæ, ut *in Baptiſmo, Confirmatione, & Extrema Unctione*; ita & in hoc Sacramento tactus eſt de eſſentia Sacramenti, cùm dicitur, accipe hoc, vel illud, *& ideò ait D. Th* (i) ipſa verba formæ, quæ habentur *per ly accipe hoc, vel illud*, videntur oſtendere, quod tactus materiæ ſit de eſſentia Sacramenti. Et hęc *eſt opinio D. Thom., quæ à Concil. Trid. acceptata fuit, dum utitur nomine porrectionis, traditionis, dationis, aſſignationis rerum materialum*; ad hanc autem conſummatam dationem, porrectionem, traditionem clarè videtur ſequi actualis receptio rei porrectæ, traditæ, datæ, aſſignatæ: certum eſt enim, quod tunc actio dicitur conſummata, quando recipitur in patiente. Quidquid dicant

h ib. ad 2.

i ib. ad 3.

cant

Digitized by Google

cant alii ſuſtinendo non eſſe neceſſarium contactum ab eo, qui ſuſcipit Sacramentum Ordinis, aſſignandu pro ratione ſuæ opinionis, quod poteſtas Ordinis accipitur à Miniſtro, ſed non à materia, etenim porrectio materiæ eſt de eſſentia Sacramenti magis, quàm tactus.

Super Quæſtionem Trigeſimam Quintam.

De Effectu hujus Sacramenti.

CUm in Eccleſia Dei debeat eſſe Ordo, ut eſt Sacramentum, & iſtud ad utilitatem, & Eccleſiæ pulchritudinem ſpectet, etenim Eccleſia dicitur, quod ſit congregatio fidelium uno ore laudantium Deum in unitate trinum, in trinitate unum, profitentium unam eſſe fidem, & ſuſcipientium unum baptiſma: ſed quomodo poſſent illi Trinitatem agnoſcere, & confiteri Chriſtum eſſe verè Filium Dei, & regenerari per Baptiſmum, niſi eſſent Miniſtri Dei, qui & illuminarent fideles docendo Myſteria fidei, prædicando Euangelium: Hinc *dicebat Paulus*, (*a*) in Chriſto Jeſu per Euangelium ego vos genui; Illi autem miniſtri Dei ſunt, qui ad ordinem Sacrum promoti ſunt; præcipuè tamen illi, qui gradum præsbyteratus ſuſceperunt; iſti namque poteſtatem habent ligandi, atque ſolvendi, retinendi, atque dimittendi peccata; Poteſtas, quæ omninò indelebilis eſt, atque adeò in anima impreſſa, & dicitur character, hic namque eſt effectus primarius Sacramenti Ordinis, ſecundarius verò eſt gratia; nec mireris circa hoc, ſiquidem poteſt utique hoc Sacramentum ſuſcipi abſque eo, quod ſuſcipiens ſit in gratia, non quia talis defectus proveniat ex Sacramento, cum Sacramentum ſemper quantum eſt de ſe, habeat conferre gratiam gratum facientem, ſed quia tunc ab illo ponitur obex, cum poſſit eſſe ligatus aliquo vinculo peccati actualis mortalis, & ſic imprimeretur character abſque eo, quod acciperet gratiam; talis verò character imprimitur per quemlibet ordinem; character namque eſt ſignum diſtinctivum, per quod ab aliis diſtinguitur, & cum diſtinguatur ab aliis per quemlibet Ordinem, jam ſequitur, quod & in omnibus imprimatur character; Qui tamen habet præſupponere characterem baptiſmalem, & rationabiliter, quoniam baptiſmus eſt janua Sacramentorum, per Baptiſmum etenim datur potentia receptiva Sacramentorum, itaque qui caret Baptiſmo, eſt incapax ad recipiendum quodlibet aliud Sacramentum: Non ſic de charactere Confirmationis, ſiquidem talis character non videtur eſſe ſimpliciter neceſſarius, cum & Apoſtoli receperint poteſtatem Ordinis ante Aſcenſionem Chriſti in cœlum, poſtquam poſtea confirmati fuerunt, verum licet character Ordinis characterem Confirmationis de neceſſitate non præſupponat, bene tamen de congruitate: eò modo quo nec character unius Ordinis præſupponit characterem alterius de neceſſitate, ſiquidem conſtat, quod & in primitiva Eccleſia aliqui ordinabantur in Præsbyteros, qui prius inferiores Ordines non ſuſceperant, quamvis poſtea per conſtitutionem Eccleſiæ determinatum ſit, quod ad majores Ordines ſe non ingerat, qui prius in minoribus officiis ſe non humiliavit.

a 1. cap. 4. ad Corint.

In Sacramento Ordinis, quod conferatur gratia gratum faciens *Div. Thom.* (*b*) *deſumit ex auctoritate Magiſ. Sentent. dicentis*, quod Ordines ſunt ſeptem, & hoc juxta determinationem Eccleſiæ, à qua ſemper fuit traditus numerus ſeptenarius Ordinum, quorum nomina ſunt, *Oſtiarius*, *Lector*, *Exorciſta*, *Acolythus*, *Subdiaconus*, *Diaconus*, *& Sacerdos*. Et *Concil. Trid.* (*c*) *illos enumerat, eoſque dividit in majores, & minores, ſignificantes per numerum ſeptenarium ſeptem dona Spiritus Sancti*, ſi ergo in Ordine dantur dona Spiritus Sancti, cum iſta non ſint ſine gratia gratum faciente, jam in Sacramento Ordinis confertur gratia gratum faciens, nam certum eſt, quod Sacramenta novæ legis efficiunt, quod figurant; Unde *& D. Thom. ait*, (*d*) cuicumque datur poteſtas aliqua divinitùs, dantur etiam ea, per quæ executio illius potentiæ poteſt congruè fieri; videmus namque in naturalibus, Deum dare nedùm potentias naturales ad opera naturalia exercenda, verùm etiam media neceſſaria ad executionem illarum potentiarum; animalibus enim dantur membra, quibus potentiæ animæ poſſint exire in actus ſuos, niſi ſit defectus ex parte materiæ: Ex quibus *deducit D. Thom*, quod ſicut gratia gratum faciens eſt neceſſaria ad hoc, quod homo dignè Sacramenta recipiat, ita neceſſaria eſt ad hoc, quod homo dignè Sacramenta diſpenſet; homo autem diſpenſare Sacramenta dignè non poteſt, niſi prius ſit in illo potentia ad illa diſpenſanda, quæ potentia non datur illi, niſi per Sacramentum Ordinis, de cujus ratione eſt conferre gratiam gratum facientem, quidquid *dicat ipſe Lutherus, cujus hæreſis damnata fuit à Concil. Trident.*, (*e*) *tùm, ubi ſtatuitur*, ſi quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre; anathema ſit. *Tùm*, ſi quis dixerit, non dari gratiam per hujuſmodi Sacramenta ſemper, & omnibus, quantum eſt ex parte Dei, etiam ſi ritè ea ſuſcipiant, ſed aliquando, & aliquibus: anathema ſit. *Tùm*, ſi quis dixerit, per ipſa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem divinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere; anathema ſit. *Et Paulus ad Timot. ait*, admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum: *& rurſus*, (*i*) noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum præsbyterii. *Et tandem Div. Thom. concludit*, quod ſicut in Baptiſmo, per quem homo fit ſuſceptivus Sacramentorum, datur gratia gratum faciens, ita & à fortiori in Sacramento Ordinis, per quod homo ordinatur ad diſpenſationem aliorum Sacramentorum, debet gratia gratum faciens dari.

b in Suppl. q. 35. a. 2.

c Seſſ. 23. de Refor.

d ib. in c.

e Seſſ. 7. can. 6.

f ib. can. 7

g ib. can. 8

h 2. cap. 1.

i ib. 1. c. 4.

Nec dicendum eſt, quod Sacramentum Ordinis ordinatur contra defectum ignorantiæ, contra quam non datur gratia gratum faciens, ſed gratia gratis data. Nam licet detur contra defectum plebis, non tamen contra defectum ignorantiæ ſuſcipientis Ordinem. *Unde Div. Thom.* quod dicitur ignorantiam dari non eſt intelligendum, ita ut per ſuſceptionem Ordinis pellatur ignorantia in ſuſcipiente, ſed quia ſuſcipiens Ordinem perficitur ad pellendam ignorantiam in plebe, unde ordo datur, non in remedium unius perſonæ, ſed totius Eccleſiæ, *hoc dicitur*, quia in ordinato debet dari ſcientia non in remedium ejus, qui ordinatur, debet enim ſupponi doctus, & ſciens; aliàs indignè ordinaretur: immò non debens ordinari, niſi habens ſcientiam; ut *ſtatuit etiam Concil. Trident.*, (*l*) qui piè, & fideliter in miniſteriis anteactis, ſcil. Diaconatus, & Subdiaconatus ſe geſſerint, & ad Præsbyteratus Ordinem aſſumuntur, bonum habeant teſtimonium. Et hi ſint, qui non modò in Diaconatu ad minus integrum annum, niſi ob Eccleſiæ utilitatem, ac neceſſitatem illud Epiſcopo videatur, miniſtraverint; ſed etiam ad populum docendum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt; ac miniſtrandi Sacramenta, diligenti examine præcedente comprobentur; ſed quia ſuſcipiens ordinem ex vi ſuſceptionis, præficitur, & ordinatur ad hoc, ut expellet à plebe ignorantiam, aliàs indigni eſſent gradu Sacerdotii, & ſolùm digni ut repellerentur à Domino Deo, ne Sacerdotio fungerentur illi, *ſicut ſcriptum eſt in Oſea*, quia tu ſcientiam repuliſti, & ego te repellam, ne Sacerdotio fungaris mihi; Videtur ergo, quod Sacerdotes, & maximè illi, qui curam animarum habent, omni ſcientia eſſe debent, ſicut & bonitate, pietate, ac caſtis moribus conſpicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis poſſint expectari; & ſic idonei erunt ad executionem Ordinum; quia, *ut etiam ait D.Th.* (*n*) ad idoneam ordinum executionem non ſufficit bonitas qualiſcumque, ſed requiritur bonitas excellens, ut ſicut illi, qui ordinem ſuſcipiunt ſuper plebem, conſtituuntur gradu Ordinis, ita & ſuperiores ſint merito Sanctitatis. Maximè quia in ipſa ſuſceptione Ordinis confertur amplius gratiæ munus, per quod ad majora

l Seſſ. 23.

m cap. 4.

n ib. ad 3.

reddan-

Digitized by Google

reddantur idonei; quod non eſſet, ſi in Ordine non daretur gratia gratum faciens; quæ tamen multipliciter diſtinguitur à gratia gratis data, quod iſta immediatè, & propriè non datur in commodum, & utilitatem ejus, qui illam recipit; ſed in utilitatem aliorum, *juxta illud ad Corint.*, (*o*) unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem, aliorum ſcilicet *ait Div. Thom.*, illa verò immediatè, & propriè datur in commodum, & utilitatem ejus, qui juſtificatur, ut ſalvus ipſe fiat, & placeat Deo; *& deſumitur ex Div. Thom.*, (*p*) gratia, alia eſt, per quam homo coniungitur Deo, & vocatur gratia gratum faciens, non effectivè, ſed formaliter, cum per hanc homo juſtificetur, & dignus efficiatur vocari Deo gratus, ſicut & amabilis, *ſecundum illud ad Coloſſ.*, (*q*) qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine; Gratia verò gratis data eſt, per quam homo cooperatur alteri ad hoc, quod ad Deum reducatur, & tale donum vocatur gratia gratis data, quia ſupra facultatem naturæ, & ſupra meritum perſonæ homini conceditur, at quia non datur ad hoc, ut homo ipſe per eam juſtificetur, ſed potius ut ad juſtificationem alterius cooperetur; de qua *benè loquitur Apoſtolus ibid. ad Corint.* unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem, ſcilicet aliorum; alia eſt differentia inter gratiam gratis datam, & gratiam gratum facientem, quod gratia gratum faciens per quodvis peccatum mortale deperditur; quoniam ſi vir juſtus averterit ſe à juſtitia ſua, & committat peccatum, ſtatim deſinit eſſe gratus Deo, *juxta quod legitur in Ezech.* (*r*) ſi autem averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem ſecundum omnes abominationes, quas operari ſolet impius, numquid vivet? omnes juſtitiæ ejus non recordabuntur. *Juxta Doctrinam Div. Thom. dicentis*; (*ſ*) gratia gratum faciens amittitur per quodlibet peccatum mortale, inquit enim, effectus divinæ dilectionis in nobis, qui per peccatum tollitur, eſt gratia, qua homo fit dignus vita æterna, à qua peccatum mortale excludit. *Et rurſus docet*, (*t*) peccatum mortale tollit gratiam gratum facientem, non autem totaliter corrumpit bonum naturæ, ſed diminuitur. *Denique docet*, (*u*) quod peccatum mortale non diminuit charitatem effectivè, vel meritoriè, ſed totaliter corrumpit ipſum, effectivè, quia omne peccatum mortale contrariatur charitati, meritoriè, quia qui peccando mortaliter, aliquid contra charitatem agit, dignus eſt, ut Deus ei ſubtrahat charitatem. Gratia verò gratis data non perditur per quodvis peccatum mortale; *ſcriptum eſt enim Matt.* (*x*) Multi enim dicent in die illa, Domine, Domine, nonnè in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo multas virtutes fecimus? Ex quibus verbis conſtat, quod gratia prophetiæ, & miraculorum gratia, ſicut & gratia virtutum in hominibus peccatoribus perſeverant: Quod roboratur ex Paulo *1. Corint. dicente*, (*y*) ſi linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Si habuerò prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Ecce quomodo per Apoſtolū Paulum donum prophetiæ, & ſcientiarum gratia ſine charitate inveniri poſſunt. Et quod ita ſit, *ex Joanne ſatis colligitur veritas iſta*; nam & Caiphas nequiſſimus prophetavit neſciens, quid diceret; Unus autem, *legitur*, ex iſtis Caiphas nomine, cum eſſet Pontifex anni illius, dixit eis, vos neſcitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat; hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cum eſſet Pontifex anni illius, prophetavit, quod Jeſus moriturus erat pro gente.

o 1. cap. 12. — p 1. 2. qu. 111. art. 1. & ad 1. — q Cap. 1. — r Cap. 18. — ſ 1. 2. qu. 113. art. 2. — t 1. 2. q. 10. art. 4. — u 2. 2. q. 24. art. 12. — x Cap. 7. — y 1. cap. 13. — z Cap. 11.

Et *quid dicam de Balaam, & de Sibyllis? de Balaam* utique dicam, quod & ipſe Propheta fuit, & tamen de populo Ammonitarum, unde & divinus erat dæmonum. Prophetavit (*a*) igitur de Chriſto, orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſrael.

a Num. c. 24.

De Sibyllis etiam multa ſunt teſtimonia, quod prophetaverunt de Chriſti nativitate. *Hinc Div. Thom. docet*, (*b*) donum prophetiæ aliquando datur homini & propter utilitatem aliorum, & propter propriæ mentis illuſtrationem; & hi ſunt, in quorum animas ſapientia divina per gratiam gratum facientem ſe transferens, amicos Dei, & prophetas eos conſtituit. Quidam verò conſequuntur donum prophetiæ ſolùm ad utilitatem aliorum, qui ſunt quaſi inſtrumenta divinæ operationis, *hinc Hieronymus dicebat ſuper illud Matt. loco cit.* prophetare, vel virtutes facere; & dæmonia ejicere, interdum non eſt ejus meriti, qui operatur, ſed vel invocatio nominis Chriſti hoc agit, vel ob condemnationem eorum, qui invocant, vel utilitatem eorum, qui vident, & audiunt, conceditur. Et *ideò Div. Thom. docuit, quod verbum illud Apoſtoli ad Corint.* (*c*) unuſquiſque (*d*) enim habet proprium donum à Deo, alius quidem ſic, alius verò ſic; intelligi poteſt, de donis gratiæ gratis datæ quæ non ſunt communia omnibus, nec omnia æqualia in uno, & eodem.

b 2. 2. qu. 172. art. 4. ad 1. — c p. 2. q. 68. art. 2. ad 1. — d p. cap. 7.

Unde ex his omnibus conſideranda eſt excellentia gratiæ gratum facientis, per quod diſtinguitur à gratia gratis data; quod illa, *ex Div. Thom.*, (*e*) ordinat hominem immediatè ad coniunctionem ultimi finis, *quod confirmat idem Sanctus Doctor, dicens*, gratia gratum faciens, ad hoc principaliter datur, ut anima hominis Deo per charitatem coniungatur. Gratiæ verò gratis datæ ordinant hominem ad quædam præparatoria finis ultimi, ſicut per prophetiam, & miracula, & alia hujuſmodi homines inducuntur ad hoc, quod ultimo fini coniungantur. Hæc autem omnia poſſunt eſſe ſine charitate; & de prophetia *ſic loquendo docet Div. Thom. ibid.*, prophetia poteſt eſſe ſine bonitate morum, (adeòque ſine charitate) quantum ad propriam radicem hujus bonitatis. Denique *Div. Thom. ait*, (*g*) licet dona gratiæ gratum facientis communia ſint omnibus membris Eccleſiæ, tamen actus illorum donorum, ſecundum quæ attenditur diſtinctio in membris Eccleſiæ idoneus ſuſceptor aliquis eſſe non poteſt, niſi charitas adſit, quæ quidem ſine gratia gratum faciente eſſe non poteſt.

e p. 1. qu. 111. art. 5. — f 2. 2. qu. 172. art. 4. in c. — g hic ad 2.

Diximus, quod ſeptem ſunt Ordines, qui licet habeant formalitates inter ſe diſtinctas, cum unus formaliter non ſit alius, nihilominus omnes conveniunt in hoc, quod omnes imprimunt characterem, quia omnes conveniunt in una ratione generica Ordinis; Unde malè dixerunt illi, qui volebant, quod in ſolo Ordine Sacerdotali character imprimatur, ſicut & illi alii malè dixerunt, in ſolis ordinibus ſacris imprimi characterem; & quod malè utrinque dixerunt, *apertè docet Div. Thom.*, (*h*) primi, quia actum diaconi nullus exercere poteſt licitè, niſi diaconus, ad ipſum enim ſpectat legere immediatè Evangelium, tãquam ex officio proprio; Etſi Sacerdos legit illud, hoc tamen ab ipſo non fieret, tanquam ex officio, cum ejus officium ſit celebrare, & celebrando conficere Sacramentum Euchariſtiæ; & olim ſpectabat ad ipſum diaconum diſpenſare corpus, & ſanguinem Chriſti Domini, quod erat quædam ſpiritualis poteſtas, quam alii non habebant: Secundi, quia per quemlibet Ordinem aliquis conſtituitur ſuper plebem, in aliquo gradu poteſtatis ordinatæ ad Sacramentorum diſpenſationem: ergo ſi uterque malè dixerunt, reſtat per conſequens dicendum, quod ſolùm illi ſapienter dixerunt, qui volebant, ſicut & modò volunt, imprimi characterem quantum ad omnes ordines, cum in quolibet Ordine detur aliqua diſtinctio, & character ſit ſignum diſtinctivum, ergo ſignum eſt, quod in quolibet Ordine imprimitur character, & totaliter imprimitur tùm in majoribus, tùm in minoribus Ordinibus, quod numquam iteratur, nec iterari poteſt, ſed perpetuò manet; *ut etiam ſtatuit Conc. Trid.* (*i*) ſi quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt quodam ſignum ſpirituale, & indelebile, unde ea iterari non poſſunt; anathema ſit; Et *rurſus ſtatuit*, (*l*) quoniam verò in Sacramento Ordinis, ſicut & in Baptiſmo, & Confirmatione character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri poteſt; meritò Sancta Synodus damnat eorum ſententiam,

h in ſuppl. q. 35. art. 2. — i Seſſ. 7. can. 9. — l Seſſ. 23. cap. 4.

Digitized by Google

tiam, qui aſſerunt novi Teſtamenti Sacerdotes temporariam tantùmmodò poteſtatem habere, ac ſemel ritè ordinatos, iterùm laicos effici poſſe; ſi verbi Dei
m ib. cã 4. miniſterium non exerceant. *Et denique ſtatuit*, (*m*) ſi quis dixerit per Sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere, accipe Spiritum Sanctum, aut per eam non imprimi characterem, vel eum, qui Sacerdos ſemel fuit, laicum rurſus fieri poſſe, anathema ſit. *Hoc autem, quod Concilium decrevit, jam Div. Thom. docuit*, quod omne Sacramentum, in quo non imprimitur character, eſt iterabile: ergo illud Sacramentum, in quo imprimitur character, non erit reiterabile; & quia nullus ordo eſt iterabilis, hinc ſequitur, quod in quolibet ordine imprimitur character, & per iſtum characterem indelebilem in tali ſtatu ponitur homo, ut non poſſit ab illo recedere; & hoc aſſerit non ſolùm de Ordinibus majoribus, qui ſacri dicuntur, ſed etiam de illis ordinibus minoribus: quapropter illi, qui habent ordines minores licet licitè redire poſſint ad laicatum, nihilominus ſi denuò redirent ad clericatum, non eſt opus, ut iterùm Ordines minores ſuſcipiant, non ob aliud, niſi quia imprimunt characterem, qui indelebilis eſt, *juxta D. Thom.* (*n*) *dicentem*, quantumcumque homo ad laicatum ſe
n ib. ad 2. transferat, ſemper tamen manet in eo character, quod patet ex hoc, quod ſi ad clericatum revertatur, non iterum Ordinem, quem habuerat, ſuſcipit; itaque imprimunt ordines minores characterem, & conſequenter perpetuò manent; nec hoc tollitur per hoc, quod ordinentur ad actus corporales, ſed etiam ad actus ſpirituales; cum ordinentur ad actus corporales in ordine ad actus ſpirituales; ut patet de oſtiario, iſte enim habet actum dimittendi homines ad divinorum Sacramentorum inſpectionem; *Acolythus ad Euchariſtiæ Sacramentum conficiendum, Lectoratus, & exorciſtatus ordinantur ad Sacramentorum diſpenſationem*; & ideò, *ut ait*
o ib. ad 1. *Div. Thom.*, (*o*) in omnibus requiritur poteſtas ſpiritualis; & licet verum ſit, quod ad recipienda Sacramenta remotè ſufficiat Baptiſmus, & ad diſpenſanda Sacramenta immediatè ſufficiat Sacerdotium, nihilominus tamen alii ordines deſerviunt Sacerdoti ad hoc, ut Sacramenta cum dignitate ab illo diſpenſentur, & ut proximè illi deſerviant, ad quod Baptiſmus non ſufficit, & Sacerdotium ſine illis cum dignitate non exerceretur.

Diximus *ad diſpenſanda Sacramenta immediatè ſufficit Sacerdotium*, quia dare immediatè Sacramentum convenit Sacerdoti, mediatè verò ceteris ordinatis, in quantum alii ordinantur ad miniſtrandum aliquo modo Sacerdoti.

Diximus, quod ad recipienda Sacramenta remotè ſufficit baptiſmus, quia licet per baptiſmum quilibet habeat potentiam ad recipienda Sacramenta, tamen talis potentia eſt remota ad actualem adminiſtrationem eorum, & iſta eſt, quæ ſufficit, ut per baptiſmum recipiantur Sacramenta; quod autem baptiſmus requiratur ad recipienda Sacramenta, de ſe patet; cum ipſe baptiſmus ſit janua omnium Sacramentorum; omnis ergo, qui vellet recipere Sacramenta, opus eſt, ut intret per illud oſtium, aliàs tanquam latro habebitur; manifeſtum eſt enim, quod ſi quis ad Sacerdotium promoveatur abſque baptiſmo, quia non ingreſſus erit per oſtium, ideò nec dignè promotus erit in Sacerdotem, ſed furtivè; & conſequenter nec erit Sacerdos, nec conferre poterit, ſicut nec abſolvere in foro pœnitentiali.

Quid autem faciendum ſit de tali furtivè ordinato, *Sacri Canones ſtatuerunt*, quod debet baptizari, & iteratò ordinari. Et ſi etiam in Epiſcopum promotus fuerit, illi, quos ordinat, non habent ordinem, quia nemo dat, quod non habet; pariter quia non per oſtium, ſed aliunde aſcendit ad modum furis: & ne hoc pariat confuſionem, & Eccleſia Dei decipiatur; *dicendum eſt*
p in Suppl. q. 35. a. 3. ad 2. *cum Div. Thom.* (*p*) quod piè credi poteſt, quod quantum ad ultimos effectus Sacramentorum, qui eſt character, & gratia, ſummus Sacerdos, ſcilicet Chriſtus, ſuppleret defectum; dando effectum Sacramenti hoc eſt gratiam ſine Sacramento; ſicut & piè credi poteſt, quod non permitteret hoc ita latere, quod Eccleſiæ poſſet periculum imminere; ergo ut benè ordinetur, legitimè, ac validè, fas eſt, ut ſolùm per januam Sacramentorum, quæ eſt baptiſmus, unuſquiſque intret; Igitur concludamus, quod character Ordinis præſupponit characterem baptiſmalem, & quod niſi habeatur baptiſmus, non poſſit haberi potentia receptiva illorum, *quod eſt juxta Div. Thom. doctrinam*, (*q*) per chara- q ib. 1. o.
cterem baptiſmalem, homo efficitur receptivus aliorum Sacramentorum, unde qui non habet characterem baptiſmalem, nullum aliud Sacramentum recipere poteſt; ergo requiritur iſta potentia receptiva, ſive paſſiva, ut deveniri poſſit ad potentiam illam activam diſpenſandi Sacramenta, atque adeò iſta potentia activa diſpenſandi Sacramenta habet præſupponere potentiam paſſivam ad illa recipienda. Nec hoc mirum, ſiquidem illa potentia activa, cum non ſit à ſe, ſed ab alio, hinc eſt, quod ab alio accipit potentiam paſſivam; & ſic potentia activa diſpenſandi Sacramenta cum ſit à charactere baptiſmali, præſupponit potentiam paſſivam, nempe characterem baptiſmalem; *quod deſumitur ex Div. Thom.*, (*r*) in eo, qui habet potentiam r ib. ad 1.
activam à ſe, ſicut eſt Deus, non præſupponit potentiam paſſivam, benè tamen in eo, qui habet potentiam activam ab altero, præexigitur ad potentiam activam potentia paſſiva, quæ recipere poſſit potentiam activam.

Ex quibus videtur, quod character baptiſmalis præſupponitur ad characterem Ordinis ſimpliciter, immò & neceſſariò, cum baptiſmus ſit Sacramentum neceſſarium neceſſitate præcepti, ſine quo nullus ad vitam ingredi poteſt; juxta illud ſæpius repetitum, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c. & quod dicitur de charactere baptiſmali, dici non poteſt de charactere confirmationis, cum iſte ad characterem Ordinis non de neceſſitate præſupponatur licet ſolùm de congruitate, *ut docet Div. Thom.*, (*ſ*) de congruita- ſ in Suppl. q. 35. ar. 4.
te character Ordinis characterem confirmationis præſupponit, & non de neceſſitate, dicit enim ad ſuſceptionem Ordinis præexigitur aliquid, quaſi de neceſſitate Sacramenti, & aliquid de congruitate; de neceſſitate quidem exigitur, quod ille, qui accedit ad Ordines, ſit ſuſceptivus, quod convenit ei per baptiſmum, ſine quo Sacramentum Ordinis conferri non poteſt: de congruitate requiritur omnis perfectio, per quam aliquis reddatur idoneus ad executionem Ordinis, & unum de iſtis eſt, quod ſit confirmatus.

Hoc etiam corroborat docendo, illi, qui ad alios confirmandos ponuntur, maxime debent eſſe confirmati de congruitate, non de neceſſitate: *& quod juxta doctrinam D. Thom. ſit*, (*t*) *apertè patet, cum ipſe dicat*, t ib. ad 2.
Illa ratio procedit de idoneitate quantum ad congruitatem. Et de facto legimus, quod Apoſtoli ordinati fuerunt in Cœna, & acceperunt auctoritatem abſolvendi ante Chriſti aſcenſum ad ſuperos: & poſt Chriſti aſcenſionem confirmati fuerunt in die Pentecoſtes per quæ videtur comprobare id, quod dictum eſt, quod character confirmationis eſt de congruitate, & non de neceſſitate: Verùm quod de congruitate olim erat, *modò per Concil. Trid.* (*u*) *videtur eſſe quaſi de neceſſitate*,
cum dicat, prima tonſura non initientur, qui Sacramentum confirmationis non ſuſceperint. Sicut etiam admiſſa ordinatione Eccleſiæ, & conſtitutione ejuſdem, per quam determinatum eſt, quod majores Ordines non recipiantur, niſi prius ſuſceptis minoribus. u Seſſ. 23. de Refor. cap. 2.
ut habetur etiam ex Concil. Trident. (*x*) Subdiaconi, & x. 5. c. 13.
Diaconi ordinentur, habentes bonum teſtimonium, & in minoribus Ordinibus jam probati. Nihilominus tamen in primitiva Eccleſia aliqui ordinabantur in præsbyteros, qui prius inferiores Ordines non ſuſceperant: & tamen poterant omnia, quæ inferiores ordines poſſunt. Et *de hoc reddit rationem Div. Thom.*, (*y*) *cùm ait*, y in Suppl. q. 35. a. 5.
quia inferior poteſtas comprehenditur in ſuperiori virtute, ut ſenſus in intellectu; ideòque non eſt de neceſſitate, quod character unius Ordinis ſupponat characterem alterius Ordinis de neceſſitate: eò maximè quia poteſtates Ordinum ſunt diſtinctæ, & cum ſint diſtinctæ, una quantum eſt de ratione ſui aliam non requirit

in

Digitized by Google

In eodem ſubiecto. Deinde videtur eſſe certum, quod ſi omittatur aliquid in Sacramento, quod ſit de neceſſitate Sacramenti, oportet, quod Sacramentum iteretur; non iteratur autem Sacramentum Ordinis, ſi quis accipiat ſequentem Ordinem prætermiſſo primo, non enim reordinatur, ſed confertur illi, quod prius deerat, *juxta Canonum ſtatuta*, (z) igitur reſtat jam clarum, quud præcedens Ordo non eſt de neceſſitate ſequentis; & licet ſit major convenientia ordinis ad ordinem, quàm Ordinis ad aliud Sacramentum; tamen illa major convenientia Ordinis ad ordinem eſt ſolùm ſecundum ſimilitudinem ſpeciei, ad differentiam convenientiæ illius, quæ eſt Ordinis ad aliud Sacrameotum; certum euim eſt, quod unus ordo differt ab alio ſpecie; ceterum ſi attendatur ſecuodum proportionem potentiæ ad actum, ſic major videtur convenientia Ordinis ad Baptiſmum; quàm ordiois ad ordinem, cum character baptiſmalis ſit potentia paſſiva ad alia Sacrameota ſuſcipienda, quam proportionem potentiæ paſſivæ ad actum reſpectu alterins ordinis non dicit unus ordo *juxta doctrinam D. Th.* (a) per Bapriſmum acquirit homo potentiam paſſivam recipiendi Ordines; & ideò ſecundum proportionem putentiæ ad actum magis convenit baptiſmus cum ordine, quàm ordo cum ordine: Ceterum per ordinem inferiorem non datur potentia paſſiva recipiendi majores Ordines.

z Lib. 4. decr. tit. 11

a ib. ad 3.

Ex qoo etiam ſequirur, quod licet Ordines ſint gradus, non tamen ſunt ſimiles gradibus exiſtentibus in mutibus, ſed in diverſis rebus, *ut exemplis manifeſtatur à D. Th.*, (b) Ordines non ſunt gradus, qui concurrunt in actiooe una, vel in uno motu, ut oporteat ad ultimum per primum devenire, quia certum eſt, quod In mutibus unus non poteſt pervenire ad uuum gradum motus, vel localis, vel intenſionis, vel remiſſionis, niſi prius tranſierit per gradum inferiorem. Nihilominus ſunt ſicur gradus in diverſis rebus conſtituti; ut eſt gradus inter hominem, & Angelum, oon enim oportet, quod ille, qoi eſt Angelus, prius fuerit homo, ſicut nec oportet, quod illud, quod eſt caput, prius fuerit pes; & ſic dicendum eſt de Ordinibus, iſti ſunt gradus, ſed ſunr gradus, ſicut in diverſis reboſconſtituti non enim oporret, quod ille, qui eſt Sacerdos, prius fuerit Oſtiarius, & ſic character unius non eſt de neceſſitate Sacramenti, benè tamen præcepti præſuponit characterem alterius Ordinis; unde peccaret ſuſcipiens aliquem Ordinem ſuperiorem antequam inferiorem ſuſciperer, licet ex alia parte, *ut jam diximus*, conſequatur characterem ſuperioris Ordinis.

b ib. ad 3.

Super Quæſtionem Trigeſimam Sextam,

De qualitate ſuſcipientium hoc Sacramentum.

UT verè homines laudabiles ſint, debet in illis præfulgere bonitas vitæ, hæc enim, ſi attendamus ad ordinem naturalem, conſiſtit in hoc, fugere malum, & bonum amplexari, unde & ſunt mandata, omne malum eſt fugiendum, & omne bonum eſt amplectendum. Ac ut laudabiliores reddantur, præcipuè accedentes ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum, debet in illis relucere illa bonitas vitæ, quæ ſecum afferat odorem bonæ famæ, & ornatum animi unà cum optimis moribus. *Hinc Aug. Ser. ad fratres in Eremo ajebat*, (a) oportet manum mundam eſſe, qui polluti vaſis maculas debet purgare, ne polluta deterius poſſit coinquinare, cum ſordida ſordidum tractat; Propterea omnibus, qui ad miniſtrandum altare accedi- tis, *dicitur illud Iſaiæ*, mundamini, qui fertis vaſa Domini; propterea attendite, quales eſſe debetis, ut digni vaſa Domini portare poſſitis; igitur ſi ad miniſtranda vaſa Domini requiritur bonitas vitæ, hæc proculdubio requiritur etiam in illis, qui miniſtri Domini fieri volunt; unde non debet quis præſumere ſuſcipere hoc Sacramentum mente elevata, ne peccet mortaliter, ſed puritate conſcientiæ, & humili corde, quoniam bonitas, immò & ſanctitas vitæ requiritur ad ordinem de neceſſitate præcepti, licet non de neceſſitate Sacramenti; & ſanctitas vitæ, magis, quàm ſcientia Scripturarum, hoc dicitur, quia non negamus, quod ille, qui ad ordinis officium promovetur, non debeat habere ſcientiam, ſed volumus, quod tantùm de ſcientia habeat, quod ſufficiat ad hoc, ut dirigatur in actu ordinis illius, non autem quod univerſaliter in tota Scriptura ſit inſtructus; ſed plus, vel minus ſecundum quod ad plura, ut Epiſcopi, vel pauciora, ut alii, ſe ejus officium extendit, ut illi, qui aliis præponuntur, curam animarum ſuſcipientes, ſciant, quæ ad executionem ſui ordinis ſpectent. Unde multa & ſcire debent, de quibus jam conſtabit.

a Serm. 37.

b cap. 52.

Quales igitur eſſe debeant, qui hoc Sacramentum ſuſcipere debent; *Div. Thom. in primis ponit*, (c) quod in ſuſcipientibus ordinem requiritur bonitas vitæ, immò & integritas morum. *Hinc Paulus ad Timot. dixit illi*, (d) oportet Epiſcopum irrepræhenſibilem eſſe, unius uxoris virum, &c. *idem ad Titum*, (e) oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem, non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum. At non tantùm Epiſcopi, hæc ſervare debent, ſed & alii, præcipuè Sacerdotes; *ſic aſſerit Aug. Ser. cit.* (f) ubi ad hanc rem *ſic ait*; Hæc autem, (quæ *à Paulo* dicta ſunt ad *Titum*,) non ſolùm ego Epiſcopus ſervare debeo; ſed & vos unà mecum Deo auxiliante ſervare debetis per omnia ſine crimine, ſicut Epiſcopum: ita jubet eſſe præsbyterum ſcil. irrepræhenſibilem, ut non quærat uxores, non divitias, non honores, ne ſecularis dicator; non enim decet, qui animarum curam gerit, tranſire de domo in domum, non frequentare forum cum ruſticis, non mercaturas acquirere, non commatres procurare, non tabernas intrare, non diſcutere, niſi neceſſitate compulſus; ſic enim facientes, irrepræhenſibiles ſunt apud homines.

c in Suppl. q. 36. ar. 1.

d 1. p. c. cap. 3.

e cap. 1.

f Ser. 37.

Et licet bonitas vitæ requiratur ad ordinem de neceſſitate præcepti, non tamen requiritur de neceſſitate Sacramenti, poteſt namque quis cum peccato accedere ad ſuſcipiendum ordinem, & nihilominus eſſet benè ordinatus: *ut ait D. Thom.*, ſi malus ordinatur, nihilominus ordinem habet, tamen cum peccato. Immò Sacramenta & à bonis, & à malis diſpenſari validè poſſunt, licet non licitè, quia indignè malus diſpenſat, & ſicut indignè diſpenſat aggravatus peccato mortali, ita indignè recipit, qui in peccato mortali exiſtens. Præcepit namque Dominus: *Levit.* Homo de ſemine Aaron, *hoc eſt de genere Sacerdotali*, qui habuerit maculam, *hoc eſt vitium, ſive peccatum*, non offeret panes Deo ſuo, *hoc eſt non immolabit Sacrificium Domino*, nec accedet ad miniſterium ejus, *hoc eſt non appropinquabitur ad deſerviendum altari; Si habuerit maculam*, hoc eſt, ut ſubditur, *ſi cæcus fuerit. ſi claudus, ſi parvo, vel grando, vel torvo naſo, ſi fracto pede, vel manu ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem in oculo, ſi jugem ſcabiem, ſi impetiginem in corpore, vel herinoſus.* Et quia omnia in figuram contingebant illis, hinc eſt, quod per *ly habens maculam*, ut etiam diximus, intelligebatur ille, qui in peccato mortali exiſtebat, & illi ſubjacebat. Prohibebantur ergo à miniſterio, V. ab Ordine *cæcus*, ſcil. *ignorans*, cæcus enim viſione carendo ignorat viam, per quam ambulat. *Claudus*, ſcil. *inſtabilis* in propoſito non peccandi; claudus namque ſemper inſtabilis eſt in pedibus. *Naſo parvo, vel grando, vel torto*, ſcil. *indiſcretus* plus, vel minus, aut prava contrà legem exercens; parvus enim naſus, ſicut & grandis naſus indiſcretè ſe habent ad adorandum, & tortus naſus ſemper contrà debitum modum adorandi ſe exercet. *Fracto pede, vel manu*, ſcil. *nolens benè operari* ſequendo veſtigia bonorum, vel nolens procedere de virtute in virtutem, cujus proprium manuum videtur eſſe, & de facto laudatur illa mulier, quæ conſilio manuum ſuarum operata eſt; *ut legitur in lib. Proverb.*, (b) quod quæſivit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum,

g cap. 21.

h cap. 31.

Digitized by Google

rum, manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem. Quid ergo eſt hoc, niſi ſubvenire neceſſitatibus egenorum? & quid eſt ſubvenire neceſſitatibus eorum? niſi procedere in aliquam virtutem, immò in maximam virtutem, nempe in charitatem, quæ mater omnium virtutum eſt, *ut aſſerit*
1 p. 2. q. 62. a. 4. *D. Th.* (*i*) Ordine perfectionis charitas præcedit fidem; & ſpem; eò quia tàm fides, quàm ſpes per charitatem formatur, & perfectionem virtutis acquirit, & ideò charitas eſt mater omnium virtutum, & radix, in quantum eſt omnium virtutum forma.

Immò potiſſima virtutum eſt, *ut colligitur ex illo*
1 p. 2. 13. *Pauli ad Corint.* (*l*) nunc autem manent fides, ſpes, & charitas, horum autem trium major eſt charitas. Et
m 2. 2. q. 23. a. 6. *D. Tho.* (*m*) quod in tantùm eſt potiſſima omnium virtutum charitas, in quantum attingit ipſum Deum, ut in ipſo ſiſtat; non ut ex eo aliquid nobis proveniat; & ideò nonſolùm eſt excellentior fide, & ſpe; ſed etiam omnibus aliis virtutibus.

Gibbus ante, vel retrò, ſ. amator ſuperfluus terrenorum & talis eſt ille, qui convertit cor ſuum ad amorem hujus Mundi, neſciens, quod amor mundanus ſemper eſt malus, utpotè quia per hunc appetuntur ſuperflua; talis autem eſt gibbus, & meritò, quia gibbitas generatur ex quadam ſuperfluitate humorum ſuperabundantium.

Lippus ſ. per carnalem affectum ingenium obſcuratum habens, abſorbetur multoties ratio propter ipſum: unde lippus dicitur, quod ſit ille, qui habet oculos lachrymantes, cum putredo ab his defluat. Et quid per oculos lachrymantes, nil habere ingenium obſcuratum? Obſcurantur etenim oculi, dum lachrymantur. Et quid defluere putredinem ab his, niſi carnalem affectum deſignare? carnalis autem affectus ſtatim evaneſcit, dùm per corruptionem conſumitur. Nam ante ipſam homo de homine veluti brutum fit, poſt eamdem ex bruto homo denuò fit; *Habens albuginem in oculo*, ſ. præſumptionem candoris juſtitiæ in ſua cogitatione: albugo enim eſt quædam albedo exiſtens in oculo, & ad vitium præſumptionis refunditur candor juſtitiæ in ſua tamen cogitatione, cum nimis de ſeipſo præſumat. *Vel jugem ſcabiem*, ſ. petulantiam carnis, hæc enim jugiter hominem moleſtat, & aſſiduè contra rationem pugnat, ſic ſcabies jugis facit. *Vel impetiginem*, ſ. avaritiam, avaritia ſemper dilatat animum hominis ad divitias accumulandas; ſic & impetigo ſe diffundit ad majores partes quantitatis poſſidendas.

Hernioſus, vel ponderoſus, ſ. geſtans pondus turpitudinis in corde, licet non exerceat in opere; hernia namque eſt quidam morbus ſcorti intumeſcentis, ſic ille, qui turpitudinem in corde cogitat, hernioſus dicitur, nè fortè & hypocrita nominetur; iſte enim in corde mala cogitat, in opere verò illa palàm non exercet, ne videatur ab hominibus iniquus, unde &
n cap. 23. Chriſtus Dominus de hypocritis dixit *Matt.* (*n*) Væ vobis hypocritæ, quia ſimilis eſtis ſepulchris dealbatis, quæ foris parent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia.
o p. 2. q. 203. a. 5. ad 10. Et per hoc meritò à *D. Th. conſiderante omnes iſtos defectus*, (*o*) *quos jam conſideravit ſuperius*, *docet*, quod ille, qui eſt aliquo vitio irretitus, non debet admitti ad miniſterium Ordinis, igitur ad hoc, ut admitti
p Seſſ. 23. de Refor. cap. 14. debeat, debet eſſe probatus moribus, & bonitate vitæ; idcircò (*p*) *Conc. Trid.* determinat circa ipſos Ordinandos ſic, de ipſorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus; & vita, à fide dignis diligenter exprimat, & literas teſtimoniales ipſam inquiſitionem factam continentes, ad ipſum Epiſcopum quamprimùm tranſmittat.

Et à *Div. Th.* comparatur Soli ipſemet ordinandus, ſicut enim Sol eſt Dux ſuper alia corpora, quæ lumen præbent nobis ſublunaribus, & taliter eſt dux illuminationis, ut ſi ipſe in ſe lucidus non eſſet, non poſſet alia corpora illuminare; ita & ordinandus, ſ. quolibet Ordine, & dignitate Eccleſiaſtica, debet in ſeipſo eſſe Sol lucidus, *quia ut bene ait D. Hieronymus* non ſolùm Epiſcopi, Præsbyteri, Diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum, cui præſident ſermone, & converſatione præcedant, verum etiam inferiores gradus, & omnes, qui divino oraculo ſ. domui Dei deſerviunt; ut poſſint alios illuminare, mediante charitate, & dilectione Dei, & proximi, & mediantibus aliis operibus bonis; eſſet enim maxima verecundia, illorum, qui ordinantur, ut mancipentur Deo, ut poſteà à laicis corrigerentur. Unde *D. Hieronymus ſubdit*, Eccleſiam Dei vehementer deſtruit, meliores eſſe laicos, quam clericos. (*q Et ideò Conc. Trid. ne hoc dicatur*, admonet q Seſſ. 14. de Refor. in proœm.
Epiſcopos, ut vitam clericorum, præcipuè illorum, qui curam animarum habere debent, examinetur, & probetur eſſe bonis moribus; *ſic enim legitur* Cum propriè munus ſit Epiſcoporum, ſubditorum omnium vitia redarguare; hoc illis præcipuè cavendum erit, ne clerici præſertim ad curam animarum conſtituti crimin oſi ſint, ne ve inhoneſtam vitam ipſis conviventibus ducant. Nam ſi eos pravis, & corruptis moribus eſſe permittant, quo pacto laicos de ipſorum vitiis redarguent? qui uno ab eis ſermone convinci poſſent, quod clericos ipſis patiatur eſſe deterioſes. Qua etiam libertate laicos corripere poterunt Sacerdotes, cum tacitè ſibi ipſi reſpondeant eadem ſe admiſiſſe, quæ corripiunt? Monebunt propterea Epiſcopi ſuos clericos in quocumque ordine fuerint, ut converſatione ſermone, & ſcientia commiſſum r cap 19.
ſibi Dei populum præeant, memores ejus, *quod ſcri-*
ptum eſt in Lev. (*r*) Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſ 2. c. 6.
ſum. Et illius, quod habetur *ex Paulo ad Corint.* (*ſ*) Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum; ſed in omnibus exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros &c. Et ne illud Prophetæ adimpleatur in eis, Sacerdotes tui contaminant ſancta, & reprobant legem.

Ne ergo hoc dicatur de iſtis, dicendum eſt, quod debent procurare totis viribus, ut miniſterium ſuum ſeiplendeat eſſe bonum, & ſpirituale. Spirituale t ib. ad 2.
quidem, quia ad hoc applicantur ordinati, & per ipſum, ipſi ordinati, *ut ait D. Th.* (*t*) efficiantur medii inter Deum, & plebem, ſive laicos, & ideò reſpectu Dei vitare debent de bona conſcientia, reſpectu verò plebis, ſive laicorum bona fama fulgere; ergo ſanctitas vitæ, quæ relucet ex bona conſcientia, & bona fama, requiritur ad Ordinem, non quia requiratur de neceſſitate Sacramenti, cum etiam à peccatoribus hoc miniſterium ſpirituale fiat, ſed ex u Seſſ. 7. can. 12.
neceſſitate præcepti, ut licitè fiat, juxta etiam *Conc. Trid.* (*u*) ſi quis dixerit, miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, (modò omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, ſervaverit) non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema ſit.

Diximus, ut licitè fiat, ut per hoc magis appareat differentia, quæ reperitur inter miniſterium, quod Deo in Sacramentis exhibetur, & inter miniſterium, quod ipſi corporaliter adhibetur; Iſtud etiam peccatores licitè facere poſſunt, non verò illud, & quod illud peccatores licitè facere poſſint, videtur manifeſtè in muliere, quæ erat in Civitate peccatrix, hanc Chriſtus non repulit à miniſterio corporali ipſius, quando ſ. lachrymis cæpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. Unde *D. Th. ibid.* illud miniſterium mulieris peccatricis erat tantùm in executione corporalis obſequii, quod etiam licitè peccatores facere poſſunt; non verò miniſterium Deo in Sacramentis exhibitum licitè peccatores facere poſſunt, eò quia, *ut ait D. Th.* non eſt audendum in omni divino ducem fieri, niſi ſecundum omnem habitum ſuum factus ſit Deiformiſſimus, & Deo ſimillimus; ſit autem homo Deo ſimillimus, & Deiformiſſimus per gratiam, cum qua repugnat eſſe peccatum.

Pariter ut licitè fiat, eò quia licet in hoc Sacramen-

to Ordinis gratia conferatur, non tamen datur in remedium peccati: ſiquidem licet per omnem gratiam detur remedium peccati, per Sacramentum tamen Ordinis datur augmentum gratiæ, ſed non datur prima gratia; quapropter ſanis datur hoc Sacramentum, cum ſit Sacramentum ſupponens vitam illam, ſcil. quæ dicitur vita æterna, eſtque gratia Dei; & ideò datur ſimul illis & virtus Sacramenti, quod Sacramentum non datur infirmis, hoc eſt cum peccato; *deſumitur ex D. Th.*, (x) in ſpiritualibus quædam Sacramenta ſunt ordinata ad remedium peccati, & talia peccatoribus ſunt exhibenda, ut baptiſmus, & pęnitentia; illa verò, quæ perfectionem gratiæ conferunt, requirunt hominem per gratiam confortatum, videtur ergo ex doctrina *D. Th.*, quod maxima ſit differentia inter hæc Sacramenta, quia peccatores laudabiliter accedunt ad confeſſionem, non tamen ad Euchariſtiæ Sacramentum, niſi innocentiam ad altare portantes: Sic *& nos admonet D. Aug.* (y) videte fratres, panem cęleſtem ſpiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate. Et *D. Chryſoſtomus pariter nos admonet*, cum ad reverēdum altare aſcendis, Sacrum Dei tui corpus, & ſanguinem fide reſpice, honore mirare, mente continge, cordis manu ſuſcipe, & auſtu interiori aſſume: & ſic ſi ad ſumendum tantùm Sacramentum Euchariſtiæ hoc requiritur, quid amplius requiretur ad illud conficiendum, ad illud miniſtrandum, atque diſpenſandum? certè quod ſi ad illud tantum ſumendum requiritur innocentia per confeſſionem denuò acquiſita, ad illud conficiendum & c. ultrà innocentiam per Sacramentum pęnitentiæ iterum acquiſitam, & ſanctitas vitæ, conſervativa innocentiæ, & præſervativa ejuſdem neceſſaria erit in ſuſcipientibus Ordinem. Et *ex Catechiſmo Rom. habetur*, (z) primum itaque in eo, qui Sacerdos creandus eſt, vitæ, & morum integritas commendetur, magnoperè oportet, non ſolùm quia ſi mortiferi alicujus peccati conſcius ſe initiari curet, vel etiam patiatur novo ſe, & maximo ſcelere obſtringit, ſed etiam quia virtutis, & innocentiæ lumen alii præſerre debet. Quare dicamus *cum D. Gregorio*, (a) ſanctam illam conſuetudinem in Eccleſia ſervari animadvertimus, ut qui Sacris initiandi ſunt, prius pęnitentiæ Sacramento conſcientiam purgare fideliter atque diligenter ſtudeant.

x ib. ad 3.

y Tr. 26. in Ioan.

z 2. p. de Sac. Ord. num. 14.

a p Paſt. mor. 4. c. 11.

Ex eo autem, quod in ſuſcipientibus Ordines requiratur bonitas vitæ non ſequitur poſtea, quod ex merito, vel ſanctitate vitæ aliquis gradus Ordinis conſequi poſſit; *ſicut apertè docet Div. Thom.* (b) *hoc manifeſtando*, & ex differentia, quæ reperitur inter gratiam, & ſanctitatem ſemel habitam, & ordinem ſemel habitum; quod gratia, & ſanctitas poteſt amitti in via, at ordo ſemel habitus numquam amitti poteſt etiam in via; illa quamvis in anima, non tamen in anima impreſſa; iſte eſt & in anima impreſſus; & ex differentia inter ſanctos homines, & miniſtros Eccleſiæ, quod miniſtrorum Eccleſiæ non eſt dare gratiam, ſed gratiæ Sacramentum, ac proinde in miniſtris Eccleſiæ non conſtituitur gradus ordinis ex hoc, quod habeant gratiam, ſed ex hoc, quod participent aliquod gratiæ Sacramentum; cęterum Sanctorum hominum eſt dare gratiam, non gratiæ Sacramentum, cum non ſint inſtrumenta conferendi gratiam Sacramentalem, ut ſunt illi, qui Ordines ſuſcipiunt; *& de facto ait D. Thom*, (c) miniſtri Eccleſiæ non præponuntur aliis, ut eis ex propriæ ſanctitatis virtute aliquid tribuant, quia hoc ſolius Dei eſt, ſed ſicut miniſtri, & quodammodo inſtrumenta illius effluxus, qui fit à capite in membra. Unde malè ajebant illi, qui volebant omnes ſanctos, qui verè ſancti ſunt ratione eorum maximæ Sanctitatis habere eamdem auctoritatem conſecrandi, & abſolvendi, quam habent alii Sacerdotes ordinati: arguebant enim ſic, non omnis Sacerdos Sanctus eſt, ſed omnis Sanctus Sacerdos eſt: quorum tamen fundamentum à ſummoliſtis diſſolvitur, quoniam eorum argumentum peccat per variationem appellationis, dum enim dicitur, non omnis Sacerdos Sanctus eſt, *ly Sacerdos* ſtat formaliter pro Sacerdote habente facultatem ex vi Ordinis conſecrandi, & abſolvendi; & quando dicitur, omnis Sanctus Sacerdos eſt, *ly Sacerdos* ſtat tantùm de materiali, quod eſt dicere quantum ad interpretationem ejus, non quantum ad ſignificationem hujus nominis, Sacerdotis, unde conſiderare debemus Sacerdotem quatenus ſacra dat; non quomodocumque ſcil. ſpiritualiter merendo, ſed ſpecificato modo, videl. Sacramenta Eccleſiæ diſpenſando, *juxta etiam D. Thom.*, (d) nomen Sacerdos eſt inſtitutum ad ſignificandum eum, qui ſacra dat in diſpenſatione Sacramentorum; quoad interpretationem verò hujus nominis Sacerdotis, ſecundum quod eſt idem, ac ſacra dans, dicitur de quolibet juſto: Sic enim quilibet juſtus, in quantum alicui per merita ſua dat, Sacerdotis interpretationem habet; Pariter hoc nomen Sacerdos & ſignificat id, quod eſt Sacer Sacra dans impetratoriè, & ſic verum eſt, quod omnis Sanctus eſt Sacer per gratiam Dei ſanctificantem ſacratus; non tamen omnis Sacerdos eſt ſanctus per gratiam Dei ſanctificantem ſacratus; *ut conſtat de Juda Iſcariote*, iſte enim proditor fuit Sacerdos, nam & ipſi Judæ in cœna data fuit poteſtas conſecrandi corpus Chriſti, & tamen ſine gratia, quia in peccato exiſtebat, nam *exinde Matt.*, (e) quærebat opportunitatem, ut eum traderet.

b in Suppl. q. 16. a. 1.

c ib. ad 2.

d ib. ad 1.

e cap. 26.

Deinde ſignificat id, quod eſt res, & hoc modo conſideratur *ly Sacerdos*, prout eſt perſona per traditionem materiæ ex prolatione formæ à legitimo miniſtro ordinata cum charactere impreſſo, & facultate ad ſacrificium Deo offerendum, ad quod offerendum ſufficit character, & facultas, non verò ſanctitas, ergo hæc ſanctitas de ſe non eſt ſufficiens, ut ipſa mediante conſequatur aliquis gradus Ordinis; ergo Sanctitas, atque gratia, immò & charitas, etſi altiſſima, ſine tamen ullo charactere Ordinis eſſe poteſt; character verò ſine gratia dari poteſt; igitur non ex merito vitæ conſequitur aliquis gradus Ordinis; licet ex alio capite requiratur bonitas vitæ ad hoc, ut ſuſcipiantur Ordines.

Et diligenter nota, quod nontantùm bonitas vitæ requiritur, ſed etiam ſcientia, non univerſaliter ſumpta, prout ſe extendit ad diverſos habitus ſcientificos, ut ad ſcientiam totius Scripturæ divinæ, ſed requiritur illa, quam determinat *Concilium Tridentinum approbans* (f) *doctrinam Div. Thomæ ſtatuit itaque*, quod minores Ordines his, qui ſaltem linguan latinam intelligant, per temporum interſtitia conferantur; Et deinceps cumque hinc ad altiores gradus, & ſacratiſſima myſteria ſit ingreſſus, nemo iis initietur, quem non ſcientię ſpes, majoribus ordinibus dignum oſtendat.

f Seſſ. 23. de Reſor. cap. 11.

Unde *ajebat Paulus*, (g) attende lectioni, exhortationi, & doctrinę, & ſemper permanes in his: eò quia per ſcientiam repudiatur otium, quod eſt origo majorum malorum; & per ignorantiam de facili errores, ac falſa dogmata ſequuntur: ignorantia namque mater cunctorum errorum eſt, ideòque à Sacerdotibus pręcipuè Dei evitanda eſt, cum jam ſuſceperint docendi officium in Eccleſia ejuſdem.

g ad Tim. 1. cap. 4.

Verùm quia multi ſunt occupati non in continua lectione Sacrę Scripturę, ſed in ſpeculatione rerum divinarum, ut Religioſi, hinc eſt, quod errant illi, qui aſſerunt neminem ad Sacerdotium dignè promovendum eſſe, niſi totam Sacram Scripturam calleret: ſed ſufficit dicendum, quod tantùm de ſcientia habeant, ut ſervare poſſint ea, quę ad Sacramentum perficiendum ſpectant: *Ob hoc & Div. Thom.* (h) aſſignat duos actus Sacerdotis, ad quos excercendos requiritur ſcientia, unus principalis ſupra corpus Chriſti verum, & alius ſecundarius, ſupra corpus Chriſti myſticum: ut per iſtos actus habeamus differentiam, quę debet eſſe inter Religioſos, qui curam animarum non habent, & inter Curatos, & Plebanos atque Epiſcopos, ſub quorum curam animę fidelium vivunt, atque ſunt. Primus actus committitur Religioſis, quibus non committitur cura animarum: unde ab ore eorum lex non requiritur, *eò quia legitur in vitis Patrum*, aliquos ſimplices Monachos ad Sacerdotium promotos, qui erant ſanctiſſi-

h in Suppl. q. 36. a. 2. ad 1.

mę

mæ vitæ; ſolùm ergo committitur Religioſis primus actus, cum ſolùm illis committatur, ut Sacramenta conficiant, ideòque ſufficit, ſi tantùm de ſcientia habeant, quod ea, quæ ad Sacramentum perficiendum ſpectant, ritè ſervari poſſiot. Curatis autem. atque Plebanis committitur & actus ptimus, & ſecundus, *ut ait Drv. Thom.*, & hoc, quia à talium ore populus legem requirit. *Unde Concil. Trident. ſtatuit*, (i) Archipræsbyteri quoque plebani, & quicumque Parochiales, vel aliàs curam animarum habentes Eccleſias quocumque modo obtioentes per ſe, vel per alios idoneos, ſi legitimè impediti fuerint, diebus ſaltem dominicis, & feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis; docendo ea, quę ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem; annuntiandoque eis cum brevitate, & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cęleſtem gloriam conſequi valeant.

i Seſſ. 5. de Reform. 2

Item exponere ea, qoæ in Miſſa leguntur, *ut habetur ex eodem*; etſi Miſſa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire viſum eſt Patribus, ut vulgari lingua paſſim celebraretur; quamobrem retento ubique cujuſque Eccleſiæ antiquo, & à Sancta Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum matre, & magiſtra probato ritu, ne oves Chriſti eſuriant, ne ve parvuli panem petant, & non ſit, qui frangat eis.

l Seſſ. 22. cap. 8.

Mandat Sancta Synodus paſtoribus, & ſingulis curam animarum gerentibus, ut frequeoter inter Miſſarum celebrationem, vel per ſe, vel per alios ex iis, quę in Miſſa leguntur, aliquid exponant; atque inter cętera Sanctiſſimi hujus Sacrificii myſterium aliquid declarent, diebus præſertim Dominicis, & feſtis. Decretum matrimonii explicare, *ut habetur ibid.* (m) ſidem etiam Epiſcopi ſaltem Dominicis, & aliis feſtivis diebus pueros in ſingulis Parochiis fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & parentes; diligenter ab his, ad quos ſpectabit, doceri curabunt, & ſi opus ſit etiam per cenſuras Eccleſiaſticas compellent. Vim, & uſum Sacramentorum explicare, *ut habetur ex eidem Concil.* (n) ut fidelis populus ad ſuſcipienda Sacramenta majori cum reverentia, atque animi devotiooe accedat; præcipit Sancta Synodus, Epiſcopis omnibus, ut non ſolùm cum hæc per ſeipſos erunt populo adminiſtranda; prius illorum vim, & uſom pro ſuſcipientium captu explicent; ſed etiam idem à ſingulis Parochis piè, prudenterque etiam lingua vernacula, ſi opus ſit, & commodè fieri poterit; ſervari ſtudeant joxta formam à Sancta Synodo in cathecesi ſingulis, Sacramentis præſcribendam, quàm Epiſcopi in vulgarem linguam fideliter verti, atque à Parochis omnibus populo exponi curabunt; nec non inter Miſſarum ſolemnia, aut divinorum celebrationem ſacra eloquia, & ſalutis monita eadem vernacula lingua, ſingolis diebus feſtis, vel ſolemnibus explanent, eademque in omnium cordibus poſtpoſitis inutilibus quæſtionibus inferre, atque eos in lege Domioi erudire ſtudeant. Videtor ergo, *ut docet Drv. Thom.*, (o) quod ſcientia legis in eis debet eſſe, non quidem, ot ſciant omnea difficiles quæſtiones legis, quia in his debet ad Superiores recurſus haberi, ſed ut ſciant ea, quæ populos debet credere, & obſervare de lege: & hæc quantom ſpectat ad Curatos, atque Plebanos.

m Seſſ. 24. de Reform. 4

n ib. cap. 7

o ad 2. ib.

Quantùm verò ad Epiſcopos attinet, *ſubdit ibid. Div. Thom.*, ſed ad ſuperiores Sacerdotes, ſc. *Epiſcopos*, pertinet, ut etiam ea quæ difficultatem in lege facere poſſunt, ſciant, & tantò magis quantò in majori grado collocantur: onde dicebat Apoſtolus, oportet Epiſcopum eſſe Doctorem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt argoere. Et *Div. Thom. docet*, talis ſcientia, *V. quæ ſufficiat ad hoc, ut dirigatur in actu Ordinis illius.* requiritur in eo, qui debet ad Ordines promoveri, & non quod univerſaliter in tota Sacra Scriptora ſit inſtructus, (multi namque promoventur ad Sacerdotium, qui penitus de talibus nihil ſciont, etiam quod peius eſt in Religionibus multis, in quibus viget ſtudium Sacrarum Scripturarum, defectus, qui pluries ſolent evenire ob negligentiam illorum, qui præſunt in illis,) ſed plus, vel minus ſecundum quod ad plura, vel pauciora ſe ejus officium extendit; ut ſcil. illi, qui aliis præponuntur, curam animarum ſuſcipientes, ſciant ea, quæ ad doctrinam fidei, & morum pertinent, & alii ſciant ea, quæ ad executionem ſui ordinis ſpectant. Et hæc omnia, ut doceant eos, qui ſub cura illorum vivunt, ſic *& Paulus ajebat*, attende tibi, & doctrinæ: attende ſtudere, ut evadere poſſis inſtructus de omnibus, quæ ſpectant ad virum Religioſum, ad illum, qui debet habere curam animarum, de omnibus namq; fidei myſteriis debet eſſe doctus, & ſapiens; inſta in illis, docendo alios, ut ſciant, quid credendum, quidve operandum ſit, ut ad vitam perveoire poſſint æternam. Hoc enim faciens, quia jam teoetur & facere, & teipſum ſalvum facies, adimplendo ea, quæ jam ſumpſiſti per Ordines, & per miniſterium Sacramentorum; & etiam eos, qui te audiunt, populum tibi ſubditum, cui ſemper paratus eſſe debes reddere rationem de fide, ſpe, ſaltem in communi; *Hinc D. Th.* (r) explicando *illud Petri* (ſ) *dictum, paratiſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem, de ea, quæ in vobis eſt, fide, & ſpe, oſtendendo in commum probabilitatem credibilium, & ſperandorum; ut ſciant*, docet, in communi probabilitatem fidei, & ſpei oſtendere, ad quod non requiritur multum magna ſcientia, non verò probando ſufficienter.

p in o. ib.

P. ſ. cap. 4. ad Timot.

r ib. ad 2. ſ 1. p. cap. 3.

Et hoc eſt, *quod docet D. Thom.*, ratio de fide, & ſpe reddenda, non eſt intelligenda talis, quæ ſufficiat ad probandum, quæ fidei, vel ſpei ſunt, cum otrumque de inviſibilibus ſit; fides enim ſperandarum ſubſtantia rerum argumentum non apparentium, eſtque de revelatis, & de noo apparentibus, atque de non viſis; ſpes eſt de non habitis, nam *juxta Paulum*, (u) quod videt quis, quid ſperat; Poteſt addi, quod non debent eſſe omnes parati ad ſatisfaciendum de rebus fidei poſcentibus, ot habeaot cognitionem totius teſtamenti veteris, & novi, ſed ſolùm illa cognitio utriuſque teſtamenti requiritur, ſi velint diſputare cum Hebræis, vel cum hæreticis: igitur non videtur, quod ſit ſimpliciter neceſſaria totius ſacræ Scripturæ ſcientia, cujus etiam intelligentia ſenſus litteralis licet pertineat ad ſuperiores Ordines, tamen rectè legere, & lecta benè pronuntiare ſpectat ad gradum Lectoratus præcipuè, ita ut bene legendo tollat confuſionem, & ponat diſtinctionem unius periodi ab alia; ot qui audiunt, recta intelligant, & qoi intelligant, ne ad riſum provocentur, male legendo; *unde D. Th.* (x) ad Lectorem non pertinet tradere intellectum Sacræ Scripturæ populo, quia hoc eſt ſuperiorum Ordinum, ſed ſolùm pronunciare, & ideò ab eo non exigitur, quod habeat tantùm de ſcientia, ut Sacram Scripturam intelligat, ſed ſolùm, quod rectè pronunciare ſciat: & quod dicitur de Lectoribus, non debet intelligi de aliis in majoribus ordinibus conſtitutis, ut ſunt Sacerdotes, in quibus non ſolùm ea cognitio requirenda eſt, quæ ad Sacramentorum uſum, & tractationem pertinet, ſed etiam Sacrarum literarum ſcientia inſtructos eſſe oportet, ut populo Chriſtiaoæ fidei myſteria, & divinæ legis præcepta, tradere ad virtutem & pietatem excitare, à vitiis revocare, fideles poſſit.

t eod. cap. 11

u cap. 8. Rom.

x ibid. 3

Nam Sacerdotis duo ſunt munera, alterum eſt, ut Sacramenta ritè conficiat, & adminiſtret: alterum, ut populum fidei ſuæ commiſſum iis rebus, & inſtitutis, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, erudiat. *Hoc deſumitur ex illo Malachiæ*, (z) labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt: Epiſcopi & ſi qui alii majores, quibus omnibus non ſufficit, ut ſciant legere, ſicut ſpectant ad Lectores, ut ſatisfaciant officio ſuo, ſed requiritur neceſſariò, & ut ſciant legere, & ea, quæ legunt, intelligere. Nam & docere alios oportet, per ipſos corrigere populum, & illi prædicare: *Sic ex Concilio Tridentino*, (y) prædicationis munus, quod Epiſcoporum præcipuum eſt, cupieos Sancta Synodus, quo frequentius poſſit ad ſalutem fidelium exerceri: Canones aliàs per hoc editos ſub fęlicis recordationis Paulo III aptius præſentium temporum uſui accommodando; mandat,

z cap. 2

y Seſſ. 24. de Reform. cap. 4

T 2 ut in

Digitized by Google

ut in Eccleſia ipſi per ſe, aut ſi legitimè impediti fuerint, per eos, quos ad prædicationis munus aſſument.

a Seſſ. 25. cap. 1.

Et *rurſus ab eodem Concil habemus*, illud verò diligenter doceant Epiſcopi per hiſtorias myſteriorum noſtræ Redemptionis, picturis, vel aliis ſimilitudinibus expreſſas erudiri, & confirmari populum in articulis fidei commemorandis, & aſſiduè recolendis &c. & hoc ne dicatur de ipſis illud, quod jam à Catone de quibuſdam dicebatur, legere, & non intelligere, negligere eſt; reddendi etenim ſunt digni de ſuſcipiendis ordinibus, & non ut indigni promoveantur ad Ordines; & hoc non ſolùm propter defectum ſcientiæ, verùm etiam propter carentiam bonorum morum.

b in Suppl. q. 36. a. 4.

Poſt meritum verò vitæ *Div. Thom.* (*b*) deſcendi ad demeritum ejuſdem, & quàm benè hoc inveſtigetur ab eodem Angelico Magiſtro ſatis apparet ex eo, quod deducit ex antecedenti, quoniam ſi ex merito vitæ non conſtituitur aliquis gradus Ordinis, à fortiori ex demerito vitæ non debet quis conſtitui dignus, ut promoveatur ad aliquem gradum Ordinis; & ſi quis promoveret indignus ad Ordinem, *nota*, erit ſemper reus peccati; maximè ſi hoc vel ſcienter, vel ex ignorantia craſſa, & quod majus eſt, ſi affectata, ut eſt illorum, qui non curant ſcire, immò quærunt neſcire ea, quæ ſcire tenentur ad hoc, ut liberius; & ſine tot ſcrupulis peragant, quod volunt; immemores illius ſtatuti *Sacri Concil. Trident.* (*c*) Quoniam ab Eccleſiaſtico Ordine omnis avaritiæ ſuſpicio abeſſe deber, nihil pro collatione quorumcumque Ordinum etiam clericalis tonſuræ, nec pro literis dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, nec alia quacumque cauſa, etiam ſpontè oblatum Epiſcopi, & alii Ordinum collatores, aut eorum miniſtri, quovis prætextu, accipiant.

c Seſſ. 21. de Refor. can. 1.

At ſciendum eſt, quod non tantùm agentes peccant, verùm & conſentientes; & per hoc intelliguntur repræſentantes, ut faciunt Religioſi, vel Plebani, vel ad quos attinet offerre Epiſcopis hos, vel illos, ut promoveantur ad Ordines. Ut ergo hæc omnia cum omni cautela fiant. *Statuit Concil. Trident.* (*d*) quod non ordinentur, niſi ab Epiſcopo in ſua diœceſi reſidente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti prævio examine. *Et iterum decrevit*, (*e*) ſciant tamen Epiſcopi non ſingulos in ea ætate conſtitutos debere ad hos ordines aſſumi, ſed dignos dumtaxat, & quorum probata ſenectus ſit. *Et rurſus* (*f*) Subdiaconi, & Diaconi ordinentur habentes bonum teſtimonium, hoc habere nequeunt, qui indigni ſunt, *ſic etiam ſtatuit*, (*g*) qui piè, & fideliter in miniſteriis anteactis ſe geſſerint, & ad Præsbyteratus Ordinem aſſumantur bonum habeant teſtimonium. *Et tandem*, cum nullus debeat ordinari, qui judicio ſui Epiſcopi non ſit utilis, aut neceſſarius ſuis Eccleſiis. Qui autem indignus eſt, quomodo poteſt eſſe utilis, immò & neceſſarius Eccleſiæ Dei? Meritò ergo, & omnibus modis excludi debent indigni ad ſuſcipiendos Ordines, nec debent promoveri ab Epiſcopis ad Ordinis gradus, qui bonis moribus non ſunt, ſicut nec qui odorem bonæ famæ non habent, ne fortè dicant gentes, quod non ob amorem Dei, ſed ob amorem ſui ipſius promoveantur indigni ad gradus Ordinis, non probentur, ſicut aurum probatur, ſed examine probentur, nec probentur per literas, ſed probentur, ſi literas ſciant; utatur charitate, non avaritia, parati benefacere, non accipere, quia benefaciendo diſtribuitur donum Dei, accipiendo verò eſt offuſcare donum Dei, *qui dixit*, gratis accepiſtis, gratis date: unde relinquantur munera, quia iſta excæcant oculos etiam juſtorum: & juſtitiam amplectantur.

d Seſſ. 23. can. 11. de Refor.
e Seſſ. 23. cap. 12.
f ib. c. 13.
g ib. c. 5.
h ib. c. 15.

i ib. in 2. arg. ſed c.

Et *ob hoc docet Div. Thom.*, (*i*) quod bona ſpiritualia non ſunt poſtponenda temporalibus, ne in peccatum incidatur, & illud peccatum mortale fiat: certum eſt enim ille peccatet mortaliter, qui poneret res Eccleſiæ ſub periculo; igitur ſi hoc ponere peccatum mortale eſt, multò magis erit mortale ponere res ſpirituales ſub periculo, ſub hoc autem ille ponit res ſpirituales, qui indignos promovet, & ideò peccat promovens ad ordines ſuſcipiendos, & fortiùs peccat, quia, *ut ait D. Th.*, (*l*) pejus eſt promovere malos ad ſacra miniſteria, quod jam promotos non corrigere, & ratio eſt, promovere malos ad ſacra miniſteria eſt abſolutè contra lege operari, promotos autem non corrigere non eſt abſolutè contra legem operari, quia vel aliquando licet, aliquando non expedit, aliquando aperitur aditus ad majus ſcandalum, maximè quando correctio non fit inter domeſticos, inter quos ſine dubio debet fieri opportunè, importunè, ne ſubdatur crimini lethali: *Exemplum de Heli*, (*m*) peccavit enim mortaliter non corrigendo filios ſuos de malitia eorum, etenim dormiebant cum mulieribus, quæ obſervabant ad oſtium Tabernaculi, quod graviſſimum eſt peccatum illorum Sacerdotum, qui ad offerendum Deo hoſtias ordinati ſunt, & ad ſerviendum altari. Ideò dixit Dominus, prædixi ei, quod judicaturus eſſem domum ejus in æternum propter iniquitatem, eò quod noverat indignè agere filios ſuos, & non corripuerit. *Hinc Hieronymus*, Heli Sacerdos pater Sanctus fuit; ſed quia filius non erudivit in omni diſciplina, & correctione, ſupinus cecidit, & mortuus eſt. Hoc ſit in documentum Patrumfamilias.

l ib. in 3. ſed c.
m 1. Reg. cap. 2.
n ib. cap.

Immò qui indignos promovet, reus infidelitatis conſtituitur reſpectu Domini Dei ſui, cujus ſervus eſt, quod fit tradendo alicui divina ſupra ejus menſuram, promovendos V. indignos ad gradus Ordinis; *ut deſumitur ex Div. Thom.*, infidelitatis reus eſt, qui alicui divina ſupra ejus menſuram tradit; hoc autem facit, quicumque indignum promovet, ac proinde crimen mortale committit, quaſi Summo Domino infidelis; reddetur ergo infidelis ſervus, quia vineam Domini, Eccleſiam ſc. non rectè cuſtodivit, dando illam genti non facienti fructus temporibus ſuis, V. indignis, ergo peccabit ille, qui promovebit indignos ad Ordines, cum *ut addit D. Thom.*, hoc ſit in detrimentum Eccleſiæ, & divini honoris, contra quem nulla eſt excuſatio, dùm malè agitur. Cum ergo malè agat Epiſcopus in promovendis non idoneis ad ipſos gradus Ordinis, quam excuſationem habere poteſt?

Forſan, quia pauci ſunt, qui ſerviunt Eccleſiæ? hæc non eſt excuſatio ſufficiens *reſpondet Clemens*, *dum ait*, (*o*) melius eſt habere paucos miniſtros bonos, quàm multos malos. Forſan, quia non poſſunt invenire miniſtros idoneos in Eccleſia Dei in ſufficienti numero? ſi hoc verum eſſet, ubi eſt providentia divina? admittitur iſta, admittatur etiam poſſe inveniri miniſtros idoneos in ſufficienti numero; *Eò quia habemus ex Div. Th.*, (*p*) quod Deus numquam ita deſerit Eccleſiam ſuam, quin inveniantur miniſtri idonei ſufficientes ad neceſſitatem plebis, ſi digni promoverentur, & indigni repellerentur: igitur non eſt attribuendum ex defectu divinæ providentiæ; nam irrevetendum eſt, *ut hoc dicatur* de ſummo proviſore, qui ita benè ordinavit omnia, ut non indiget auxilio alieno, ut benè omnia ſe habeant. Deus unus eſt, nec eſt alius Deus cum ipſo; dicatur ergo ſolùm, quod hoc provenit ex defectu hominum, qui multoties nolunt eos invenire. Ex quo motivo, vel cauſa, vel reſpectu hoc oriatur, vel ob quod Deus ſcit; & utinam nos neſciremus.

o In Ep. 3. ad Iacobum fr. Dei.
p ib. ad 1.

Relinquantur ergo reſpectus mundani, iſti enim citò tranſeunt veluti flores, nam ſi mane conſiderentur validi, veſpere pro nihilo habentur. Relinquantur ergo iſti, & præſerantur idonei ab indignis, eò modo, quo præferuntur idonei in rebus temporalibus ab indignis, qui poſſunt diſſipare illas, per hoc diſcant ex D. Th. præferente ineptum ad gubernationem rerum temporalium, tamen ſanctum, & doctum indocto, & malo, licet æconomo experto: quia temporalia non ſunt quærenda, niſi propter ſpiritualia, omne enim incommodum temporale, *inquit D. Th.*, (*q*) deberet eligi, & omne diſpendium propter bonum ſpirituale promovendum; ergo Epiſcopus tenetur maximam adhibere diligentiã, ad ſciendum, an illi, qui ad Ordines accedunt, ſint digni, & hæc diligentia conſiſtit inveſtigare de moribus; *ut ait D. Th.*, (*r*) habeatur certitudo de qualitate promovendorum ſaltim ex teſtimonio aliorum; *ſic & Paulus teſtatur*, (*ſ*) nemini citò manũ impoſueris, V debet Epiſc. prius habere de qualitate ordinandorũ cognitionẽ, non tamen

q ib. ad 2.
r ib. ad 3.
ſ 1. ep. cap. 5. ad Tim.

Digitized by Google

tamen negativam, V. quod ordinans nihil habeat contrarium de ſanctitate ordinandorum; quia ſtat illud dictum, *non probatus malus habetur pro bono in jure*; ſed illam poſitivam, quæ, qualis, & quanta debeat eſſe, & quibus modis, quia his omnibus maturè diſcuſſis de facili poteſt Epiſcopus in cognitionem venire, & ſic etiam ſervabitur illud, *quod à Concilio Trident. ſtatutum fuit locis citatis*.

At quid dicendum de illo, qui promotus ad gradus Ordinis exiſtit in peccato mortali; poteſtne iſte talis ſine peccato ordine ſuſcepto uti? Ad hoc dicendum eſt, talem peccare, cum lex præcipiat, ut homo juſtè ea, quæ juſta ſunt, exequatur, tunc autem ea juſtè exequitur, quando Sacra mundo corde miniſtrentur, & taliter mundo corde debent ſacra miniſtrari, quod illis ineſſe non debet aliqua macula, hoc eſt aliquod vitium, *ut ex dicto Gloſſæ Levitici loco ſupra citato*, homo de ſemine Aaron, hoc eſt de genere Sacerdotali, qui habuerit maculam, *per quam intelligitur vitium*, cum omnes maculæ ibid. enumeratæ figuraliter omnes denotent vitium aliquod; non offerat panem coram Domino, non ſacrificium faciat, ſacrificium autem debet eſſe mundum, cum & panis mundus eſſe debeat; ergo & illi, qui ſacrificium faciunt, mundi eſſe debent ab omni iniquitate, *ut colligitur etiam ex Div. Paulo ad Timot.*, (t) ſic miniſtrent, nullum crimen habentes: Etſi aliquo crimine gravati ſint, emundetur conſcientia lavacro pœnitentiæ, *habetur enim in Exodo*, (u) lavabunt in aqua Aaron, & filii ejus manus ſuas, ac pedes.

t 1. ep. cap. 3.
u cap. 30.

In aqua, cum aqua, quantum eſt ex natura ſua, habeat omnem immunditiam emundare, *lavabunt Aaron, & filii ejus*, quia nedùm Pontifex lavare, ac purgare conſcientiam ſuam debet, ſed etiam minores Sacerdotes accedentes ad miniſterium altaris; *manus ſuas ac pedes*, iſtæ partes, ſive membra corporis præcipuè nominantur, ac principaliter, quia in eis principalius ſordes apparent, & licet voluntas ſordeſcat in malo, in illa tamen malum non apparet, licet cogitatum, ac volitum, illud autem malum, quod à voluntate appetitur, manus, ac pedes ſemper paratæ ſunt, ac prompti inveniuntur ad illud perpetrandum; *unde legitur de manibus Proverb.* (x) manus effundentes ſanguinem innoxium: *& de pedibus*, (y) veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem, & idcircò meritò intelligi debent per manus, ac pedes peccata, & lavare illas, ſicut & illos debet intelligi expurgatio peccatorum, & emundatio eorundem.

x cap. 6.
y Pſal. 13.

Quando ingreſſi ſunt tabernaculum teſtimonii, & quando acceſſuri ſunt ad altare, ut offerant thymiama Domino; per quæ verba intelligi debet non ſolùm quando ingreditur templum Domini ad ſacrificandum, vel etiam quando actualiter ſacrificatur; ne fortè moriantur, hoc eſt, ne fortè ira Dei convertatur in furorem contra miniſtros iniquè agentes; ergo paveant iſti, & contremiſcant, dùm accedunt ad reverendum altare, in peccato exiſtentes; reminiſcantur, & convertantur ad Dominum, quia ſic à peccatis mundati ſancta ſanctè, & dignè pertractabunt mundo corde; hæc enim eſt munditia illa, quæ exigitur præſertim, ut ſancta ſanctè pertractentur; quia licet non requiratur quæcumque ſanctitas in ſuſceptione Ordinis, requiritur tamen illa, quę facit miniſtrum idoneum ad executionem ſui Ordinis, *ut Div. Thom.* (z) *aſſerit* Sanctitas vitæ requiritur in ſuſcipiente Ordinem, ut ſit idoneus ad exequendum. Verum ſi iſta ſanctitas, quæ reddit miniſtrum idoneum ad executionem Ordinis, requiritur in ſuſcipiente, ſine ullo prorſus dubio, multò magis requireretur ſanctitas in executione Ordinis, & hoc juxta illud axioma, *propter quod unumquodque tale, & illud eſt magis tale*.

z in ſuppl. q. 36. ar. 1.

Sanctitas, quæ ita neceſſaria eſt ad executionem Ordinis, ut nullam admittat excuſationem in illo Parocho, vel Curato, de quorum munere eſt adminiſtrare Sacramenta, Miſſam celebrare, in peccato mortali exiſtentibus; & ex alio capite habentibus neceſſitatem adminiſtrandi aliquod Sacramentum, ut Miſſam celebrandi in die magnæ ſolemnitatis; non enim, *inquit D. Thom.*, (a) eſt perplexus, ut neceſſitatem peccandi habeat; tollatur voluntas peccandi; ab iſta namque, & non ab alia potentia provenit talis neceſſitas peccandi, per voluntatem utique peccamus, & non per alias potentias, hinc dicitur, nullum eſſe peccatum, niſi voluntarium; & ſtatim peribit neceſſitas peccandi. Unde *ſubdit Div. Thom.*, poteſt peccatum dimittere eliciendo, ſcil. actum veræ contritionis, & doloris offenſæ Deo factæ cum propoſito non amplius delinquendi ob amorem Dei, (per quem debet ſemper, ſaltem in præparatione animi paratus eſſe etiam effundendi ſanguinem, ut charitas magis, ac magis in nobis eluceſcat erga Deum, ne ingrati ſimus pro tantis beneficiis, quæ quotidie nobis largè imparritur) aliàs ſi hoc non faceret, peccaret mortaliter; nec ulla eſt diſpenſatio circa hoc, quia, *ut ait Div. Thom.*, (b) jus naturale eſt indiſpenſabile; cum autem ſit de jure naturali, ut homo ſancta ſanctè pertractet, jam homo debet eſſe conſtitutus in gratia, vel conſtitui ſaltem per actum contritionis, qui conſiſtit in dilectione Dei ſuper omnia; & quod ſic de jure naturali, ut homo ſancta ſanctè pertractet, nullum debet eſſe dubium, cum & dictamen rationis hoc petat, ac ſuggerat.

a ib. ad 1.
b ib. ad 2.

Additur à Div. Thom., (c) vel officium reſignare, ex quo obligabatur ad ordinis executionem; & ſi hoc non poteſt bene fieri propter ſcandalum aliorum, quod eveniret, liberet ſe ab illa neceſſitate, hoc eſt, ab illa occaſione peccandi, quæ ferè neceſſitatem inducit, & tunc dimittet peccatum, & dimittendo peccatum non elongabitur à Deo, ac proinde tunc etiam non tenebitur reſignare officium, quoniam & tunc ſancta ſanctè pertractabit.

c ib. ad 1.

Et hoc quoad Deum: nam quoad populum aliter eſt dicendum: dicendum eſt ergo, quod ex eo, quod Parochus, vel Curatus in peccato exiſtat, populus illorum curæ ſubiectus non debet abſtinere à ſuſceptione Sacramenti ab illis, ſed abſque ſcrupulo poterit ab eiſdem Sacramentis ſuſcipere, quamdiù ab Eccleſia tolerantur: ut deſumitur *ex Div. Thom.*, (d) quamdiù miniſter Eccleſiæ, qui eſt in peccato mortali, ab Eccleſia ſuſtinetur, ab eo Sacramenta ejus ſubditus recipere debet, quia ad hoc eſt ei obligatus.

d ib. ad 3.

Ultrà hoc *D. Th. proponit caſum*, & eſt, ad quid teneatur illa perſona devota, quæ quolibet die Dominico ex devotione confitetur. Teneturne, vel confeſſionem relinquere, vel ſine neceſſitate inducere Curatum ad Sacramentum pœnitentiæ miniſtrandum? Hunc caſum reſolvit *Div. Thom. ibid. dicendo*, illa perſona deponere poſſet conſcientiam, quam habet de ſuo Curato, quod ſit in peccato mortali, cum hac conſideratione quod in inſtanti homo à divina gratia emundatur, vel emundari poteſt, quia Spiritus Dei ubi vult ſpirat, & quando vult.

Sed videtur eſſe conſideratione dignum, ſi parochus vel Curatus exiſtat in peccato mortali, & utendo Ordine ſuo peccet, ac proinde ſequitur, quod quilibet actus Ordinis, quem facit, ſit peccatum mortale: *cum de facto D. Th. doceat*. (e) quod quandocumque homo exhibet ſe in aliquo actu, ut miniſter Eccleſiæ in peccato mortali exiſtens, mortaliter peccat, & toties quoties hujuſmodi actum facit: quia *ut ait Dionyſius*, (f) immundis, nec ſymbola: (Sacramentalia ſigna) tangere fas eſt: ob reverentiam, quæ illis debetur.

e ib. ad 4.
f cap. 3. de Caleſt. hier.

Unde *ſubdit* D. Th., quando tangunt res Sacras, quaſi ſuo officio utentes, peccant mortaliter; ſic ergo præbendo Sacram communionem in peccato mortali peccant mortaliter, intellige tamen præter caſum neceſſitatis. *ut aſſerit* D. Th., ſecus autem eſſet, ſi in aliqua neceſſitate aliquod ſacrum contingerent, vel exequerentur, in illo caſu, in quo etiam laicis gravatis culpa mortali hoc liceret: certum eſt enim, quod in articulo neceſſitatis laici gravati culpa mortali baptizare poſſunt abſque eo, quod incurrant in aliquod peccatum, immò & colligere poſſunt corpus Chriſti in terra projectum, eò quia abſque dubio melius eſt illud tangi à manibus polluris, quàm pedibus conculcari: & hoc quia & infideles, hæretici, ſchiſmatici in articulo neceſſitatis baptizare poſſunt abſque eo, quod in-

juriam aliquam Eccleſiæ Dei faciant; ſicut & tangere Corpus Chriſti projectum in terra, vel in aliquo alio loco immundo, ſi debita reverentia illi præſtarent.

Super Quæſtionem Trigeſimam Septimam.

De diſtinctione Ordinum.

ORdo, ut Sacramentum eſt, oportet eſſe in Eccleſia Dei, à qua ſemper traditum fuit non ſolum numero ſeptenario omnes Ordines contineri, quorum nomina hæc ſunt, *Oſtiarius*, *Lector*, *Exorciſtas*, *Acolytus*, *Subdiaconus*, *Diaconus*, *Sacerdos*: Horum autem multitudo Ordinum inducta eſt in Eccleſia, ut ſapientia divina magis commendetur, hæc enim relucet tùm in rebus naturalibus, tùm in ſpiritualibus, *ut verificetur illud, ea, quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt*. Et ut magis, & faciliùs ſubveniatur humanæ infirmitati, non enim per unum poterant omnia, quæ ad divina myſteria pertinebant expleri ſine magno gravamine; *ut habetur de Moyſe*, cui dedit Dominus 70. ſenes populi in adjutorium; & ut via proficiendi hominibus amplior detur, dùm plures in diverſis officiis diſtribuuntur, ut omnes ſint Dei cooperatores, quo nihil eſt diviniùs; & juxta numerum ſeptenarium Ordinum opus eſt, ut tot etiam ſint ſpecialia miniſteria exercenda circa Sacramentum Euchariſtiæ, unde meritò diſtinctio Ordinum eſt accipienda ſecundum relationem ad ipſam, de quibus, ſicut & de illis, qui majores, & minores Ordines dicuntur, dicemus.

Ordines, quod ſint plures, & quod plures etiam diſtingui debeant, *poſt aſſertionem* D. *Thom. infrà adducendam eſt etiam aſſertio Concilii Trident.* (a) *ubi habetur*, cum autem divina res ſit tam Sancti Sacerdotii miniſterium, conſentaneum fuit, ut in Eccleſiæ ordinatiſſima diſpoſitione plures, & diverſi eſſent miniſtrorum Ordines, qui Sacerdotio in officio deſervirent. Pariter, & quod debeant diſtingui, *habetur ibidem, dùm legitur*, & ita diſtributi, ut qui jam clericali tonſura inſigniti eſſent, per minores ad majores aſcenderint; *Nam non ſolùm de Sacerdotibus, ſed & de Diaconis* ſacræ literæ mentionem faciunt, & quæ maximè in illorum Ordinatione attendenda ſunt, graviſſimis verbis docent, & ab ipſo Eccleſiæ initio, ſequentium Ordinum nomina, atque uniuſcujuſque eorum propria miniſteria, *Subdiaconi*, ſcil. *Acolyti, Exorciſtæ, Lectoris, & Oſtiarii* in uſu fuiſſe cognoſcuntur, quamvis non pari gradu. Nam *Subdiaconatus* ad majores Ordines à Patribus, & à Conciliis refertur, in quibus & de aliis inferioribus frequentiſſimè legimus. *Hoc autem determinavit Concilium*, nam in primitiva Eccleſia ob paucitatem miniſtrorum omnia inferiora miniſteria Diaconibus committebantur, *docet D. Th.* (b) *referens Dionyſium dicentem*, (c) miniſtrorum alii ſtant ad portas templi clauſas, alii aliud proprii Ordinis operantur; alii Sacerdotibus proponunt ſuper altare ſacrum panem, & benedictionis calicem. Nihilominus erant omnes prædictæ poteſtates, ſed implicitè in una Diaconi poteſtate, ſed poſtea eſt ampliatus cultus divinus, & Eccleſia, quod implicitè habebat in uno Ordine, explicitè tradidit in diverſis, & hoc maximè quia omnes Ordines primitiva Eccleſia à Chriſto inſtitutos cognoverit.

a Seſſ. 23. cap. 2.
b In Suppl. q. 37. a. 2. ad 2.
c De Cæl. hier. c. 3.

Chriſtus namque Dominus perſonaliter per ſemetipſum actus Ordinum eſt dignatus exequi. *Actum Oſtiariatus*, quando facto flagello de funiculis immundos venditores, & emptores ejecit de templo, *ut legitur Joan* (d) & cum feciſſet, quaſi flagellum de funiculis omnes ejecit de templo, oves quoque, & boves, & numulariorum effudit es, & menſas ſubvertit.

d cap. 2.

Actum Lectoratus, quando in Synagoga accipiens librum Iſaiæ Prophetæ legit, Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me, Evangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captivis remiſſionem, & cæcis viſum, remittere confractos, in remiſſionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis, *legitur Lucæ.* (e)

e cap. 4.

Actum Exorciſtatus, quando plures à dæmonibus vexatos liberavit, *ſic Lucæ*, (f) increpavit illum dicens, obmuteſce, & exi ab eo. *Sic & Marci.* (g) Pariter *legitur Lucæ*, (h) & erat eiiciens dæmonium, & cum ejeciſſet dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ; *ſic & legitur Matt.* (i) Pariter *legitur Lucæ de Maria Magdalena*; (l) Maria, quæ vocatur Magdalenæ, de qua ſeptem dæmonia exierant; & quod fuerit illa, de qua ſcriptum eſt, quod dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum, nullum eſt dubium, *cum etiam Marcus dicat*, (m) ſurgens autem mane prima Sabbathi, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua exierant ſeptem dæmonia.

f ibid.
g cap. 1.
h cap. 11.
i cap. 6.
l cap. 8.
m cap. 16.

Actum Acolytatus, quando dixit, ego ſum lux Mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ; & meritò vocabatur lux Mundi, *nam & Joannes ait*, (n) quoniam Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ.

n cap. 1.

Actum Subdiaconatus, quando miſit aquam in pelvim, *ut legitur Joan.* (o) cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe; Deinde mittit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.

o cap. 13.

Actum Diaconatus, quando poſt cœnam Sacramentum carnis, & ſanguinis diſpenſavit diſcipulis ſuis dicens, *Matt*, (p) accipite, & comedite, hoc eſt Corpus meum, bibite ex eo omnes.

p cap. 26.

Actum Sacerdotii, quando conſecravit Euchariſtiam dicens, hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus. Has autem inſtitutiones Chriſti Domini non eſt dicendum Eccleſiam primitivam ignoraſſe. *Immò à* D. *Thom* (q) *aſſignantur tria, propter quæ Ordinum multitudo eſt inducta.*

q in Suppl. q. 37. a. 2.

Et primò propter Dei Sapientiam commendandam, quæ in diſtinctione rerum maximè relucet ordinata; tùm in naturalibus pulcherrimo Ordine in hoc univerſo creatis; tùm in ſpiritualibus, quod ſignificatur in hoc, quod Regina Saba videns ordinem miniſtrantium Salomoni, non habebat ultrà Spiritum deficiens in admiratione ſapientiæ illius, *ſicut legitur in lib. Regum*, (r) videns autem Regina Saba omnem ſapientiam Salomonis, & domum, quod ædificaverat, & cibos menſæ ejus, & habitacula ſervorum, & ordines miniſtrantium, veſteſque eorum, & pincernas, & holocauſta, quæ offerebat in domo Domini, non habebat ultra ſpiritum.

r Lib. 3. cap. 10.

Secundò ad ſubveniendum humanæ infirmitati, & ideò diſtinguuntur in Eccleſia Ordines diverſi ad diverſa officia, ſic & Dominus dedit Moyſi ſeptuaginta ſenes populi in adjutorium, *ut habetur Num.* (ſ) congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, quos tu noſti, quod ſenes populi ſint, ac magiſtri, & duces eos ad oſtium Tabernaculi fœderis, & facies ibi ſtare tecum; ut deſcendam & loquar tibi, & auferam de ſpiritu tuo, tradamq; eis, ut ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graveris; *Et ideò ait* D. Th., quia per unum non poterant omnia, quæ ad divina myſteria pertinebant expleri ſine magno gravamine.

ſ cap. 11.

Tertiò, ut via perficiendi hominibus amplior detur, dùm plures in diverſis officiis diſtribuuntur, ut omnes ſint Dei cooperatores, quò nihil eſt diviniùs, homines ergo ſunt Dei cooperatores cooperando ſalutem animarum in conficiendis, & adminiſtrandis Sacramentis fidelibus populis.

Pariter Eccleſia eſt corpus myſticum Chriſti ſimile corpori naturali, in quo cum ſint diverſa membrorum officia, mirum non eſt, ſi & in Eccleſia, cum ſit corpus Chriſti myſticum, diverſi Ordines ad Eccleſiæ diſpoſitionem eſſe debeant, etenim hæc pluralitas Ordinum in pluribus miniſtris veteris teſtamenti reperiebatur. Unde & Sacerdotes, & miniſtri Sacerdotum Levitæ ſanctificabantur; ſi ergo in miniſterio veteris teſtamenti hæc omnia inveniebantur, meritò illa pluralitas Ordinum à Chriſto Domino inſtituta non erit deneganda. Immò miniſterium

rium novi teſtamenti eſt dignius, quàm veteris? Etſi dignius, ſine dubio concedendum erit etiam, quod & in novo teſtamento Sacerdotes, & miniſtri eorum conſecrari debent per Ordinis Sacramentum, qui tamen ordo licet dividatur in plures Ordines, unum tamen Sacramentum eſt; & ecce quomodo unitas, & pluralitas in Sacramento Ordinis reperitur: unitas in Sacramento, cum omnes contineantur in uno, pluralitas in Ordinibus, cum diverſi ſint gradus Ordinum.

Ex quibus magnum etiam apparet diſcrimen inter hoc & alia Sacramenta, quod alia dantur ad effectus aliquos percipiendos, unus enim recipit, & alius dat. Hoc autem principaliter datur ad actus aliquos agendos, & quia multa, ac diverſa ſunt agenda, ideò debent eſſe multi miniſtri, quorum quilibet agat id, quod ad eum ſpectat; *juxta D. Th.* (t) ſecundum diverſitatem actuum oportet, quod Ordinis Sacramentum diſtinguatur, ſicut potentiæ diſtinguuntur per actus. Quę tamen diſtinctio Ordinis non eſt totius integralis in ſuas partes, neque totius univerſalis, ſed totius potentialis, cujus hæc eſt natura; quod totum ſecundum completam rationem eſt in uno, in aliis autem eſt aliqua participatio ipſius, quod totum videtur manifeſtum in Sacramento Ordinis, tota namque plenitudo hujus Sacramenti eſt in uno Ordine, V. Sacerdotis; in aliis verò eſt quædam participatio Ordinis: ex quibus videtur, quid ſentiendum ſit de Ordinibus, qui quamvis ſint ſeptem, non tamen ſeptem Sacramenta dicenda ſunt, ſed unum tantùm *juxta Concilium Trident.*, (a) ſeptem eſſe Sacramenta, & non eſſe plura, nec pauciora, quàm ſeptē, aliàs ſi quis oppoſitum dixerit, anathematizetur.

t ibid. a. p. ad 1.

a Seſſ. 7. can. 1.

Diximus, *quod tota plenitudo hujus Sacramenti eſt in Sacerdotio, & in aliis quædam participatio ordinis*, quia per hoc omnes ad unum ordinari volumus; unde non excluduntur poteſtates miniſtrorum ex eo, quod tota plenitudo poteſtatis reſideat penes Sacerdotium; ſicut nec ex eo, quod tota plenitudo poteſtatis reſideat apud Regem, excluduntur miniſtrorum poteſtates, quæ ſunt participationes quædam Regiæ poteſtatis, *propter quod à Div. Thom.* (x) comparatur Eccleſia, & Ordines, qui ſunt in illa, terreno Regno, non verò Ariſtocratiæ, quia in illo quamvis tota plenitudo poteſtatis reſideat penes Regem, poteſtates tamen miniſtrorum non excluduntur ob participationem Regiæ poteſtatis; in Ariſtocratia autem apud nullum reſidet plenitudo poteſtatis, ſed apud omnes, hoc eſt in tota communitate ſimul congregata; ideòque non debet eſſe mirum, ſi Regnum Eccleſiæ, *cum inter omnia nobiliſſimum ſit*, debeat eſſe in illo diſtinctio Ordinum ad diverſos actus, ſecundum quam diverſitatem actuū, & Sacramentum Ordinis diſtinguitur, *ut diximus*.

x ib. ad 3.

Juxta quam pluralitatem aſſignatur & numerus Ordinum, & licet ſint plures, non excedunt tamen numerum ſeptenarium, *juxta Concilium Trident.* (y) quo in loco ſolùm colligitur ſeptem Ordines, Vid. *Sacerdotium*, *Diaconatum*, *Subdiaconatum*, *Exorciſtatum*, *Lectoratum*, *Acolytatum*, *& Oſtiariatum*; & iſtos Ordines dividit *idem Concilium* in majores, & minores, *unde & ſtatuit*, ſi quis dixerit, præter Sacerdotium non eſſe in Eccleſia Catholica alios ordines & majores, & minores, per quos, velut per gradus quoſdam in Sacerdotium tendatur, anathema ſit. Ergo *juxta Concilium*, *& juxta D. Th.* (a) non ſunt audiendi illi ponentes Ordines eſſe novem, enumerando *& Epiſcopatum*, *& Pſalmiſtatum*; quorum fundamentum omninò tollitur, licet deſumptum videatur eſſe *ex Apoſtolo dividente*, *gratias gratis datas in novem*, *dixit enim*, (b) alii datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, alii datur ſermo ſcientiæ ſecundum eumdem ſpiritum, alteri fides in eodem ſpiritu, alii gratia ſanitatum in uno ſpiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum; dicebant enim, quod ſermo ſapientiæ competit *Epiſcopo*, quia ipſe aliorum ordinator eſt, quod pertinet ad Sapientiam: Sermo ſcientiæ *Sacerdoti*: quia debet habere clavem ſcientiæ: fides *Diacono*, qui prædicat Euangelium; opera virtutum *Subdiacono*, qui ſe ad opera perfectionis extendit ad votum continentiæ; interpretatio ſermonum *Acolyto*, quod ſignificatur in lumine, quod defert; Gratia ſanitatum, *Exorciſtæ*, genera linguarum, *Pſalmiſtæ*; Prophetia, *Lectori*, diſcretio ſpirituum *Oſtiario*, qui quoſdam repellit, & quoſdam admittit. Ruitur ergo hoc fundamentum, quia gratiæ gratis datæ non dantur eidem, ſicut ordines eidem dantur. Unde *dicebat Paulus*, diviſiones gratiarum ſunt, non diviſiones Ordinum; Etenim *Epiſcopatus* non eſt ordo, ſed potiùs dignitas, & ſi eſt ordo, non tamen ille, qui ordinatur ad conficiendum corpus Chriſti verum, quod eſt Sacramentum, cum in hoc non diſtinguatur à gradu Sacerdotali, ſicut nec *Papatus* ab illo diſtinguitur; benè tamen in ordine ad Corpus Chriſti myſticum, quod eſt Eccleſia; & hoc magis apparet ex eo, quod *Epiſcopatus* non eſt Sacramentum imprimens characterem.

y Seſſ. 23 cap. 2.

z ib. can. 2

a in Suppl. q. 37. a. 2.

b p. cap. 12 ad Corint.

Pariter *Pſalmiſtatus* non eſt ordo, ſed eſt officium ex commiſſione ſimplici Præsbytero commiſſum, *juxta Div. Thom.* (c) Pſalmiſtatus non eſt ordo, ſed officium Ordini annexum, videtur ergo, quod propriè non dicitur ordo. Ideò enim dicitur *Pſalmiſta Cantor*; quia Pſalmi cum cantu pronunciantur; *Cantor* autem non eſt nomen Ordinis ſpecialis, cum cantare toti conveniat communiter Choro; & etiam quia non habet aliquam ſpecialem relationem ad Sacramentum Euchariſtiæ; largè tamen dicitur ordo, quia, *ut ſubdit D. Th.*, officium quodam eſt, ideòque aliquando computatur inter ordines largo modo acceptos.

c ib. ad 5.

Sicut nec audiendi ſunt illi ponentes octo Ordines, nam ultrà ſeptem *Epiſcopatum* ponebant.

Ex rejectione verò harum opinionum magis relucet veritas D. *Thom.* (d) ponentis ſeptem Ordines, unde ait, Ordinis Sacramentum ad Sacramentum Euchariſtiæ ordinatur, quod eſt Sacramentum Sacramentorum, ergo diſtinctio Ordinum accipienda eſt ſecundum relationem ad Euchariſtiam, quia poteſtas Ordinis vel eſt ad conſecrationem ipſius Euchariſtiæ, vel ad aliquod miniſterium Ordinatum ad ipſam Euchariſtiam. Si primo modo, *Sic eſt Sacerdotium*, unde quando ordinantur Sacerdotes, accipiunt calicem cum vino, patenam cum pane, accipientes poteſtatem conficiendi corpus, & ſanguinem Chriſti.

d ib. ar. 2 in O.

Secundo loco *eſt Ordo Diaconorum* pręſentantium Sacerdoti vaſa ſacra cum pane, & vino.

Tertio loco *eſt ordo Subdiaconorum* pręſentantium vaſa ſacra.

Quarto loco *eſt Ordo Acolytorum* invenientium, & portantium in urceolis vinum, & aquam ad conſecrandum, & candelas accendentium in uſu Sacrificii.

Quinto loco *eſt Ordo Oſtiariorum* expellentium ab aſſiſtentia Sacrificii & à templo indignos.

Sexto loco *eſt Ordo Exorciſtarum* expellentium dęmones ab Energumenis, qui ſunt fideles, & inſtructi, ſed impedimentum habentes ex dęmonis poteſtate.

Septimo loco *eſt Ordo Lectorum* legentium Prophetias, & præcipuè vetus teſtamentum eis legendum committitur propter Catechumenos inſtruendos.

Et licet Ordines hierarchici ſint tres, ſ. *purgare*, *illuminare*, *& perficere*, non per hoc dicendum eſt eſſe tres Ordines: Nam D. *Dionyſius*, *qui hoc pronunciavit*, ſolùm loquitur de ordinibus, non ſecundum quod ſunt Sacramenta, ſed ſecundum quod ad hierarchicas actiones ordinantur, *juxta mentem* D. *Th.* (f) corroboratam *à Concil. Trid.* (g) *ſtatuente*, ſi quis dixerit, In Eccleſia Catholica non eſſe hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Præsbyteris, & miniſtris; anathema ſit. Unde *ſubdit* D. *Th.*. ſecundum illas actiones tres ordines diſtinguit, quorum primus habet omnes illas tres, ſ. *Epiſcopus*: Secundus habet duas perficere, & purgare, ſ. *Sacerdos*; Tertius habet unam purgare, ſ. *Diaconus*; ſub quo omnes inferiores Ordines compræhenduntur; & de facto in primitiva Eccleſia omnia inferiora miniſteria Diaconibus committebantur; non ergo Ordines habent, quod ſint Sacramenta ſecundum has hierarchicas actiones, ſed ſolùm, quod ſint talia ex relatione ad maximum Sacramentum, ideòque ſecundum hoc debet numerus Ordinum accipi; talis

e de Cœl. hier. c. 3.

f ib. ad 1.

g Seſſ. 23. can. 6.

Digitized by Google

autem numerus non excedit ſeptenarium, & ob hoc rejicitur etiam opinio illorum aſſerentium Ordines eſſe totidem, quot ſunt Ordines Angelorum, cum autem Angelorum Ordines dividantur in novem choros, hinc aſſerebant, eſſe debere & novem Ordines in Ecclesia; & rejicitur illa opinio à *D. Thom.* (*b*) *aſſignante differentiam inter Angelos, & homines, repertam in Ordine ad diverſum modum accipiendi divina*. In Angelis namque ſunt hierarchiæ, quia in illis eſt diverſus modus accipiendi divina; & hoc non ob aliud, niſi quia differunt ſpecie; & ideò in illis etiam diſtinguuntur diverſæ hierarchiæ, & ſunt tres, in quarum quælibet ſunt tres Ordines; In prima eſt Ordo *Seraphim, Cherubim, & Thronorum*; In ſecunda *Dominationum, Virtutum, & Poteſtatum*; In tertia *eſt Ordo Principatum, Archangelorum, & Angelorum*: In hominibus verò datur tantùm una hierarchia propter unum modum accipiendi divina, qui conſequitur humanam ſpeciem, ſcil. per ſimilitudines rerum ſenſibilium, quod eſt etiam, quod *docet D. Th.* (i) *dum ait*, omnes homines ſunt unius ſpeciei, & unus modus intelligendi eſt eis connaturalis, non autem ſic in Angelis; & ideò licet in Angelis plures ſint hierarchiæ propter differentiam ſpecierum, quæ reperitur inter ſe, unuſquiſque enim Angelus ſuam conſtituit ſpeciem, non tamen ſunt plures in hominibus ſpecies, ſed una tantùm, in qua omnes dicunt convenientiam. In divinis, quod dicitur ob majorem intelligentiam, licet ſit ordo naturæ, non tamen eſt hierarchiæ, immò nec hierarchia, cum iſtæ tres perſonæ Pater, Filius, & Spiritus Sanctus conveniant in unum.

(b) ib. ad 4.

(i) 1. p. q. 108 a. 2.

Ordines ergo eſſe ſeptem, *conſtat ex dictis, ſicut illos divid. in Sacros, & non Sacros, hoc eſt in majores, & minores*; *Majores* ſacri dicuntur, non quia tantùm ſecundum ſe ſint ſacri, cum *& minores* ſecundum ſe conſiderati ſacri dicantur, *juxta Div. Thom.* (*l*) ſi ordo conſideretur ſecundum ſe, ſic quilibet ordo eſt ſacer; cum ſit Sacramentum quoddam, quod debet intelligi non ſecundum totam plenitudinem Sacramenti, ſed per quamdam plenitudinis participationem, in quantùm quod omnes ordines ſunt unum Sacramentum. Verùm etiam ratione materiæ, circa quam habet aliquem actum, & ſic Ordines Majores Sacri dicuntur, quia habent aliquem actum circa rem conſecratam, & cum tantùm *Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus* habeant aliquem actum circa rem conſecratam, ideò tantùm iſti tres, *& majores dicuntur, & ſacri*.

(l) in Suppl. q. 37 a. 1

Quod *verò habeant majores ordines actum circa rem conſecratam, docet Div Thom.* Sacerdotium, & Diaconatus habent actum circa corpus Chriſti, & ſanguinem conſecratum: diverſimodè tamen, nam Sacerdos conſecrat, non diaconus; Sacerdos offert, diaconus verò non. Immò *diaconus* ſanguinem etiam Domini miniſtrabat, in quibus Eccleſiis conſuetudo erat: ut fideles Euchariſtiam ſub utraque ſpecie ſumerent. *Subdiaconatus* habet actum circa vaſa ſacra conſecrata, & ideò in eis etiam continentia indicitur, ut ſancti, & mundi ſint, qui ſancta tractant, & taliter mundi eſſe debent, ut per iſtos Ordines reddantur impotentes ad matrimonium contrahendum, & dirimitur contractum: quod non faciunt ordines illi, qui minores dicuntur, qui ulterius licet ſecundum ſe effectivè inſtrumentaliter ſint cauſa rei ſacræ ſcil. gratiæ, non tamen objectivè dicendi ſunt Sacri Ordines.

Diximus, quod *ſecundum diverſitatem actuum opus eſt, quod Sacramentum Ordinis diſtinguatur, ſicut potentiæ diſtinguuntur per actus*, quia volumus *per D. Th.*, (*m*) quod etiam actus Ordinum convenienter aſſignentur: Unde *ait D. Th.*, quod ille eſt principalis actus cujuſvis Ordinis, ſecundum quem magis proximè ordinatur ad Euchariſtiam; patet enim, quod omnis conſecratio, quæ fit in Sacramento Ordinis, ordinatur ad illud Euchariſtiæ, & ad miniſtrandum Sacrificio Miſſæ; & ſi hoc in omni conſecratione, pariter & in omni ordine ille erit principalis actus cujuslibet Ordinis, per quem magis accedit ordinatus ad ſerviendum Sacramento Euchariſtiæ, & Sacrificio Miſſæ; & de facto accipere oblationes à populo, illas ſuper altare ponere, vel diacono offerre, licet ſit proprium officium ſubdiaconi, attamen illas miniſtrare Sacerdoti eſt proprium diaconi, & ſic conſtat, quod actus iſti ſunt principales utriuſque Ordinis, non unus principalis, & alius ſecundarius; cum quo ſtat illud, quod dicitur, diverſorum Ordinum diverſi ſunt actus, ſi tamen intelligatur, diverſi ſunt actus principales, non ſecundarii, ob hanc cauſam ſicut diaconorum, & ſubdiaconorum diverſi ſunt Ordines, ita etiam ſunt diverſi actus formaliter principales.

(m) in Suppl. q. 37 a. 4.

Sic *& Acolytus, & Subdiaconus* diverſimodè ſe habent ſuper urceolos, quia *Acolyti* habent actum tantùm ſuper urceolum, non ſuper ea, quæ in urceolo continentur. *Subdiaconus* verò habet actum ſuper contentis in urceolo, quia utitur aqua, & vino ad ponendum in calice, & aquam iterum manibus Sacerdotis præbet, eò modò, quo diaconus, & ſubdiaconus habent actum ſuper calicem, non ſuper contenta, ſed Sacerdos ſuper contenta, quod etiam magis apparet iſta diverſitas actuum ex ipſa ordinatione horum Ordinum, nam ſicut Subdiaconus in iſta Ordinatione accipit calicem vacuum, Sacerdos plenum, ita Acolytus urceolum vacuum, Subdiaconus plenum.

Ex quibus *infert D. Th.*, quod eſt quædam connexio in ordinibus, quæ non poteſt eſſe in illis, niſi actus ordinum, etiam ſi diſtincti formaliter inter ſe, non ordinarentur ad deſerviendum Sacramento Euchariſtiæ, & Sacrificio Miſſæ.

Connexio etiam, per quam non ponitur æqualitas inter Ordines, ſed potiùs eminentia inter illos, *ut docet D. Thom.*, ſecundum illum actum principalem uniuſcujuſque Ordinis, ſecundum quem magis proximè ordinetur ad Sacramentum Euchariſtiæ, unus ordo eſt alio eminentior, ac proinde unus actus magis de proximo ad prædictum Sacramentum ordinatur; & licet actus aliqui immediatè ad Deum ordinentur, attamen ordinari poſſunt dupliciter ad Deum, *ut habetur ex doctrina D. Thom.*, (*n*) *primò* ex parte unius perſonæ tantùm, ut facere orationes ſingulares, *hoc eſt pro ſe*, & vovere, & ſimilia, & talis actus competit cuilibet baptizato. *Secundò* ex parte totius Eccleſiæ, & ſic ſolus Sacerdos habet actus immediatè ad Deum ordinatos; ipſe enim ſolus poteſt gerere perſonam totius Eccleſiæ, qui conſecrat Euchariſtiam, utpotè Sacramentum univerſalis Eccleſiæ: Unde *benè ajebat Apoſtolus* (*o*) Pontifex conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis, & quemadmodum pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo offerre pro peccatis: nec tantùm Sacerdos offerre debet, ſed etiam & ſuſcipere Sacramentum Euchariſtiæ, quod ut dignè ſuſcipiatur ab illo, opus eſt, ut præparatio ſit optima, ſicut etſi à quocumque alio deſideretur ſuſcipi, indiget enim quilibet tali diſpoſitione per præparationem. Et hæc eſt duplex, proxima, & immediata ſuſcipiendi Sacramentum Euchariſtiæ, per abſolutionem à peccatis, & iſta pertinet propriè ad Sacerdotem, eſtque proprius actus ſolius Sacerdotis, & per iſtam efficiuntur idonei ſtatim ad Sacramentorum diſpenſationem; quod pertinet ad Sacerdotem, qui proprius miniſter eſt horum trium Sacramentorum, ſcilic. *baptiſmi, pœnitentiæ, & extremæ unctionis*, utpote quia iſta tria Sacramenta inſtituta ſunt principaliter ad purgationem peccatorum: nec ex hoc excluditur, quod Sacerdos ſit proprius miniſter aliquorum aliorum ſcil. *Euchariſtiæ*, cum ipſe ſolus immediatè conſecret Euchariſtiam, & illam fidelibus diſpenſet.

(n) ib. ad 1.

(o) cap. 5. ad Heb.

Alia eſt præparatio remota, quæ per miniſtros efficitur, quoniam qui ſervit ad Sacramentum Euchariſtiæ ſuſcipiendum, & remotè ſervit ad illud ſuſcipientibus. Videtur ergo, *ut docet D. Thom.*, quod ad Euchariſtiç Sacramentum, quaſi digniſſimum, multa ordinantur, & ſic inconveniens non eſt, ut preter principalem actum etiam multos actus unus ordo habeat, & tantò plures, quantò eſt eminentior, cum virtus, quantò eſt ſuperior, tantò ad plura ſe extendat. Sequitur ergo ex his, quod cum omnes ordinens ordinentur ad digniſſimè celebrandum Sacrificium Miſſç, in quo homo Deus

filius

filius hominis Patri ſacrificatur, neceſſe ſit pariter, ut ſint multi Ordines multos actus habentes unum alio præſtantiorem, & tantò plures, quantò unus ordo eſt alio eminentior: cum ergo ordo Sacerdotii ſit aliis ementior, mirum non debet eſſe, ſi in illo reperiantur plures actus; & ſic reſpectivè Ordo diaconatus eſt ſuperior Ordine Subdiaconatus, cum diaconus, *ut diximus*, miniſtret Sacerdoti Hoſtias, atque oblationes; Sic Ordo Acolytatus eſt ſuperior Ordine Exorciſtatus, cum corporales actus Acolyti magis de proximo ordinentur ad actum Sacrorum Ordinum, quàm actus
p ib. ad 7. Exorciſtæ; acolyti namque, *ait Div. Thom.*, (p) habent miniſterium ſuper vaſa, in quibus materia Sacramenti continetur quantum ad vinum.

At non tantùm eſt ſuperior Ordine Exorciſtatus, ſed etiam aliis minoribus Ordinibus, ut *aſſerit Div. Thom.* inter omnes ordines minores ordo Acolytorum ſuperior eſt; *hoc confirmat Div. Thom.* (q) actus Acoly-
q ib. ad 8. torum ſe habet propinquius ad actus principales ſuperiorum miniſtrorum, quàm actus aliorum minorum Ordinum; ſimiliter etiam quantum ad actus ſecundarios, quibus populum per doctrinam diſponunt; Acolytus enim doctrinam novi teſtamenti viſibiliter figurat lumen portans, at Lector recitando figuras alias; & ideò quantum etiam ad actus ſecundarios Acolytus eſt ſuperior. Similiter & Exorciſta, quia ſicut ſe habet actus Lectoris ad actum ſecundarium diaconi, & ſubdiaconi, ita ſe habet actus exorciſtæ ad actum ſecundarium Sacerdotis, ſcilicet ligare, & ſolvere, per quem corporaliter, vel totaliter homo à diaboli ſervitute liberatur.

Circà verò ordinem *Lectoratus*, *advertit Div. Thom.*,
r ib. ad 4. (r) quod Lectoribus committitur vetus teſtamentum, & non ob aliud, niſi quia doctrina veteris teſtamenti eſt magis remota, quàm doctrina novi teſtamenti in ordine ad ſuſcipiendum Sacramētum; illa namq; veteris teſtamenti non inſtruit de hoc Sacramento, niſi in figuris, & ideò non eodem modo ſe habet, ſicut doctrina novi teſtamenti, ac per conſequens mirùm non eſt, ſi legere eamdem veritatem in figura, ſcilicet teſtamentum vetus, ad lectores pertineat, & legere eamdem veritatem in veritate aperta, ſcilicet teſtamentum novum ad diaconos pertineat; Unde *Div. Thom.*, novum teſtamentum ſuperioribus miniſtris pronunciandum committitur, vetus autem inferioribus, & hoc ob perfectionem doctrinæ, cum doctrinam Evangelii ipſemet Chriſtus Dominus per ſeipſum tradidit. Perfectio, quæ requirit etiam nobiliorem miniſtrum, ſcilicet diaconum, ad differentiam illius perfectionis, quæ reperitur in doctrina Evangelii per Apoſtolos manifeſtata; hæc enim licet requirat nobiliorem miniſtrum ſcilicet Subdiaconum reſpectu veteris teſtamenti doctrinæ, non tamen diaconum, iſte enim ſemper, & pro ſemper habet legere novum teſtamentum ſcilicet Evangelium: etenim certum eſt, quod numquam Evāgelium lectum à Diacono eſt de veteri teſtamento, ſicut Epiſtola lecta à ſubdiacono quandòque eſt de veteri teſtamento; & ideò *Evangelium* diaconis, *Epiſtola* Subdiaconis meritò committuntur.

Circa verò Ordinem *Oſtiariatus* aliud non eſt dicendum, niſi quod Oſtiarius in ſua Ordinatione recipit poteſtatem ſpiritualem, ut ex officio hoc agere poſſit, ſcilicet ejicere indignos ab Eccleſia Dei; & *dicimus ex officio*, quia licet hoc poſſit fieri etiam ab aliis hominibus non ordinatis ordine Oſtiariatus, non tamen ab illis hoc poteſt fieri ex officio, & ita eſt in actibus omnibus aliorum minorum Ordinum, *ut aperte docet D. Th.*
s ib. ad 9. (ſ) licet poſſit per alios licitè fieri, illi tamen ad hoc non habent aliquod officium.

Diximus, quod ſolus Sacerdos gerendo perſonam totius Eccleſiæ habet conſecrare Euchariſtiam, quæ eſt Sacramentum univerſalis Eccleſiæ, quia re-
t in Suppl. q. 37. ar. 5. linquitur, ut *certum à Div. Thom.*, (t) quod principalis actus Sacerdotis ſit conſecrare corpus Chriſti, & ſanguinem eius; & tunc accipit poteſtatem conſecrandi Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini, quando porrigitur Calix, in cujus tamen datione, ſive porrectione imprimitur Character, ſub forma etiam verborum determinata, & taliter determinata, ut numquam mutari poſſit; *ut habetur ex Concil. Trident.*, (u) ſi quis u ſeſſ. 7. can. 13.
dixerit, receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni adminiſtratione Sacramentorum adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à miniſtro pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum paſtorem mutari poſſe, anathema ſit. Et hoc quia certum eſt, quod forma eſt majoris momenti, quàm ritus, illa enim eſt de eſſentia Sacramenti, at ritus ſunt ceremoniæ ordinatæ ab Eccleſia, ut reverenter miniſtri, & populus ſe habeant ad Sacramenta; ergo cum ritus mutari non poſſint, multò minùs forma, quæ, *ut dix.*, eſt de ſubſtantia Sacramentorum; idcircò nec à quovis Prælato mutari poteſt. *Rurſus ſtatuit idem Concilium*, (x) præterea de- x ſeſſ. 21. c. 2.
clarat hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret; quæ ſuſcipientium utilitati, ſeù ipſorum Sacramentorum venerationi pro rerum tempore, & locorum varietate magis expedire indicaret; Igitur videtur, quod licet Eccleſia mutare poſſit conſuetudinem diſpenſandi corpus, & ſanguinem Chriſti Domini, ſicut olim erat uſus utriuſque ſpeciei, ſicut & de facto mutavit, nunc enim hanc conſuetudinem ſub altera ſpecie communicandi approbavit, & pro lege habendam decrevit, forma autem illorum numquàm mutavit, ergo mutari numquam poteſt forma verborum determinata in ipſa calicis datione, non quia in datione Calicis præcisè calix detur, ſed quia datio Calicis ſignificat poteſtatem Sacerdoti collatam. Etſi alia multa fiant ab Epiſcopo ordinante, omnia tamen diſponuntur ad characteris impreſſionem, juxta Div. Thom. ejuſdem ſcilicet agentis eſt formam aliquam inducere, & materiam de proximo præparare ad formam. Sic & Epiſcopus in collatione ordinum duo facit, præparat ordinandos ad ordinis ſuſceptionem, & tradit Ordinis poteſtatem; præparat quidem & inſtruendo eos de proprio officio, & aliquid circa eos operando, ut ſint idonei ad poteſtatem accipiendam, quæ præparatio ſiſtit in tribus, *benedictione* ſcilicet, quæ omnibus datur, cum per hanc omnes divinis officiis mancipentur; *Manus impoſitione*, quæ fit ſolis diaconibus, & Sacerdotibus, cum per illam detur plenitudo gratiæ, per quam ad magna officia idonei ſint; Unde diaconibus, & Sacerdotibus competit diſpenſatio Sacramentorum, Sacerdotibus tamen, ut principalibus, diaconibus verò ut miniſtris. Deinde *unctione*, in qua ad aliquod Sacramentum tractandum conſecrantur, quæ unctio ſolis Sacerdotibus fit, qui propriis manibus corpus Chriſti tangunt; ſicut & calix inungitur, qui continet ſanguinem, & patena, quæ continet corpus: Epiſcopis etiam polices, & ambæ palmæ unguntur, & hoc fit bis, quia dùm fit Sacerdos, fit ad aliqua benedicenda, & quando fit Epiſcopus fit ad plura alia benedicenda; *Hæc autem omnia corroborantur per Concilium*, (y) ſi quis dixerit, Sacram unctionem, qua Eccleſia in ſacra ordinatione utitur, non y ſeſſ. 23. can. 5.
tantùm non requiri, ſed contemnendam, & pernicioſam eſſe, ſimiliter & alias Ordinis cæremonias; anathema ſit.

At circa hanc unctionem obſervandum eſt, quod eſt magnum diſcrimen inter Sacramentum Confirmationis, & Sacramentum Ordinis, quod in primo per ſolam unctionem imprimitur character, quia tunc unctio non traditur ad aliquid operandum ad extra, & quia Character Confirmationis non imprimitur, nec datur ad operandum ad extra ſuper aliquam materiam, ſed ſolùm ad fortiter pro fide pugnandum, ideò ad iſtum imprimendum ſufficit unctio, quæ tamen non ſufficit ad imprimendum Characterem Ordinis, eò quia ad iſtum imprimendum ultrà unctionem datur, & requiritur exhibitio materiæ, circa quam operari debent, qui ordinantur, *quod eſt juxta mentem Div. Thom.*, (z) in z ib. ad 1.
Confirmatione non datur officium operandi ſupra aliquam materiam exteriorem, & ideò character ibi non imprimitur in aliqua exhibitione alicujus rei, ſed in

ſola

Digitized by Google

ſola manus impoſitione, & unctione; at in ordine Sacerdotali aliter eſt, io quo, *ut diximus*, (*a*) ultrà unctionem requiritur adhibitio materiæ ad aliquid operandum, & de facto Chriſtus Dom. in qoa oocte tradebatur, accepit paoem gratias agens fregit, & dixit, accipite &c. io cęna ergo dedit diſcipulis ſuis poteſtatem Sacerdotalem quantum ad actum principalem, qui eſt conſecrare, *dùm dixit*, accipite, & manducate, *nam & ſubjunxit*, hoc facite in meam commemorationem, & tooc per impreſſionem characteris fecit illos Sacerdotes; poſt Reſurrectionem verò etſi dederit Dominus diſcipulis ſuis poteſtatem Sacerdotalem, *quando dixit*, accipite Spiritom Sanctum, qoorum remiſeritis peccata, &c. *ut legitur Ioan.* (*b*) dedit illis tameo poteſtatem Sacerdotalem quoad actum ſecuodarium, qui eſt ligare, & ſolvere ſioe impeſſione characteris, ille enim imprimitur io actu principali; non in actu ſecuodario, *juxta D. Th.* (*c*)

a 1. Cor. c. 11. — b cap. 20. — c 1 q. ad 2.

Diximus, quod *ultrà unctionem ad imprimendum characterem Ordinis requiritur exhibitio materiæ ad aliquid operandum*, ut magis appareat & aliud diſcrimen, quod reperitur inter conſecratiooem miniſtrorum, & eorum veſtium; in veſtibus eoim oon ſequitur alia conſecratio, niſi quod divino cultui maocipentur, & ideò ſufficit ad eas divino cultui mancipandas pro conſecratione benedictio; cæterum ordinandi dedicantur Deo ad aliqua officia ſuper exteriorem materiam exercendam; quapropter ad illos ordinandos ſufficit ſola benedictio, ſed requiritur materiæ exterioris exhibitio, circa quam ſunt operaturi: diſcrimen, quod magis apparet ex eo, quod non eſt quæſtio in præſenti de Sacerdotibus, utrom conſecrentur, ſed per quod conſecrentur. *Ultra quod addit Divus Th.* (*d*) veſtis Sacerdotalis non ſignificat poteſtatem Sacerdotalem, ſed idoneitatem, quæ in eo requiritur ad actum poteſtatis exequendum, & ideò nec Sacerdoti, nec alicui alii imprimitur character in dationem alicujus veſtis.

d ib. ad 4.

Diximus, quod *Diaconibus, & Sacerdotibus*, competit diſpenſatio Sacramentorum, Sacerdotibus, ut principalibus, Diaconibus, ut miniſtris, & hoc; quod diximus, *roboratur à Divo Thoma dicente* (*e*) Sacerdos habet directè poteſtatem ſopra corpus Chriſti in vaſe contentum, Unde Diaconi non eſt taogere corpus Chriſti, ſed portare corpus io patena, ac per conſequens non datur ei poteſtas ad actum principalem, *juxta Div. Thom.*, ejus poteſtas ad actum principalem non potuit exprimi, oec per dationem materiæ, ſed exprimitur poteſtas ejus ad actum ſecundarium in hoc, quod datur ei liber Evangeliorom, & ideò in illa libri datione imprimitur character: eò quia principaliter actus Acolyti eſt, quo miniſtrat in Urceolo, quàm quod miniſtrat in Candelabro; licet denominetur poſtea Acolytus ab acto ſecundario, ſcil. accendendi lumina, nam hoc ſolùm fit per hoc, quod eſt magis notus actus ſecundarius, quàm primarius; patet enim, quod denominatio non fit ſemper à principaliori abſolutè, ſed quandòque a nobis notiori, ut patet ex iis, quæ dicta ſunt de Acolyto, magis namque patens eſt populo portare cereum, quàm portare urceolum.

e ib. ad 5.

Super Quæſtionem Trigeſimam Octavam.

De conſerentibus hoc Sacramentum.

CHriſtus Dominus Summus Sacerdos, & Summus Pontifex in ultima cœna ordinavit Apoſtolis in Sacerdotes, quibus dedit poteſtatem conſecrandi panem, & vinum in corpus, & ſanguinem Chriſti, conſtituit Petrum ſucceſſorem ſuum in Eccleſia, dûm ad illum dixit, & ego dico tibi, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, cui dedit poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, & hoc fuit poſt aſcenſionem ſuam io Cœlis, propterea benè dixit, dùm adhuc in hoc Mundo erat, tibi dabo claves regni Cœlorum; Conſtituit cæteros Apoſtolos Principes ſuper omoem terram; ut prædicarent non ſolùm omni creaturæ Evangelium, & filios Dei generarent, unde *ſtat illud David* (*a*) pro patribus tuis oati ſunt tibi filii. Hinc *Aug. ibid. inquit*, quid eſt pro patribus tuis nati ſunt tibi filii? Patres miſſi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis nati ſunt tibi filii, conſtituti ſunt Epiſcopi; ab iſtis tamquam Patribus derivati ſunt illi, qui præfuerunt, & præſunt, & uſque in conſummationem ſecoli præerunt Eccleſiæ Sanctæ Dei; *unde ſubdit Aug.* Hodie enim Epiſcopi, qui ſunt per totum Mundum, unde nati ſuot? Ipſa Eccleſia Patres illos appellat, ipſa illos genuit, & ipſa illos conſtituit in ſedibus Patrum.

a Pſ. 44.

Non ergo te putes deſertam, quia non vides Petrum, quia oon vides Paulum, quia non vides illos, per quos oata es de prole tua tibi crevit Paternitas. Ad Epiſcopos itaque veluti Patres ſpectat geoerare filios per Evangeliom; *Hinc Paulus de ſeipſo dicebat* (*b*) in Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui, & ſicot ille conſtitotus fuit à Chriſto Doctor gentium, per quem cognoveront illi, qui præordioati ſunt à Deo, gratiam Dei, ita pariter opus eſt, quod Epiſcopi Doctores ſint, propterea io ordioatione Epiſcopi non dicitur, *mitte ad prædicandum, ſed vade, prædica populo Dei*; & hoc eſt primum opus, quod requiritur ad illos, qui Eccleſiæ præſunt. Secundum aotem opus, quod Sacramenta miniſtret, & maximè Sacramenta Confirmationis, & Ordinationis, quæ ſolus Epiſcopus poteſt miniſtrare.

b 1. c. 4. ad Corint.

Propterea dicitur, qood ad Epiſcopum pertinet in omnibus divinis myſteriis aliquos collocare, unde ipſe ſolus confirmat, quia confirmati in quodam officio confitendi fidem conſtituuntur: Ad ipſum ſpectat conſecrare miniſtros ordinum juxta certiſſimam traditionem, auctoritatem ſanctarum literarum teſtimonium omnium Patrum, decreta Conciliorom, uſum Eccleſiæ, & conſuetudinem; ad ipſum ſolum ſpectat conſecrare Eccleſiam, vaſa Sacra, altaria, conſecrare Virgines, ac benedicere, utpote figuram gerentes Eccleſiæ Chriſto deſponſatæ, confectionem ad Chriſmatis, atq; benedictionem olei Sancti & alia multa de qoibus ſermo erit.

Ordines & non excedere numerum ſeptenarium, & quales eſſe debeant illi, qui Sacramentum Ordinis ſuſcipiunt, ex dictis ſatis conſtat, unde meritò *à Divo Thoma* ordine mirabili, ac proprio, poſt hæc procedit indagando de conferentibus hoc Sacramentum, nam certum eſt, quod qui ſuſcipiunt ordines, ab alio ſuſcipere debent, (eſt enim veluti dogma in naturalibus, quod nemo agit in ſeipſum), igitur ſignum eſt, quod ab alio conferuntur, ſ. ab Epiſcopo, ad quem tantùm hanc adminiſtrationem pertinet, juxta auctoritatem Sacrarum literarum, & teſtimonia Patrum, & Conciliorum decreta, & præcipuè *juxta Concilium Tridentinum*, Epiſcopi per ſemetipſos ordines conferant, quod ſi ægritudine fuerint impediti, ſubditos ſuos non aliter jam probatos

c Seſſ. 23. de Ref. c. 10.

&exa-

Digitized by Google

& examinatos ad alium Epiſcopum ordinandos dimittant, ergo nemo debet dubitare, quod conferre ordines maximè majores proprium munus ſit ſolius Epiſcopi, non verò cujuslibet Sacerdoti ſimplicis; iſte enim facultatem non habet ex vi ordinis conferre ordines majores, ſicut nec minores, immò nec Confirmare, *juxta Concil. Tridem.*, (*d*) declarat Sancta Synodus, Epiſcopos præsbyteris ſuperiores eſſe, ac Sacramentum Confirmationis conferre, miniſtros Eccleſiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipſos poſſe, quarum functionum poteſtatem reliqui inferioris ordinis nullam habent; & ſi quis dixerit, Epiſcopos non eſſe præsbyteris ſuperiores; vel non habere poteſtatem confirmandi, & ordinandi; vel ea, quam habent, illis eſſe cum præsbyteris communem anathema ſit.

d Ib. ſeſſ. 4 de can. 7.

Et licet non habeat ſimplex Sacerdos ex vi Sacerdotis poteſtatem conferendi ordines minores, ſicut nec Confirmandi, attamen poteſt ex commiſſione Papæ & conferre ordines minores, & confirmare, non enim hæc duo dicunt immediatam relationem ad verum Chriſti corpus, ſicut dicunt ordines majores, & ideò Papa non poteſt aliis committere, quàm Epiſcopis, ut conferant tales ordines, utpotè dicentes immediatam relationem ad Corpus Chriſti, ſupra quod conſecrandum Papa majorem auctoritatem non habet, quàm ſimplex Sacerdos. *Hoc totum manifeſtatur à Div. Thom.*, *& corroboratur à Concil. Trid. à Div. Thom.* (*e*) *dum ait*, Papa, qui habet plenitudinem poteſtatis pontificalis, poteſt committere non Epiſcopo ea, quæ ad Epiſcopalem dignitatem pertinent, *dummodò illam non habeant immediatam relationem ad verum corpus Chriſti, & ideò ex ejus commiſſione aliquis* Sacerdos ſimplex poteſt *conferre ordines minores, & confirmare, non autem aliquis non Sacerdos; nec iterum Sacerdos majores Ordines, qui habent immediatam relationem ad corpus Chriſti, ſupra quod conſecrandum Papa non habet majorem poteſtatem, quam ſimplex Sacerdos*. Et diploma, quod ab aliquibus aſſeritur, *eſſe Innocentii Octavi* in quo dicitur, conceſſum fuiſſe Abbatibus Ordinis Ciſtercienſis facultatem conferendi ſuis monachis Ordines diaconatus, & ſubdiaconatus; non eſſe certum *aſſeritur à Noſtro Magiſtro Nugno hic*, & notat, *quod Magiſter Victoria fatetur* ſe vidiſſe tale diploma, & in ea nullam mentionem fieri Ordinis diaconatus, ſed tantùm ſubdiaconatus; cum iſte non habeat ita immediatam relationem ad corpus Chriſti verum, ſicut Sacerdotium ad conſecrandum illud, & diaconatus ad diſtribuendum ſanguinem Chriſti, ut conſtat olim in primitiva Eccleſia, & ad portandum corpus Chriſti in pixide, vel in patena, ut nunc fit.

e In ſuppl. q. 8 ar. 1. ad 3.

Coroboratur auctoritas *Div. Thom. à Concil. Trid.* (*f*) Ordinationes ſacrorum Ordinum, ſtatutis à jure temporibus, ac in Cathedrali Eccleſia vocatis, præſentibus ad id Eccleſiæ Canonicis, publicè celebrentur: & *poſtea*; unuſquiſque autem à proprio Epiſcopo ordinentur, ſignum igitur eſt, quod ſolius Epiſcopi eſt conferre Ordines majores, qui ſacri dicuntur.

f Seſſ. 23 de Ref. cap. 7.

Hoc autem, quod *ſtatutum ſuit à Trid. Concil. & manifeſtatum à Div. Thom.*, ulterius ab eodem Angelico manifeſtum fit per diverſas rationes, quia ſi *conſecratio vaſorum ad ſolum Epiſcopum pertineat, multò fortiùs pertinere debet conſecratio miniſtrorum vaſa ſacra tangentium, & per illa miniſtrantium*, & hoc quia certum eſt, quod nobiliori modo applicantur ad divinum cultum miniſtri per Ordines, quàm vaſa Sacra. *Si ſolus Epiſcopus confirmat ex proprio munere, multò magis* confert ſolus ordinis Sacramentum; utpotè excellentius, quàm Sacramentum Confirmationis. *Si benedicere eſt ſolius Epiſcopi* (*virgines enim gerunt figuram Eccleſiæ Chriſto deſponſatæ, cujus cura Epiſcopo principaliter committitur & tamen non conſtituuntur in aliquo gradu ſpiritualis poteſtatis per benedictionem, ſicut ordinati conſtituuntur*; multò melius ſolus Epiſcopus poteſt ordinare aliquos, ut jam ſtatuitur per Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 4. & can 7.

Rurſus *Div. Thom. ſuum intentum manifeſtat à paritate rationis*, *inquit enim*, poteſtas Epiſcopalis ſe habet ad poteſtatem Ordinum inferiorum, ſicut ſe habet politica ad omnes artes, *ſcientias, atque virtutes; cum ergo politica ponat legem inferioribus, ſcilicet quàm quis exercere debet, & quantum, & qualiter*; V. G. præcipit fabro, quid debeat operari, V. G. cultellum, & quando babeat operari, & quomodo illum operari debeat, & à quibus abſtinere; ſic ad Epiſcopum pertinet in omnibus divinis miniſteriis aliquos collocare ordinare Videlicet miniſtros, imperari illis, quando debeant operari, & quomodo, & à quibus abſtinere. Et ſicut politica utitur artibus, & ſcientiis in ordine ad ſuum finem, ſic & Epiſcopus miniſterio illorum utitur in finem communem omnium Ordinum, *juxta illud quod diximus, ſolus Epiſcopus conſecrat vaſa, confirmat, benedicit virgines, & cætera*; ergo ſolùm Epiſcopis committitur conferre ordines, non ſimplici Sacerdoti, cui licet committatur principale, ſcilicet conſecrare Euchariſtiam, quæ maximum Sacramentum in ſe eſt, illi tamen non committitur, nec committi poteſt acceſſorium, ſcilicet ordinare alios, maxime loquendo de ordinibus ſacris, *ut jam patet ex dictis*; & ratio ulterius eſt, *inquit Div. Thom.*, (*h*) quia Sacramentum Euchariſtiæ, ut habet diverſam conditionem à collatione Ordinum & etiam collocare non babet in aliquo officio, ſicut collocat Sacramentum Ordinis, (*i*) ad quod etiam communicandum non exigitur ſolùm propinquitas, ſed complectio poteſtatis, quæ reſidet in Epiſcopo, non in ſimplici Sacerdote; quapropter non ſequitur, quod quamvis plus diſtent diaconus ab Epiſcopo, quam à Sacerdote, quod Sacerdos poſſit diaconos facere, cum & illos Epiſcopus facere poſſit etiamſi ille ordo ſit ſibi propinquus; eo quia Sacerdos, *ut etiam docet Div. Thom. ibid.*, *non* habet completam poteſtatem in officiis hierachicis, *quæ ſunt purgare, illuminare, & perficere*, ſicut Epiſcopus, qui in ordinando alios, etiam ſi illis imponat manus, ſicut & Sacerdotibus ordinandis Sacerdotes ordinati manus imponunt; per hoc tamen non debet concludi, quod non ſolùm Epiſcopus Ordinem conferat, ſed etiam Sacerdotes; *cum, ait Div. Thom.*, in impoſitione manuum non detur character Sacerdotalis ordinis, ſed gratia, ſecundum quam ad exequendum ordinem ſint idonei; & quia indigent ampliſſima gratia, ideò Sacerdotes manus cum Epiſcopo imponunt eis, qui in Sacerdotes promoventur; & de facto Epiſcopus, & alii Sacerdotes nihil dicunt, dùm ſupra caput ordinandi manus imponunt, & quod impoſitio manuum etiam Sacerdotum in Sacerdotibus ordinandis fit, ut reddantur idonei ad ordinem exequendum per ampliſſimam gratiam, conſtat ex eo, quod Epiſcopus ſolis diaconis imponit manus.

g Ib. in q.

h Ib. ad 1.

i Ib. ad 2.

l Ib. ad 3.

Et quod *dicitur de Sacerdotibus, dicitur & de Archidiacono in ordine ad conferendum Ordinem*: licet enim Archidiaconus porrigat urceolum vacuum Acolyto, hoc tamen facit mediante juſſu Epiſcopi; *ut docet Div. Thom.* (*m*) Archidiaconus cum ſit quaſi princeps miniſterii, ideò omnia, quæ ad miniſterium pertinent, tradit, ſicut cereum, quo Acolytus diacono ſervit ante Evangelium & urceolum, quo ſervit ſubdiacono; & ſubdiaconus dat ea, quibus ſuperioribus Ordinibus ſervit, in quibus tamen non conſiſtit principalis actus ſubdiaconi; ſed in hoc, quod cooperatur circa materiam Sacramenti; ideòque characterem accipit in eo, quod datur ei calix ab Epiſcopo, Acolytus verò accipit characterem ex verbis Epiſcopi in hoc, quod accipit prædicta ab Archidiacono, & ideò non ſequitur, quod Archiaconus ordinem conferat, bene tamen Epiſcopus, cujus ipſe in hoc inſtrumentum eſt.

m Ib. ad 2.

Quod magis apparet verum ex forma verborum, ex cujus virtute principaliter characterem imprimi conſtat; ſolùm enim Epiſcopus ore proprio dicit illam verborum formam, & eſt, accipe urceolos ad ſuggerendum vinum, & aquam in Euchariſtiam ſanguinis in nomine Domini.

De oſtiariatu forma hæc eſt, ſic age quaſi Deo redditurus rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.

De *Lectoratu forma eſt, accipe, & eſto verbi* Dei *relator, habiturus*, ſi fideliter, & utiliter impleveris offi-

cium

Digitized by Google

cium tuum, partem cum iis, qui verbum Dei bene miniſtrarunt ab initio.

De Exorciſtatu eſt, accipe, & commenda memoriæ, & habe poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos, ſive baptizatos, ſive Cathecumenos.

De ſubdiaconatu accipe librum Epiſtolarum, & habe poteſtatem legendi eas in Eccleſia Sancta Dei, tàm pro vivis, quàm pro Defunctis.

De Diaconatu forma eſt, accipe poteſtatem legendi Evangelium in Eccleſiâ, tàm pro vivis, quàm pro defunctis in nomine Domini.

De Præsbyteratu, accipe poteſtatem offerrendi Sacrificium Deo, Miſſaſque celebrandi, tàm pro vivis, quàm pro Defunctis, & accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittantur eis, & quorum remiſeritis, retenta ſunt; Unde de primo ad ultimum videtur, quod ſolus Epiſcopus Ordinem confert.

n in Suppl. q.38.a.2. Sive poſtea in Eccleſia moratur, ſive præciſus ſit ab illa: nam etſi in hæreſim lapſus ſit, quod Deus avertat, nihilominus tamen per hæreſim non amittit poteſtatem, quam antea habebat, ordines conferendi, & de facto, quando reconciliatur, non iterum conſecratur; quidquid dicant alii, ſc. quod hæretici quamdiu ab Eccleſia tolerantur, habent poteſtatem ordines conferendi, non autem poſtquam fuerint ab Eccleſia præciſi, ſicut nec degradati.

Errant tamen iſti, *ait D. Thom.* nam omnis poteſtas quæ datur cum aliqua conſecratione nullo caſu contingente tolli poteſt reipſa durante: ſicut nec poteſt, ipſa conſecratio annullari; & à fortiori hoc conſtat, cum & Altare, & Chriſma ſemel conſecrata perpetuò maneant conſecrata; ſi ergo hæc omnia maneant perpetuò conſecrata, multò magis poteſtas Epiſcopalis, cum iſta detur cum quadam conſecratione, perpetuò manere debet; & ideò *ait D. Thom.* opus eſt, quod perpetuò maneat poteſtas Epiſcopalis, quantumcumque aliquis peccet, vel ab Eccleſia præcidatur.

Alii verò convincti ea hac ratione *Divi Thomæ* dixerunt, quod præciſi ab Eccleſia, qui in Eccleſia poteſtatem Epiſcopalem habuerunt, retinent utique poteſtatem ordinandi, & promovendi, ſed promoti ab eis hanc non habent. At & iſti erraverunt, ſiquidem ſi illi, qui fuerunt in Eccleſia promoti, retineant poteſtatem, quam receperunt, jam patet, quod exequendo ſuam poteſtatem, veram conſecrationem faciunt, ac per conſequens omnem poteſtatem tribuunt, quæ cum conſecratione datur, & ita ordinati ab eis, vel promoti habent eamdem poteſtatem, quam & ipſi.

Fuerunt denique & alii, qui erraverunt dicendo, quod hæretici, atque præciſi ab Eccleſia poſſunt ordines conferre, & alia Sacramenta, dummodo formam, & intentionem debitam ſervant, & quantum ad primum effectum, qui eſt collatio Sacramenti, & quantum ad ſecundum effectum, qui eſt collatio gratiæ.

Erraverunt utique, quia eo ipſo, quod aliquis hæretico ab Eccleſia præciſo in Sacramentis communicet peccat, & ita fictus accedit, & gratiam conſequi non poteſt, niſi fortè in baptiſmo in articulo neceſſitatis.

Nos ergo ne erremus cum omnibus iſtis, dicamus cum *D. Th.* utique vera Sacramenta illi conferunt, at gratiam cum eis dare neutiquam poſſunt; & hoc non propter inefficaciam Sacramentorum, ſed propter peccata recipientium ab eis Sacramenta contra prohibitionem Eccleſiæ. Et ſicut non poſſunt conferre gratiam, ita nec abſolvere, quia effectus abſolutionis non eſt aliud, quàm remiſſio peccatorum, quæ fit per gratiam; & etiam quia ad abſolutionem requiritur juriſdictio; quam non habet præciſus ab Eccleſia licet poſſint conferre Ordines, eò quia ad illos dandos, quod ad characteris impreſſionem non requiritur juriſdictio, ſicut ad abſolutionem à peccatis, & hoc ex natura ſua.

o ib. ad 3. Sicut & verum eſt, quod qui promoventur ab hæretici licet accipiant ordinem, non tamen (o) executionem, ut licitè poſſint in ſuis ordinibus miniſtrare, & hoc quia in promotione Epiſcopi datur poteſtas, quæ perpetuò (p) manet in eo, quamvis dici non poſſit character, cum per eam non ordinetur homo directè ad Deum, ſed ad corpus Chriſti myſticum, & tamen indelebiliter manet in eo poteſtas ratione Epiſcopatus, ſicut Character, ſiquidem per conſecrationem detur. p ib. ad 2.

Ex dictis ſolùm ſequitur, quod licet Sacramenta efficaciam habeant ex paſſione Chriſti; attamen hæreticus ſervando formam Eccleſiæ continuatur paſſioni Chriſti per fidem Eccleſiæ, licet in ea non ſint ſecundum ſe ſed ſecundum formam Eccleſiæ quam ſervant. Sic etiam ſtatuente *Conc. Trid.* (q) ſi quis dixerit, baptiſmum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, non eſſe verum baptiſma, anathema ſit. q ſeſſ. 7 de Bap. can. 4.

Denique non poteſt benedicere hæreticus, quod tamen referendum eſt ad ultimum effectum Sacramentorum, qui eſt gratia; quinimò benedictio ſua in maledictionem convertitur, quod intelligitur, ſi ſciens, & volens ab hæretico benediceretur, tunc enim benedictio illa in maledictionem fieret, cum recipiens peccaret mortaliter, non tamen de neſciente per ignorantiam invincibilem, ſicut nec peccaret hoc pacto recipiendo Ordines.

Super Quæſtionem Trigeſimam Nonam.

De impedimentis hujus Sacramenti.

Cum ſancta ſanctè pertractanda ſint ab illis, qui circa divina miniſtrare debent, etenim & mundi non tantùm corde, à quo exire ſolent fornicationes, adulteria, homicidia, & hujuſmodi mala, per quæ coinquinatur homo, & immundus redditur, ſed & corpore, juxta illud, quod à Deo in veteri lege præſcriptum fuerat, lavamini mundi eſtote, eſſe debent; mente perfecta, hoc eſt, ut diſcernere poſſint per rationem id, quod bonum eſt, quidve malum, & ſana, ut verè cognoſcant; quanta reverentia ac devotione divina tractanda ſunt; plena libertate, & non oppreſſi ſervitute, etiamſi per voluntatem ligati obedientiæ voto, *ut ait Auguſtinus in Regula*, conſiderare nos debemus, non ſicut ſervi ſub lege, ſed ſicut liberi ſub gratia conſtituti: tota devotione, nihil cogitantes, niſi ea, quæ ſunt Dei, etenim miniſtri Dei, cujuſcumque Ordinis, ſive ſecularis, ſive regularis ſint, non debent ſe implicare in negotiis ſecularibus, quoniam iſta auferunt animum à rebus divinis; Tota dilectione & in primis erga Deum, qui nobis continuè impartitur tot beneficia, & ne ingrati apud illum inveniamur; Secundò erga proximum, Iſte tamquam noſmetipſi à nobis diligi debet, ut lex impleatur, etſi peccator ſit, attamen ut homo diligere debemus, *ut ait Auguſtinus in Regula*, cum dilectione hominum, & odio vitiorum; & hæc omnia exercere debemus, ut non filii iræ, quod idem valet, ac filii ſpurii, & illegitimi, ſed filii Dei nominemur, ac ſimus; adeòque abſque omni gravi, ac notabili defectu adſtare debemus ad miniſtrandum divina; quod non debet apparere in miniſtris, cum ut teſtificati poſſimus, nullum eſſe hominem aggravatum ex aliquo defectu corporali, quod non manifeſtetur in illo etiam aliqui effectus animi; & ſicut hæc omnia exiguntur ad Dei cultum mancipandum, ita pariter exigitur, quod non ſit irregularis propter bigamiam, quæ ſecum affert diviſionem carnis, & tollit illam unitatem, quæ ſemper in Eccleſia eſt. Hæc omnia exiguntur, ut illi, qui connumerantur inter miniſtros Dei, digni ſint. Hinc ergo eſt, quod ſi aliquid ex iis deſit in aliquo, impedimentum ponit ad ſuſceptionem hujus Sacramenti: propterea ſexus fœmineus impedit ſuſceptionem ordinis, quoniam frequenter, ne dicam ſemper, immunda corpore eſt, immunditia, quæ provenit, vel ex luna, quæ ſemper patitur menſtruum, vel ex defectu naturæ; immunda redditur non ſolùm poſt ſuſceptio-

ptionem ſeminis, verùm etiam poſtquam natuserit pet eam filius, *juxta legem*, ſi peperit maſculum, triginta diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ: omne ſanctum non tanges; nec ingredietur ſanctuarium, donec impleantur dies purificationis ſuæ; ſi verò fœminam peperit, manebit ſexaginta diebus in ſanguine purificationis ſuæ. Ultrà immunditiam, quam naturaliter poſſidet, talis ſexus, eſt etiam ſubiectio viri contracta in pœnam elationis à principio ſuæ creationis; adeòque in tali ſexu non poteſt ſignificari aliqua eminentia gradus, quæ denotatur in illo, qui Ordinis Sacramentum ſuſcipit.

At non tantùm ſexus fœmineus ob ſubiectionem viri impedit ſuſceptionem ordinis, verùm etiam ſervitus in aliquo hanc impedire habet; ſicut & pueri ante uſum rationis & ex aliis defectibus de quibus omnibus infra.

Ordinis Sacramentum cum non impediatur ex eo, quod aſſumatur ab Epiſcopo hæretico, videndum reſtat, ſi alia impedimenta poſſint eſſe in Eccleſia Catholica, ut non ſuſcipiatur hoc Sacramentum Ordinis: Videtur ergo, quod multa ſint impedimenta in ordine ad ſuſcipiendum hoc Sacramentum.

Primò de impedimento fæminei ſexus, de quo tamen ait Div. Thom., (a) quod etſi mulieri exhibeantur omnia, quæ in ordinibus fiunt, ordinem tamen non ſuſcipit, & rationem adducit, quia Sacramentum eſt ſignum, & cum ſit ſignum in eis, quæ in Sacramento aguntur, requiritur non ſolùm res, ſed ſignificatio rei, cum ergo in ſexu fæmineo non poſſit ſignificari aliqua eminentia gradus; & dicitur eminentia gradus, cum per iſtum intelligi debeat eminentia Sacramentalis, quæ reperiri non poteſt in mulieribus, licet in iſtis quædam alia eminentia reperiri poſſit, ut Religionis ſtatus, Prælatio, Martyrium, hæc enim omnia important utique aliquam eminentiam, ſed non Sacramentalem, *de qua Div. Thom. loquitur*.

a in ſuppl. q. 39. art. 1.

Quare autem in ſexu fæmineo non poſſit ſignificari aliqua eminentia gradus, ratio eſt; quia mulier ſtatum ſubiectionis habet contractum, ſcilicet à principio ſuæ creationis ob peccatum inobedientiæ, atque ſuperbiæ; *ſicut leg.* Gen., (b) ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. *Ob hoc & Paulus ad Timot. dixit.*, (c) mulierem in Eccleſia docere non permitto, nec dominari in virum, *& prius dixit.* (d) Mulieres in Eccleſia taceant, non enim permittitur eis loqui, turpe enim eſt mulieri in Eccleſia loqui; cum igitur ea, quæ ſunt Sacerdotum, ſcilicet conſecrare Euchariſtiam, abſolvere à peccatis, prædicare verbum Dei in Eccleſiis prohibeantur mulieribus, ſatis conſtat ex jis nec Sacerdotium, nec alios ordines ad ſacerdotium relationem habentes illis attribui poſſe; & ideò *bene ait Div. Thom.*, non poteſt ordinis Sacramentum ſuſcipere; quod etiam videtur clarum ex prima inſtitutione Sacramenti Euchariſtiæ, ad quod omnes Ordines relationem habent: nam Chriſtus, quando inſtituit hoc Sacramentum ſolis diſcipulis dixit, hoc facite in meam commemorationem, per quæ verba & inſtituit Apoſtolos Sacerdotes, & illos ordinavit, ut *definitum fuit à Concil. Trident.*, (e) ſi quis dixerit illis verbis, hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe, ut ipſi, aliique Sacerdotes offerant corpus, & ſanguinem ſuum; anathema ſit; cum autem hæc verba numquam dixerit ad ullas ex mulieribus, immò nec matri ſuæ; ſignum eſt, quòd Sacerdotium illis attribuere eſſet contra Evangelium Chriſti *juxta illud Concil. Trident.* (f) ſæpe ſæpius repetitum, ex quibus æquè benè inſerendum eſt, quod mulier non habet ſuſcipere Sacramentum Ordinis, & characterem.

b Cap. 3.
c cap. 2.
d 1. c. 14. ad Corint.
e Seſſ. 22. can. 2.
f Seſſ. 23. cap. 1.

Nec contra *hoc ſtat illud Decret.*; (g) in quibus fit mentio de diaconiſſa, atque Præsbytera; cum ibi tantùm dicatur *diaconiſſa*, non quia jam ſuſceperit ordinis diaconatus gradum, ſed quia in aliquo actu participet diaconi, ſcilicet quæ legit homiliam in Eccleſia. *Et præsbyteri* dicitur vidua, quia ſenex, cum præsbyter idem ſit, quod ſenior; Sicut nec conſtat, quod Abbatiſſæ prælationem habeant, ſiquidem Abbatiſſæ, ut etiam diximus de clavibus, non habent clavem Ordinis, nec juriſdictionis, ſed ſolùm committitur illis aliquis uſus clavium, ut habere correctionem in ſubditas mulieres propter periculum, quod imminere poſſet, ſi viri mulieribus cohabitarent; ſic & in præſenti *dicitur à Div. Thom.*, (h) quod Abbatiſſæ non habent prælationem ordinariam, ſed quaſi ex commiſſione propter periculum cohabitationis virorum ad mulieres.

g Diſt. 23. cap. 1.
h 18 ad 3.

Nec adducatur exemplum de Debbora, iſta enim præfuit, utique, ut narratur *in lib. Judicum*, (i) erat autem Debbora Prophetes uxor Lapidoth, quæ judicabat populum in illo tempore, & ſedebat ſub palma, quæ nomine illius vocabatur, inter Rama, & Bethel in monte Ephraim, aſcendebantque ad eam filii Iſrael in omne judicium: at præfuit ſolùm in temporalibus, ut conſtat ex jis, quæ ſubduntur; quæ miſit, & vocavit Barac filium Abinoem de cedes Neptali, dixitque ad eum, præcepit tibi Dominus Deus Iſrael, vade, & duc exercitum in monte Thabor, tolleſque tecum decem millia pugnatorum de filiis Neptali, & de filiis Zabulon; non verò præfuit in Sacerdotalibus. Et ex eo, quod ſubditur de Debbora, quæ dixit ad eum, ibo quidem tecum, ſed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Siſara, ſolùm colligitur, quod donum Prophetiæ poteſt æque benè ſexus fœmineus recipere, cum Prophetia non ſit Sacramentum, ſed donum Dei, non enim ibi exigitur ſignificatio ſed res; *ait Div. Thom.*, (l) & quia ſecundum rem in jis, quæ ſunt animæ, mulier non differt à viro, cum quandoque mulier inveniatur melior quantum ad animam multis viris, hinc mirum non eſt, ſi recipere poſſit mulier prophetiæ donum, non verò Ordinis Sacramentum; eò quia in ordinandis præexigitur corona, licet non de neceſſitate Sacramenti, quæ tamen corona, vel tonſura mulieri non competit, immò prohibitum eſt illi tonderi, ſed caput velari debet, ut evitetur turpitudo, *ut habetur ex Paulo* (m) ſi turpe eſt mulieri tonderi, aut decalvari velet caput ſuum, ad differentiam viri, qui cum ſit imago, & gloria Dei, non debet velari caput ſuum, bene verò mulier, cum gloria viri ſit; & ideò ſubdit idem Apoſtolus, mulier ſi comam nutriat, gloria eſt illi, quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt.

i Cap. 4.
l Ibid. 1.
m ad Cor. p cap. 11.

Huic impedimento mulieris habet aliqualem connexionem etiam *impedimentum ſervitutis* propter ſubiectionem, quæ & in ſervitute reperitur; etiamſi diverſa ratio ſubiectionis ſit in muliere, ac in ſervo. Mulier namque ex natura ſua habet ſubiectionem, unde naturalis eſt, ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui; dixit Dominus Deus, & *ad Epheſ. Paulus dixit*, (n) mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino; naturale eſt enim creaturæ præſtare ſubiectionem Domino Deo ſuo, & ſic eodem ferè modo naturale eſt mulieribus præſtare ſubiectionem viris ſuis; veritatem hanc confirmavit idem Apoſt. *ad Coloſ.* (o) mulieres ſubditæ eſtote viris, ſicut oportet, in Domino: Hanc veritatem *& Princeps Apoſtolorum corroboravit, quia* & ipſe *dixit*, (p) ſimiliter & mulieres ſubditæ eſtote viris ſuis; igitur ſubiectio mulieris viro eſt naturalis, ad differentiam ſervi, qui etſi habeat ſubiectionem, illa non eſt naturalis, ſed civilis, quia de facto poteſt ſe ab illa liberari, immò erat præceptum judiciale in lege Domini, *Exodi*, (q) quod poſtquam ſervierit ſex annis, in ſeptimo egreſſus fuerat liber; *legitur enim*, ſi emeris ſervum hebræum, ſex annis ſerviet tibi, in ſaptimo egredetur liber gratis; quod nequit dici de mulieribus, quando ſunt ſub poteſtate viri, numquam enim liberantur à ſubiectione viri, niſi per mortem viri, *ut ait Paulus ad Rom.*, (r) nam quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro, alligata eſt legi; ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt à lege viri.

n Cap. 5.
o Cap. 3.
p 1. Pet. cap. 3.
q Cap. 21.
r Cap. 7.

Ob hanc ergo ſubiectionis diverſitatem inter mulierem, & ſervum adeſt & diverſitas impedimenti in ordine

Digitized by Google

ordines ſufficit, ut habeant ad minus quartum decimum annum, vel ſupra uſque ad vigeſimum primum; *determinat ergo Concilium ſic*, (e) e Seſſ. 23. cap. 12. Subdiaconi, & Diaconi ordinentur habentes bonum teſtimonium, & in minoribus ordinibus jam probati, &c. Sicut & *decrevit*, f Ib. c. inf. (f) hi verò ſcilicet, qui ordinantur ad minores ordines, non niſi poſt annum à ſuſceptione poſtremi gradus ordinum minorum ad ſacros ordines promoveantur, niſi neceſſitas, aut Eccleſiæ utilitas judicio Epiſcopi aliud expoſcat. De Tonſura autem habetur, quod requiritur tempus ſeptem annorum.

Ultrà hos ordines adeſt & *Epiſcopatus*, qui licet propriè non ſit ordo, attamen dicitur ordo, in quantum accipit per illum poteſtatem in Corpus Chriſti myſticum, ideòque dicitur, quod promovendus ad Epiſcopatum uſum rationis habere debet, maximè quia ad illud requiritur actus ſuſcipientis curam animarum paſtoralem, ac proinde *D. Th. dicit*, quod de neceſſitate cõſecrationis Epiſcopalis eſt, ut uſum rationis habeat; talis verò uſus magis apparere videtur in ętate 24. annorum, vel 30. & ideò in talibus ætatibus promoveri poſſunt; æquidem & Chriſtus Dominus triginta annorum erat, quando cępit facere, & docere, hoc autem fecit, non quia antea non poterat facere, & docere, ſed ad inſtructionem illorum, qui ſumere habent munus Epiſcopale; nam inſtruere fideles per bonos mores, & per exemplum vitæ, & docere illos de rebus ad fidem attinentibus, de obedientia præſtanda Eccleſiæ Catholicæ, de divinis, & Eccleſ. præceptis, & de omnibus, quæ ad utilitatem Eccleſiæ, & ad ſalutem animæ exiguntur, debent calere, ſcientiam, & notitiam omnium horum.

Quartò de impedimento homicidii, propter quod prohibentur viri homicidæ, & viri ſanguinum à ſuſceptione Ordinum; prohibetur & acceſſus horum ad ordines ſuſcipiendos, non quia talis prohibitio proveniat ex neceſſitate Sacramenti, ſed ſolùm provenit ex neceſſitate præcepti, quod homicida non ſit promovendus ad Ordines; patet enim, quod omnes ordines referuntur ad Euchariſtiæ Sacramentum, quod eſt Sacramentum pacis nobis factæ per effuſionem ſanguinis Chriſti, miniſtri autem debent conformari, hujus tamen Sacramenti, Chriſto paſſo, quod non poteſt conformari g in ſup. l q. 3. art. 4. homicida, cum, *ut ait Div. Thom.*, (g) homicidæ magis conformantur Chriſtum occidentibus, quàm ipſi Chriſto occiſo.

Diximus, quod *prohibentur viri homicidæ, & viri ſanguinum* &c. ſcilicet, cum per hoc velimus, quod non ſolùm excludatur homicida à ſuſceptione hujus Sacramenti, ſed etiam Judex, & omnes, qui in cauſa ſanguinis ei participant ob irregularitatem, quam incurrunt, quæ cum irregularitas in Judice, ſicut & in bigamo pœna non ſit, unde nec arcetur à Sacris Ordinibus ſuſcipiendis, ut afficiatur pœna, vel ſupplicio, ſed ob decentiam, quia non decet, ut qui ſanguine contaminatus ſit, Sacramenta Innocentiſſimi Chriſti, & immaculati Agni diſpenſet; & dicitur, quod non decet &c., ut ſciamus, hoc eſſe de neceſſitate præcepti, non de neceſſitate Sacramenti, ut per hoc diſtinguantur miniſtri veteris, ac novæ legis. Illi conſecraverunt manus ſuas in effuſione ſanguinis fratrum ſuorum, h Cap. 32. *ut legitur Exodi*, (h) feceruntque Filii Levi, juxta ſermonem Moyſi, ce ideruntque in illa die, quaſi vigintitria millia hominum; & ait Moyſes, conſecraſtis manus veſtras hodie Domino, unuſquiſque in filio, & in fratre ſuo, ut detur vobis benedictio: Miniſtri verò novæ legis conſecrare debent ſeipſos, etiamſi opus fuerit ad effundendum ſanguinem propter fidem Chriſti, non in effuſione ſanguinis alieni. *Differentia, quæ* i Ib. ad 1. *à Div. Thom. aſſignatur*, (i) vetus lex inferebat pœnam ſanguinis, non autem lex nova; ideòque non eſt ſimile de miniſtris veteris, ac novæ legis, quæ eſt jugum ſuave, & onus leve.

Prohibitio etiam habita *à Concil. Trident.*, *nam ab* l Seſſ. 14. de Refor. can. 7. *eodem ſtatutum fuit*; (l) Cum qui per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias ab altari evelli debeat, quia ſua voluntate homicidium perpetraverit, etiam ſi crimen id, nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, ſeù occultum fuerit, nullo tempore ad ſacros ordines promoveri poſſit, nec illi aliqua alia beneficia Eccleſiaſtica, etiamſi curam animarum non habeant, conferri liceat, ſed omni ordine ac beneficio, & officio Eccleſiaſtico perpetuò careat; ſi verò homicidium, non ex propoſito, ſed caſu vel vim vi repellendo, ut quis ſe à morte defenderet, fuiſſe commiſſum narretur, quam ob cauſam etiam ad Sacrorum ordinum, & altaris miniſterium, ut beneficia quæcumque, ac dignitates, jure quodammodo diſpenſatio debeatur, committatur loci Ordinario, qui non niſi cauſa cognita, & probatis proceſſibus, ac narratis, nec aliter diſpenſari poſſit.

Et licet *tempore Div. Thom.* incurreret irregularitatem ille, qui ſe defendendo cum moderamine inculpatæ tutelæ, non tamen peccaret, attamen hoc revocatum fuit *per novam Clementinam poſt mortem Div. Tho. titulo de homicidio voluntario, vel caſuali. Verba Clementinæ ſunt*, ſi furioſus, aut infans, aut dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Etidem de illo cenſemus, qui mortem aliter non valens vitare, ſuum occidit, vel mutilat invaſorẽ. Non ſic de illo, qui vi vim illatam repellat, & fugere non valeat, quia eſt perſona honeſta, nec honeſtum eſſet illi fugere, utique iſte ſi riſiſtendo occidat, incurrit irregularitatem, licet non veniat puniendus in foro ſeculari.

Quintò de impedimento illorum, qui non ex legitimo thoro nati ſunt, iſti enim repelluntur à ſuſceptione Ordinum, niſi cum eis diſpenſetur, quæ diſpenſatio tantò eſt difficilior, quantò eorum origo eſt turpior. Per hoc enim, quod dicitur, niſi cum eis diſpenſetur, videtur apertè, quod m in ſupl. q. 39. ar. 10. ſolùm de neceſſitate præcepti requiritur in eis quædam claritas ex quadam honeſtate, licet illa non requiratur de neceſſitate Sacramenti. Solùm ergò requiritur, quod ſint bonis moribus ornati reſpectu ſui, bonæ famæ reſpectu aliorum, & quod non ſint publicè pænitentes, quia ſi exiſterent tales, obſcuraretur quodammodo apud illos fama talium clericorum, non ratione, qua pænituerunt, ſed ratione, qua ante graviter peccaverunt; pariter obſcuraretur eorum fama bona, qui illegitimi ſunt nati, utpote ex vitioſa origine nati; nec eſt eadem ratio de vitioſo actu V. G., qui eſt concubinarius, ac de illo, qui ex vitioſa origine natus eſt in ordine ad ſuſcipiendum hoc Sacramentum, ſed diverſa ratio, quàm aſſignat *Div. Thom.* (n) ea, *inquit*, *quæ* n Ib. ad 4. per actum proprium committuntur, poſſunt per pœnitentiam per actum proprium aboleri, at vitioſa origo cum pertineat ad vitam non poteſt per actum proprium aboleri. Quapropter etiam in veteri lege prohibebatur iſtis ingredi in templum Domini, *ut habetur ex illo deut.* o cap. 23. (o) non ingredietur Manzer, hoc eſt de ſcorto natus, in Eccleſiam Domini uſque ad decimam generationem; ſi in lege veteri hoc erat indecens, multò magis hoc indecens erit in lege nova, eò quia nunc pertractanda ſunt Sacramenta, atque diſpenſanda, tunc autem omnia repreſentabantur in figura, ac proinde ſi tunc excludebantur iſti à miniſterio in templo, & modò excludi debent ab Ordinum ſuſceptione. Quod fundamentum deſumitur *etiam à Concil. Trident*, (p) in p Seſſ. 23. de Refor. cap. 7. hoc verò collegio recipiantur, qui ad minimum duodecim annos ex legitimo matrimonio nati ſunt; & legere, & ſcribere competenter noverint, & quorum indoles, & voluntas ſpem afferat, eos Eccleſiaſticis miniſteriis perpetuò inſervituros.

Pariter *idem Concilium confirmando omnia dicta etiam à Div. Thom ſtatuit*, (q) quod ad Catedralium Eccleſiarum regimen nullus niſi ex legitimo matrimonio natus, & ætate matura &c. præditus aſſumatur. q Seſſ. 7. de Refor. can. 1. Deinde *ex decret. habetur*, (r) quod filii Præsbyterorum, r Lib. 1. tit. 17. & cæteri ex fornicatione nati, ad Sacros ordines non promoveantur, niſi aut Monachi fiant, vel in congregatione canonica regulariter viventes, prælationem verò nullatenus habeant. Ex quibus tamen omnibus non videtur, quod filii illegitimè nati portent iniquitatem Patris, ex hoc, quod irregulares ſint; cum irregularitas

Digitized by Google

tas iſta ſit quædam indecentia, quia non decet illegitimus altari miniſtrare. Unde concluditur cum illo, *quod habetur in Catechiſmo Rom.* (*ſ*) quia decet, ut qui ſacris addicantur, nihil in ſe habeant, quo ab aliis meritò contemni, & deſpici poſſe videantur.

ſ 2. p. hic num. 33.

Sexto *de impedimento provenente ex defectu membrorum*, utſcilicet ex abſciſſione naſi, vel alterius membri inferentis, & cauſantis notabilem maculam, per quam obſcuretur claritas ordinandi. Idcircò *docet Div. Thom.*, (*t*) quod patientes defectum in membris impediuntur à ſuſceptione Ordinis, ſi ſit talis defectus, qui maculam notabilem inferat, per quam obſcuretur perſonæ claritas, ut abſciſſio naſi, vel periculum in executione facete poteſt, hoc eſt, ſi cæcus ſit, vel habeat manum abſciſſam; etenim pat. quod iſti tales habent impedimentum operandi, propter quod redduntur inepti ad ordines ſuſcipiendos, non minus ac illi, qui in veteri lege erant excluſi à miniſterio legis propter corporales defectus, ut conſtat ex ſupradictis.

t in ſuppl. q. 39. art. 6.

Nec hoc eſt addere afflictionem afflicto, cum non fiat cauſa affligendi, ſed ſolùm propter decentiam, non enim debent altari miniſtrantes eſſe turpes. Quamobrem dicitur, quod hæc afflictio, privativa, ſcilicet non promoveri ad ordines habentes corporales defectus, qui deformitatem cauſent, eſt de jure præcepti, quod quidem ſactum eſt, non ad afflictionem afflicto addendam, ſed ad dignitatem ordinis, & honeſtatem conſervandam, profectò etſi modò non irrideantur gibbi, vel monoculi, vel habentes manum aridam, provenit ex fidelium pietate admirantium bonitatem divinam in Sacramento; non perſonam deformem operantem in ſacrificio, vel in alio miniſterio; Hoc eſſe de jure præcepti, non promoveri ad ordines deformitatem in membris habentes, *à Div. Thom. aſſeritur, dùm ait*, (*u*) hæc autem integritas corporalis ſcilicet, & in membris requiſita exigitur de neceſſitate præcepti, non de neceſſitate Sacramenti.

u Ibid.

Nec eſt eadem ratio de integritate diſcretionis, quæ non reperitur in pueris, ac de integritate corporis, quæ non reperitur in mutilatis, aut deformibus, ſed magis diſpar ratio eſt, nam videmus manifeſtè, quod procedente tempore indiſcretio puerorum tranſit, & diſcretio advenit, ac proinde etiamſi promoverentur ante annos diſcretionis, non impeditur in illis ſuſceptio Ordinis, licet executio impediri poſſit, donec perveniatur ad diſcretionis ſtatum, non ſic de illis, qui integritate corporis carent; iſtis enim & impeditur ſuſceptio Ordinis, & quod magis eſt, executio ejuſdem, unde & irregulares fiunt; certum eſt enim, quod defectus integritatis membrorum ſubveniri numquam poſſunt à natura, & ab arte, & licet ab arte abſcondi poſſint aliqualiter defectus, numquam tamen à natura; deperdita namque manu natura non poteſt illi parti ſubveniri, & ideò dicendum eſt, quod licet artem ſuppleatur id, quod naturæ proprium eſt, tamen non ſequitur per hoc, quod ars poſſit exercere opera naturæ; cum etiam aliud ſit, quod abſcondat vitium corporis, & aliud, quod exerceat operationem illius de Impedimento bigamiæ erit ſermo infra de Matrimonio, pro nunc dicemus, bigamiam impedire non de neceſſitate Sacramenti; ſed de neceſſitate præcepti, ut ordines non poſſint ſuſcipi ab illis, qui bigamiam contraxerunt. Et unà cum Gregorio concludimus, præcipimus, *ait*: (*x*) ne umquam illicitas ordinationes facias, ne bigamum, aut qui virginem non eſt ſortitus in uxorem, aut ignorantem literas, aut habentem aliquam partem corporis vitiatam, vel pœnitentiæ, vel curæ, vel cuilibet conditioni obnoxium, ad ſacros Ordines permittas accedere.

x in Regiſ. lib. 2. c. 15.

Super quæſtionem Quadrageſimam.

De jis, quæ annexa ſunt Sacramento Ordinis.

OMnis homo vivere debet juxta legem, non ſolùm naturalem, à qua duo præcipua veluti mandata dantur, & ſunt, omnibus benefacere, & nulli facere malum, ſecundum illud, *quod tibi non vis, alteri ne feceris, & quod tibi vis, & altari feceris*; & ecce quomodo ea, quæ ſunt legis naturalia, fundamenta ſunt eorum, quæ in lege divina nobis præſcribuntur; Ut & diliges Dominum Deum tuum *ex toto corde*, nedùm ut auctor naturæ eſt, etenim ſemper reminiſci debemus, quod ipſe fecit nos, verùm etiam ut auctor gratiæ eſt, quoniam & redemit nos ab omnibus iniquitatibus noſtris, & dedit ſemetipſum pro nobis; *ex tota mente*, ne ſuperbiamur de noſtra poteſtate, quoniam & cinis ſumus, & in cinerem reduci debemus, ſed humiliare debemus mentes noſtras ad Deum, qui ſemper benefacit, etiam puniendo; *ex totis viſceribus*, ne alium Deum prēter ipſum diligamus; Ultrà hoc maximum mandatum eſt aliud ſimile, nempe diliges proximum tuum, ſicut teipſum, in hoc proculdubio apparebit dilectio proximi, ad obſervantiam divinorum mandatorum, & naturalium omnis, qui fidelis eſt, cujuſcumque conditionis, gradus, altitudinis tenetur; etiamſi inter fideles aliqui videantur occupati in rebus temporalibus, aliqui verò in rebus ſpiritualibus; hinc *ſtat illud Pauli ad Corint.* (*a*) volo vos ſine ſolicitudine eſſe; qui ſine uxore eſt, *hoc eſt*, qui ſine cura rerum temporalium vivit, ſolicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo; qui autem cum uxore eſt, qui agit circa mundana, ſolicitus eſt, quæ ſunt Mundi, quomodò placeat uxori, & diviſus eſt; non quod reiciendus ſit amor Dei, vel ſibimet, ſed & Deum, & uxorem, quæ eſt unum cum viro ſuo, diligere debet; Iſti autem Laici nominantur, iſti circa negotia ſecularia ſe implicare debent, ad iſtos pertinet & mercaturas facere, non tamen cum fraude, aliàs non eſſet timor Dei in illis, etſi non timor, nec dilectio charitatis, non cum uſura, ut appareat dilectio proximi. Illi verò Clerici vocantur, qui de ſecularibus negotiis curam non debent habere, ſed tantùm de jis, quæ circa divina ſunt, (*b*) & licet illi, qui ad divina miniſteria applicantur, debeant habere raſuram, & tonſuram in modum coronę ratione figurę, cum corona ſit ſignum rēgni, & perfectionis; unde illi, qui divinis miniſteriis applicantur, adipiſcuntur regiam dignitatem, & perfecti in virtute eſſe debent; & ratione ſubtractionis capillorum, etenim *ait Iſidorus* (*c*) ideò condere Clericos, ut intelligant ſe curas ſuperfluos reſecare, quę per crines, qui ſunt ſuperflua quędam capitis excrementa, ſignificantur. Hęc autem corona, ſive tonſura non dicitur ordo, cum illa nulla poteſtas ſpecialis, vel ſpiritualis tradatur, nam per illam non deputantur ad aliqua divini cultus officia, ſed tantùm ad Divinas laudes decantandas, ad quod ſaciendum non exigitur aliqua poteſtas ordinis. Per quam etiam receptionem coronæ non renuntiant temporalibus bonis, patrimonio Videlicet, attamen ſolicitudo tamen temporalium non debet eſſe nimia, ne contrarietur cultui divino.

a p. cap. 7.

b Can. Clericus 12. q. 1.

c lib. 2. de divin. officiis cap. 4.

Per tonſuram autem fit progreſſio gradus uſque ad gradum Sacerdotalem, ſupra quem datur aliqua alia poteſtas, nempe Epiſcopalis. & hoc reſpectu quarumdā actionum ſacrarum; adeſt alia poteſtas Superior in Eccleſia Dei, & hæc eſt Papæ, qui caput univerſalis Eccleſiæ eſt, & juxta hanc diverſitatem graduum aſſignatur & diverſitas veſtium; de quibus &c.

Ordines eſſe ſeptem *ſatis conſtat ex dictis juxta Concil. Trident. determinans etiam*, quod ita diſtributi ſint miniſtrorum ordines, ut qui jam clericali tonſura inſigniti eſſent per minores ad majores aſcenderent; & taliter inſigniti eſſe debent tonſura clericali. ut eam ſemper, qui ordinati ſunt, deferre debeant, & hoc quia mancipantur

pantur

pantor Deo, & applicantur ad divina miniſteria, cùm autem Deo ſerviant, opus eſt, ut aliquud ſignum in eis appareat, tale verò ſignum eſt tonſura, ſive raſura in modum coronæ, nam cum ſervire Deo, ſit regnare, hinc in præmium hujus promiſſum eſt nobis regnū cęlorum. Patet. n. coronā ſignum regni eſſe, immò & profeſſionis ob circuli figuram, quæ omnium perſectiſſima eſt: idcircò *D. Th.* ait, qui divinis miniſteriis applicantur, d in Suppl. q.40.a.1. adipiſcuntur regiam poteſtatem, quę iis maximè, qui in ſortem Domini vocati ſunt, videtur convenire, juxta id, *quod Petrus dixit*, (e) vos eſtis genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta; Illi autem, qui in ſortem Domini vacati ſunt clerici dicuntur, *Cleros namque*, e p.c.2. *Græcè, Latinè ſors.*

Niſi etiam dicamus, quod tonſura, quæ fit in capite, fit ad ſimilitudinem coronæ, ut cognoſcamus, hoc factum fuiſſe ad memoriam coronæ, quæ ex ſpinis contexta Salvatoris noſtri capiti ſuit impoſita, ut quod impii ad Chriſti ignominiam, & cruciatum excogitarunt, eo ad Decus, & gloriam uterentur Apoſtoli, ſimulq; ſignificarent curandum eſſe à miniſtris Eccleſiæ, ut omnibus in rebus Chriſti Domini Noſtri ſpeciem, & figuram gerant. Miniſtri enim Eccleſiæ parati ſemper eſſe debent, ut proſint omnibus, ut pauperibus ſubveniant, ut relinquant temporalia, ut quærant ſpiritualia, contemplent divina, humana reſpuant. Unde *Divus Tho. ib. eis, ſ. miniſtris Eccleſiæ*, competit ſalura, & tonſura ratione ſubtractionis capillorum, & ex parte ſuperiori per raſuram, ne mens eorum temporalibus occupationibus à contemplatione divinorum retardetur; & ex parte inferiori per tonſuram, ne eorum ſenſus temporalibus obvolvantur.

Dix, deferentes tonſuram in modum coronæ, quę ad gloriam, non ad ignominiā ſervire debet, unde malè agunt illi, qui etſi miniſtri divinorum, attamen verecundatur deferre raſuram hanc, & hoc ſignum eſt, quod deponunt proprios capillos, utinam cum illis & propria, quæ poſſident, deponeret in ſinu pauperum, & induunt alienis, ut videantur quaſi raptures ſubſtantiæ alienorum. Rurſus ad Dei ſervitutem, non ad ſervitutem dæmonis debet eſſe; nè fortè Deus denuò præberet mala illis, quæ jam comminatus fuit, *& Deuteronom.* (f) inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus devorabit carnes, f cap. 30.2 de cruore occiſorum, & de captivitate nudati inimicorum capitis; *Et per os Ier.* diſpergam eos in omnem g cap. 49. ventum, qui attonſi ſunt in comam. Imitandi ſunt verò in hac parte Nazaræi, qui ut profiterentur perfectionem quamdam non nutriebant comam, quia temporalia contemnebant, & licet non in modum Comæ, hoc tamen erat, quia nondum erat tempus regalis, & perfecti Sacerdotii; etenim omnia, quæ fiebant in veteri teſtamento, imperfectè repræſentabant ea, quæ in novo ſunt, in quo tam non debet coma totaliter tolli, licet ex alio capite nutrire comam viro ſit ignominia: *juxta illud Pauli ad Corint.* (h) vir quidem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi; cæterum eſſet in- h p.c. 11. decentia videre caput raſum totaliter, & etiam quia non debet ſignificari ſolùm abjectio temporalium, quia licet per capillos ſuperflua ſignificentur, in quantum ex ſuperfluis generantur, *& ſecundum illud Aug. in Ioan.* capilli ſuperflua corporis videntur, & ſecundum *Gregor.* caput tondere nihil aliud eſt, quàm ſuperfluas cogitationes à mente reſerare, attamen non ſunt o- i ca. 50. mnes ſuperflui per reſpectum ad coronam, vel decentiam; & ideò ſi totalliter tolerentur, tunc & formam coronæ dignitatem regalem repræſentans non appareret, & quædam indecentia capitis denudati videretur, ſed etiam regalis dignitas in forma coronę debet oſtendi, quæ tamen corona non competit converſis, ſed ſolùm clericis, utpotè dignioribus illis; l ib. ad 32 Benè ergo ait *D. Th.* (l) converſi ſimiliter tondentur propter rennunciationē temporalium, at non raduntur, quia non occupantur divinis miniſteriis, in quibus divina oporteat eos mente contemplari.

Inſigniti ergo corona non per hoc imprimitur in illis character, cum corona non ſit ordo, ſed præambulum hoc eſt via diſpoſitiva ad ordinem, juxta etiam *Conc. Trid* (m) prima tonſura non initientur, qui Sacra- m ſeſ. 23. de Ref. c.4 mentum Confirmationis non ſuſceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere, & ſcribere neſciant, & de quibus probabilis conjectura non ſit; eos non ſecularis judicii fugiendi fraude, ſed ut fidelem Deo cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe. Certum eſt enim, quod Clerici per primam tonſuram ſeparantur à populo, & miniſtri in Eccleſia n in Supp. q.40.a.2. ſiunt; *nec tunc loquitur D. Th.* (n) de miniſtris altaris deſervientibus, ſiquidem manifeſtum eſt, quod ad deſerviendum altari datur poteſtas ſpiritualis ordinis cum impreſſione characteris, ſed ſolùm intendit loqui de miniſtris, qui habent perſolvere laudes divinas in choro, ad quas perſolvendas, *ait D.Th.* non exigitur aliqua poteſtas ordinis, ſed ſolùm quædam deputatio ad tale officium, quod fit per coronam, per quam ſufficienter ſeparantur à populo ipſi clerici Unde per hoc, quod dicit *D.Th.* deputatio ad tale officium, non poteſtas etiam ſufficienter videtur, quod corona non ſit ordo, cum in illa non detur aliqua poteſtas; *pariter docet*, (o) in col- o ib. in S. Arg. ſed c. latione cujuslibet ordinis fit mentio de aliqua poteſtate, quæ traditur ordinato; cum ergo in collatione coronæ nullius poteſtatis ſiat mentio, ſatis conſtat, coronam non eſſe ordinem; ex hoc verò non negatur, quod ſit diſpoſitiu, cum ordinetur ſaltem remotè ad Euchariſtiam.

Sicut etiam ex eo, quod deputetur quis per coronam ad laudes divinas perſolvendas, non negatur, quod non habeat interius aliquod ſpirituale, quod eis reſpondeat, ſicut ſignatum ſigno; negatur tamen, quod ſit aliqua ſpiritualis poteſtas, & conſequenter negatur, quod ſit ordo, & interius negatur, quod imprimatur character per illam. Hoc totum aſſerit *D.Th.* (p) quamvis per co- p ib. ad 2 ronam non imprimatur character, deputatur tamen homo ad divinum cultum, quæ deputatio fit per ſummum Miniſtrorum, ſ. per Epiſcopum, qui cum teneat primum locum, ad ipſum, veluti ad Principem pertinet diſponere ea, quæ ad Eccleſiam à ſe rectam univerſaliter pertineant, unde & ipſemet Epiſcopus in ſignum ſupremæ dignitatis benedicit veſtes, vaſa, & alia, quæ ad divinum cultum applicantur, in quibus tamen rebus benedictis non imprimitur character, nec ordo infertur ergo mirum non erit, quod etiamſi ab Epiſcopo dari debeat corona, ſi per iſtam non imprimatur character, nec ordo inferatur, licet conſtituatur inſignitus corona in quodam altiori gradu, ut per illam à laico diſtinguatur, licet. ſ. laicus teneatur & ipſe ſervire Deo, & ejus mandata ſervare, ut ad vitam poſſit ingredi ęternā hæc omnia tamen facere tenetur, ut fidelis, non ut miniſter, ſicut illa tenetur facere clericus, cum deputetur ad divinum cultum, ideòque per hoc dicitur, quod conſtituitur in quodam altiori gradu, per quem tamen non debet aliquid præſumare exercere, ſ. aliquam poteſtatem, eò modo quò ad ordinem requiritur, ſed ſatis erit illi, ut cognoſcat eſſe conſtitutum in altiori gradu dignitatis tantùm, in quo tamen gradu dignitatis non poteſt pervenire ante 14. annum, cum ante ipſam ætatem non poſſit beneficium obtinere, Nullus prima q ſeſ. 23. de Ref. c. 6. tonſura initiatos, habetur *ex Conc. Trid.* (q) aut etiam in minoribus ordinibus conſtitutus, ante 14. annum, beneficium poſſit obtinere.

Inſigniti corona, poſſunt utique poſſidere bona r in ſupp. q.40. a.1. temporalia, non. n. *ait D.Th.* (r) clerici, qui coronam accipiunt, renunciant patrimonio, ſicut nec aliis rebus temporalibus; & hoc quia terrenorum poſſeſſio non contrariatur divino cultui, ad quem clerici deputantur; ſicut contrariatur omnia eorum ſolicitudo; quæ illicita ſ 2.2. q.55. a.6. eſſe poteſt triplici ex capite, *ut docet D.Th* (ſ) & ex parte ejus, de qua ſoliciramur; ut ſi tamquam finem temporalia quæramos. Et *D. Aug.* (t), inquit cùm Dominus t l de oper. Mon. c.26. dicit, nolite ſoliciti eſſe dicentes &c. hoc dicit, ut non iſta intueantur, & propter iſta faciāt, quidquid in Evangelii prædicatione facere jubeatur: Et redditur illicita propter ſuperfluum ſtudium, quod apponitur ad temporalia procuranda, per quod homo à ſpiritualibus quibus principalius inſervire debet, retrahitur, & hæc ſollicitudo vocatur à *Matth.* (u) *ſolicitudo ſeculi iſtius, propter quod addit, fallacia divitiarum ſuf-*

Digitized by Google

tiarum ſuffocat verbum. Hinc *Hieronymus*, blandæ ſunt divitiæ, aliud agentes, aliud promittentes; lubrica eſt earum poſſeſſio, dùm huc, illucque circumferuntur, & inſtabili gradu, vel habentes deſerunt, vel non habentes reficiunt.

Deinde ex parte timoris ſuperflui, quando aliquis timet, ne faciendo, quod debeat, neceſſaria ſibi deficiant; Et hoc Dominus tripliciter excludit, ut propter majora beneficia præſtita homini divinitùs, ſcilicet corpus, & animam, unde & dixit, *nonne anima plus eſt, quàm eſca, & corpus plus quàm veſtimentum?* Ergo admonet ipſa veritas, *nè ſoliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori veſtro, quid induamini*, ſcientes, *ut ait Hieronymus*, quod qui majoria præſtitit, & minora præſtabit. *Hinc Chryſoſtomus*, niſi enim voluiſſet conſervari, quod erat, non creaſſet: quod enim ſic creavit, ut per eſcam ſervetur, neceſſe eſt, ut det ei eſcam, quamdiù vult eſſe, quod fecit.

Secundò propter ſubventionem, qua Deus animalibus, & plantis ſubvenit abſque opere humano ſecundum proportionem ſuæ naturæ; *ſcriptum eſt enim, reſpicite volatilia Cæli, quoniam non ſerunt, neque metunt; neque congregant in horrea, & pater veſter Cæleſtis paſcit illa; conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt, non laborant; neque nent, & Pater veſter cæleſtis veſtit illa*; hoc totum provenit ex divina Providentia, ob cujus ignorantiam Gentiles circa bona temporalia quærenda principaliùs ſolicitantur; igitur nos fideles, & Eccleſiæ miniſtri, non debemus ponere ſolicitudinem in bonis temporalibus talem, ac tantam, ne Deo propter illa ſerviatur, & ob inopiæ timorem juſtitia deſeratur; principaliter itaque illam ponere debemus in bonis temporalibus, ſperantes utique, quod etiam temporalia proveniant nobis, ſi fecerimus, quod debemus, ergo, quàm benè infertur, *ne ſoliciti ſimus dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* per quæ omnia temporalia intelligere debemus. Scit enim Pater noſter cæleſtis, quod his omnibus indigemus; igitur tollenda eſt iſta ſolicitudo; ergo attendere debemus, ne propter bona temporalia ammittamus æterna; quod eſt id, quod Chriſtus Dominus dixit, *Matt.* (x) *non poteſtis Deo ſervire, & Mammonæ hoc eſt*, non poteſtis ad ſpiritualia attendere, ſi jam cor veſtrum ad aliud inclinatum non videtur eſſe, niſi ad bona temporalia cumulanda. Ideò ſcitote, quod nemo poteſt duobus Dominis ſervire, aut unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet, nemo enim poteſt ſimul divitiis, Chriſtoque ſervire, itaque etſi habeantur divitiæ, non tamen illis ſerviatur, quoniam qui divitiarum ſervus eſt, divitias cuſtodit, ut ſervus.

x Cap. 6.

Ex quibus dicimus à ſimili: illi, qui coronam accipiunt, etſi non renuncient bonis temporalibus, attamen totam ſolicitudinem in poſſeſſione illorum ponere non debent; ſcientes, *ut inquit Div. Gregorius*, (y) quod affectus in crimine eſt; ergo ſapientes eſtote, ut ne in contemptum evadatis apud Dominum, qui jam res hujus Mundi poſſident, ut per eas à divino cultu retrahantur. Exemplum habemus *de illo, qui accedens ad Ieſum, dixit illi*, (z) Magiſter bonè, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? Cui Jeſus, ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata, ſcilicet non homicidium facies, non adulterabis, non furtum facies, &c.

y li. 5. mo. cap. 28.

z cap. 18. Luca.

Diliges Deum tuum, qui unus eſt, & illum adorabis, & diliges proximum tuum. *Dixit illi adoleſcens*, omnia hæc cuſtodivi à Juventute mea, quid adhuc mihi deeſt? *At Ieſus dixit ad illum*, ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cælo, & veni, ſequere me. Cum autem audiſſet adoleſcens verbum iſtud, abiit triſtis. Quare autem hoc? Certè à nullo alio, niſi quia erat multas habens poſſeſſiones. Ecce ergo à quo ortum habuit triſtitia juvenis illius; ex amore ſcilic. ſuperfluo terrenorum, qui nunquam ſimul compati poteſt cum Dei amore. Servabat utique ille præcepta de dilectione Dei, & proximi, ſed apparenter, non enim Deum diligebat ſuper omnia, quia ad vocem Domini, *vade, ſequere me*, ab illo receſſit. Nec proximum ſuum diligebat, ſicut ſeipſum, quoniam ad illam vocem Chriſti Jeſu, *vade, vende, quæ habes, & da pauperibus*, omnia ſibi retinuit; unde non Deum, nec proximum diligebat, ſed divitias, quas poſſidebat; Iſte ergo juvenis Princeps erat, & conſequenter dominabatur in ſubditos, & tamen non dominabatur in ſeipſum, quia etſi Dominus, ſubditus tamen divitiarum erat. Ideòque dixit Jeſus diſcipulis ſuis, *Amen dico vobis, quia difficile dives intrabit in regnum Cælorum*; Quare autem hoc? Quia non qui habet divitias, ſed qui ſervit divitiis, cuſtodit eas, non ut Dominus, ſed ut ſervus. Quæ tamen omnia à *Div. Thom. habentur*, (a) Dominus dedignatur pars fieri eorum, qui res Mundi ita poſſident, ut ex æquo cum aliis diligatur; ita ſcilicet quod aliquis ponat finem ſuum in Deo, & in rebus Mundi; non autem dedignatur pars fieri eorum, qui res Mundi ita poſſident, ut per eas à cultu divino non retrahantur. Quo pacto debent eſſe illi, qui coronam accipiunt; attendant & bene ad id, quod Epiſcopus illis dicit, dùm coronam illis inſignit, *dicit enim*, Dominus pars hæreditatis meæ, per quod intendit, ut illi, qui deputantur ad divinas laudes, debent præ laicis diligere Deum, tanquam hæreditatem ſuam, ita ut nullam aliam hæreditatem terrenam diligant æqualiter cum illo; non verò quod per hoc nullam aliam hæreditatem, tanquam ſubordinatam ad illius hæreditatis primæ acquiſitionem admittant; non enim aliam hæreditatem anteponere debent, neque adæquare cum Dei dilectione. Ex quo apparet etiam differentia inter ipſos clericos, & laicos, quod iſti etſi teneantur nullam aliam hæreditatem habere, niſi Deum, attamen magis tenentur clerici, utpote magis deputati ad divinum cultum.

a ib. ad 6

Nec obſtat dicendum, quod cum Levitæ non acceperint partem hæreditatis cum fratribus ſuis, ita nec miniſtri Eccleſiæ hæreditatem habere debeant. Nam aliud eſt, quod Levitæ non acceperint hæreditatis partem cum fratribus ſuis, & aliud, quod non habuerint jus ad hæreditatem paternam. Ideò enim non acceperunt Levitæ, *ut ait Div. Thom.*, (b) partem cum aliis tribubus, quia erant per omnes tribus diſpergendi, ſi ergo unam partem determinatam terræ accepiſſent, non potuiſſent miniſtrare ſervitutem ſpiritualem omnibus tribubus, nec adimpletum fuiſſet illud mandatum Dei jubentis non terram, ſed decimas pro miniſterio habere; *ſic enim legitur Num*; (c) in terra eorum nihil poſſidebitis; nec habebitis partem inter eos; ego pars, & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael, filii autem Levi dedi omnes decimas Iſraelis in poſſeſſionem pro miniſterio, quo ſerviunt mihi in tabernaculo fœderis; Unde nec ſtat illud, quod de miniſtris novi teſtamenti dicitur, ſcilicet quod hæreditatem habere non debeant, ſed abſolutè debet affirmari, quod jus habeant poſſidendi terrena, licet ad impoſſibiliter poſſidenda ſe extendere non debeant.

b 10. ad 2

c Cap. 18.

Rurſus quamvis verum ſit, quod *dicitur ab Hog.* ſcilicet quòd poſtquā quis eſt factus Clericus, debet deinceps ſtipendiis Eccleſiæ ſuſtentari, præcipuè de illis, qui non habent, unde ſuſtententur. Ulterius ſi ſint indigentes, & promoveantur ad Sacros ordines, Epiſcopus, qui eos promovit, tenetur etiam eis providere. At *Concil. Trid. ob inconvenientia, quæ ex tali promotione reſultabant, ſic decrevit*, (d) cum non deceat eos, qui divino miniſterio aſcripti ſunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere, compertumque ſit quamplures, pleriſque in locis ad ſacros ordines nullo ferè delectu admitti, qui variis artibus, ac fallaciis confingunt ſe beneficium Eccleſiaſticum, aut etiam idoneas facultates obtinere, ſtatuit ſancta Synodus, ne quis deinceps clericus ſecularis, (quamvis aliàs ſit idoneus moribus, ſcientia, & ætate,) ad ſacros Ordines promoveatur, niſi priùs legitimè conſtet, eum beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſtè ſufficiat, pacificè poſſidere. Idcircò beneficium reſignare non poſſit, niſi facta mentione, quod ad illius beneficii titu-

d ſeſſ. 21. can. 2. de Reform.

lum

lium ſit promotus. Neque ea reſignatio admittatur, niſi conſtito, quod aliunde commodè vivere poſſit, & aliter ſacta reſignatio nulla ſit. Patrimonium verò, vel penſionem obtinentes ordinari poſthàc non poſſint, niſi illi, quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum ſuarum; eò quoque prius perſpecto patrimonium illud, vel penſionem verè ab ais obtineri, taliaque eſſe, quæ eis ad vitam ſuſtendandam ſatis ſint, atque illa ſine licentia Epiſcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus poſſint; donec beneficium Eccleſiaſticum ſint adepti, vel aliunde habeant; unde vivere poſſint, antiquorum Canonum pœnas ſuper his innovando. Placuit ergo nobis totum hoc decretum Sacri Concilii apponere, ut plena habeatur notitia tàm ab Ordinandis, quàm ab illis, qui ordinare debent; quod non poteſt illis eſſe aliquod ſuffragium, etſi eſſe poſſit, hoc nequit eſſe, niſi illis, qui deſerviunt Eccleſiis in Civitate Venetiarum; iſti enim ordinantur ad titulum Eccleſiæ, cum Eccleſiæ in tali Civitate Patrimonium habeant, unde eos alimentari poſſint, ac proinde ſolùm illis non ſubſunt pœnis à Sacris Canonibus ſtatutis.

Inſigniti corona ex eo, quod deputentur ad divinas laudes perſolvendas, computantur jam inter miniſtros Eccleſiæ per cujus computationem præbetur illis via, atque diſpoſitio, ut ſuſcipere poſſint omnes ordines, inter quos ſupremus eſt ordo Sacerdotalis, cum per iſtum conficiatur Sacramentum Sacramentorum, Euchariſtiæ ſcilicet, in quo Chriſtos ſumitur, ob cujus venerationem paratus ſemper debet eſſe animus ad illud adorandum (*adoratione latriæ*) maxima devotione, & reverentia, maximèque animus illorum, qui & manibus illud pertractant, & quotidie premunt dentibus, ac manducant, ad tam ſublimem dignitatem elevati ſunt; & iſti ſunt, qui Sacerdotalem gradum poſſident, & poteſtas hujus in æternum duratura eſt, utpote in anima, quæ cum gaudeat ſempernitate contracta ab exordio ſuæ creationis per voluntatem Omnipotentis Dei ſic gratioſè diſponentis, ita etiam in ſempiternum videbit ſe ornatam charactere illo Ordinis Sacerdotalis, ſupra quem tamen licet debeat eſſe aliqua poteſtas Epiſcopalis quantum ad actum ſecundarium, præparare ſcilicet populum Dei ad ſuſceptionem hujus Sacramenti, numquam tamen ſuprà ipſum videtur, quod debeat eſſe aliqua poteſtas Epiſcopalis quantum ad actum primarium, qui eſt conſecrare, cum, *ut aſſerit Div. Thom.* (*e*) quantum ad iſtum actum poteſtas Sacerdotis ex eo, quod eſt Sacerdos, minimè dependeat ab aliqua poteſtate ſuperiori, (*intellige tamen tu humana, quia ſi loquatur de divina, neceſſarium eſt, ut omnes ab illa dependent*) hoc autem dicitur ob differentiam actus ſecundarii, nam quantum ad iſtum ſas eſt, ut dependeat ab aliqua ſuperiori poteſtate, & humana. Ut conſideranti patet, quia Sacerdos etiam ſi in ſua ordinatione à peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant, attamen abſolvere, & ligare nequit, niſi præſuppoſita prælationis juriſdictione, qua illi ſibi ſubdantur, quas abſolvit. At conſecrare dummodò utatur materia à Chriſto Domino determinata, poteſt per poteſtatem propriam jam receptam per Sacram Ordinationem ſine ulla dependentia à ſuperiori poteſtate Epiſcopali, à qua licet ſuſpendi poſſint, atque à divinis Sacerdotes privari, tamen tales & ſuſpenſi, & à divinis privati ſi conſecrarent, licet illicitè conſecrarent, validè tamen conſecrarent ob poteſtatem, quam habent ob impreſſionem characteris; relinquitur ergo pluſquam certum, quod ſolùm quantum ad actum ſecundarium adſit aliqua poteſtas Epiſcopalis ſupra ſacerdotalem Ordinem. Et hæc eſt veritas, quam non ſolùm *docuit, & tradidit Dionyſius, dum dixit*; Sacerdotalis poteſtas ſe extendit ad purgandum, & illuminandum tantùm; Epiſcopalis verò poteſtas ſe extendit ad hoc, ut ultrà ad perficiendum, & hoc ſecundum quod illa tria ordinantur ad hierarchicas actiones, ut diximus.

Verùm etiam *ſtatuit Concilio Trident.*, (*f*) quamvis Præsbyteri in ſui ordinatione à peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant, decernit tamen Sacroſancta Synodus, nullum etiam regularem, poſſe confeſſiones ſecularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum deputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen (ſi illis videbitur neceſſarium,) aut aliàs idonens judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat.

Hanc veritatem *expreſſe docuit Div. Thom. dùm inquit ibidem*, omnis enim poteſtas, quæ non poteſt exire in actum, niſi præſuppoſitis quibuſdam ordinationibus dependet ab illa poteſtate, quæ illas ordinationes facit; talis autem eſt poteſtas ſacerdotalis, quæ nequit exire in actum abſolvendi ſcilicet, & ligandi, niſi prius accepta poteſtate à poteſtate ſuperioris, quæ Epiſcopalis eſt.

Hoc etiam manifeſtat ex paritate rationis, nonnè, *ait*, in Dominiis temporalibus datur unus, qui ſit vel Princeps, vel Dux, vel Rex. Si hoc in Dominiis temporalibus, quare non in Eccleſia Dei, in qua major poteſtas requiritur; cum illa poteſtas Principis, vel Regis tantùm temporanea ſit, & ſi habent abſolvere, & ligare, talis abſolutio, vel ligatio ſe extendit ſolùm ad corpus, nec circa animam habent aliquid operari, at poteſtas iſta Eccleſiaſtica circa animam operatur, quia habet abſolvere à peccatis, & illa retinere, quæ per animam radicaliter, per voluntatem verò formaliter committantur; & ideò mirum non debet eſſe, ſi In Eccleſia Dei debet dari unus, qui ſit primus, veluti princeps, & talis eſt Epiſcopos; Unde Epiſcopi & Princeps dicuntur, accepto ab Ethnicis nomine, qui Princeps Sacerdotum Pontifices appellare conſueverunt.

Hoc totum apertè videtur in Aaron, qni fuit Sacerdos, & Pontifex, ſcilicet Princeps Sacerdotum: Ab ipſo namque ſumpſit exordium Sacerdotalis poteſtas, in quantum fuit ſacerdos ſacrificia offerens, quod & licebat minoribus Sacerdotibus, *ut habetur exodi*, (*g*) applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis ſuis de medio filiorum Iſrael, ut Sacerdotio fungantur mihi: Aaron, Nadab, Aliù, Aleazar, & Ithamar: & rurſus *ibidem ſubditur*, facient veſtimenta ſancta fratri tuo, & filiis ejus, ut ſacerdotio fungantur mihi.

Non tamen ab eo, in qnantum fuit Pontifex; per quam poteſtatem poterat aliqua facere, quæ aliis minoribus Sacerdotibus facere non licebant, ut ingredi ſemel in anno Sancta Sanctorum, ſicut *ex Paulo* (*i*) in priori quidem tabernaculo ſemper introibant Sauerdotes, ſacrificiorum officia conſumantes; in ſecundo autem ſemel in anno ſolus Pontifex non ſine ſangnine, quem offert pro ſua, & populi ignorantia; *Juxta illud Exodi*, (*l*) & deprecabatur Aaron ſuper cornua ejus ſemel per annum in ſanguine, quod oblatum eſt pro peccato, & placabit ſuper eo in generationibus veſtris; Sanctum Sanctorum erit Domino. *Juxta illud Levitici*, (*m*) loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur ſanctuarium, quod eſt intra velum coram propitiatorio, in quo tegitur arca, ut non moriatur. Et quia omnia in figura contingebant illis, & omnia in figura poſita erant, *ideò Div. Th. ait*, (*n*) quod Sacerdos repræſentat Chriſtum in hoc, quod per ſe ipſum aliquod miniſterium implevit, quia ſicut Chriſtus ſe obtulit Patri pro nobis, ita Sacerdos offert æterno Patri hoſtiam viventem, Deo placentem, offerre autem æterno Patri hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, atque Immaculatam commune eſt omnibus Sacerdotibus. *Epiſcopus verò repræſentat Chriſtum in hoc, quod alios miniſtros inſtituit*, Apoſtolos ſcilicet, & *Eccleſiam fundavit*; ex quo patet, quod Epiſcopus magis ſimilitudinem Chriſti gerit, cum & ad ipſum pertineat miniſtros inſtituere, atque oridinare ſpectantes ad ſuam diæceſim, *juxta ſtatutum Concil. Trident.*, (*o*) ſi quis ab alio, Epiſcopo ſcilicet promoveri petat, nullatenus id ei etiam cujuſvis generalis, aut ſpecialis reſcripti, vel privilegii pretextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur; niſi

e in ſuppl. q. 40. ar. 4.

f Seſſ. 23. de Reſor. c. 14.

g Cap. 28.

i ad Hebr. cap. 9.

l Cap. 30.

m Cap. 16.

n Ib. ad 3.

o Seſſ. 23. de Reſor. cap. 7.

ejus probitas, ac mores ordioarii ſui matrimonio commendentur. Si ſecus fiat ordinans à collatione Ordinum per annum, & ordinatua à ſuſceprorum ordinum executione, quamdiù proprio Ordioario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus.

Rurſus Epiſcopus familiarem ſuum non ſubditum ordinare non poſſit, niſi per triennium ſecum fuerit commoratus &c. Et Eccleſiam ſundare, vel ſundatam ſubſtentare, atque deffendere etiam proprio ſanguine; nam bonus paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis, & pro bono Paſtore intelligitur Epiſcopus, de cujus munere eſt, ut paſcat exemplo, moribus, pietate, humilitate, & non ut à grege paſcatur: & deniq; Eccleſiam ſuam numquam repudiare, nam repudium, ſive libellum repudii, ſolùm in veteri lege permiſſum erat ob duritiem cordis eorum, modò autem prohibitum eſt, quia non præſuppouitur durities cordis in populo, ſed humilis ſubjectio ad legem, quam Chriſtus Dominus præſcripſit, & hoc magis dicitur de Epiſcopis, qui unam ſolam ſponſam ha- p ib. c. 8. bere debent. ſ. Eccleſiam: *juxta Can. Concilii Trident.* Nemo quacumque etiam digoitate, gradu, aut præeminentia præſulgens, plures Metropolitauas, ſeù Eccleſia Cathedrales in titolum, ſive commendam, aut quovis alio nomine, contra Sacrorum canonum inſtituta recipere, & retinere ſimul præſumat, cum valde felix ſit ille cenſendus, cui unam Eccleſiam bene, ac fructuosè, & cum animarum ſibi commiſſarum ſalute regere contigerit) quàm ſimplex Sacerdos. *Veritas hæc confirmata videtur à Conc. Trident.* (q) q ſeſſ. 23. can. 7. ſi quis dixerit, Epiſcopos non eſſe Præsbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi, & ordinandi, vel eam, quam habent, illis eſſe cum Præsbyteris communem; anathema ſit. *Ante determinationem verò Conc. Trid. D. To.* (r) *hoc docuit, dicere* r 2. 2. qu. 184. a. 6. ad 1. *præsbyteros non differre ab Epiſcopis inter dogmata hæretica numerat Aug.* (ſ) *de Hæreſibus in tit. de Arrianis*: dicit ſ l. de hær. c. 15. enim, quod Arriani dicebant, Præsbyterum ab Epiſcopo nulla differentia decerni debere: Ex quibus, & ex verbis Concilii apertè conſtat, Epiſcopos habere ſolam poteſtatem ſuperiorem Præsbyteris, quæ tamen poteſtas explicar dignitatem, non verò ordinem, etſi explicat ordinem non tamen illum, qui Sacramentum eſt, utpotè quia non imprimitur novus character in conſecrarione Epiſcopi.

Epiſcopatus itaque non eſt ordo, qui eſt Sacramen- t in Supp. q. 40. a. 5. tum, licet poſſit dici ordo, *teſte D. Th.* ſecundum quod eſt officinm quodam reſpectu quarumdam actionum ſacrarum; *& rurſus ait idem S. Doctor* (u) ordo prout eſt u ib. ad 2. Sacramentum imprimens characterem ordinatur ſpecialiter ad Sacramentum Euchariſtiæ, in quo ipſe Chriſtus continetur, quia per characterem ipſi Chriſto configuramur; & idcirco licet detur aliqua poteſtas ſpiritualis Epiſcopo in ſui promotione reſpectu aliquorum Sacramentorum, non tamen illa poteſtas habet rationem characteris, & propter hoc Epiſcopatus non eſt ordo, ſecundum quod ordo eſt Sacramentum quodam. Et de factoquamvis ſit poteſtas Epiſcopalis, hoc eſt ſuperior ad ordinem Sacerdotalem, attamen dependet à Sacerdotali, & taliter dependet, quod nemo eſt, qui poſſit recipere poteſtatem Epiſcopalem, niſi priùs habeat Sacerdotalem; igitur quantum ad ordinem, ſecundum quod eſt Sacramentum ab illa poteſtate Sacerdotali dependet, non verò dependet in ordine ad quamplures actinnes ſacras, cum in iſtis actionibus hierarchicis Epiſcopus habeat poteſtatem reſpectu corporis myſtici, quod eſt Eccleſia ſupra Sacerdotem, & hoc pacto ſolùm Epiſcopatus dicitur Ordo, *& ſic etiam illum nominat D. Dionyſius*, dùm aſſignat tres Ordines Eccleſiaſticæ hierarchiæ, ſ. Epiſcopum, Sacerdotem, & miniſtrum, per quod tamen non intendit aſſerere eſſe Epiſcopatum ordinem ſtrictè ſumptum, ſed tantùm communiter, ut ex ipſius verbis deducitur, *cum dicat tres ordines Eccleſiaſticæ hierarchiæ*, per quæ verba ſatis conſtat, quod exprimitur ſolùm major, & minus poteſtas in Eccleſia Dei, cum Epiſcopus habeat purgare, illuminare, & perficere; Sacerdos purgare, & illuminare; & miniſter tantùm purgare, ut ex dictis patet.

Rurſus colligitur hæc veritas ex differentia majorum Ordinum, & Epiſcopatus, per hoc, quod majores ordines conferuntur in Sabbatis, Epiſcopalis verò poteſtas traditur in Dominicis, ut deſignetur facultas ſuperior non in ordine ad conſecrandum, ſed in ordine ad agendum ſupra corpus myſticum, ſupra quod non tantùm habet poteſtatem juriſdictionis, ſed etiam ordinis communiter tamen accepti; inter autem has duas poteſtates adeſt hæc differentia, quod illa, quæ eſt ordinis, non poteſt alicui non Epiſcopo committi, benè tamen illa, quæ eſt juriſdictionis, cujus eſt judicare, excommonicare, corrigere, electos ad aliquam dignitatem confirmare, juramentum à Vaſſalis accipere, inveſtire, beneficia conferre, cognoſcere de cauſis, & alia, quæ conſiſtunt in juriſdictione; Illa verò ordinis eſt clericos ordinare, clericos deponere, Eccleſias, & altare conſecrare, virgines benedicere; Chriſma conficere, Confirmationis Sacramentum dare, ſolemnem pœnitentiam imponere, & alia, quæ in Epiſcopali conſecratione conferuntur.

Et ſi quis deſideret ſcire, quare ea, quæ ſunt juriſdictionis inferioribus committi poſſint, non verò ea, quæ ſunt pontificalis Ordinis; dicendum eſt, quod ea, quæ ſunt juriſdictionis ſolo verbo, & voluntate committuntur; cæterum ea, quæ ſunt Ordinis, & ad ordinem pertinentis, ut eſt collatio Sacramentorum, non conferuntur ſola voluntate, aut verbo, ſed opus eſt facta; neceſſaria eſt enim viſibilis, & exterior unctio, quæ eſt ſignum interioris, per quam unctionem poteſtas data non poteſt amitti, licet quandoque executio ſuſpendatur, quæ poteſtas conſecrationis data Epiſcopo meritò dicitur promotio.

Ultra Epiſcopos dantur *Archiepiſcopi*, *Patriarchæ*, *& Summus Pontifex; quod eſt id, quod ſentit Mag. Sent.* Ordo Epiſcoporum eſt quadripartitus, cum dividatur in Epiſcopos, Archiepiſcopos, Patriarchas, & Summum Pontificem. Verùm prius præſupponitur gradus Sacerdotii, qui licet ſit unus, varios tamen dignitatis, atque poteſtatis gradus habet; ideòque aſſignantur quinque gradus dignitatis, atque poteſtatis Sacerdotii externi.

Primus, ſ: gradus eſt eorum, qui Sacerdotes ſimpliciter vocantur, & iſtorum functiones jam ex hucuſque dictis declaratæ fuerunt.

Secundus gradus eſt Epiſcoporum, qui ſingulis Epiſcopatibus præpoſiti ſunt, ut cæteros Eccleſiæ miniſtros, & fidelem populum regant, & eorum ſaluti ſumma cum vigilantia, & cura proſpiciant. Ob hoc in Sacris litteris Paſtores ovium ſæpè appellantur, *juxta illud* (x) attendite vobis; & univerſo gregi, in quo Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, x c. 20. in Act. Ap. quam acquiſivit ſanguine ſuo, & à Div. Petro divina quædam Epiſcopatus miniſterii regula tradita eſt: *inquit enim* (y) paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei y c. 5. providentes non coactè, ſed ſpontaneè, ſecundum Deum, non lucri turpis gratia, ſed voluntariè; neque ut dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo.

Paſcite ergo, qui in vobis eſt gregem Dei bonis moribus, & exemplis, & quod maximum eſt, eleemoſynas erga pauperes diſtribuite, quod verè paſcere gregem, ut etiam decrevit *Conc. Trid.* (z) omninò eis, Epiſcopis ſ. z ſeſſ. ult. Sancta Synodus interdicit, ne ex redditibus Eccleſiæ, conſanguineos, familiareſve ſuos augere ſtudeant; cum & Apoſtolorum Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt conſanguineis donent: ſignum eſt ergo, quod patrimonium Eccleſiæ ad ſubventionem pauperum datum eſt, & Epiſcopi ſolùm œconomi rerum Eccleſiaſticarum dicuntur, & ſunt. *Providentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundum Deum, ob hoc Conc. Trid.* (a) a ſeſſ. 23. cap. 4. *hæc benè, maturèque conſiderando, in primis docuit.* In Ordinatione Epiſcoporum, Sacerdotum, & cęterorum ordinum, nec populi, nec cujuſvis poteſtatis ſecularis, & Magiſtratus conſenſum, ſive vocationem, ſive auctoritatem, ita requiri, ut ſine ea irrita ſit ordinatio, quin potius decernit eos, qui tantummodo

Digitized by Google

modò populo, aut ſeculari poteſtate, ac Magiſtratu vocati, & inſtituti ad hæc miniſteria exercenda aſcendunt, & qni ea propria temeritate ſibi ſumunt; omnes non Eccleſiæ miniſtros, ſed ſures, & latrones per oſtium non iogreſſos, habendos eſſe. *Deinde decrevit,*
[b Ib. can. 7] (*b*) ſi quis dixerit, eos qui oec ab Eccleſiaſtica, & Canonica poteſtate rite ordinati, nec miſſi ſunt, ſed aliundè veoiunt legitimos eſſe verbis, & Sacramentum miniſtros; anathema ſit.

Neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè. Juxta Concil. Trid. ſic ſtatuens (*c*) Quoniam ab Eccleſiaſtico Ordine
[c Seſſ. 21. de Ref. cap. 1.] omnis avaritiæ ſoſpicio abeſſe debet; nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam clericalis tonſuræ, nec pro literis dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, aut alia quacumque de cauſa etiam ſpontè oblatum Epiſcopi, & alii Ordinum collatores, aut eorum miniſtri, quovis prætextu accipiant. Et poſtea in fine ſubdit, contrarias taxas, ac ſtatuta, & conſuetudines etiam immemorabiles, quorumcumque locorum, (quæ potiùs abuſus, & coruptellæ ſimoniacæ pravitati favenıes ouncupari poſſunt,) penitùs caſſando, & interdicendo; & qui ſecus fecerint tàm dantes, quàm accipientes ultrà divinam ultionem, pœnas à jure inflictas ipſo facto incurrant.

Neque ut dominantes in Cleris hoc eſt non ſuperbire de dignitate, ſed cum omoi humilitate ſe gerere erga gregem ſibi commiſſum; *unde dicebat Paulus*; ne io ſuperbiam elatus, *ſed ut ſcripſit*, (*d*) cum omoi humilita-
[d 1. Ep. cap. 3. ad Timot.] tem, & manſuetudine, ac protoſdè *ſubditur ſed forma facti gregis ex animo.* Ut non verificetur illud *Æthuum Apoſt. loco citato*, de quibuſdam tamen qui Eccleſiam Dei regoot abſoluto Dominio abſque conſideratione, quod de grege ſibi commiſſo reddituri ſunt rationem: de his *loquendo Concilium Tridentinum, antequam ſtatuat canones contra eoſdem dicit*, oulli hoc tempore reperiuntur, qui propriæ etiam ſalutis immemores, terrenaque cœleſtibus, ac divinis humana præferentes; in diverſis curiis vagantes, aut in negotiorum temporalium ſolicitudine (ovili derelicto, atque ovinm ſibi commiſſarum cura neglecta,) ſe detinent occupatos.
[e cap. 4. ad Epheſ.] Ego ſcio, *dicebat Paulus*, quoniam intraboot per diſceſſionem meam lupi rapaces *in* vos non parcentes gregi, *quaſi diceret*, omnia in proprium commodum reduceotes, & in ſinu pauperum nihil ponentes.

Tertius gradus eſt Archiepiſcoporum, qui pluribus Epiſcopis præſunt, & metropolitani dicuntur; eò quia illarum urbinm Antiſtites ſiot, quæ tanquam Matres habeantnr illius Provinciæ, unde nec mirùm ſi ſuperiorum; quàm Epiſcopi locum, & ampliorem poteſtatem habeat, tametſi nihil differant ab Ordinatione Epiſcoporum. *Et ideò Conc. Trident. ad hanc rem ſtatuit.*
[f Seſſ. 24. de Reform.] (*f*) Provincialia Concilia, ſiccubi commiſſa ſunt, pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, controverſiis componendis, aliiſque ex ſacris Canonibus permiſſis renoventur. Quare Metropolitani per ſeipſos, ſeù illis legitimè impeditis coepiſcopus antiquior iotrà annum ad minus à fine præſentis Conciliis, & deinde quolibet talem triennio poſt octavam Paſchæ Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ſeù alio commodiori tempore pro more Provinciæ non prætermittat Synodum in Provincia ſua cogere; quo Epiſcopi omnes, & aliì, qui de jore, vel de conſuetudine intereſſe debent; (exceptis his, quibus cum imminenti periculo transferendum eſſet) convenire omninò teneantur.

[g lib. 1. c. 1.] *Quartus gradus eſt Patriarcharum*, & quatuor enumerantur, omnes pares tamen dignitate non ſunt. *Et primus eſt Conſtantinopolitanus*, quod etſi poſt omnes hic honos delatus ſit, tamen ob imperii majeſtatem altiorem locum obtinuit. *Secundus eſt Alexandrinus*, cujus Eccleſiam Marcus Evangeliſta juſſu Principis Apoſtolorum fundavit.

[h Ser. 15. de Sanct.] *Tertius eſt Antiochenus*, (*g*) ubi Petrus ſedem primò locavit; *de quo Div. Auguſt. dixit*, Inſtitutio ſolemnitatis hodiernæ à ſenioribus noſtris Cathedræ nomen accepit, ideò quod primus Apoſtolorum Petrus hodie Epiſcopatus cathedram ſuſcepiſſe referatur. *Sicut D. Hier. loquendo de Marco Evang. ait*, (*i*) aſſompto [i li. de ſcrip. Eccleſ.] itaque Evangelio, quod ipſe confecerat, pervenit in Ægyptum, & primus Alexaodriæ Chriſtum annuncians, conſtituit Eccleſiam tamen doctrina, & vitæ continente, nt omnes ſectatores Chriſti ad exemplum ſui cogeret.

Hieroſolimitanus extremum gradum habet, quam Eccleſiam Jacobus frater Domini rexit; *ut legitur in feſto ejuſdem die 25. Menſis Iulii*, primus Apoſtolorum Jeroſolymis profuſo ſanguine teſtimonium Jeſu Chriſti dedit.

Quintus gradus eſt ſummi Pontificis, & hinc Romanum Pontificem maximum Eccleſia Catholica ſemper venerata eſt, univerſalique eidem Eccleſiæ Catholicæ, ut Petri ſucceſſor, Chriſtique Domini verus, & legitimus Vicarius præſidet; *ſicque ſtatutum fuit etiam in Concilio Conſtantinopol.*, (*l*) veneramur ſecundum ſcri- [l Can. 21.] pturas, & ſecundum canonum ſtatuta, & definitiones Sanctiſſimum antiquæ Romæ Epiſcopum primum eſſe, & maximum Epiſcopum, & poſt ipſum Conſtantinopolitanum Epiſcopum. *Et Cyrillus Alexandrinus dixit*, ut membra maneamus io capite noſtro Apoſtolico Throno Romanorum Pootificum, à quo noſtrum eſt quærere, quid credere, & quid tenere debeamus, ipſum venerantes, ipſum rogantes pro omnibus, quooiam ipſius ſolius eſt repræhendere, corripere, ſtatuere, diſponere, ſolvere, & ligare loco illius, qui ipſum ædificavit; & nulli alii, quod ſuum eſt plenum, ſed ipſi ſoli dedit, cui omoes jure divino ioclinant, caput, & primates Mundi, tamquàm ipſi Domino noſtro Jeſu Chriſto obediunt; *juxta quæ omnia à Div. Th.* (*m*) cum tota Eccleſia ſit unum corpus, oportet, ut [m in ſupl. q. 40. ar. 6] debeat conſervari unitas, & ut conſervetur talis unitas, fas eſt, ut ſit aliqua poteſtas regitiva reſpectu totius Eccleſiæ ſupra poteſtatem Epiſcopalem, qua unaquæque ſpecialis Eccleſia regitur, & hæc eſt poteſtas Papæ. Quapropter qui negant poteſtatem hanc, Schimatici dicuntur, quaſi diviſores unitatis Eccleſiæ. Et ideò licet omnibus Apoſtolis data ſit communiter poteſtas ligandi, atque ſolvendi, *ſicut dictum eſt ex Ioanne*, (*n*) quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c. [n Cap. 20.] Hæc taooeo poteſtas Epiſcopalis ſuit; nam omnes conſtituti fuere Epiſcopi, de quorum munere eſt prædicare verbum Dei, & ponere animam ſuam pro ovibus ſuis, ut Apoſtoli, taoquam veri, & legitimi paſtores fecerunt, edocti jam à Chriſto Domino, *qui dixit illis*, (*o*) bonus paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis; mercenarius antem, *ille* ſcilicet, *qui deditus eſt* [o Io. c. 10.] *carni, & ſanguini*, & qui non eſt paſtor, *quia non bonus paſtor*, cujus non ſunt oves propriæ, *hoc eſt*, *quia ſibi illas non appropiant, utpote affecti bonis temporalibus, auro, & argento, bonis ſpiritualibus tamen relictis, cura animarum ſibi ſubditarum*, videt lupum veoientem, *dæmonem* ſcilicet, *qui inſidiator animarum eſt*, & dimittit oves, & fugit, ob avaritiam, & ob nimium amorem ſui ipſius. Hoc antem oon eſt de officio paſtoris legitimi, ac ſancti, ſed eſt opponere præcepto Dei, & Chriſti, *ut narrat Marcus*, (*p*) qui dixit diſcipulis ſuis, euntes in Mundum uni- [p Cap. 16.] verſum prædicatæ Evangelium omni creaturæ.

Et licet hujuſmodi poteſtas data fuerit illis in communi, attamen in particulari & cum majori poteſtate data fuit Petro, *ut habetur Matt.*, (*q*) ego [q Cap. 16.] dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Petra itaque eſt, & tàm ſolida, ut adverſus eam non prævalebuot hæretici ad illam deſtruendam. Petra ita firma, ſupra quam jam ædifidata eſt Eccleſia Dei, quod etiam portæ inferi adverſus eam numquam prævalebunt; veniant hæretici, veniant Schiſmatici, etiam aliquam partem laceraverint, atque diviſeriot, tamen ejus fundamentum non tollent, utpote quia

V 3 fun-

fundamentum eſt æternum, cum aliud non ſit, r 1. ad Corinth. niſi Chriſtus Dominus, *juxta illud Pauli* (r) fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus; ſupra hoc fundamentum poſuit Petram Petri, cui dedit poteſtatem ſpecialem aperiendi, & claudendi regnum cœlorum, *dùm ipſi ſoli dixit*, & tibi dabo claves regni cœ- ſ ib. ad 2. lorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram &c.

Poteſtas, à qua omnis alia poteſtas Epiſcopalis derivata eſt, *veritas confirmata à Divo Thoma docente*; primò ſoli Petro data eſt poteſtas ligandi, atque ſolvendi, ut oſtendatur, quod ab eo in alios iſta poteſtas debeat deſcendere, propter quod etiam ſi dixit ſingulariter, & tu aliquando, *quando ſ. inſurgunt hæreſes con-* t Luc. c. 22. *tra Eccleſiam Dei*, (t) confirma fratres tuos *in fide*, quę numquam deficiet, etiamſi multi ioiqui exiſtent. Veritas, quæ jam ab ore Chriſti Domini prolata fuit, *dùm dixit ad ipſum Petram*, ego autem rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua. Singulariter dixit u Io. c. 21. (u) Chriſtus Petro, paſce oves meas, *illæ ſcilicet oves quæ non tantùm audiunt vocem meam, ſed illæ, quæ audiunt vocem meam, & voluntatem etiam, meam faciunt*, has paſce loco mei; Quapropter omnis Eccleſia agnoſcendo Petrum pro legitimo ſucceſſore Salvatoris noſtri illum adorando canit, *tu es paſtor ovium; Princeps Apoſtolorum, tibi tradidit Deus claves regni cælorum. Et D. Chriſoſtomus explicando dictum Ioannis, paſce oves meas, inquit*, præpoſitus, & caput eſto fratrum; ut ipſi te in loco meo aſſumentes ubique terrarum te in throno meo ſedentem prædicent, & confirment; omnes illi, *v pontifices, qui diſperſi ſunt per totum orbem, cum toto populo, & clero* quia etſi diſperſi ſint per univerſum Mundum, tamen ſub uno congregati ſunt, ex quo videtur eſſe colligatio ad unum; Quam colligationem non reperiri in ritu Iudæorum certum eſt, utpotè quia eorum ritum non erat diffuſus in diverſis regnis; atque Provinciis, ſed continebatur tantùm in una gente, in uno ſolo regno, ac proinde non requirebat ritus Iudæorum illam multiplicationem poteſtatum, *juxta id, quod docet D. Tho.* x ib. ad 3. (x) non oportebat quod ſub eo, qui habebat poteſtatem, principalem alii pontifices diſtinguerentur: reperiebatur verò illa colligatio in ritu Gentilium, eò quia & iſte diffundebatur, ſicut & diffunditur per diverſas nationes, ob quod mirum non debet eſſe, ſi ritus Eccleſiæ in hoc magis conformetur ritui Gentilium, quàm ritui Iudæorum, ut aſſerit D. *Thom.* ergo nec mirum, ut ſub Eccleſiæ ritu debeant eſſe multi Pontifices, *nominati Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ*, in uno tamen congregati, & ſub obedientia unius capitis, *qui eſt Summus Pontifex ſedens in Sancta Romana Eccleſia*. Et licet Pontifices tales nominentur, omnes tamen æquales ſunt, quoad ea, quæ ſunt Epiſcopalis Ordinis, unus namque Epiſcopus conſecrat alium, cum omnes habeant æqualem auctoritatem ſuper corpus Chriſti myſticum, cum dependentia tamen à Papa, qui eſt caput in genere Epiſcoporum, & ſic poteſtas Epiſcopalis exceditur à poteſtate Papæ, quaſi à poteſtate ejuſdem generis, nam omnem actum hierarchicum, quem poteſt facere Papa in miniſtratione Sacramentorum, poteſt facere & Epiſcopus.

Dicitur in miniſtratione Sacramentorum, ut per hoc ſciamus, quod mens *D. Th.* (y) non eſt, ut abſo- y ib. ad 5. lutè Epiſcopus facere poſſit, quæcumque facere poteſt Romanus Pontifex, benè verò cum limitatione ad actum hierarchicum in miniſtratione Sacramentorum, & hoc eſt ad differentiam poteſtatis Sacerdotis, quæ exceditur à poteſtate Epiſcopi, quaſi à poteſtate alterius generis, non enim ſimplex Sacerdos poteſt habere actus hierarchicos ad Epiſcopos pertinentes; quapropter poteſtas ſimplicis Sacerdotis continetur intra limites conſecrationis corporis Chriſti, & non ad habendam poteſtatem ſpiritualem ſupra corpus Myſticum, quod eſt Eccleſia, ac per conſequens nec ordinare, nec conſecrare poteſt Epiſcopos.

Ordo denique, cum nedùm ſit in Eccleſia, ut ordinatur ad Sacramentum Euchariſtiæ, verùm etiam, ut dicit quodam officium reſpectu quarumdam actionum Sacrarum, hinc eſt, quod ad hoc ut reverenter miniſtretur, & Sacramentum Euchariſtiæ ad altare, & officio miniſtrorum, ſicut & Epiſcoporum appareat conveniens videndum reſtat, quid requiratur ad hæc officia præſtanda. Et ſi veſtes, quales, & quomodo; ut omnia cum honore ad divinum cultum ſpectante repræſententur: nam & *D. Thomas docet* (z), z in Suppl. q. 40 a. 7. quod veſtes miniſtrorum deſignant idoneitatem requiſitam ut ſ. digni miniſtrentur, quæ idoneitas requiritur in his ad tractanda divina; Et iſtæ veſtes, quædam ſunt communes miniſtris omnibus ab oſtiario, ſcil. uſque ad Archiepiſcopum, unde omnibus miniſtris convenit amictus humeros tegens, cum per hoc ſignificetur fortitudo ad divina officia, quibus mancipatur; omnibus etiam convenit alba, & cingulum, cum per albam denotetur puritas vitæ, & per cingulum repreſſio carnis.

Quædam verò requiruntur in ſuperioribus, quæ non ita exiguntur in inferioribus, unde Subdiaconis manipulus, & ſtricta competunt, non verò illis, qui minores ordines ſuſceperunt. Et hoc quia Subdiaconus debet eſſe puriſſimus, unde illi datur manipulus, qui ſignificat exterſionem omnium macularum minimarum; Manipulus namque eſt quaſi ſudarium ad extergendum vultum; datur etiam illi tunica ſtricta, quia iſta ſignificat doctrinam Chriſti, ſic & in veteri lege a cap. 28. in ipſa tunica tintinnabula pendebant, ut legitur in *Exodo* (a) deorſum verò ad pedes ejuſdem tunicæ per circuitum, quaſi mala punica facies ex hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis.

Diaconus verò ultrà manipulum, & tunicam ſtrictam habet ſtolam in ſiniſtro humero, & dalmaticam, quæ eſt veſtis larga, *& hoc ad deſignandum, quod ipſe primò diſpenſator Sacramenti peratur*.

Sacerdoti verò in utroque humero ponitur ſtola, ut oſtendatur per hoc, quod ei plena poteſtas diſpenſandi Sacramenta datur, non ut miniſtro alterius. & ideò ſtola deſcendit, uſque ad inferiora; habet & caſulam, quæ ſignificat charitatem, ipſe enim conficit Sacramentum charitatis, Euchariſtiam, ſcilic.

Et quia ſuper ordinem Sacerdotalem datur aliqua poteſtas Epiſcopalis, hinc eſt etiam, quod ſupra Sacerdotem habentem jam ornamenta enumerata, dantur & Epiſcopi, quibus adduntur ſupra Sacerdotes novem ornamenta. *Et ſunt caligæ per quas ſignificatur rectitudo greſſuum*, ambulare enim debent in innocentia, & in lumine Dei; *ut de illis dicatur illud Pſalmi* (b) Beati immaculati in via, qui ambulant b Pſ. 118. in lege Domini; etenim Beati eſſe non poſſunt, niſi prius immaculati ſint, nec immaculati unquam erunt, niſi ambulando in via, hoc eſt in lege Domini) & ideò neceſſariæ ſunt caligæ quia nullum debet eſſe impedimentum internum, vel externum, quod habeat impedire greſſus ſuos, hujuſmodi autem impedimenta ſunt & luxuria, avaritia, inimicitia, crudelitas; *Hinc Aug. ſuper Pſ. ibidem*, quiſquis libidinis deditus, ut luxuria, ſtupriſque corrumpatur: in hoc malo beatitudinem quærit; & ſe miſerum putat, cum ad ſuæ concupiſcentiæ voluptatem, lætitiamque non pervenit; beatum verò non dubitat, ſe jactare cum pervenit; Et quiſquis avaritiæ facibus inardeſcit, ad hoc congregat quocumque modo divitias, ut beatus ſit.

Quicumque molitur inimicorum ſanguine fundere, quicumque deſiderat dominationem, quiſquis affectat crudelitatem ſuam explere, quiſquis alienis cladibus paſcitur, in omnibus ſceleribus beatitudinem quærit. Hos igitur errantes, & veram miſeriam falſam beatitudinem requirentes, revocat ad viam, ſi audiatur vox illa Divina, *Beati immaculati in via*, qui

ambu-

Digitized by Google

ambulant in lege Domini; & illi verè immaculati erunt, qui & velociores erunt ad ambulandum in via Domini, hoc denotatur per caligas, *caliga namque eſt quoddam veſtimentorum genus non habens corium ſupra pedem*. Hinc & *Angelus ad Petrum dixit*, ſurge velociter; præcingere, & calcea te caligas tuas, ad velocitatem deſignandam, quæ requiritur ad ambulandum ſecundum Dei voluntatem, legem, ac mandata. *Sandalia, per iſta ſignificatur contemptus terrenorum; ſandalium eſt muliebris veſtimenti genus, unde legitur in lib. Judith.*, (c) quod induit ſandalia pedibus ſuis. Sandalia namque non veſtiunt totum pedem, ſed ſolummodo muniunt plantas. *Hinc Div. Thom. ad Epheſ.*, (d) habent ſandalia ſubtus ſoleas, apertaque ſunt ſuperius. Per ſoleas ſignificatur elevatio mentis à terrenis: ſunt aperta ſandalia ſuperius ad ſignandam promptitudinem recipiendæ divinæ Sapientiæ. Ibi Apoſtolus, calceati pedes in præparationem Evangelii pacis, ſcilicet diſpoſiti affectibus; dùm enim temporalibus nimis intendimus, non habemus pedes paratos ad divina negotia, & myſteria annuncianda.

c Cap. 10.
d Capit. 6. lect. 4.

Succinctorium, quo ſtola ligatur cum alba, amor honeſtatis. De iſto dicitur Iſaiæ, (e) quod erit juſtitia cingulum lumborum ejus. *De iſto dicitur Lucæ*, (f) ſint lumbi veſtri præcincti; & *Div. Gregorius hom. ait*, (g) lumbos enim præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus; *de iſto legitur, ut ait Feſtus*, cingulo nova nupta præcingebatur, quod vir in lecto ſolvebat; unde videtur, quod per omnia iſta denotatur honeſtas in corpore.

e Cap. 5.
f Cap. 12.
g Hom. 13. in Evang.

Tunica, & *habet denotare perſeverantiam*, unde perſeverare debet in bonis moribus, in exemplo, qui veſtitur tunica, *Et ideò dicitur Levit.*, (h) veſtietur tunica, ſcilicet perſeverantia, Sacerdos; & multò magis Epiſcopus, qui in omnibus præbere debet exemplum bonorum operum.

h Cap. 16.

Dalmatica, & *per hanc denotatur largitas in operibus miſericordiæ*. Et hoc quia largè, & abundanter diſtribuere debet patrimonium Eccleſiæ in uſu pauperum, quoniam patres pauperes, ſunt tenentur namque de ſuperfluis eleemoſynas facere. *Hinc Hieronymus in Serm. S. Laurentii inquit*, Eccleſiæ bona pauperum ſunt, quidquid præter victum, vel veſtitum r ſervaſti, ſacrilegium eſt. Præcipuè tamen tenentur Epiſcopi de ſuperfluis eleemoſynas facere; *Hinc Div. Thom. docet*, (i) ſi aliquid ſibi retinuerit Epiſcopus de his, quæ ſunt pauperibus eroganda, vel etiam in uſum miniſtrorum, aut in cultum divinum expendenda, non eſt dubium, quod contra fidem diſpenſationis agit, (etenim ad diſpenſatorem requitur bona fides, *juxta illud Pauli*, (l) Hic jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis, quis inveniatur) & mortaliter peccat; & ad reſtitutionem tenetur. Ac ne in hoc malum incidant Epiſcopi melius facerent, ſi omnia bona ſua diſtribuerent pro honore Dei, & pauperum largitione; nam & *teneri ad hoc aſſerit Div. Thom.*, (m) ad hoc autem maximè tenentur Epiſcopi, quod omnia ſua pro honore Dei, & ſalute ſui gregis contemnant, cum opus fuerit, vel pauperibus ſui gregis largiendo, vel rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſtinendo.

i 2.2. q. 185. art. 7. in c.
l ad Cor. 1. cap. 4.
m 2. 2. qu. 184. art. 7. ad 3. in fin.

Cirnotheca; *cautela in opere*, ut non videantur ab hominibus, ut hypocritæ faciunt, exterminando facies ſuas, ut videantur ab hominibus jejunantes; vel eleemoſynam facientes, ut honorificentur ab hominibus, propterea edocemur à Chriſto *Matt.* (n) cum facis eleemoſynā, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt, Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam: Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua. *Mytra, ſcientia utriuſque teſtamenti, unde & Doctores debent eſſe*, & non tales appellari tantùm, ut poſſint eos, qui contradicunt arguere; & ideò duo cornua habet; Verùm non ſolùm Epiſcopi debent eſſe Doctores, ſed etiam omnes illi, qui poſſident dignitates in Eccleſiis Cathedralibus, *ut ſtatuit etiam Concil. Trid.* (o) cum dignitates, in Eccleſiis præſertim Cathedralibus ad conſervandam, augendamque Eccleſiaſticam diſciplinam fuerint inſtitutæ; ut qui eas obtinerent, pietate præcellerent, aliiſque exemplo eſſent, atque Epiſcopos, opera, & officio juvarent; Meritò qui ad eas vocantur, tales eſſe debent, qui ſuo muneri reſpondere poſſint. Nemo igitur deinceps ad dignitates quaſcumque, quibus animarum cura ſubeſt, promoveatur, niſi qui ſaltem vigeſimum quintum ſuæ ætatis annum attigerit; & in clericali ordine verſatus Doctrina ad ſuum munus exequendum neceſſaria, ut morum integritate commendetur, *juxta conſtitutionem Alexandri Tertii in Concilio Lateranenſi promulgatam, quæ incipit, cum in cunctis*. Archidiaconi etiam, qui oculi dicuntur Epiſcopi, ſint in omnibus Eccleſiis, ubi fieri poterit, Magiſtrati in Theologia, ſeù Doctores, aut licentiati in jure canonico. Deinde *Mytra*, quæ modò ſolis Epiſcopis datur, eſt ſignum dignitatis, quale ſignum non fuit in veteri lege, fuit enim, *ait Div. Thom.* (p) ſicut quodam galerum *teſte etiam Div. Hieronymo de veſte Sacra*. (q) Signum verò dignitatis in veteri lege erat Cydaris, & iſta ſolis Pontificibus dabatur, ut *habetur ex Exodo*, (r) hæc autem ſunt ornamenta, quæ facient Aaron, ſcilicet rationale, ſuperhumerale, (& loco hujus Epiſcopus utitur ſtola, quæ ad idem ſignificandum eſt, ad quod erat ſuperhumeale, *ut ait Div. Th.*) (ſ) tunicam, & lineam ſtrictam, Cydarim, & Balteum. Et quod ſolis. Pontificibus, & non omnibus Sacerdotibus dabatur Cydaris, magis manifeſtum videtur ex veſtibus, quibus utebantur filii Aaron electi à Domino in Sacerdotes. Porrò filii Aaron tunicas lineas parabis, & Balteos, ac tiaras in gloriam, & decorem.

n Cap. 8.
o Seſſ. 24. de Refor. cap. 12.
p Ib. ad 2.
q Epiſt. ad Fabiolam
r Cap. 28.
ſ Ib. ad 4.

Baculus, cura paſtoralis; *quia debet colligere vagos*, quod ſignificat curvitas in capite baculi, *ſuſtentare infirmos*, quod ipſe ſtipes baculi ſignat; *pungere lentos*, quod ſignificat ſtimulus in pede baculi, Quæ omnia circa baculum hoc verſu continentur.

Collige, ſuſtenta ſtimula, vaga, morbida, lenta.

Romanus tamen Pontifex etiamſi in illo reſideat plenitudo poteſtatis, baculo non utitur, etſi illo utitur, utitur ſolùm illo in diœceſi Treverenſi, quo in loco ipſum portat, non alibi.

Quare autem hoc? Quia Petrus ſummus Eccleſiæ Pontifex miſit baculum ad ſuſcitandum quemdam diſcipulum ſuum, qui poſtea factus eſt Epiſcopus Treverenſis: Niſi dicamus, quod in *tantùm Romanus Pontifex baculum non portat, quia cum reſideat in ipſo plenitudo poteſtatis*, (t) quæ in aliis Epiſcopis non reſidet, *jam videtur, quod Romanus Pontifex non habet coarctatam poteſtatem, quam ſignificat curvatio baculi*; & ideò dicitur, quod Papa omnia poteſt, non omnia, quæcumque vult, ſed omnia, quæ in beneficio Eccleſiæ, in augmento Catholicæ religionis, & omnia, quæ ſecundum Deum ſunt, & ad legem Dei ordinata ſunt.

t Ib. ad 8.

Tandem inter ornamenta Epiſcopi enumeratur & *annulus*, & per ipſum denotantur Sacramenta fidei, qua Eccleſia deſponſatur Chriſto, quem locum tenent Epiſcopi in ejus Eccleſia. Cum autem Chriſtus Dominus ſit caput totius Eccleſiæ, quæ una eſt, ita Epiſcopi, cum ſint membra Chriſti, debent eſſe caput unius Eccleſiæ, non plurium; *& ob hoc Concil. Trident. ſtatuit*, quod qui plures Eccleſias, contra præſentis decreti tenorem, nunc detinent, una, quam maluerint, retenta reliquas. infra ſex menſes, ſi ad liberam Sedis Apoſtolicæ diſpoſitionem pertineant; aliàs infrà annum, dimittere teneantur; alioquin Eccleſiæ ipſæ (ultimò obtenta dumtaxat excepta) eò ipſo vacare cenſeantur. Et quamvis plures ſint Eccleſiæ, ſive diæceſes, omnes tamen unam conſtituunt.

Ulterius Epiſcopi ſupra actiones ſacras Sacerdotum habent, & alias novem actiones facere; & ſunt, *clericos ordinare, virgines benedicere, Baſilicas dedicare, clericos deponere, Synodus celebrare, Chriſma conficere, veſtes, vaſaque conſecrare, Epiſcopos conſecrare, manus imponere.*

Hæc de ornamentis Epiſcoporum in nova lege, quæ etiam multa ex iſtis habere videntur coreſpondentiam ad illa veteris legis; Nam pro fæmoralibus Sandalia, pro linea albam, pro balteo cingulum, pro podere tunicam,

Digitized by Google

cam, pro Ephod amictum, pro Cydari Mytram, pro rationali pallium; licet iſtud addatur tantùm Archiepiſcopis, cum ſit in ſignum privilegiatæ poteſtatis, & ſignificat torquem auream, quam ſolebat legitimè certantes accipere; *quod confirmat Div. Thom.*, (u) pallium ſuccedit loco rationali; *ſicut & confirmat id, quod prius dictum fuit*, pallium additur tantùm Archiepiſco-
u ib. ad 3. pis, inquit enim, licet Archiepiſcopus non habeat alterius generis poteſtatem, ac Epiſcopus, habet tamen
x ib. ad 7. eamdem ampliorem, ad quam perfectionem deſignandam datur illi pallium, quo undique circumdatur.

Si autem quæratur pro lamina quid habet Epiſcopus, quod illi correſpondat? dicendum eſt *cum Div. Th.* (y) quod pro lamina *noſter Pontifex habet Crucem*, & meritò, quia ſicut in illa lamina erat ſcriptum illud digniſ-
y ib. ad 6. ſimum, atque ineffabile nomen Dei *JEHOVA*, quod à nullo pro magna reverentia, quæ illi debebatur, proferebatur. Sic & in Cruce reperitur ſcriptum ſanguine Chriſti Domini myſterium noſtræ redemptionis per hominem Deum factæ; unde & illi maxima reverentia debetur, & à nullo, qui cenſetur Chriſtianus, debet erga illam iniuria, atque blaſphemia proferri, nec illa reſpui, atque contemni, ſicut nec vaniloque uti, ne à Judæis, & Gentilibus illud ſignum noſtræ ſalutis derideatur.

Diximus, quod multa ornamenta Epiſcoporum in nova lege habent coreſpondentiam ad illa veteris legis, non tamen omnia, cum dentur aliqua ornamenta in lege veteri, quæ in nova lege non dantur, ſed omnimodè excluduntur; & inter iſta præcipuè ſunt *fæmoralia*, iſtis utebantur Sacerdotes veteris legis, & in nova excluduntur; nec non ſine cauſa; nam per *illa indicebatur continentia tantùm illo tempore, quoad ſuum miniſterium accedebant*. Unde Div. Thom. ait, (z) in ſignum ca- z ib. ad 1.
ſtitatis ſervandæ in ſacrificiorum oblatione fæmoralibus utebantur; Miniſtri verò novi teſtamenti indicitur perpetua continentia, & ideò non computantur inter veſtes, quæ debentur Sacerdotibus novæ legis.

Quantum autem à fidelibus populis ornamenta miniſtrorum, Sacerdotum, Epiſcoporum, atque Archiepiſcoporum veneranda ſint, *jam à Concil. Trid. ſtatutum fuit: ſtatuit namque*; cæremonias item adhibuit, ut myſticas benedictiones, lumina, Thymiamata, veſtes, aliaque id genus multa ex Apoſtolica diſciplina, & traditione, quò & majeſtas tanti beneficii commendaretur, & mentes fidelium per hæc viſibilia religionis, & pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur. *Decrevit etiam*, ſi quis dixerit, cæremonias, veſtes, & externa ſigna, quibus in Miſſarum celebratione Eccleſia Catholica utitur, irritabula impietatis eſſe, magis quàm officia pietatis; anathema ſit.

DE

Digitized by Google

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

SUPER QUÆSTIONEM QUADRAGESIMAM PRIMAM.

De Matrimonio, in quantum eſt in Officium Naturæ.

SI attendamus ad illud, quod ſpectat ad jus naturale, certò videbimus & Matrimonium eſſe talis juris. Etenim à primordiis rerum omnium Deus præſcripſit tale jus cuilibet naturæ, præcipuè tamen humanæ, cujus propagatio fuit à Deo volita, ut totus Orbis ipſum cognoſceret Deum, adeòque Deus, cujus opera ſunt valdè bona, creando hominem, & adjutorium ſimile illi fecit, nempe mulierem, & hæc eſt Eva, quæ jure meritò mater cunctorum viventium nuncupatur; ex illa enim proceſcit totum genus humanum per generationem. *Unde legitur*
a cap. 1. & 2. *Gen.* (a) maſculum, & fœminam creavit eos; & creando illos per vinculum indiſſolubile Matrimonii conjunxit, ut denotetur Matrimonium fuiſſe inſtitutum à Deo, *nam dixit ad illos*, quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una; quod & confirmavit Chriſtus
b cap. 19. Dominus *in Matt.*, *quibus addidit*, (b) quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.

Inſtituit itaque Matrimonium, cujus tamen inſtitutio ponit jus naturale, cum homo inclinetur ex inſtinctu naturæ ad conſervationem ſuæ ſpeciei, attamen ex eo, quod præcepit Deus, videbitur etiam cadere ſub præcepto naturali, & rationabiliter; conſiderari enim debet ipſum Matrimonium, ut medium omninò neceſſarium ad finem maximè à natura intentum, qui finis eſt propagatio generis humani; Unde & Deus, ut ſubſiſteret tale præceptum naturale, & ipſe præcepit omnibus, qui matrimonio junguntur; ad quos, ſicut ad parentes noſtros dixit, creſcite, & multiplicamini, &
c Lib. 14. cap. 22. replete terram. *Hinc Aug. de Civit. Dei dixit*: (c) nos autem nullo modo dubitamus, ſecundum benedictionem Dei creſcere, & multiplicari, donum eſſe nuptiarum. Huic quippe operi Dei benedictio ſubjuncta eſt; Benedixit utique tale Matrimonium, & benedicendo voluit, ut per ipſum propagaretur genus humanum, quod ſemper dilexit, ſic Deus dilexit Mundum, *homines*, V. *qui in Mundo ſunt*, ut filium ſuum unigenitum daret.

Itaque de jure naturali Matrimonium fateri oportet, in quantum *ly naturale dicitur*, ad quod natura inclinat, ſed mediante libero arbitrio completur, ratio namque naturalis inclinat ad ipſum, ut ad finem principalem ejus, qui eſt bonum prolis, & etiam in quantum eſt mutuum obſequium ſibi à conjugibus in rebus domeſticis impenſum, quod attinet ad finem ſecundarium Matrimonii: & licet hoc præceptum initio Mundi,
d cap. 9. Gen. immò & poſt diluvium, quoniam hanc benedictionem, *creſcite, & multiplicamini, &c.* (d) dedit filiis Noe: ſingulos obligaverit, hoc facit, quia nondum genus humanum erat ſufficienter propagatum, ex quo ſequitur, quod modò cum propagatio ſufficienter facta ſit, non
e 1. cap. 7 ad Corinth. amplius obligat ſingulos, *etenim & Paulus dixit*, (e) qui non jungit Matrimonio virginem ſuam, melius facit, quàm qui conjungit. Melius eſt, per quod non debet inferri, quod actus Matrimonii non ſit licitus, ſed & licitus, & ſi fiat debito modo, meritorius eſt: *Nam & Paulus ibid. ait*, uxori vir debitum reddat.

At quantum ad nos attinet, non poſſumus niſi Deũ laudare, & laudando dicere. O quàm mirabilis, quàm magnificus, quàm laudabilis eſt Dominus Deus: mirabilis, eò quia omnia in numero, pondere, & menſura conſtituit, & tunc illa conſtituit, quando ex nihilo omnia creavit; magnificus, quoniam omnia creando ſcil. *Cœlum, & terram, & omnia, quæ in eis ſunt*, Cœlum, terramque ornavit inexcogitabilibus ornamentis, ita ut homo extra ſe ponitur in conſideratione eorum.

Laudabilis eſt Deus, quia illi debetur omnis gloria, utpotè creans omnia, abſque eo, quod indigeat illis; Nam erat Deus, etiamſi nulla creatura exiſteret, unde & in ſeipſo exiſtebat, antequam Mundum crearet: nec mirum, cum exiſtentia ſit de genere abſolutorum, mirum tamen eſſet, ſi diceretur præſens, & non eſſet, cui eſſet præſens, cum præſentia ſit de genere relativorum: voluit ergo per omnipotentiam ſuam, & per liberam voluntatem eſſe præſens creaturæ creando illam, ut non tantùm diceretur Deus, ſed etiam ut veneraretur Dominus. At quomodo diceretur, Dominus, ſi creando Hominem, illum ſolùm in Mundo reliquiſſet, & non adjutorium ſimile illi feciſſet? Fecit ergo Deus adjutorium ſimile Adæ, mulierem, *ſciebat enim*, quod non erat bonum, hominem eſſe ſolum, ut filios procrearet; Idcircò poſtquam eos creaverit, benedixit illis hac benedictione, creſcite, & multiplicamini, & c. Talis verò multiplicatio fieri non poterat, niſi per conjunctionem viri ad mulierem, ut erat ſtatutum à bonitate divina, quæ tamen conjunctio non fit, niſi per vinculum Matrimonii, in cujus ſignum *legitur*, quod Adam cognovit uxorem ſuam, Evam, f Gen. c. 4.
quæ concepit, & peperit Cain. Vinculum, quod etiam conſtat ab initio creationis traxiſſe ſuam indiſſolubilitatem, & tunc de facto fuit, quando primus homo inſtinctu Spiritus Sancti prophetavit dicens, hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, ob hanc rem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una; quam indiſſolubilitatem & Chriſtus Dominus *confirmavit*, *Matt.* g cap. 19.
(g) quando acceſſerunt Phariſæi tentantes eum, & dicentes, ſi licet homini dimittere uxorem ſuam, quacumque ex cauſa, *qui dixit eis*, non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum, & fœminam fecit eos; propter hoc dimittet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & c. Si ergo jam per vinculum Matrimonii non ſunt duo, ſed una caro, rectè ſequitur, tale vinculum eſſe indiſſolubile, & taliter, ut nullo ſeparari poſſit, unde nemo ſit, qui audeat ſepa-

ſeparare hanc conjunctionem per vinculum Matrimonii factam; nemo, *inquam*, homo, quoniam eſt ſententia Omnipotentis Dei, quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.

Etſi Moyſes mandavit dare libellum repudii, & dimittere; hoc ad duritiam, *inquit*, *ipſe Salvator*, cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras; ab initio autem non fuit ſic; ergo conſtat, quod tempore antiquo erat indiſſolubile vinculum Matrimonii, nec tantùm illo tempore, verùm etiam juxta ſtatuta divi-
h p. cap. 7. ad Corint. na, *juxta illud Pauli*, (*h*) iis autem, qui in Matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus; uxorem à viro non diſcedere.

Taceant ergo hæretici, & omnes impiè volentes, nullum eſſe Matrimonium, & illius vinculum non eſſe indiſſolubile, quoniam errores omnium horum da-
i p. cap. 4. mnantur tùm *à Paulo ad Timot.* (*i*) *dum ait*, In noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes à ſpiritibus erroris, & doctrinis demoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentium nubere: *tùm à*
l Seſſ. 24. in princ. *Concilio Trident.* (*l*) cum igitur Matrimonium in lege Euangelica veteribus connubiis per Chriſtum gratiam preſtet, meritò inter nove legis Sacramenta annumerandum, Sancti Patres noſtri, Concilia, & univerſalis Eccleſie traditio, ſemper docuerunt; adverſus quam impii homines hujus ſeculi inſanientes, non ſolùm perperam de hoc venerabili Sacramento ſenſerunt, ſed de more ſuo, pretextu Euangelii, libertatem carnis introducentes, multa ab Eccleſie Catholice ſenſu, & ab Apoſtolorum temporibus probata, conſuetudine aliena, ſcripto, verbo aſſeruerunt, non ſine magna Chriſti fidelium jactura; Quorum temeritati ſancta, & univerſalis Synodus cupiens occurrere, inſigniores prefatorum Schiſmaticorum hereſes, & errores, ne plures ad ſe trahat pernicioſa eorum contagio, exterminandos duxit.

m ib. can. 1 Et in primis *idem Concilium ſtatuit*, (*m*) ſi quis dixerit, Matrimonium non eſſe à Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum: anathema ſit. Et meritò anathematizatur ab Eccleſia, eò quia auferre voluerunt à cordibus fidelium Matrimonium eſſe de jure naturali.

n in Suppl. q. 41. art. 1 Quem errorem *damnat D. Th.*, (*n*) *docet enim*, quod non dicitur de jure naturali, ſecundum quod naturale dicitur eſſe ex principiis nature ex neceſſitate cauſatum, quo pacto naturale dicitur eſſe igni moveri ſurſum, lapidi moveri deorſum: ſed dicitur eſſe de jure naturali, ſecundum quod naturale dicitur, ad quod natura inclinat, & mediante libero arbitrio completur: eò ferè modò, quò actus virtutum dicuntur naturales: & hoc pacto Matrimonium dicitur naturale, cum ratio naturalis ad illud inclinet; & hoc dupliciter: primò quantum ad finem principalem ejus, qui eſt bonum prolis, ſiquidem non intendit natura ſolùm generationem, ſed etiam educationem & promotionem uſque ad perfectum ſtatum hominis, in quantum homo eſt, qui
o Lib. 8. Eth. c. 12. eſt virtutis actus: *& à Philoſ. habetur*, (*o*) quod tria à parentibus habemus, V. *eſſe*, *nutrimentum*, *& diſciplinam*; ſed quomodo filius educaretur, ſi non haberet parentes certos, & determinatos, niſi eſſet aliqua obligatio viri ad mulierem determinatam, quæ Matrimonium facit; propter quod & meritò dicitur conjugium, quia legitima mulier unà cum viro, quaſi uno jugo ad-
p cap. 13. ad Heb. ſtringitur; & ideò *ab Apoſtolo dictum eſt*, (*p*) honorabile connubium in omnibus, thorus immaculatus, ſi ergo honorabile dicitur connubium *à D. Paulo*, & ſi thorus immaculatus, quomodo ergo audent dicere hæretici, connubium per ſe damnabile eſſe tamquam nihil, vel tamquam malum? Taceant ergo iſti, & ſileant, *dum D. Th. ſic loquitur*, licet filiorum procreatio ſit communis omnibus animalibus, tamen ad hoc non inclinat natura eodem modo in omnibus animalibus, cum quedam animalia ſint, quorum filii nati ſtatim poſſunt ſibi ſufficienter vitam quærere, vel ad quorum ſuſtentationem mater ſufficit, & in his non eſt aliqua maris ad feminam determinatio, ut jam conſtat in equis, & conſimilibus animalibus, præcipuè de illis, de quibus ſit mentio *in libro Job*, (*q*) nempe de filiis Ibicum, *vulgò* *q cap. 39.*
cammozze, & cervarum. Incurvantur ad fœtum, & pariunt, & rugitus emittunt. Separantur filii earum, & pergunt ad paſtum: egrediuntur, & non revertuntur ad eas. In illis autem, quorum filii indigent utriuſque ſuſtentatione, ſed ad parvum tempus, invenitur aliqua determinatio quantum ad tempus illud, ut in quibuſdam avibus patet. In homine verò, quia filius indiget cura parentum uſque ad magnum tempus, debet eſſe maxima determinatio maſculi ad fœminam, ad quam etiam natura generis inclinat. Et *ideò Div. Thom.* (*r*) *r ibid. a. 1.*
dixit, utique natura hominis inclinat etiam quantum ad hoc quod eſt conveniens naturæ generis, ut eſt commune omnibus animalibus; ceterum ad id, quod eſt conveniens naturæ differentiæ cum ſpecies humana abundet à genere, in quantum eſt rationalis, ideò natura hominis hoc modo inclinat ex parte differentiæ ad Matrimonium.

Secundò ratio naturalis ad Matrimonium inclinat quoad ſecundarium finem Matrimonii, qui eſt mutuum obſequium ſibi à coniugibus in rebus domeſticis impreſſum, unde *& conjugium* dicitur maris, & feminæ coniugatio, conjunctioque conſortium communis vite divini, & humani juris communicatio; Quod magis explicatur, ſicut enim ratio naturalis dictat, ut homines ſimul cohabitent, quia unus non ſufficit ſibi in omnibus, quæ ad ipſam vitam pertinent, ratione cujus homo dicitur naturaliter politicus; ita etiam eorum, quibus indiget ad humanam vitam, quædam opera ſunt convenientia viris, quædam mulieribus. Unde natura monet, ut ſit quædam aſſociatio viri ad mulierem, in qua eſt matrimonium; *& ideò ait D. Th.*, (*ſ*) quod natu- *ſ ib. ad 4.*
ra non tantùm intendit eſſe in prole: ſed etiam perfectum eſſe ad quod exigitur Matrimonium.

Quod cum ſit naturale, & juris naturalis, *ut etiam dicitur in principio digeſtorum*, (*t*) jus naturale eſt maris, *t Lib. 1. ff. tit. 1. l. 1.*
& feminæ conjunctio, quam nos Matrimonium vocamus, non ſequitur ex hoc, quod cadat ſub præcepto: nam licet natura humana inclinet ad id, quod eſt neceſſarium ad perfectionem unius, & à tali obligatione quilibet obligetur, (*u*) cum naturales perfectiones ſint *u in Suppl. q. 41. a. 2.*
omnibus communes; ſicut & licet natura inclinet ad id, quod eſt neceſſarium ad perfectionem multitudinis, tamen cum multa ſint hujuſmodi, quorum unum impedit aliud; ex tali inclinatione non obligatur quilibet homo per modum præcepti, aliàs quilibet homo obligaretur ad agriculturam, & ad ædificatoriam, & ad ea officia, quæ ſunt neceſſaria communitati humanæ: ſed inclinationi naturæ ſatisfit, cum per diverſos diverſa compleatur de prædictis; cum ergo ad perfectionem humanæ multitudinis ſit neceſſarium aliquos vitæ contemplativæ inſervire, quæ maximè per matrimonium impeditur, talis naturalis inclinatio non obligat ad matrimonium per modum præcepti; & quia vita contemplativa à prudentibus, & ſapientibus exercetur, hinc eſt, *quod & Theophraſtus probat*, quod Sapienti non expedit nubere.

Ex qua diverſitate ſimul cum divina providentia, quæ omnia moderatur, convenit, quod unus eligat unum officium, *ut agriculturam*, alius aliud, & ſic de aliis; ex quo non videtur poſtea mirum, ſi contingat, ut quidam eligant Matrimonialem vitam, alii contemplativam, *ſic & Paulus dicit*, (*x*) qui ſine uxore eſt, *x p. cap. 7. ad Corint.*
ſolicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ Mundi ſunt, quomodo placeat uxori: unde videtur, quod contractus Matrimonii non eſt ſub præcepto, *quod magis eo ſtat ex eodem dicente ibid.*, qui Matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit, & qui non jungit, melius facit: Rurſus bonum eſt homini mulierem non tangere: & volo omnes homines eſſe, ſicut meipſum, hoc eſt vivere in celibatu: nihil enim beatius in hac vita fidelibus poteſt contingere, quàm ut animus nulla mundi cura diſtractus, ſedatàque, & reſtricta omnis carnis libidine, in uno pietatis ſtudio, & rerum celeſtium cogitatione conquieſcat. Dico autem, *ſubdit Apoſtolus*,

non

non nuptis bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint, quod ſi non continent, nubent; *melius eſt enim nubere, quàm uri*; Unde ajebat, propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum habeat. Et ideò ex his omnibus tollitur error *Calvini dicentis* quoad nuptias contrahendas omnes obligari, & eſſe præceptum univerſale. Quem errorem *damnat Concilium Trident.* (y) *dùm ſtatuit*, ſi quis dixerit, non eſſe melius, ac beatius manere in virginitate, aut cęlibatu, quàm jungi Matrimonio; anathema ſit; & apertiùs fuit damnatus à Chriſto Domino *in Matt.* (z) dùm diſcipulis audita obligatione coniugum dicentibus Chriſto, quod non expedit nubere, *dixit illis Jeſus*: non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt; Quibus autem datum ſit capere verbum iſtud, V. quod non expedit nubere, ſtatim declaravit ſubdendo; ſunt enim eunuchi, qui de matris utero ſic nati ſunt, & ſunt eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus; & ſunt eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum Cęlorum. Per hujuſmodi autem eunuchos, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum Cęlorum, Sancti Patres ſemper intellexerunt virgines, & cęlibes caſtos, & meritò quia plus merentur illi, qui carnem ſuam mortificant, & concupiſcentiis non adhærent, nec ſerviunt voluptatibus, quàm qui non reſiſtunt, nec reſiſtere poſſunt, ideòque volunt nubere, ut fornicationem evitent, *unde bene Concilium Tridentinum* (a) *hæc conſiderans ſtatuit*, ſi quis dixerit, ſtatum coniugalem anteponendum eſſe ſtatui virginitatis, vel cęlibatus, anathema ſit.

y Seſſ. 24. can. 10.
z cap. 19.
a Seſſ. 24. can. 10.

Nec ex eo, quod à Domino Deo dictum ſit, *creſcite, & multiplicamini*, deduci debet, quod omnibus hominibus lex contrahendi Matrimonium poſita ſit; ſed ſolùm tale dictum à Domino datur ad declarandum, quod non ut ſingulis hominibus neceſſitatem imponat; quia nunc aucto jam humano genere, non ſolùm ulla lex uxorem ducere aliquem non cogit, ſed potiùs virginitas ſummopere commendatur, & unicuique ſacris literis ſuadetur, ut quæ Matrimonii ſtatu præſtantior ſit, majoremque in ſe perfectionem, & ſanctitatem contineat; *Unde Chriſtus Dominus poſtquam dixerit*, & ſunt eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum Cęlorum, *ſtatim ſubdit*, qui poteſt capere, capiat; *quaſi diceret*, (ego dico, quamvis meum dictum forſan non omnibus placuerit) qui poteſt ſervare caſtitatem, melius eſt, ut illam ſervet, qui autem non poteſt, ducat uxorem, unuſquiſque, *ait Apoſtolus ad Corint.* proprium donum habet ex Deo; alius quidem ſic, ut ſervet caſtitatem, alius verò ſic, ut ducat uxorem: *& rurſus*, de virginibus præceptum Domini non habeo, *ut non nubant*, conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus, ut ſim fidelis, *ut castè vivant, & virginitatem ſuam cuſtodiant*. Et ut concludamus hic cum *Div. Thom. dicendum eſt*, quod ſicut de facto nulli debetur præmium pro tranſgreſſione præcepti, & quod virginibus debetur ſpeciale præmium ſcil. *aureola*, jam inferendum eſt, non eſſe ſub præcepto; licet ſit de jure naturali, Matrimonium contrahere: unde videmus, quod & ratio naturalis inclinat ad ipſum, & cum talis ratio ad Matrimonium inclinet, etiam ſequitur, ut actus, qui neceſſarius eſt ad Matrimonium, licitus ſit.

Sequela, quæ ſecum affert veritatem jam habitam à prima creatione Adæ, & Evæ. Adæ, *inquam*, hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, quamobrem relinquet homo &c. ſicut & affert illam, quam Chriſtus Dominus dixit *Matt. loco cit.*, qui fecit hominem ab initio, Deus dixit, dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Cum ergo non ſint duo in carne una, niſi quia prolem generant mediante actu Matrimoniali, conſtat, quod Deus, in quo eſt ſumma bonitas, per quam illi ſunt odio impius, & impietas ejus, mandat de actu Matrimoniali conſummando.

Hanc veritatem ſecutus eſt *Paulus ad Corint. loco cit.*, ſi autem acceperis uxorem, non peccaſti, & ſi nupſerit virgo, non peccavit. Et *rurſus ad Timot. dicit*, (b) volo ergo juniores nubere, & filios procreare. Quomodo autem poſſet eſſe filiorum procreatio, ſi non eſſet carnalis conjunctio? Et quomodo poſſet eſſe carnalis conjunctio, ſi in tali conjunctione actus licitus non eſſet? Viri tamen cum uxore, ergo neceſſaria eſt carnalis conjunctio, ut verificetur etiam illud Chriſti Domini, & erunt duo in carne una, *uxor, & vir*; ad excluſionem aliarum mulierum, quæ uxores non ſunt, cum quibus actus conjunctionis carnalis numquam poteſt eſſe licitus, ſicut licitus eſt actus Matrimonialis, & taliter licitus ut etiam ſit in præcepto, per hoc, quod uxori tenetur vir debitum reddere, *ut ait Apoſtolus ad Corint. loc. cit.*, uxori vir debitum reddat, ſimiliter autem uxor viro: per quam conjunctionem licet homo veluti ſeparetur à Deo, *hoc dicitur*, quia hujuſmodi ſeparatio non importat ſemper peccatum mortale. *Hinc D. Thom.* (c) aliqua occupatio licita circa res inferiores animum diſtrahit, ut actu Deo conjungi non ſit idoneus, quod præcipuè accidit in carnali conjunctione in qua detinetur mens propter delectationem intenſam. *Juxta & Apoſtolum*, qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt Mundi, & diviſus eſt. Ob hoc præcepit Deus populo ſuo, qui videre debebat Deum, quod non accederent ad uxores ſuas, *ut legitur Exodi*, (d) Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus veſtris. *Et Hieron. dicit*, quod in actu Matrimoniali Spiritus Sanctus Prophetarum corda non tangit, quæ omnia præcipiuntur, non quia ille actus ſit illicitus, ſed ob reverentiam, ut divina contemplentur, & ſacra etiam tractentur. *Juxta Div. Thom.*, (e) propter hoc V. propter carnalem conjunctionem, in qua detinetur mens ob delectationem intenſam illis, quibus competit divina contemplari, & ſacra tractare, indicitur pro tempore illo abſtinentia ab uxoribus, & ſecundum hoc etiam dicitur, quod Spiritus Sanctus quantum ad actum revelationis ſecretorum non tangebat mentes Prophetarum in uſu Matrimonii.

b cap. 5.
c in Suppl. q. 41. art. 3. ad 2.
d cap. 19.
e Ib. ad 2.

Etſi majorem ſcire velitis rationem, *audite Div. Th. dicentem*, quia adeſt in illo actu aliqua turpitudo non culpæ, ſed pœnæ ex primo peccato proveniens, unde ait, illa turpitudo concupiſcentiæ, quæ actum Matrimonialem ſemper comitatur, non eſt turpitudo culpæ, ſicut eſt illa, quæ actum adulterii, inceſtus, & hujuſmodi concomitantur, qui actus licet ſit ejuſdem naturæ cum actu Matrimoniali, differt tamen in ſpecie moris, quam una circumſtantia variat, accedere V. ad ſuam, vel non ſuam, vel ad affinem, vel conſanguineam &c., & ideò licet ſit una ſpecies naturæ, tamen propter diverſam ſpeciem moris unus eſt licitus, Matrimonialis ſ. alius verò illicitus, ſc. adulterii, in quo, ſive in quibus non præcipuè intenditur prolis procreatio, ſed ſolùm concupiſcentiæ adimpletio; at in actu Matrimoniali præcipuè intenditur procreatio prolis, & hoc de primariò. *Et ideò ait D. Thom.*, (g) quod cum inclinatio ſit naturæ ad prolis procreationem, per quam natura ſpeciei conſervatur, impoſſibile eſt dicere quod actus, quo procreatur proles ſit univerſaliter illicitus, ut in eo medium virtutis inveniri non poſſit.

f Ib. ad 1.
g in Suppl. q. 41. a. 3.

Nec obſtat, quod in actu Matrimoniali ſemper ſit ſuperfluitas delectationis, quia iſta non eſt, de genere illarum, quæ virtutem corrumpant. non ſolùm impediendo rationis actum, ſed etiam tollendo rationis ordinem, *unde ſubdit Div. Thom.*, (h) quod non facit delectationis intentio in actu Matrimoniali, quia etſi tunc non ordinetur homo, tamen eſt à ratione præordinatus; *Hinc Div. Thom. ait*, (i) ſi ad actum Matrimonialem virtus inducat vel juſtitiæ, ut debitum reddat, vel religionis, ut proles ad cultum Dei procreetur, non ſolùm eſt licitus, ſed eſt meritorius; *& rurſus docet*, (l) prout ad ipſam movet virtus, ſic eſt meritorius, & non habet indulgentiam, niſi ſecundum quod eſt indulgentia de minoribus bonis, quæ eſt idem, quod conceſſio; nec eſt inconveniens, ut ille, qui tali conceſſione utitur, mereatur; quia bonus uſus beneficiorum Dei meritorius eſt.

h ib. ad 6.
i in Suppl. q. 41. a. 4.
l ib. ad 1.

Et ſecundum hoc *jam docuit D. Thom.*, (m) quod uſus venereorum poteſt eſſe abſque peccato, ſi fiat debito modo, & ordine, ſecundum quod eſt conveniens ad finem generationis humanæ. Cęterum ſi moveat libido

m 2. 2. q. 151. a. 2. in o.

do

Digitized by Google

do ſiſtens intra Matrimonii bona, ut nullo modo ad aliam accedere vellet, *eſt peccatum veniale; ideoque ait*, indulgentia quandòque eſt de minoribus malis, & ſic indulgetur actus Matrimonii, prout ad ipſum manet libido intra terminos Matrimonii conſiſtens, quia ſic eſt peccatum veniale; *quod confirmat Div. Thom.*, (*n*) primus motus in delectationem actus Matrimonialis, ſecundum quod dicitur peccatum veniale, eſt motus appetitus in aliquod inordinatum delectabile, quod non eſt in actu Matrimoniali, dummodo tamen ad iſtum virtus inducat, quia virtutem inducendo habet meritum; patet enim, quod tunc ex charitate fit, cum ſit pluſquam certum, quod omnis actus, quo impletur præceptum, eſt meritorius, ſi tamen ex charitate fiat; & quia actus Matrimonialis eſt talis, quia ex charitate fit, *dicebat namque Apoſtolus*, uxori vir debitum reddat; unde eſt & meritorius; & eò maximè quia eſt actus juſtitiæ, cum & dicatur redditio debiti, ſine dubio eſt meritorius: & licet non ſit meritorius quoad aliquod accidentale præmium, cum tunc ratio meriti conſiſtat in difficultate actus, dicitur tamen meritorius, in quantum radix merendi quoad premium ſubſtantiale eſt ipſa charitas. *Unde Div. Thom.* (*o*) difficultas laboris requiritur ad præmii accidentalis meritum, at ad meritum præmii eſſentialis requiritur difficultas conſiſtens in ordinatione medii, & hoc eſt etiam in actu Matrimoniali.

n in Suppl. q. 41. art. 4 ad 5.

o ib. ad 4.

Deperderetur tamen & iuſtitia, & charitas, & religio, ſi nihil conſideraret de illo, quod ſpectat ad bonum Matrimonii, vel paratus eſſet hoc idem facere cum qualibet muliere, & ſic mortaliter peccaret; *juxta id, quod aſſerit D. Th. ibid.* ſi autem extra bona Matrimonii efferatur, ut ſcil. cum quacumque muliere idem facere proponeret, eſt peccatum mortale. Abſtineat ergo unuſquiſque in tali actu à quacumque cogitatione impudica excedente rationem virtutis, ſi vult promereri apud Deum, qui hunc uſum Matrimonialem approbavit, utpotè quia eſt ordinatus ad virtutem iuſtitiæ, & religionis, quem tamen actum & Chriſtus Dominus approbavit, *ut colligitur ex illo Matt.*, non legiſtis, *inquit, Chriſtus*, (*p*) quod qui fecit ab initio hominem, maſculum, & fœminam fecit eos? nec certè talem actum Chriſtus approbaſſet, ſi factum fuiſſet diabo i, cui ſemper contrarius iuſtiſſimè fuit; ergo attendendum eſt ad id, quod docuit Chriſtus, & non ad falſa dogmata hæreticorum, *de quibus æquè benè poteſt dici illud, quod idem Chriſtus dixit de Phariſæis, Joan*, (*q*) vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere; ille homicida erat ab initio; & in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo; cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt: Hæretici, inquam, ex patre diabolo ſunt, unde eius veſtigia ſequuntur, quæ ſunt inducere homines ad errorem, propterea additur, & deſideria patris veſtri vultis facere: diabolus namque non ſolùm induxit protoparentes, ut contra Dei præceptum agerent, ſed etiam ut ſuperbirent de gloria eorum, & tunc diviſit illos à ſummo bono: ſic & iſti ſequendo eius veſtigia ponunt omne ſtudium, ut dividantur fideles ab Eccleſia Dei, unde & libertatem conſcientiæ admittunt, & opera carnia non damnant, obedientiam ad Summum Paſtorem Eccleſiæ tollunt, Sacramenta negant, & omnia illa, quæ ad bonam conſcientiam decent, aborrent. Iſti homicidæ ſunt ab in tio iniquitatum ſuarum, nec in veritate ſtabiles permanent, unde non eſt veritas in eis, etſi ſapientes eſſe videantur, ſapientia Mundi eſt, non illa Dei: Sapientia carnis eſt, non ſpiritus: propterea ſemper loquuntur mendacium, cum ex propriis loquantur, ac proinde ſemper ſunt mendaces. Videte ergo fideles Chriſti, quomodo fugiendi ſunt iſti, qui nullum teſtimonium fidei habent in ſe. Cavete ergo ab hominibus, *dicebat Jeſus ad ſuos diſcipulos*, hoc eſt ab illis, qui contra legem operantur, qui legem impugnant, qui loquuntur mendacium, qui nec diligunt verbo, nec veritate. Igitur ab iſtis cavete.

p cap. 19.

q Cap. 8.

Super quæſtionem Quadrageſimam Secundam.

De Matrimonio in quantum eſt Sacramentum.

MAtrimonium olim in lege Moſaica, ſicut & ab initio inſtitutum fuit ad propagandum genus humanum, talis autem procreatio prolis homini neceſſaria erat; Verùm poſt peccatum tempore legis naturæ fuit inſtitutum, ſecundum quod præbet remedium contra vulnus peccati; in lege Moyſi inſtitutionem habuit ſecundum determinationem perſonarum; cęterum prout repræſentat myſterium conjunctionis Chriſti, & Eccleſiæ, inſtitutionem habuit in lege nova; & ſecundum hoc eſt Sacramentum novæ legis, & hanc dignitatem illud obtinuit per hoc, quod populus ad veri Dei, & Salvatoris noſtri Chriſti cultum, & religionem procrearetur, atque educaretur, & cum ſit unum ex Sacramentis novæ legis, habet & conſequenter conferre gratiam; in Matrimonio namque datur homini ex divina inſtitutione facultas utendi uxore ſua ad procreationem prolis, & cum iſta detur, debet & dari gratia, ſine qua id convenienter facere nequit, attamen hæc gratia data eſt ultima res contenta in hoc Sacramento.

Datur itaque Matrimonium ad procreationem prolis, quæ certò non poteſt non fieri, niſi per carnalem conjunctionem, quæ tamen non eſt de integritate Matrimonii, *hoc eſt*, de prima perfectione, cum iſta conſiſtat in ipſo eſſe rei; licet dicatur de integritate ejuſdem, quatenus exprimit ſecundam perfectionem conſiſtentem in operatione; Hinc & dicitur, quod ſignificatio rei contentæ eſt de neceſſitate Sacramenti, ad quam tamen ſignificationem non pertinet carnalis commixtio, ſed ad rem contentam.

Matrimonium igitur, habet eſſe & Sacramentum, & hoc indubitatum eſt, *quidquid dicat ipſe Calvinus*, negans, Matrimonium eſſe Sacramentum in Eccleſia Dei; admittit Eccleſiam, fatetur eſſe Dei, & poſtea temerè negat Sacramenta à Chriſto Domino inſtituta eſſe in Eccleſia Dei. Contra quem in primis adducimus *illud Pauli*, (*a*) viri debent diligere uxores ſuas, ut corpora ſua, qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit, nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fovet eam, ſicut Chriſtus Eccleſiam, quia membra ſumus corporis eius, de carne eius, & de oſſibus eius; propter hoc relinquet homo & c., & adhærebit uxori ſuæ, & c. Sacramentum hoc Magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia. *Unde benè Div. Thom. ſupra hunc locum Apoſtoli ait*, quatuor Sacramenta dicuntur magna, ſcilicet *Baptiſmus*, ratione effectus, quia delet culpam, & aperit ianuam Paradiſi. *Confirmatio*, ratione miniſtri, quia ſolùm à Pontificibus, & non ab aliis confertur. *Eucharîſtia*, ratione continentię, quia totum Chriſtum continet. *Item Matrimonium* ratione ſignificationis, quia ſignificat coniunctionem Chriſti, & Eccleſiæ. Unde non debet eſſe dubium, circa hoc, quod dicitur *à Paulo*, Sacramentum hoc magnum eſt; at ſi eſſet aliquod dubium ad hoc tollendum, adducemus in primis illud, *quod reſolvit Concilium Tridentinum*, (*b*) *dùm ſtatuit, & in primis*, ſi quia dixerit Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia à Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtitura, aut eſſe plura, aut pauciora, quàm ſeptem, V. *Baptiſmum*, *Confirmationem*, *Eucharîſtiam*, *Pœnitentiam*, *Extremam Unctionem*, *Ordinem*, *& Matrimonium*, aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe verè, & propriè Sacramentum; anathema ſit. *Deinde etiam ſtatuit*, (*c*) ſi quis dixerit, Matrimonium non eſſe verè, & propriè unum ex ſeptem legis Evangelicæ Sacramentis à Chriſto Domino inſtitutum & c. anathema ſit.

a cap. 5. ad Epheſ.

b Seſſ. 7. can. 1.

c Seſſ. 24. can. 1.

Adducemus *& doctrinam D. Thom.*, (*d*) tribuit namque Matrimonio omnia illa, quæ conveniunt Sacramentis, & de facto *poſtquam docuit*. quod Matrimonium perficitur per actum ejus, qui illo Sacramento utitur,

d in Suppl. q. 42. art. 1. ad 1.

eò

eò ferè modò, quo pœniteutia, & ideò ſicut pœnitentia non habet aliam materiam, niſi ipſos actus ſenſui ſubiectos, qui ſunt loco materialis elementi, ita & Matrimonium; pariter cum omnia Sacramenta habeant materiam, & formam, ſic & Matrimonium habet materiam, de qua conſtat ex dictis; habet & formam, de qua dicitur, quod verba, quibus conſenſus exprimitur Matrimonialis, ſunt forma hujus Sacramenti, hoc autem dicitur, ut ſciatur, quod benedictio Sacerdotis in nuptiis non eſt Sacramentum, ſed quodam Sacramentale.

Nec excludendum eſt à ratione Sacramenti, quaſi quod nou habeat efficaciam ex paſſione Chriſti, ſicut [e ib. ad 3.] habent alia Sacramenta, *eò quia ut benè ait D. Thom.* (e) hoc Sacramentum Matrimonii, licet non conformetut paſſioni Chriſti quantum ad pœuam, conformatur tamen ei quantum ad charitatem, per quam pro Eccleſia ſibi in ſponſam conjungenda paſſus eſt. Propter quod *Concilium Trident. ſimul cum Apoſt. ſumpſit occaſionem dicendi*, viri diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea. Et licet talis unio Chriſti ad Eccleſiam nou ſit res contenta in hoc Sacramento, ſed res ſignificata, & non contenta, ac proinde talem rem nullum Sacramentum efficiat, attamen habet aliam contentam rem, & ſignificatam, quam efficit; & ideò dicitur, (f) quod etiam in hoc [f ib. ad 5.] Sacramento ſunt illa tria, quia Sacramentum tantùm ſunt actus interius apparentes: at res, & Sacramentum eſt obligatio, quæ innaſcitur viri ad mulierem ex talibus actibus, & res ultima contenta eſt effectus hujus Sacramenti, unde & in hoc Sacramento, ſicut & in aliis, eſt aliquid, quod eſt res, & Sacramentum; Et licet characterem non imprimat, cum hoc non ſit commune omnibus Sacramentis, ttibuit tamen gratiam, quod eſt commune illis, adeoque dicitur, quod effectus hujus Sacramenti eſt, ut vir, & mulier, mutuæ charitatis vinculo conjuncti, alter in alterius benevolentia conquieſcat, alienoſque, & illicitos amatores, & concubitus non quærat; *ſed ut ait Apoſt. ad Heb.* (g) hono- [g cap. 13.] rabile ſit connubium in omnibus, & thorus immaculatus; At gratia, & effectus gratiæ habetur ex virtute paſſionis Chriſti inſtitutoris omnium Sacramentorum, *juxta etiam Concil. Trident. dicenis*, (h) gratiam verò, quæ [h Seſſ. 24. in princ.] naturalem illum amorem perficeret, & indiſſolubilem unitatem confirmaret; coniugeſque ſanctificaret; ipſe Chriſtus venerabilium Sacramentorum inſtitutor, atq; perfector ſua nobis paſſione promeruit: per quæ tamen omnia non intendimus negare, ſed firmiter aſſerere *cum D. Tō.* (i) quod Matrimonium non ſolùm fuit in- [i in Suppl. q. 42. a. 2.] ſtitutum in nova lege, in lege Moyſi, poſt peccatum in lege naturæ, ſed etiam ante peccatum.

Et hoc non ob aliud, niſi quia ſemper erat neceſſaria hominis procreatio, ob quam illud inſtitutum fuit Conſtat enim, *docet Div. Thom.*, quod natura inclinat ad Matrimonium intendens aliquod bonum, quod tamen variatur ſecundum diverſos hominis ſtatus, & ideò oportet, quod etiam ſecundum illud bonum diverſimodè in diverſis ſtatibus hominum inſtituatur. Et de facto ſecundum quod ordinatur ad procreationem prolis, inſtitutum fuit ante peccatum; ſecundum quod remedium præbet contra vulnus peccati inſtitutum fuit poſt peccatum tempore legis naturæ; ſecundum determinationem perſonarum inſtitutionem habuit in lege Moyſi; ſecundum verò quod repræſentat myſterium conjunctionis Chriſti, & Eccleſiæ, inſtitutionem habuit in lege nova, & ſecundum hanc inſtitutionem eſt Sacramentum novæ legis; nec eſt inconveniens, *ſubdit* [l ib. ad 3.] *Div. Thom.*, (l) quod ſecundum diverſa, quæ oportet in Matrimonio determinari, diverſas etiam inſtitutiones habuerit. Et de facto ante peccatum non dicebatur illud inſtitutum fuiſſe in remedium, cum rectitudo ſtatus illius, in quo ſuperiora ſuperioribus dominabantur, & nullo modo ab eis dependebant, in quo mens ſuberat Deo, menti inferiores animæ vires, & ipſi animæ corpus, hoc exigebat; & ideò *dictum fuit cum Div. Th.*, (m) [m 1. p. q. 61. a. 1. ad 2.] quod Matrimonium in illo ſtatu innocentiæ utique fuit inſtitutum ſolùm ſecundum quod eſt in officium naturæ, (& non ſecundum quod eſt Sacramentum,) & tunc fuit, quando homini mulierem de coſta formavit in adiutorium, & dixit eis, *creſcite, & multiplicamini*, quę verba licet fuerint dicta & aliis brutis, non tamen per ea eodem modo implendum fuit illud, ſicut per homines: quod autem à Deo fuerit inſtitutum Matrimonium, ultrà quod habetur, tanquam certum *ex illo Matt.* (n) Chriſtum dixiſſe, non legiſtis, quia qui fecit homi- [n cap. 19.] nem ab initio, maſculum, & fęminam fecit eos? mani- [o ib. ad 4.] feſtè etiam *docet Div. Thom. dum ait*, (o) Adam illa verba, V. hoc nun os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, hæc vocabitur virago, quia de viro ſumpta eſt, ex quibus colligitur Adam fuit primum prophetam, ſicut per verba ſubſequentia V. quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & c. videtur, quod protulerit illa inſpiratus à Deo, ut intelligeret inſtitutionem Matrimonii à Deo factam.

Deinde docet ibid. D. Thom, quod & aliæ ſunt utilitates, quæ ex Matrimonio ſequuntur, ſcil. amicitia, mutuum obſequium ſibi à coniugibus impenſum, & ſecundum iſtas habet inſtitutionem in lege civili.

Pariter aſſignantur etiam quamplures cauſæ, quare vir, & mulier conjungi debeant in Matrimonium, & ſunt procreationis appetitus, non tam ob eam rem, ut bonorum, & divitiarum hæredes relinquantur, quàm ut veræ fidei, & religionis cultores educentur, ſic nobis teſtatur Tobias, Angelus Raphael illi dixit, debetur [p cap. 6.] tibi omnis ſubſtantia ejus, V. Saræ filiæ Raguelis, & oportet eam te accipere coniugem; pete ergo eam à Patre ejus, & dabit tibi eam in uxorem: At Tobias timore præteritus nolebat eam petere, quia ſciebat, quod illa tradita fuerit ſeptem viris, & quod illi mortui fuerint; & quod majus fuerit, ſciebat, quod dæmonium occiderit illos, *unde & dixit*, timeo, ne fortè & mihi hæc eveniant. Ad hæc autem Angelus Raphael dixit, oſtendam tibi, qui ſunt, quibus prævalere poteſt dæmonium. Hi namq; qui coniugium ita ſuſcipiunt, ut Deum à ſe, & à ſua mente excludant, ut ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus, & mulus, in quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem ſuper eos. Tu autem, *ſubdit Angelus*, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quàm libidine ductus, ut in ſemine Abrahæ benedictionem conſequaris. Et hæc fuit cauſa, quare Deus ab initio Matrimonium inſtituerit. Tollat ergo Deus à cordibus illorum, qui Matrimonium juncti medicamentis, vel conceptum impediunt, vel partum ambigunt, maximum, & impiiſſimum ſcelus eſt inter alia ſcelera, cum exiſtimanda ſit impia homicidarum conſpiratio: & tantò majus eſt, quantò contrà illos, qui nec ululatu confiteri poſſunt Deum, nec pro Chriſto mori.

Pariter ad vitanda libidinis peccata remedio Matrimonii utatur, ob hoc *Apoſtolus ad Corint. ait*, (q) pro- [q 1. cap. 7.] pter fornicationem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum habeat. Hæ ſunt cauſæ ſervandæ ab iis, qui volunt piè, ac religioſè contrahere Matrimonium, & gaudere de fructu ejus, quatenus Sacramentum eſt, maxime quia de ratione Sacramenti eſt, & quod ſit ſignum, & quod ſit remedium, ac proinde rectè ſequitur, quod quantum ad medias inſtitutiones competit ei ratio Sacramenti, licet quantum ad primam inſtitutionem competat ei, quod ſit in officium naturæ, & quod ultimam, quod ſit in officium civilitatis;

Diximus, quod *quantum ad medias inſtitutiones competit ei ratio Sacramenti*, quia de ratione Sacramenti eſt conferre gratiam, quam conferre Matrimonium nullum eſt dubium, *cum jam à Concil. Trident.* (r) *approbante* [r Seſſ. 24. can. 1.] *doctrinam D. Th. ſtatutum ſit*, ſi quis dixerit, Matrimonium (*quatenus eſt unum ex ſeptem Sacramentis novæ legis*) non conferre gratiam, anathema ſit; & hanc gratiam confert, in quantum fide Chriſti Matrimonium contrahitur; unde habetur, ut conferat gratiam adjuvantem ad illa operandi, quę in Matrimonio requiruntur, V. procreatio prolis, educatio filiorum in fide, amicitia, mutuum obſequium, vitatio aliorum peccatorum carnalium, & quod magis eſt, timor Domini,

quan-

quando autem hæc omnia ſervabuntur, non deficiet auxilium Dei ab illis, quia certum eſt ait *D. Th.* (*f*) ubicumque datur divinitùs aliqua facultas, dantur etiam auxilia, quibus homo convenienter uti poſſit facultate illa, & cum in matrimonio detur homini ex divina inſtitutione facultas utendi uxore ſua ad procreationem prolis, datur & gratia, ſine qua id convenienter facere non poſſit, quæ gratia data eſt ultima res contenta in hoc Sacramento.

f in ſuppl. q. 42. ar. 3.

Diximus *hoc Sacramentum conferre gratiam in fide Chriſti*, cum matrimonium ſanctificationem habeat, ex hoc solùm, quod Chriſtus ſua paſſione ræpreſentavit illud, & non principaliter ex aliqua ſanctificatione habeat Sacerdotis, quod videtur etiam certum ex illo, *quod docet D. Tho.* (*t*) actus exteriores, & verba exprimentia conſenſum directè faciunt nexum quemdam, qui eſt matrimonii Sacramentum, qui nexus ex virtute divinæ inſtitutionis diſpoſitivè ad gratiam operatur, & ideò mirum non eſt, ſi habeat aliquid efficaciæ ad reprimendam concupiſcentiam, quæ non reprimitur, niſi per gratiam, & licet concupiſcentiæ opera congregata ſecundum ſe ſint nata concupiſcentiam augere, tamen ſecundum quod ordinantur rationi, ipſam reprimunt, quia ex ſimilibus actibus ſimiles relinquuntur diſpoſitiones, & habitus, ad quod percipiendum *ait D. Th.* (*u*) quod contra concupiſcentiam poteſt præſtari remedium dupliciter.

t ib. ad 2.

u ib. ad 4.

Primò ex parte ipſius concupiſcentiæ, ut reprimatur in ſua radice; & ſic remedium præſtat matrimonium per gratiam, quæ in eo datur; ſecundò ex parte ejus actus; at hoc dupliciter, uno modo, ut actus, ad quem concupiſcentia inclinat, exterius turpitudine careat, & hoc fit per bona matrimonii, quæ honeſtant carnalem concupiſcentiam.

Secundò, ut actus turpitudinem habens impediatur, quod fit ex ipſa natura actus, dùm ſatisfit concupiſcentiæ in actu conjugali, ad alias corruptelas non ita incitat. *Unde Apoſtolus dixit* (*x*) melius eſt nubere, quàm uri.

x 1. Cor. 6. 7.

Et licet melius ſit nubere, quàm uri, nec poſſit quis nubere, niſi intendat commixtionem carnalem exequi, hæc tamen commixtio non eſt de integritate matrimonii, quod intelligendum eſt de prima integritate; *ut docet* D. *Th.* (*y*) ex hoc, quod finis Matrimonii; non habetur ſine carnali commixtione, oportet, quod ſit de integritate ſecunda, non de prima. Et quod ita ſit, *ſubdit* (*z*) ante carnalem commixtionem matrimonium eſt in remedium ex gratia, quæ datur in eo, licet non ex actu, qui pertinet ad integritatem ſecundam.

y in Supp. q. 2. ar. 4 ad 3.

z ib. ad 4.

Et de facto in Paradiſo nonnè fuit matrimonium? & tamen ibi non fuit carnalis copula. Et quod majus eſt, nonnè fuit verè Matrimonium illud cum Maria ſemper Virgine; & tamen non fuit carnalis commixtio cum Joſeph. De primo *habetur ex Sanctis Patribus*, a quibus dictum eſt, matrimonium non concubitu, ſed conſenſu exiſtere, unde ſatis conſtat, primos parentes ante peccatum, quo tempore nulla inter eos carnis copula intervenerat, vero matrimonio junctos fuiſſe.

De Secundo *habetur ex Divo Thoma* (*a*) dicendum eſt, quod quantum ad primam perfectionem, quæ quidem perfectio rei conſiſtit in ipſa forma, ex qua ſpeciem ſortitur; omninò fuit verum matrimonium, Virginis Matris Dei, & Ioſeph, quia uterque conſenſit in copulam conjugalem; non autem expreſſe in copulam carnalem niſi ſub conditione ſi Deo placeret. Et de facto Angelus vocat Mariam conjugem Joſeph, dicens *Matt* (*b*) Joſeph fili David, noli timere, accipere Mariam conjugem tuam: *Et D. Aug. l. de nuptiis, & concupiſcentia dixit*; (*c*) conjux vocatur ex prima deſponſationis fide: quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cognoſciturus; & ideò dicitur, quod fuerit Virgo ante, in, & ſemper poſt partum; Et *D. Tho* (*d*) quod ibi dixit, hìc totum confirmat dicendo, quod duplex eſt integritas, una quæ attenditur ſecundum perfectionem primam, quæ conſiſtit in ipſo eſſe rei, alia quæ attenditur ſecundum perfectionem ſecundam, quæ conſiſtit in operatione; & quia carnalis commixtio eſt quædam operatio, ſive uſus Matrimonii, per quod facultas ad hoc datur, ideò carnalis commixtio erit de ſecunda integritate matrimonii; non de prima. De iſta poteſt dici, quod & *Paulus locutus ſit, dùm dixit*, (*e*) ut ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore, non in paſſione deſiderii, non enim homo debet complere deſiderium ſuum in concupiſcentia carnis, ſicut faciunt gentes, quæ ignorant Deum, ſed debet etiam in actu conjugali cuſtodire mentem ſuam à furore libidinis.

a 3 p. q. 29 a. 2.

b cap. 10. 9

c cap. 10.

d in ſupp. q. 52. a. 4.

e 1 ad Theſſ. 4.

Super Quæſtionem Quadrageſimam Tertiam.

De Matrimonio quantum ad ſponſalia.

ANtequam matrimonium contrahatur per copulam carnalem, & fiat commixtio maris, & fœminæ, quæ ſemper pro fine primario, & principalis habere debent generationem prolis, ut cultus Dei magis, ac magis augeatur per populum illi fidelem; prævenire ſolent ſponſalia, ſive promiſſiones, ad quarum valorem non ſufficit promiſſio externa, utpotè quia non eſt vera promiſſio, ſi deſit animus non promittendi, neque interna; cum ſola homini, ſed ſoli Deo ſis non intueri cor, ſed debet fieri per aliquod ſignum externum, quo mediante ejus promiſſio exprimitur. Ex qua promiſſione obligatur unus alteri ad matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non ſolvens matrimonium, niſi legitimum impedimentum interveniat. Ad hujuſmodi ſponſalia contrahenda ſufficit, immò determinatur ab utroque jure tempus ſeptennium, maximè quia in fine hujus ſeptennii homo poteſt eſſe aptus ad aliqua promittenda in futurum, nam ſponſalia ſunt quædam promiſſiones futurorum, præcipuè de his, ad quæ ratio naturalis inclinat magis, quale eſt matrimonium. Et quia conſenſus in conjugalem copulam per verba de futuro non facit matrimonium, ſed illius promiſſionem, quæ promiſſio dicitur ſponſalia, hinc etiam ſequitur, quod ſponſalia dirimi poſſunt vel ex mutuo conſenſu, vel per ingreſſum religionis, vel cum alter conjugum cum altero per verba de præſenti contrahit, ipſo jure ſponſalia in his, & ſimilibus dirimuntur, vel dirimi debent ſecundum judicium Eccleſiæ.

Jam diximus ſupra verba exprimentia conſenſum directè faciunt quendam nexum, qui eſt Sacramentum matrimonii, & modò hæc repetimus, ut deveniamus ad conſenſum requiſitum ad conjugalem copulam. Diximus ergo, quod non requiritur conſenſus in conjugalem copulam per verba de futuro, ad hoc ut matrimonium reſultet, & fiat; nam verba, quæ futurum tempus indicant, matrimonium non conjungunt, ſed ſpondent; & hinc ex *Divo Thoma* (*a*) habemus, quod conſenſus in conjugalem copulam per verba de futuro non facit matrimonium, ſed matrimonii promiſſionem, quæ promiſſio dicitur ſponſalia à ſpondendo, ſive à ſponſione, de qua *in l. digeſtorum* (*b*) *de verborum ſignificatione legitur* ſponſio appellatur, non ſolùm per ſponſalis interrogationem fit, ſed omnis ſtipulatio, promiſſioq; Pariter à ſpondendo, *ut notat Iſid.* eò quia ante uſum tabularū matrimonii cautiones dabant, quibus ſpondebant ſe invicem conſentire in jure matrimonii, & fidejuſſores dabant. Verùm hæc promiſſio, & fieri poteſt abſolutè, & ſub conditione, ſi ſit abſolutè, quatuor modis fieri poteſt: primò nulla promiſſione, ut cum dicitur, accipiam te in meam, & è converſo. (*c*) Ex tali namque promiſ-

a in ſupp. q. 43. ar. 1

b L. 1. ſi. 16

Digitized by Google

promiſſione obligatur unus alteri ad Matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non ſolvens promiſſum, niſi legitimum impedimentum interveniat; & ſecundum hoc Eccleſia cogit injugendo pęnitentiam pro peccato: ceterum in foro contentioſo non compellitur, quia Matrimonia coacta conſueverunt malos exitus habere, niſi fortè juramentum interveniat, quia tunc cogendus eſt, qui promiſit, & hoc ſecundum aliquos, licet aliis non videatur propter cauſam prædictam, præcipuè ſi de uxoricidio timeretur. Quod colligitur eſſe magis conſonum, utpotè quia habetur tùm *à Lucio Tertio ad Epiſcopum Rappalen.*, requiſivit à nobis tua fraternitas, qua cenſura mulier compelli debeat, quæ jusjurando religione neglecta nubere renuit, cui ſe nupturam interpoſito juramento firmavit; ad quod breviter reſpondemus, quod cum libera debeant eſſe Matrimonia, monenda eſt potiùs, quàm cogenda; cum coactiones ſoleant difficiles exitus frequenter habere. Tùm *ex Alex. Tertio ad Panormitanum Epiſc.* de illis autem, qui promittunt ſe aliquas mulieres ducturos præſtito juramento, & poſtea eis incognitis dimittunt terram ſe ad alias partes transferentes. Hoc tibi volumus innoteſcere, quod liberum erit mulieribus ipſis, (ſi non amplius in facto eſt proceſſū,) ad alia ſe vota transferre. Ecce ergo quomodo ſponſalia etiam jurata non faciunt Matrimonium, & conſequenter, quod *ſecundum Alexand. roborantem illud quod lege de ſponſalibus habetur*, ſunt tantū futurū nuptiarū promiſſio, *additur*, & mutua.

Et dicitur futurarum nuptiarum, ut certi ſimus, ſponſalia diſtingui à Matrimonio, iſtud enim contrahitur expreſsè per verba de præſenti; illa verò, nempe ſponſalia per verba de futuro contrahuntur, ut jam diximus, accipiam te in meam, & è converſo.

Additur mutua promiſſio, ut intelligamus, ad ſponſalia non ſufficere propoſitum, aut ſimplicem voluntatem, cum illa non ſufficiat ad inducendam obligationem, ſed requiri neceſſariò promiſſionem, ſive obligandi ſe voluntatem, quæ mutua ex parte contrahentis eſſe debet.

Secundò, datis arrhis ſponſalitiis, ut pecunia, vel aliquid hujuſmodi: Tertiò, annuli ſubarrhatione: Quartò, interveniente juramento: hi autem tres ultimi modi, qui adduntur, non ſunt niſi ad confirmandam promiſſionem, unde & ſunt, & ipſi promiſſio, non tamen præcipuè, & hoc de promiſſione, quæ fit abſolutè.

De illa verò, quæ fit ſub conditione, etiam diſtinguendum eſt, quia aut eſt conditio honeſta, ut quando dicitur accipiam te, ſi parentibus placeat, & tunc ſtante conditione, ſtat promiſſio, & non ſtante, non ſtat, quæ conditio non tollit libertatem ſponſalium, *ſubdit & D.*
d ib. ad 4. *Thom.*, (*d*) ſicut nec illa conditio de accipienda pecunia, ut ſi dicam, contraham tecum, ſi dabis mihi centum, non enim hoc ponitur quaſi ad vendendum conſenſum Matrimonii, ſed intelligitur, ut promiſſio dotis, & ideò Matrimonium non perdit libertatem. Hanc verò perderet, quando apponeretur conditio pecuniæ per modum pœnæ, & tunc, quia Matrimonia debent eſſe libera, talis conditio non ſtat, nec illa pœna poteſt exigi ab eo, qui non vult Matrimonium complere.

Aut eſt conditio inhoneſta, & hoc dupliciter aut eſt contraria bonis Matrimonii, ut ſi dicam, accipiam te, ſi venena ſterilitatis procures, & tunc non contrahuntur ſponſalia, & meritò, quia tunc tollitur finis principalis Matrimonii, qui eſt procreatio prolis: aut non eſt contraria bonis Matrimonii, ut ſi dicam, accipiam te, ſi furtis meis conſentias, & tunc ſtat promiſſio, tollenda tamen eſt conditio: utpotè quia non impedit ea, quæ ad rationem Matrimonii ſpectant.

Diximus, *quod conſenſus in conjugalem copulam per verba de futuro promiſſionem tantùm facit, non Matrimonium*, certum eſt enim, quod quæ futura ſunt, nondum eſſe perſpicuum eſt, per quæ intelligi debet & illud dictum, *promiſſio, quæ eſt de rebus futuris, vituperatur*, non enim intenditur per hoc prohibere, quod omninò aliquis nullam promiſſionem faciat de futuris, ſed quod non promittat, quaſi fiduciam habens de vita ſua; *Hinc poſt-*
e cap. 4. *quam dixerit Apoſtolus Jacobus*, (*e*) ecce nunc qui dicitis hodie, aut craſtino, ibimus in illam Civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus; *ſubdit*, qui ignoratis, quid erit in craſtino! quę eſt enim vita veſtra? vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Pro eo, ut dicatis, ſi Dominus voluerit, & ſi vixerimus, faciemus hoc, vel illud: *Verùm ſubdit Div. Thom.*, (*f*) quod iſta conditio f. ib. ad 5.
etiamſi verbis non exprimatur, corde tamen debet intelligi: ex quibus ſequitur, quod ſemper ſponſalia ſunt futurarum nuptiarum promiſſio.

Nec obſtat, quod aliquis dicatur ſponſus ex præſentibus nuptiis, quia, *ut ait D. Th.*, (*g*) in Matrimonio g ib. ad 6.
poteſt conſiderari ipſa conjunctio Matrimonialis, & actus ejus; & à ſponſione primi in futurum dicitur ſponſus à ſponſalibus contractis per verba de futuro, & à ſponſione ſecundi dicitur aliquis ſponſus etiam quando contractum eſt Matrimonium per verba de præſenti; quia ex hoc ipſo ſpondet actum Matrimonii; ceterum à prima ſponſione dicuntur ſponſalia propriè, quæ ſunt quædam Sacramentalia Matrimonii, ſicut exorciſmus Baptiſmi.

Cum ſponſalia ſemper ſint, ut diximus futurarum nuptiarum promiſſio, meritò indagandum eſt, quo tempore poſſint contrahi hujuſmodi ſponſalia; & ut breviter procedamus, pro certo tenendum eſt, tempus talium ſponſalium eſſe tempus ſeptennii, *ſic etiam determinatur* h Lib. 4.
à jure; (*h*) & rationabiliter, nam cum ſponſalia ſint Decr. tit. 2. cap. 5.
quædam promiſſiones futurorum, opus eſt, quod illorum ſint, qui aliquo modo promittere poſſunt; promittere autem non eſt, niſi illorum, qui habent aliquam prudentiam de futuris, quæ uſum rationis requirit; reſpectu cujus etiam triplex ſtatus notatur.

Primus eſt, quando quis neque ipſe intelligit per ſe, neque ab alio capere poteſt; *Secundus eſt*, quo homo ab alio capere poteſt, ſed ipſe per ſe non ſufficit ad conſiderandum, & intelligendum. *Tertius ſtatus*, quando homo, & ab alio jam capere poteſt, & per ſe ipſum conſiderare; iſti verò ſtatus aſſignantur, quia eſt certum, quod homo paulatim reducitur ad ſenſum illum, in quo quietantur motus, & fluxibilitas humorum, & magis in illo reſplendet ratio. Et *ideò ait D. Th.*, (*i*) primum i in Suppl.
ſtatum rationis obtinet homo ante primum ſeptennium, in quo ſtatu nulli contractui opus eſt, ſi nulli, q. 43. a. 2.
ergo neque ſponſalibus, cum ſponſalia quidam contractus ſint; verùm cum in fine primi ſeptennii incipiat eſſe aptus ad promittenda aliqua in futurum præcipuè in his, ad quæ ratio naturalis magis inclinat, hinc eſt, quod tali tempore poſſunt contrahi ſponſalia, in quibus determinatur à jure loco citato, unum tempus utrique, ſcil. pueri, & puellæ, non autem in Matrimonio, ſicut etiam in illis requiritur uſus diſcretionis, ad differentiam contractus Matrimonii, in cujus tempore & requiritur diſpoſitio ex parte uſus rationis, & ex parte corporis, ut ſit tempus generationis aptum, ad quam aptitudinem venit puella in 12. anno, puer verò in anno 14.

Deinde *docet Div. Thom.*, (*l*) in ſponſalibus etiam ſi l Ib. ad 7.
appropinquant contrahentes ad tempus ſeptennii, contractus ſponſalium habet robur, quoniam eſt axioma commune, quod parum diſtat, nihil diſtare videtur; quæ tamen propinquitas ab aliquibus determinatur tempus ſex menſium; verùm in hoc negotio meliùs ſentiendum eſt, cum illis, qui determinant tempus ſecundum conditiones contrahentium, & ſano modo, quia videtur, quod in aliquibus magis acceleretur uſus rationis, quàm in quibuſdam aliis.

Diximus, quod *in fine ſeptennii incipit eſſe aptus ad aliqua promittenda in futurum, & præcipuè in his, ad quæ ratio naturalis inclinat*, ut ſciamus, quod etiam in fine illius non eſt aptus ad obligandum ſe perpetuo vinculo, eò quia adbuc non habet firmam voluntatem: *& in corroboratione hujus docet D. Thom.*, (*m*) illa placentia, m ib. ad 4.
quæ apparet in pueris ante ſeptennium non procedit ex perfecto uſu rationis, cum nondum ſuſceptibiles ſint plenæ diſciplinæ, ſed magis ex motu naturæ, quam ex aliqua ratione, & ob hoc non ſufficit talis placentia futurarum nuptiarum ad ſponſalia contrahenda.

Ad

Digitized by Google

Ad ſecundum ſtatum incipit pervenire in fine ſecundi ſeptennii; unde etiam tunc temporis pueri ad ſcholas ponuntur; in fine cujus poteſt ſe obligare de iis, quæ ad perſonam ipſius pertinent, vel ad religionem, *ut de facto legitur de pluribus Sanctis, qui voto ſe obſtrinxerunt in tali ætate, ſic de Sancta Roſa habemus*, quod quinquennis votum perpetuæ virginitatis emittit, vel ad coniugium, & hoc ſecundum uniuſcujuſque vocationem: reſtat ergo, ut unuſquiſque etiam ambulet in illa, *hinc Paulus dicebat*; (*n*) Obſecro vos, ut dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis. [*n cap. 4. ad Eph.*]

Ad tertium ſtatum incipit homo pervenire in fine ſecundi ſeptennii quantum ad ea, quæ ad perſonam ipſius pertinent; at quantum ad ea, quæ extra ipſum ſunt, in fine tertii ſeptennii, unde poſt tertium ſeptennium, etiam de aliis poteſt ſe obligare, & ſecundum leges conſtituitur ei poteſtas de rebus ſuis diſponendi poſt vigeſimum ſecundum annum, aliàs vigeſimum quintum, *juxta decret. loco cit. Et in lib. Inſtit.* (*o*) *de curatoribus habetur ſtatutum*; Maſculi (quidem) puberes, & fœminæ viri potentes, uſque ad 25. annum completum curatores accipiunt: quia licet puberes ſint, adhuc tamen ejus ætatis ſunt, ut ſua negotia tueri non poſſint. [*o Lib. 1. tit. 23.*]

Tamen ſciendum eſt, quod ſponſalia aliqua ipſo jure dirimuntur, ut quando quis ad religionem confugit, idcircò qui ſponſalia contrahit, licet corpus ſuum promittat mulieri, tamen talis promiſſio tollitur per mortem ſpiritualem, cum ſit tantùm ſpiritualis, *docet D. Th.*, (*p*) quod tamen intelligi debet non præciſe de ingreſſu Religionis, non enim per ſolum ingreſſum ſolvitur promiſſio, cum ad ſeculum redire poſſit, unde nec moritur vitæ ſeculari, ſed de ingreſſu Religionis ratione profeſſionis, per quam terminum ponit vitæ ſecularis. Pariter ut quando alter coniugum cum altera per verba de præſenti contrahat; ſi quidem vinculum Matrimonii eſt fortius, quàm vinculum ſponſaliorum. Nec eſt eadem ratio de ſecunda venditione, quæ non derogat primæ, ac de ſecundo contractu, etenim ille utique poteſt derogare primum, ſi tamen fiat per verba de præſenti, & hoc quia, *ut bene docet Div. Thom.*, (*q*) ſecundus contractus Matrimonii eſt fortior primo: unde & illud ſolvit; & quod non ſit eadem ratio de utroque, *colligitur ex verbis D. Th. ibidem ſubſequentibus*, differentia, ſive ratio illa teneret, ſi eſſet unius rationis uterque contractus. [*p in Suppl. q. 41. a. 1. ad 1.*] [*q ib. a. 7.*]

Aliqua verò ſponſalia dirimi debent ſecundum judicium Eccleſiæ; Unde quando alter coniugum ad longinquam regionem ſe transfert; tunc debet dirimi ſecundum judicium Eccleſiæ, eò quia dubium illud, *ait D. Th*, (*r*) determinatur ex hoc, quod alter non comparet tempore ſtatuto ad Matrimonium perficiendum, unde ſi ex parte ejus non deſuit, quin Matrimonium compleret, poteſt licitè alteri nubere ſine aliquo peccato. Si autem per eum ſtetit, quod Matrimonium non eſt completum, debet agere pœnitentiam de peccato fractæ promiſſionis, aut juramenti, ſi juramentum intervenit, & poteſt contrahere cum alia, ſi vult, judicio Eccleſiæ. [*r ib. ad 1.*]

Item dirimi poſſunt ſponſalia, ſi ante contractum Matrimonium aliquam gravem infirmitatem incurrat alter eorum, inter quos ſunt ſponſalia contracta, quæ ipſum nimis debilitet, uti ſunt *Epilepſia*, vel *paraliſis*; ſi aliquam deformitatem, quæ ipſum reddat monſtruoſum, *ut abſciſſio naſi, omiſſio oculi, & ſimilia*; aut quæ ſunt contra bonum prolis, *ut lepra*, hæc enim habet inficere prolem. Diſſolvuntur etiam ſponſalia per ſupervenïens impedimentum, v. g. *novæ affinitatis*; ad quod tamen probandum ſola fama ſufficit (orta tamen ex zelo, non ex invidia, ſicut à quibuſdam his noſtris temporibus ſolet fieri ad ſolvenda ſponſalia, & ad perdendum hominem) propter ſcandalum vitandum: Et hoc, *quia ait D. Th.*, (*ſ*) cauſæ, quæ in futurum expectant effectum ſuum, impediuntur à ſuis effectibus, non ſolum ex eo, quod eſt, ſed etiam ex eo, quod futurum eſt; unde ſicut affinitas, ſi eſſet tempore contractus ſponſalium, impediviſſet contractum illum, ita ſi interveniat ante Matrimonium, quod eſt effectus quidam ſponſalium, prior contractus ab effectu ſuo impeditur. [*ſ ib. ad 4.*]

Nec in hoc aliquid detrahitur alteri, immò ei confertur; quia abſolvitur ab eo, qui per fornicationem Deo ſe odioſum reddidit. Unde & propter fornicationem alterius dirimi debent, quia licet nondùm dederint ſibi mutuò poteſtatem corporis ſponſalia contrahentes, tamen ex hoc fiunt ſuſpecti ſibi invicem de non ſervanda fide in futurum; *& ideò ait D. Thom.* (*t*) poteſt ſibi præcavere unus contra alium ſponſalia dirimendo. Denique dirimi etiam poſſunt, ſi adeſt defectus ætatis, ſiquidem licet non fuerint vera ſponſalia ante ætatem determinatam, tamen fuit ibi quidam ſponſalium modus, & ideò ne videatur approbare ad annos legitimos veniens, debet petere ſolutionem ſponſalium judicio Eccleſiæ faciendum propter bonum exemplum. [*t ib. ad 4.*]

Super Quæſtionem Quadrageſimam quartam.

De deffinitione Matrimonii.

IN quolibet ſtatu, & in qualibet lege Matrimonium hoc nomen retinuit; & in paradiſo voluptatis originem habuiſſe certum eſt: unde Adam, & Eva meritò à Patribus protoplaſti noſtri nominantur, & verè ſunt tales, nam ab ipſis omnes deſcenderunt; Etſi in Paradiſo in Matrimonium conjuncti fuerunt à Deo, in illo tamen actum Matrimonii non conſummaverunt ob peccatum, ob hoc & nos per ipſos in peccatis nati ſumus, *cum & Paulus dicat*, in quo omnes peccaverunt, attribuendo hoc malum à capite, nempe ab Adam; à tempore Adæ uſque ad Moyſen vigebat lex naturæ, in qua ſervabatur illud ob multiplicationem generis humanis;

Tempore verò Moyſis data fuit lex à Deo in Monte Sinay, quæ & ſcripta vocatur, *ut in Exodo*, (*a*) reverſus eſt Moyſes de monte, portans duas tabulas teſtamenti in manu ſua, ſcriptas ex utraque parte, & tunc Matrimonium accepit majorem vim, ita ut in officium naturæ diceretur, & multa alia ſervabantur, quæ non ſervabantur in lege naturæ: At ubi venit plenitudo temporis, in quo miſit Deus filium ſuum in mundum, Matrimonium accepit vim Sacramenti, in quantum ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia. Et hinc eſt, quod Matrimonium dicitur eſſe in genere conjunctionis, quoniam per Matrimonium ordinantur aliqui ad unam generationem, & educationem prolis, & iterum ad unam vitam domeſticam per quæ omnia rectè ſequitur, quod in Matrimonio eſt aliqua conjunctio, ſecundum quam dicitur maritus, & uxor, qui juxta Domini ſententiam *ſunt duo in carne una*, [*a cap. 32.*?]

Ex his etiam ſequitur, quod Matrimonium rectè nominatur in ordine ad eſſentiam ipſius, quę eſt conjunctio, *coniugium*: ſi conſideretur ejus cauſa, quæ eſt deſponſatio, ſic vocantur nuptiæ à *nubo*; ſi effectus, qui eſt proles, ſic dicitur Matrimonium, ob hoc, quod mulier non debet ob aliud nubere, niſi ut ſit mater. Aliæ aſſignantur denominationes de quibus ſuo loco. Ex quibus omnibus etiam facilè devenietur ad cognitionem deffinitionis ipſius Matrimonii, & licet.

Matrimonium eſſe in genere conjunctionis *clarè conſtat ex illo Gen.* (*b*) erunt duo in carne una; quod eſſe non poteſt, niſi duo conjungerentur in carne; cum ergo hæc conjunctio in carne fiat in Matrimonio, non poteſt eſſe dubium, quod non ſit in genere conjunctionis; *& à Div. Thom. hoc docetur, & à Concilio Trid.* (*c*) *hoc approbatur*, hoc autem vinculo, *ſtatuitur*, duos tantùmmodo copulari, & conjungi Chriſtus Dominus apertiùs docuit, cum poſtrema illa verba, tanquam à Deo prolata referens dixit; itaque [*b cap. 2.*] [*c Seſſ. 24. in princ.*]

jam

Digitized by Google

jam non ſunt duo, ſed una caro, ſtatimque ejuſdem nexus firmitatem ab Adamo tantò antè pronunciatam his verbis confirmavit; quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet, *ob hoc legitur, Paulum ad Roman. dixiſſe, (d)* Lex in homine dominatur, quanto

d cap. 7. tempore vivit; nam quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro, alligata eſt legi; unde videtur, quod etiam *ex Div. Paulo habetur*, matrimonium eſſe in genere conjunctionis, quod magis patet ex verbis ſubſequentibus, ſi autem mortuus fuerit vir ejus ſoluta eſt à lege viri.

Et à Div. Thom. habetur, quod cum per matrimonium ordinentur aliqui ad unam generationem & educationem prolis, ſicut etiam ad unam vitam domeſticam, hinc eſt, quod in matrimonio, ſecundum quod ordinatur ad unam vitam domeſticam, eſt conjunctio animi, ſecundum quod ordinatur ad unam generationem, & educationem, dicitur conjunctio, ſecundum quam dicitur maritus, & uxor, & ſecundum hanc matrimonium conſequitur.

Etſi dicatur ipſum matrimonium vinculum, *ſicut & à Concilio Tridentino tale nominatur*, attamen dicitur vinculum tantùm formaliter, non effectivè & ideò non oportet, *eſt doctrina D. Th.* quod vinculum ſit aliud à conjunctione in matrimonio.

In quo tamen eſt tria conſiderare. *Primò* eſſentiam

e in Suppl. q. 44. ar. 1. ipſius, quæ eſt conjunctio, ſecundum quod nominatur conjugium, *ex Divo Thom (f)* conjugium namque à conjungendo nominatur; cum legitima mulier cum viro quaſi uno jugo adſtringatur; quæ conjunctio viri ad mulierem eſt maxima, cum ſit anima-

f in Suppl. q. 44. art. 2 rum, & corporum.

Secundò, cauſam ejus, quæ eſt deſponſatio, ſecundum quod vocantur nuptiæ à nubo, quia in ipſa ſolemnitate deſponſationis, qua matrimonium perficitur, capita nubentium velantur. Dicuntur & nuptiæ, quia teſte D. Ambroſio, pudoris gratia puellę ſe obnuberent, quo etiam declarari videbatur, viris obedientes, ſubjectaſque eſſe oportere.

Tertiò effectum; qui eſt proles, & hoc pacto dicitur matrimonium ex hoc, quod mulier non debeat ob aliud nubere; niſi ut fiat mater, unde & matris munus eſt prolem concipere, parere, & educare; & ideo poteſt etiam dici matrimonium, quaſi matris munium, ſ. officium, quia fœminis maxime incumbit educandæ prolis officium. Vel dicitur matrimonium, quaſi matrem muniens, quia jam habet, quo defendatur, & muniatur, ſ. *viro*. Vel dicitur matrimonium, *quaſi matrem monens*, ne virum relinquat, alteri adhærens. Vel dicitur matrimonium, *quaſi materia unius*, quia in eo ſit conjunctio ad unam prolem materialiter inducendam, *ut dicatur à Monos, & materia*. Vel dicitur matrimonium, *ut dicit Iſidorus à matre, & nata*, quia per matrimonium aliqua mater nati, & ideò meritò nominatur matrimonium ab omnibus iſtis, quæ tamen non tolluntur, ob hoc, quod Pater ſit dignior matre, quia quamvis pater ſit dignior matre, ex eo, quod vir eſt caput mulieris, & ex eo, quod vir activè concurrit ad generationem, attamen matrimonium multò melius nominatur, *quàm Patrimonium*, tùm quia, *ut ait D. Tho (g)* magis eſt officioſa mater circa prolem, quàm Pater; Unde & matri magis committitur inſtruere, & edu-

g ib. ad 1. care filios ſuos, quàm Patri; ut colligitur *ex illo Paul ad Titum (h)* Anus ſimiliter in habitu Sancto bene do-

h cap. 2. centes, ut prudentiam doceant adoleſcentulas; viros ſuos ament, filios ſuos diligant; Tum etiam quia mulier ad hoc principaliter eſt facta, ut ſit homini in adjutorium prolis, & ideò magis pertinet ad rationem matrimonii mater, quàm pater.

Diximus, quod in matrimonio tria conſiderantur *eſſentia ipſius, cauſa, & eius effectus*, hoc diximus, quia ſecundum hæc tria, tres definitiones aſſignantur de Matrimonio.

Quarum prima tangit cauſam, ſ. conſenſum, *& eſt Hugonis l. de Sacr. (i)* & ſecundum illum ſic defini-

tur, eſt duarum idonearum perſonarum legitimus de conjunctione conſenſus, quod in idem incidit hæc definitio Hugonis cum illa, *quæ habetur in Catechiſmo* i p. 11 c. 4.

Romano (l) & eſt, conjugium eſt conſenſus maris, & fœminæ, in qua ipſe conſenſus cauſa effectrix eſt; l p. 2 c. 4. *& à Concilio Florentino ſub Eugenio Quarto approbatur*, cum obligatio, & nexus oriri nequeat, niſi ex conſenſu, & pactione.

Secunda tangit eſſentiam Matrimonii, ſ. conjunctionem, addit & determinatum ſubjectum in hoc, quod dicit inter legitimas perſonas, ponit & differentiam contrahentem ad ſpeciem in hoc, quod dicit maritalis; ponit & virtutem hujus conjunctionis, quia indiſſolubilis eſt, in hoc, quod dicit; individuam vitæ conſuetudinem retinens. Unde tota ſimul definitio eſt, Matrimonium eſt viris, & mulieris maritalis conjunctio inter legitimas perſonas individuam vitæ conſuetudinem retinens.

Explicatur definitio ponitur ergo *ly conjunctio*, ut ſciamus, quod nihil horum, v. conſenſus interior, pactio externa verbis expreſſa, obligatio, & vinculum, quod ex ea pactione efficitur, & conjugum copulatio, qua matrimonium conſummatur, matrimonii vim, & rationem propriè habet; niſi obligationem illam, & nexum, qui conjunctionis vocabulo ſignificatus eſt.

Ponitur *ly maritalis*, ut ſciamus, quod alia pactionum genera, quibus viri, & mulieres obligantur, ut ſibi mutuam operam præſtent, vel prætii, vel alterius rei cauſa, prorſus aliena ſunt à matrimonii ratione. *Et D. Th. docet (m)* quod in definitione matrimonii ponitur conjunctio maritalis, ut ſit ſenſus, m in ſupp. q. 44. a. 1.

quod matrimonium eſt conjunctio ad ea, quæ mariti officium requirit; & in corpore articuli ait cum matrimonium ſit conjunctio in ordine ad aliquod unum, talis conjunctio in ſpeciem trahitur per illud, ad quod ordinatur, & hoc eſt id, ad quod maritum pertinet; & ideò dicitur maritalis magis, quàm uxoria; cum per hanc differentiam tangatur finis conjunctionis, quę à nobiliori deſumitur, *ſicut teſtatur Paulus ad Cor. (n)* n 1. cap. 11.

vir non eſt propter mulierem, ſed mulier propter virum, *juxta etiam ſententiam Domini Geneſ. (o) qui ad mulierem dixit*, ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui, Dominium autem non eſt propter ſeipſum, o cap. 3.

ſed propter alios; ponitur *ly inter legitimas perſonas*, ut notitiam habeamus, quales perſonæ eſſe debent, ad hoc, ut conjungantur in matrimonio; unde omnes illæ perſonæ dicuntur legitimæ ad contrahendum matrimonium, præter illas, quæ intra quartum gradum propinquitate ſunt conjunctæ, præter puerum ante 14. annum, & puellam ante annum 12. quia certum eſt, quod talis ætas à legibus conſtituta eſt, ad matrimonii fidem incundam illi apti eſſe non poſſunt; unde & impuberes dicuntur. Illi verò qui ad annum 14. pervenerant, ſicut illæ, quæ ad annum 12. puberes dicuntur ſumpta denominatione à lanugine, quæ maribus 14. annis; fœminis 12. annis circa pudenda oriri incipit, & quia maturitatis eſt ſignum, hinc eſt, quod à lege ſtatuitur; ut mas pubes vocetur; cum primùm ad generandum aptus ſit, & fęmina ſimiliter ad concipiendum.

Ponitur *ly individuam vitæ conſuetudinem retinens*; ut per hoc pro certo habeamus, quod per talia verba declaratur natura indiſſolubilis vinculi, quo vir, & mulier colligantur, qui etiamſi ſint valdè moribus diverſi, nihilominus tamen hoc non officit, ut non dicatur individuam vitæ conſuetudinem retinens: non enim attendi debet ad actus ſingulares viris, & mulieris, ſed ſolùm attendi debet ad communicationem illius vitæ conjugalis, *juxta id, quod docet Div. Thomas, (p)* vita conjugalis nihil aliud eſt, quàm converſatio ad communicationem talem pertinens; & ideò p ib. ad 3.

quantum ad hanc vitam ſemper conſuetudo eſt individua, quamvis ſit divina quantum ad actus ſingulares, utriuſque, vel religionis, vel moris.

Tertia tangit effectum, ad quem ordinatur matrimonium, ſcilicet vita communis in rebus domeſticis, & quia omnis communicatio aliqua lege ordinatur, ideò ponitur ordinativum iſtius communicationis, ſcil. jus Divinum, & humanum, & hoc ad differentiam aliarum communicationum, ut negotiantium, & militantium, quæ ſolo jure humano inſtitutæ ſunt. In præſenti ab omnibus unà cum *Divo Thoma* acceptatur definitio illa, quæ tangit eſſentiam ipſius.

Super Quæſtionem Quadrageſimam, Quintam.

De conſenſu Matrimonii ſecundum ſe conſiderato.

CONſenſus, quatenus talis, eſt actus appetitivæ virtutis, & importat quamdam conjunctionem ad aliquid, cui conſentitur: Immò propriè loquendo non eſt niſi de his, quæ ſunt ad finem, *ut etiam docet Divus Thomas* (a) in ordine agibilium primò oportet ſumere apræhenſionem finis, deinde appetitum finis, deinde conſilium de his, quæ ſunt ad finem, poſtea appetitos eorum, quæ ſunt ad finem; & quia appetitus in ultimum finem tendit naturaliter, non habet rationem conſenſus, ſed ſimplicis voluntatis de his, quæ ſunt poſt ultimum finem; in quantum ſunt ad finem, ſub conſilio cadunt, & ſic de eis poteſt eſſe conſenſus, in quantum motus appetitus applicatus ad id, quod ex conſilio judicatum eſt; Motus verò appetitivus in finem non applicatur conſilio, ſed magis conſilium ipſi, quia conſilium præſupponit appetitum finis, ſed appetitus eorum, quę ſunt ad finem, pręſupponit determinationem conſilii; & ideò applicatio appetitivi motus ad determinationem conſilii propriè eſt conſenſus; Quis autem negare poterit, quod ad hoc, ut contrahatur matrimonium, non requiratur conſenſus? certum enim eſt, quod matrimonium dicit conjunctionem maris, & fœminæ, quam conjunctionem importat & conſenſus, non enim contrahitur matrimonium, niſi includatur formaliter conſenſus utriuſque conjugis, qui conſentus non tantùm neceſſarius eſt ad contractum, verùm etiam ad Sacramentum: ad contractum utiq; cum per matrimonium uterq; conjugam habeat poteſtatem in corpus alterius, item ad Sacramentum, cum in matrimonio ſit quædam ſpiritualis conjunctio, in quantum matrimonium eſt Sacramentum; patet enim, quod nullum Sacramentum perficitur abſque voluntate, & intentione miniſtri, contrahentes autem ſunt miniſtri, & contractus civilis, in quantum eſt in officium naturæ, & vitæ civilis, & Sacramenti matrimonii, unde videtur, quod conſenſus ſit cauſa, per quam efficitur matrimonium.

a p. p. q. 14. a. 1.

Talis verò conſenſus opus eſt, ut per verba exprimatur, ſivè ſumatur ratione contractus, cum talis expreſſio ſit neceſſaria in omnibus contractibus materialibus, conſtat enim, quod iſti non poſſunt fieri, niſi contrahentes ſibi invicem voluntatem ſuam promant verbis, ſive ſumatur, ut Sacramentum, nam cum matrimonium ſit Sacramentum quodam, & in omni Sacramento requiratur aliquod ſenſibile ſignum, hinc eſt, quod & in matrimonio oportet eſſe ſaltem verba exprimentia conſenſum ſenſibiliter.

Quæ verba poſſunt exprimi, & de futuro, & de præſenti. Per verba de futuro non fit matrimonium. Per verba autem de præſenti utique fit ipſum, etiamſi in occulto proferantur; ultrà quæ verba requiritur neceſſariò & intentio.

Explicata definitione matrimonii tangente eſſentiam ipſius, remanet, ut explicemus cum eadem, ſi ſatis ſit ipſamet conjunctio inter legitimas perſonas; an ultrà hanc conjunctionem requiratur etiam conſenſus: & an omnis conſenſus abſolutè abſque eò, quod ultrà progrediatur, ſufficiat.

Ut ergo rectè fiat matrimonium, nullum poteſt eſſe dubium, requiri conſenſum, *cum doceat D. Tho.* (b) conſenſum eſſe cauſam efficientem matrimonii, b in Suppl. q. 45. a. 1. *quod à Concilio Florentino ſub Eugenio Papa Quarto confirmatum videtur illud à D. Th. aſſertum; habetur enim*, cauſa efficiens matrimonii regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus, in qua determinatione videri, atq; conſiderari debet, quod ly regulariter non cadit ſupra conſenſum, ſed ſupra expreſſionem conſenſus per verba, quaſi dicat, conſenſus eſt ſemper cauſa efficiens Matrimonii, ſed quod exprimatur per verba, hoc non ſemper eſt, ſed regulariter tantùm; poteſt enim exprimi quandoque per aliquid æquivalens verbis. *Et roboratum videtur à Concilio Tridentino*, (c) dubitandum non eſt, c Seſſ. 24. de Ref. c. 1. clandeſtina matrimonia libero contrahentium conſenſu facta, rata, & vera eſſe matrimonia, quamdiù Eccleſia ea irrita non fecit; ac proinde jure damnandi ſunt illi, ut eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera, & rata eſſe negant. *Et infra*; Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, vel dicat, ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; vel aliis utatur verbis juxta receptum cujuſcumque provinciæ ritum.

Deinde quod requiratur conſenſus in ipſum, *colligitur ex Nicolao Papa*, ſi ſolus in nuptiis conſenſus defuerit, cætera omnia fruſtrantur, *ex Divo Chryſoſtomo dicente* (d) matrimonium non facit coitus, d Hom. in Matt. ſed voluntas, à qua oritur conſenſus, per quem certum eſt, quod unus accipit poteſtatem in eo, quod eſt liberè alterius, & cum per matrimonium accipiat uterque conjugum poteſtatem in corpus alterius, *juxta illud ad Corinth.* (e) mulier poteſtatem ſui corporis e 1 ep. c. 7. non habet, ſed vir, ſimiliter autem, & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier: ideò deduci debet, quod ipſe conſenſus facit matrimonium, non quod ipſum matrimonium ſit ipſe conſenſus: quod autem hoc deduci debeat, *eſt Div. Tho.* (f) *doctrina dicentis*, matrimonium non eſt ipſe conſenſus, ſed quædam unio ordinatorum, ad unum f ib. ad 2. quam conſenſus facit, & licet matrimonium non ſit ipſe conſenſus, tamen habet ſignificare conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, quod non habet conſenſus, ſed ſolùm habet ſignificare voluntatem ejus, qua factum eſt, ut Eccleſiæ conjungeretur. Cujus Sacramenta habere ſemper debent annexam aliquam ſpiritualem operationem mediante operatione materiali, quæ eam ſignificat; & quod hæc omnia reperiantur in Sacramento Matrimonii, eſt pluſquam certum, nam in ipſo & eſt quædam ſpiritualis conjunctio in quantum eſt Sacramentum, & aliqua materialis; ſecundum quod eſt officium naturæ, & vitæ civilis; & ideò ſequitur, quod mediante materiali fiat ſpiritualis virtute tamen divina; hæc enim, cum illa ſit, quæ operatur in nobis ſalutem, eſt etiam prima cauſa Sacramentorum.

Et *quia à D. Th. additur*, conjunctiones materialium contractuum fiunt per mutuum conſenſum, hinc eſt, quod oportet, ut etiam hoc modo fiat matrimonialis conjunctio. Et hoc eſt, quod dicit *D. Th.* (g) cauſæ ſecundæ, ſive inſtrumentales ſunt materiales g ib. ad 1. operationes ex divina inſtitutione efficaciam habentes, & hoc pacto conſenſus in Matrimonio eſt cauſa; qui conſenſus, licet ſit multiplex ex parte conſentientis, eſt tamen unus ex parte ejus, in quod conſentiunt: eò modò quò matrimonium etiam eſt unum ex parte ejus, in quod fit conjunctio, licet ſit multiplex ex parte conjunctorum.

Et cum talis conjunctio fiat ad modum obligationis in contractibus materialibus factis ad invicem per verba vo-

Digitized by Google

luntatem exprimentia, hinc ſequitur, neceſſe eſſe ut conſenſus Matrimonium faciens verbis exprimatur, & ut expreſſio verborum ſe habeat ad Matrimonium, ſicut ablutio exterior ad baptiſmum; & eò maximè quia nonnè in omnibus Sacramentis requiritur aliquod ſenſibile ſignum? cum hoc ſit certiſſimum, fit inde, quod cum Matrimonium ſit Sacramentum quodam, in illo requiritur aliquod ſenſibile ſignum, quod eſſe non poteſt, niſi verba exprimentia conſenſum ſenſibiliter: per quod patet, quid dicendum ſit, quando puella tacet præ verecundia parentibus eam viro tradentibus, dicendum eſt in tali caſu eſſe Matrimonium ſine expreſſione verborum; *ut habetur ex Catechiſmo Romano* de Matrimonio taciturnitas ſatis ad Matrimonium eſſe poteſt. *Et rurſus Hugo de Sancto Victore* (l) *expreſsè ſentit in ſuis Sententiis*, non eſſe hoc mirum, quoniam eos, qui coniunguntur, ſic oportet conſentire, ut invicem ſe ſpontaneè recipiant, quod judicatur fieri, ſi in deſponſatione non contradicant; ac proinde verba parentum computantur in illo caſu, ut ſi eſſent puellæ, quia ſunt ſufficiens ſignum, quod ſunt ejus, ex quo non contradicit: unde videtur, quod & puella præſtat conſenſum, quamvis per alios verba exprimantur: non enim verum eſt, quod qui per alios facit, per ſeipſum facere videtur? Tunc enim non diſſentitur, nec ponitur contradictio, ſed potius tacendo confirmatur id, quod per alios exprimitur. Si ergo hoc certum eſt, certiſſimum erit etiam illud, quod diximus, quod tunc Matrimonium tenet, eò quia profer etiam per alios conſenſum per verba de præſenti, quæ requiruntur neceſſariò, ut fiat Matrimonium; *Sic inſinuatum videtur à Gregorio IX. de Sponſalibus, & Matrimonio*, ſi inter virum, & mulierem legitimus conſenſus interveniat de præſenti, ita ut unus alterum mutuo conſenſu verbis expreſſo recipiet, ſive ſit juramentum interpoſitum, ſive non, non licet alteri ad alia vota tranſire; quod ſi fecerit, ſecundum Matrimonium de facto contractum, etiam ſi ſit carnalis copula ſubſecuta, ſeparari debet, & primum in ſua firmitate manere. Verùm ſi inter ipſos acceſſit tantummodò promiſſio de futuro, Vid. *ego te recipiam in meam, & ego te in meum, aut ſimilia verba*, ſi aliàs mulierem illam per verba de præſenti deſponſaverit, etiamſi inter ipſam, & primum intervenerit juramentum de futuro, ſecundum Matrimonium non poterit ſeparari, ſed eis eſt de violatione fidei pœnitentia injungenda. *Et Div. Thom. hoc ait*, (l) opus eſt, quod talis conſenſus exprimatur per verba de præſenti, taliter quod ſi exprimeretur per verba de futuro, non faceret Matrimonium; *quod etiam ratio ſuadet*, cauſæ namque Sacramentales ſignificando efficiunt, unde hoc efficiunt, quod ſignificant, ergo ille, qui conſenſum ſuum per verba de futuro exprimit, non ſignificat ſe facere Matrimonium, licet promittat ſe facturum; unde Matrimonium non fit, etſi aliquid fiat, ſit tantùm ſponſio ejus, quæ ſponſalia nominantur.

l tract. 7. cap. 6.

l in Suppl. q. 45. a. 1.

Quod ultrà rationem ſuadentem *eſt etiam determinatio decret.*, (m) ille, qui conſentit in aliquam per verba de futuro, & poſtea cum alia per verba de præſenti; ſecundum jura debet habere ſecundam pro uxore; certum eſt enim, quod quicumque promittit aliquid ſe facturum, nondùm facit illud, & ideò cum ille, qui conſentit per verba de futuro, promittat ſe cum aliqua contracturum Matrimonium, cum illa non contrahit. *Sic & in Catech. Rom.* (n) *determinatum videtur*; rectè autem dicitur oportere, ut conſenſus verbis exprimatur, quæ præſentis temporis ſignificationem habeant; nam quæ futurum tempus indicant, Matrimonium non conjungunt, ſed ſpondent: deinde quæ futura ſunt, nondùm eſſe perſpicuum eſt; quæ verò non ſunt, parum, vel nihil firmi, aut ſtabilis habere exiſtimandum eſt.

m lib. 4. tit. 1. c. 22.

n 2. p. n. 6.

Nec obſtat dicendum, quod quando conſenſus fit per verba de futuro, verba ſunt præſentia; *quia docet Div. Thom.*, (o) quod hoc non tollit, quod per hoc non conſentiatur in futurum; unde & dicit, quod quando exprimitur conſenſus per verba de præſenti, tunc non tantùm verba ſunt præſentia, verùm etiam in præſens conſentitur pro eodem tempore: cœterum quando conſenſus fit per verba de futuro, licet verba ſint præſentia, non conſentitur tamen in futurum, unde non ſtat conſenſus pro eodem tempore: quod ſervatur enim in ceteris contractibus, debet ſervari & multò magis in Matrimonio; cum etiam illud ſit quidam contractus, & ideò cum in contractibus alius ille, qui verbis futuris utitur, non transferat poteſtatem rei ſuæ in alterum, ſed ſolùm quando verbis præſentibus utitur, ſic multò magis debet dici de contractu Matrimoniali, ac de conſenſu ejuſdem.

o ib. ad 2.

Matrimonium ultrà quod fit per conſenſum expreſſum per verba de præſenti, ad illud etiam faciendum requiritur conſenſus interior; eò quia certum eſt, quod id, quod conceditur aliis Sacramentis, huic Sacramento denegandum non eſt; & quia intentio requiritur in aliis Sacramentis, ut de ſe conſtat, videmus namque, quod ſi aliquis ablutionem exteriorem reciperet, non intendens recipere Sacramentum baptiſmi, ſed ludum, & dolum facere, baptizatus non eſſet; *Sic pariter ait D. Th.*, (p) expreſſio verborum ſine interiori conſenſu Matrimonium non facit, utpotè quia caret intentione; & ideò ſequitur, quod qui corde non conſentit, nec habet intentionem contrahendi Matrimonium, iſtud non facit; & taliter non fit, quod ſi deſit, *ait D. Th.*, (q) conſenſus mentalis ex parte unius, ex neutra parte eſt Matrimonium, quia Matrimonium conſiſtit in mutua coniunctione.

p in Suppl. q. 45. a. 4.

q ib. ad 1.

Hoc habemus etiam reſolutum *per Innocentium III. P. M.*, cui evenit caſus iſte, cum quamdam mulierem quidam aliter inducere nequiviſſet, ut ſibi commiſceretur carnaliter, niſi deſponſaſſet eamdem; nulla ſolemnitate adhibita, vel alicujus præſentia, (*nam & Concilium Lateranenſe* (r) *ſub eodem Pontifice celebratum, determinatum fuit*, quod inter Miſſarum ſolemnia ter à proprio contrahentium Parocho tribus diebus continuis feſtivis in Eccleſia publicè denuncietur, inter quos Matrimonium ſit contrahendum: & quod Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus Matrimonium celebretur; *& hoc fuit comprobatum per Concilium Tridentinum, ut infrà videbimus*) dixit illi, te Joannes deſponſat, cum ipſe Joannes non vocaretur, ſed finxit ſe vocare Joannem, non credens eſſe coniugium, eò quod ipſe non vocaretur hoc nomine, nec haberet propoſitum contrahendi, ſed copulam tantùm exequendi carnalem. Utrum inter prædictos ſit Matrimonium celebratum? cum mulier conſenſerit in eumdem, & ille diſſenſerit, & diſſentiat.

r cap. 51.

Dicimus, quod ſi ille eam non propoſuit ducere in uxorem, nec unquam conſenſit in prædictam perſonam, non debet ex illo facto coniugium judicari, cum in eo nec ſubſtantia coniugalis contractus, nec forma contrahendi coniugium valeat inveniri; quoniam ex altera parte dolus ſolummodo efficit, & deficit omninò conſenſus, ſine quo nequeunt Matrimonia fieri, ſeù fœdus perficere coniugale.

At ſi præſentia duceretur ille, qui fictè, & dolosè contraxit Matrimonium, quod tale tamen non eſt, quid faciendum erit, in tali caſu debet ne fictum in verum conſenſum commutare? manifeſtum eſt enim, ad revalidandum Matrimonium illud non ſatis erit, quod ille, qui fictè contraxit, in verum conſenſum commutet, ſed requiritur novus conſenſus alterius coniugis, qui verè contraxit, ſigno aliquo externo expreſſus; *juxta deſinitionem Clementis Octavi*, qui interrogatus, an in eo caſu, quo fœmina fictè contraxit, ad revalidandum Matrimonium ſufficiat, quod illa ponat verum conſenſum, eumque ſigno aliquo exteriori manifeſtet? Reſpondit, neceſſarium eſſe novum conſenſum utriuſque coniugis, coram Parocho, & teſtibus admonito prius marito de Matrimonii nullitate. Sed ad evitandum ſcandalum diſpenſavit, ut ſecretò inter ſe contraherent, renovato conſenſu, & prolem ex tali Matrimonio genitam legitimavit.

Digitized by Google

Hinc eſt ergo, ut ex negatione intentionis cum poſſint oriri multa inconvenientia, Eccleſia compellit eum, de quo probatur per verba de præſenti in aliquam conſenſiſſe, etiam ſi dicat conſenſum mentalem defuiſſe ad ſtandum cum prima uxore, quia ſecundum ea judicat, quæ foris apparent, nec decipitur in juſtitia, ſive jure, quamvis decipiatur in facto; *unde & D.* t ib. ad 1. *Thom. ſubdit*, (*ſ*) quod ille debet potiùs ſuſtinere excommunicationem, quàm ad primam uxorem accedat, vel debet in alias regiones remotiùs fugere; ne eam in uxo- t ib. ad 1. rem accipiat. *Pariter ait D. Th.*, quod in illo, qui verbis exprimit conſenſum, quem in corde non habet, ſunt duo, & defectus conſenſus, & dolus verborum. Et licet defectus conſenſus patrocinetur in foro conſcientiæ, ut non aſtringatur vinculo Matrimonii non tamen patrocinatur in foro Eccleſiæ ſecundum allegata: Nihilominus dolus verborum nec in foro conſcientiæ, nec in foro Eccleſiæ patrocinatur, in utroq; namque foro pro hoc punitur.

Ex omnibus his rectè ſequitur, quod iſte conſenſus ſivè fiat in publico, ſive in occulto, dummodo tamen fiat per verba de præſenti, & ſine dolo, & dummodo ſit interior conſenſus ex utraque parte, vel talis judicetur ab Eccleſia, facit Matrimonium, cum tunc ſervetur debita materia, quia ibi ſunt legitimæ perſonæ ad contrahendum, & debita forma, quia ibi ſunt verba exprimentia de præſenti. Et per *la legitimæ perſonæ* non excluduntur illæ puellæ, quæ ſunt in poteſtate Patris, ad hoc, ut fiat Matrimonium, præſuppoſito tamen il- u in Suppl. q. 45. ar. 5. ad 1. larum conſenſu. *Juxta Div. Thom.*, (*u*) puella non eſt in poteſtate Patris, quaſi ancilla, ut ſui corporis poteſtatem non habeat, ſed quaſi filia ad educandum: unde ſecundum hoc, quod libera eſt, poteſt ſe in poteſtatem alterius abſque conſenſu Patris dare, ſicut votum emittere, religionem intrare requirunt propriam libertatem, & non attendunt ad conſenſum alterius, ſive ſit Pater, ſive Mater. Sufficit ergo proprius conſenſus, ſive in publico, ſive in occulto, quia in Matrimonio hoc eſt ſpeciale, quod actus noſtri ſint cauſa ſufficiens ad inducendum proximum effectum, qui eſt obligatio, quia quicumque, cum ſit ſui juris, poteſt ſe alteri obligare.

Etſi ab Eccleſia prohibeantur Matrimonia clandeſtina, prohibentur ſolùm ob pericula, quæ inde evenire ſolent; cum frequenter in talibus ſit aliqua fraus ex altera parte, frequenter etiam ad alia conjugia tranſeunt, dùm pœnitent de illis, quæ facta ſunt; neſcientes, quod qui Matrimonii fœdere alteri jungitur, quamvis poſtea pœniteat, tamen quod factum eſt, mutare, irritumve, & infectum reddere nequit; & rurſus multa alia accidunt, & ſpeciem turpitudinis præter hoc habent.

Obſervandum tamen eſt, quod hujuſmodi Matrimonia non ſunt, quaſi contra eſſentialia Matrimonii exiſtentia, ſicut ſunt prohibita illa Matrimonia illegitimarum perſonarum, ut ſi fiat inter perſonas in ſecundo gradu; cum hoc pacto ſint materia indebita huic x ib. a. 3. Sacramento. *Ideircò concludit D. Th.*, (*x*) conſenſus expreſſus per verba de præſenti inter legitimas perſonas ad contrahendum Matrimonium facit, cum hæc duo, ſcil conſenſus, & inter legitimas perſonas, ſint de eſſentia Sacramenti; *hoc aſſerit D. Thom. ibid.*, quia vult, quod alia omnia ſint ſolùm de neceſſitate Sacramenti; prohibentur enim ad hoc, ut Matrimonium convenientius fiat; unde ſi omittantur, verum eſt Matrimonium; licet peccent ſic contrahentes, niſi per aliquam cauſam legitimam excuſentur. *Hæc omnia à Div. Thom.* y Seſſ. 24. de Reform. Matr. c. 1. *edocta vonar accipiunt ex Concil. Trid.* (*y*) *verbis in principio hujus allatis*, de Reformatione Matrimonii.

Et poſtea ſequitur, quique falsò affirmant, Matrimonia à filiis familias ſine parentum conſenſu contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe; attamen Sancta Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit.

Verum cum Sancta Synodus animadvertat prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodeſſe: & gravia peccata perpendat, quæ ex eiſdem clandeſtinis conjugiis ortum habent, præſertim verò eorum, qui in ſtatu damnationis permanent; dùm priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palàm contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt; cui malo cum ab Eccleſia, quæ de occultis non judicat, ſuccurri non poſſit, niſi efficacius aliquod remedium adhibeatur. *Idcircò Sacri Lateranenſis Concilii, ſub Innoc. III. celebrati, veſtigiis inhærendo præcipit*, ut impoſterum antequam Matrimonium contrahatur ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus feſtivis in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia publicè denuncietur, inter quos Matrimonium ſit contrahendum. *Et Div. Thom jam dixit*, *quæ* z ib. ad 3. *à Concilio Trident. ſtabilita fuerunt: dixit enim*, prohibentur clandeſtina Matrimonia ob pericula, quæ inde evenire ſolent. Quibus denunciationibus factis, ſi nullum legitimum impedimentum apponatur, à celebratione Matrimonii in facie Eccleſiæ procedatur, ubi parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto dicat, *Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Et poſtea ſubdit*, qui aliter, quàm præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, vel Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus Matrimonium contrahere attentabunt; eos Sancta Synodus ad ſic contrahendum omninò inhabiles reddit; & hujuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit, & annullat.

Inſuper Parochum, vel alium Sacerdotem, qui cum minori teſtium numero, & teſtes, qui ſine Parocho, vel Sacerdote, hujuſmodi contractui interfuerint, nec non ipſos contrahentes, graviter arbitrio Ordinarii puniri præcipit.

Et quod de Matrimoniis clandeſtinis dicitur, invalida eſſe ob novum jus Tridentini, hoc non ſtat de ſponſalibus clandeſtinis. iſta ut quæ contrahi poſſunt, etiamſi Matrimonia debeant publicè publicari, *in decreto enim Concil. Trident. jam conſtat*. nullam mentionem facere de ſponſalibus clandeſtinis, & rationabiliter, quoniam promiſſio eſt in libertate, & poteſt fieri tantùm inter perſonas, promittentes ſine Parocho, & ſine teſtibus, Matrimonium verò contrahere, quamvis ex mutuo conſenſu fiat contrahentium, attamen Eccleſia, quæ facultatem habet ſuper perſonas contrahentes, vult, & præcipit, eſſe de neceſſitate Matrimonii, ut in facie ſua contrahatur Matrimonium coram Parocho, & teſtibus, aliàs ob inobedientiam irritum, & inane eſſe decernit; unde non tollit, arbitrium. non tollit, poſſe fieri promiſſiones etiam in occulto, ſed prohibet ne occulta ſint Matrimonia ob mala, quæ cauſari ſolent.

Super Quæſtionem Quadrageſimam ſextam.

De conſenſu, cui advenit juramentum, vel copula carnalis.

UT decipiantur puellæ à quibuſdam ſceleſtis hominibus, promittuntur eis cæli novi, *hoc eſt divitiæ, delitiæ, & honores*, & terra nova, *hoc eſt, poſſeſſiones, domus, temporalia bona, & omnia, quæ Mundus dare poteſt*; promiſſiones ſolummodò factæ, ut poſſeſſores reddantur earum corporum; Quibus obtentis divitiæ commutantur in paupertatem, delitiæ in miſeriam, & honores in abominationem, poſſeſſiones in ægeſtatem, domus in lupanaria, & temporalia bona in Xenodochia; decipiuntur puellæ à talibus hominibus impiis, qui perjuri, & mendaces magis evadunt tunc temporis, quando ultrà hæc vana, & inſtabilia perjurant paratos eſſe Matrimonium contrahere cum ipſis, exprimunt conſenſum, ſed per verba de futuro, unde & tempus concurrere faciunt ad earum damnum, eò quia numquam veniet tempus illud, in quo verum erit dicere, modò

eſto

eſto mea uxor: ideòque Patres, atque Matres, ſub quorum cuſtodia vivunt puellæ, edocete illas, ne credant hominibus, qui aliud non quærunt ab illis, niſi ſatiari appetitum concupiſcentiæ cum futuris promiſſionibus, & ne proſtrahant ſemetipſas voluntati eorum; quis videbunt dies ſuos malos toto tempore vitæ ſuæ; ante oculos ponite ipſarum, quod juramentum additum non facit, quin verba de futuro ſignificent conſenſum de futuro, unde nec Matrimonium reſultare poteſt, non quia non poteſt fieri, ſed quia adhuc non fit; certum eſt enim, quod futurum promittitur, nondùm fit; ac proinde etiamſi juramentum adveniat, nondùm eſt Matrimonium factum; Unde cautæ ſint, ne miſceantur cum talibus iniquis copula carnali, nam etiam ſi ſequatur copula carnalis, attamen in rei veritate non habet, quod perficiat Matrimonium, cujus ſponſalia præceſſerunt per verba de futuro; & hoc quantùm ad forum conſcientiæ; tunc enim conſenſus interior deſit. De cetero quantùm ad judicium Eccleſiæ, cum iſta judicat de exteriori, hinc ſequitur, quod poſſit eſſe aliqua ſpes contrahendi Matrimonium cum illo, cum quo carnalis copula ſecuta fuit; cum nihil poſſit expreſſius ſignificare conſenſum, quàm carnalis copula ſecundum judicium Eccleſiæ, adeòque Matrimonium facere illa judicatur, niſi ſigna expreſſè doli, vel fraudis appareant. Quamobrem & nos diximus ſupra, *quod conſenſus expreſſus per verba de futuro non facit Matrimonium, de quo etiam ratio adducta fuit*, verum ut magis appareat veritas rationis illius, *& Div.*
a in Suppl. q. 46. ar. 1. *Thom. doctrinæ*; (a) audiatur *ipſemet Angelicus*, qui magis *illud roborando docet*; quod etiam ſi adiungatur juramentum conſenſui per verba de futuro expreſſo, non facit Matrimonium, iuramentum adiunctum tali conſenſui; vult enim, quod juramentum adhibeatur ad confirmationem dictorum, unde illod tantùm confirmat, quod in dictis ſignificatur, nec ſignificatum mutat, eò quia verba de futuro ex ipſa ſua ſignificatione habent, quod Matrimonium non faciant; quod enim futurum promittitur, nondùm fit, hinc eſt, quod etiam ſi juramentum adveniat, nondùm eſt Matrimonium factum.

Et licet implere juramentum licitum ſit de jure divino, ſecus de illicito, qua de cauſa ſi aliqua obligatio ſequens juramentum faciat illud illicitum, cum prius fuiſſet licitum, non derogat juri divino, qui juramentum prius factum non ſervat; quod totum accidit in caſu noſtro, illicitè enim jurat, qui illicitè promittit, quia manifeſtum eſt, quod promiſſio de alieno illicita eſt; nam quomodo poteſt fieri promiſſio dandi V. illud, quod non eſt in propria poteſtate, vel illud, quod non poſſidetur? ſic ergo ille illicitè promittit, immò & fraudolenter, Matrimonium eſſe ſecuturum, cum tamen ſit alligatus de præſenti cum alia per verba de præſenti, non enim amplius eſt in ſua poteſtate, nec habet dominium ſui. quod eſt *ſecundum illud, quod do-*
b ib. ad 1. *cet D. Thom.*, (b) conſenſus ſequens per verba de præſenti, quo quis transfert dominium ſui corporis in aliam, facit præcedens juramentum eſſe illicitum, quod prius erat licitum.

Et *rurſus ait*, quod ſic gravius peccat, qui eam violat. Vid. illam obligationem, quam per verba de futuro expreſſit in illo conſenſu per juramentum adiun-
c ib. ad 4. ctum, *unde ait*, (c) juramentum aliquod operatur non novam obligationem faciens, ſed factam confirmans: qua de cauſa licet graviùs peccaret, qui eam violaret, attamen quantum ſpectat ad Matrimonium, illud non facit, & multò magis illud non facit, cum illud nec faciat copula carnalis poſt verba de futuro conſenſum exprimentia, cum, *ut ait Nicolaus (d) Pa-*
d 27. q. 2. cap. ſuffic. *pa*, ſi conſenſus in nuptiis defuerit, cetera omnia fruſtrantur; hoc eſt etiam cùm ipſo coitu celebrata. *At*
e in Suppl. q. 46. a. 2. *tamen Div. Thom.*, (e) *cum diſtinctiore procedit, dicendo*, de Matrimonio poſſumus loqui dupliciter: *Primò* quantùm ad forum conſcientiæ: & ſic in rei veritate carnalis copula non habet, quod perficiat Matrimonium, cujus ſponſalia præceſſerunt per verba de futuro: ſi interior conſenſus deſit: ſicut etiam verba de præſenti conſenſum exprimentia, ſi conſenſus mentalis deeſſet, non facerent Matrimonium.

Secundò quantùm ad judicium Eccleſiæ: & quia in exteriori judicio, ſecundum ea, quæ foris patent, judicatur, cum nihil poſſit expreſſiùs ſignificare conſenſum, quàm carnalis copula, ideò ſecundum judicium Eccleſiæ carnalis copula conſequens ſponſalia Matrimonium facere judicatur, niſi aliqua ſigna expreſſè doli, vel fraudis appareant: & ſunt, ſi ſint multùm diſtantis conditionis, vel quantùm ad nobilitatem, vel quantùm ad fortunam, vel aliud ſignum evidens appareat: & tunc ille etiam peccat fornicando, & puniendus eſt de fraude, quam facit: *hoc docet D. Th.*, (f) quia f ib. ad 3.
vult, quod ſi ſponſus ſponſam admittat, credens eam velle conſummare Matrimonium, excuſatur à peccato, niſi ſint ſigna expreſſa doli, vel fraudis.

Quid autem dicendum ſit de illo, qui defloravit mulierem ſub ſpecie Matrimonii? *Dicendum eſt cum D. Th.*, g ib. ad 4.
(g) in tali caſu ſponſus antequam aliam duxerit, eam ducere in uxorem tenetur, ſi ſint æqualis conditionis, vel ſi ſponſa ſit melioris conditionis. Et in caſu, quo aliam duxerit, cum jam de ſe factus ſit impotens ad ſolvendum illud, ad quod tenebatur, ſufficit, ſi ei de nuptiis provideat: ad quod etiam non teneri, quidam dicunt, ſi ſponſus ſit multò melioris conditionis, aut aliquod ſignum fraudis evidens fuerit: cum præſumi probabiliter poſſit, quod ſponſa non fuerit decepta, ſed decipi finxerit; Hoc totum *jam prævidit D. Th. pro his noſtris temporibus, in quibus maximè contingere, hoc videtur*; habemus namque experientiam, quod multæ ſunt mulieres, quæ ſub ſpe Matrimonii futuri amittunt honorem, virginitatem, atque pudicitiam, malitiosè fingunt renuere illam turpem commixtionem, nec ad ſuam deflorationem dicunt cum modeſtia hypocritarum concurrere velle, donec ſponſas (*ecce finis protervus, atque dolo plenus*) promittant ſibi eſſe futuras, præcipuè tamen ſi perſonæ deflorantes ſint maximæ auctoritatis, nobilitatis, atque optimæ conditionis: attamen his noſtris calamitatibus omnes cujuſcumque conditionis ſunt, ſervant eamdem methodum: de reliquo interiùs gaudent de defloratione, quia illam appetunt, liberè, atque prompto animo ad illam concurrunt, quia jam paratæ. Quamobrem cum fraudolenter hoc faciant, & dolosè, merentur privari beneficio non ſolùm Matrimonii, verùm etiam de nuptiarum proviſione in penam ſuæ fictionis: & rationabiliter, quoniam ad præſens tempus nulla fit ab illis reflexio, ſolùm earum mens revolvitur ad futurum, etiam ſi edoceantur, quod carnalis copula per verba de futuro conſenſum exprimentia Matrimonium non faciat.

Super quæſtionem Quadrageſimam Septimam.

De conſenſu coacto, & conditionato.

RElìquit Dominus Deus hominem in manu conſilii ſui, *ut habet in Eccle.* (a) quoniam qui liberè a cap. 15.
creavit illum, liberum etiam conſtituit in ſuis operationibus, in illis, quæ dependentiam trahunt à voluntate; quæ dùm regnat in hoc mortali corpore, modò ad bonum, modò ad malum ſe convertit, & idcircò ſubdidit, appoſuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam; voluntatem tuam; patet enim, quod manus numquam elevabitur, ſi voluntas non imperabit illi; ſi igitur res ita ſe habeat circa libertatem voluntatis humanæ ad eligendum hunc potiùs, quàm illum ſtatum, & iſtum, quàm illum; quis erit ille homo, qui poterit cogere aliquem ad Matrimonium contrahendum? Aliàs ſi quis cogeret illum, cogeret etiam ad conſenſum præſtandum, & tamen quis aſſerere poſſet, quod conſenſus locum habeat, ubi coactio intercedit? igitur ſi communis conſenſus requiritur ad hoc, ut contrahatur Matrimonium, jam oportet, quod materia coactionis omnimodè tollatur: & hoc

quantum ad jus Eccleſiaſticum; ſi quidem Eccleſia rectè conſiderans quod vinculum Matrimonii ſit perpetuum, & indiſſolubile, voluit, ut celebratio Matrimonii ſit ita libera, & ſpontanea, ut ad eam aliena vi, & injuria nemo cogatur. *De tali conſenſu coacto videbimus, quando agemus de impedimento violentiæ, ſive vis.*

Modò tantum ſufficit dicere, quod non facit Matrimonium conſenſus coactus, eò quia Matrimonium, cum ſit quædam relatio, & non poſſit inaſci relatio in uno extremorum ſine hoc, quod fiat in alio, adeòque quidquid impedit Matrimonium in uno, impedit ipſum in altero. Et hoc quantum ab conſenſum coactum breviter, ſicut & breviter aliquid dicemus de conſenſu conditionato; etenim conditio appoſita, aut eſt de præſenti, aut de futuro; ſi de præſenti, & non ſit contraria Matrimonio, ſive poſtea ſit honeſta, ſive non honeſta, ſtat Matrimonium ſtante conditione; & ea non ſtante non ſtat; at ſi contraria ſit bonis Matrimonii, non efficitur Matrimonium. Si verò ſit conditio de futuro, aut eſt neceſſaria, & tunc eſt Matrimonium, quia temporalia futura jam ſunt præſentia in ſuis cauſis; aut eſt contingens, ut datio pecuniæ, vel acceptatio parentum; & tunc idem eſt judicium de tali conſenſu, ſicut de conſenſu, qui fit per verba de futuro, nec facit Matrimonium.

Super Quæſtionem Quadrageſimam octavam.

De obiecto conſenſus,

CUm ad integritatem Matrimonii copula carnalis non ſit, niſi de ſecundaria perfectione conſiſtente in operatione, ſive uſu Matrimonii, hinc ſequitur etiam dicendum, quod ſi reſpiciamus eſſentiam, & valorem ipſius Matrimonii, conſenſum explicitum in copulam carnalem non requiri ad eſſentiam, & valorem ejuſdem: bene tamen ſufficere conſenſum implicitum, in quantum quod ille feratur in translationem proprii corporis in ordine ad actum coniugalem. Pariter & ut reſultet illud, & verum ſit, ſufficit, ut poſſit eſſe ex conſenſu alicujus in aliquam, etiam ſi cauſa ſit inhoneſta, quod eſt per accidens reſpectu Matrimonii, ſeù cauſa finalis ipſius, ſatis enim erit, quod ille, qui intendit Matrimonium contrahere, licet iſtud ordinet ad aliquam cauſam turpem, & conſequenter inhoneſtam, quod eſt eſſe contrarium ad illud, quod intenditur per ſe ad Matrimonium, nempe procreatio prolis, & vitatio fornicationis, quæ ſunt fines, qui & ab Eccleſia intenduntur ob multiplicationem populi in cultum divinum, & ob modeſtiam, & munditiam mentis, quæ videtur neceſſaria ad fideles, attamen verum contrahit Matrimonium.

a in Suppl. q. 48. ar. 1. De obiecto conſenſus *duo facit Div. Thom. (a) Primò docet*, quod conſenſus, qui Matrimonium facit, eſt conſenſus in Matrimonium, eò quia effectus proprius voluntatis eſt ipſum volitum; & ideò ſicut carnalis copula ſe habet ad Matrimonium, ita conſenſus, qui Matrimonium cauſat, eſt in carnalem copulam; ac proinde reliquit, ut certum, quod Matrimonium non ſit eſſentialiter ipſa conjunctio carnalis, ſed quod ſit ſolùm quædam aſſociatio viri, & uxoris, in ordine ad carnalem copulam; ſic & primi parentes ante peccatum, quo tempore nulla inter eos carnalis copula interceſſerat, quamvis illis dixerit Deus, *creſcite, & multiplicamini, & replete terram*, quod fieri non poterat, niſi per copulam carnalem, vero Matrimonio juncti fuerunt, ob hoc autem dictum eſt à Sanctis Patribus, Matrimonium non concubitu, ſed conſenſu exiſtere. Idcircò videtur, quod conſenſus, qui Matrimonium facit, non ſolùm ſit conſenſus in Matrimonium, ſed etiam in carnalem copulam, ſecundum tamen opinionem illorum, qui dixerunt, quod conſentire in Matrimonium eſt conſentire in copulam carnalem implicitè, non explicitè, non enim debet intelligi, niſi ſicut implicitè continetur effectus in cauſa; quia poteſtas carnalis copulæ in qua conſentitur, eſt cauſa carnalis copulæ; ſicut poteſtas utendi re ſua, eſt cauſa uſus. *Et rurſus Div. Thom. docet, (b)* quantum ad primam perfectionem conſiſtentem in ipſa forma, ex qua ſpeciem ſortitur, omninò verum fuit Matrimonium virginis matris Dei, & Joſeph; quia uterque conſenſit in copulam coniugalem, (*hoc eſt in vinculum coniugale:*) non autem expreſsè in copulam carnalem, niſi ſub conditione, ſi Deo placeret; *hoc à Div. Thom. dicitur*, quoniam licet Beata Virgo ſemper habuerit conſtantiſſimum propoſitum ſervandæ virginitatis; attamen dùm conſenſit in Matrimonium, non appoſuit talem conditionem; ſed committens Virginitatem ſuam Deo, cujus inſtinctu nubebat, conſenſit in Matrimonium abſolutè, ſicut & in copulam coniugalem; in copulam verò carnalem ſub conditione tantùm, ſi Deo placuerit. *Hinc Aug. exponens illud Matt. (c) noli timere accipere Mariam coniugem tuam, inquit.* Coniux vocatur ex prima deſponſationis fide, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus. Et licet quantum ad ſecundam perfectionem conſiſtentem in operatione rei, per quam res aliqualiter ſuum finem attingit, & eſt generatio prolis, non fuerit Matrimonium conſummatum; nihilominus tamen habuit illud Matrimonium etiam ſecundam perfectionem quantum ad prolis educationem, *ſicut ait Div. Aug. ibid.*, Omne nuptiarum bonum impletum eſt in illis parentibus Chriſti, proles, fides, & Sacramentum. Prolem cognoſcimus ipſum Dominum Jeſum: fidem, quia nullum adulterium; Sacramentum, quia nullum divortium, ſolus ibi nuptialis concubitus non fuit.

b 3. p. q. 29. a. 2.

c Lib. de nuptiis, & concupiſc. c. 11.

Secundò docet Divus Thomas, quod Matrimonium poteſt eſſe ex conſenſu alicujus in aliquam propter cauſam inhoneſtam, non tamen per ſe, ſed per accidens: & *hoc quia docet, (d)* quod cauſa finalis Matrimonii poteſt accipi dupliciter per ſe, ſcil. & per accidens; per ſe cauſa Matrimonii eſt, ad quam Matrimonium eſt per ſe ordinatum, quæ ſemper eſt bona ſcil. procreatio prolis, & vitatio fornicationis; per accidens cauſa ipſius eſt hoc, quod contrahentes intendunt ex Matrimonio; & quia hoc, quod ex Matrimonio intenditur, conſequitur ad Matrimonium, nec priora variantur ex poſterioribus, benè tamen è converſo; ideò ex illa cauſa non recipit Matrimonium bonitatem vel malitiam, ſed ipſi contrahentes, quorum eſt finis per ſe; & quia cauſæ per accidens ſunt infinitæ, ideò infinitæ tales cauſæ poſſunt eſſe in Matrimonio, quarum quædam ſunt honeſtæ, quædam inhoneſtæ.

d in Suppl. q. 48. a. 2.

De hoc adducitur exemplum; qui enim baptizat alium intentione lucrandi, verè utique baptizat, licet cauſa inhoneſta ſit, ſic & ille, qui contrahit cum aliqua intentione lucri, verum eſt matrimonium, attamen cauſa videtur eſſe inhoneſta, utpote contraria fini principali Matrimonii; & licet intendant facere id, quod eſt de neceſſitate matrimonii, non tamen intendunt facere id, quod eſt de utilitate ejuſdem, juxta illud, quod in mente concipiunt, attamen verum eſt Sacramentum matrimonii: Etenim eſt doctrina *D. Th. (e)* intentio Eccleſiæ, qua intendit Sacramentum tradere eſt de neceſſitate cujuslibet Sacramenti; ita ut non ea obſervata nihil in Sacramentis agitur, ad differentiam intentionis Eccleſiæ intendentis utilitatem ex Sacramento provenientem, cum talis intentio Eccleſiæ ſit ſolùm de bene eſſe Sacramenti, & non de neceſſitate ejuſdem; unde ſi non obſervetur, nihilominus tamen eſt verum Sacramentum. Nec ex eo, quod adhuc non obſervata intentione Eccleſiæ tollatur veritas Sacramenti, non debet quis prætermittere hanc Eccleſiæ intentionem, ne peccet, eò modò, quò quia peccaret, ſi in baptiſmo non intenderetur ſanitas mentis, quam Eccleſia ſemper intendit.

e ib. ad 3.

Intendit ergo Eccleſia in hoc Sacramento procreationem prolis, educationem ejuſdem in fide Chriſti, & Eccleſiæ, amorem mutuum, inter virum, & uxorem matrimonialem caſtitatem, ut unuſquiſq; ſciat ſuum vas poſſidere in ſanctificatione, & honore, ut dicebat

Paul.

Digitized by Google

Paul. ad Heb. (f) hanc intentionem Eccleſiæ debent ſervare fideles, & non propriam, illam ſ. quæ ex aliqua cauſa turpi ortum habet. Scire namq; debent, matrimonium conjunctionem Chriſti, & Eccleſię ſignificare, in qua nulla turpitudo cadere poteſt, unde hanc amplexentur fideles, & alias relinquant; quibus tamen non (g ib. ad 5.) relictis adhuc ſtat matrimonium; ſiquidem ait *D. Th.* ipſa unio utiq; eſt ſignum conjunctionis Chriſti, & Eccleſiæ, non verò operatio unitorum, nam contrahentes matrimonium poſſunt illud contrahere ob aliquam turpem cauſam, quod magis docet *D. Th.* conjunctio accepta pro ipſa relatione, quæ eſt matrimonium, ſemper eſt à Deo, & eſt bona; accepta verò pro actu eorum, qui conjunguntur, quandoque eſt mala, & cum ſit mala à Deo non eſt, nec poteſt eſſe ſimpliciter loquendo.

Nec eſt inconveniens *ſubdit D. Th.* quod aliquis ef- (h ib. ad 2.) fectus ſit à Deo, cujus cauſa eſt mala, V. G. proles, quæ ex adulterio ſuſcipitur; non tamen eſt ex illa cauſa, in quantum eſt mala, ſed in quantum habet aliquid de bono, ſecundum quod eſt à Deo, quamvis non ſit ſimpliciter à Deo; nam odio ſunt Deo impius, & impietas ejus, *ut legitur in l. Sapientiæ.*

Super Quæſtionem Quadrageſimam Nonam.

De bonis Matrimonii.

UT homines ſervare poſſent, illud, quod præſcripſit Deus noſtris parentibus, quando illos conjunxit in matrimonium, jam videtur, quod providè inſtituit Deus matrimonium, ut & ordo juſtitiæ ſervaretur inter ipſos, nè vagus eſſet concubitus, ſed determinatus ad propriam uxorem, & ut ordo naturæ non perverteretur pro commixtione mulierum; & ut honeſtas bene vivendi in hominibus magis, ac magis eluceſceret; adeòque ſicut damnandæ ſunt illæ conjunctiones, quæ extra matrimonium fieri, à quibus in voluptatibus carnis illaqueatis ſolent, ita erunt laudandæ illæ, quæ cum honeſtate fiunt in matrimonio, ut diſtinguatur à fornicario; unde illi, qui conjunguntur in matrimonio, benè faciunt, eò quia ordinant hanc conjunctionis electionem ad recompenſationem aliquorum, ex quibus dicta conjunctio honeſtatur, ac proinde aliqua ſequuntur bona, quæ matrimonium excuſant, & honeſtum reddunt; quæ tamen bona ſunt tria, quæ honeſtant matrimonium, nempe proles, & in prole non ſolùm intelligitur procreatio prolis, ſed etiam educatio ejuſdem; fides per quam homo accedit ad ſuam, & non ad aliam, & fides accipitur, prout eſt pars juſtitiæ; & Sacramentum, in quantum denotat inſeparabilitatem, quę ſignificatur per conjunctionem Chriſti, & Eccleſiæ: ideòque Paulus ajebat *(a)* Sa- (a cap. 5. ad) cramentum, hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia. Quapropter inter hæc tria bona Matrimonii principalius dicitur Sacramentum, ut per ipſum habeatur indiviſibilitas, ſine qua nunquam invenitur matrimonium, licet inveniatur ſine fide, & ſine prole, quod eſt conſiderare bona iſta in ſeipſis; cæterum ſi conſideretur, ſecundum quod ſunt, in ſuis principiis, ſic proles eſt de eſſentia matrimonii, ſecundò fides, & tertiò Sacramentum, cum hoc pacto videatur eſſe eſſentialius homini eſſe naturæ, quàm eſſe gratiæ, licet eſſe gratiæ ſit dignius. Et cum hæc tria ſint, quæ ad matrimonium exiguntur bona, per eadem bona excuſantur actus matrimonii, immò redduntur boni, & duo primi, nempè actus fidei, & prolis redduntur boni bonitate virtutis, tertius vero actus redditur bonus bonitate Sacramenti, adeòque & bonus eſt, & ſanctus, quàm ſanctitatem ſumit ex indiviſibilitate conjunctionis ſignificantis illam Chriſti ad Eccleſiam, & taliter ſunt boni; quod et immunes à peccato certum eſt, quod quando conjuges conveniunt cauſa procreandæ prolis, vel ut ſibi invicem debitum reddant, quæ ad finem pertinent, taliter excuſantur à peccato, à quo tamen, ſaltem veniali non excuſantur, ſi ad quandam concupiſcentiam trahantur, ad mortale verò ſolùmmodo trahuntur, ſi quæreretur delectatio ultrà honeſtatem matrimonii ut ſ. aliquis in conjuge non attendat, quod conjux eſt, ſed ſolùm quod mulier, paratus idem facere cum ea, ac ſi non eſſet conjux &c.

Matrimonium cum conſiſtat in conjunctione viri & mulieris, *juxta illud* erunt duo in carne una, in qua tamen conjunctione cum accidat jactura rationis ob vehementiam delectationis, per quam ratio abſorbetur, & ob tribulationem carnis, *de qua Paul. ad Cor. (b)* ait tribulationem tamen carnis habebunt hujuſmodi, ex (b p. c. 7.) quibus omnibus efficitur, ut conjunctiones corporũ, quæ extra matrimonium damnandę ſunt; cum honeſtate in matrimonio conjunctę ſint Undè benè *D. Th.* quod (c in Suppl. q. 49 a. 1.) concubitus matrimonialis in hoc diſtinguitur à fornicario, quod iſte eſt turpis, ille verò nõ; de illo *ſcriptum eſt ad Cor. (d)* fugite fornicationem, quia qui fornicatur, in (d p. c. 6.) corpus ſuum peccat; *de iſto dicitur ad Eph. (e)* viri debent (e cap. 6.) diligere uxores ſuas, ut corpora ſua, & meritò ille turpis non eſt, quia additur aliquid, quod ad honeſtatem ejus pertinet, & in aliam ſpeciẽ moris trahit; nec poſſet in aliam ſpeciem moris trahere, niſi haberet aliqua bona, quibus excuſaretur; videtur ergo, quod talis conjunctionis electio, non poſſit eſſe ordinata, niſi per recompenſationem aliquorum, ex quibus talis conjunctio honeſtetur; & hęc ſunt bona, quę matrimonium excuſant, & honeſtum reddunt, & quod ita ſit, ait *D. Th. (f)* illa (f ib. ad 2.) bona, quæ ſunt tria, ut videbimus, v. proles, fides, & Sacramentum, ſunt de ratione matrimonii, & illud honeſtant.

Nec matrimonium indiget honeſto, utili, ac delectabili, quaſi exterioribus quibuſdam ad honeſtandum, ſed quaſi cauſantibus in ipſo honeſtatem, quæ ei ſecundum ſe competit; quod magis roborat dicendo, matri- (g ib. ad 4.) monium ex hoc, quod eſt in officium, vel in remedium, habet rationem utilis, & honeſti, at utrumque horum ei competit ex hoc, quod talia bona habet, quibus fit, & officium, & remedium concupiſcentię adhibens.

Et quia eſt in officium naturæ, hinc eſt, quod ait *D. Th. (h)* prout eſt tale duobus ordinatur, quorum unum (h in Suppl. q. 49 a. 2.) exigitur ex parte ipſius agentis, & hęc eſt intentio finis debiti; et ſic bonum matrimonii ponitur proles; in qua non ſolùm intelligitur procreatio prolis, ſed etiam educatio ipſius; ad quam ſicut ad finem ordinatur tota communicatio operum; quæ eſt inter virum, & uxorem, in quantum ſunt matrimonio conjuncti, & ſic in prole, quaſi in principali fine, procreatione ſ. alius, quaſi ſecundarius includitur, ſ. educatio, ac diſciplina, qua filii ad pietatem erudiuntur, habetur namq; *ex l. Eccl. (i)* (i cap. 7.) filii tibi ſunt; erudi illos, & ſerva illos à pueritia illorum. *Sic & Paul. ad Eph. ſcripſit* & vos Patres educate illos in (l cap. 5.) diſciplina, & correptione Domini.

Aliud exigitur ex parte ipſius actus, qui eſt bonus ex genere ex hoc, quod cadit ſupra debitam materiam, & ſic eſt fides, per quam homo accedat ad ſuam, & non ad aliam, per hoc videtur, quod fides, de qua loquimur, non ſumitur pro illo habitu virtutis, quo induimur, quando baptiſmum percipimus, *juxta D. Th dicentem*, *(m)* fi- (m ib. ad 4.) des non accipitur hic, prout eſt virtus Theologica, ſed ſumitur pro quadam fidelitate, qua mutuò vir uxori, & uxor viro ita ſe obſtringit, ut alter alteri ſuis corporis poteſtatem tradat; unde, & ſubdit fides; hìc accipitur, prout eſt pars juſtitiæ, ſecundum quod fides dicitur ex hoc, quod fiat dicta in converſatione promiſſorum, qua in matrimonio, cum ſit quidam contractus; eſt quædam promiſſio, per quam talis vir tali mulieri determinatur; & ad hanc rem dicebat *Paul. ad Cor (n)* mulier ſui (n p. c. 7.) corporis poteſtatem non habet, ſed vir; & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier; ex quo poſtea oritur, ut vir, & uxor ſingulari quodam, ſanctoque, & puro amore conjuncti ſint, neque, ut adulteri ſe ament, ſed ut Chriſtus dilexit Eccleſiam *juxta Apoſt. dicentem ad Epheſ. (o)* viri diligite uxores veſtras, ſicut (o cap. 5.) Chriſtus dilexit Eccleſiam.

Ulterius habet aliquam honeſtatem, in quantum eſt Sacramentum, & hoc ſignificatur ipſo nomine Sacramenti, nec mirũ ſi in tertio modo matrimonii ponatur

Digitized by Google

inſeparabilitas, quæ dicitur quædam Sacramentalitas, *quia ut ait D. Th.* (p) licet matrimonium ſit Sacramentum, tamen aliud eſt matrimonio eſſe matrimonium, & aliud eſt ei eſſe Sacramentum, cum non ſolùm ſit inſtitutum ad hoc, ut ſit in ſignum rei Sacræ, verùm etiam, ut ſit in officium naturæ; & ideò ratio Sacramenti eſt quædam conditio adveniens matrimonio ſecundum ſe conſiderato; ex quo honeſtatem etiam habet; ac proinde Sacramentalitas ejus ponitur inter bona honeſtantia matrimonium; & meritò numeratur inter illa, & tertium locum continet, ut per illud non ſolùm intelligatur inſeparabilitas; verùm etiam omnia, quæ ad ſignificationem ejus pertinent, ſignificat namque conjunctionem Chriſti cum Eccleſia; conjunctionem utique firmiſſimam, ac prorius indiſſolubilem; cum igitur Chriſtus ab Eccleſia ſe numquam disjungat, ita nec vir ab uxore; nec uxor à viro ſeparari poteſt, quod ad matrimonii vinculum pertinet, *inquit enim Paulus Corint.* (q) Dominus præcepit uxorem à viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit manere inuptam, aut viro ſuo reconciliari, & vir uxorem non dimittat; adeòque colligitur ex auctoritate Sacræ Scripturæ, *& ex doctrina D. Tho.* hoc tertium bonum meritò appellari Sacramentum, hoc eſt vinculum matrimonii, quod numquam diſſolvi poteſt.

p Ib. a. 7.

q 1. Cap. 7.

At licet Sacramentum ponatur in tertio loco bonorum matrimonii, attamen eſt principaliùs inter ejus bona, cum certum ſit, quod virtus divina, quæ in Sacramentis operatur, eſt efficacior, quàm virtus humana, & cum proles, & fides, *hoc eſt fidelitas*, pertineat ad matrimonium, ſecundum quod eſt in officium naturæ humanæ, & Sacramentum, ſecundum quod eſt ex inſtitutione divina, hinc rectè deducitur, Sacramentum eſſe principalius in matrimonio, quàm fides, & proles; *juxta etiam determinationem Conc. Trid. in ſeſſ. 24. in princ. & in Can. p.* cujus verba adducta jam fuere.

Verùm ne confundamus, opus eſt ſcire *cum D. Th.* (r) quod ly principalius accipitur pro digniori: *unde ait*, Sacramentum, quia dignius, ſic etiam principalius inter tria bona conjugii; quia pertinet ad matrimonium, in quantum eſt Sacramentum gratiæ: alia verò duo pertinent ad ipſum, in quantum eſt quodam officium naturæ; & ideò ex hac parte non relinquitur locus dubitandi, quod Sacramentum ſit principalius in Matrimonio, quàm proles, & fides, cù jam perfectio gratiæ ſit dignior perfectione naturę.

r in Suppl. q. 49. a. 3.

Attamen ſi dicatur principaliùs, quia eſſentialius, ſic oportet diſtingui, eòquia proles, & fides poſſunt conſiderari dupliciter; *primò* in ſeipſis, & ſic pertinent ad uſum matrimonii, per quem & proles producitur, & pactio conjugalis ſervatur. *Secundò* conſiderari poſſunt proles, & fides, ſecundum quod ſunt in ſuis principiis, ut pro prole accipiatur intentio prolis, & pro fide debitum ſervandi fidem, ſine quibus etiam matrimonium eſſe non poteſt; quia hæc in matrimonio ex ipſa pactione conjugali cauſantur, ita ut ſi aliquid contrarium hujus exprimeretur in conſenſu, qui facit matrimonium, non eſſet verum matrimonium, & ſic accipiendo prolem, & fidem, proles eſt eſſentialiſſimum in matrimonio, cum proles ſit finis, qui intenditur in matrimonio, & finis ſecundum intentionem ſit primum in re, licet poſtea ſecundum conſecutionem ſit ultimum; *ideò ſubdit Divus Thomas*, (ſ) cum proles ſic ſe habeat inter matrimonii bona, hinc mirum non eſt, ſi dicatur quodammodo principalius, & quodammodo non.

ſ Ibid. ad 1.

Secundò fides, ſive fidelitas, nam poſt prolem procreatam, remanet educatio; remanet dilectio inter virum & uxorem, remanet, quod vir debitum reddat uxori, & uxor viro.

Tertiò *Sacramentum*, eò modo, quò homini eſt eſſentialius naturæ eſſe, quàm eſſe gratiæ, licet eſſe gratiæ ſit digniùs.

Ultra prolem, & pactionem conjugalem adeſt, & indiviſibilitas, hanc autem Sacramentum importat, unde pertinet ad ipſum matrimonium ſecundum ſe, ex hoc ipſo namque, quod per pactionem conjugalem ſui poteſtates ſibi invicem in perpetuum conjuges tradunt, ſequitur, quod ſeparari non poſſunt, & inde eſt, quod matrimonium numquam inveniatur ſine inſeparabilitate, licet inveniatur ſine fide, & prole, quia eſſe rei non dependet ab uſu ſuo, & ideò ſecundum hoc Sacramentum videtur eſſe eſſentialius, quàm fides, & proles.

Quæ inſeparabilitas durat ſolùm durante vita, *ideòque dicitur à Divo Aug. de bono conjugali*; (t) quod nuptiæ ſunt bonum mortalium, *& habetur apertius ex illo Matth.* (u) in reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur, ſed erunt, ſicut Angeli in Cœlo. *Et ex D. Paulo ad Corinth.* (x) mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit, quod ſi dormierit vir ejus: liberata eſt, cui vult, nubat tantùm in Domino. *Et à D. Thoma docetur* (z) quod vinculum matrimonii, non ſe extendit ultra vitam; in qua contrahitur, ideòque dicitur inſeparabile, quia non poteſt in hac vita ſeparari, ſed per mortem, ſive corporalem, poſt carnalem conjunctionem ſive ſpiritualem (hoc eſt, quando alter conjugum ante matrimonium conſummatum ad religionem tranſit,) poſt ſpiritualem tantùm.

t Cap. 24.

u Cap. 22.

x 1. p. c. 7.

y Ib. ad 3.

Diximus, quod vinculum matrimonii inſeparabile eſt ex ſignificatione, quam habet ex conjunctione Chriſti cum Eccleſia, à qua numquam ſe disjungit; & modò *denique dicimus cum Divo Thoma*, (y) ut de hoc plenius habeamus notitiam, quod hanc inſeparabilitatem accipit matrimonium ex conſenſu, non ex illo, qui materialiter conſideratur, cum tali pacto conſideratus perpetuus non ſit, & præcipuè quantum ad ſubſtantiam actus, etenim ille actus ceſſat, & poteſt contrarius ſuccedere; ſed ex conſenſu formaliter conſiderato; ille namque eſt de perpetuitate vinculi, & quod ſit talis nullum debet eſſe dubium, cum ex illo fiat matrimonium. Idcircò ſubdit, non enim conſenſus ad tempus in aliquam matrimonium facit, & quod ſit doctrina D. Th. colligitur expreſsè, dùm ipſe net ait, & dico formaliter, ſecundum quod actus accipit ſpeciem ab objecto, & ſecundum hoc matrimonium ex conſenſu accipit inſeparabilitatem.

z Ib. ad

Ex dictis ſatis conſtat, quod ſufficienter enumerata, atque explicata fuerunt bona matrimonii, *ſcilic.* proles, fides, & Sacramentum: Ex qua enumeratione horum bonorum rectè ſequitur, quod etiam ipſe actus matrimonii, qui quandòque erubeſcentiam facit propter turpitudinem talem actum ſemper concomitantem, non ſit turpitudo culpæ, ſed pœnæ, ſicut nec eſt malum culpæ, ſed tantùm pœnæ proveniens utique ex inobedientia concupiſcentiæ ad rationem, & ideò ipſe actus matrimonii per illa bona enumerata excuſatur, immò & laudatur, ſicut vituperatur actus fornicarius utpotè importans & malum culpæ, & malum pœnæ, ſicut & turpitudinem culpæ, & pœnæ, hinc videtur, quod maxima ſit differentia inter concubitum conjugalem, & fornicarium; Et *D. Th. docet*, aliquis actus excuſari poteſt dupliciter. Primò ex parte facientis, ita ut non imputetur facientis in culpam, quamvis ſit malus: vel ſaltem non in tantam culpam, ſicut ignorantia dicitur excuſare peccatum in toto, vel in parte, ſi tamen ignorantia ſit invincibilis.

a in Supp. q. 49. a. 4.

Secundò dicitur excuſari actus ex parte ſui, ita ſ. quod non ſit malus; quo pacto dicta bona matrimonii dicuntur actum matrimonii excuſare. Maximè etiam quia aliquis humanus actus, (non verò hominis, ſiquidem ille poteſt eſſe indifferens, ut fricatio barbæ, &c. non enim talis actus dicitur bonus bonitate moris, nec malus malitia), dicitur

bonus

Digitized by Google

bonus dupliciter. Uno modo bonitate virtutis, & ſic habet actus, quod ſit bonus ex his, quæ ipſum in medio ponunt, & hoc faciunt in Matrimonii actum fides & proles; & bonitate Sacramenti, ſecundum quod actus non ſolùm bonus, ſed & ſanctus dicitur; quam tamen bonitatem habet actus Matrimonii, ex indiviſibilitate conjunctionis, ſecundum quam ſignificat conjunctionem Chriſti ad Eccleſiam; igitur ſine iſtis bonis Matrimonii actus Matrimonii excuſari nequit, ſic etenim excuſatur delectatio, quæ fit in actu Matrimoniali, quamvis ſit intenſa ſecundum quantitatem, eò quia non excedit limites ſibi ratione præfixos ante principium ſuum; licet in prædicta delectatione ratio eos ordinare non poſſit.

Poteſt etiam deſumi ex illo communi dicto, remota cauſa removetur effectus, eò quia cum cauſa honeſtatis actus Matrimonialis ſint bona Matrimonii, nullum poteſt eſſe dubium, quod ſine iſtis bonis nequeat actus Matrimonialis excuſari; unde remota cauſa honeſtatis actus Matrimonialis, nulla tunc erit excuſatio.

b in Suppl. q. 49. art. 1

Quapropter docet Divus Thomas, (b) ſicut bona, Matrimonii ſecundum quod ſunt in habitu, faciunt Matrimonium honeſtum, & ſanctum; ita etiam ſecundum quod ſunt in actuali intentione, faciunt actum Matrimonii honeſtum quantum ad illa duo bona Matrimonii, ſcil. proles, & fides, quæ ipſius actum reſpiciunt; qua ratione quando coniuges conveniunt cauſa prolis procreandæ, vel ut ſibi invicem debitum reddant, quæ ad fidem pertinent, totaliter à peccato excuſantur.

Diximus, quod bona Matrimonii, ſecundum quod ſunt in habitu, faciunt Matrimonium honeſtum, & ſanctum, ſicut & actum illius; ut de tertio bono Matrimonii, *quod eſt Sacramentum*, ſciamus, quod illud non pertinet ad uſum Matrimonii, ſed ad eſſentiam ipſius; & conſequenter facit ipſum Matrimonium honeſtum, non verò actum ejus; ut per hoc actus ejus reddatur abſque peccato, conveniunt namque cauſa alicujus ſignificationis; unde videtur, quod duobus ſolis modis coniuges abſque omni peccato conveniunt, ſcil. procreandæ prolis cauſa, quæ prout eſt bonum Sacramenti, addit ſupra prolem, prout eſt bonum intentum à natura: iſta enim intendit prolem, prout in iſta ſalvatur bonum ſpeciei: at in prole, ſecundum quod eſt bonum Sacramenti Matrimonii, ultrà hoc intelligitur, ut proles ſuſcepta ulteriùs in Deum ordinetur: Unde oportet, quod intentio naturæ, quæ prolem intendit, referatur actu, vel habitu ad intentionem prolis, prout eſt bonum Sacramenti, aliàs ſtaretur in creatura, quod ſine peccato eſſe non poteſt: ergo quando natura tantùm movet ad actum Matrimonii, non excuſatur omninò à peccato, niſi in quantum motus naturæ ordinatur actu, vel habitu ulterius ad prolem, ſecundum quod eſt bonum Sacramenti: ex quibus nemo dicat, quod motus naturæ ſit malus, ſed ſolùm quod ſit imperfectus, niſi ad aliquod bonum Matrimonii ordinetur.

Et deinde cauſa reddendi debitum, & iſte modus eſt ſecundus, quo coniuges abſque peccato conveniunt: aliàs ſemper eſt ibi peccatum ad minùs veniale. *Juxta id, quod D. Thom. docet*, (c) ſi aliquis per actum Matrimonii, intendit vitare fornicationem in coniuge, non eſt aliquod peccatum, quia hæc eſt, quædam redditio debiti, quæ ad bonum fidei pertinet. At ſi intendit vitare fornicationem in ſe, ſic eſt ibi aliqua infirmitas, & ſecundum hoc eſt peccatum veniale, nec ad hoc eſt inſtitutum Matrimonium, niſi ſecundum indulgentiam, quæ eſt de peccatis venialibus: ſicut nec eſt ad hoc ordinatum V. ad conſervationem ſanitatis, quapropter ſi aliquis ſalutem corporalem intenderet ſervare, aut conſequi per actum Matrimonii, talis intentio efficeretur mala, & mala venialiter: ſicut etiam cognoſcens uxorem non intendens aliquod bonum Matrimonii, ſed ſolam delectationem, non peccat mortaliter, dummodo iſta delectatio quæratur intra limites Matrimonii V. ut talis delectatio in alia non quæratur, quàm in coniuge: quia ſi delectatio quæratur ultrà honeſtatem Matrimonii, ut ſcil. aliquis in coniuge non attendat, quod coniux eſt, ſed ſolùm quod mulier, paratus idem facere cum ea, ſi non eſſet coniux, eſt peccatum mortale: & talis dicitur ardentior amator carnis, quia ſcil. ardor ille extra bona Matrimonii effertur, & ob hoc ſtat illud, quod dicitur, quod aliquis uxorem ſola libidine cognoſcens ab introitu Eccleſiæ arceatur, quaſi ſit excommunicatus, quamvis tamen, *ut ait Div. Thom.* (d) hoc non dicatur propter hoc, quod ex hoc peccato homo excommunicationem mereatur, ſed quia ſpiritualibus ſe reddit inhabilem propter hoc, quod efficitur in actu illo totus caro. Quot ſunt, qui hujuſmodi actus committunt, in uxoribus, & tamen vel negligunt, quid faciunt, vel præſumunt facere, quod non poſſunt in illo actu abſque eo, quod nec per ſomnium peccare intendunt; iſti proculdubio errant, ſed quod magis errant & illi, qui ad confeſſiones audiendas ſunt approbati, vel non faciendo de his caſum, vel ignorant factum, diſcant ergo *à Div. Thom. docente*, (e) voluptates meretricias vir in uxore quærit, quando in ea nihil aliud attendit, quàm quod in meretrice attenderet: *Et rurſus ait*, (f) conſenſus in delectationem concubitus, qui eſt peccatum mortale, eſt peccatum mortale: non autem talis delectatio eſt Matrimonialis actus; unde videtur, quod ille non cadit ſemper ſub peccato mortali, maximè quia, *ut ait Div. Auguſt.*, talis concubitus ponitur inter peccata quotidiana, pro quibus dicitur, *Pater noſter, qui es in Cœlis &c.* Sequitur ergo, quod ille concubitus Matrimonialis non ſemper ſit peccatum mortale.

c in Suppl. q. 50. ar. 1. ad 2.

d in Suppl. q. 49. a. 6. ad 4.

e ib. ad 2.

f ib. ad 2.

Super Quæſtionem Quinquageſimam.

De impedimentis Matrimonii in generali.

MAtrimonium cum ſit Sacramentum repræſentans conjunctionem Chriſti, & Eccleſiæ, ex qua conjunctione ſequitur perpetuus, & indiſſolubilis nexus, *juxta id, quod habetur ex Conc. Trident.* (a) Matrimonii perpetuum, & indiſſolubilem nexum, primus humani generis parens, divini Spiritus inſtinctu pronunciantis, cum dixit, hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: cujus nexus ab Adamo firmitatem tantò ante pronunciatam his verbis confirmavit Chriſtus Dominus, quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet: Prohibetur namque à Chriſto Domino ſeparatio viri, & uxoris in lege nova, ne mechia, vel adulterium committatur: dicebat enim Chriſtus Dominus, *Matt.* (b) facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit, adulterat; quam tamen mœchiam, ſive adulterium non committebant illi, hebræi ſcil. in lege veteri, *utpotè, quia habetur in Deut.*, (c) cumque egreſſa alterum maritum duxerit: quare autem, hoc? Quia in tali lege Matrimonium ſolùm erat in officium naturæ, nullatenus verò Sacramentum, *teſte D. Thom.*, (d) *docente*, Matrimonium fuit quidem in veteri lege, prout erat in officium naturæ, non autem prout eſt Sacramentum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia: quæ non erat facta, & ideò in lege veteri dabatur libellus repudii, quod eſt contra legem Sacramenti: ergo per virtutem Sacramenti Matrimonium accipit indiſſolubilitatem, & inſeparabilitatem, adeòque nemo ſit, qui audeat aſſerere etiam in lege nova diſſolvi poſſe etiam Matrimonium, *ne in anathema cadat à Sacro Concil. Trident.* (e) *jam præſcriptum*, ſi quis dixerit, propter hæreſim, aut moleſtam cohabitationem, aut affectatam abſentiam à coniuge diſſolvi poſſe Matrimonii vinculum, anathema ſit. Sicut nemo, quilibet ille ſit in Eccleſia Dei in dignitate conſtitutus, audeat diſpenſare ſupra vinculum Matrimonii jam conſummati, & illud ſolvatur. Ab Eccleſia tamen inſtituta fuerunt multa impedimenta circa Matrimonium, ut ne cuilibet commiſceatur, & cui commiſceri debeat, & quando.

a Seſſ. 24. init.

b Cap. 19.

c Cap. 24.

d 1. 2. q. 102. a. 5. ad 3.

e ib. can. 5

Propter quod dicimus *unà cum D. Thom.*, impedimenta Matrimonii quædam eſſe de ſolemnitate Matrimonii,

nii, quædam verò eſſe de eſſentia ejuſdem. Et illa quæ contrariantur bis, quæ ſunt de ſolemnitate Matrimonii, non efficere, ut non ſit verum Matrimonium, & ideò licet dicantur impedire Matrimonium contrahendum, non tamen dirimunt contractum, & talia Impedimenta ſunt ſemper feriatum, & prohibitio Eccleſiæ.

Nec deridendum eſt de hujuſmodi prohibitionibus, utpote quia ab Eccleſia determinatæ fuerunt, *& à Concil. Trident. (f) ſtatutæ*; Ab adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti uſque in diem Epiphaniæ; & à feria quarta Cinerum uſque ad octavam Paſchatis incluſivè, antiquas ſolemnium nuptiarum prohibitiones, diligenter ab omnibus obſervari Sancta Synodus præcipit: in aliis verò temporibus nuptias ſolemniter celebrari permittit; quas Epiſcopi, ut ea, qua decet modeſtia, & honeſtate fiant, curabunt: Sancta enim res eſt Matrimonium, & ſanctè tractandum. Sed pavendum ulterius eſt *ab eo, quod decrevit idem Concilium*. (g) ſi quis dixerit, prohibitionem ſolemnitatis nuptiarum, certis annis temporibus, ſuperſtitionem eſſe tyrannicam, ab Ethnicorum ſuperſtitione profectam, aut benedictiones, & alias ceremonias, quibus Eccleſia in illis utitur, damnaverit, anathema ſit. Unde Concilium, advertite, quod prohibuit temporibus illis, ne fiant ſolemniter Matrimonia, hoc eſt, nuptiæ, convivia, benedictiones, & alia, quæ ad ſolemnitatem ſpectant, non verò prohibuit, quod non fiant contractus, ſicut & conſummationes Matrimonii.

f Seſſ. 24. de Reform. cap. 10.

g ib. can. 11.

Ut autem hujuſmodi impedimenta de facili memoriæ mandentur, ſtatuuntur illi verſus

Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
impediunt fieri, permittunt juncta. (ſive facta) teneri.

Ex his colligitur, hæc impedimenta non dirimere Matrimonium contractum, licet impediant quandoque contrahendum, *& ut D. To. (h) docet*, impediunt quandoque contrahendum, non ut non fiat, ſed ut non licitè fiat, & tamen ſi fiat, verum Matrimonium contractum eſt; quamvis contrahens peccet; *de quo affert & exemplum*, ſi aliquis poſt comeſtionem conſecraret, verum utique Sacramentum perficeret, quamvis peccaret contra ſtatutum Eccleſiæ, non enim jejunium conſecrantis eſt de neceſſitate Sacramenti, ſic in caſu noſtro.

h in Suppl. q. 50. art. un. ad 6.

Illa verò impedimenta, quæ contrariantur his, quæ ſunt de eſſentia Matrimonii, faciunt, ut non ſit verum Matrimonium, ac non ſolùm impediunt Matrimonium contrahendum, ſed etiam dirimunt jam contractum; ſi tamen ipſa, vel aliquid ipſorum præcedant Matrimonium, quoniam conſenſum conjugalem excludunt, hujuſmodi autem impedimenta ſunt 12. & his verſibus præſcribuntur:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen honeſtas.
Si ſit Affinis, ſi fortè coire nequitis.
Hæc ſocianda vetant Connubia, facta retractant.

At ſi quæratur, cur impedimenta Matrimonio, magis quàm aliis Sacramentis aſſignentur?

i ib. ad 1.

Reſpondendum erit *cum Div. Thom.*, (i) hoc provenire ob multiplices rationes: *Quarum prima eſt*, quia Matrimonium conſiſtit in duobus, *juxta Concil. Trident.* *(l) dicens*, hoc autem vinculo duos tantummodo copulari, & conjungi Chriſtus Dominus apertiùs docuit, cum jam referens verba prolata à Deo dixit, itaque jam non ſunt duo, ſed una caro; *in cujus confirmationem habetur ex illo Pauli ad Corint.*, (m) an neſcitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur, erunt enim, inquit, duo in carne una. Ideòque pluribus modis impediri poteſt, quàm alia Sacramenta, quæ uni perſonæ competunt ſingulariter; hoc autem magis conſtabit in explicandis impedimentis enumeratis.

l Seſſ. 24. in init.

m 1. cap. 6

Secunda ratio eſt, quia Matrimonium habet cauſam in nobis, & in Deo; alia verò Sacramenta ſolùm in Deo; alia, non tamen omnia, eò quia etiam pœnitentiæ, quæ habet aliquam cauſam in nobis, *quædam impedimenta aſſignavit Magiſter Sententiarum, & ſunt hypocriſis, ludus, & ſimilia*; Quot enim ſunt, qui ſe ſimulant juſti, quorum preces non exaudiuntur à Deo? quia opera eorum in ſuperbia fiunt: Hoc patet de Phariſæo iniquo, qui non in humilitate, ſed in ſuperbia elatus peccata ſua non confitebatur, ſed gloriabatur de operibus ſuis, *cum dixit*, Deus gratias tibi ago; bonum initium pro agendo gratias de beneficiis à Deo collatis; benè ergo, & laudabiliter incepit orationem, quam tamen male, & vituperabiliter terminavit; *unde ſubdidit*, quia non ſum, ſicut ceteri hominum; ecce nimia de ſe ipſo præſumptio; *Hinc Auguſt. (o) de verbis Domini*, quid eſt, inquit, ceteri homines, niſi omnes præter ipſum; raptores, injuſti, adulteri; *Ecce iniquitas ſupra omnem iniquitatem*, nam & contumelioſum ſe oſtendit, detractorem ſe facit, deriſorem ſe publicat; dùm reverſus ad Publicanum humilem, pium, ac devotum dixit, velut hic Publicanus. Jejuno bis in Sabbato: *ecce hypocriſis*, nam & hypocritæ ſimulando Sanctitatem ſuam exterminant facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes. Decimas do omnium, quæ poſſideo; *ecce inanis gloria*, quæ filia ſuperbiæ eſt; unde hæc omnia dicendo, verè filius diaboli ſe fecit. Utinam ſaltem dixiſſet cum Zachæo principe Publicanorum, ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus. Quia tunc fortaſſe à Deo ejus preces exauditæ fuiſſent, ſed è converſo accidit, ut conſtat ex verbis ſequentibus, deſcendit hic, V. Publicanus, *legitur Lucæ*, juſtificatus in domum ſuam ab illo, Phariſæo. Quare autem hoc? Quia Publicanus toto corde pœnituit, & veniam de peccatis ſuis poſtulavit, dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori.

n in 4 diſt. 16.

o Ser. 36.

p Luc. 19.

q cap. 18.

At proh dolor? Quot ſunt, qui iniquiores Phariſæo, etſi confiteantur peccata, ludo faciunt, non ſeriò, quia nec ore confitentur, nec corde, carentes propoſito emendandi: ſufficit enim iſtis, ut videantur ab hominibus. Quot ſunt, qui dicunt ſe eſſe peccatores, ſed peccata ſe non habere, proni ſemper ſunt ad omnia mala perpetranda, & nihilominus juſtos ſe dicunt.

Utinam his noſtris temporibus tales non eſſent, nec fuiſſent. Utinam non fuiſſet natus homo ille, *qui vulgò Molinos nuncupatur*, ille enim & ſibi ipſi, & propemodum aliis infinitis hominibus nocuit; negavit namque narrationem peccatorum in confeſſione faciendam, & ſolùm poſuit præſentationem ante hoc tribunal. Ignorans quod nos omnes adſtabimus ante tribunal Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ut referat unuſquiſque ſecundum ea, quæ per corpus geſſit, ſive bonum, ſive malum. Ignorans, quod Eccleſia canit, *habito verbo ex illo Sapientiæ*, misereris omnium Domine, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti, diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam: propter ſcil. illam pœnitentiam, quæ fit non ſimulatoriè, ſed affectivè, propter dilectionem Dei, non ſui ipſius, confitendo, ſicut decet, peccata ſua, non aliena, & illa deteſtando, quantum poteſt fieri à vero pœnitente, quod eſt cum propoſito firmo, ac ſtabili diligendi Deum, ſervandi mandata ejus, atque præcepta, ut ſalvi fieri poſſint, *ſcriptum eſt enim*, (ſ) ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata: igitur quomodo ſperare poſſumus de illius ſalute, ſi jam præcepta Dei, & Eccleſiæ ſuæ non ſervavit? Propter illam, inquam, pœnitentiam, quæ fit cum dilectione hominum, & odio vitiorum: Ergo iniquus ille diligendo vitia, numquam pœnituit de peccatis ſuis, & confitebatur conſequenter tantùm ludo peccata ſua. At pereat memoria ejus, nec amplius inveſtigentur viæ ejus, quia, propter oblectamenta carnis, facile erit inſipientibus ejus veſtigiis inhærere.

r cap. 11.

ſ Matt. cap. 19.

Tertia ratio eſt, quia de aliis Sacramentis eſt præceptum, vel conſilium, ſicut de bonis perfectioribus: at de Matrimonio eſt indulgentia, ſicut de bono minus perfecto: *unde dicebat Paulus ad Corint.*, (t) hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium: verùm ut detur occaſio proficiendi in melius plura impedimenta aſſignantur Matrimonio, quàm aliis Sacramentis, immò & ab Eccleſia ſtatuta fuerunt ad evitanda multa, & varia incommoda, quæ ſequerentur ablatis his impedimentis, & ideò meritò hæc præſcripſit,

t 1. cap. 7.

Digitized by Google

ſcripſit, taliter quod non ſunt deneganda, niſi titulo rebellionis ab eadem, *ut determinatum fuit à Concilio*
u Seſſ. 24. can. 4.
Tridentino, (*u*) ſi quis dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe, anathema ſit. *Pariter*
x ib. can. 3.
ſtatuitur ab eadem, (*x*) ſi quis dixerit, eos tantùm conſanguinitatis, & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, poſſe impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare, aut conſtituere, ut plures impediant, & dirimant; anathema ſit.

De impedimento erroris.

Error convenienter ponitur impedimentum Matrimonii, ita ut habeat dirimere contractum, & impedire contrahendum; *& hoc juxta mentem Div. Th.*
a in Suppl. q. 51. a. 1.
dicentis, (*a*) quidquid impedit cauſam de ſui natura, impedit ſimiliter & effectum, unde ceſſante cauſa ceſſat & effectus, adeoque ceſſante conſenſu, qui eſt cauſa Matrimonii, ceſſat effectus ejuſdem; *Et hoc eſt, quod ſubdit id*, quod evacuat conſenſum, evacuat Matrimonium; & eò maximè quia conſenſus eſt actus voluntatis præſupponens actum intellectus, *juxta illud nil volitum, quin præcognitum*; unde deficiente primo; V. *cognitione, à qua poteſt procedi error*. opus eſt defectum contingere in ſecundo, ſcil. *in conſenſu, qui eſt actus voluntatis*, ac per conſequens, quando error cognitionem impedit, ſequitur etiam in ipſo conſenſu defectus, hoc eſt in ipſo Matrimonio; & denique videtur ut certum, quod error de jure naturali habet, quod evacuat Matrimonium; v. g. ſi Petrus ducat Victoriam credens eſſe Somphroniam, igitur convenienter ponitur error impedimentum Matrimonii, & ponitur ipſemet error,
b ib. ad 1.
quaſi cauſa proxima, *ſic à D. Th.* (*b*) *explicatur diſcrimen ignorantiæ ab errore ſimpliciter loquendo*, cum ignorantia differat ab errore ſimpliciter loquẽdo; nam ignorantia de ſui ratione non importat aliquem cognitionis actum; at error ponit judicium rationis perverſum de aliquo: De cętero quantum ad hoc, quod eſt impedire voluntarium, non differtur, utrum dicatur ignorantia, vel error. *Et de hoc rationem aſſignat*, nulla enim ignorantia poteſt impedire voluntarium, niſi quæ habet errorem adiunctum, eò quod actus voluntatis præſupponit ęſtimationem, ſive judicium de aliquo, in quod fertur, unde jam clarè patet, quod ſi ibi eſt ignorantia, oportet ibi & eſſe errorem.

Diximus, quod *conſenſus eſt actus Matrimonii*, & hoc quia ex ipſo conſenſu cauſatur directè vinculum coniugale, ad differentiam characteris baptiſmi, qui non cauſatur directè ex intentione baptizantis, ſed ex elemento naturali exterius adhibito; Intentio autem operatur ſolùm ut dirigens elementum materiale ad effectum proprium, at vinculum coniugale ex ipſo conſenſu directè cauſatur. Qua de cauſa rectè ſequitur, quod Matrimonium non perficitur ex ipſo concubitu; conſtat enim, quod nec inter Liam, & Jacob fuerit perfectum Matrimonium; ex ipſo concubitu, qui ex
c Cap. 29.
errore contingit; *ut legitur in Gen.*, (*c*) quod Jacob promiſit ſervire Laban pro Rachel ſeptem annis, quam petiit in uxorem, *unde dixit*, dà mihi uxorem meam: & poſt convivium Laban introduxit veſpere Liam filiam ad eum, & ſolùm manè facto vidit Liam, quam poſtea accepit in Uxorem. Ob hoc autem benè dicitur, quod conſenſus aliquod voluntarium nominat, unde error impedit voluntarium, quoniam voluntarium eſt, cujus principium eſt in aliquo ſciente ſingularia, in quibus eſt actus, quod erranti non competit, idcircò rectè ſequitur, quod error Matrimonium impediat.

Verùm non omnis error impedit Matrimonium,
d in Suppl. q. 51. a. 2. ad 1.
juxta Div. Thom. (*d*) error non habet ex natura generis, quod impediat Matrimonium, ſed ex natura differentiæ adiunctæ, prout ſcil. eſt error alicujus eorum, quæ ſunt de eſſentia Matrimonii; *juxta ea, quæ jam dixit*,
e in o.
oportet, (*e*) quod error qui Matrimonium impedit, ſit alicujus eorum, quæ ſunt de eſſentia Matrimonii: & quia, duo includit ipſum Matrimonium, ſcil. perſonas, duas, quæ coniunguntur, & mutuam poteſtatem in invicem, in qua ut conſtat, jam Matrimonium conſiſtit: hinc eſt, quod primum, quod includit, tollitur per errorem perſonæ (& quamvis dicatur, quod poteſt contingere, quod frater viri, in quem ſe conſentit, credit mulier, offeratur ei, & cum eo commiſceatur carnaliter, & ideò videtur, quod tunc non poſſit redire ad illum, in quem conſentire ſe credidit, ſed debeat ſtare cum fratre ejus, unde poſtea ſequi etiam videtur, quod error perſonæ non impediat Matrimonium, nihilominus tamen hoc non eſt tenendum abſolutè, *aſſerit Div. Thom.*, (*f*) ſed cum ponderatione circa hoc eſt diſcurrendum, ſi ante non conſenſerat in fratrem ejus.) Ex
f ib. ad 9.
quo quàm benè deducatur, ergo jam conſenſus cauſa Matrimonii eſt, ex verbis *D. Thom.* pat. (poteſt eum, quem per errorem acceperit, retinere, nec poteſt ad fratrem ejus redire, præcipuè ſi ſit cognita carnaliter ab eo, quem accepit. Cęterum ſi conſenſerat in primum per verba de præſenti, non poteſt ſecundum habere primo virente, ſed poteſt vel ſecundum relinquere, vel ad primum redire, & ignorantia facti excuſat peccatum; ſicut & excuſaretur poſt conſummatum Matrimonium, ſi à conſanguineo viri ſui fraudulenter cognoſceretur; quoniam fraus alterius non debet ſibi præjudicare; *ut inſinuatur ex Gregorio Nono*, cum igitur nemini noceat error facti, mandamus, quatenus, ſi de huiuſmodi potuerit errore docere, providens, ut nullum ſibi ſuper hoc præiudicium generetur. Ecce ergo quod error facti nemini præiudicare debet: & conſequenter cum error perſonæ in tali caſu ſit error facti, excuſat: ac proinde non obligat talem errantem ad Matrimonium: quia error facti eſt, dùm quis credit tractare cum aliqua perſona, & tractat cum alia: vel credit facere aliquid, & facit aliud neſciens, talis error utique excuſat, ut patet de Jacob ſic errante in cognitione Liæ: ad quam cum ex more Jacob fuiſſet ingreſſus, facto manè vidit Liam, & dixit ad Socerum ſuum, quid eſt, quod facere voluiſti? nonne pro Rachele ſervivi tibi? quare impoſuiſti mihi? Unde deceptus fuit Jacob, credens ingredi ad Rachel, & ingreſſus fuit ad Liam, ideò ob errorem facti excuſari debet.

Secundum, quod includit ipſum Matrimonium, nempe mutuam poteſtatem in invicem, tollitur per errorem conditionis: ſervus namque non habet poteſtatem ſui corporis liberè alteri tradere ſine conſenſu Domini ſui: *de quo infrà*, & hi duo errores Matrimonium impediunt, non tamen alii, V. error infidelis de Matrimonio, quia non eſt circa ea, quæ ſunt Matrimonium conſequentia: eò modò quo nec error circa baptiſmum impedit acceptionem characteris, dummodò intendat facere, vel recipere, quæ Eccleſia dat, licet credat nihil eſſe. Sicut nec error qualitatis, ſeu fortunæ cum diverſitas fortunæ non variet aliquid eorum, quæ ſunt de eſſentia Matrimonii: nec conditio ſervitutis impedit Matrimonium, ſi ſervitus tamen ſciatur: nec error nobilitatis in quantum huiuſmodi evacuat Matrimonium eadem ratione, qua nec error qualitatis: *At circa hoc D. Th.* (*g*) *addit*, ſi error nobilitatis
g ib. ad 5.
vel dignitatis redundat in errorem perſonæ, tunc impedit Matrimonium v. g., ſi conſenſus mulieris feratur in iſtam perſonam directè, quæ licet ſit nobilis, non tamen eſt altioris nobilitatis, error nobilitatis ipſius non impedit Matrimonium: ſi verò directè intendat conſentire in filium Regis, quicumque ſit ille, tunc ſi alius præſentetur ei, quàm filius Regis, eſt error perſonæ, & impedit Matrimonium.

Et quia in Matrimonio adeſt contractus, ſicut in emptione, & venditione, hinc eſt, quod ſervari debet idem ordo in uno, ac in alio: Hinc ſi non detur in emptione, ac venditione illa pecunia, quæ creditur, ſed alia æquivalens, nihil obeſt contractui, ſic pariter ſi non detur in Matrimonio illa mulier *v. g. ſoror*, quæ creditur *Berta*, ſed alia æquivalens, puta alia ſoror, *v. g. Maria*, nihil obeſt Matrimonio. Cęterum ſi in re quæſita propter ſe eſſet error, impediretur contractus

v. g.

v. g. ſi alicui venderetur aſinus pro equo, ita in caſu hoc, ſi in muliere quæſita propter ſe eſſet error, impediretur Matrimonium, *v. g. ſi alicui daretur in Matrimonium impudica pro pudica, deflorata pro Virgine;* nam ille, qui vult Matrimonium in tali caſu, quærit virginem, non defloratam, quærit pudicam, non impudicam, &
b ib. ad 8.
ideò nullum erit Matrimonium. *Juxta Div. Thom.*, (b) poteſt contingere, quod per multos annos iſte error detineatur. v. g. quod ſit impudica, vel deflorata, & filios, & filias generent ſimul, cognito autem errore, quamvis videatur eſſe grave dicere, quod tunc eſſent dividendi, *attamen abſolutè aſſerit Div. Thom.* quod quantumcumque fuerit cum ea, niſi de novo aſsentire velit, non eſt Matrimonium.

De impedimento conditionis ſervitutis.

HOc Impedimentum in favorem libertatis ab Eccleſia fuit inſtitutum, *& ideò in lib. decr. habetur*, (a) *error conditionis*, ſcil. *ſervitutis*, impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit contractum: nam in Matrimonii contractu obligatur unus coniugum alteri ad debitum reddendum, *ob hoc ait D. Th.*, (b) ſi ille, qui ſeobligat, eſt impotens ad ſolvendum, ignorantia hujus impotentiæ in eo, cui ſit obligatio, tollit contractum; *unde & ſubdit*, arguendo à paritate rationis, ſicut per impotentiam coeundi efficitur aliquis impotens ad ſolvendum debitum, ut omninò non poſſit ſolvere; ita per ſervitutem, ut liberè debitum reddere non poſſit, ideòque ſicut impotentia coeundi ignorata impedit Matrimonium, non autem ſi ſciatur, ita etiam conditio ſervitutis ignorata impedit Matrimonium, non autem ſervitus ſcita. *Juxta illud, quod definitur*, (c) ſi quis liber, ſi quis ancillam, ſi quis ingenuus, ſi libera mulier contrahit cum ſervo, vel liber cum ancilla ſcienter, tenet Matrimonium; ſi verò libera contrahit cum ſervo, vel liber cum ancilla ignoranter, nullum eſt Matrimonium; *& à D. Th. roboratur, dùm ait*, (d) ſervitus non impedit Matrimonium, niſi quando eſt ignorata ab alio coniuge, etiam ſi ille ſit liberæ conditionis: *& ab Innocentio Tertio capite ad noſtram etiam confirmatum videtur*, ſi conſtiterit, quod miles ignoranter contraxerit cum ancilla, ita quod poſtquam intellexit conditionem ipſius, nec facto, nec verbo conſenſerit in eamdem, contrahendi cum alia liberam ipſi concedas Apoſtolica auctoritate facultatem. Servitus namque, *ſubdit ibid. D. Thom.*, contrariatur Matrimonio quantum ad actum, ad quem quis per Matrimonium alteri obligatur, quem non poteſt liberè exequi, & quantum ad bonum prolis, quæ pejoris conditionis efficitur ex ſervitute parentis; attamen nihil prohibet inter ſervos eſſe coniugia, vel etiam inter liberum, & ancillam; & hoc quia quilibet poteſt in eo, quod ſibi debetur, ſpontè aliquod detrimentum ſubire, atque adeò ſi alter coniugum ſcit alterius ſervitutem, nihilominus tenet Matrimonium. *Quod magis explicatur à D. Thom.*, (e) ſervitus eſt contra primam intentionem naturæ, à primo namque exordio creationis, Patres noſtri dùm permanſerunt in ſtatu innocentiæ liberi, & Domini fuerunt, at poſtquam prolapſi ſunt in peccatum, ad ſtatum ſervitutis devenerunt, juxta ſententiam Domini, maledicta terra in opere tuo, & c. Et ecce quomodo ſervitus eſt contra primam intentionem naturæ; & quod hæc omnia, quæ diximus ex ſcriptura, *ſint juxta mentem Div. Thom. ibid.*, conſtat, eò quia, inquit, naturalis ratio ad hoc inclinat, & hoc appetit natura, ut quilibet ſit bonus, juxta ſuam primam inſtitutionem, *juxta illud Gen.* (f) vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Ceterum ex quo aliquis peccat, natura etiam inclinat, ut ex peccato pœnam reportet; & ideò ſervitus in pœnam peccati introducta eſt. Nec eſt inconveniens aliquod naturale per hoc, quod eſt contra naturam hoc modo impediri, quia ſic etiam impeditur Matrimonium per impotentiam coeundi, quæ eſt contra naturam, hoc eſt contra primam intentionem naturæ, contra quam eſt omnis corruptio, defectus, & ſenium, (g) quod roborat, quædam ſunt impedimenta, quæ faciunt Matrimonium inefficax ad ſolutionem debiti, eò quia in voluntate noſtra conſiſtit, debitum nobis relaxare, ideò ſi talia impedimenta ſi ſint cognita, Matrimonium non tollunt, ſed ſolùm quando ignorantia voluntarium excludit, & tale impedimentum eſt ſervitus, *de qua hìc*, & potentia coeundi, *de qua infra*.

Nec ex eo, quod videatur magis impedire bonum prolis morbus lepræ, quam ſervitus, deduci debet, quod ſi lepra non ponitur impedimentum Matrimonii, nec ſervitus debent poni, *nam docet Div. Thom.*, (h) non eſſe eamdem rationem, lepra namque non impedit Matrimonium quantum ad primum actum ſuum, quod eſt reddere debitum, cum manifeſtum ſit, leproſus debitum reddere liberè poſſe; quamvis aliqua gravamina Matrimonii inferant quantum ad ſecundos effectus, ſcil. *infectio prolis*, ex infectione ſeminis, & ideò non impedit Matrimonium, ſicut ſervitus, de cujus ratione eſt, non poſſe liberè reddere debitum.

Ex eo tamen, quod conditio ſervitutis impediat Matrimonium contrahendum, & dirimat contractum, non debet deduci, ſervum Matrimonium contrahere non poſſe ſine conſenſu Domini; eò quia in fide Chriſti Jeſu eſt libertas liberis, ac ſervis, *juxta Apoſtolum dicentem*, (i) omnes vos; V. *Judæus atque Græcus, ſervus, atque liber*, unum eſtis in Chriſto Jeſu. *Ex quo videtur etiam Concilium Tridentinum aſſerere*, (l) jure eſſe damnandos illos, qui falsò affirmant Matrimonia à filiis-familias ſine conſenſu Parentum contracta irrita eſſe, & Parentes ea rata, vel irrita facere poſſe; & quod dicitur *à Concilio de filiis-familias*, poteſt utique rationabiliter hoc idem aſſerere ex eodem de ſervis, cum tàm filii ſub dominio parentum ſunt, quàm ſervi ſub dominiu dominorum ſuorum; *ſic habemus etiam ſtatutum per Adrianum Papam*, ſicut neque ſervus eſt à Sacramentis Eccleſiæ removendus, ita nec inter ſervos Matrimonia debent ullatenus prohiberi; & ſi contradicentibus Dominis, & invitis contracta fuerint, nulla ratione propter hoc ſunt diſſolvenda; igitur non eſt attendendum ad conſenſum Domini, ut Matrimonium ſervus contrahere poſſit; & eò maximè quia ſervitus eſt de jure poſitivo; Matrimonium verò eſt de jure naturali, & divino, jus autem poſitivum non præjudicat juri naturali, aut divino, ac proinde ſervus abſque conſenſu Domini poterit Matrimonium contrahere; *Quod & D. Thom.* (m) *manifeſtat*, jus poſitivum, de cujus ratione eſt determinare pœnam ſecundum conditionem perſonæ, & culpæ, progreditur à jure naturali, (iſtud autem dictat, quod pœna ſit pro culpa infligenda, & quod nullus ſine culpa puniri debeat) & cum hæc omnia ſint certa, certum eſt etiam, quod ſervitus, quæ eſt de jure poſitivo, cum non poſſit præjudicare his, quæ ſunt de jure naturali, ille, qui in ſtatu ſervitutis eſt, conſequenter poterit ſine conſenſu Domini contrahere Matrimonium. Quod magis apparet certum, nam ſervus Domino non ſubditur, quin liberè poſſit comedere, & dormire, & ſimilia facere, quæ ad neceſſitatem corporis pertinent, ſine quibus natura conſervari nequit; ita nec quantum ad hoc, quod non poſſit liberè contrahere Matrimonium etiam Domino neſciente, aut contradicente: *Quæ omnia jam Div. Thom. dixit*, (n) Servus Domino ſuo tenetur obedire in his, quæ Dominus licitè poteſt præcipere; unde ſicut licitè non poteſt Dominus præcipere ſervo, quod non comedat, vel dormiat; ita nec quod à Matrimonio contrahendo abſtineat; quia etiam abſtinentia à Matrimonio contrahendo eſt agere contra jus naturale. Unde, *& ſubdit*, intereſt enim ad legiſlatorem, qualiter quilibet re ſua utatur; idcircò ſi Dominus præcipiat ſervo, quod non contrahat Matrimonium, ſervus non tenetur obedire Domino, cum ſervus ſit res Domini quantum ad ea, quæ naturalibus ſuperadduntur, ut fidelitatem ſervet, ut res Domini fideliter cuſtodiat, ut obediatur, & ſubiiciatur ei in omnibus, quæ à Domino ſuo licitè, & juſtè præcipiuntur: & hoc dicimus, quia quantum ad natura-

a Lib. 3. tit 9 ca. 2 & 4.
b in ſuppl. q 52. a. 1.
c 29 q. 2. cap. 1. & ſeqq.
d ibid.
e ibi ad 2.
f cap. 1.
g ib. ad 4.
h ib. ad 6.
i cap. 3 ad Gal.
l Seſſ. 24. de Ref. c. 1.
m in Supp. q. 52. a. 6.
n ib. ad 4.

tura-

Digitized by Google

turalia omnes ſunt pares , cum ejuſdem ſpeeiei ſint humanæ naturæ, omnes ejuſdem fidei, & omnibus una lex eſt Jeſu Chriſti, & pro omnibus tradita, & inſtituta ſint Sacramenta à Salvatore Noſtro Jeſu , ſi ergo omnes pares ſunt quantum ad naturalia , nullum erit dubium , quod ſervus in his , quæ ad actus naturales pertinent , poſſit alteri invito Domino ſui corporis poteſtatem per Matrimonium præbere.

At ſi quæratur , quare ſervus poteſt jungi Matrimonio abſque conſenſu Domini , non tamen poteſt religionem intrare , vel ad ordines promoveri abſque conſenſu ejuſdem? Quare hoc ? Quia , *ut benè ait D. Thom.*, (o) ille , qui intrat religionem , vel ſuſcipit ordines, obligat ſe ad aliqua opera , quæ ſunt naturalibus ſuperaddita , in quibus Dominus poteſtatem habet , *nam ut dix.*, ſervus eſt res Domini quantum ad ea, quę naturalibus ſuperadduntur , & non in naturalibus , ad quæ ſe obligat per Matrimonium. Sed quare poteſt vovere continentiam ſine conſenſu Domini , & non poteſt religionem intrare , ad quam ſervandam etiam continentia ſervari debet?

o ib. ad 5

Quia vovere continentiam ſimpliciter , & abſolutè unuſquiſque poteſt ſine ligamine , ſed libertate ſua uti , cum votum ſit de meliori bono , ac proinde unuſquiſq; abſolutè poteſt facere votum de aliquo bono , non tamen reſpectivè poteſt unuſquiſque illud emittere ; ergo ſic ſervus abſolutè ſine ligamine ad religionem emittere poteſt votum continentiæ , quod non poteſt facere per ingreſſum ad religionem , & ideò illud , *hoc eſt votum continentiæ* ſine conſenſu Domini facere poteſt, non verò illud , *hoc eſt ingredi religionem abſque conſenſu illius*.

Si verò quæratur , ſi ſervus volente Domino Matrimonium contraxerit , quid facere tenetur? Servitium Domini , an potiùs reddere debitum uxori? dicendum eſt , quod tunc debet prætermittere ſervitium Domini præcipientis , ſive imperantis , & reddere debitum uxori . *De quo reddit rationem D. Thom.*, (p) quia per hoc , quod Dominus conceſſit , ut Matrimonium ſervus contraheret , intelligitur ei conceſſiſſe omnia , quæ Matrimonium requirit. E converſo dicendum erit , ſi Domino ignorante , aut contradicente Matrimonium ſit contractum , tunc non tenetur reddere debitum , ſed potiùs Domino obedire , (*cum, ut diximus , ſervus ſit res Domini quantum ad ea , quæ naturalibus ſuperadduntur ;*) Dummodo tamen utrumque ſimul ſcil. reddere debitum , & Domino obedire eſſe non poſſit; verùm quia in his poſſunt eſſe multa particularia , Vid. periculum caſtitatis imminens uxori , impedimentum , quod ex redditione debiti ſervitio imperato generatur , & aliis ſimilibus , quibus tamen ritè penſatis judicari poterit , cui , ſcil. an Domino , vel uxori ſervus magis obedire teneatur.

p ib. ad 3

Certum eſt , quod tunc & tenetur obedire Domino , & tenetur reddere debitum uxori , non tamen tenetur ſemper , & ubique reddere debitum uxori , & ideò iſta diſcreta eſſe debet , ſicut & cogitare debet , quomodo placeat viro ſuo , qui habet poteſtatem ſupra corpus ſuum . & ſic de illa verificabitur , *illud Proverb.*, (q) mulier diligens corona eſt viro ſuo . Sicut & *illud* , (r) ſapiens mulier ædificat domum ſuam , illa autem eſt mulier ſapiens , quæ non ſolùm cuſtodit thorum immaculatum , ſed etiam qui cuſtodit præceptum Domini dicentis , & erunt duo in carne una ; & hoc ne vocetur adultera , ſi fuerit cum alio viro , jam non poterit dici , erunt duo in carne una , cum caro diviſa ſit à membris , veluti conſtituentibus unum corpus , & unam fidem , ſive fidelitatem. adeòque cum non ſemper teneatur petere debitum mulier ſapiens , & prudens , ideò poterit ſervus adimplere officium ſervitutis erga Dominum ſuum , & etiam adimplere debitum Matrimonii deveniendo ad actum illum , qui eſt redditio debiti.

q Cap. 12.
r ib. cap. 4

Adeſt etiam caſus v.g. dato , quod Dominus vendat , ſicut poteſt vendere ſervum ſuum in extraneas regiones , quo uxor ejus non poterit eum ſequi , vel ob infirmitatem corporis , vel ob periculum fidei imminens , ut ſi vendatur infidelibus ; vel etiam Domino uxoris non permittente , ſi ſit ancilla; in tali caſu quid dicendum erit? Erit utiq; *dicendum cum Div. Thom.*, (ſ) quod tunc Dominus cogendus eſt , ne vendat ſervum , taliter quod facit opera Matrimonii graviora , eſſet namq; gravius uxori eſſe ligatam vinculo Matrimonii , & de tali vinculo fructum non percipere ; eſſet utique onus graviſſimum ſubjici legi , & poſtea non habere modum , ut illa adimpleri poſſit . Eſſet onus valde grave habere poteſtatem ſupra corpus viri ſui , & poſtea talem poteſtatem non exercere ſupra illud . Eſſet intolerabile onus cogitare de ſponſo ſuo , & illo perfrui non poſſe ; ideòque ex omni capite cogendus eſt Dominus, ne vendat ſervum , *præcipuè* cum non deſit facultas vendendi ubicumque ſervum ſuum juſto pretio , & admiſſo , quod illum vendat , etiam per hanc conditionem Matrimonium numquam diſſolvetur , cum jam ſit vinculum perpetuum , atque indiſſolubile.

ſ ib. ad 6

Et ſic de ſervitute præcedente Matrimonium *egit D. Thom.*, de ſervitute verò ſuperveniente agere debemus *cum eodem hîc; affirmat enim Div. Thom.*, (t) quod ſervitus poteſt Matrimonio ſupervenire , cum non ſit major ratio , quare ſervus Domino nolente poſſit uxorem ducere? Et quare vir poſſit ſe ſubjicere Domino nolente uxore? Et eò maximè quia vir eſt ſui juris , cum ſit liber , unde ut talis poteſt dare jus ſuum alteri , & eò magis quia vir ſubditur uxori ſolùm in his , quæ ad actum naturæ pertinent , in quibus ſunt æquales , ad quæ ſervitutis ſubjectio non ſe extendit . Verum licet in actu Matrimoniali , & in his , quæ ſpectant ad naturam , ad paria vir , & uxor judicentur , ad quæ conditio ſervitutis non ſe extendit , tamen quantum ad diſpenſationem domus , & ad alia hujuſmodi ſuperaddita vir eſt caput uxoris , & debet corrigere eam , & non è converſo , & ideò non poteſt ſe dare in ancillam nolente viro.

t in Suppl. q. 52. ar. 2.

Ex eo autem , quod vir nolente uxore poſſit ſe alteri in ſervum dare , non ſequitur Matrimonium diſſolvi , cum nullum impedimentum Matrimonio ſuperveniens poſſit illud diſſolvere , *ſic habetur etiam per Adrianum Papam*; ſicut contradicentibus , & invitis Dominis ſervos poſſe contrahere Matrimonia , quæ non ſunt propter hoc diſſolvenda , & poſt illorum contractionem conſueta ſervare debere ſanxit , ipſe ſtatuit ; *ita à ſimili ſanxiſſe videtur per hoc* , quod vir Matrimonio junctus etiam contradicente uxore poſſit ſeipſum in ſervum alicui dare , nec tamen ob hoc diſſolvi Matrimonium , neque obligationem reddendi debitum . *Et Div. Thom. docuit*, (u) fraus poteſt bene nocere ei , qui fraudem fecit , ſed non poteſt alteri præjudicium generare , unde ſi vir in fraudem ſe alteri det in ſervum , ipſe reportat damnum , inæſtimabile bonum libertatis amittens ; at uxori nullum poteſt ex hoc præjudicium generari , quin teneatur reddere debitum petenti , & ad omnia , quæ Matrimonium requirit ; non enim poteſt ab his retrahi Domini ſui præcepto , ac proinde tenetur ſervus hoc modo factus uxori debitum reddere etiam nolente Domino ; & hoc quia Matrimonium eſt vinculum perpetuum ; & cum ſit tale , manere debet tota vita durante , *teſte D. Paulo* , (x) nam quæ ſub viro eſt mulier , vivente viro , alligata eſt legi , ſi autem mortuus fuerit vir ejus , ſoluta eſt à lege viri ; ergo de perpetuis eſt , *in quibus tamen ait D. Th.* , licet poſſit impedimentum præſtari , ne talis res eſſe incipiat , non autem ut eſſe deſinat.

u ib. ad 1.
x cap. 7 ad Rom.

Et quia Matrimonium ordinatur , ut finis principalis ad prolem generandam , hinc eſt , quod rectè inveſtigari poteſt , ſi filii , qui naſcuntur ex patre , qui ſe vendidit in ſervum , vel ex matre idem faciente , ſequi debeant conditionem Patris , vel matris. Suppoſito tamen jure civili , eò quia ubi non reguntur populi jure civili , partus ſequitur deteriorem conditionem ut ſi ſit pater ſervus , quamvis mater ſit libera , erunt filii ſervi , non tamen ſi poſt peractum Matrimonium pater ſe in ſervum dedit nolente uxore , & ſimiliter ſi ſit è contrario : ſecundum ergo leges civiles filii ſequuntur conditionem matris , hoc eſt filii naſcuntur ſervi , ſi mater eſt ſerva : naſcuntur liberi , ſi mater eſt libera : *ſecundum illud partus ſequitur ventrem* , hoc eſt partem materia-

Digitized by Google

terialem, quia licet proles habeat complementum formale à Patre, cum filius aſſimiletur Patri ratione formæ, quam habet in ſui complemento, *ut docet D. Th.*, (*y*) in his, quæ pertinent ad rationem ſpeciei, magis aſſimilatur filius Patri, quàm matri; cæterum ab iſta filius ſubſtantiam corporis habet, ſecundum quam magis matri aſſimilatur, quàm Patri; in conditionibus materialibus filius magis aſſimilatur matri, quàm patri; quia res habet à forma eſſe ſpecificum, ſed conditiones materiales à materia; igitur cum ex parte ſubſtantiæ corporalis attendatur conditio ſervitutis, *juxta D. Th.*, ſervitus autem conditio corporalis eſt, cum ſervus ſit quaſi inſtrumentum Domini in operando; hinc eſt, quod proles in libertate, & ſervitute ſequitur matrem; & ecce quomodo partus ſequitur ventrem, & conſequenter quomodo filios debet in ratione ſervitutis ſequi conditionem matris, non Patris:

y ib. ad 2.

Hoc dicimus, ut habeatur differentia eorum, quæ pertinent ad dignitatem, cum in his, ſecundum quod eſt ex forma rei, ſequatur Patrem, ut in honoribus, municipiis, hæreditate, nobilitate, & ſimilibus; *juxta Div. Thom.*, (*a*) honor filii magis eſt ex patre, quàm ex matre; ideoque in genealogiis in Scripturis, & ſecundum communem conſuetudinem magis nominantur filii à Patre, quàm à Matre; Sic videmus *in libro generationis Jeſu Chriſti apud Matt.*, (*b*) quod filii à Patre, & non à matre nominantur, *legitur enim*, Abraham genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Jacob, &c. & ſi aliquæ mulieres nominantur, vel aliqui filii ex talibus mulieribus nominantur, *ut dicitur*, Judas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar; Booz autem genuit Obed ex Ruth, & David genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Uriæ, hoc ſolùm factum videtur, *ut inquit Div. Hieronymus*, (*c*) ut denotaret, quod Jeſus Chriſtus non eſt dedignatus ex peccatoribus naſci, ut peccatores omnes ſalvos faceret; *inquit enim*, notandum in genealogia Salvatoris nullam Sanctarum aſſumi mulierum, ſed eas, quas Scriptura reprehendit, ut qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens omnium peccata deleret; Unde & in conſequentibus Ruth Moabitis ponitur, & Betſabee Uxor Uriæ. Cæterum in his, quæ ad ſervitutem ſpectant, magis matrem ſequuntur, de hoc adducit pulcherrimam rationem *D. Thom. dicens*, (*d*) ſi quis ſeminat in terra aliena, fructus ſunt ejus, cujus eſt terra; cum autem venter mulieris reſpectu ſeminis viri ſit, ſicut terra reſpectu ſementis, concludendum eſt, quod filii, qui ex ventre matris naſcuntur, ſequi debeant matrem, magis quàm Patrem; *cum ex dictis conſtet eſſe axioma commune*, partus ſequitur ventrem.

a Ib. ad 4.
b Cap. 1.
c Lib. 1. ſuper Mat.
d ibid. 1. Arg. ſed cont.

§. PRIMUS.

De Impedimento Voti.

SUb iſto Impedimento comprehenditur & votum ſimplex, & votum ſolemne; inter quæ hæc eſt differentia, quod votum ſolemne continentiæ ſolemnizatur per ſuſceptionem Sacri Ordinis, vel per profeſſionem expreſſam, vel tacitam factam alicui de religionibus approbatis, & tale votum habet impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum. Votum verò ſimplex, licet fiat de non contrahendo, vel de caſtitate, impedit utique Matrimonium contrahendum, & quanto manifeſtius eſt emiſſum, tantò major debetur pœna tranſgreſſori, non tamen dirimit contractum. Et Cajet. hanc aſſignavit: Votum ſolemne dicitur habere plenè vim obligativam, non ſic votum ſimplex: quoniam votum ſimplex continentiæ ſic obligat ad continentiam, cum & iſtud obliget apud Deum, quod relinquit potentiam ad Matrimonium, & ejus opus; at votum ſolemne ſic obligat, quod vovens eſt inhabilis ad Matrimonium, & ejus opus, ita ut ſi contrahat, Matrimonium eſt nullum, & ſi utatur illo, peccat mortaliter, etiam reddendo debitum; etenim corpus ſuum non eſt in poteſtate viri; ſicut nec in ſua poteſtate; De voto verò ſimplici *dicendum eſt etiam cum Clemente Papa in lib. Decr.* (*b*) quod iſtud impedit Matrimonium contrahendum, ſed non dirimit contractum; etenim ex quo eſt contractum, vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier, & è contrario: *Hinc à D. Th.* (*c*) *edocemur*, quod in voto ſimplici, cum non ſit niſi ſimplex promiſſio proprii corporis, ad continentiam Deo ſervandam facta, poſt votum ſimplex adhuc remanet homo Dominus ſui corporis, & ſic ipſum poteſt alteri dare, ſcil. uxori, in qua datione Sacramentum Matrimonii conſiſtit, quod indiſſolubile eſt; ac proinde licet votum ſimplex impediat Matrimonium contrahendum, quia peccat contrahens Matrimonium poſt votum ſimplex continentiæ, tamen quia verus contractus, non poteſt per hoc dirimi illud.

a 22. 2. q. 88. a. 7. ad 1.
b Lib. 4.
c in ſuppl. q. 53. a. 1.

At non obſtat, quod votum ſit fortius vinculum, quàm Matrimonium, *contra etiam Lutherum dicentem, vota hodie non valere, niſi ad operum jactantiam, & præſumptionem*; ſic ita præſumpſit de ſe, & ſe jactavit, ut cauſa ſui multi, & multæ obedientiam non tantùm Eccleſiæ Catholicæ, vel etiam Deo O. M. voluntariè, ac plena libertate ſponſam ſpreverunt, paupertatem contempſerunt, & caſtitatem in luxuriem converterunt; nec mirum ſi fecerit hoc, cum & majus malum operatus ſit, Eccleſiam ſcil. & templum Dei non ſolùm illud materiale, ſed etiam ſpirituale, *de quo dicitur*, templum Dei eſtis vos, in domum negotiationis, & in ſpeluncam latronum convertendo.

Dixit utique *vota hodie non valere, niſi ad operum jactantiam, & præſumptionem*, quia non poteſt negare in antiqua lege illa fuiſſe; *ut clarè habetur ex illo Deut.* (*d*) cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. *Tùm ex illo Eccleſiaſtes*, (*e*) ſi quid voviſti Deo, ne moreris reddere; diſplicet enim & infidelis, & ſtulta promiſſio, ſed quodcumque voveris, redde: Multòque melius eſt non vovere, quàm poſt votum promiſſa non reddere. *Et in lib. Regum*, (*f*) cum eſſet Anna amaro animo, oravit ad Dominum flens largiter, & votum vovit dicens; Domine exercituum ſi reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederiſque ſervæ tuæ ſexum virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus. Ecce votum liberè ab Anna factum, à Domino tamen acceptatum, cui etiam diſplicet omnis jactantia, atque præſumptio, *ſiquidem additur ibidem*, & recordatus eſt ejus Dominus; & factum eſt poſt circulum dierum, concepit Anna, & peperit filium, vocavitque nomen ejus Samuel, eò quod à Domino poſtulaſſet eum.

d Cap. 23.
e cap. 5.
f Lib. 1. cap. 1.

Si autem in antiqua lege vota fuiſſe conſtat, & non ad operum jactantiam, & præſumptionem, multò magis in nova lege concedenda ſunt; cum habeamus exemplum à Chriſto Domino, qui paupertatem elegit, uſque ad initium Nativitatis ejus, qui virginitatem dilexit, ex virgine namque naſci voluit, qui obedientiam ſemper ſervavit, uſque ad mortem: *Hinc Concil. Trident.* (*g*) *volens damnare errorem Lutheri per decretum præcipit*, ut omnes regulares, tàm viri, quàm mulieres, ad Regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptam vitam inſtituant, & componant, atque in primis, quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis, caſtitatis, ac ſi quæ alia ſunt alicujus Regulæ, vel Ordinis peculiaria, vota, & præcepta ad eorum reſpectivè eſſentiam, nec non ad communem vitam, victum, & veſtitum conſervanda pertinentia fideliter obſervent. *Et denique cum D. Th.*, (*h*) quod licet votum ſit vinculum fortius, quàm Matrimonium, quantum ad id, cui, & ad quod obligat; ſiquidem per Matrimonium homo obligatur uxori ad redditionem debiti, ſed per votum Deo ad continentiam;

g Seſſ. 25. de Regul. & Monial. cap. 1.
h ib. ad 1.

Digitized by Google

tiam: tamen ex alio capite, V. quantum ad modum ligandi, Matrimonium eſt fortius vinculum, quàm votum ſimplex, cum per Matrimonium tradatur actualiter vir in poteſtatem uxoris, non autem per votum ſimplex; quia certum eſt, quod potior ſemper eſt conditio poſſidentis, unde tenetur reddere debitum uxori petenti, cum vir vinculatus vinculo Matrimonii non habeat poteſtatem ſui corporis, ſed mulier.

Verùm licet votum ſimplex non dirimat Matrimonium contractum, dirimit tamen ſponſalia, cum adhuc ſit in ſtatu continentiæ ſervandæ. *Ideòque docetur à D. Thom.*, (l) ille, qui contrahit Matrimonium per verba de præſenti poſt votum ſimplex, non poteſt cognoſcere uxorem ſuam ſine peccato mortali, ſiquidem adhuc reſtat ſibi facultas implendi votum continentiæ ante Matrimonium conſummatum.

l ib. ad 3.

Poſtquam autem Matrimonium eſt conſummatum, eſt ſibi jam factum illicitum non reddere debitum uxori exigenti, ex culpa ſua: unde obligatio voti non ſe extendit ad hoc; nihilominus debet per lamentum pœnitentiæ recompenſare pro continentia non ſervata, dummodo eſt junctus in Matrimonio, hoc autem dicitur, quia mortua uxore tenetur totaliter continere.

Et ut majorem notitiam de hoc habeamus, attendendum eſt ad ea, *quæ docet Divus Thomas*, *inquit enim ille*, (l) qui votum ſimplex continentiæ facit, licet non poſſit petere debitum abſque peccato, poteſt tamen reddere debitum ſine peccato mulieri exigenti, per quam obligatus eſt ad hoc per carnalem copulam præcedentem, quod eſt, intelligendum, ſive mulier, expreſſe petat, ſive interpretativè, ut quando mulier eſt verecunda, & vir ſentit ejus voluntatem de redditione debiti, tunc enim ſine peccato reddere poteſt, & præcipuè ſi ei timet de lapſu uxoris; nec ex his variant, qui docent, quod poteſt & petere, & reddere, ne nimis onerosum reddatur Matrimonium uxori ſemper exigenti, quia ſi bene inſpiciatur ſententia horum, manifeſtè videbitur, quod hoc ſit exigere interpretativè, maximè quando timetur de periculo caſtitatis ejus.

l ib. ad 1.

Quod tamen nullo modo dicendum eſt de voto ſolemni, cum iſtud votum omnibus modis impediat contrahendum, & dirimat contractum; non quia cauſa hujus ſit ſcandalum, ut quidam dixerunt, cum etiam votum ſimplex quandòque habeat ſcandalum, eò quia quandoque eſt quodammodo publicum, & ideò dicitur quod indiſſolubilitas Matrimonii eſt de veritate vitæ, quæ non eſt propter ſcandalum dimittenda.

Nec cauſa hujus eſt ſtatutum Eccleſiæ, ut quidem alii dixerunt, nam aliàs Eccleſia poſſet etiam contrarium ſtatuere, quod non videtur verum, ſed veriſſimum eſt, quod votum ſolemne ex ſui natura habet, ut dirimat Matrimonium, in quantum homo per ipſum ſui corporis poteſtatem amiſit Deo tradens illud ad perpetuam continentiam; ac proinde non poteſt ipſum tradere in poteſtatem uxoris Matrimonium contrahendo: & idcircò nullum eſt Matrimonium, quod ſequitur tale votum; *quod corroborat Div. Thom.* (m) *dicendo*, votum ſolemne habet actualem exhibitionem proprii corporis, ad differentiam voti ſimplicis, hanc autem illud non habet, *ſubdit Div Thom.*, & meritò, quia per votum ſolemne non eſt petere, non eſt reddere debitum, cum nullum ſit Matrimonium, per votum verò ſimplex licet non ſit petere, eſt tamen reddere debitum.

m in ſuppl. q. 5. a. 2. ad 3

Et eò maximè quia nullum eſt Matrimonium, quod ſequitur tale votum, quia ille, qui facit votum ſolemne, contrahit Matrimonium ſpirituale cum Deo; ſic Virgo Deo dicata dicitur Sponſa Chriſti, & qui cum ea, (*quod nefas eſt dicere*, commiſcetur, committeret adulterium ſpirituale, quod ſine dubio multò dignius eſt, quàm Matrimonium materiale; cum ergo iſtud prius contractum dirimat Matrimonium poſt contractum, (quia unuſquiſque propter fornicationem ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum habeat, quæ fornicatio utique ſequeretur, ſi dimiſſa priori uxore aliam acciperet, *juxta illud Chriſti Domini Marci*, (n) quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam, & ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur,) rectè concluditur, quod votum ſolemne multò fortius dirimet illud.

n cap. 10.

Ulterius ad majorem dictorum notitiam habetur, quod hæc duo vota in aliquo conveniunt, & in aliquo differunt: conveniunt in hoc, quod votum ſimplex quoad Deum obligat, & non minus dicitur, quàm ſolemne in his, quæ ad Deum ſpectant; ſicut eſt ſeparatio Deo per peccatum mortale, cum peccet mortaliter frangens votum ſimplex, ſicut ſolemne: licet ex alio capite frangens votum ſolemne graviùs peccet; ut ſic comparatio in genere accipiatur, non in determinata quantitate reatus. Differunt verò in hoc, quod quantum ad Matrimonium per hoc, quod homo homini obligatur, non oportet, quod ſit æqualis obligationis etiam in genere, quia ad quædam obligat votum ſolemne, exhibitionem ſcil. ſui corporis actualem, quod non obligat votum ſimplex. De primo ad ultimum habetur, quod illi, qui ſuſcipiunt, vel ſuſceperunt Sacros Ordines, vel qui emiſerunt, vel emittunt profeſſionem, numquam poſſunt Matrimonium contrahere; & ſi contraherent, nullum eſſet.

Nec audiendi ſunt illi, *ut diximus de Luthero*, qui oppoſitum ſentiunt, & ſenſerunt, nam contra iſtos ſtatuit *Concil. Trident.*, (o) ſi quis dixerit, clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe Matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto: & oppoſitum nihil aliud eſſe, quàm damnare Matrimonium, poſſeque omnes contrahere Matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis (etiam ſi eam voverint;) habere donum, anathema ſit; cum Deus id rectè petentibus, non deneget, nec patiatur nos ſupra id, quod poſſumus, tentari: *ut teſtis eſt Paulus ad Corint.*, (p) fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis; ſed faciet etiam cum tentatione proventum: ut poſſitis ſuſtinere: *& ex illo Jacobi*, (q) humiliamini in conſpectu Domini, & exaltabit vos.

o Seſſ. 24 can. 9.

p p cap. 10

q cap. 4.

§ SECUNDUS

De impedimento, quod provenit Matrimonio, ſcil. de Voto Solemni.

STatuimus in antecedenti paragrapho, quod per votum ſolemne emiſſum per Sacros Ordines, vel per profeſſionem non poſſit contrahere Matrimonium, & dato, quod aliquis contraheret, oporteret, contractum dimitere. Hic elucidandum proponimus, quid ſentiendum ſit de illo, qui poſtquam Matrimonium contraxit, & illud conſummavit, an poſſit votum ſolemne emittere obligando ſe ad perpetuam continentiam.

Nos itaque *ſequendo doctrinam D. Thom.* (a) non poſſumus non aſſerere, quod votum religionis emittere non poteſt unus conjugum altero invito poſt carnalem copulam, & rationabiliter, nam quis eſt iſte, qui poteſt facere oblationem Deo de alieno? profectò nullus ergo quomodo poterit ille, qui jam factus eſt uxoris per Matrimonium conſummatum, Deo ſeipſum offerre per continentiæ votum, & intrare religionem ſine conſenſu uxoris? nemo eſt, qui hoc facere poſſit; cum nemo ſit, qui fraudem committere poſſit, & inferre alteri damnum. *Hinc Paulus bene ajebat ad Corinth.*, (b) mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir; ſimiliter & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier; *& poſtea ſtatim inquiebat*, nolite fraudare invicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi, *& iterum* revertimini in idipſum, ne tentes vos Satanas propter incontinentiam veſtram: certum eſt enim, & ex verbis Apoſtoli deducitur, quod non poteſt licitè facere, quod eſt in præjudicium alterius,

a in Suppl. q. 61. a. 1.

b p. cap. 7.

abie.

Digitized by Google

abſque ejus voluntate, hoc autem præjudicium ſequeretur, ſi ab uno coniugum abſque conſenſu alterius emitteretur votum religionis, nam, *ut ait Apoſtolus*, vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier; & eò magis hoc facere nequit, cum lex divina hoc permittere non poſſit; iſta namque, *ut docet Div. Th.*, (c) conſiderat Matrimonium, ſecundum quod eſt Sacramentum, ex quo habet omnimodam indiviſibilitatem, ad differentiam legis humanæ, qui ſolùm conſiderat illud in quantum eſt in officium naturæ: & dicitur in officium naturæ, cum per ipſum fiat propagatio ſpeciei; cujus inſtitutio fuit etiam in ſtatu naturæ. Et modò non ſolùm eſt in officium naturæ; verùm etiam in remedium concupiſcentiæ, ut conſuletur infirmitati, & vitetur culpa: Quapropter videtur, quod & apud Deum ſtatus coniugalis eſt approbatus, & ſanctus; & apud homines etiam dicitur immortalis, cum de bonis parentibus educantur boni filii, & per filios filii filiorum; & ſic deinceps *ſecundum illud Eccl.*, (d) mortuus eſt Pater illius, & quaſi non eſt mortuus, ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe; *ideòque dici poteſt illud Sapientiæ de Matrimonio*, (e) immortalis eſt enim memoria illius, quoniam apud Deum nota eſt, & apud homines.

c ib. ad 1. — d cap. 30. — e cap. 4.

Apud Deum utique, quia Deus coniugium inſtituit in Paradiſo ante peccatum; apud homines, quoniam uſque ad finem Mundi numquam deficient boni in Eccleſia Dei; ſic & promiſit Chriſtus Dominus, quando ad Simonem Petrum dixit, *Lucæ*, (f) Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret, ſicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; cum ergo lex humana conſideret Matrimonium ſolùm, in quantum eſt in officium naturæ; hinc eſt, *quod dicitur à Div. Thom.*, (g) lex humana hoc permiſit.

f cap. 22. — g ib. ad 1.

Et licet in qualibet Religione contrahatur quodam Matrimonium ſpirituale, contrahitur tamen illud ad unam perſonam, ſcil. ad Chriſtum, cui quantum ad plura obligatur aliquis in una religione, quàm in alia, nam quædam religiones obligant ſuos ad plura vota, quædam ad pauciora, omnes tamen ſaltem ad tria.

Hoc autem dicitur ad differentiam Matrimonii carnalis, iſtud namque non fit ad unam perſonam, ſed ad plures, Vid. ad Chriſtum, & ad uxorem: ex quibus ſequitur, quod utique licebit de una religione ad aliam tranſire, puta de leviori ad arctiorem, non verò licebit de Matrimonio leviori ſcil. carnali ad arctum ſcil. Matrimonium religionis tranſire invita uxore; ſicut nec ex eo, quod Matrimonii ſtatus ſit minus bonus, quàm ſtatus religionis, debet deduci, quod per Matrimonium homo non debeat impediri, quin poſſit ad religionem tranſire; ſiquidem nullum eſt inconveniens, quod majus bonum impediatur per minus bonum, quod habet contrarietatem ad ipſum; non enim ſtat votum continentiæ factum per religionem cum obligatione reddendi debitum contracta per Matrimonium conſummatum. Unde poſt carnalem copulam vir, (ſicut nec mulier,) nequit ſine conſenſu alterius religionem intrare; quod tamen non currit ante carnalem copulam, ante quam non eſt omninò tranſlatum corpus unius ſub poteſtate alterius, ſed ſub conditione, niſi interea alter coniugum ad frugem melioris vitæ convolet; & de facto ante carnalem copulam non ſtatim tenetur reddere debitum poſt Matrimonium contractum per verba de præſenti; ſed datur ei tempus duorum menſium propter tria.

Primò ut interim poſſit deliberare de tranſeundo ad religionem, quo tempore poteſt alteri petenti negare debitum, & religionem ingredi etiam alteri invito, non verò poſt hoc ſpatium aſſignatum duorum menſium, ſed hoc elapſo peccaret non reddendo debitum petenti, utpote quia non eſt amplius ſui juris, ſed eſt per determinationem Eccleſiæ tunc ſub poteſtate alterius; & etiam quia, *ut ait Div. Thom.*, (h) ante carnalem copulam eſt inter coniuges tantùm vinculum ſpirituale, quod poteſt ſolvi per religionis ingreſſum, cum religio ſit quædam mors ſpiritualis, qua aliquis ſeculo moriens vivit Deo; hoc magis certum apparet ex eo, quod Dominus Jeſus Chriſtus vocaverit Joannem de nuptiis, ut virginitatem cuſtodiret; & ideò virgo eſt electus à Domino, ut propriam virginitatem cuſtodiendo poſſet ei commendare virginitatem alienam; idcircò dicitur, quod Dominus Jeſus virgini, ſc. Joanni, virginem V. Mariam Matrem ejuſdem D. N. Jeſu Chriſti commendavit, antequam in Cruce moreretur.

h in Suppl. q 61. ar. 2.

Secundò, ut præparentur, quæ ſunt neceſſaria ad ſolemnitatem nuptiarum. *Et Tertiò*, ne vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpiravit dilatam.

Et licet indiviſibilitas Matrimonii pertineat ad Matrimonii Sacramentum, in quantum eſt repræſentatio inſeparabilis coniunctionis Chriſti, & Eccleſiæ; attamen Matrimonium ante carnalem copulam, ante quam certum eſt, quod eſt verum Matrimonii Sacramentum, ſignificat illam conjunctionem, quæ eſt Chriſti ad animam per gratiam, *ut ait Div. Thom.*, (i) quæ quidem ſolvitur per diſpoſitionem ſpiritualem contrariam, nempe per peccatum mortale, & ideò ante carnalem copulam poteſt utique ſolvi Matrimonium per ingreſſum ad Religionem: veluti per mortem ſpiritualem, contrariam ſc. copulæ carnali. Ceterum poſt carnalem copulam Matrimonium ſignificat conjunctionem Chriſti ad Eccleſiam quantum ad aſſumptionem humanæ naturæ in unitatem perſonæ, quæ omninò eſt indiviſibilis; Quam indiviſibilitatem non habet conjunctio Matrimonialis ante carnalem copulam, quæ quidem licet ſit perfecta, quantum ad eſſe primum, in quantum eſt divinitus facta, non tamen eſt conſummata quantum ad actum, ſecundum quod eſt operatio, & ſimilatur poſſeſſioni temporali, quæ utique ſeparari poteſt propria voluntate, ub hoc autem Chriſtus Dominus (l) loquens de Matrimonio ſecuta carnali copula, *dixit, & dicendo præcepit*, quod Deus conjunxit, homo non ſeparet; quæ tamen ſeparatio poteſt fieri ab uno illorum ante carnalem copulam per ingreſſum religionis.

i ib. ad 1. — l cap. 19.

Si autem quæratur, quid erit de alio coniuge, qui religionem intrare noluerit? Dicendum eſt, quod in tali caſu ille, qui noluerit ingredi religionem, remanebit liber, & poterit alteri nubere: & hoc quod dicimus, *habetur ex Apoſtolo ad Corint.* (m) *& ex D. Th. Ex Apoſtolo utique dicente*, mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod ſi dormierit vir ejus, libera eſt, cui vult nubat, tantùm in Domino. *Ex D. Th.* (n) *deducente, & bene*, quod ſicut mors corporalis viri vinculum Matrimoniale ſolvit; ut mulier nubat, cui vult; ita etiam poſt mortem ſpiritualem viri per ingreſſum religionis, poterit, cui voluerit, nubere: non enim arctari debet mulier ad continentiam, ex eo, quod vir religionem ingrediatur: *juxta id, quod docet D. Thom.*, (o) quando unus tantùm vovet, tunc quantum eſt in ſe, abrenunciat vinculo coniugali, ideòque alter abſolvitur à vinculo illo, arctaretur tamen & mulier ad continentiam, ſi uterque pari rati ne continentiam voveret; unde nec nubere poſſet, ſed adhuc maneret vinculum coniugale inter coniuges, *& ideò ſubdit Div. Thom.*, tunc neuter coniugali vinculo abrenunciaret.

m 1. cap. 7. — n in Suppl. q. 61. a. 2. — o ib. ad 4.

Diximus, *quod poſt mortem ſpiritualem viri per religionis ingreſſum ante carnalem copulam poterit, cui, voluerit, nubere*: ut intelligamus, quod non debet mulier ſtatim, ac vir ejus religionem eſt ingreſſus alteri nubere; ſed neceſſariò debet expectare uxor virum ſuum uſque ad illud tempus, quouſque profeſſionem emiſerit; hoc autem tempus eſt curſus unius anni, *juxta novam Decret.* (p) profeſſio ante annum emiſſa, pro nulla reputatur; *juxta & Concil. Trident.* (q) *Decretum, in quo habetur*, in quacumque religione tàm virorum, quàm mulierum profeſſio non fiat ante decimum ſextum annum expletum, nec qui minori tempore, quàm per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem emittatur.

p Lib. 6. tit. 11. — q Seſſ. 25. cap. 15.

Profeſſio autem antea facta ſit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus regulæ, vel reli-

Digitized by Google

ordinis obſervationem; aut ad alios quoſcumque effectus. Quod autem poſſit ingredi religionem vir, ſive mulier, poſt matrimonium contractum, non tamen conſummatum *juxta mentem Div. Thom. ante carnalem copulam, idem Concilium definivit dicendo*; ſi quis dixerit matrimonium ratum non conſummatum per ſolemnem religionis profeſſionem alterius conjugum non dirimi, anathema ſit. Si verò poſt ingreſſum religionis, & ante annum completum aſſignatum per probationem non emiſerit profeſſionem, & ad ſeculum redierit, in pœnam hujus privatur tantùm de redditione debiti, cum, *ut aſſerit Div. Thom.*, judicium idem erit,

a Seſſ. 24. can. 6. ac de voto ſimplici; certum eſt enim, quod poſt votum ſimplex viri mulier ei nõ tenetur reddere debitum; verumtamen ipſa mulier non habet poteſtatem alteri nubere; ſic pariter in noſtro caſu mulier non tenebitur ei reddere debitum, ipſa tamen non habebit poteſtatem alteri nubere.

§. TERTIUS.

De impedimento Ordinis.

a in ſuppl. q 53. art. 3 HOc impedimentum connexionem quamdam habet cum impedimento voti, adeòque *meritò à Div. Thom.* poſt ipſum proceditur ad iſtud, cum quidam ordines ſint, qui habent annexum votum continentiæ, & iſte ordo eſt ordo ſacer, iſte enim de ſui ratione habet ex quadam congruentia, quod matrimonium impedire debeat, eò quia in Sacris ordinibus conſtituti vaſa ſacra, & Sacramenta tractant, quapropter decens eſt, ut munditiam corporalem per continentiam ſervent; *ſic enim Iſaia legimus*, mundamini, qui fertis vaſa (*b*) Domini; igitur qui ordines ſacros ſuſcipiunt,

b Cap 52. ponunt impedimentum ad hoc, ut contrahere poſſint matrimonium juxta conſtitutionem Eccleſiæ *ſicu. habet in quadam decret.*, qui in ſubdiaconatu, & aliis ſuperioribus ordinibus uxores accepiſſe noſcuntur, eos uxores dimittere compellatis, *juxta & Concil. Tridentinum*.

At quia duplex eſt Eccleſia, *Orientalis*, & *Occidentalis*, quæ quamvis ſit una reſpectu unius fidei, & reſpectu credibilium, habet tamen diverſum modum procedendi; eſtque, quod apud Græcos impeditur matrimonium contrahendum ſolùm ex vi Ordinis, unde apud iſtos, & apud alios Orientales ſacer ordo impedit matrimonium contrahendum, non tamen impedit matrimonii prius contracti uſum, unde poſſunt matrimonio priùs contracto uti, licet poſt ſuſceptionem ordinis non poſſint matrimonium contrahere. Apud Latinos verò nedum ſacer ordo impedit matrimonium contrahendum ex vi Ordinis, verùm etiam ex voto continentiæ, quod eſt ordinibus ſacris annexum, quod etiam ſi verbotenus non emittatur, ut conſtat de Præsbyteris, qui in ſuſceptione ſacrorum ordinum hoc votum continentiæ non emittunt, attamen hoc ipſo, quod ordinem ſuſcipiunt, ſecundum ritum Occidentalis Eccleſiæ intelligitur emiſiſſe. Et *ideò Concil. Trident. ſtatuit*, (*c*) ſi quis dixerit, clericos in

c Seſſ. 24. can. 9. Sacris ordinibus conſtitutos, poſſe matrimonium contrahere, & contractum validum eſſe non obſtante lege Eccleſiaſtica; anathema ſit. Unde videtur, quod Sacer Ordo apud Eccleſiam Occidentalem impedit matrimonium, & etiam uſum ejuſdem; niſi fortè ignorante, aut contradicente uxore vir Sacrum Ordinem ſuſceperit; cum ex hoc non poſſit ei aliquod præjudicium generari, itaque videtur, quod Sacer Ordo etſi habeat contrarietatem ad matrimonium, illam tamen non habet, in quantum eſt Sacramentum, ſed habet repugnantiam ad ipſum ratione actus ſui, qui actus ſpirituales impedit.

Et quia diximus, *quod apud Græcos, & alios Orientales impedit Sacer Ordo matrimonium contrahendum, non tamen matrimonii prius contracti uſum, hinc* eſt, quod rectè ſequitur *id, quod docet Div. Th.*, (*d*) ordo ubique impedit matrimonium, licet non habeat ubique votum annexum: & quod iſte ſit ordo ſacer, *etiam ex Div. Thom. deducitur: inquit enim*, (*e*) illi, qui ſunt in minoribus *d Ib. ad 2.*

e Ib. ad 4. conſtituti ex vi Ordinis non prohibeatur matrimonium contrahere, licet enim Ordines minores deputentur ad aliqua ſpiritualia, non tamen immediatè habent acceſſum ad tractandum Sacra: Nihilominus tamen ſecundum ſtatum Occidentalis Eccleſiæ matrimonii uſus executionem ordinis non ſacri impedit propter ſervandum majorem honeſtatem in officiis Eccleſiæ, ob hoc autem clericis uxoratis apud Latinos privilegium clericale aufertur, quo gaudere ſolent illi, qui in ſtatu clericali adhuc perſeverant; juxta mentem Div. Thom., quia aliquis ex beneficio Eccleſiaſtico tenetur ad executionem Ordinis, & ex hoc ipſo privilegio clericali gaudet, ideò apud Latinos clericis uxoratis hoc aufertur. Diximus, *niſi fortè ignorante, aut contradicente uxore vir ordinem Sacrum ſuſceperit*, ut prius ſciant Epiſcopi, quanta diligentia uti debent circa ordinandos, ne fortè adveniat caſus, in quo uxorati ordinentur diſſentiente uxore, qui licet de facto recipiant ſacros ordines etiam reclamante uxore, adhuc tamen tenerentur ad matrimonii uſum propter redditionem debiti uxore petente, propter quam ſuſpendendi eſſent, ne ad Altare, & ad alia ſacra pertractanda cum immunditia corporali accederent; & ideò *hoc bene conſideratum ab Alexandro Tertio ipſe ſtatuit*, quod nullus conjugatorum ſit ad ſacros ordines promovendus, niſi ab uxore continentiam conſentiente fuerit abſolutus; tunc enim ſciens uxor, & de ejus conſenſu vir ejus ordinem Sacrum ſuſcipiens (quod eſt ordinem Sacrum ſupervenire matrimonio) tenetur etiam illa perpetuam continentiam vovere, non tamen tenetur religionem intrare, ſi ſibi non timeat de periculo caſtitatis ob hoc, quod vir ejus ſolemne votum emiſit, ſecus autem ſi emiſiſſet votum ſimplex; & tunc emiſit votum ſolemne, quando jam ordines Sacros ſuſcepit; & per iſtos homo actualiter divino cultui mancipatur; ſicut etiam per profeſſionem ad certam regulam; cæterum ſi ſine ejus conſenſu ordinem ſacrum ſuſceperit, non tenetur, eò quia ex hoc nullum præjudicium generatur; unde ſemper uxor poterit petere debitum, non tamen viro ſemper tenetur reddere, niſi voluerit; *nam docet Div. Thom.*, (*f*) quod vin- *f Ib. ad 5.* culum ordinis ſolvit vinculum matrimonii ratione redditionis debiti; ex qua parte habet repugnantiam ad matrimonium, ex parte ejus, qui ſuſcipit ordinem, quia non poteſt petere debitum, nec uxor ei tenetur reddere; Non tamen ſolvit ex parte alterius, quia ipſe tenetur uxori debitum reddere, ſi non poſſet eam inducere ad continentiam.

Ex quibus etiam videtur probabilius, ut etiam Græci non debeant accedere ad ſacros ordines ſine conſenſu uxorum, eò quia tempore miniſterii ſui defraudarentur debiti redditione, quo defraudari non poſſunt ſecundum ordinem juris, ſi eis contradicentibus, aut ignorantibus viri ordines ſuſceperint. Ergo habito tali conſenſu, quod ſit ſuus, ordines ſacros ſuſcipiat, ipſa uxor obligat ſe ad hoc, quod ipſa in perpetuum alteri nõ nubat; quoniam ſignificatio matrimonii non ſervaretur, quæ in matrimonio Sacerdotis præcipuè exigitur, poſſet tamen alteri nubere, ſi ſine conſenſu ejus vir ordinetur, & hæc apud Græcos.

Apud verò Latinos eſt prohibitio, quod aliquis ordenetus ad ſacros ordines, verùm etiam in Epiſcopatum, *juxta illud Alexandri Tertii dicentis*, Auctoritate Apoſtolica prohibemus, ne uxoratum præſumatis in Epiſcopum ordinare, niſi uxor prius profeſſa continentiam ſacrum ſibi velamen imponat, & religioſam veſtem, vel vitam aſſumat.

Deinde colligitur diſcrimen inter matrimonium, & ordinem conſiſtens in his, quod matrimoniũ poteſt impediri ex ordine præcedente, quod non ſit verum matrimonium, tunc enim & promittit, & tradidſe Deo, unde non eſt amplius in ſua poteſtate, ſe dare alicui ma-

Y ni

nifeſtium eſt enim; quod poſtquam aliquis rem, quæ erat ſuæ poteſtatis, alicui ſolùm promittit, ſed etiam non noo poteſtſſ eam ulteriùs alteri dare, Verbi Gratia Equum &c. non verò ex matrimonio, quod non ſit verus ordo; nam matrimonium babet pro cauſa noſtrum conſenſum, non autem ordo, ſed habet cauſam determinatam à Deo Sacramentalem tameo; Unde virtus Sacramentorum eſt immutabilis, actus verò humani impediri poſſunt. Quod magis videtur clarum ex *Div. Thom.* docente, (g) matrimonium non impedir ordinis ſacri ſuſceptionem, eò quia ſi matrimonio junctus ad ſacros ordines accedat, etiam reclamante uxore, nihilominus characterem ordinis ſuſcipit, executione tamen ordinis caret, ſi verò voleote uxore, vel quia defuncta recipit ordinem, & executionem. Unde bene ſtat, quod ordo ſacer matrimonio poſſit ſupervenire; & eò maxime quia, ſi aliquis poteſt fieri ſervos hominum poſt matrimoniom, ita & multò melius quis poteſt fieri ſervus Dei per ſuſceptionem Ordinis.

g in Supp. q. 53. a. 4.

§ QUARTUS.

De redditione debiti.

IN Voto, & Ordine multa tetigimus circa redditionem debiti, at ut pleniorem ootitiam de hac re habeamus, ſtatuimus hic ponere ea, quæ à *Div. Thoma* edocentur de eadem, ut eſt annexa matrimonio, de qua *&* *Apoſtolus ait*. (a) uxori vir debitum reddat, ſimiliter & uxor viro: ex qua auctoritate rectè deducitur, quod reddere debitum jam videtur eſſe de neceſſitate præcepti, cum ordinatum ſit ad foroicationem vitandam, *ut idem met ſubdit*, propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum habeat; Quod autem ſit ob fornicationem vitandam, certum videtur eſſe, eò quia iſta fornicatio non vitaretur, niſi unus alteri teneretur reddere debitum, quando concupiſcentia infeſtatur: unde & ſcire debent conjuges, quod matrimonium, quamvis poſſit eſſe ſine copula carnali, ut fuit inter Ioſeph, & Mariam ſemper Virginem, attamen videtur inſtitutum à Deo principaliter in officium naturæ, non ut ſatiaretur concupiſcentia more meretricio, ſed ut per debitum matrimonii generetur proles, & ideò dicitur, quod vir tenetur reddere debitum Uxori in his, quæ ſpectant ad generationem prolis, & meritò cum uxor in viro poteſtatem non habeat, niſi quantum ad regenerativam virtutem.

a p. 6. 7. ad Cor.

b in Suppl. q. 64. a. 1.

Addit tamen Div. Thom., ſalva tamen prius perſonæ incolumitate; quia quantum ad ea, quæ ſunt ad conſervationem individui, non ſemper tenetur, vel ratione infirmitatis, vel ratione ſolutionis jam factæ; *ideo benè ait Div Thomas*, (c) ſi ultrà exigat, non eſt petitio debiti, ſed injuſta exactio; nec vir propter hoc tenetur ſatisfacere uxori non habenti poteſtatem in corpus viri, niſi ſalva conſiſtentia perſonæ ipſius; quæ perſona viri ſi reddita eſt impotens ad ſolvendum debitum ex cauſa ex matrimonio ſecuta; videl. quando jam prius debitum reddidit, mulier tunc non habet jus petendi, & ſi inſtaret in petendo, dicendum eſt, quod magis meretricem, quàm conjugem ſe habet; & de illa poteſt dici illud, *quod ſcriptum eſt in l. Prov.* (d) de meretrice; veni, inebriemur uberibus, & fruamur capitis amplexibus, donec illuceſcat dies. Hinc edocemur, quod mulier prudens debet eſſe circa debitum petendum, ſicut & ſapiens, ne ſub ſpecie Sacramenti aliquando malum committat.

c ib. ad 2.

d cap. 7. 18.

Prudens ergo debet eſſe, ne petat debitum viro ſuo, dùm redditur impotens ex alia cauſa, ſc. jejunando, vel attenuando corpus ſuum, utpote cauſa licita; at ſi cauſa eſt illicita, originata *v.* ex fornicatione, vel ex adulterio, tunc peccatum uxoris, ſi propter debiti negationem in fornicationem labatur, aliquo modo ſibi imputatur, ad quod peccatum tollendum debet dare operam, quantum poteſt, ut uxor contineat; & hæc ſine dubio tenetur reddere debitum viro, etiamſi leproſus venerit, matrimonio ſecuto; *(diximus matrimonio ſecuto,)* quia lepra licet ſolvat ſponſalia, non tamen matrimonium: igitur tenetur ei reddere debitum; licet ex alia parte non teneatur ei cohabitare; & ratio hujus eſt, quia non ità citò inficitur ex coitu, ſicut ex frequenti cohabitatione.

Nec poteſt ſolvi à redditione debiti ob hoc, quod morbus ille frequenter tranſmittatur ad prolem; *juxta D. Th.* (e) quamvis proles generetur infirma, quia tamen melius eſt ei ſic eſſe, quàm penitus non eſſe, idcircò manifeſtum videtur ſentire, quod teneatur uxor reddere debitum viro etiam leproſo, ergo abſolutè tenetur reddere debitum viro, ſicut vir tenetur reddere debitum uxori petenti.

e ib. ad 4.

At quia petere debitum ſtat dupliciter, ut quando verbis invicem petunt, alio modo interpretativè, quando vir percipit per aliqua ſigna, quod uxor vellet ſibi reddi debitum, ſed ob verecundiam tacet; ideò vir tenetur reddere debitum uxori non petenti, quando tamen apparent aliqua ſigna in uxore voluntatis reddendi debiti; ob hoc dicitur, quod determinatum tempus non ſolùm eſt quando petitur, ſed quando timetur ex aliquibus ſignis periculum, *ſad quod vitandum ordinatur debiti redditio)*, niſi tunc reddatur.

Nec ex eo, quod expreſſè debitum non petat, debet vir præſumere, quod uxori placeat continere, quia licet vir poſſit habere hanc præſumptionem de uxore, *v.* quod ei placeat continere, & hoc quando in ea contraria ſigna non videat, attamen eſſet ſtulta præſumptio, quando in ea contraria ſigna videat, non reddere debitum: et ſcire debet, in redditione debiti medicamentum præſtari contra concupiſcentiam uxoris; & ideò vir debet evitare pericula imminentia, quæ ſequerentur, vel ſequi poſſent, ſi non redderet debitum ei, & facere, quod non petat; *unde docet D. Th.*, (f) quod non debet vir uxorem avertere etiam precibus, ne petat debitū, & quamvis hoc facere poſſit propter aliquam rationabilem cauſam, nihilominus tamen tunc non debet cum magna inſtantia averti, & hoc non ob aliud, niſi quia vir, & uxor in matrimonio ſunt æquales, *ut colligitur ex illo Paul* (g) qui poſtquam dixerit, uxori vir debitum reddat, ſimiliter, & uxor viro, *ſtatim ſubdit*, mulier ſui corporis non habet, ſed vir; ſimiliter, & vir poteſtatem ſui corporis non habet, ſed mulier, unde in hoc, quod eſt reddere debitum, in quo deperditur poteſtas ſui corporis proprii, videntur vir, & uxor æquales.

f in Suppl. q. 64. a. 3

g p. c. 7. ad Cor.

Nota, quod iſta æqualitas non eſt æqualitas quantitatis, *cum attenditur inter duas quantitates ejuſdem menſuræ, ut bicubitum ad bicubitum*, unde loquendo de hac æqualitate vir, & uxor non ſunt æquales in matrimonio, neq; ad actum conjugalem, in quo id, quod eſt nobilius, viro debetur, *inquit D. Th.* (h) vir namque eſt caput mulieris, neq; quantum ad diſpenſationem domus, in qua uxor regitur, & non regit, juxta ſententiam Dom. ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. *Et Paul. ad Cor. ait* (i) ſi quid autem volunt diſcere domi, ubi reguntur à viris, viros ſuos interrogent. *Et ad Tit. dixit* (l) domum curam habentes; non vero dixit, domus curam regentes, cum regere domum tantùm ad viros ſpectet. Cæterum videntur æquales vir, & uxor æqualitate proportionis (*hæc enim attenditur inter duas proportiones ejuſdem ſpeciei, ut dupli ad duplum.*) Nam ſicut tenetur vir uxori in actu conjugali, & diſpenſationa domus ad id, quod viri eſt, ita uxor viro ad id, quod uxoris eſt, & ideò redduntur æquales in reddendo, & petendo debitum, adeſt tamen differentia inter virum, & uxorē in ordine ad petendū debitum, ſicut & ad reddendum, quod uxor non tenetur reddere debitum viro non petenti, non .n. vir eſt ita verecun-

h in Suppl. q. 64. art. 5

i p. c. 14.

l cap. 2.

Digitized by Google

recundus ſicut mulier: licet vir teneatur reddere debitum uxor non petenti ob verecundiam; *juxta D. Th.*, (*m*) [m Ib. ad 2.] vir, qui nobiliorem partem habet in actu coniugali, naturaliter habet, quod non ita erubeſcat petere debitum, ſicut uxor: unde non uxor bene verò vir uxori non petenti tenere reddere debitum. Differentia, quæ per accidens ſe habet ad hoc, ut non poſſint dici æquales abſolutè, dicuntur tamen æquales æqualitate proportionis, quæ non tollitur per hoc, quod mulier ſit propter virum facta in matrimonio, ut definivit Dominus Deus, *dùm dixit*, faciamus ei adintorium ſimile ſibi. Unde *Div. Thom.*, (*n*) [n ib. ad 3.] ex hoc oſtenditur, quod non ſunt æquales abſolutè; non autem quod non ſint æquales ſecundum proportionem, quæ non tollitur ex eo, quod vir ſit caput mulieris in matrimonio; *eò quia docet Div. Thom.*, [o Ib. ad 4.] *licet* (*o*) caput ſit principalius membrum, tamen ſicut membra tenentur capiti in officio ſuo, ita & caput membris in ſuo; & ſic eſt ibi æqualitas proportionis, quæ conſiſtit, ut diximus, in reddendo, & petendo debitum, unde vir, & uxor tenentur adinvicem reddere debitum, cum poteſtas corporis unius ſit ſub poteſtate alterius, & è converſo; idcircò cum tàm mulier poteſtatem ſui corporis non habeat, ſed vir, quàm vir poteſtatem ſui corporis non habeat, ſed mulier; rectè exindè ſequitur, quod neuter poſſint emittere votum contra debitum matrimonii ſine mutuo conſenſu, *quod fundatur in illo Pauli ad Corint. dicentis*, (*p*) [p 1. cap. 7.] nolite fraudare invicem, (*loquendo de uxore*, *& viro*) niſi fortè ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos ſatanas propter incontinentiam veſtram.

Et quia *Div. Paulus dixit*, *niſi fortè ex conſenſu ad tempus*, hinc eſt, *quod Div. Thom. dicit*, (*q*) [q in ſuppl. q. 64. art. 4 ad 1.] ſatis probabile eſt, quod uxor debeat velle continere ad tempus pro ſubveniendo neceſſitati Eccleſiæ generalis, uti eſſet accipere Crucem in ſubſidium terræ ſanctæ, & ideò in favorem negotiorum, pro quibus Crux ſibi datur, inſtitutum eſt, ut vir poſſit abſque conſenſu uxoris Crucem accipere.

Nec hoc eſſet omninò ſubtrahi jus ſuum uxori, eò quia uxor poſſet eum ſequi, quod non currit de uxore ad virum, & meritò, quia vir debet regere uxorem, & non è contrà; & ſic magis uxor tenetur ſequi virum, quàm vir uxorem, & etiam quia uxor cum majori periculo caſtitatis diſcurreret per terras, quàm vir, & cum minori Eccleſiæ utilitate; ex quo poſtea ſequitur, quod uxor non poteſt hujuſmodi votum facere ſine viri conſenſu; hac verò neceſſitate ablata, ſcilicet accipiendi Crucem in ſubſidium Terræ ſanctæ, vir non poteſt votum continentiæ facere ſine conſenſu uxoris, vel ſimpliciter, vel ad tempus. Et quamvis vovere voluntatis ſit, ut nomen oſtendit, *tamen ait Div. Thom.*, (*r*) [r Ib. in o.] de illis tantùm bonis poteſt eſſe votum, quæ noſtræ ſubiacent voluntati, qualia non ſunt ea, in quibus unus alteri tenetur; ideòque videtur, quod ſi in talibus non poſſit aliquis votum emittere ſine conſenſu ejus, qui tenetur, cur nec vir, nec uxor cum ſibi invicem teneantur in redditione debiti, poteſt abſque conſenſu alterius continentiam vovere, & taliter non poteſt, quod ſi voverit, peccat, nec perinde debet ſervare votum, ſed agere pœnitentiam de voto malè facto.

Et licet peccet vovendo continentiam ſine conſenſu alterius, non peccat tamen alter coniugum diſſentiendo voto continentiæ alterius, & eò magis non peccat diſſentiendo, *ait Div. Thom.*, (*ſ*) [ſ Ib. ad 2.] quia non diſſentit, ut bonum illius impediat (quia licet certum ſit, quod impedire profectum ſpiritualem ſit peccatum in Spiritum Sanctum, quando votum ex voluntate propria ſine indigentia alterius conſenſus poteſt fieri, quod non accidit in præſenti) ſed ne præjudicium ſibi inferatur, & generetur; ſi ergo unus coniugum ſine conſenſu alterius votum continentiæ emittere nequit, & emittendo alter diſſentiens non peccat, quomodo ergo erunt audiendi illi, qui dicunt, quod unus abſque conſenſu alterius poteſt emittere, quod non petat debitum, non tamen quod non reddat? cum in primo uterque ſit ſui juris, & non in ſecundo? quod autem non ſint iſti audiendi, *jam docet Div. Thom.*, (*t*) [t Ib. ad 3.] adducendo hanc rationem, ſi enim alter numquam peteret debitum, ex hoc alteri nimis oneroſum redderetur, dùm oporteret unum confuſionem ſemper debiti petendi ſubire, ut autem ne hæc confuſio oriatur, ſed omninò è medio tollatur, dicendum eſt, nequaquam poſſe unum ſine conſenſu alterius vovere, & hoc ne impediatur debiti petitio contra actum matrimonialē.

At circa hanc petitionem debiti *ob ervat Div. Thom.*, (*u*) [u in ſuppl. q. 64 art. 5.] quod homo ob reverentiam Sacri diei debet ſe abſtinere ab illa, talè, vel talibus diebus; *nec per hoc*, *quod diximus*, *debet ſe abſtinere &c.*, videtur eſſe, & cadere ſub præcepto abſtinentia à petitione debiti, ſed potiùs de Conſilio; *ut deducitur ex Div. Thom.*, in diebus Sacris, hoc eſt in diebus illis, in quibus fit confeſſio, vel præparatio ad Sacro Sanctam communionem, non licet, (non enim ait, non debet, nec poteſt, ut percipiatur eſſe tantùm de Conſilio) petere debitum; & hoc quare? quia in illis præcipuè ſpiritualibus eſt vacandum; talis autem vacatio in ſpiritualibus non debet intelligi ſtricto modo, quaſi quod teneatur omnibus horis orare, ſed ſano modo, ſcilicet quod teneatur tota die, ſe conſervare idoneum adorandum; maximè quia tempore illo poſſunt alia adhiberi ad concupiſcentiam reprimendam, ut magis aptus ſit ad ſpiritualia, quia etſi actus matrimonialis culpa careat, tamen deprimit rationem propter carnalem delectationem, adeòque reddit hominem ineptum ad ſpiritualia, *juxta illud*, *quod dixit Paulus ad Rom.*, (*x*) [x cap. 8.] qui enim ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſapiunt; qui verò ſecundum ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus, ſentiunt; unde non oportet tunc miſcere ſpiritualia corporalibus.

Et quod non cadat ſub præcepto, poteſt colligi *ex illo Exodi*, (*y*) [y cap. 19.] quo in loco etſi habeatur, quod Dominus præcepit Moyſi, ut loqueretur filiis Iſrael, ne appropinquetis uxoribus veſtris, quando erant legem accepturi, quia per hoc non probatur, *inquit Div. Thom.*, (*z*) [z in ſuppl. q. 64. a. 5 ad 2.] quod ſit peccatum mortale, bene tamen, quod ſit incongruum, & admiſſo, quod tunc eſſet in præcepto, non poteſt tamen admitti, quod in ſtatu novæ legis ſub præcepto cadat; quoniam, ut ſubdit Div. Thom., multa ad munditiam carnis pertinentia exigebantur de neceſſitate præcepti in veteri lege, quæ carnalibus dabatur, quæ in nova lege non exiguntur, quæ eſt lex ſpiritus. *Hoc etiam deducitur ex Div. Thom. aſſerente non peccare mortaliter illum*, *qui in diebus Sacris debitum petit*, *immò aſſerit* petere debitum in talibus diebus non eſſe circumſtantiam aggravantem, nec trahentem in aliam ſpeciem peccati, & ideò non poteſt in infinitum aggravare, nec peccat mortaliter uxor, ſive vir, ſi in die feſto petat debitum; & de facto in confirmationem hujus dicitur, quod non fuerit punita illa mulier, *de qua Div. Gregorius in libro Dialogorum narrat*, [a lib. 1. c. 9.] quæ nocte cognita à viro, manè ad proceſſionem veniens à diabolo eſt arrepta, quia debitum reddidit, ſed hoc fuit, quia poſtmodum ſe temere ingeſſit ad divina contra conſcientiam; Unde videtur, quod ſolùm propter temeritatem non propter redditionem debiti arrepta fuit à diabolo; propter irreverentiam, quam exhibuit, hoc illi accidit. *Nam dicebat Paulus ad Coloſſ.*, (*b*) [b cap. 1.] qui iniuriam facit, recipiet id, quod iniquè geſſit.

Verùm ſubdit D. Th. (*c*) [c Ib. in o.] licet non peccet mortaliter uxor, ſive vir, ſi die feſto debitum petat, tamen gravius eſt peccatum, ſi ſola delectationis cauſa petatur, quàm ſi propter timorem, quo quis ſibi cavet de lubrico carnis, debitum petat; hoc enim (ſcilicet qui reddit debitum, debet conſentire petenti abſque eo, quod peccet) propter lubricum carnis divinitùs ordinatum, ut ſemper petenti debitum reddatur, ne aliqua occaſio peccati detur; omnia autem honeſtè, *dicebat Apoſtolus ad Corint.* (*d*) [d 1. cap. 14.] & ſecundum ordinem fiant; & dicendo omnia, includit

etiam honeſtatem carnalis cognitionis, qui enim totum dicit, nihil excludit; & tantò magis de honeſtate carnalis cognitionis, quantò abundatiorem honorem circumdamus circa ea, quæ in nobis vere- e I. ad Cor. 12. cundiora ſunt. *Hinc Paulus ad Corint.* multò magis, quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe, neceſſaria ſunt, & quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circumdamus; & quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem honeſtatem habent. *Et ad Teſſal. ajebat*, (*f*) f I. cap. 4. hæc eſt enim voluntas Dei ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis vos à fornicatione, ut ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore, ergo reddere debitum tenetur unus alteri quocumque tempore, & quacumque hora, *quia dicit Div. Thom.*, (*g*) li- g in ſuppl. q. 64. ar. 7. ad 2. cet pro tempore illo, in quo quis orare tenetur reddere debitum non debeat, tamen non eſt aliqua hora ad orandum determinata, ut non poſſit h I. Cor. cap. 7. recompenſari aliis horis; *etenim & Paulus teſtatur*, (*h*) nolite fraudare invicem, niſi ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi. Quare autem unus alteri teneatur debitum reddere quocumque tempore, & quacumque hora, non ob aliud, niſi quia mulier habet poteſtatem in corpore viri, quantum ad actum generationis, ſicut e converſo.

De impedimento conſanguinitatis.

HOc impedimentum dividitur in triplicem cognationem, *in carnalem*, & dicitur conſanguinitas; in *ſpiritualem*, & dicitur compaternitas; *& in legalem*, quæ dicitur adoptio. Juxta quam diviſionem nos procedemus per paragraphos tres, quibus addemus *& quartum de affinitatem*.

§. PRIMUS.

De cognatione carnali.

HÆc cognatio carnalis jam conſanguinitas nominatur, ſive mutua ſanguinis unitas, ſed antequam adveniamus ad perſonas in particulari, circa quas verſatur impedimentum matrimonii, prius eſt aſſignanda definitio conſanguinitatis à quibuſdam, a in ſuppl. q. 54. art. 1. *præcipuè à Canoniſtis tradita, & à Div. Thom.* (*a*) *unà cum omnibus aliis acceptata pro convenienti.*

Definitur itaque conſanguinitas, quod ſit vinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium carnali propagatione contractum.

Et explicatur, in primis ponitur ly *vinculum*, quaſi genus conſanguinitatis, ly *perſonæ deſcendentes ab uno ſtipite*, quarum eſt hujuſmodi vinculum, quaſi ſubjectum, & ly *carnalis propagatio*, quaſi principium. Et licet omnes homines ab eodem ſtipite carnali propagatione deſcedant ab Adam, non per hoc omnes homines conſanguinei ſunt adinvicem; nam, *ut ait D. Th.* b Ib. ad 1. (*b*) virtus generantis movet non ſolùm quantùm ad id, quod eſt ſpeciei, ſed etiam quantum ad id, quod eſt individui, ratione cujus filius aſſimilatur patri etiam in accidentalibus, & non ſolùm in natura ſpe- c Ib. ad 2. ciei; *juxta id, quod docet Div. Thom.*, (*c*) non ſolùm conſanguinei conveniunt in natura ſpeciei, ſed etiam in virtute propria ipſius individui ex uno in multos traducta; ex quo contingit quandoque, quod filius aſſimilatur non ſolùm Patri, ſed Avo, vel remotis parentibus.

Deinde ſubdit, nec tamen iſta individualis virtus Patris eſt ità perfectè in filio, ſicut erat in patre, & adhuc in nepote minus, & ſic deinceps debilitatur; & inde eſt, quod virtus illa quandoque deficit, ut ultrà procedere non poſſit. Hoc clarificatur ratione, virtus activa non recipitur ſecundum eâdem perfectionem in inſtrumento, ſecundum quam eſt in principali agente; & quia omne motum movens eſt inſtrumentum, inde eſt, quod virtus primi motoris in aliquo genere per multa media deducta tandem defuit, & pervenit ad aliquid, quod eſt motum, & non movens: Hinc ergo mirum non eſt, ſi in conſanguinitate hoc idem accidat, *maxime quia, ait Div. Thom.*, conſanguinitas eſt, in quantum multi communicant in tali virtute, ex uno in multos per propagationem deducta, paulatim ſe conſanguinitas dirimit, ac proinde non eſt opus accipere in data definitione ſtipitem remotum incipiendo ſcilicet ab Adam, à quo omnes duxerunt originem ex carnali propagatione, *juxta illud, quod Dominus mandavit illis, creſcite, & multiplicamini, &c.*; ſed eſt accipere in dicta definitione ſtipitem propinquum, cujus virtus adhuc maneat in illis, qui ex eo propagantur; propter quod *ſtipes* dicitur perſona illa, à qua alii duxerunt originem, & ſic conſanguinei dicuntur, quaſi ab uno ſanguine procedentes; Hoc *videmus & in Gen.* (*d*) quando dixit Dominus ad Abraham; egredere d Cap. 12. de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui: *Et in Exodo apertè hoc videtur per totum caput. Et in* e Cap. 6. *lib. Regum nobis teſtimonium facit illud Saulis*, numquid non f Reg. 1. c. 9. filius Gemini ego ſum, de minima tribu Iſrael, & cognatio mea noviſſima inter omnes familias de tribu Beniamin? Et deinde quid amplius, & unde quærere teſtimonia? Si jam habemus *Ex Luca*, (*g*) & fa- g Cap. 1. ctum eſt in die octavo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine Patris ſui Zachariam; & reſpondens mater ejus dixit; nequaquam, ſed vocabitur Joannes; & dixerunt ad illam, quia nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Unde his bene conſideratis adſunt aliqui, qui definiendo conſanguinitatem dicunt, eſſe attinentiam perſonarum ex eo procedentium, quod una deſcendit ab altera, vel ambæ ab eadem.

Quæ definitio, *ut ea debili cognitione, qualificat primam*, quia ſi in prima dicitur, quod conſanguinitas eſt *vinculum ab eodem ſtipite deſcendentium carnali propagatione contractum*; in ſecunda additur *perſonarum attinentia*, ſcilicet, ut per iſtam cognoſcamus magnam eſſe differentiam inter carnalem propagationem hominum, & animalium; tùm quia inter homines eſt attinentia perſonarum, quæ non eſt inter animalia; iſta namque quamvis denominentur animalia, numquam denominari poſſunt perſonæ, cum ſit rationalis naturæ individua ſubſtantia *teſte Boetio*; tùm quia animalia non coniunguntur ad amicitiæ unitatem propter propagationem multorum ex uno parente proximo, homines verò propter eamdem coniunguntur ad unitatem amicitiæ; & *hoc meritò inquit Div. Th. ex Ariſtotele*, (*h*) quia om- h Lib. 8. etich. c. 9. & 12. nis amicitia in aliqua communicatione conſiſtit; per quam una deſcendit ab altera, & per quam fit quædam ligatio, ſive unio; ex quo ſequitur, quod communicatio, quæ eſt amicitiæ cauſa, vinculum dicitur, & ſic ſecundum quamlibet communicationem denominantur aliqui, quaſi colligati adinvicem, ſicut dicuntur concives, qui habent politicam communicationem adinvicem; & hoc eodem modo illi, qui conveniunt in naturali communicatione dicuntur conſanguinei; propter quod vinculum, quod ex propagatione carnali contrahitur carnaliter, convenientius dicitur *conſanguinitas, quàm carnalitas*; eò quia non caro, ſed ſanguis emittitur, dum carnaliter copulantur vir, & uxor. Ex qua copula oritur propagatio carnalis, quæ conſanguinitas dicitur, & quod ita ſit, *hoc manifeſtatur ex Ariſtotele dicente*, (*i*) illud, quod proximè convertitur in ſemen, eſt ſanguis. Nec i Lib. 15. de anim. contra hoc obſtat, quod conſanguineus unus dicatur caro alterius, cum hoc ſolùm dicatur, in quantū ſanguis,

qui

Digitized by Google

qui in ſemen viri, aut in menſtruum convertitur, eſt potentia caro, & os: In ſemine namque eſt virtus producendi carnem, & oſſa, & in menſtruo eſt virtus præparatoria carnis, & oſſis: hinc dicitur potiùs, conſanguinitas, quàm carnalitas, quando unus conſanguineus dicitur eſſe caro alterius: quam conſanguinitatem exprimere voluit & Laban, *dùm dixit ad Jacob*, (l) os meum es, & caro mea; nam conſanguineus ejus erat, erat enim filius ſororis ſuæ; & deſcendebat ab eodem ſtipite carnali propagatione; Rebecca namque erat ſoror Laban, *ut habetur ibid.* (m) habebat autem Rebecca fratrem nomine Laban, & eam accepit Iſaac in uxorem, *nam ſubditur*; Iſaac introduxit eam in tabernaculum Saræ matris ſuæ, & accepit eam uxorem.

l Gen. c. 29
m cap. 24.

Conſanguinitas cum ſit quædam propinquitas in naturali communicatione fundata ſecundum actum generationis, qua natura propagatur, & cum iſta communicatio ſit triplex, hinc eſt, quod *rationabiliter à D. Thom.* (n) convenienter diſtinguitur per gradus, & lineas.

n in Suppl. q. 54. a. 2.

Prima eſt ſecundum habitudinem principii ad principiatum; & hæc eſt conſanguinitas Patris ad filium; *& ideò dixit Ariſtoteles in lib. Etich.* (o) quod parentes diligant filios, ut ſui ipſorum aliquid exiſtentes; Filius namque eſt aliquid Patris, unde mirum non eſt, ſi patres amant filios, ut aliquid ipſorum. *Quod facit & illud Eccleſiaſtici*: Mortuus eſt pater ejus, & quaſi non eſt mortuus; ſimilem enim reliquis tibi poſt ſe; & hoc quia pater videtur, quod quodammodo in filio exiſtat.

o Lib. 8 cap. 12.
p cap. 30.

Secunda eſt ſecundum habitudinem principiati ad principium, eſtque filii ad Patrem, *& ideò dicitur à Philoſopho ibid.*, quod filii diligunt parentes, ut ab illis exiſtentes; habent namque filii à parentibus eſſe per viam generationis, nutrimentum, quatenus ſuſtentatur in vita, & inſtructionem per viam educationis.

Tertia eſt ſecundum habitudinem eorum, quæ ſunt ab uno principio adinvicem, ut fratres dicuntur ex eiſdem naſci: Verùm quia punctus motus lineam facit, & per propagationem quodammodò pater in filium deſcendit, ideò ſecundum tres dictas habitudines tres lineæ conſanguinitatis ſumuntur, ſcil. linea deſcendentium ſecundum primam, linea aſcendentium ſecundum ſecundam, & linea tranſverſalis ſecundum tertiam; Ergo tres ſunt lineæ, quas conſanguinitas habet, & cum ſint tres lineæ, habebunt etiam aliquam diverſitatem conſiſtentem in diverſa ratione computandi gradus in diverſis lineis.

Gradus enim conſanguinitatis in linea aſcendentium, & deſcendentium contrahitur ex hoc, quod una perſona ex alia propagatur eorum, inter quos gradus conſideratur, & ideò ſecundum computationem canonicam, & legalem perſona, quæ primò in progreſſu propagationis occurrit, vel aſcendendo, vel deſcendendo diſtat ab aliquo, V. G à Petro in primo gradu, quæ verò ſecundò utrinque occurrit in ſecundo, & ſic de aliis.

Hoc totum explicatur in linea tùm aſcendentium, tùm deſcendentium; *Pater, & filius ſunt in primo gradu; Avus, & nepos in ſecundo gradu; Proavus, & pronepos in tertiò gradu; Abavus, & abnepos in quarto gradu*. Et primi in linea deſcendentium, ſecundi verò in linea deſcendentium: & idem dicitur de mulieribus. Quoniam quælibet perſona addita alicui facit gradum; non enim, *ait D. Th.*, propagationis motus quieſcit in uno termino, ſed ultrà progreditur.

Sciendum tamen eſt, quod identitas, & nimia diſtantia gradum conſanguinitatis tollunt; identitas namque, quia nullus eſt ſibi ipſi propinquus, ſicut nec ſibi ſimilis, propter hoc nulla perſona per ſeipſam facit aliquem gradum, ſed comparatus alicui perſonæ gradum facit ad ipſam: non per collectionem perſonarum, ſed per relationem quarumdam perſonarum adinvicem; *ut bene notat D. Thom.*, (q) conſanguinitas non eſt collectio, ſed relatio quædam perſonarum aliquarum adinvicem; quarum poſtea collectio lineam conſanguinitatis facit. Nimia diſtantia, quia certum eſt, quod quamvis omnes contraxerint originem ab Adam, non tamen omnes ſunt illi conſanguinei, ſicut nec filiis ejus, & nec filiis filiorum eorum, & ſic de aliis, qui nos longè ante præceſſerunt; *Et ideò D. Th. ſubdit*, (r) gradus propinquitatis non poteſt eſſe, ubi non eſt propinquitas.

q ib. ad 1.
r ibi ad 2.

Adeſt & tertia linea conſanguinitatis, & iſta eſt eorum, qui in linea tranſverſali ſunt, & contrahitur non ex hoc, quod unus eorum ex alio propagatur, ſed quia uterque propagatur ex uno, & ideò debet gradus conſanguinitatis in hac linea computari per comparationem ad unum principium, ex quo propagantur. *Aliter tamen, & aliter ſecundum leges, & ſecundum Canones; Secundum leges*, computando debemus reverti ad communem perſonam, hoc eſt ad ſtipitem & omnes perſonæ aſcendendo uſque ad ſtipitem, & inde deſcendendo computantur. Unde ſecundum hanc computationem frater, & ſoror, vel duo fratres attinent ſibi in ſecundo gradu, quia, *ut ait D Th.*, (ſ) uterque à communi radice diſtat per unum gradum, & ſimiliter filii duorum fratrum diſtant à ſe invicem in quarto gradu. *Secundum verò canones* non oportet reverti ad ſtipitem, unde duo fratres attinent ſibi in primo gradu, quia neuter eorum diſtat à communi radice, niſi per unum gradum, filii verò fratrum in ſecundo, filii filiorum fratrum in tertio, & filii filiorum, filiorumque fratrum in quarto; unde illi in tertio dicuntur nepotes, & illi in quarto dicuntur pronepotes, nec in linea tranſverſali dantur abnepotes, cum non detur quintus gradus impediens tamen Matrimonium. *Qui gradus ſecundum Canones numerantur à Zacharia Papa ...* *anno Domini 757. dixit enim*, Ego, & frater meus, una generatio ſumus, primumque gradum efficimus, nullo gradu diſtamus; filius meus, fratriſque mei filius, ſecunda generatio ſunt; & gradum ſecundum faciunt, nec à ſe aliquo gradu ſeparantur, atque ad hunc modum cæteræ ſucceſſiones ſunt habendæ; *Ab Alexandro verò in primis dicitur*, quod duo gradus legales unum gradum contrarium conſtituunt, itaque fratres, qui ſecundum ſeculares leges dicuntur in ſecundo gradu, juxta Canones numerantur in primo gradu, filii fratrum, quia illic numerantur in quarto, hic computantur in ſecundo, nepotes, qui ibi in ſexto, iſti hic numerantur in tertiò, ſic deinceps, qui legibus inſcribuntur in octavo, & decimo, in canonibus definiuntur in quarto, & quinto.

ſ ibid.

Subdit autem D. Th. ibid., tantùm enim diſtat à communi radice, quapropter ſecundum hanc computationem quarto gradu diſtat quis ab aliquo ſuperiori, toto diſtat à quolibet deſcendentium ab ipſo, & numquam minus, quia propter quod unumquodque tale, & illud magis. Unde etſi alii deſcendentes à communi principio conveniunt cum aliquo ratione principii communis, non poſſunt eſſe propinquiores deſcendenti ex alia parte, quàm ſit primum principium ei propinquum. Aliquando tamen plus diſtat aliquis ab aliquo deſcendente à communi principio, quàm ipſe diſtet à principio, quia ille fortè plus diſtat à communi principio, quàm ipſe, & ſecundum remotiorem diſtantiam oportet conſanguinitatem computari. *Hoc explicat Div. Thom.*, (t) licet pater, & patruus, hoc eſt frater patris, ſint in eodem gradu reſpectu radicis conſanguinitatis, quia uterque diſtat uno gradu ab Avo, tamen reſpectu ejus, cujus conſanguinitas quæritur, pater, & patruus non ſunt in eodem gradu. Pater enim eſt in primo gradu reſpectu filii, patruus verò non poteſt eſſe propinquior, quàm in ſecundo gradu, in quo pariter eſt Avus.

t ib. ad 6.

Rurſus ait D. Th., (u) ſemper duæ perſonæ in æquali numero graduum diſtant à ſe invicem, licet quandoque non æquali numero graduum diſtent à communi principio: *Et deinde ait*, (x) conſanguinitas dicitur major, vel minor dupliciter, uno modò intenſivè ex ipſa na-

u ib. ad 7.
x ib. ad 4.

Digitized by Google

tura conſanguinitatis, alio modo quaſi dimenſivè, ſic quantitas conſanguinitatis menſuratur ex perſonis, inter quas conſanguinitatis propagatio procedit; quo pacto etiam gradus conſanguinitatis diſtinguuntur: ideòque contingit, quod aliquorum duorum, qui ſunt in eodem gradu conſanguinitatis reſpectu alicujus perſonæ, unus eſt magis ſibi conſanguineus, quàm alius; conſiderando primam quantitatem conſanguinitatis, ſicut pater, & frater attinent alicui in primo gradu conſanguinitatis, ſiquidem ex neutra parte incidit aliqua perſona media; ceterum intenſivè loquendo magis attinet alicui perſonæ pater ſuus, quàm frater, quia frater non attinet ei, niſi in quantum eſt ex eodem patre; & ideò quantò aliquis eſt propinquior communi principio, à quo conſanguinitas deſcendit, tantò magis eſt conſanguineus, quamvis non ſit in propinquiori gradu, & ſecundum hoc propatruus, ſive etiam abpatruus eſt magis conſanguineus, quàm ejus pronepos, licet ſint in eodem gradu.

Conſanguinitas, quæ eſt de jure naturali, impedire Matrimonium, certum eſt, nam à prima ſui conditione hoc habuit natura humana, ut pater, & mater à Matrimonio excluderentur, *juxta illud Gen.* (y) [y cap. 2.] propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, quale dictum cum non poſſit intelligi quantum ad cohabitationem; ſiquidem iſta cohabitatio quampluries eſt neceſſaria ſaltem quoad tempus aliquod, & ut enutriri, & educari poſſint filii à parentibus, hinc eſt, quod oportet, ut intelligatur quoad Matrimonii conjunctionem, & taliter excluduntur, ut nemo circa hoc diſpenſare poſſit, nec Papa, cum & ipſe ſit juri naturali ſubiectus, unde non eſt ſupra ipſum, ut illud tollere poſſit, & ideò in primo gradu nequit diſpenſate, æquè bene tamen diſpenſare poteſt in ſecundo, tertio, & quarto gradu, cum iſti gradus ſolùm ſint de jure poſitivo, & Eccleſiaſtico; hoc autem dicitur, *quia licet* [z cap. 20.] *in Levitico* (z) *præceperit Deus, ne commiſcerentur Hæbrei cum conſanguineis ſuis*, ne revelarentur turpitudines eorum, attamen ſi bene attendatur, videbitur, quod ibi Deus non dixit tantùm præcepta, ſed addidit & judicia, non dixit tantùm ſecundum leges meas, ſed addidit & judicia, unde dixit, facietis judicia mea, & præcepta mea ſervabitis; cuſtodite leges meas, atque judicia: & ideò dicendum eſt, hujuſmodi præcepta non eſſe ſimpliciter moralia, bene verò partim moralia, & partim judicialia, moralia quantum ad Patrem, & matrem, judicialia verò quantum ad determinationem tot perſonarum: Ex quo rectè ſequitur, quod primus gradus indiſpenſabilis eſt, ceteri verò diſpenſabiles; non quia lex vetus fuit abrogata per novam, ſiquidem quæcumque ſunt de jure divino, ſive in veteri lege, ſive in lege nova indiſpenſabilia ſunt auctoritate humana, ergo dicendum eſt, non eſſe ſimpliciter moralia illa præcepta, ut habeant impedire Matrimonium cum conſanguineis.

Deinde dicendum eſt, quod etiam impeditur hoc, ſi attendatur ad finem Matrimonii, iſte enim, *inquit* [a in Suppl. q. 54. ar. 3.] *Div. Thom.*, (a) per ſe, & primò eſt bonum prolis, quod quidem per aliquam conſanguinitatem ſcilic. inter Patrem, & filiam, vel filium, & matrem impeditur, non quidem ut totaliter tollatur, quia filia ex ſemine Patris poteſt prolem ſuſcipere, & ſimul cum Patre nutrire, & inſtruere, in quibus bonum prolis conſiſtit: ſed non ut convenienti modo fiat; utpotè quia inordinatum eſt, quod filia Patri in Matrimonio jungatur in ſociam cauſæ generandæ, & educandæ prolis, quod oportet per omnia Patri eſſe ſubiectam, vel ut ex eo procedentem.

Quapropter de lege naturali eſt, ut Pater, & mater à Matrimonio repellantur; *ſecundum illud, quod habetur in Levit.*, (b) [b cap. 8.] turpitudinem Patris tui, & turpitudinem matris tuæ, ne diſcooperies; & magis mater, quàm Pater debent à Matrimonio repelli, quia ibid. additur, mater tua eſt, non revelabis turpitudinem ejus: & meritò magis mater debet repelli à Matrimonio ob evitandam majorem infamiam, quæ oriretur ex cognitione Matris: Nec tantùm mater debet repelli à Matrimonio, ne reveletur turpitudo ejus, ſed etiam uxor Patris ſui, illa Videl. quæ vel ex ſecundo voto Matrimonii à Patre accepta fuerit in Matrimonium, hæc enim vera mater non eſt, *juxta legem Euangelicam*, in qua prohibetur pluralitas uxorum, quæ tamen in antiqua lege admittebatur, utpote quia lex carnalis, non ſpiritualis erat, hinc eſt, quod illa poterat eſſe uxor Patri, abſque eo, quod eſſet mater illius, cui prohibebatur revelare turpitudo uxoris Patris ſui, ut apertè colligitur ex verbis ſequentibus, turpitudinem uxoris patris tui ne diſcooperies, turpitudo enim patris tui eſt; quod magis provenit etiam ex reverentia, *ut ſtatim additur à Div. Thom.*, quæ debetur parentibus, illi enim magis reverentiæ derogatur, ſi filius matrem, quàm ſi Pater filiam ducat in uxorem, cum uxor viro aliqualiter debeat eſſe ſubiecta.

Diximus ſupra, quod *illud Geneſis, propter hoc relinquet homo Patrem, & matrem*, intelligitur non quantum ad cohabitationem, ſed quantum ad Matrimonii conjunctionem, *nam ſubditur, & adhærebit uxori ſuæ*.

Hoc diximus, quia ut certum ſciendum eſt, quod non quantum ad omnia deſeritur Pater, & mater propter uxorem, cum ex quibuſdam magis debeat homo aſſiſtere parentibus, quàm uxori; at quantum ad unionem carnalis copulæ, relictis omnibus parentibus, homo adhæret uxori; quæ tamen ſi eſt diligenda, ut tenetur, non eſt diligenda ſecundum rationem boni, quod eſt obiectum dilectionis, cum ſecundum iſtam rationem magis ſint diligendi parentes, quàm uxores, quia, *ut ait Div. Thom.*, (c) diliguntur ratione [c 2.2. q. 26 ar. 11.] principii, & eminentioris cujuſdam boni; eſt tamen magis diligenda ſecundum rationem conjunctionis, cum uxor conjungatur viro, ut una caro exiſtens, *ſecundum illud Matt.* (d) jam non ſunt duo, ſed una caro, [d cap. 19.] & ideò intenſiùs diligitur uxor, ſed maior reverentia debetur exhibere parentibus.

Ut autem intenſiùs diligatur uxor, notent illi, qui accedunt ad nuptias, quod quatuor requiruntur ad hoc, ut uxores ducant.

Primò, qualiter ſit eligenda. Eſt enim eligenda diſcretè uxor, non ſubitò, nec præcipitanter rapienda, quia talis fervor in principio parit pœnitentiam in futuro, *adeſt exemplum de Sichem filio Nemor Hævei*, (e) qui [e cap. 34. Gen.] cum vidiſſet Dinam filiam Liæ, adamavit eam, & rapuit, & dormivit cum illa, & conglutinata eſt anima eius cum ea, triſtemque delinivit blanditiis; unde videtur mori potius voluiſſe, niſi eam ducere poſſet; hoc autem fecit in tanto fervore, quod pro eius amore ſe, & populum ſuum, erat enim princeps terræ illius, totum circumcidi permiſit. Ob cuius facti præcipitationem interſectus eſt cum populo ſuo per fratres Dinæ; & ecce die tertio, quando graviſſimus vulnerum dolor eſt: arreptis, duo filii Jacob Simeon, & Levi fratres Dinæ, gladiis ingreſſi ſunt urbem confidenter: interfectiſque omnibus maſculis; Nemor, & Sichem pariter necaverunt. Non ergo in eligenda uxore habeatur totaliter aſpectus ad formam, vel ad ſpeciem mulieris, quia propter ſpeciem mulieris multi perierunt; *dixit Eccl.* (f) Non ad divitias, non ad parentes, ſed præ- [f cap. 9.] cipuè ad bonos mores, *ſicut ſcriptum eſt in lib. Proverb.*, (g) Domus, & divitiæ dantur à parentibus, à Domi- [g cap. 19.] no autem propriè uxor prudens.

Secundò qualiter ſit regenda; eſt enim regenda uxor manſuetè, non cum tyrannica poteſtate, auſteritate, vel rigore; verbis, non verberibus, amore, non timore, dulcedine, non amaritudine: *ſic ſcripſit & Paulus ad Coloſſen.*, (h) viri diligite uxores veſtras, [h cap. 3.] & nolite amari eſſe ad illas: ſed memores debent eſſe, quomodo Deus ædificavit coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem. Hoc autem Sapientiſſimè fecit, non ad caſum: *tùm quia docet Divus Thomas*, (i) hoc fuit conveniens ad ſignificandum, [i 1 p. q. 92 ar. 3.] quod inter virum, & mulierem debet eſſe ſocia-

lis

Digitized by Google

lis conjunctio, neque enim mulier debet dominari in virum, & ideò non fuit formata de capite. Et quia neque debet à viro deſpici, tanquam ſerviliter ſubiecta, ideò non fuit formata de pedibus, ſed de coſta, aſſumpta de latere, in ſignum, quod nec debet eſſe Domina, nec ancilla, ſed ſocia viro ſuo; & ideò regenda eſt manſuetè, ita ut tale regimen cum concordia ſit.

l cap. 25. 3 *Unde dicebat Eccl.*, (*l*) in tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo, & hominibus, concordia fratrum, & amor proximorum; & vir, & mulier bene ſibi conſentientes.

Tertiò qualiter ſit corrigenda. Eſt enim corrigenda uxor non cum confuſione, vel verecundia publicè vel contemptibiliter arguenda. *Habemus exemplum in Job*, (*m*) m cap. 2. qui uxorem, licet peſſimã, ſecretè, & modeſtè arguebat; *dùm dixit illi*, adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? benedic Deo, & morere; qui ait ad illam; quaſi una de ſtultis mulieribus locuta es? Unde notate, quod *Job* non dixit abſolutè, quod fuit ſtulta; ſed modeſtè, quaſi una de ſtultis mulieribus; unde ſubditur in omnibus his non peccavit Job labiis ſuis, eò quia non iracundè reſpondit ad mulierem, ſed pacato animo, & quod ita ſit, *ſubdit*, ſi bona ſuſcepimus de manu Dei, quare mala non ſuſcipiamus?

Quartò qualiter ſit diligenda; diligenda eſt namque uxor completè; debet eſſe ergo inter virum, & uxorem maximam dilectionem, maximam charitatem, maximamque amicitiam. *Hæc omnia habemus ex Paulo ad Epheſ.* (*n*) n cap. 5. *in primis namque ſcribit*, viri diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, hæc enim, quod fuerit maxima dilectio Chriſti, conſtat, *dùm ſubdit*, & ſeipſum tradidit pro ea. *Secundò dixit ibid.*, viri diligere debent uxores ſuas, ſicut & corpora ſua. Quis enim eſt iſte, qui ſeipſum, & corpus ſuum non amet? & charitatem erga ſeipſum non faciat? mala fugiendo, bona proſequendo, & omnia, quæ ad charitatem pertinent, exequendo? *Tertiò ibid. ſcripſit*, unuſquiſque uxorem ſuam, ſicut ſeipſum diligat; nemo enim inimicus ſui eſt; ſed in omnibus juvat ſeipſum, tantùm valeat amor amicitiæ, quam jam à nativitate contraxit circa ſemetipſum; ſic & amor amicitiæ debet valere erga uxorem ſuam, ſtatim ac ipſam cognovit carnaliter ſciens, quod non jam duo, ſed una caro ſunt; *unde & addit Apoſtolus loco citato*, qui autem ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit.

Diximus, *quod finis Matrimonii per ſe primò eſt bonum prolis &c.* Quia finis Matrimonii ſecundarius per ſe eſt concupiſcentiæ repreſſio, *unde dicebat Paulus ad Corint.* (*o*) o p. cap. 7. propter fornicationem unuſquiſque ſuam uxorem habeat; talis verò finis abſque dubio reperiret, ſi quælibet conſanguinea poſſet in Matrimonium p 26. in o. duci: *id verò ait Div. Thom.*, (*p*) magnus concupiſcentiæ additus præberetur, niſi inter illas perſonas, quas oportet in eadem domo converſari, eſſet carnalis copula interdicta. Qua de cauſa Deus ne dùm patrem, & matrem à Matrimonio excludit, verùm etiam alias conjunctas perſonas, quas oportet ſimul converſari, & quæ debent invicem altera alterius pudicitiam cuſtodire. q cap. 18. *Ut colligitur ex illo Levitici*, (*q*) quoniam præcepit Dominus Deus, quod omnis homo ad proximum ſanguinis ſui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus: ſic enim poſtquam dixerit de turpitudine patris, & matris, ut non reveletur, ſicut quod non debeat revelari turpitudo uxoris patris ſui, ſtatim, & immediate ſubdit, turpitudinem ſororis tuæ ex Patre, ſive ex Matre (*per quod magis explicatur id, quod nos diximus de Uxore Patris tui,*) quæ domi, vel foris genita eſt, (*per quod licet tollatur actualiter converſatio, ſive cohabitatio, remanet tamen ſemper illa radicalis,*) non revelabis, & ecce primus gradus.

Turpitudinem filiæ filii tui, vel neptis ex filia non revelabis, quia turpitudo tua eſt; & ecce ſecundus gradus, & tertius gradus. Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, quam peperit patri tuo, & eſt ſoror tua, non revelabis. Turpitudinem ſororis patris tui, (*& dicitur Amita, & eſt ſecundus gradus illorum aſcendentium,*) non diſcooperies; quia caro eſt patris tui: Turpitudinem ſororis matris tuæ non revelabis, eo quod caro ſit matris tuæ. Turpitudinem patrui tui, (*& eſt frater patris tui,*) non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur. Turpitudinem nurus tuæ, (*& eſt filii uxor*) non revelabis, quia uxor filii tui eſt; nec diſcooperies ignominiam ejus: Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia turpitudo fratris tui eſt: Turpitudinem uxoris tuæ, & filiæ ejus non revelabis, filiam filiæ ejus, & filiam filiæ illius (*& ecce quartus gradus illorum deſcendentium*) non ſumes, ut reveles ignominiam ejus, quia caro illius ſunt, & talis coitus inceſtus eſt. Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies (*pellicatus idem ſonat, ac actus, quem pellex, hoc eſt adultera exercet,*) nec revelabis turpitudinem ejus adhuc illa vivente: quæ tamen prohibitio, ut advertit Dominus Cajetanus, r 2. 2. q. 154 a. 9 parag. ad evidentiã horum. (*r*) non eſt propter inceſtum, ſiquidem iſte committeretur etiam ipſa mortua: ſed propter diſcordiam vitandam inter ſorores: ex quo magis corroboratur id, quod ſuperius diximus non eſſe præceptum præcisè morale, ſed etiam judiciale.

Nihilominus tamen videtur manifeſtè ex omnibus dictis, quomodo Deus præcepit, ne homines commiſceantur cum perſonis conjunctis, cum illis, Vid. quas oportet magis converſari: *ac proinde ſubdit Div. Thom.*, per accidens tamen finis Matrimonii eſt confederatio hominum, & amicitiæ multiplicatio, dùm homo ad conſanguineos uxoris, ſicut ad ſuos ſe habet, & ideò huic multiplicationi amicitiæ præjudicium fieret: ſi aliquis conſanguinitate conjunctam uxorem duceret: quia certum eſt, quod nova amicitia tunc per Matrimonium nulla accreſceret: ideòque ſecundum leges humanas, & ſtatuta Eccleſiæ plures conſanguinitatis gradus ſunt à Matrimonio ſeparati, ac per conſequens videtur, quod conſanguinitas quantum ad aliquas perſonas impedit Matrimonium de jure naturali, ut conſtat de patre, & matre, quantum ad aliquas ex divina lege, & jure divino: *ut conſtat ex Levitico, loco citato*, & quantum ad aliquas de jure per homines inſtituto, ut conſtat de confederatione novæ amicitiæ reſultante per Matrimonium, ut ſcil. ne impediatur.

In confirmatione horum *ſtatuit ipſum Concil. Trident.*, (*ſ*) ſi quis ultrà gradus prohibitos ſcienter Matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſ- ſ Seſſ. 24 de Refor. cap. 5. penſationis conſequendæ careat: idque in eo multò magis locum habeat, qui non tantùm Matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit. Quod ſi ignoranter id fecerit: ſiquidem ſolemnitates requiſitas in Matrimonio contrahendo neglexerit, eiſdem ſubiiciatur pœnis. Non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facilè experiatur, cujus ſalubria præcepta temerè contempſerit. Si verò ſolemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod poſtea ſubeſſe cognoſcatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, & gratis diſpenſari poterit.

In contrahendis Matrimoniis vel nulla detur diſpenſatio, vel rarò, idque ex cauſa, & gratis concedatur. *Concilium enim illud, quod decrevit à Sacroſanctis Evangelis fundamentum accepit, habetur namq; Matt.* (*t*) Chri- t cap. 10. ſtum Dominum dixiſſe diſcipulis ſuis, gratis accepiſtis, gratis date: ſciebat enim Chriſtus, quod avaritia facit homines contemptores Eccleſiæ, & beneficiorum Dei: In ſecundo, *ſubdit Concilium*, gradu numquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam, quæ eſt tranquillitas pacis. Conſtat ergo, quod gradus conſanguinitatis habent impedire, ne quis contrahat Matrimonium, & hoc per ſtatuta Eccleſiæ præter legem naturalem.

Etſi aliqui barbaræ nationis parentibus carnaliter commiſceantur, hoc non procedit ex lege naturali, qua non carent in aliis officiis naturæ, ſed ex concupiſcentiæ ardore, qui legem naturæ in eis offuſcavit, immò eamdem legem propter eumdem ardorem totaliter abſtulit: Unde & pejores animalibus facti ſunt: *Nam teſte Philoſopho*, in quibuſdam anima- u Lib. 9. Animal. cap. 47.

 libus

[x ib. ad 1. ... 2. q. 171. a 9. ad 5.] [z Lib. 12. de Agric. cul ura,] ibus abhorret filius cognoſcere matrem carnaliter, quamdiù manet in ipſo cognitio matris, & reverentia quædam apud ipſam, *ut de Camelo, & equo patet. Hoc teſtimonium Ariſtotelis approbatur à D. Th.*, (x) *cùm hic, tùm verò dùm dixit*, (y) quidam equus, quia deceptus fuit, ut matri commiſceretur, ſeipſum præcipitavit, quaſi pro horrore, eò quod etiam animalibus aliquibus ineſt naturalis reverentia ad parentes; *& de alio equo narratur à Marco Tullio Cicerone*, (z) quod fuit quidam paſtor, qui clauſis oculis cujuſdam equi propter repugnantiam, quam habebat cognoſcendi carnaliter matrem ſuam, clauſis ergo oculis illam cognovit, ac ſtatim ablatis ab oculis impedimentis cum viderit habuiſſe rem cum matre ſua, reverſus, excitatus ab ira, ad Paſtorem, illum morſibus, ac pedibus occidit; ſi ergo animalia carentia ratione abhorrent cognoſcere carnaliter matrem ſuam durante cognitione, ob reverentiam ad ipſam; quanta major reverentia debet eſſe in hominibus erga matrem, in quibus ſemper debet perſeverare cognitio ejuſdem, ne reveletur turpitudo ejus.

[a Lib. 15. cap. 16.] Diſcant fratres, & ſorores adinvicem honorare, & non ſe cognoſcere carnaliter, ſciant utique, quod tunc non compellit neceſſitas, & ideò damnatur commixtio. Audiant *Auguſt. dicentem de Civit. Dei*, (a) commixtio ſororum, & fratrum quantò fuit antiquior, compellente neceſſitate, tantò poſtea facta eſt damnabilior religione prohibente. Diſcant & Patres non cognoſcere filias ſuas carnali copula propter conſanguinitatem, & ſciant non ſolùm apud Deum eſſe puniendos, ſed etiam apud homines, nam & forum ſeculare hos damnat tanquam indignos, impios, infames ob hoc maximum inceſtuoſum delictum; Nec ſuffragari poteſt illud de Eva, iſta namque etſi ex Adam prodierit, attamen filia Adæ non fuit, cum non prodierit ex illo ſecundum modum illum, quo vir natus eſt generare ſibi ſimile in ſpecie, ſed operatione divina, qua ita potuiſſet ex coſta Adæ fieri unus equus, ſicut facta eſt Eva; Unde per hoc excluditur naturalis convenientia Evæ ad Adam, quæ non excluditur convenientia naturalis filiæ ad Patrem, ſicut excluditur & naturale principium, cum Adam non fuerit naturale principium Evæ, ſicut pater eſt naturale principium filiæ.

[b cap. 10.] [c Seſſ. 24. can. 3.] [d in Suppl. q. 54. a. 4.] Quod autem conſanguinitatis gradus Matrimonium impedientes potuerint taxari ab Eccleſia, cujus præceptum habet firmitatem, ſicut præceptum Dei, *ſatis colligitur ex illo Lucæ*, (b) quando dixit Dominus diſcipulis ſuis, qui vos audit, me audit; & ſic Eccleſia quandòque prohibuit, quandòque conceſſit aliquos gradus, quod lex vetus non prohibuit, *quod etiam determinatum fuit à Concil. Trident.*, (c) ſi quis dixerit, eos tantùm conſanguinitatis, & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, poſſe impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare, aut conſtituere, ut plures impediant, & dirimant, anathema ſit. Videtur ergo, quod illi gradus, quos Eccleſia prohibuit, Matrimonium impediant. *Ex hoc juxta D. Th.*, ex cujus doctrina habemus, ſecundum diverſa tempora invenitur conſanguinitas ſecundum diverſos gradus Matrimonium impediſſe. In principio namque generis humani ſolus Pater, & ſola Mater à Matrimonio repellebantur ob hominum paucitatem, quæ tunc temporis erat; & ideò non erant removendæ, niſi illæ perſonæ, quæ Matrimonio incompetentes erant, etiam quantum ad finem principalem Matrimonii, qui eſt bonum prolis; ac per conſequens tunc temporis non aſſignabantur gradus conſanguinitatis, vel affinitatis, nam fratres, & ſorores adinvicem jungebantur in Matrimonium.

Multiplicato verò genere humano per legem Moyſi plures perſonæ ſunt exceptæ, quæ jam concupiſcentiam reprimere incipiebant. Quapropter *teſte Rabbi Moyſe* rectè ſequebatur, quod omnes illæ perſonæ exceptæ eſſent à Matrimonio, quæ in una familia cohabitare ſolebant; ne daretur de facili aditus ad incentivum libidinis; alios verò conſanguinitatis gradus lex vetus permiſit, immò quodammodo præcepit, ut ſc. de cognatione ſua unuſquiſque uxorem acciperet; ne ſucceſſionum confuſio eſſet; quia tunc temporis cultus divinus per ſucceſſionem generis propagabatur. Poſtmodum verò in lege nova, quæ eſt lex ſpiritus, & amoris, utpotè lex gratiæ (*de qua, ſicut & de aliis legibus videbimus Deo dante*) plures gradus conſanguinitatis ſunt prohibiti, quia jam per ſpiritualem gratiam, non per carnis originem cultus Dei derivatur, & multiplicatur. Unde oportet, ut homines etiam magis à carnalibus retrahantur, (*ſic & Petrus Princeps illius catervæ regalis indicabat fidelibus, dùm dicebat*, (e) abſtinete vos à carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam) ſpiritualibus vacantes, attendentes ad id tantùm, quod attinet ad Sacramentum Matrimonii; educantes prolem ſecundum legem, Deique præcepta; & ut amplius amor diffundatur, ideòque antiquitùs uſque ad remotiores gradus conſanguinitatis Matrimonium impediebatur, ut ad plures per conſanguinitatem, & affinitatem naturalis permaneret amicitia; & rationabiliter uſque ad ſeptimum gradum, eò quia ultrà hoc non de facili remanebat communis radicis memoria: ceterum circa hæc ultima tempora reſtrictum eſt Eccleſiæ interdictum uſque ad quartum gradum, quia ultrà inutile, & periculoſum erat gradus conſanguinitatis prohibere; Inutile, quia ad remotiores conſanguineos, quaſi nullum fœdus amicitiæ majoris, quàm ad extraneos habebatur, charitate in multorum cordibus frigeſcente. [e 1 Petr. cap. 2.]

Periculoſum, quia concupiſcentia, & negligentia prævalente numeroſam conſanguineorum multitudinem homines non ſatis obſervabant; & ſic laqueus damnationis multis iniiciebatur ex remotiorum graduum prohibitione: & ſic ab Eccleſia determinatur, quod prohibitio iſta ſe extendat, ſolùm uſque ad quartum gradum, *& ſi quis dixerit oppoſitum, Concil. Trident* (f) *illum anathematizat; ſic itaque ſtatuit*, ſi quis dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe, anathema ſit. Quod autem ſatis convenienter uſque ad quartum gradum, prohibitio iſta reſtricta ſit: *ſatis demonſtrat ibid. D. Th.*, eò quia uſque ad quartam generationem homines vivere conſueverant: ut ſic non poſſit conſanguinitatis memoria aboleri. Unde Deus in tertiam, & quartam generationem peccata parentum ſe viſitaturum in filiis comminatur, *ſicut legitur Exodi*, (g) Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me. Unde ut non viſitet Deus peccata patrum in filios in tertiam, & quartam generationem, reddantur obbedientes Eccleſiæ præcipienti, ne homines coniungantur cum illis mulieribus, quæ conſanguineæ ſunt illis, & infra quartum gradum ſunt conſanguinitatis; quia certum, & indubitatum eſt, *ut ait D. Th.*, (h) quod ſicut Deus non conjungit illos, qui conjunguntur contra præceptum divinum, ita nec conjungit illos, qui conjunguntur contra Eccleſiæ præceptum, quod habet eamdem firmitatem, & efficaciam obligandi, quam habet divinum præceptum: ex quo conſtat, quomodo intelligendum *ſit illud Matt.*, (i) *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*; V. quod Deus conjunxit juxta præceptum divinum, vel juxta præceptum Eccleſiæ, nullus homo ſit, qui in ſe audeat ſumere facultatem ſeparandi; ex quibus ſequitur, quod Deus non conjungendo illos, qui contra præceptum Eccleſiæ conjunguntur, conſequenter non conjungit illos, qui conjunguntur infra quartum conſanguinitatis gradum. [f Seſſ. 24. can. 6.] [g cap. 20.] [h ib.] [i cap. 19.]

Diximus, *quod Deus non conjungit illos, qui conjunguntur contra Eccleſiæ præceptum*, quia Matrimonium non ſolùm eſt Sacramentum, ſed etiam eſt in officium; ideòque magis ſubiacet ordinationi miniſtrorum Eccleſiæ: nec hoc videatur mirum, quia ſicut contractus, & officia humana determinantur legibus humanis, ita contractus, & officia ſpiritua-

lia

Digitized by Google

ſia lege Eccleſiæ : & ecce diſparitas inter baptiſmum, & matrimonium, quod ille v. baptiſmus ſubjacet ſoli ordinationi divinæ, immò de jure divino eſt, taliter, quod ſi quis non lavaretur aqua baptiſmali, prohiberetur illi introitus ad regnum cælorum; hoc autem, ſ Matrimonium, ſubjacet etiam ordinatione Eccleſiæ, *ut jam diximus cum Concilio Trident.* quæ etiam ſuo ſtatuto non facit, quod aliqui ſint, vel non ſint conſanguinei, (ſiquidem ſecundum omnes tempus æqualiter conſanguinei remanent, ſed facit, quod carnalis copula ſit licita, vel illicita, ſecundum diverſa tempora in diverſis gradibus conſanguinitatis; ac proinde ſequitur, quod rationes, quæ aſſignatæ fuerunt circa numerum graduum magis videantur eſſe datæ per modum adoptionis, & congruentiæ, quàm per modum, cauſæ, & neceſſitatis.

Diximus *ſecundum diverſa tempora &c.* quia non eſt eadem cauſa ſecundum diverſa tempora gradus conſanguinitatis, prohibendi, & ideò mirum non erit, quod illud, quod aliquo tempore utiliter conceditur, alio ſalubriter prohibetur; ex quibus reſtat intelligendum, quod ſtatutum Eccleſiæ non imponit modum præteritis, & futuris, quapropter ſi nunc ab Eccleſia (quæ, *ut diximus unà cum Conc. Tridentin.* poteſt conſtituere, ut plures gradus conſanguinitatis impediant, & dirimant,) prohiberetur quintus gradus, illi, qui ſunt in quinto gradu conjuncti, non eſſent ſeparandi, quia certum eſt, quod nullum impedimentum matrimonii ſuperveniens ipſum dirimere poteſt; poteſt etiam dici, quod tunc non ſepararentur, quia ab Eccleſia non deſtsudarentur poſſeſſione legitima, in qua ab eadem conjuncti fuere. De reliquo tamen ſi aliquis in quinto gradu poſt prohibitionem Eccleſiæ conjungeretur, proculdubio efficeretur illa conjunctio per ſtatutum Eccleſiæ ſtuprum, quia ſunt defraudaretur Eccleſia percipiens, ne quis in quinto gradu ſe conjungat in matrimonium cum aliqua. Pariter ſi aliquis gradus concederetur, qui nunc eſt prohibitus, illa conjunctio non efficeretur matrimonialis ex ſtatuto Eccleſiæ ratione primi contractus, quia poſſent ſeparari, ſi vellent, ſed poſsent de novo contrahere, & alia conjunctio eſſet.

Quid verò obſervat Eccleſia in gradibus conſanguinitatis prohibendis? Aliud non obſervat præcipuè Eccleſia, niſi rationem amoris, & quia non eſt minor ratio amoris ad nepotem, quàm ad patruum, ſed etiam major, quantò propinquior eſt Patri filius, quàm filio pater, propter hoc Eccleſia æqualiter prohibuit gradus conſanguinitatis in patribus, & nepotibus, ad differentiam legis veteris, quæ, ut diximus in perſonis prohibendis attendit præcipuè cohabitationem contra concupiſcentiam, prohibens illas perſonas, ad quas facilior patet acceſsus propter mutuam cohabitationem; ideòque in veteri lege aliquis prohibebatur accipere in uxorem ſororem patris ſui, non tamen filiam fratris, quia magis convenit cohabitari neptis patruo, quàm amita nepoti, eò quia filia eſt, quaſi idem cum patre, cum ſit aliquid ejus at ſoror non eſt hoc modo idem cum fratre, cũ non ſit aliquid ejus, ſed magis ex eodem naſcitur; unde non ſit eadem ratio prohibendi neptem, & amitam. Nunc autem in lege gratiæ prohibentur hæc omnia fieri, quia ut jam dictum fuit per ſpiritualem gratiam, non per carnis originem, cultus Dei derivatur, &
l ib. ad 7. multiplicatur. *Hæc D. Th. (l)* de cognatione carnali, quæ conſanguinitas dicitur.

Et ut de omnibus, quæ ad hanc cognationem ſpectant, habeatur notitia, attendendendum eſt etiam ad ea, *quæ determinata fuerunt ex libris inſtitutionum (m)* Quapropter ſciendum eſt, *ſic habetur ibid.* co-
m l.3.tit 6 gnationem aliam ſupra numerari, V. G. *Pater, Avus proavus, abavus, adavus, & tritavus* (iſti ſex nominantur, quia juxta inſtitutiones ſex gradus ponuntur) alia infra V G *filius; nepos, pronepos, abnepos, adnepos, trinepos*, aliam verò ex tranſverſo, ſive à latere, de qua primus gradus non aſſignatur, ſed ſolùm quinque, *& ſunt frater 2 & ſoror ex tranſverſo, fratris ſororiſque 3 filius, filia*; & convenienter patruus, hoc eſt frater patris, avunculus, hoc eſt frater matris; Amita patris, ſoror Matertera matris ſoror, *fratris 4. ſororiſque nepos, neptiſve*; & convenienter patruus magnus, amita magna, hoc eſt avi frater, & ſoror: avonculus magnus, & matertera magna, ſcil. aviæ frater, & ſoror; conſobrinus, conſobrina, hoc eſt, qui, quæve ex ſororibus, aut fratribus procreantur. (Aliqui verò judicant, conſobrinos eos proprios dici, qui ex duabus ſororibus naſcuntur, quaſi conſororinos, eos verò, qui ex duobus fratribus progenerantur, propriè vocari frater patruelles, vulgò cugini; eos deinque, qui ex fratre, & ſorore progenerantur, amitinos propriè dici; Amitæ tuæ filii, conſobrinum te appellant tu illos amitinos.) *Fratris 5. ſororiſque pronepos, proneptis*; & convenienter propatruus, proavita, hoc eſt proavi frater, & ſoror, proavunculus, & promatertera, ſc. proaviæ frater, & ſoror. Fratris patruelis, vel ſororis patruelis, conſobrini, & conſobrinæ, amitini, & amitinæ filius, & filia; propius ſobrinus, propius ſobrina, hoc eſt, filius, & filia patrui magni, & materteræ magnæ. Fratris, 6. ſororiſque abnepos, abneptis, & convenienter abpatruus, abamita, hoc eſt, abavi fratrer, & ſoror; abavunculus, abmatertera, hoc eſt, abaviæ frater, & ſoror. Filius, filia propatrui, proamitæ, proavunculi, promaterteræ, item propius ſobrino, ſobrinave filius, filia. Sobrini, ſobrinæ, ſcil. qui, quæve ex fratribus, vel ſororibus patruelibus, vel conſobrinis, vel amitinis progenerantur, Hæc ibi.

§. SECUNDUS.

De cognitione Spirituali.

HUjuſmodi cognatio ſpiritualis compaternitas dicitur; quæ abſolutè, & ſecundum ſe impedit matrimonium, quod autem juſtè impediat, *docet Divus Thomas (a)* ſiquidem quantò aliquod vincu- a in ſuppl q. 56. a. 1.
lum ſanctius eſt, tantò magis eſt cuſtodiendum, & hinc eſt, quod cum vinculum ſpirituale ſanctius ſit, quàm ſit vinculum corporale, *ut teſtis eſt Paulus ad Coloſ. (b)* ſuper autem omnia hæc, charitatem habete, b cap. 3.
quod eſt vinculum perfectionis; rectè etiam ſequitur quod ſi vinculum propinquitatis corporalis matrimonium impedit, multò magis cognatio ſpiritualis. Ex quibus Eccleſia ſtatuit, & decrevit cognationem ſpiritualem matrimonium impedire. *Sic & habetu in Concilio Tridentino. (c)* docet experientia propter multitudinem prohibitionum, multoties in caſibus c ſeſ. 24 de Ref. c. 2.
prohibitis, ignoranter contrahi matrimoniu, in quibus, vel non ſine gravi peccato perſeveratur, vel ea non ſine magno ſcandalo dirimuntur; Volens Sancta Synodus in incommodo providere, & à cognationis ſpiritualis impedimento incipiens ſtatuit, ut unus tantùm, ſive vir, ſive mulier juxta ſacrorum canonum inſtituta, vel ad ſummum unus, & una baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant, inter quos ac baptizatum ipſum, & illius patrem & matrem nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem, tantùm ſpiritualis cognatio contrahatur.

In Confirmationem hujus *habetur Bulla S. D. N. Pii Quinti edita anno 1676. 4. Kalendis Decembris, cujus verba ſunt*, adhuc tamen ab aliquibus dubitari accepimus, an ſaltem impedimentum cognationis ſpiritualis hujuſmodi inter maritum, vel uxorem ſuſcipientis, & patrem, & matrem baptizati vigeat, propterea quod prohibitum de uno conjuge de altero etiam prohibitum eſse videatur. Nos p[illegible]rum mentium, quieti, & matrimoniorum favori, (quantum ex alto nobis permittitur), conſulere volentes
à præ-

Digitized by Google

à præelſis verbis Concilii minimè diſcedendum in præmiſſis eſſe cenſuimus. Et propterea nullum amplius impedimentum ratione cognationis hujuſmodi ſubeſſe decernimus, & declaramus; quo minus inter dictos maritum, vel uxorem ſuſcipientis, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem, & quaſcumque alias perſonas tàm ex parte ſuſcipientis, quàm baptizantis, & baptizati, in dicto Concilio nominatim non expreſsas matrimonium liberè, & licitè contrahi poſſit, & ita ab omnibus judicari debere mandamus, atque ſtatuimus; decernentes irritum, & inane, ſi quid ſecus à quoquam, quacumque dignitate, auctoritate, & poteſtate prædito contigerit judicari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & apoſtolicis ordinationibus, aliiſque contrariis quibuſcumque. *Iuxta verba Concilii dicentis*, quod ſi alii ultrà deſignatos baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant, conſtitutionibus in contrarium facientibus non obſtantibus, unde videtur, quod cognatio ſpiritualis oritur ex propinquitate proveniente ex Sacramenti datione, vel adminiſtratione; quod exemplificatur V. G. Sacerdos baptizans puerum, Petrus ſuſcepit eum, tunc & Sacerdos baptizat puerum, & Petrus ſuſcipiens eum eſt ſpiritualis pater hujus pueri, & uterque eſt compater parentum ejus.

Diximus, quod cognatio ſpiritualis abſolutè, & ſecundum ſe impedit matrimonium, eò quia novis ſupervenientibus poteſt non impedire idcircò diſtinguendum eſt de ſpirituali cognatione, quia aut præceſſit matrimonium, aut ſequitur, ſi præceſſit illud, impedit contrahendum, & dirimit contractum, ſi verò ſequitur, non dirimit matrimonii vinculum (matrimonium etenim eſt perpetuum vinculum, & ideò nullum impedimentum superveniens poteſt ipſum dirimere, juxta D. Th. (d) qui & ſubdit quandoque ſic
d ib. ad 1. contingit, quod matrimonium, & matrimonii impedimentum ſtent ſimul, non autem ſi impedimentum præcedat). Et quia vinculum matrimonii importat actum ipſius, ideò diſtinguendum eſt etiam quantum ad actus ejuſdem; ſiquidem aut ſpiritualis cognatio inducitur cauſa neceſſitatis, V. G quando pater baptizat filium in articulo mortis, ne impediatur aditus ad regnum cælorum, tunc talis cognatio ſpiritualis per baptiſmum ſecuta non impedit matrimonii actum tàm ex parte Patris, quàm ex parte matris, manifeſtum eſt enim, quod lex non cadit ſuper neceſſitatem. At inducitur extra caſum neceſſitatis ex ignorantia, de qua & loquitur *Conc. loc. cit.*. Verùm
e ib. in c. 8 ait D. Th. (e) tunc ſi ille, ex cujus actu inducitur, diligentiam adhibuit, eſt eadem ratio, ſicut de primo; at tunc diligentiam adhibuiſſe dicetur, quando nomen ſuum ſcriptum in libro Parochi erit; Obligat *& Concilium* Parochum ſcribere nomina eorum, qui patrini, & compatres parentum vocantur; *ideòque legitur*, (f) Parochus antequam ad baptiſmum confe-
f ſeſ. 24. c. 2. ref. 2 rendum accedat, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant, & eum, vel eos tantum ad illud ſuſcipiendum admittat, & in libro nomina eorum deſcribat, & doceat eos, quam cognationem contraxerint; ne ignorantia ulla excuſari valeant. Idem de Confirmatione, ut jam dictum fuit. Aut inducitur ex induſtria extra caſum neceſſitatis, & tunc ille, ex cujus actu inducitur, amittit jus petendi debitum, reddere tamen debet, ſi petatur; quoniam ex ejus culpa non debet aliquod incommodum alius reportare.

Sed quare cognatio ſpiritualis habet impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, ſi præceſſit illud? cum ex alia parte non impediat aliquod de principalibus bonis matrimonii V. G. bonum prolis, & educationem ejuſdem?

g ib. ad 2. Reſpondet D. Th. (g) quod licet cognatio ſpiritualis non impediat aliquod de principalibus bonis matrimonii, quod eſt bonum prolis, & educatio ejuſdem, tamen impedit aliquid de ſecundariis bonis, quod eſt amicitiæ multiplicatio; eò quia ſpiritualis cognatio eſt per ſe ſufficiens ratio amicitiæ; & ideò oportet, quod ad alios per matrimonium familiaritas, & amicitia quæratur, ut diximus de conſanguinitate.

Cognatio ſpiritualis contrahitur solùm per duo Sacramenta, & hoc ſecundum communem opinionem, & illa duo Sacramenta ſunt Baptiſmus, & Confirmatio, *quam opinionem ſecutus eſt Divus Thomas & approbato à Concilio Tridentino* (h) Nam poſtquam de baptiſ- h ſeſ. 24 de Ref. c. 2.
mo ſtatuit id, quod jam dictum fuit ſupra; etiam decrevit, ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiuſque patrem, & matrem, ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias perſonas hujus i in Suppl. q. 56 art. 2 ad 1.
ſpiritualis cognationis impedimentis omninò ſublatis. *Quàm meritò ergo à Divo Thoma hoc edoceatur*, (i) patet ex his, quæ dicit, duplex *inquit*, eſt nativitas carnalis, una in utero, in qua adhuc id, quod natum eſt, adeò eſt debile, quod non poſſit extra exponi ſine periculo, cui nativitati aſſimilatur regeneratio per baptiſmum, in quo regeneratur quis, adhuc quaſi fovendus intra uterum Eccleſiæ. De hac nativitate locutus eſt Chriſtus Ieſus, *quando dixit Nicodemo.* l cap. 3
(l) Amen, Amen, dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei; ſiquidem quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex ſpiritu, Spiritus eſt; & ecce duæ nativitates, quas jam enumerat D. Th. carnalis, & ſpiritualis, igitur non mireris, ut dicamus verba Salvatoris, quia dixi tibi, oportet vos naſci denuò. Alia eſt nativitas ex utero, quando jam quod natum erat, in utero tantùm roboratum eſt, quod poteſt ſine periculo exponi exterioribus, quæ nata ſunt corrumpere: & huic aſſimilatur Confirmatio, per quam homo roboratus exponitur in publicum ad confeſſionem nominis Chriſti. m 1. c. 3.

Sic habemus Paulum dixiſſe ad Theſſalon. (m) miſimus Timotheum fratrem noſtrum, & miniſtrum Dei in Evangelio Chriſti ad confirmandos vos, & n cap. 2.
exhortandos pro fide veſtra: *Et in Actibus Apoſtolorum legimus* (n) Apoſtolos confirmatos fuiſſe, quando factus eſt repentè de Cœlo ſonus, tamquam advenientis Spiritus vehementis, et repleti ſunt omnes Spiritus Sancto, & cæperunt loqui, prout Spiritus San- o cap. 4.
ctus dabat eloqui illis, *& rurſus ibid.* (o) repleti Spiritu Sancto loquebantur cum fiducia verbum Dei; *& ideò concludit Divus Thomas*, quod congruè per utrumque iſtorum Sacramentorum contrahitur ſpiritualis cognatio.

Adeſt & Catechiſmus, ſcil. inſtructus in rebus fidei, quæ tamen inſtructio fit ſolemniter ante januam Ec- p ſeſ. 4. de Inſt. c. 7.
cleſiæ ſuper baptizando. *Hanc fidem ſtatuit Conc. Trid.* (p) ante baptiſmi Sacramentum ex Apoſtolorum traditione Catechumeni ab Eccleſia petunt; cum petant fidem vitam æternam præſtantem, quam ſine ſpe, & charitate fides præſtare non poteſt. Unde & ſtatim verbum Dei audiunt, ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Itaque veram, & Chriſtianam juſtitiam accipientes, eam, ſeu primam ſtolam pro illa, quam Adam ſua inobedientia ſibi, & nobis perdidit, per Jeſum Chriſtum illis donatam candidam, & immaculatam jubentur ſtatim renati conſervare; ut eam perferant ante Tribunal Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & habeant vitam æternam.

De Catechiſmo quidam dicunt, quod eſt debile impedimentum, eò quia impedit contrahendum, q ib. ad 3.
ſed non dirimit contractum; unde tenens contrahit cognationem ſpiritualem imperfectam. *Iuxta & Div. Thomas*, in Catechiſmo fit quædam profeſſio futuri baptiſmi, ſicut in ſponſalibus fit quædam ſponſio futurarum nuptiarum. Unde ſicut in ſponſalibus quidam gradus propinquitatis contrahitur, ita & r ib. ad 4.
in Catechiſmo ad minus impediens contrahendum: & non in aliis Sacramentis, *cum juxta Divum Thom.* per Sacramentum ordinis non fit alia generatio, ſed

Digitized by Google

ſed quædam promotio poteſtatis; & propterea mulier non ſuſcipit ordinem imprimentem characterem, & hoc propter immunditiam ſuam, unde non poteſt ex hoc aliquod impedimentum matrimonio præſtare. Nec per Sacramentum pœnitentiæ propriè loquendo contrahitur ſpiritualis cognatio, unde filius Sacerdotis poteſt contrahere cum illa, quam Sacerdos in confeſſione audivit.

Nec facit ad rem dicere; quod per pœnitentiam tollitur peccatum actuale; hoc enim non eſt per modum generationis, ut fit in baptiſmo tollendo peccatum originale, ſed magis per modum ſanationis. Medicus namque adjuvat infirmum, & operatur arte, ut ſanetur ille ab infirmitate ſua. Sic & Sacerdos per Sacramentum pœnitentiæ adjuvare debet peccatorem jam infirmatum ad mortem propter peccata contracta, & operari debet inſtructione, admonitione, & ſimilibus remediis, ut ſanetur, hoc eſt ut verè ſe pœniteat, & poſtulet veniam Deo, qui jam miſit Filium ſuum in Mundum; qui non venit vocare juſtos, ſed peccatores.

Quid autem dicendum ſit de Sacerdote, & muliere confitente ab ipſo? Sequendo, *ut teneor doctrinam Divi Thomæ*, (*ſ*) aliud dicere non poſſum, niſi cum eodem, quod per pœnitentiam contrahitur quodam fœdus inter mulierem confitentem, & Sacerdotem ſimile ſpirituali cognationi, ut tantùm peccet eam carnaliter cognoſcens, ac ſi eſſet ſua ſpiritualis filia. *Et adducitur hæc ratio*, quia inter Sacerdotem, & mulierem confitentem eſt maxima familiaritas, *& quia nimia familiaritas parit contemptum juxta dictum vulgare*, hinc eſt, quod ob hanc familiaritatem inter utrumque iſta prohibitio eſt inducta, ut tollatur peccandi occaſio, immò ut tollatur contemptus legis, & præceptorum, ſiquidem ardor concupiſcentiæ ſuffocat cognitionem, ne operetur ſecundum rectam rationem.

ſ ib. ad 2.

Verum quia, *ut ait Div. Thom.* (*t*) pater ſpiritualis dicitur ad ſimilitudinem patris carnalis, quia tamen pater carnalis tria dat filio eſſe, nutrimentum, & inſtructionem, ideò fit, quod pater ſpiritualis alicujus dicatur ratione alicujus horum trium, attamen ex hoc, quod ſpiritualis pater eſt, non habet ſpiritualem cognationem, niſi conveniat cum patre quantum ad generationem, per quam eſt eſſe, ſic ergo convenit cum patre carnali mediante baptiſmo, cum per iſtum regeneretur filio Dei, & hæres Chriſti, tranſit namq; per baptiſmi Sacramentum de non eſſe ad eſſe; ſic convenit cum patre carnali mediante Confirmatione, eò quia per Sacramentum Confirmationis nutritur, & augetur filius in fide, veluti per cibum ſpiritualem, & denique convenit cum patre carnali mediante pœnitentia, quoniam per Sacramentum pœnitentiæ inſtruitur in charitate, in dilectione, in deteſtatione peccatorum, & hujuſmodi, *juxta illud, quod dix. cum Div. Thoma*, quod per pœnitentiam contrahitur quodam fœdus inter utrumque cognationi ſpirituali ſimile.

t ib. ad 4.

Cognatio ſpiritualis, quod contrahatur inter ſuſcipientem Sacramentum baptiſmi, & levantem de ſacro fonte, *ultrà quod conſtet ex dictis per auctoritatem Conc. Trident & ex Div. Th.* (*u*) ulterius manifeſtatur ex eodem à paritate rationis deſumpta ex generatione carnali, & ſpirituali; quoniam in illa quis naſcitur ex Patre, & Matre, cum non tantùm pater, ex cujus ſemine generatur proles, habeat cognationem carnalem ad natum, ſed & mater, quæ materiam ſubminiſtrat, in cujus utero concipitur, & dicitur generatio carnalis, *ſecundum illud, quod dicit Eccl.* (*x*) generatio, carnis & ſanguinis, alia finitur, & alia naſcitur: terminatur namq; per novam generationem cognatio etiam carnalis; alia naſcitur per ſucceſſionem generationum: in iſta vero, ſive in generatione ſpirituali quis renaſcitur Filius, Dei, *ſicut Patris*; & Eccleſiæ, *ſicut matris*, & ideò ille, qui Sacramentum confert, gerit perſonam Dei, & ille, qui baptizatum ſuſcipit de Sacro fonte, gerit perſonam Eccleſiæ, & ſic contrahit cognationem ſpiritualem generando filios in filios Dei, *ſecundum illud Paul. ad Rom.* (*z*) non qui filii carnis, hi filii Dei, ſed qui filii ſunt promiſſionis, ad eum ferè modum, ſecundum quem pater, & mater contrahunt cognationem carnalem. Et talis qui ſuſcipit baptizatum de Sacro fonte *à Dyoniſio dicitur* (*y*) *anadochus*, hoc eſt græcè *fidejuſſor*, latinè verò *patrinus*, ad cujus officium licet ſpectet inſtruere puerum in fide, ſc. de his, quæ pertinent ad fidem, & vitam Chriſtianam *ſecundum illud Petri* (*a*), ſicut modò geniti infantes lac concupiſcite; attamen talis inſtructio non eſt cauſa ſufficiens cognationis ſpiritualis: *& hoc juxta doctrinam Divi Thomæ*, (*b*) non enim inquit ratione inſtructionis debitæ, ſed ratione generationis ſpiritualis, ad quam cooperatur, contrahit cognationem ſpiritualem, eò quia vice totius Eccleſiæ, quæ mater dicitur, offert, & ſuſcipit baptizandum, immò & confirmandum tenet; ideòque concluditur, quod ad utrumque ſpiritualis cognatio contrahitur.

u in ſuppl. q. 56. ar. 1.
x cap. 4.
z cap. 9.
y vide ca. Hier.
a p. c. 2.
b ib. ad 12.

Verùm & ultrà hoc, quod dictum eſt, reſtat & dicendum, quod ad hoc, ut contrahat ſpiritualem cognationem, debet & ipſe, qui ſuſcipit baptizandum; eſſe baptizatus, non enim non baptizatus, *ait Divus Thomas* (*c*) poteſt aliquem levare de ſacro fonte, cum non ſit membrum Eccleſiæ, cujus caput eſt Chriſtus, & cujus typum gerit in baptiſmo ſuſcipiens, ac per conſequens nec contrahere aliquam cognationem ſpiritualem, cum ſit expers ſpiritualis vitæ, in quam homo primò per baptiſmum naſcitur, & ut omnis ambiguitas circa hanc materiam tollatur, dicendum eſt, quod non eſt eadem ratio de ſuſcipiente baptizandum, & de baptizante; licet enim non baptizatus non poſſit levare aliquem de Sacro fonte, cum non ſit membrum Eccleſiæ, de quo dicebat ille, omnes nos, ſc. fideles, cujus corporis, ſcil. Eccleſiæ membra ſumus: cæterum æque bene non baptizatus poteſt baptizare, cum hoc non faciat, ut membrum Eccleſiæ, ſed quia eſt Dei creatura, cujus typum gerit baptizans, *hinc facit illud Judith*, tibi ſerviet omnis creatura. *Et Paulus ad Timot. dixit* (*e*) omnis creatura Dei bona eſt, ſi ergo omnis creatura tenetur ſervire ſuo Creatori, quid mirum ſi tunc etiam non baptizatus exerceat id, quod in Dei ſervitium præſtatur? ſicut quid mirum ſi jam omnis creatura Dei bona eſt ad faciendum id, quod eſt de voluntate ipſius. Unde aliud eſt baptizare per adminiſtrationem, & aliud eſt ſuſcipere baptizatum per inſtructionem; primo modo jam ex ſe patet, cum omnis homo inſtrumentum Dei ſit, & inſtrumentum operatur in virtute cauſæ principalis, quæ eſt Deus. Secundo modo etiam conſtat, quia tunc non agit, ut inſtrumentum, ſed potius ut cauſa; & ſi cauſa, cum cauſa habeat producere effectum ſibi ſimilem, jam cauſa, videtur apertè, quod eſſe non poteſt, eò quia nemo dat, quod non habet; & ſic non baptizatus inſtruere non poteſt baptizandum in iis, quæ ſunt fidei, cum jam ipſe, vel ignoret ea, quæ ſunt fidei, vel neget ea, quæ de fide ſunt.

c ib. ad
d cap. 16.
e p. c. 4.

Cognatio ſpiritualis ad hoc, ut tranſeat à viro ad uxorem, oportet animadvertere *cum Divo Thoma* (*f*) quod aliquis poteſt fieri alicujus compater dupliciter; *primò* per actum alterius, qui baptizat, vel in ipſo baptiſmo ſuſcipit filium ejus, & ſic cognatio ſpiritualis non tranſit à viro in uxorem, niſi fortè ille ſit filius uxoris, quia tunc directè uxor contrahit cognationem ſpiritualem, ſicut, & vir; *Secundò* per actum proprium, ut quando levat filium alterius de Sacro fonte, & ſic cognatio ſpiritualis tranſit ad uxorem, quam jam cognovit carnaliter; hoc autem dicitur, quia opus eſt ſcire, hanc cognationem ſpiritualem ad uxorem non tranſire, ſi nondùm matrimonium non ſit conſommatum, eò quia nondùm effecti ſunt una caro, & hoc

f in Supp. q. 56. a. p

eſt per

Digitized by Google

eſt per modum cujuſdam affinitatis, ac proinde pari ratione videtur tranſire ad mulierem, quæ eſt carnaliter cognita, licet non ſit uxor; etſi tranſit cognatio ſpiritualis ad mulierem, quæ eſt carnaliter cognita, licet non ſit uxor; multò melius tranſit ad uxorem, quia bona ſpiritualia magis multiplicabilia ſunt, quàm corporalia. Unde cum conſanguinitas corporalis viri tranſeat ad uxorem per affinitatem, multò magis ſpiritualis cognatio.

Nec ex eo, quod vir, & uxor ſimul poſſint aliquem de ſacro fonte levare, reputatur inconveniens, quod uterque conjugum ſit bis pater, & mater ſpiritualis ejusdem; ſiquidem, *ut bene Divo. Thom. ait*, (g) non eſt inconveniens, ut uxor diverſis cauſis efficiatur bis mater ſpiritualis ejuſdem, cum poſſit etiam eſſe, quod ſit affinis, & conſanguinea ejuſdem per carnalem propinquitatem. *Niſi etiam dicamus cum eodem D. Th.* (h) quod pater ſpiritualis, & mater ſpiritualis ejuſdem non conjunguntur, niſi per accidens in generatione ſpirituali, quia ad hoc unus ſufficeret, ſc. levando de ſacro fonte, unde non oportet, quod ex hoc aliqua cognatio ſpiritualis inter eos naſcatur, quin poſſit eſſe inter eos matrimonium. *Sic ſtatutum fuit etiam per Concilium Tridentinum* (i) volens itaque Sancta Synodus in incommodo providere, & à cognationis ſpiritualis impedimento incipiens, ſtatuit, ut unus tantùm, ſive vir; ſive mulier, (*ecce quomodo unus ſufficit ad levandum de ſacro fonte*) juxta Sacrorum Canonum inſtituta; vel ad ſummum unus, & una baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant, & ut facilius memoriæ mandentur hæc omnia, aſſignantur illi duo verſus.

Unus ſemper erit compatrum ſpiritualis.
Alter carnalis; non fallit regula talis.

Ex quibus habetur & differentia, quæ reperitur inter matrimonium, per quod fit vir, & uxor una caro; & inter illud, per quod fit pater; & mater ſpiritualis; In generatione etenim ſpirituali, ut jam dictum fuit, conjunguntur ſolùm per accidens, in generatione verò carnali, & naturali per ſe loquendo fit una caro. Et ut omnia, *quæ affert Divus Thom.* (l) reſolvantur, dicemus, quod dato caſu, quod vir ſit baptizatus, non verò uxor, ad iſtam non perveniet cognatio ſpiritualis, ob hoc, quia non eſt capax: non tamen eſt dicendum, quod non perveniet iſta ad uxorem non baptizatam ex hoc, quod non poſſit per matrimonium traduci ſpiritualis cognatio à viro in uxorem.

Deinde quod cognatio ſpiritualis tranſeat ad filios etiam carnales patris ſpiritualis, indubitatum eſt, cum filius ſit aliquid Patris, filius namque eſt ex patre, ſive ex ſubſtantia patris genitus, non verò è converſo; alias non eſſet filius; cum ergo filius ſit talis, conſequenter etiam ſequitur, quod cognatio ſpiritualis tranſeat à patre in filium ſpiritualem, non tamen è converſo; unde tres aſſignantur cognationes ſpirituales, *à D. Thom.* (m) una, quæ dicitur ſpiritualis paternitas, & eſt inter patrem, & filium ſpiritualem, alia, quæ dicitur compaternitas, eſtque inter patrem ſpiritualem, & patrem carnalem ejuſdem. Tertia, quæ dicitur fraternitas ſpiritualis, & eſt inter filium ſpiritualem, & filios carnales ejuſdem patris, & quælibet harum impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum.

Ex his omnibus habeatur, quod cognatio ſpiritualis non oportet, quod habeat gradum, & eò quia ſpiritualis cognatio eſt alterius generis, quàm carnalis, ac proinde non in eodem gradu attinet filius ſpiritualis filio naturali patris ſui ſpiritualis, in quo attinet ei pater ejus, quo mediante cognatio ſpiritualis tranſit, & quod non habeat gradum, conſtat ex dictis, quia filius ideſt aliquid patris, & tamen frater non eſt aliqui fratris, ideòque à fratre in fratrem non tranſit: ſive ſit ante genitus, ſive poſt fraternitatem ſpiritualem. Quare autem tranſeat de viro ad uxorem, hoc fit, quia uxor eſt aliquid viri, cum quo effecta eſt unum corpus.

g ad 4. ib.
h ib. ad 2.
i Seſſ. 24. de Ref. c. 2.
l ib. ad 4.
m in Supp. q. 56. a. 5.

§. TERTIUS.

De Cognatione legali, quæ eſt per adoptionem.

COgnatio legalis dicitur adoptio, ſive adoptare in quantum ille, qui non eſt filius, fit ab aliquo filius adoptivus, & ideò adoptivus filiatio eſt, quædam imitatio, vel quædam participata ſimilitudo filiationis naturalis. *Unde Divus Thomas* (a) per jus poſitivum poteſt quis aſſumere in filium ad ſimilitudinem filii naturalis. Talis autem adoptio, ut conſtet ex Sacris literis, habuit principium tùm in lege naturali, *nam Exodi legitur*, (b) quod filia Pharaonis adoptavit Moyſem in filium; *tùm in lege ſcripta, quoniam in libro Eſther legitur*, (c) quod Mardochæus mortuis patre, ac matre Ediſſæ, quæ altero nomine vocabatur Eſther, ſibi eam adoptavit in filiam.

Hæc adoptio eſt duplex, una perfecta, & hæc naturalem filiationem imitatur, & vocatur adrogatio, per quam traducitur adoptatus in poteſtatem adoptantis; & ſic adoptatus ſuccedit patri adoptanti ex inteſtato, nec poteſt eum pater privare ſine culpa quarta parte hæreditaris & per adoptionem adrogationis non poteſt adoptari, niſi ille, qui eſt, ſuis juris, qui ſ. non habet patrem, aut ſi habet eſt emancipatus; & hæc adoptio non fit, niſi auctoritate principis. Alia eſt adoptio, quæ imitatur naturalem filiationem imperfectè, & vocatur ſimplex adoptio, per quam adoptatus non tranſit in poteſtatem adoptantis; unde eſt magis diſpoſitio quædam ad perfectam adoptionem, quàm perfecta adoptio, ſecundum quam poteſt etiam adoptari ille, qui non eſt ſui juris, & ſine auctoritate principis, ex auctoritate Magiſtratus; & ſic adoptatus non ſuccedit in bonis adoptantis, nec tenetur ei adoptans aliquid de bonis ſuis in teſtamento dimittere, niſi velit: *Juxta etiam illa, quæ habentur in lib. inſtitutionum de adoptionibus* (d) adoptio duobus modis fit, aut principali reſcripto, aut imperio Magiſtratus; Imperatoris auctoritate adoptare quis poteſt eos, eaſve, qui, quæve ſui juris ſunt, quæ ſpecies adoptionis dicitur adrogatio: Imperio Magiſtratus adoptamus eos, eaſve, qui, quæve in poteſtate parentum ſunt, ſive primum gradum liberorum obtineant, qualis eſt filius, filia; ſive inferiorem, qualis eſt nepos, neptis, pronepos, proneptis; in cujus tamen adoptione ſciendum eſt, quod filii, qui adoptantur, debent eſſe naturales, & ex legitimo matrimonio nati ſecundum jura.

Et ut hæc meliùs percipiantur, ſtatuitur definitio adoptionis deſumpta *ex lib. inſtit. loc. cit.* ut ſupra.

Adoptio eſt extraneæ perſonæ in filium, vel nepotem, vel deinceps legitima aſſumptio. Quæ definitio explicatur à *D. Th.* (e) ly aſſumptio importat terminum à quo, propter quod aſſumens non eſt aſſumptum, & ideò oportet, quod ille, qui aſſumitur in filium, ſit perſona extranea, & rationabiliter, quia ſicut naturalis generatio habet terminum ad quem, ſcil. formam, quæ eſt finis generationis, cum ordinetur, ut diximus, ad ſpeciem conſequendam; & terminum, à quo ſc. formam contrariam, ita generatio legalis habet terminum ad quem ſ. filium, vel nepotem, (eò quia ſicut contingit aſſumi filius, ſicut & nepotes, & deinceps, & ideò ſicut aliquis poteſt per adoptionem ſubrogari in locū filii, ita in locum nepotis & deinceps *ut ait etiam D. Th.* (f) & terminum à quo, ſ. perſonam extraneam: ex quibus ſequitur, quod prædicta definitio, ſive aſſignatio comprehendit genus adoptionis, quia dicitur legitima aſſumptio; & terminum à quo, quia dicitur perſonæ extraneæ, & terminum ad quem, quia dicitur in filium, vel nepotem.

Dixi-

a in Supp. q. 57. a. 1.
b cap. 2.
c ibid.
d l. 1. §. 11.
e ib. in c.
f ib. ad 5

Digitized by Google

Diximus, quod *per jus poſitivum poteſt quis aſſumere in filium ad ſimilitudinem filii naturalis*, & modò addimus, quod adoptio eſt introducta præcipuè ad ſupplendum filiorum deperditorum defectum, & hoc *quia volumus cum D. Th.*, (g ib. ad 4.) quod habentes impedimentum perpetuum, vid. generationis non indigent ſolatio contra carentiam filiorum, quod autem debeat eſſe perpetuum patet ex iis, quæ ſubdit, ſicut illi, qui habuerunt, & amiſerunt, vel etiam, qui habere potuerunt, ſed aliquo impedimento accidentali carent: & iis, per verba antecedentia docet, per eum, qui habet impedimentum perpetuum ad generandum, non poteſt hæreditas tranſire in poſterum; Unde ex hoc ipſo jam debetur illis, qui ſuccedere ei debent juri propinquitatis, non enim cõpetit propinquo, quod per adoptionem ad ſucceſſionem deducatur.

Nec debet quis exercere charitatem, aut præſumere aliquid de charitate facienda in adoptando propinquos, quibus jure propinquitatis competit vera ſucceſſio, quoniam Deus ſolus adoptavit nos in filios per ſuam maximam charitatem; & hoc verè, & realiter, ut excludamus metaphoram, ſiquidem omnia, quæ dicuntur de adoptione filiorum in via naturali reſpectu adoptantis dicuntur etiam de adoptione filiorum in via ſupernaturali reſpectu Dei adoptantis filios hominum in hæreditatem æternam; Et quod ita ſit, accipiamus definitionem, & videbimus hanc veritatem. In definitione namque adoptionis ponitur *perſonæ extraneæ*, quæ etiam particula, quod Deo conveniat, qui eſt ſemper benedictus in ſæcula, manifeſtè patet, ſiquidem licet homo in ſua natura conſideratus non ſit extraneus à Deo, quantum ad bona naturalia, quæ recipit, eſt tamen extraneus, quantum ad bona gratiæ, & gloriæ, & ideò ſecundum hoc adoptatur, *quod corroboratur ex illo Pauli ad Epheſios*, (h cap. 1.) (*b*) qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ: prædeſtinare autem nos in filios Dei eſt donare gratiam, & gloriam, gratia autem, & gloria de jure naturali nobis non debetur, aliàs & gentibus deberetur; donando ergo nobis gratiam, & gloriam in filios ſuos nos adoptat.

(i c. 3.) Videte, *inquiebat Ioannes* (*i*) qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus, non naturales, ergo adoptivi; Et quia ſolus Chriſtus Ieſus eſt filius Dei naturalis, non adoptivus, non enim in Chriſto eſt alia perſona, ſive hypoſtatis, quàm increata, cui convenit eſſe filium per naturam: (l cap. 8.) *quod corroboratur ex auctoritate Divi Ambroſii de Incarnatione Dominica* (*l*) adoptivum filium non dicimus filium eſſe filium natura, ſed eum dicimus natura eſſe filium, qui verus eſt filius; Chriſtus autem eſt verus, & naturalis Dei filius, *ſecundum illud Jo.* (m ep. 5.) Et ſcimus, quoniam filius Dei venit, deſcendit namque de Cœlis Deus verus à Patre genitus, introivit in uterum virginis nobis, ut appareret viſibilis: unde & ipſa veritas *hoc dicit in Joan.* (*n*) (n cap. 16.) exivi à Patre, & veni in Mundum, & quod ſit ipſa veritas, maximè teſtatur, *dum dixit* (*o*) (o cap. 18.) Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in Mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati.

Subdit, & dedit nobis ſenſum, ut cognoſcamus verum Deum, & cognoſcendo vitam æternam habeamus, hæc eſt vita æterna, *legitur in Joan.* (*p*) (p cap. 17) ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum; & ſimus, deinde ſubditur in vero filio ejus. Quid autem ſumus in vero filio ejus? ſumus filii adoptivi Dei per filium naturalem ejus Ieſum Chriſtum; Ille enim accepit à Patre poteſtatem filios Dei facere, adoptivos utique, non enim natura hominis eſt eadem cum natura Dei, nec perſona in aliquo convenire poteſt cũ perſona filii Dei. Ponitur *hic legitima aſſumptio*, utpote quia ipſe Chriſtus per poteſtatem acceptam à Patre adoptavit nos in filios ſuos; *dum dixit in Matth.* (*q*) (q cap. 5.) ut filii ſitis patris veſtri, qui in Cœlis eſt, hoc eſt, ut habeatis participationem, communionem, & conſortium divinæ naturæ, *ut ajebat Petrus*, (*r*) (r 2. c. 1.) & per hoc efficiamini divinæ naturæ conſortes.

Aſpiciamus & diviſionem adoptionis, & videbimus veritatem, hoc eſt meritò aſſignari à nobis has duas ſpecies adoptionis, ſ. adrogationis, ſeù principali reſcripto, & quæ eſt ſui juris; & imperio magiſtratus, & quæ non eſt ſui juris; hoc eſt, *ut utamur verbis D. Thom.* adoptionis perfectæ, & imperfectæ. In primis namque dicimus, quod parvulorum, quando baptizantur, eſt adoptio imperfecta, utpotè quia adoptantur ſimplici quadam adoptione. At cum adulti juſtificantur, adoptantur adoptione quadam, quæ propriè eſt adrogatio ſaltem in lege Evangelica, etenim eo ipſo, quod adultis gratia donatur, fiunt omninò ſui juris. *Hoc manifeſtatur ex auctoritate Doctoris gentium* (*ſ*) (ſ ad Gal. cap. 3.) quanto tempore hæres parvulus eſt, nihil differt à ſervo, cum ſit Dominus omnium, ſed ſub tutoribus, & actoribus eſt, uſque ad præfinitum tempus à Patre; At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, ut adoptionem filiorum reciperemus: in quibus *verbis* nobis redditur manifeſtum quomodo in nullo alio ſtatu homo ſui juris eſt, quàm in ſtatu legis Evangelicæ. Nam in ſtatu peccati homo non eſt ſui juris, ſed potiùs perdit jus ad hęreditatẽ, quia inobediens Patri, & ejus præcepta contemnens, & ideò dùm perſeverat in illo ſtatu peccati, dicitur ſervus peccati, *ſicut dixit Ioan.* (*t*) (t cap. 8.) omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.

In ſtatu legis ſcriptæ, quamvis juſtificationis gratiam promitteret, illam tamen non dabat, hoc enim proprium eſt legis Chriſti, attamen & filius erat, *nam Deut. habetur*, (*u*) (u cap. 14.) Filii eſtote Domini Dei veſtri; & jus habebat ad hæreditatem paternam; Nam & Dominus Deus dixit ad filios Iſrael, hæreditas mea Iſrael: *unde Num. legitur*; (*x*) (x cap. 18.) Ego pars, & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael. *Et in Deut.* (*y*) (y ib.) *habetur dixiſſe Dominum*. Dominus enim ipſe eſt hæreditas eorum, ſicut locutus eſt illis; verumtamen adhuc cuſtodiebantur ſub lege, in eam fidem, quæ revelanda erat. Unde adhuc & pupilli, & ſub pedagogo docebantur, & meritò eò quia ex vi illius legis non tàm amore ducebantur, quàm timore; & etiam quia veluti pupilli non admittebantur ſtatim in poſſeſſionem hæreditatis, uſque dùm veniret Chriſtus, hinc *Paul. ad Gal.* (*z*) (z cap. 3.) at ubi venit fides, jam non ſumus ſub pedagogo.

In ſtatu denique legis Evangelicæ omninò ſui juris eſt homo juſtus, tùm quia ſtatim admittitur ad uſum hæreditatis. Venite, *dixit Ieſus in Matt.* (*a*) (a cap. 25.) benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione Mundi. Et diſcipulis ſuis dixit, *Lucæ*. (b cap. 22.) Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo; & ſine intermedio temporis dixit ad Latronem, (*c*) (c Luc. c. 23) hodie mecum eris in Paradiſo; tùm quia amore ducitur, non timore. Hæc enim eſt differentia duorum teſtamentorum *dicebat Auguſtin. contra Adimantum Manichæi* (*d*) (d cap. 2.) timor, & amor, illud ad veterem, hoc ad novum hominem pertinet. Nam timere proprium ſervorum eſt, amare autem proprium filiorum eſt. Timor denique ſub neceſſitate eſt, amor verò in libertate. De hoc teſtimonium adducimus *Paulum ad Corinth.* (*e*) (e 2. c. 3.) ubi ſpiritus Domini, qui amor eſt, ibi libertas; Omnia autem hæc proveniunt ex maxima charitate Dei hominem diligentis, & adoptantis in filium. Hæc verò dici non poſſunt de homine, quod exercere debeat charitatem in adoptando propinquos, quibus jure propinquitatis competit vera ſucceſſio, quod magis redditur manifeſtum ex doctrina *Div. Th.* (*f*) (f ib. ad 7.) propinquus jure propinquitatis debet ſuccedere, & ideò non competit ei, quod per adoptionem ad ſucceſſionem deducatur, quapropter ſi aliquis propinquus, cui non competat ſucceſſio hæreditatis, adoptetne, non adoptetne, in quantum eſt propinquus, ſed in quantum eſt extraneus à jure ſucceſſionis à bo-

niſ ado-

nis adoptantis, & hoc convenienter dicitur etiam, quod jam debetur illis, qui ſuccedere ei debent jure propinquitatis, quia ei non competit adoptare, ſicut nec naturaliter generare.

At adoptio differt à generatione naturali, quod iſta ordinatur ad ſpeciem conſequendam, illa verò ordinatur ad hæreditatis ſucceſſionem. Pariter cum generatio naturalis ordinetur ad ſpeciem conſequendam, hinc eſt, quod omnibus competit poſſe naturaliter generare, in quibus natura ſpeciei non eſt impedita, & illa cum ordinetur ad hæreditatis ſucceſſionem, hinc eſt, quod illis ſolis competit adoptare, qui habent poteſtatem diſponendi da hæreditate ſua, ob hoc autem ille, qui non eſt ſui juris, vel qui eſt minor viginti quinque annorum, vel mulier non poteſt adoptare aliquem, niſi ex ſpeciali conceſſione Principis. Fœminæ ex lib. inſtitut. loc. cit adoptare non poſſunt, quia nec naturales liberos in ſua poteſtate non habent; ſed ex indulgentia principis ad ſolatium liberorum amiſſorum adoptare poſſunt.

Dicitur, *qui non eſt ſui juris, vel qui eſt minor* 25. *annorum, quia ut ait Divus Thom.*, (g) cum adoptio fiat ad hæreditatis ſucceſſionem, & quamdam ſubjectionem adoptati ad adoptantem, hinc eſt, quod non eſt conveniens, ut antiquior juveni in cura rei familiaris ſubdatur, & ideò fit, quod junior non poſſit adoptare ſeniorem, ſed oportet ſecundum leges, ut videri eſt etiam in lib. inſtit. loc. cit. quod adoptatus ſit in tantum adoptante junior, quod poſſit eſſe filius naturalis. Verba autem legis ſunt, minorem natu majorem non poſſe adoptare placet, adoptio enim natura imitatur; & pro monſtro eſt, ut major ſit filius, quàm Pater. Debet itaque is, qui ſibi filium per adoptionem, vel adrogationem facit, pleoa pubertate, ſ. decem, & octo annis præcedere.

g ib. ad 5.

Additur, nec caſtrati adoptare poſſunt, benè verò ſpadones; primi, quia generare non poſſunt, utpote privati teſtibus, vel quia diſſipati fuerunt adhuc in faſcibus iacentes; Secundi, quia licet generare non poſſint ob impedimentum frigiditatis, vel alterius vitii, tamen illo, vel illis remotis impedimentis generare poſſunt, ſiquidem ſunt in potentia ad generandum. *De primis habemus in Matt.* (h) quod ſunt Eunuchi, qui de matris utero ſic nati ſunt; & ſunt Eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus; & ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum Cœlorum; qui utique ſe caſtraverunt, *ut dicamus cum Chryſoſtomo*, non membrorum abſciſſione (per quam concupiſcentia non redditur manſueta, ſed magis moleſta; Aliunde enim inquit Chryſoſtomus, habes fontes ſpermæ, quod in nubis eſt; & præcipuè à propoſito incontinenti, & mente negligente; ſed malarum cogitationum interemptione. Propter regnum cælorum, & iſti videntur eſſe Sacerdotes, qui quamvis generare non poſſint, hoc tamen non provenit ex impotentia naturæ, ſed ex religione, quæ habet annexum votum ſolemne caſtitatis; ob quod etiam permittitur præsbyteris ſæcularibus, ut poſſint adoptare aliquem in filios, quod non permittitur aliis Eunuchis. *De ſecundis habemus in Eccl.* (i) concupiſcentia ſpadonis devirginavit juvenculas.

h cap. 19.

i cap. 20.

Adoptio cum cauſet cognationem quamdam ſc. legalem, & cognatio matrimonium impediat, rectè ſequitur, quod etiam per vinculum adoptionis impediatur matrimonium; & hoc juſtis de cauſis, tùm à lege divina, iſta enim excludit illas præcipuè perſonas à matrimonio, quas neceſſe erat cohabitare, & hoc meritò ne facilis pateret ex tali cohabitatione concupiſcentiæ aditus, ad quam reprimendam ordinatum eſt matrimonium; hoc autem non eſſet, ſi adoptio matrimonium non impediret; impedit ergo adoptio matrimonium, quia filius adoptatus converſatur in domo patris adoptantis, ſicut filius naturalis; Tum & à lege humana prohibitum eſt inter tales matrimonium contrahi, *Unde in lib. inſtitutionum de nuptiis habetur à jure civili determinatum;* (l) Item Amitam, licet adoptivam, ducere in uxorem non licet; item nec materteram, quia parentum loco habeatur, quæ tamen prohibitio juris civilis non ſufficeret ad impedimentum matrimonii, niſi interveniret Eccleſiæ auctoritas, quæ talem prohibitionem approbavit, unde, & hoc idem interdicit. Excluduntur tamen omnes illi, qui habitant in Parochia, cum iſti non ſint propinqui Sacerdoti; ſicut excluditur & ille, cui fit beneficus, cum ex tali beneficentia non contrahatur aliquod propinquitatis vinculum, licet adoptio nihil aliud ſit, quàm collatio alicujus beneficii: pariter excluduntur nutrientes, pædagogi, & magiſtri, quoniam ex his omnibus non cauſatur propinquitas, quæ matrimonium impediat, quia manifeſtum eſt, quod per omnia iſta non introducitur talis cohabitatio, quæ poſſit fomentum concupiſcentiæ præſtare, ſed potius reverentia, gratitudo, & ſimilia præſtari debent.

l l.3. tit. 10.

Illud autem, quod præſcriptum eſt à legibus humanis, videtur jam fuiſſe præſcriptum à lege divina; *etenim in Levitico habetur* (m) turpitudinem materteræ, & amitæ tuæ non diſcooperies, qui hoc fecerit ignominiam carnis ſuæ nudavit, portabunt ambo iniquitatem ſuam. Unde aſſignatur triplex cognatio legalis, prima ſ. quaſi deſcendentium, & contrahitur inter patrem adoptantem, & filium adoptatum, & filium adoptivi filii, & nepotem, & deinceps; Secunda inter filium adoptivum, & filium naturalem. Tertia per modum cujuſdam affinitatis, quæ eſt inter Patrem adoptantem, & uxorem filii adoptivi, vel è contra inter filium adoptatum, & uxorem patris adoptantis.

m cap. 20.

Inter has autem tres cognationes, quomodo impediatur matrimonium, tanquam certum tenendum eſt, quod perpetuò impeditur matrimonium in prima, & tertia cognatione legali; in ſecunda non perpetuò, ſed quamdiù manet in poteſtate patris adoptantis; unde ablata conditione, ſc. mortuo patre, vel filio emancipato poteſt contrahi inter eos matrimonium; eò quia tunc ceſſat cohabitatio, & conſequenter tollitur impedimentum, *hoc & corroborat Div. Thomas*, (n) dum inquit, cognatio legalis impedit matrimonium propter cohabitationem, qua neceſſitate cohabitationis ſolùm prædictum impedimentum non habet; ut V.G quando fuerit extra poteſtatem ejuſdem patris, illud verò manet inter filium adoptatum, & uxorem ejus, qui adoptat, eò quia & pater adoptans, & uxor ejus ſemper habent quamdam auctoritatem ſuper filium adoptatum, & uxorem ejus.

n in ſuppl. q.57. ar.3. ad 2.

Ex quibus etiam, ut magis appareat vis cognationis legalis, ſtatuitur primò hæc differentia, quæ reperitur inter cognationem ſpiritualem, & cognationem legalem, quod per primam filius non ponitur in poteſtate, neque in cura patris ſpiritualis, quod æque bene fit per cognationem legalem; adeòque mirum non eſt, ſi quidquid eſt in poteſtate filii, tranſeat in poteſtatem patris adoptantis; unde adoptato patre, adoptantur conſequenter & filii, & etiam nepotes, qui ſunt in poteſtate adoptati, quod non fit in cognatione ſpirituali, etiam ſi ſit fortior, quàm legalis fortior, fortior utique eſt illa ob gradum ſpiritualitatis præciſè, cæterum non facit, ut tranſeat poſtea de filiis in nepotes.

Secundò aſſignatur & alia differentia, quæ reperitur inter generationem ſpiritualem, & adoptionem, quod per primam non traditur filius in poteſtatem patris, ſicut traditur per adoptionem; & ſic filius ſpiritualis remanet filius utriuſque ſimul, non autem filius adoptivus, per quod etiam conſtat, quod non contrahitur aliqua propinquitas inter patrem adoptantem, & matrem, vel patrem naturalem, ſicut erat in cognatione ſpirituali; ex quo capite etiam dicitur rationabiliter fortior cognatio ſpiritualis, quàm ſit legalis.

Dixi-

Digitized by Google

Diximus, quod mulier, ſive fæmina adoptare poteſt, non abſolutè, cum non habeat naturales liberos in ſua poteſtate, ſed ſolùm ex indulgentia proveniente ex conceſſione Principis, quo pacto adoptando nullum debet eſſe dubium, quod etiam in ipſam tranſeat cognatio legalis, certum eſt enim, quod dum conceditur principale, quod eſt adoptare, conceditur de conſequenti & acceſſorium, quod eſt contrahere cognationem legalem. Si autem quæratur, quare cognatio ſpiritualis nullo modo tranſeat in non baptizatum.

Adhuc quæſitum breviter reſpondendum eſt, quod cauſa, quare non tranſeat cognatio ſpiritualis in non baptizatum non provenit ex hoc, quod non poſſit tenere alium ad Sacramentum, ſicut ex hoc, quod non poſſit ſuſcipere, ſed provenit ex hoc præcisè, quia non eſt alicujus ſpiritualitatis capax, Unde nec inter membra Chriſti, & Eccleſiæ computatur.

§. QUARTUS.

De impedimento affinitatis.

POſt explicationem jã ſactam affinitatis proceditur ad explicationem hæc enim eſt conjunctio, vel propinquitas orta ex carnali copula inter ſœminam, & conſanguineos viri, cui copulata eſt, & inter marem, & conſanguineos fœminæ, cui copulatus eſt; hinc eſt, quod affinitas ſequitur conſanguinitatem, ac proinde in quo gradu eſt conſanguinitas, affinitas ſequitur ad illam; itaque conſtat, quod omnes conſanguinei mei ſunt affines uxoris meæ V. G. & in eodem gradu, in quo ſunt ipſi conſanguinei mei, adeſt exemplum, ſoror uxoris meæ eſt ipſi uxori in primo gradu conſanguinitatis, & mihi eſt in primo gradus affinitatis, filia ſororis in ſecundo gradu affinitatis, & ſic deinceps; ex quibus clarè videtur, quod gradus affinitatis extenduntur, ſicut

a cap. 18. gradus conſanguinitatis. *Hoc habetur Levit.* (a) turpitudinem patrui tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, qui tibi affinitate conjungitur.

b 3. c. 3. *Et in lib. Regum dicitur*, (b) quod Salomon affinitate conjunctus eſt Regi Pharaoni, accepit namque filia ejus. *Et ideò Divus Thomas docet*, (c) quod

c in ſupp. q. 55. a. 5. ex quo gradu affinitatis ſumuntur juxta gradus conſanguinitatis, oportet, quod tot ſint gradus affinitatis, quot ſunt gradus conſanguinitatis, eò quia

d ib. a. 8. jam ſupponit *Div. Thomas*, (d) quod affinitas etſi habeat gradus, non tamen per ſe, ſed ex conſanguinitate, utpote quia ex conſanguinitate cauſatur affinitas, igitur jam ſequitur, quod omnes gradus

e ib. ad 1. affinitatis cauſentur ex gradibus conſanguinitatis; *unde (ut ait* (e) gradus in propinquitate attinentiæ non poſſunt accipi, niſi ſecundum aſcenſum, & deſcenſum propagationis, ad quam non comparatur affinitas, niſi mediante conſanguinitate; ac proinde affinitas non habet per ſe gradus, ſed ſi illos habet, habet illos ſumptos juxta gradus conſanguinitatis;

f ib. in c. *hoc magis explicat Divus Thomas* (f) *aſſignando diſparitatem*, quæ reperitur inter conſanguinitatem, & affinitatem; ſiquidem carnis propagatio per ſe comparatur ad conſanguinitatem, cum ex illa immediatè vinculum conſanguinitatis contrahatur; cæterum ad affinitatem ſolùm comparatur mediante conſanguinitate, quæ eſt cauſa ejus; ac proinde cum gradus attinentiæ per comparationem carnis diſtinguantur, diſtinctio graduum per ſe, & immediatè convenire videtur conſanguinitati, affinitati verò mediante conſanguinitate, ſi enim aliqui non eſſent ſanguine connexi per viam generationis, vel per carnis propagationem, non poſſent eſſe affines illis parentibus, quorum filiam, vel neptem copulavit quis in uxorem; & ſi hoc non ſufficiat pro inventione gradus affinitatis, attendendum eſt ad regulam generalem, quam ipſemet *D. Th. aſſignat ib.* eiique, quoto gradu conſanguinitatis attinet mihi vir, toto gradu affinitatis mihi attinet uxor.

Nec ex eo, quod affinitas ſit minus vinculum, quàm conſanguinitas, deduci, & inferri debet, quod non ſint tot gradus affinitatis, quot ſunt gradus conſanguinitatis, nam ut benè *ait D. Th*, (b) hæc minoritas vinculi affinitatis reſpectu conſanguinitatis facit ſolùm varietatem in genere attinentiæ, non in gradibus, & ideò non ſunt diverſi gradus inter utraſque, cum illæ perſonæ, quæ ſunt in primo gradu conſanguinitatis, reſpectu generationis ſint in primo gradu affinitatis reſpectu copulæ contractæ per filiam V. G. quod autem ſit minus vinculum, quàm conſanguinitas, & quod hæc minoritas faciat varietatem in genere attinentiæ, conſtat in primis ex lege Moyſi, in qua frater poterat accipere uxorem fratris ſui defuncti ſolùm in caſu, quo vid. moriebatur ſine prole, ut ſuſcitaret ſemen fratri ſuo, *legitur enim in Deut.* (b) quando habitaverint fratres ſimul, & unus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiat eam frater ejus, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui; in confirmationem illius, quod jam in lege naturæ præſcriptum erat, *quoniam legitur in lib. Gen.* (i) quod Iudas dicit ad Onan filium ſuum, ingredere ad uxorem fratris tui (Her, qui primogenitus fuit Iudæ, & mortuus fuit occiſus à Domino propter iniquitatem ejus), & ſociare illi, ut ſuſcites ſemen fratris tuo. Unde & Moyſes præſcripſit: & meritò, quia tunc requirebatur, quando jam per propagationem carnis cultus religionis multiplicabatur, quod nunc locum non habet; tùm ex facilitate diſpenſationis, qua Eccleſia utitur modò; & ideò *ait D. Tho.* (l) licet nunc locum non habeat, v. quod frater poſſit accipere uxorem fratris ſui defuncti ſine prole, tamen nunc ſit, ſicut & olim fiebat diſpenſatio in remotis gradibus affinitatis; quàm in remotis gradibus conſanguinitatis.

g ad 1. ad 8. ib.

h cap. 25.

i cap. 38.

l ib. ad 2.

Diximus, quod ex lege Moyſi frater poterat accipere uxorem fratris ſui defuncti ſine prole tamen, ut ſuſcitarat ſemen fratris ſui; & taliter hoc erat præſcriptum in lege illa, ut non deleretur nomen primi mariti ex Iſrael, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Iſrael; cæterum ſi ex ea fuiſſet proles, frater non poterat accipere uxorem fratris in ſibi uxorem. Et hic eſt, quod Ioannes Baptiſta arguebat Herodem dicens ad eum, non licet tibi habere uxorem fratres tui, non quia jam eſſet proles ex eo, ſed quia, quod majus eſt, Herodes inceſtuosè peccabat cum Herodiade uxore Philippi fratris ſui adhuc viventis. *Ob hanc cauſam dicimus cum D. Tho.* quod frater defuncti non ducebat eam in uxorem, quaſi gerens propriam perſonam, ſed quaſi ſupplens defectum fratris ſui non relinquentis, vid. ſemen ſuum in terram. Quo tamen defectu ſublato conjugium contractum inter affines, & conſanguineos ſemper eſt dirimendum in illis tamen gradibus, in quibus modò ab Eccleſia prohibitum eſt, ne contrahatur matrimonium, quoniam in conſanguinitate, & affinitate licita aſſignantur quatuor gradus, in illa verò affinitate illicita, hoc eſt, quæ oritur ex copula illicita, duo gradus tantùm aſſignantur, & ideò dicitur ſemper illud eſſe dirimendum, quia ſi Eccleſia in cujus facie fieret conjunctio inter ipſos, ignoraret hujuſmodi impedimenta, tamen talis conjunctio licet non haberet inſeparabilitatem ex auctoritate divina, *juxta quam fit illud Matth.* (m) quod Deus conjunxit, homo non ſeparet, nihilominus eſt contra auctoritatem divinam errore hominum inducta, & talis error excuſat a peccato, cum ſit error facti, quamdiù manet; hoc dicitur, quia ſi ad Eccleſiæ notitia talem impedimen-

m cap. 19.

tum

tum provenerit, Eccleſia debet prædictam conjunctionem tollere. & ideò *ait Div. Thom.* (*n*) ſi probetur affinitas, vel conſanguinitas, ſeparandi ſunt, etiam ſi de facto contraxerint; ratio hujus eſt, quia cum omnis concubitus præter licitum matrimonium ſit peccatum mortale, ad ipſam Eccleſiam pertinet eos, inter quos non poteſt eſſe verum matrimonium, ſeparare, præcipuéque conſanguineos, & affines, qui ſine inceſtu contrahere non poſſunt carnaliter.

n in ſuppl. q 55. a. 9.

Diximus *ad Eccleſiam pertinere eos, inter quos non poteſt eſſe verum matrimonium, ſeparare*; & modò dicimus, quod ut fiat talis ſeparatio, erit procedendum per viam accuſationis, & cum ſit procedendum per talem viam, conſequenter erit etiam procedendum per teſtes, at quia teſtes eſſe non poſſunt, niſi prius ſit accuſatio, ideò priùs procedendum eſt per viam accuſationis, *inquit Div. Thom.* (*o*) & meritò cum accuſatio ad hoc ſit inſtituta, ne aliquis ſuſtineatur quaſi innocens, qui culpam habet; Unde ſicut contingit ex ignorantia facti, quod aliquis homo reputetur innocens, qui in culpa eſt, ita & poteſt contingere ex ignorantia alicujus circumſtantiæ quod aliquod factum reputetur licitum, quod eſt illicitum, & quia manifeſtum eſt, quod omne illicitum poteſt accuſari, hinc ſequitur, quod etiam de matrimonio affinium, & conſanguineorum poteſt eſſe accuſatio, utpote illicitum, *unde ſubdit Div. Thom.*, ſic matrimonium accuſatur, quando propter ignorantiam impedimenti æſtimatur legitimum, quod eſt illegitimum.

o ib. a. 1.

Sciendum tamen eſt, quod talis accuſatio non eſt de genere illo, quod quis ſe obliget ad pœnam talionis, quia *ut ait Div. Thom.* (*p*) obligatio ad pęnam talionis habet locum, quando accuſatur de crimine ipſa perſona, tunc enim agitur ad puniendum ejus, cæterum quando accuſatur factum, ut contingit in præſenti, non agitur tunc ad pęnam facientis, ſed ad impediendum hoc, quod eſt illicitum, nec accuſator ſe obligat ad aliquam pęnam in matrimonio.

p ib. q. 2.

Si verò quæratur, quomodo fieri poſſit hujuſmodi accuſatio? *dicendum eſt cum eodem D. Tho.* (*q*) quod poteſt illa fieri & verbis, & ſcripto, ita ut tamen exprimatur & perſona accuſans matrimonium, quod accuſatur, & impedimentum, propter quod accuſatur; hoc totum fit, ut tollatur fraus, vel malitia alicujus, præcipuè illius, qui primò tacuit, quando matrimonium contrahebatur. *Iuxta Decr.* (*r*) ſi poſt contractum matrimonium aliquis apparet accuſator, cum non prodierit in publicum, quando Banna ſecundum conſuetudinem in Eccleſiis edebantur. Utrum vox ſuæ debeat accuſationis admitti, quæri poteſt, ſuper quo duximus reſpondendum, quod ſi tempore denunciationis præmiſſæ is, qui jam conjunctos impedit, extra diœceſim exiſtebat, vel aliàs denunciatio non potuit ad ejus notitiam pervenire, puta ſi nimiæ infirmitatis fervore laborans, ſanæ mentis patiebatur exilium; vel in annis erat tàm teneris conſtitutus, quod ad comprehenſionem talium ejus ætas ſufficere non valebat, ſeù alia cauſa legitima fuerit impeditus, ejus accuſatio debet audiri; alioquin tamquam ſuſpectus eſt omninò repellendus, niſi proprio firmaverit juramento, quod poſtea didicerit ea, quæ objecerit, & ad hoc ex malitia non procedat. Unde & extranei repelluntur ab accuſatione, cum nequeant ſcire conſanguitatem, niſi per conſanguineos, quapropter ſi illi taceant, licitè ſuſpicari poteſt contra extraneum, quod ex malevolentia procedant, non ſunt tamen repellendi conſanguinei, quantumque propinqui ab accuſatione; quando tamen accuſatur matrimonium propter aliquod impedimentum perpetuum quod impedit contrahendum, & dirimit contractum. Cæterum non ſemper propinqui audiendi etiam ſunt, præcipuè quando accuſatur ex hoc, quod dicitur non feciſſe contractum, quia tunc tamquam ſuſpecti repellendi ſunt, niſi ex parte illius, qui eſt inferior dignitate, & divitiis, de quibus probabiliter æſtimari poteſt, quod libenter vellent, ut matrimonium ſtaret: quod ſi nondùm fuerit contractum, ſed ſolùm ſponſalia numquam poteſt accuſari, manifeſtum eſt namque, quod nequit accuſari id, quod non eſt, licet ex alio capite poſſit denunciari impedimentum, ne matrimonium contrahatur.

q ib.

r L. 4. tit. 18. c. 6.

Poſtquam autem per viam accuſationis proceditur, & quando rectè procedendum eſt; nullum eſt dubium, quod poteſt procedi etiam per teſtes; maximè quia teſtes inducuntur in cauſis, ut ſuper his, de quibus judicatur, judici fiat fides, quæ eſt facienda, ſicut in aliis cauſis, *nam ut benè docet D. Thom.* (*ſ*) in hac cauſa opus eſt, ut veritas pateſiat per teſtes, ſicut, & in aliis cauſis, ut judex poſſit ſententiam proferre juxta allegata, & probata; talis autem judex debet eſſe Eccleſiaſticus, ad quem ſpectat reſolvere cauſas matrimoniales, *ut definit Conc. Tridentin.* (*t*) ſiquis dixerit cauſas matrimoniales non ſpectare ad judices Eccleſiaſticos; anathema ſit. Hujuſmodi autem cauſæ gaudent uno privilegio, quod aliæ cauſæ non gaudent, & hoc ſecundum juriſtas, qui volunt, quod in hac cauſa idem poſſit eſſe accuſator, & teſtis, & quod non juratur de calumnia, cum ſit cauſa, quaſi ſpiritualis: Immò & conſanguinei admittantur ad teſtificandum, nec obſervatur omninò ordo judiciarius, nam tali denunciatione facta poteſt contumax excommunicari lite non conteſtata, & valet hoc teſtimonium de auditu, & denique poſt publicationem teſtium teſtes poſſunt induci, quod totum fit, & benè, ut impediatur peccatum, quod in tali conjunctione eſſe poteſt.

ſ in ſuppl. q 55. a. 11.

t ſeſſ. 24. c. 12.

Affinitas cum conſequatur conſanguinitatem, & illam præſupponat, hinc mirum non eſt, ſi affinitas cauſetur ex matrimonio conſanguinei, *cum ut docet Divus Tho.* (*u*) amicitia naturalis in communicatione naturali fundetur. At naturalis communicatio eſt duobus modis: primò per carnis propagationem: ſecundò per conjunctionem ad carnis propagationem ordinatam. Et quia amicitia viri ad uxorem eſt naturalis, hinc ſequitur, quod ſicut perſona conjuncta alteri per carnis propagationem quodam vinculum amicitiæ naturalis facit, ita ſi conjungatur per carnalem copulam.

u in ſuppl. q 55 art. 1

Adeſt tamen differentia, & eſt, quod perſona conjuncta alicui per carnis propagationem ut filius Patri, fit particeps ejuſdem radicis communis, & ſanguinis, unde eodem genere vinculi colligatur filius conſanguineis Patris, quo pater conjungebatur; ſcil. conſanguinitate, non tamen in eodem gradu propter majorem diſtantiam à radice; at perſona conjuncta per naturalem copulam non fit particeps ejuſdem radicis; ſed quaſi extrinſecùs adjuncta, adeòque ex hoc afficitur aliud genus vinculi, quod affinitas dicitur, hoc explicatur per hunc verſum.

Mutat nupta genus, ſed generata gradum.

Unde videtur, quod perſona per generationem fit in eodem genere attinentiæ, ſed alio gradu, illa verò per carnalem copulam fit in alio genere.

Affinitas cum ex conſanguinitate cauſetur, & iſta ſit perpetuum vinculum, quamdiù perſonæ vivunt, inter quas eſt affinitas, ſic & affinitas non ſolvitur ſoluto matrimonio per mortem perſonæ: ad quod manifeſtandum *utitur Divus Thomas exemplo de deſitione relationis*, (*x*) nam aliqua relatio deſinit eſſe dupliciter, primò ex corruptione ſubiecti, alio modo ex ſubtractione cauſæ, ut ſimilitudo deſinit eſſe, quando alter ſimilium moritur, vel quando qualitas quæ erat cauſa ſimilitudinis, ſubtrahitur. Hoc poſito.

x in ſuppl q 55. art. 1

Docet, quod ſunt aliquæ relationes, quæ habent pro cauſa actionem, vel paſſionem, vel motum: Harum quædam cauſantur ex motu, in quantum aliquid movetur actu, ſicut eſt ipſa relatio moventis, & moti: quædam autem in quantum habent aptitudinem ad motum, ut motivum, & mobile, Dominus, & ſervus: Quædam ex hoc, quod aliquid

prius

Digitized by Google

prius motum eſt, ſicut Pater, & Filius, non enim ex hoc, quod eſt nunc generari ' dicuntur ad invicem, ſed ex hoc, quod eſt generatum eſſe, eò quia tunc reſultat relatio paternitatis ad filium, quando adeſt ſubjectom, quod eſt vir generans, quando adeſt fundamentum, quod eſt potentia generativa, & quando adeſt terminus, qui eſt filius genitus, & licet aptitudo ad motum, & ipſum moveri tranſeat, tamen motum eſſe perpetuum eſt, patet enim, quod illud, quod factum eſt, numquam deſinit eſſe factum, poteſt tamen annihilari, ſed tunc non erit deſitio, quia nihil remanebit de ſubjecto. Hoc totum videtur clarum in paternitate, & filiatione, paternitas namque, & filiatio numquam deſtruuntur per ſubtractionem cauſæ, ſed ſolùm per corruptionem ſubjecti per alterutrum extremorum, ſic ergo in caſu noſtro videtur idem dicendum de affinitate, ac de relatione paternitatis, & filiationis; eò quia affinitas cauſatur ex hoc, quod aliqui conjuncti ſint, non ex eo, quod conjunguntur, quod roboratur *à Div.*
y lib. ad 1. *Thoma dicente*, (y) quod conjunctio matrimonii cauſata affinitatem non ſolùm ax hoc, quod eſt actu conjungi, ſed ſecundum hoc, quod eſt prius conjunctum eſſe; & ideò non dirimitur manentibus illis perſonis, inter quas affinitas eſt contracta, licet moriatur perſona, ratione cujus contracta fuit. Hæc doctrina *Divi Thom.* accipit majorem vim ex auctoritate Innocentii Papæ Tertii dicentis, ſi cujus patruus uxoratus obierit, & illa virum alium duxerit, & filios genuerit, filiaſve, cum his promiſceti omnibus modis prohibemas, quia vir, & mulier una caro ſunt. E contra de conſanguinitate, iſta enim quamvis cauſet affinitatem, ceſſat per mortem viri ad conſanguineos ſuos; & hoc quia conſanguinitas non eſt proxima cauſa affinitatis, ſed conjunctio ad conſanguineum, non ſolum quæ eſt, ſed etiam quæ fuit.

Affinitas, cum ſit propinquitas perſonarum, ex carnali corpula proveniens omni carens parentela, hinc eſt, quod cum carnalis copula ſit etiam in illicito concubitu, iſte conſequenter affinitatem cauſabit, *ſicut colligitur ex Divo Paulo* (z) adhærens meretrici
z 1. Cor. 6. ad Cor. unum corpus efficitur eodem modò quò adhærens uxori unum corpus efficitur: adeòque meritò dicitur, quod ſit propinquitas perſonarum ex carnali copula proveniens omni carens parentela, & quod adhærens meretrici unum corpus efficiatur, conſtat ut certum, eò quia jam erunt duo in carne una, ultrà quod apertè videtur, quod in fornicario concubitu eſt aliquid naturale, quod eſt commune fornicationi, & matrimonio; ex qua parte affinitatem cauſat; nec ex eò, quod cauſa aliquo modo ſit inhoneſta, tollitur affinitas, cum iſta ſemper honeſta remaneat. Excipitur tamen concubitus contra naturam, non enim, ex tali concubitu fit commixtio ſeminum, quæ poſſit eſſe cauſa generationis, ac proinde ex tali inhoneſto concubitu non cauſatur affinitas.

a in ſupp. q. 55. a. 3 Quod autem hoc, quod dicimus, ſemen ſit, jam à D. Th. (a) deſumitur, dùm docet, conjunctio viri, & uxoris dicitur naturalis principaliter propter prolis productionem, ad quam requiritur neceſſariò commixtio ſeminum, quæ fit in vaſe naturali, & ſecundariò propter operum communicationem; Primum horum pertinet ad matrimonium ratione copulæ carnalis, ſecundum verò in quantum eſt quædam ſocietas ad communem vitam; & primum horum invenitur in qualibet copula carnali, in qua tamen eſt mixtio ſeminum, nam quis poteſt negare, quod ubi per carnalem copulam eſt commixtio ſeminum, ibi non poſſit proles produci? ſi ergo hoc à nemine negari poteſt, conſequenter fatendum eſt, quod & in fornicario concubitu cauſatur affinitas, cum & in fornicario concubitu ſit aliquid de carnali commixtione; cæterum in fornicario concubitu deeſt ſocietas ad communem vitam, non enim debet homo morati in concubinatu, ſicut nec mulier, ſed debet homo omninò ſe abſtinere ab illo, utpotè & contra præceptũ Dei in Decalogo prohibentis, immò & præcipientis non mœchaberis; & quia hujuſmodi regnum Dei non poſſidebunt, *ſicut teſtis eſt Paulus ad Corint.*
Unde & *Conc. Trid.* (b) ut homines ſe abſtineant ab hu- b p. 8
juſmodi illicito concubitu, & à perſeverantia in eodem infligit pœnam erga illos, qui ſic impiè vivere præ- c ſeſſ. 24 de
ſument; *ſtatuit ergo*, (c) grave peccatum eſt homi- Ref. dec. 8
nes ſolutos concubinas habere, graviſſimum verò & in hujus magni Sacramenti ſingularem contemptum admiſſum, uxoratos quoque in hoc damnationis ſtatu vivere, ac audere eas, quandòque Domi cum uxoribus alere, & retinere; quare ut huic tanto malo Sancta Synodus opportunis remediis provideat, ſtatuit hujuſmodi concubinarios tàm ſolutos, quàm uxoratos, cujuſcumque ſtatus, conditionis, & dignitatis exiſtens; ſi poſtquam ab Ordinario, etiam ex officio ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, ſeque ab earum conſuetudine non ſe junxerint, excommunicatione feriendos eſſe, à qua non abſolvantur, donec reipſa admonitioni factæ paruerint: Quod ſi in concubinatu per annum cenſuris rejectis permanſerit, contra eos ab ordinario pro qualitate criminis procedatur.

Nec loquitur Concilium de hominibus ſolùm, verum etiam & de mulieribus, unde & ſubdit, mulieres, ſive conjugatæ; ſive ſolutæ, quæ cum adulteris, ſeù concubinariis publicè vivunt, ſi ter admonitæ non paruerint ab Ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex officio graviter pro modo culpæ puniantur, & extra oppidum, vel Diœceſim (ſi id eiſdem Ordinariis videbitur), invocato ſi opus fuerit, brachi ſæculari, ejiciantur, aliis pœnis contra adulteros, & concubinarios inflictis in ſuo robore permanentibus.

§. QUARTUS.

De impedimento publicæ honeſtatis.

HOc impedimentum, ſic definitur, eſt propinquitas quædam ex ſponſalibus proveniens, quæ facit, ut alter ſpõſus cum alterius conſanguineis matrimonium contrahere non poſſit. Vel *juxta D. Th.* (a) eſt a in ſuppl.
propinquitas ex ſponſalibus proveniens robur trahens q. 55. a. 1
ex inſtitutione Eccleſiæ propter ejus honeſtatem. Unde docet, quod affinitas, & ſi cauſetur ex ſponſalibus, *juxta Alex. Papam, qui in Decr.* (b) prohibuit mulie- b l. 4. ti. 16
rem quamdam cuidam viro conjungi matrimonio, c. 1
quia fuerat deſponſata fratri ſuo; illa tamen affinitas non eſt abſolutè affinitas, ſed aliquid affinitati ſimile, non eſt abſolutè affinitas, quia ſponſalia perfectam rationem matrimonii non habent, ſed ſolùm ſunt quędam præparatio ad matrimonium. Et per hoc, quod dicitur aliquid affinitati ſimile, explicatur publicæ honeſtatis juſtitia, quæ impedit matrimonium, ſicut & affinitas, & conſanguinitas, & ſecundum eoſdem gradus; Hoc dicitur ab eodem juxta id, quod tunc erat determinatum temporibus illis, ut videri eſt, *ext. de Sponſ. C. Sponſam & de deſponſ. impub. cap. continebatur in finem* tunc enim ſi aliqui ſponſalia inter ſe contrahebantur, nullus de conſanguitate ſponſi poterat ſponſam illam habere in uxorem; nec aliqua de conſanguinitate ſponſæ poterat ſponſum illum habere in virum, & hæc prohitio durabat uſque ad quartum gradum ipſorum conſanguineorum; tamen modò determinatur à *Conc. Trid.* (c) quod talis prohibitio ſo- c ſeſſ. 24 de
lùm ſe extendat ad primum gradum, *ſic enim definitur* Ref. dec. 3
ab eod. Conc. juſtitiæ publicę honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia quacumq; ratione valida non erunt, ſancta Synodus prorſus tollit, ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant; quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt hujuſmodi prohibitio abſque diſpendio obſervari; Et hoc fuit roboratum

Digitized by Google

ex Bulla Pii Quinti anno Domini 1568. Kalendis Iulii.

Dicitur à Concilio, ubi ſponſalia valida fuerint quia prius ſupponit eſſe quædam ſponſalia invalida, juxta etiam id, quod docet *Div. Thom.* (*d*) quod tunc non contrahitur affinitas, quando adſunt impedimenta, quæ poſſunt dirimere ſponſalia, & ſunt, habens defectum ætatis habens votum ſolemne continentiæ, aut aliquod ſimile impedimentum, & contrahant de facto ſponſalia, ex talibus ſponſalibus ſic contractis nulla ſequitur affinitas, quia ſponſalia nulla ſunt, nec aliquis affinitatis modus: quod eſt juxta illud Concilii, ubi ſponſalia, quacumque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorſus tullit.

[d 18. ad 3.]

Diximus ex D. *Thoma*, quod ex ſponſalibus cauſatur aliquid affinitati ſimile, cum non habeant perfectam rationem matrimonii, ſed ſit quædam præparatio ad matrimonium, nam ut magis docet *D. Tho.* (*e*) ſponſalia non ratione ſui, ſed ratione ejus, ad quod ordinentur, cauſant hoc genus affinitatis, quod dicitur publicæ honeſtatis juſtitia. *Et rurſus ait*, (*f*) ex eo, quod matrimonium affinitatem cauſet, & ratione carnalis copulæ, & ratione ſocietatis conjugalis, ſecundum quam matrimonium naturale eſt; unde & affinitas contrahitur ex ipſo contractu matrimonii, per verba de præſenti ante carnalem copulam, jam rectè ſequitur, quod etiam ex ſponſalibus, in quibus fit quædam pactio conjugalis ſocietatis, contrahat aliquid affinitati ſimile; ex quibus ſponſalibus, validis tamen, ſine prorſus dubio oritur jure Eccleſiaſtico impedimentum publicæ honeſtatis dirimens matrimonium cum conſanguineis alterius ſponſi in primo gradu, hinc dicitur, quod ſi quis poſt ſponſalia, celebrata cum Maria matrimonium contraheret cum ſorore illius, vel matre, vel filia, invalidè contraheret.

[e ib. ad 1.] [f ib. ad 2.]

Diximus, quod habens defectum ætatis, habens votum ſolemne continentiæ &c. etſi contrahant de facto ſponſalia, tamen ex illis, utpote quia nulla ſunt, nulla etiam cauſatur affinitas; hoc diximus, ut ſciamus, quod licet juxta dicta in impedimento de affinitate vir, & mulier efficiantur in carnali copula una caro per commixtionem ſeminum, attamen ſi quis clauſtrum pudoris invaderet, vel frangeret, & commixtio ſeminum non ſequeretur, non contraheretur affinitas.

Et ut concludamus tàm de iſto impedimento, quàm de illo affinitatis; opus eſt ſcire, ea quæ docet *D. Tho.* (*g*) de affinitate, inquit enim, affinitas non eſt cauſa affinitatis, quod explicat per aſſignationem duorum modorum, qui inveniuntur in proceſſu attinentiæ, quibus hujuſmodi vinculum cauſatur; Unus per carnis propagationem, & hic ſemper facit eamdem ſpeciem attinentiæ juxta modum proceſſionis, ſecundum quem aliquid procedit in ſimilitudinem ſpeciei, quotieſcumque eo ipſo modus iteretur, ſemper manet eadem ſpecies; ut ſi ex homine generetur homo per actum generationis, ex hoc quoque generabitur homo, & ſic deinceps. Alius per matrimonialem conjunctionem & hoc facit aliam ſpeciem in principio, ſicut patet, quod conjuncta matrimonialiter conſanguineo non fit conſanguinea, ſed affinis, juxta etiam alium modum proceſſionis, qui facit aliam ſpeciem, & quotieſcumque iteretur, facit aliam ſpeciem, quod patet: nam videmus, quod ex puncto per motum procedit linea, non punctus, punctus namque motus facit lineam, & ex linea linealiter mota non procedit linea, ſed ſuperficie, & ex ſuperficie corpus; ſic ergo ſi ille modus procedendi iteretur, non erit affinitas, ſed aliud attinentiæ genus, & ſic perſona, quæ matrimonialiter affini conjungitur, non eſt affinis, ſed aliud genus affinitatis, quod dicitur ſecundum genus, & rurſus ſi affini in ſecundo genere aliquis per matrimonium conjungatur, non erit affinis in ſecundo genere, ſed in tertio, ſecundum verſum citatum.

[g in supp. q. 55. a. 3.]

Verùm iſta duo genera olim erant prohibita ob publicæ honeſtatis juſtitiam, magis, quàm ob affinitatem, quia deficiunt à vera affinitate, ſicut iſta attinentia, quæ ex ſponſalibus contrahitur, at modò illa prohibitio ceſſavit, & ſub prohibitione remanet ſolùm primum genus affinitatis, in quo eſt vera affinitas.

Et iſta vera affinitas eſt, quæ impedit matrimonium, *ut legitur Levit:* (*h*) turpitudinem uxoris Patris tui non revelabis; & cum uxor Patris tui ſit affinis, jam ſequitur, quod affinitas matrimonium impedit, quæ affinitas licet non contrarietur matrimonio, ex quo cauſatur, contrariatur tamen illi, quod cum affine contrahendum eſſet, in quantum impediret multiplicationem amicitiæ, & concupiſcentiæ repreſſionem, quæ per matrimonium quæruntur. Unde *D. Thomas docet* (*i*) quod affinitas præcedens matrimonium impedit matrimonium, & dirimit contractum eadem ratione, qua & conſanguinitas. Idcircò Divus Thom. ſemper ſequens ea, quæ ſunt fidei, & Eccleſiæ, extendebat juxta prohibitionem antiquam Eccleſiæ affinitatem præcedentem matrimonium ad illos gradus, ad quos extendebatur, ſicut extenditur conſanguinitas. *Concilium verò Tridentinum* media via procedens, unde & ſtatuit; Præterea Sancta Synodus eiſdem, & aliis graviſſimis de cauſis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractum inducitur, & matrimonium poſtea factum dirimit, ad eos tantùm, qui in primo, & ſecundo gradu conjunguntur, reſtringit; in ulterioribus verò gradibus ſtatuit hujuſmodi affinitatem matrimonium poſtea contractum non dirimere (ſicut nec dirimitur matrimonium per affinitatem illi ſupervenientem per copulam illicitam cum conſanguineis conjugis in primo, & ſecundo gradu; in pœnam verò tanti ſceleris impeditur uſus matrimonii; unde privatur jure petendi debitum conjugale, licet non privetur facultate reddendi debitum, cum non debeat privari pars innocens propter alterius delictum: Nota tamen, quod Epiſcopus diſpenſare poteſt inceſtuoſum circa jus petendi debitum. In quibus verbis *Concilium non videtur redarguere Divus Thomas*, ſed ſolùm voluit idem Concilium tollere multa inconvenientia ob frigeſcentem charitatem multorum, quæ de facili oriebantur. Cæterum doctrina Divi Thomæ ſecura fuit illis temporibus circa hanc affinitatem præcedentem matrimonium, & quod docuit de facto in corpore articuli magis roboravit in reſponſione ad ſecundum, ſicut conſanguinitas impedit matrimonium, vel conjunctionem ad virum ſecundum carnem; ita & ad uxorem viri: Immò ſicut ineſt neceſſitas quædam cohabitandi conſanguineis ad invicem, ita & affinibus, & ſicut eſt quodam amicitiæ vinculum inter conſanguineos, ita & inter affines.

[h cap. 18.] [i in suppl. q. 55. a. 6.] [l Sess. 24. de Ref. dec. 4.]

Subdit tamen Divus Thomas, ſi affinitas matrimonio ſuperveniat, non poteſt ipſum dirimere, & hoc ſecundum illud, *quod jam docuit* (*m*) impedimentum aliquod matrimonio ritè facto ſuperveniat, non valet ſolvere matrimonium: unde hæc impedimenta (, ſcilicet diſparitas cultus propter nimiam diſtantiam ad ipſam; vel propter nimiam propinquitatem; & ſic ponitur triplex impedimentum, ſcilicet cognatio, quæ importat propinquitatem duarum perſonarum ratione tertiæ matrimonio junctæ, & publicæ honeſtatis juſtitia, in qua eſt propinquitas duarum perſonarum reſpectu tertiæ per ſponſalia junctæ; vel propter indebitam conjunctionem ad ipſam primo factam, & ſic impedit crimen adulterii prius cum ipſa commiſſi.) non dicuntur dirimere matrimonium contractum, quaſi ſolventia verum matrimonium, quod ritè contractum eſt, ſed quia ſolvunt matrimonium quod contractum eſt de facto, & non de jure:

[m in supp. q. 56. a. un.]

hæc

Digitized by Google

hæc ſunt, quæ aſſignavimus juxta doctrinam *Div. Thomæ*; & hæc ſunt, quæ ante *Concil. Trid.* ab Eccleſia prohibita erant. Ob hoc & nos adduximus eamdem Divi Thomæ doctrinam, ut cognoſcatur numquam ab Eccleſia Catholica deviaſſe, & ideò etiam tunc utilis fuit ad cognoſcendam veritatem, quam Eccleſia edocebit, quæ veritas magis clarificata fuit *à Concilio Tridentino*, & explicata magis à Pio V. P. M. in Bulla edita Anno Domini 1566. 4. Kalendas Decembris, & hoc ut veneremur auctoritatem tanti Pontificis, & magis magiſque ſtatuta ejuſdem Sacri Concilii veneremur;

De impedimento criminis,

DE hoc impedimento à D. *Tho. agitur ſub nomine uxoricidii* provenientis ex adulterio: at ut inveſtigetur, quando impediat matrimonium, prius à *D. Th ſupponitur*, (a) quod uxorem interficere ſtat dupliciter, *primò* per judicium civile; & ſic nullum eſt dubium, quod vir ſine peccato, zelo juſtitiæ, non livore vindictæ, aut motus odii uxorem adulteram in judicio ſeculari accuſare criminaliter de adulterio poteſt; & pœnam mortis à lege ſtatutam petere, verùm talis accuſatio non poteſt fieri in judicio Eccleſiaſtico, cum Eccleſia non habeat gladium materialem, ſed ſolùm ſpiritualem. Etſi Deus præceperit per legem adulteras lapidari, *ſicut ſcriptum eſt in Io*: (b) in lege autem Moyſes mandavit nobis hujuſmodi lapidare, hanc tamen pœnam infligendam non commiſit privatis perſonis, ſed publicis, quæ habent officium ad hoc deputatum; ex quo ſequitur, quod vir, ut perſona privata, cum non ſit judex uxoris ſecundum hanc legem, non poteſt eam interficere, quamvis poſſit eam coram judice accuſare, & ſicut per legem divinam non permittitur viro, ut perſonæ privatæ occidere uxorem, ſic nec per legem civilem committitur viro occiſio uxoris, quaſi præcipiens, quia ſic non peccaret, ſed permittit, pœnam non adhibens, at ne de tali permiſſione non adhibente pœnam vir ſibi deſerviat ad occiſionem uxoris, quaſdam difficultates appoſuit quibus retraherentur viri ab uxoricidio.

a in ſupp. q. 60. a. 1

b cap. 5.

Alio modo poteſt eam per ſeipſum occidere, non in judicio convictam, & ſic extra actum adulterii eam interficere, quantumcumque ſciat, eam eſſe adulteram, neque ſecundum legem civilem, neque ſecundum legem conſcientiæ licet. Verum tamen eſt, quod lex civilis quaſi licitum putat, quod in ipſo actu eam interficiat, non quaſi præcipiens, vel prohibens, ſed quaſi pœnam homicidii ei non infligens ob maximum incitamentum; quod habet vir in tali facto ad occiſionem uxoris; cæterum Eccleſia in hoc non eſt aſtricta legibus humanis, ut judicet eum ſine reatu pœnæ æternæ, vel pœnæ Eccleſiaſtico jure infligendæ, ex hoc, quod eſt ſine reatu pœnæ infligendæ per judicium ſeculare; unde ex his conſtat in nullo caſu licere viro occidere uxorem propria auctoritate.

Nec ex eo, quod vir teneatur uxorem ſuam corrigere, ſequitur, quod debeat infligere illi pœnam debitam tali delicto, ſc. adulterii, *nam Divus Thomas abſolutè negat* (c) quod tali correctio fiat per inflictionem juſtæ pœnæ ſ. mortis, nam vir, qui habet uxorem, dicitur, quod præeſt congregationi œconomicæ, & ſic talis ut paterfamilias, non poteſt infligere, niſi pœnam corrigentem, quæ non ſe extendit ultrà terminos emendationis, quam tranſcendit pœna mortis; ac proinde vir, qui ſic præeſt uxori, non poteſt ipſam interficere; licet ex alio capite eam accuſare poſſit, vel caſtigare; & hoc ad differentiam congregationis politicæ, eò quia ille, qui ſic præeſt, ut Rex poteſt infligere pœnam, & corrigere perſonam, & exterminare ad purgationem communitatis, cujus curam gerit. Hoc poſito.

c Ib. ad 4.

Quàm meritò uxoricidium impediat matrimonium *aſſerit Divus Thomas*, *dùm docet*, quod in eo, quo quis peccat; debeat etiam puniri, *ſecundum illud Sap. ent* (e) per quæ peccat quis, per hæc, & torquetur; cum autem peccet contra matrimonium, qui uxorem occidit, (intellige ſuam,) nam ſi quis alienam uxorem occiderit; non peccat contra matrimonium, ſicut qui ſuam uxorem occidit, & ſic ille, & non ille punitur, ut matrimonio privetur, & hoc ex ſtatuto Eccleſiæ.

p in ſupp. q. 60. a. 2.

e cap. 11.

Et licet impediat matrimonium uxoricidium factum cum odio, vel ira, vel vindicta, tamen licet habeat impedire, ne matrimonium contrahatur, non tamen dirimere contractum, *juxta D. Th.* (g) quandoque uxoricidium impedit illud contrahendum, & non dirimit contractum, & eſt, quando propter adulterium vir occidit uxorem ſuam, aut etiam propter odium, & de tali impedimento poteſt diſpenſari per Eccleſiam cum tali viro, maximè ſi timeatur de incontinentia ejus, ut licitè matrimonium contrahat: Aliquando verò dirimit etiam contractum, & tunc eſt, quando committitur uxoricidium animo ad alias nuptias tranſeundo, *& ut ait D. Th.* quando interficit aliquis uxorem ſuam, ut ducat eam, cum qua mœchatur, eò quia tunc efficitur illegitima perſona ſimpliciter ad contrahendum cum illa, ita ut ſi de facto cum ea contraxerit, matrimonium dirimatur; non verò illud dirimitur, ſi cum alia muliere ſe copulaverit, licet ex alio capite peccaret, nam faceret contrà ſtatutum Eccleſiæ.

f in dec. 31 q. 1. c. In- ſuſtores.

g ib. ine.

Diximus cum illa ſimpliciter, quia etiamſi peccatum talis interfectionis poſſit per pœnitentiam removeri, hoc non facit, quod removeri poſſit per pœnitentiam impedimentum matrimonii, non enim *inquit D. Th.* (h) pœnitentiam reſtituit in priſtinam dignitatem, quamvis poſſit inſtituere in priſtinum ſtatum gratiæ, (i) nam, *ut docuit*, pœnitentia licet revocet omnes defectus reſtituendo in primam gratiam, non tamen ſemper reſtituit in primam dignitatem; unde videtur quod & mulieres per peractam pœnitentiam de fornicatione non velantur, quia dignitatem virginitatis non recuperant *adeòq; benè docet*, quod non eſt neceſſarium, ut deleta culpa deleatur omnis pœna, ut patet de irregularitate.

h ib. ad 5

q in ſuppl. q. 18 ar. 1.

At quia ſub nomine criminis cadit, & raptus ſponſæ alienæ, ideò dicitur, quod talis raptus impedit, & dirimit matrimonium, *Secundum Concilium Tridentinum* (l) decernit Sancta Synodus inter raptorem, & raptam, quamdiù ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium. Quod ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto, & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit; eam raptor in uxorem habeat, & nihilominus raptor ipſe, & omnes illi conſilium, auxilium, & favorem præbentes, ſint ipſo jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum ipſe incapax: Etſi clerici fuerint da gradu deſidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, ſive eam in uxorem duxerit, ſive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.

l ſeſ. 24. de Ref. de c. 5

Deinde ſub nomine criminis intelligitur occiſio alterius conjugis, quæ impedit, ne conjux ſuperſtes poſſit matrimonium inire cum auctore necis, ſi eum eò machinatus eſt mortem, vel ſi antea adulterium commiſit cum eo etiam ſine mortis machinatione: ſicut & intelligitur adulterium commiſſum cum promiſſione futuri conjugii cum adultera poſt obitum propriæ conjugis, vel cum ea de præſenti inito contractu matrimonii, quamvis irrito. Et hæc de hoc impedimento.

Digitized by Google

De impedimento vis, ſeu violentiæ.

SUb nomine conſenſus coacti, ſive conditionati *agitur à Divo Thoma (a)* de hoc impedimento violentiæ. Et ut intelligantur ea, *quæ docet Divus Thomas*, opus eſt ſupponere, ut certum, quod violentia etiam de ſui natura ſine conſtitutione Eccleſiæ impedit matrimonium, cum excludat conſenſum liberum facientem matrimonium; certum eſt enim, quod ubi metus præcipuè cadens in conſtantem virum, vel coactio intervenit, non poteſt conſenſum locum habere; hoc dictum ſit propter differentiam, quæ reperitur inter metum purè conſideratum, & inter violentiam; in eo enim, quod agitur per vim, ſive per violentiam, voluntas non conſentit, ſed eſt omninò contra votum voluntatis, illud verò, quod agitur per metum, ſit voluntarium; differentia, *quæ aſſignatur à Divo Thom.* ponentem duplicem coactionem, aliam facientem neceſſitatem abſolutam, *& ab Ariſtotele (b)* tale violentum dicitur violentum ſimpliciter, ut Verbi Gratia quando quis aliquem corporaliter compellit ad metum. Aliam facientem neceſſitatem conditionatam, & ab Ariſtotele vocatur violentum mixtum, utpotè conſtans ex voluntario, & involuntario, quod exemplificatur in mercatore projiciente merces in mare; etenim projiciendo merces in mare, hoc facit, ut periculum evadat, ſi poſſibile fiat, *& ideò ait Divus Tho.* in hoc violento, licet hoc, quod fiat, non ſit per ſe voluntarium, tamen conſideratis circumſtantiis *hic*; & *nunc* voluntarium eſt; immò & ſimpliciter tale, certum eſt enim, quod actus in particularibus ſunt, ſi ergo actus in particularibus ſunt, non poteſt non inferri, quod actus ille projiciendi merces in mare, voluntarius ſimpliciter ſit, licet ſecundum quid poſſit dici involuntarius.

a in ſupp. q. 47. a. 1.

b l. 3. et. c. 1.

Iuxta etiam hanc duplicem coactionem *concludit Divus Thomas*, quod illa ſecunda violentia, ſive coactio poteſt eſſe in conſenſu, qui eſt actus voluntatis; non verò prima, quæ ſolum cadit in corporalibus rebus. Ex quibus etiam ſequitur, quod in actu exteriori aliquis conſenſus poſſit eſſe coactus, non tamen in interiori; *& de facto eſt doctrina Divi Thom. docentis*, (c) quod in eo, quod per vim agitur, voluntas interior nihil agit, ſi ergo voluntas interior nihil agit in eo, quod per vim agitur, jam rectè ſequitur, quod in conſenſu interiori non poſſit eſſe coactio, ſive vis, quæ à metu diſtinguitur. *Attamen Divus Thom. ait*, quod quantum ad propoſitum pertinet, idem eſt coactio, quod metus, ſecundum juriſperitos ſumendo metum, volunt enim iſti, metum eſſe inſtantis, vel futuri periculi cauſa, mentis trepidationem, hæc coactio metus etiam in conſtantem virum, & de facto quamvis Abraham, & Iſaac conſtantes fuerint, nihilominus in eos cecidit metus, ratione cujus dixerunt uxores ſuas ſibi eſſe ſorores: *De Abraham legitur Gen. (d)* quod dixit ad Abimelech Regem Geraræ cogitavi mecum dicens, forſitan non eſt timor Dei in loco illo, & interficient me propter uxorem meam; & ideò dixit de Sara uxore ſua, ſoror mea eſt. *De Iſaac etiam legitur Gen. (e)* qui cum interrogeretur à viris loci illius (Geraræ) ſuper uxore ſua, reſpondit, ſoror mea eſt, timuerat enim confiteri, quod ſibi eſſet ſociata conjugio, reputans ne fortè interficerent eum propter illius pulchritudinem, unde & reſpondit Abimelech, timui ne morerer propter eam.

c p. 1. q. 6. a. 5. ad 1.

d Cap. 20.

e cap. 28.

f in ſuppl. q. 47 ar. 2.

Propter quod Divus Thomas etiam ait, (f) cadere metum in aliquem eſt, aliquem metum cogi, cogitur autem aliquis metu, quando aliquid facit, quod aliàs non vellet, ad evitandum id, quod timet; unde diſtinguit conſtantem virum ab incoſtanti in hoc, & quantum ad quantitatem periculi, quod timetur, conſtans namque ſequitur rationem rectam per quam ſcit, quid pro quo dimittendum ſit; vel faciendum, ſemper autem minus malum, vel majus bonum eligendum eſt; & ideò conſtans ad minus malum ſuſtinendum cogitur metu majoris mali, non autem cogitur ad majus malum, ut vitet minus malum, ſic Abraham, & Iſaac eligerunt minus malum dicentes uxores ſuas eſſe ſorores ſuas ob timorem, quem habuerunt de illis civibus, quamvis conſtantes fuerint; non tamen cogitur vir conſtans ad mentiendum; quia tunc non vult dare, ſed tamen vult poſtea petere reſtitutionem, vel ſaltem judici denunciare, ſi ſe promiſit non ſpetiturum reſtitutionem, unde non poteſt promittere ſe non denunciaturum, quia cum hoc ſit contra bonum juſtitiæ, ad hoc cogi nequit, ut ſcilicet contra juſtitiam faciat. Nec reputatur cadere metum infamiæ in conſtantem virum ſecundum jura, quia, *ut ait Divus Thom.* (g) infamia, licet ſit majus damnum, tamen ei de facili occurri poteſt; Cæterum inconſtans cogitur ad majus malum propter metum minoris mali, ſ. ad peccatum propter metum corporalis pœnæ. Pertinax verò è contra non poteſt cogi etiam ad minus malum ſuſtinendum, vel faciendum, ut evitet majus malum.

g Ib. ad 3.

Pariter diſtinguitur conſtans ab incoſtanti quantum ad æſtimationem periculi imminentis, conſtans enim non niſi forti æſtimatione, & probabili cogitur, quapropter homo conſtans nullo modo poteſt cogi ad peccata, cum ſint maxima malorum, immò magis debet homo mori, quàm talia ſuſtinere, non ſic de quibuſdam damnis corporalibus, quæ cum ſint minora quibuſdam aliis, inter quæ ſunt præcipua, quæ ad perſonam pertinent, ut mors, verbera, dehoneſtatio per ſtuprum, & ideò ex iſtis conſtans cogitur ad alia damna ſuſtinenda corporalia, & hæc continentur hoc verſu.

Stupri, ſive ſtatus, verberis, atque necis.

nec differt utrum hæc pertineant ad perſonam propriam, vel uxoris, vel filiorum, vel aliorum.

At inconſtans cogitur ex levi, propter quod ſcriptum eſt *in lib. Prov. (i)* fugit impius nemine perſequente; *de quo & Iacobus Apoſt. (l) in Canon.* dixit, vir duplex animo, inconſtans eſt in omnibus viis ſuis, adeòque cogitur ex levi æſtimatione inconſtans, neſcit enim iſte, quam viam ingrediatur; habet enim aliquando zelum, habet aliquando & contentionem, quæ cum cauſentur ex levitate cordis, hinc eſt, quod omnia, quæ operantur, male operantur, *& ideò dicebat Apoſt. Iacobus*, (m) ubi enim zelus, & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus pravum. De conſtanti verò ſubditur *loc. cit. Prov.* juſtus autem, quaſi leo confidens, abſque terrore erit. *Ex quo videtur (n)* conſtantia juſti, *unde in l. Sap. ſcriptum eſt*, ſtabunt autem juſti in magna conſtantia, non enim pavent mori, qui juſtè, & piè vivunt, propter Dominum, neque trepidant de tyrannorum minis neque formidant pericula, quæ ab impiis parantur.

i cap. 28.

l cap. 1.

m cap. 3.

n cap. 5.

Sed ad nos; nam deſcripta differentia; quæ reperitur inter conſtantem, & inconſtantem, dicimus, quod cum conſenſus aliquis poſſit coactus, & aliqua coactio cadere poſſit inconſtantem virum, hinc eſt, *quod ait D. Th. (o)* quod ille conſenſus coactus tollere poteſt matrimonium, (& quod dicitur de matrimonio, dicitur etiam de voto ſolemni, quod invalidum eſt, ſi fiat ex metu cadente in conſtantem virum; unde dicitur, quod religioſi ex metu profeſſi poſſunt intra quinquennium reclamare, & ſi probaverint profeſſionem ex metu factam profeſſio nulla ſit. Iuxta etiam determinationem *Conc. Trid. (p)* quicumq; regularis prætendat ſe per vim, & metum ingreſſum eſſe religionem, non audiatur, niſi intra quinquennium tantùm à die profeſſionis) quàm autem meritò conſenſus coactus tollere poſſit matrimonium, conſtat ex ſua ſignificatione; nam matrimonium ſignificat conjunctionē Chriſti ad Eccleſiam, quę fit ſecundum libertatem amoris, igitur nō poteſt fieri matrimonium per conſenſum coactum, & eò quia vinculum matrimonii eſt perpetuum, unde illud, quod perpetuitati repugnat matrimonium tollit,

o in ſupp. q. 47. a. 4

p ſeſſ. 25. de Reg. ca. 19

qua-

Digitized by Google

quapropter cum metus cadens in conſtantem virum perpetuitatem contractus tollat, ideò talis coactio tollit matrimonium, & non alia; *Ob hoc ait D. Th.* (q) ad matrimonium non ſufficit quodcumq; voluntarium, ſed voluntarium completè, eò quia debet eſſe perpetuum; & ideò per violentum mixtum, etiamſi plus habeat debeat de voluntario, quàm de involuntariò ipſum impeditur.

q 1. q. ad 2. Et taliter coactio impedit matrimonium, quod etiam ſi ſit ex parte cogentis, illud non facit, ſiquidem, *ut ait Divus Thomas*, matrimonium eſt quædam relatio, & cum non poſſit innaſci relatio in uno extremorum ſine hoc, quod fiat in alio, hinc eſt, quod quidquid impedit matrimonium in uno, impedit ipſum in altero, non enim poteſt eſſe, quod aliquis ſit vir non uxoris, vel quod aliqua ſit uxor non habens virum, ſic nec mater non habens filium, & ſic nec erit matrimonium ex parte alterius, ſi ſit impedimentum ex parte unius, maximè quia matrimonium eſt relatio æquiparantiæ, quæ eſt æqualiter in utroque: & dato caſu, quod illa, quæ fuit coacta, poſtmodum conſentiat, non per hoc ut matrimonium, eò quia ex conſenſu libero illius, qui primò coactus eſt, non fit matrimonium, niſi in quantum conſenſus præcedens in altero, adhuc manet in ſuo vigore, quapropter ſi diſſentiret, non fieret matrimonium; ergo jam conſtat, quod per conſenſum coactum matrimonium non fit, quod utique dici nequit de conſenſu conditionato ſervata tamen conditione, quia ſi conditio de præſenti, ſive poſtea talis conditio ſit honeſta, ſive inhoneſta, dummodo non ſit contraria matrimonio, iſtud facit; ſi autem eſt contraria bonis matrimonii, non efficitur matrimonium: de hac re affertur exemplum ſupra adductum, (r) diximus enim, quod ſi conditio eſt honeſta, ut Verbi Gratia ſi dicatur, accipiam te in meam, ſi parentibus placeat, ſtante conditione ſtat promiſſio, & non ſtante, non ſtat, ſi verò eſt inhoneſta, ut ſi quis diceret, accipiam te, ſi venena ſterilitatis procures, non ſtat promiſſio, & ſic non poteſt effici matrimonium, utpote quia conditio eſt contra præcipuum bonum matrimonii, quæ eſt productio prolis. Pariter ſi conditio eſt de futuro, aut eſt neceſſaria, ut ſolem oriri cras, & tunc eſt matrimonium, quia talia futura ſunt præſentia in cauſis ſuis; quia ſi eſſet contingens, ut datio pecuniæ, vel acceptatio parentum, non facit matrimonium, cum ſit idem judicium de tali conſenſu, ac de conſenſu, qui fit per verba de futuro.

r ſup. q. 11. a. 1. in ſup.

Diximus, quod per conſenſum coactum non fit matrimonium, *& hoc ſtatuitur cum Divo Thoma, & confirmatur cum Concilio Tridentino*, quod nullus debet alios cogere ad hoc, ut matrimonium faciant. Docet ergo *Divus Th.* (ſ) quod filius etiam præcepto Patris non poteſt compelli ad matrimonium contrahendum, & non ob aliud, niſi quia in iſto eſt quædam quaſi ſervitus perpetua, & cum ſit talis, meritò concluditur *à Divo Thoma*, quod pater non poteſt cogere filium ad matrimonium per præceptum; cum ſit liberæ conditionis; nec redderetur inobediens, ſi filius patre imperante matrimonium ingrederetur religionem, ſed *ut ait D. Th.* poſſet hoc fieri a filio ſine peccato.

ſ in Suppl. q. 47. a. 6.

Sed ſi dicatur, quomodo ſtare hoc poteſt, dum videmus, quod Iſaac præcepit Iacob, ut non acciperet uxorem de filiabus Chanaam, *legitur enim Geneſ.* (t) vocavit itaque Iſaac Iacob, & benedixit eum, præcepitque ei dicens, noli accipere conjugem de genere Chanaam.

t cap. 28.

Hoc utique non diſcordat aliis, quæ diximus, ſi attendamus ad finem, propter quem Iſaac præcepit Iacob, ne acciperet conjugem de filiabus Chanaam; ſic & Abraham ſenex confectus dixit ad ſeniorem ſervum domus ſuæ, pone manum tuam ſuper femur meum, ut adjurem te per Dominum Deum Cæli, & terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananeorum, inter quos habito. Quare autem hoc? Quia utique ſciebant, quod filiæ Chanaam malitioſæ erant, & ulterius ut Prophetæ ſciebant, quod ſemen Chanaan diſpergendum erat de terra promiſſione etiam facta à Deo ſemini Abrahæ, *ut habetur Gen.* (x) ſemini tuo dabo terram hanc à fluvio Ægypti uſque ad fluvium magnum Euphratem, &c. *Hoc autem toto deſumitur ex D. Tho.* (z) hoc illi mandavit Iſaac, tùm propter malitiam illarum fœminarum; tùm quia ſemen Chanaam de terra, quæ ſemini Patriarcharum promittebatur, erat diſpergendum. Unde & benè præcepit, & præcipere potuit, ne uxorem accipias de ſemini hoc nequam, *ut teſtis eſt etiam ipſe Daniel* (y) dùm ad illos ſenes inardeſcentes in Suſannam non alio igne, niſi illius, qui difficiliter extinguitur in vita hominum, iſte autem ignis luxuria eſt, quæ etſi ſemper non ardet patenter, aliquando tamen flammas emittit. *Dixit ſemen Chanaam, & non Iuda*, ideòque interfecti perierunt. His tamen adhuc ſtantibus ex alia parte conſtat; quod pater poteſt inducere filium ex rationabili cauſa ad matrimonium contrahendum, *& tunc ait Divus Thomas*, ſicut ſe habet filius ad cauſam illam, ita ſe habet ad præceptum Patris, ita ſc. ſi illa cauſa cogat de neceſſitate, vel de honeſtate, & præceptum Patris ſimiliter cogat, aliàs non.

u cap. 24. x cap. 15. z lib. ad 2. y cap. 13.

At quod docuit Divus Thomas de filiis. Concilium Tridentinum, (a) & de filiis, & de quibuſcumque aliis, hoc firmat ſub pœna anathematis, unde ſtatuitur, ita plerumque temporalium Dominorum, ac magiſtratuum, mentis oculos, terreni affectus, atque cupiditates, excæcant; ut viros, & mulieres ſub eorum juriſdictione degentes, maximè divites, vel ſpem magnæ hæreditatis habentes, minis, ac pœnis adigant, cum iis matrimonium invitos contrahere, quos ipſi Domini, vel magiſtratus illis præſcripſerint. Quare cum maximè nefarium ſit, matrimonii libertatem violare, & ab eis injurias naſci, à quibus jura expectantur, præcipit Sancta Synodus omnibus cujuſcumque gradus, dignitatis, & conditionis exiſtant, ſub anathematis pœna, quam ipſo facto incurrunt, ne quòvis modo directè, vel indirectè ſubditos ſuos, vel quoſcumque alios cogant, quo minus liberè matrimonia contrahant. Ex quibus conſtat roboratio doctrinæ D. Th. per Concilium.

a ſeſſ. 24. de Ref. dec. 9

De diſparitate cultus.

HÆc diſparitas cultus oritur ex hoc, quod unus ſit fidelis, alter verò infidelis, & dicitur talis, utpotè quia caret baptiſmo, & loquitur in lege nova præcipuè, quæ jam per totum orbem diffuſa videtur, juxta quam irritum eſſe ex antiqua traditione, & Eccleſiæ conſuetudine determinatum fuit.

Diximus igitur *præcipuè in lege nova*, eò quia in veteri lege de aliquibus infidelibus permiſſum erat, quod cum eis poſſent conjugia inire; & de aliquibus erat prohibitum, præcipuè de illis, quæ habitabant in terram Chanaam; tùm quia præceperat Dominus eos occidi propter earum obſtinationem, ut legitur *in Deut.* (a) tradideritque eas gentes, ſc. Dominus Deus tuus tibi, percutieſque has uſque ad internetionem. Tùm quia majus periculum imminebat, ne ſcil. conjuges filios Iſrael ad Idololatriam perverterent, quia filii Iſrael ad ritus, & mores eorum proniores erant propter converſationem cum eis.

a cap. 7.

Propter quod *dixit Dominus per Moyſen ad filios Iſrael* ne ineas pactum cum hominibus illarum ragio-

Digitized by Google

num: ne cum fornicati fuerint cum diis ſuis, & adoraverint ſimulacra eorum, vocet te quiſpiam, ut comedat de immolatis. Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis, ne poſtquam ipſæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios ſuos in Deos ſuos: *ſic legitur in lib. Exodi. Et in Deuter. loc. citato* (b) non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis eorum. Neque ſociabis cum eis conjugia; filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo: quia ſeducet filiam tuam, ne ſequatur me, & ut magis ſerviat diis alienis. De iſtis ergo prohibitum erat inire conjugia, non verò de illis, de quibus periculum non erat, ut conjuges filios Iſrael ad idololatriam perverterent; *ut aſſerit etiam D. Thomas* (c) de aliis gentibus permiſit, præcipuè quando non poterat eſſe timor pertrahendi ad idololatriam, & de facto Ioſeph, Moyſes, & Eſther cum infidelibus matrimonia contraxerunt.

b cap. 34. *c in ſupp. q. 59. a. 1.*

Etenim Ioſeph duxit in uxorem Aſeneth, filiam Putiphare Sacerdotis Heliapoleos, *ut habetur Gen.* (d) Moyſes acceperit in uxorem Sephoram filiam Raguel Sacerdotis Madian, *ut legitur Exodi.* (e) Eſther Regi Aſſuero deſponſata fuit, *ut in Eſther ſcriptum eſt.* Et *denique in Deut. habetur*, (g) ſi egreſſus ad pugnam videris in numero captivorum mulierem pulchram, & adamaveris eam, intrabis ad eam, dormieſque cum illa, & erit uxor tua; ergo lex vetus tantùm loquitur de illis nationibus, cum quibus licitè poterant inire conjugia, Non ſic de illis, de quibus rurſus *in Deut. habetur*, ne fortè doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipſi operati ſunt Diis ſuis, & peccetis in Dominum Deum veſtrum.

d cap. 41. *e cap. 2.* *f cap. 2.* *g cap. 21.*

Cæterum in lege nova prohibitum eſt matrimonium hoc contrahere cum infideli, quælibet illa ſit; & meritò, cum diſparitas cultus contraria videatur eſſe matrimonio ratione principalioris boni ipſius, idcircò *docet* D. *Thomas*, principalius matrimonii bonum eſt proles ad cultum Dei educanda, & quia educatio communiter fit per patrem, & matrem, hinc eſt, quod ſi pater, & mater erunt diverſi cultus, pater, & mater non poterunt educare verè prolem ad cultum unius Dei, quoniam propter diverſitatem cultus Dei non poterit non eſſe inter illos diverſitas, & contrarietas intentionum, ac proinde ex hac contrarietate infertur à *Divo Thoma*, quod inter illos non poteſt eſſe conveniens matrimonium, ſuum aſſertum trahit ex illo *Pauli*, (h) nolite jugum ducere cum infidelibus.

h cap. 16. 2. ad Cor.

Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? Quomodo ergo poterit ille, qui eſt in luce fidei, videl. fidelis contrahere matrimonium cum illa, quæ eſt in tenebris infidelitatis? certè nullo modo; & propter hoc diſparitas cultus præcedens matrimonium, *inquit Sanctus Doctor* (i) impedit contrahendum, & dirimit contractum.

i ib. ad 1.

Et quod dicitur de diſparitate cultus in ordine ad matrimonium impediendum, nequit dici de diſparitate fidei, quia certum eſt, quod ſi aliquis fidelis cum hæretica baptizata matrimonium contrahat, verum eſt matrimonium, licet peccet contrahendo, ſi jam ſciat eam eſſe hæreticam, ſicut & peccaret, ſi cum excommunicata contraheret, nec tamen propter hoc dirimeretur, ſicut nec dirimeretur, ſi poſtquam fuerint in matrimonio conjuncti, ſive vir, ſive mulier fieret hæreticus, vel hæretica, vel fieret moleſta cohabitatio inter illos, vel unus affectaret abſentiam ab alio, juxta id, quod decrevit *Conc. Trid.* (l) ſi quis dixerit propter hæreſim, aut moleſtam cohabitationem, ſeu affectatam abſentiam à conjuge diſſolvi poſſe matrimonii vinculum; anathema ſit. Non ſic eſſet de Cathecumeno contrahente cum aliqua fideli baptizata, *ubi* (m) *ait* D. *Th.* ſi aliquis catechumenus habens rectam fidem, ſed nondùm baptizatus cum aliqua fideli baptizata contraheret, non eſſet verum matrimonium.

l ſeſſ. 24. can. 5. *m ib. ad 5.*

De hoc adducit rationem, quia matrimonium eſt Sacramentum, & ideò quantum attinet ad neceſſitatem Sacramenti, requirit paritatem, quantum ad Sacramentum fidei, ſ. baptiſmum magis, quàm quantum ad interiorem fidem, & idcircò non diſparitas fidei dicitur, ſed diſparitas cultus, qui reſpicit ulterius ſervitium; nam aliud eſt adorare exterius Deos gentium, & aliud adorare Deum verum, & vivum; hæc eſt vera adoratio, de qua dixit Chriſtus Dominus, ut narrat *Io.* (n) nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu, & veritate. Nam & pater tales quærit, qui adorent eum; illa autem vana, damnabilis, & abominabilis. Vana utique eſt adoratio Deorum gentium, & damnabilis. Quoniam & Dominus Deus videns, quod omne ſemen Iſrael in vanitatibus ſuis corruerat adorans Deos alienos; projecit illud, illudque afflixit, atque tradidit in manibus inimicorum eorum. *ſicut ſcriptum eſt in lib. Regum* (o) projecitque Dominus omne ſemen Iſrael, & afflixit eos, & tradidit eos in manu diripientium, donec projiceret eos à facie ſua. Hoc autem non ob aliud, niſi quia ſecuti ſunt vanitates, & vanè egerunt; jam fecerunt tibi conflatiles duos vitulos, & lucos, & adoraverunt univerſam militiam Cæli; ſervieruntque Baal. Abominabilis, nam & *de Acab legitur* (p) quod abominabilis factus eſt in tantum, ut ſequeretur idola, quæ fecerunt Amorthæi, quos conſumpſit Dominus à facie filiorum Iſrael. Ex his ergo omnibus videtur, quàm meritò propter diſparitatem cultus matrimonium inter fidelem, & infidelem impediat, cum jam eadem diſparitas cultus etiam inter infideles matrimonium impedit ſecundum tamen jus poſitivum, *ut deſumitur ex* D. *Th* (q) ea, quæ pertinent ad legem naturæ, uti eſt matrimonium, prout eſt in officium naturæ, ſunt determinabilia per jus poſitivum, & ideò ſi prohiberentur ab aliquo jure poſitivo apud eos infideles contrahere matrimonium cum infidelibus alterius, ritus diſparitas cultus apud eos impedit matrimonium.

n cap. 4. *o 4. Reg. 17.* *p 3. Reg. 21.* *q in ſupp. q. 59. a. 2.*

Diximus ſi prohiberentur ab aliquo jure poſitivo &c. eò quia ex jure divino non prohibentur, cum apud Deum non differat qualitercumque aliquis à fide deviet, quantum ad hoc, quod eſt eſſe à gratia alienum; etiam aliquo ſtatuto Eccleſiæ, quæ non habet de his, quæ foris ſunt judicare *ſicut dicebat Paul.* (r) Quid enim mihi de iis, quæ foris judicare? Subdit autem, nam eis, qui foris ſunt, Deus judicabit. Et hoc meritò cum ſolus Deus intuetur cor; *unde docebat ad Rom.* (ſ) quis autem ſcrutatur corda, ſcit, quid deſiderat ſpiritus. Quis autem eſt ſcrutator cordium, niſi Deus? Quoniam ipſe dixit *per os Ier.* (t), ego Dominus ſcrutans cor. Et quid niſi ſcrutari? niſi ad interiora, & latentia penetrare? Hinc Pſ. ſcrutans corda, & renes Deus atque tantùm teſtis eſt Deus, verùm etiam judex. Teſtis, quia videt, & audit judex, quia ſcrutator, & inveſtigator eſt cordis; *juxta illud Ier.* (x) Ego ſum judex, & teſtis, dixit Dominus.

r 1. Cor. 5. *ſ cap. 8.* *t cap. 17.* *u cap. 7.* *x cap. 29.*

Diximus, quod diſparitas cultus inter infideles matrimonium impediet; quia ſupponimus, tamquam certum inter infideles illud eſſe, nam matrimonium pertinet ad officium naturæ, quæ præcedit ſtatum gratiæ, cujus principium eſt fides, adeòque conſtat, quod infidelitas non facit, quod inter infideles non ſit matrimonium; ſicut *& docet* D. *Tho.* (y) diſparitas cultus non impedit matrimonium ratione infidelitatis, ſed ratione diſparitatis in fide.

y ib. ad 1.

Immò quod inter infideles ſit matrimonium, tenent ex eo, quod principaliter eſt inſtitutum ob bonum prolis, non tantùm generandæ, ſed & promovendæ ad perfectum ſtatum. At duplex eſt conſideranda in prole perfectio naturæ, & quoad corpus, & quoad animam per ea, quæ ſunt de lege naturæ, & perfectio gratiæ. Prima eſt naturalis, & imperfecta reſpectu ſecundæ, et ſic matrimonium tendens in primam perfectionẽ eſt imperfectũ, & materiale reſpectu illius; quod tendit in ſecundam perfectionem. Quapropter cum de facto prima perfectio poſſit eſſe cõmunis fidelibus, & infidelibus, & ſecunda ſit tantùm fidelium, rectè ſequitur, quod inter fideles ſit utique matrimo-

Digitized by Google

monium non tamen perfectum ſecunda perfectione. Quod magis vim facit doctrina *Divi Thomæ(y)* y 16 ad 1. matrimonium non tantùm eſt inſtitutum in Sacramentum, verùm etiam in officium naturæ, & ideo licet infidelibus illud non competat, ſecundum quod eſt Sacramentum in diſpenſatione miniſtrorum Eccleſiæ conſiſtens; competit tamen eis, in quantum eſt in officium naturæ, & ſic concludendum eſt, quod inter infideles ſit verum, & legitimum matrimonium, & taliter eſt tale, ut non poſſit ſupervenire aliquod impedimentum, ut tollat ipſum matrimonium, etiam ſi conjux convertetur ad fidem uxore nolente converti, ac proinde adhuc hoc ſtante poterit ille licitè commanere cum illa. *Unde Divus Thomas (a)* a in ſuppl. q. 59. art. 5 per hoc, quod alter eorum convertitur ad fidem, non ex hoc ipſo vinculum matrimonii ſolvitur quantum ad ejus rationem: etſi aliquando vinculo matrimonii manente ſolvitur matrimonium, ſolvitur tamen iſtud, quantum ad cohabitationem, & debiti ſolutionem, in quo pari paſſu currunt infidelitas, & adulterium, cum utrumque ſit bonum prolis; idcircò ſicut ſe habet in poteſtate dimittendi adulteram, vel commanendi cum ea, ita ſe habet in poteſtate dimittendi infidelem, vel commanendi cum ea; & ſicut poteſt vir innocens liberè manere cum adultera ſpe correctionis, non verò in peccato adulterii obſtinata fuerit, ne videatur patronus turpitudinis, non tamen tenetur, cum poſſit etiam cum ſpe correctionis liberè eam dimittere; ſic pariter fidelis converſus poteſt cum infideli manere cum ſpe correctionis, ſi eam in infidelitatem obſtinatam non viderit, & benè facit b p. c. 7 ad Cor. commanendo, *juxta Concilium Pauli (p)* ſi quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam, & ſi quæ mulier habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittet illam; Sanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem. Non tamen tenetur cohabitare cum illa etiam ſpe correctionis ſecundum illud, quod ſubdit *Paul.* quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat.

Etſi modò non permittitur cohabitere cum muliere infideli, quælibet illa ſit, ſive Iudæa, ſive Gentilis, hoc eſt, quia tàm gentiles, quàm Iudæi obſtinati ſunt, & ideò niſi uxor infidelis converti velit, non poteſt vir commanere cum illa;

Ex quo magis apparet, & quod ſit verum matrimonium, & quod habeat vinculum indiſſolubile, ſiquidem remanet, etiam ſi vir, & mulier contraxerint in ſtatu infidelitatis in gradibus prohibitis per ſtatutum Eccleſiæ: tam ſi uterque convertatur, quàm etiamſi uno converſo ſit ſpes dè correctione alterius. Nam infideles non baptizati non ſunt aſtricti ſtatutis Eccleſiæ, licet ex alio capite ſint aſtricti etiam in infidelitate morantes ſtatutis juris divini; & ideò contraxerint aliquis infideles in gradibus prohibitis ſecundum legem divinam, ſive uterque, ſive alter ad fidem convertatur, non poſſunt in tali matrimonio commanere; *ut legitur in Levit. (c)* c cap. 18. omnis homo ad proximum ſanguinis ſui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus, ego Dominus; cum iis, quæ ſequuntur, ut diximus de cognatione carnali, hoc eſt de conſanguinitate. Ex quibus omnibus jam videtur apertè, quod per omnia illa, quæ ibi dicuntur, ad eadem omnia aſtricti ſunt ſtatutis juris divini, & non tantùm aſtricti ſunt infideles talibus ſtatutis, verùm etiam aſtricti ſunt legi naturæ, contra quam eſt habere plures uxores, qua de cauſa etiam ſi aliquis infidelis quandoque habeat plures uxores ſecundum ritum ſuæ legis; attamen non eſt verùm matrimonium, niſi cum illa, cum qua primò contraxit; & ideò ſi ipſe cum omnibus ſuis præſuppoſitis uxoribus convertatur, poteſt cum prima commanere, & alias debet abjicere, utpotè quia potiùs cadunt ſub nomine concubinarum, quàm ſub nomine uxorum, cum talis pluralitas uxorum contra legem naturæ ſit. *Et dato caſu,* quo prima, quæ in uxorem accepit infidelis, & convertatur ipſe, noluerit converti, & aliqua illarum præſuppoſitarum uxorum convertatur, idem jus haberet contrahendi de novo, quod cum alia haberet, ergo verum matrimonium non fuit cum illis ſequentibus.

Pariter quia contra legem naturæ ſit repudium uxoris, hinc ſit, quod infideli non licet uxorem repudiare, & ideò ſi convertatur poſtquam una repudiata alteram duxerit idem judicium eſt de hoc, ac de illo, qui plures uxores habebat, tenetur enim, primum repudiatam accipere, ſi converti voluerit, & aliam abjicere; ſed de repudio infra.

Diximus, quod fidelis converſus poteſt cum infideli manere cum ſpe converſionis, ſi eam in infidelitatem obſtinatam non viderit, & quod benè facit commanendo, non tamen tenetur; ergo ſi non tenetur cum illa commanere, jam ſequitur, quod ille uxorem infidelem dimittere poſſit, nolentem cohabitare ſine contumelia Creatoris; certum eſt enim, quod ille, qui ad baptiſmum accedit; regeneratur in Chriſto, & priori vitæ moritur, *ſecundum illud Pauli (d)* d c. 2. ad Coloſ. conſepulti ei in baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitavit illum à mortuis, cum autem in novitate vitæ ambulant illi, qui jam baptiſmum ſuſcipiunt, & mortui ſunt priori vitæ, jam ſequitur, quod liberatur ab obligatione, qua uxori tenebatur in priori vita, ſcilicet reddere debitum, nec illi cohabitare tenetur, quando non vult converti, quod corroborat *Divus Thomas dicendo*, *(e)* e in ſupp. q. 59. a. 4 uxor non habebat jus in corpore viri, niſi quamdiù in vita illa manebat, in qua contraxerat; nam etiam mortuo viro uxor ſoluta eſt à lege viri, *juxta illud Pauli*, *(f)* f c. 7. ad Cor. ſæpe recitatum ac proinde ſi poſtquam vir mutat vitam, per baptiſmum v. moriens priori vitæ; in qua vivebat infidelis, ab ea diſcedat, nullum ſit uxori præjudicium, adeòque ſubdit *Div. Thomas*, ille, qui ad baptiſmum accedit, corporaliter etiam conſepelitur Chriſto in morte, unde & ſolvitur à debito reddendo etiam poſt matrimonium conſummatum; per quod patet differentia, quæ reperitur inter virum infidelem, qui tranſit ad fidem Chriſti, & inter virum fidelem; qui tranſit ad religionem.

Ille enim moritur priori vitæ, videlicet corporali, & ideò ſine conſenſu uxoris poteſt converti, & bene facit convertendo ſe ad fidem Salvatoris Noſtri Dei, *(g) de quibus & Petrus dixit*, g p. c. 2. erratis enim ſicut oves errantes, ſed converſi eſtis nunc ad paſtorem, & Epiſcopum animarum veſtrarum. Iſte verò, dùm tranſit ad religionem, moritur tantùm ſpirituali morte, non verò corporali, quapropter ſi matrimonium ſit conſummatum, non poteſt, ſine conſenſu uxoris ad alium ſtatum tranſire, licet poſſit ante carnalem copulam, quando eſt tantùm copula ſpiritualis.

At quid dicendem ſit de prole ſecuta per matrimonium in ſtatu infidelitatis, cum ex una parte videatur, quod pater tenetur ex debito procurare ſalutem prolis, ex alia parte habetur, quod partus ſequitur ventrem, unde & filii communes matri remanent. Dicendum eſt ad hoc *cum D. Tho. (h)* h ib. ad 4 quod proles aut pervenit ad perfectam ætatem, & tunc poterit liberè ſequi patrem fidelem; vel matrem infidelem: vel eſt in minori ætate proles conſtituta, & tunc debet dari fideli, quia pars ſecurior eſt, non obſtante, quod indigeat obſequio matris ad educationem.

Diximus, quod fidelis converſus non tenetur cum muliere infideli commanere, & conſequenter quod poſſit illam dimittere nolentem cohabitare ſine contumelia Creatoris, ergo ſi poteſt illam dimittere &c. utpotè quia tunc

moritur priori vitæ, nec tunc tenetur ad ea, quæ in priori vita tenebatur, jam ſequitur, quod illa dimiſſa poſſit alia ducere in uxorem, maximè quia matrimonium non eſt ratum ſine Sacramento Baptiſmi; & cum non ſit ratum; jam poteſt diſſolvi, & ſi poteſt diſſolvi, jam licet viro fideli aliam in uxorem ducere, & dicitur, quod licet, quia præſupponitur, quod non remaneat ſpes aliqua probabilis de converſione uxoris poſt converſionem viri; quoniam ſi remanet talis ſpes non ſolùm non debet ille votum continentiæ emittere, ſed nec etiam ad aliud matrimonium tranſire, *ut ait Div. Thom.* & ratio eſt clara, quia difficiliùs converteretur uxor ſciens ſe viro ſuo privatam.

Diximus, quod ſi non remaneat ſpes de converſione uxoris poſt converſionem viri poteſt diſſolvi matrimonium, & aliam ducere, & modò dicimus, quod nedùm poteſt aliam ducere, verùm etiam ad Sacros Ordines, vel ad Religionem accedere, quia ex ſua converſione nullum incommodum reportare debet, ſervata tamen hac ultima petitione, v. prius requiſita uxore, ut convertatur.

At quia poteſt dari caſus, quod poſtquam vir Sacros Ordines ſuſceperit, vel votum continentiæ emiſerit, & uxor convertatur: quid faciendum erit? In tali caſu relinquitur, ut certum, quod non ſit ubi vir ſuus reddendus, & quod ſolùm debeat ſibi imputare in pœnam tardæ converſionis, quod viro ſuo privetur.

Et ſi vir ſuus aliam duxerit in uxorem, tunc in tali caſu quid faciendum? Nihil aliud faciendum erit, niſi quod poſſit concedi ei diſpenſatione, ut alteri nubat.

Diximus, quod debet ſibi imputare in pœnam tardæ converſionis, quod viro ſuo privetur. Dummodò Sacros Ordines ſuſceperit, vel Religionem ingreſſus fuerit, & hoc, quod diximus, tantùm de uxore intelligimus; nullatenus etiam de filio etiam tardè veniente ad fidem poſt converſionem patris: ſiquidem licet filius manendo in infidelitate amittat jus hæreditaris patre converſo, ſi convertatur tamen & filius, debetur illi reddi hæreditas ſua, etiamſi alius in poſſeſſionem ejus intraverit, non .n. amittit eſſe per patris converſionem; quod eſt, quod *docet Div. Thomas* (*t*) vinculum paternitatis non ſolvitur per diſparem cultum, ſicut ſolvitur per converſionem viri, & non uxoris vinculum matrimonii.

t in Supp. q. 59. a. 5. ad 5.

Diximus, ſine contumelia Creatoris, ut ſciamus, quod ſi fidelis vult cohabitare ſine contumelia Creatoris, ſcil. ſine hoc, quod ad infidelitatem inducat, fidelis utiquè poteſt liberè diſcedere, ſed diſcedens non poteſt alteri nubere, ne fiat injuria matrimonio ſecuto ſaltem in officium naturæ; at ſi infidelis non vult cohabitare ſine contumelia Creatoris in verba blaſphemæ prorumpens, & nomen Chriſti audire nolens, tunc ſi ad infidelitatem pertrahere nitatur, vir fidelis diſcedens poteſt alteri per matrimonium copulari, tum quia contumelia Creatoris matrimonium ſolvit, *ob hoc docet Magiſter Bannes* (*l*) quod matrimonii vinculum cum ſit ex natura ſua indiſſolubile, diſſolvitur tamen in favorem fidei, quando alter conjugum infidelium convertitur ad fidem, altero nolente converti, nec ſine injuria Creatoris converſari, *& Paulus Apoſtolus ad Corinth. jam dixit*, ſi infidelis diſcedat, diſcedat; non enim ſervituti ſubjectus eſt, frater, vel ſoror in ejuſmodi. Tùm quia *& divus Thomas docet*, quod matrimonium infidelium eſt imperfectum, & fidelium perfectum: & cum ſit tale eſt etiam firmius propter firmitatem Sacramenti, quia nunquam tollitur, licet iteretur; & cum ſit firmius, fortius vinculum habet propter indiſſolubilitatem, utpotè quia denotat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia; pariter eſt regula, quod ſemper firmius vinculum ſolvit minus vinculum; ſi fit ei contrarium.

l 1. 2. q. 10. a. 10. Con. 4.

m 1. ad Cor. 7.

Ex qua regula rectè ſequitur, quod matrimonium, quod poſt in fide Chriſti contrahitur; ſolvitur matrimonium, quod prius in infidelitate contractum fuerat, quod provenit ex eo, quod matrimonium infidelium non ſit omninò firmum, & ratum, ſed ratificatur poſtmodum per fidem Chriſti. Et ſic ratificatum per fidem Chriſti ſolvi non poteſt, neque per adulterium quantum ad vinculum; bene tamen poteſt ſolvi & per infidelitatem, & per adulterium, v. per fornicationem ſpiritualem quantum ad actum; hoc pacto intelligitur *Matth.* (*n*) qui dimiſerit uxorem ſuam; non quod aliam ſuſcipiat, ſed quia non reddiderit debitum uxoris ſuæ, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari. *Immò ut docet D. Tho.* (*o*) matrimonium quod non eſt ratum, magis poteſt ſolvi quantum ad vinculum per infidelitatem, quam per adulterium, ſtat ergo, quod matrimonium nunquam poteſt ſolvi quantum ad vinculum per adulterium, etiamſi adulterium magis opponatur directè matrimonio; in quantum eſt in officium naturæ, quàm infidelitas; tamen ex alia parte è contrario eſt, in quantum matrimonium eſt Sacramentum Eccleſiæ, ex quo habet perfectam firmitatem, in quantum ſignificat indiviſibilem conjunctionem Chriſti, & Eccleſiæ, unde ſtat, quod poſſit ſolvi matrimonium per adulterium quantum ad actum, ut dicemus infra de divortio:

n cap. 5.

o in Supp. q. 59. art. 5. ad 1.

Cæterum quod dicitur de infidelitate, & de adulterio, non poteſt dici de aliis peccatis, unde per alia peccata non ſolvitur, nec etiam quantum ad actum, niſi forte ad tempus ſe velit ſubtrahere à conſortio uxoris ad caſtigationem ejus ſubtrahendo ei præſentiæ ſuæ ſolatium, *juxta id, quod docet Divus Thom.* (*p*) quando mulier præſtat magnam occaſionem peccati viro ſuo, *ut conſtat ex dictis*, ut ſi infidelis non velit cohabitare ſine contumelia Creatoris in verba blaſphemiæ prorumpens, & nomen Chriſti audire volens, ut vir probabiliter ſibi de periculo timeat, tunc vir poteſt ſe ſubtrahere ab ejus conſolatione.

p Ib. ad 5.

Nec dicatur, quod ſi mulier poſſit dimitti ob idolatriam, hoc idem poſſit fieri ob avaritiam, *juxta illud quod dixit Apoſtolus ad Eph.* (*q*) omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei. Meritò ergo appellatur avaritia idolorum ſervitus, ſive ſimulachrorum ſervitus, *ſecundum eundem* (*r*) ſervitus namque dicitur avaritia, quia relinquit homo Deum ſuum, ut ſerviat pecuniæ, cui adipiſcendæ omne ſtudium impendit, totus in labore ſe conſtituit, multa, ne dicam, infinita incommoda ſuffert; omnia mala ſuſtinet, dummodo aurum poſſideat, nil cogitat de Deo, nil de proximo; Non audit prophetas, non audit Doctores, non ſpiritum denique Sanctum in Sacris literis contra avaros multa dicentes; *In lib. enim Eccl. dicit* (*ſ*) nihil iniquiùs, quam amare pecuniam; habet enim animam ſuam venalem, & hoc per pecuniam; hanc utique aſſiduè contemplatur, & de ea frequenter meditatur à pecunia eorum amatores, ſive potius adoratores nunquam ſpontè ſeparantur, ſed cor eorum ſolùm in pecunia requieſcit. De quibus *& Matt. dixit* (*t*) ubi theſaurus tuus, ibi eſt cor ſuum; quoniam pecuniæ ſuæ obedientiam ſervant magis, quàm Deo. Deus enim præcepit pauperibus ſubvenire, & ab avaris non obeditur; ideòque mirum non eſt, ſi videantur deſcendere in infirmum decepti, (*u*) *propter quod, & in Amos legitur*, quod deceperunt eos idola ſua, poſt quæ abierunt patres eorum. Prophetæ etiam *dixerunt*, (*x*) argentum ſuum, & aurum ſuum fecerunt ſibi idola, ut interirent, hæc & adoraverunt Hebræi, quando dereliquerunt Deum, qui eduxit illos de terra Ægipti, de domo ſervitutis, & adoraverunt vitulum conflatile, cui obtulerunt holocauſta, & hoſtias pacificas: denique Doctores contemnunt, utpote quia docere volunt, quod avaritia eſt inordinatus appetitus habendi, idcircò *Div. Tho.* (*y*) *docet* cupiditas, prout eſt inordinatus

q cap. 5. ad Eph.

r ad Col. c. 3.

ſ cap. 10.

t cap. 6.

u cap. 2.

x Oſe. 8.

y p. 2. q. 84 a. 1.

appe-

appetitus divitiarum, eſt radix omnium malorum. Unde mirum non eſt, ſi amatores divitiarum idololatræ vocantur, non quia avaritia formaliter dicatur idololatria, ſed quia dicitur talis per quamdam ſimilitudinem ſervitutis, cum tàm avarus, quàm idololatra potiùs ſerviat creaturæ, quàm Creatori; *ut ait Div. Th.* [a in Suppl. q. 59. art. 6. ad 4.] (a) non verò per ſimilitudinem infidelitatis, quoniam corruptio infidelitatis eſt in intellectu, corruptio verò avaritiæ eſt in affectu, affectus utique, qui taliter obumbrat rationem, ut neſciat homo alium finem habere, niſi amorem inordinatum, & cupiditatem inſatiabilem divitiarum; certum eſt .n. quod in aliis peccatis homo licet ponat finem ſuum in creatura, cui amore inhæret, attamen non eſt fixè, & immobiliter, ſicut pecuniæ acquirendæ inhæret avarus; *unde ſtat illud Hieronymi*, cum cætera vitia ſeneſcente homine ſeneſcant, ſola avaritia juveneſcit; eò quia numquam ſatiatur avarus, ut *legitur in lib. Eccleſias*, [b cap. 5.] (b) avarus non implebitur pecunia; *& ſtat illud poetæ*, quid non mortalia pectora cogis, auri ſacra fames, propter inſatietatem; unde videtur, quod cupiditas lucri non propter res neceſſarias, ſed propter ipſum [c 2. 2. q. 78. art. 3.] lucrum terminum neſcit, (c) ſed in infinitum tendit.

Ex quibus patet, quid deducendum ſit tanquam certum, quod per alia peccata ab infidelitate, & adulterio non ſolvitur matrimonium, nec quantum ad vinculum, nec quantum ad actum; & ſi quantum ad actum, non tamen ſemper, ſed ad tempus; ut nedum obſervetur illud *Matt.*, [d cap. 5.] (d) qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari; *hoc idem Matt.* [e cap. 5.] (e)

[f cap. 18.] Deinde *ut obſervetur illud, quod eſt de Jure gentium*; nam ſi propter alia ſeparatio poſſet fieri per matrimonium, tota die ſequerentur multa divortia, conſtat enim, quod rarò inveniatur matrimonium, in quo alter conjugum in peccatum non labatur; pat. enim, quod nemo ſine crimine vivit: unde vel peccat homo ex nimia iracundia ex temperamento igneo proveniente, vel ex nimio zelo ex temperamento melanchonico proveniente, vel ex nimia aſſiduitate petendi debitum orta ex humiditate, ex qua poſtea oritur etiam contemptus; vel ex infirmitate reddendi debitum, ex qua oritur inconſideratio, *ne dicam*, odium viri: pariter peccat mulier, vel ex inconſtantia in ſuis operationibus, vel ex incuria rerum domeſticarum, vel ex negligentia educandi filios, filiaſve, vel ex incuria domus, vel ex aliis defectibus ortis ex deficientia rationis, quam ſexus iſte frequenter patitur. Hæc autem omnia non ſunt, nec poſſunt eſſe cauſa ſolutionis matrimonii; & ideò ſolùm, *ut concludamus cum D. Thom.* dicendum reſtat, quod fornicatio corporalis, & infidelitas ſpecialem habent contrarietatem ad bona matrimonii, & conſequenter habeat ſpecialem vim matrimonia ſeparandi; & maximè adulterium, propter quod licet viro uxorem dimittere, ex qua dimiſſione oriebatur in veteri lege divortium; ultrà quod erat & libellus repudii, ſicut & in nova lege divortium tantùm, cùm non permittitur libellus repudii, ſicut olim permittebatur ob duritiem cordis eorum; de utroque erit ſermo.

De divortio, ſive de impedimento, quod ſupervenit matrimonio conſummato, quod eſt fornicatio.

Divortium dicitur dimiſſio uxoris, pœna namque eſt divortium, & pœna adulterii, in quantum eſt contra bona matrimonii, tollitur enim per fornicationem, ſive per adulterium certitudo prolis, cum poſſit dubitari, de quo viro ſit filius, qui ex illo coitu conſummato per alium virum naſcitur, ex qua incertitudine prolis majus reputatur adulterium ex parte uxoris, quàm ex parte viri; unde & fides frangitur, ob hanc fractionem poteſt vir uxorem dimittere, eſt enim axioma, quod illi, qui frangit fidem, non tenetur quis ſervare fidem. Et Dominus dimittere uxorem conceſſit ob fornicationem in pœnam illius, qui fidem fregit, & in favorem illius, qui fidem ſervavit, ut non ſit aſtrictus ad reddendum debitum non ſervanti fidem, non tamen quòd ſolvatur matrimonium, aliàs ſibi ipſi contrarius eſſet, *nam dixit*, quod Deus conjunxit, homo non ſeparet; deinde ſignificatio Chriſti ſcilicet cum Eccleſia non ſervatur, dùm unus conjugum pluribus carnem ſuam dividit, ergo licitum erit viro dimittere uxorem ob fornicationem, non quia alia ducatur, ſed ſolùm quod licitum ſit divortium facere ob evitandum pericula mortis, ad quod tollendum ſeparari poteſt mulier à ſocietate viri & quantum ad Thorum, & quantum etiam ad cohabitationem, & ſic illam dimittere.

Verùm ne peccet dimittendo, opus eſt virum animadvertere, ut non dimittat illam fornicantem livore vindictæ, quia ſic dimittendo peccat; non verò peccat, illam dimittendo ad propriam infamiam cavendam, ne videatur ſocius in crimine, illi adhærens, & illi conſentiens, ſicut nec peccat ad vitium uxoris corrigendum, vel ad evitandam incertitudinem prolis.

Pariter ſciendum eſt, quod ſunt ſeptem caſus, *quos enumerat Div. Thom.*, (a) quibus exceptis non licet viro uxorem fornicantem dimittere. [a in ſuppl. q. 62. art. 1.]

Pemus eſt, ſi & vir fornicatus fuerit, paria namque delicta mutua compenſatione abolentur; *& Div. Tho. ſubdit* (b) divortium ex cauſa fornicationis fit uno accuſante alium, & quia nullus poteſt accuſare, qui in ſimili crimine exiſtit, ideò quando uterque fornicatur, divertium nequit celebrari. [b ib. ad 2.]

Attamen ſciendum eſt, quod dùm uterque fornicatur, majus peccatum committitur contra matrimonium, quàm ſi unus tantùm. Quare autem hoc! quia tollitur omnimoda ſignificatio matrimonii, dùm uterque conjugum pluribus carnem ſuam dividunt, quàm alter tantùm, ſiquidem tunc ſervatur ſaltem ex parte unius conjugis ſignificatio, *deſumitur ex D. Thom.*, (c) [c ibid.] magis, *inquit*, peccatur contra matrimonium utroque fornicante, quàm alterum tantùm.

Secundus eſt, ſi ipſe vir uxorem proſtituerit. Nam ipſe vir non ſolùm tunc videtur, quod conſcius fuit in crimine, & quod dedit cauſam proximam adulterandi uxori, ſed etiam quia voluit ipſum crimen, unde quia adhæret uxori, ut committat adulterium, hinc eſt, quod ipſe potiùs meretur pœnam divortii, quàm ipſamet uxor, & hoc quia præſupponi debet, ut ob timiditatem, vel ob neceſſitatem à viro inducta fuerit, ut tale crimen adulterii committat, ac per conſequens tota infamia debet reputari viro ſic volenti, quàm uxori fornicanti.

Tertius eſt, ſi uxor virum ſuum probabiliter mortuum credens propter longam ejus abſentiam, alteri nupſerit, non enim tunc uxor commiſit adulterium, quia non fuit de ejus intentione aſſumere alium virum, vivente proprio, non poteſt dici, quod formaliter mœchata fuerit, ſed tantùm materialiter, unde adveniente viro tuo debet ſtatim alium relinquere, & accedere ad ſuum, ut non dicatur ad altera.

Quartus eſt, ſi latenter cognita eſt ab aliquo ſub ſpecie viri lectum ſubintrante; nam tunc innocens reputari debet uxor, & non vituperanda, adeſt exemplum de Jacob, qui dormivit cum Lia, & tamen credidit conſummare matrimonium cum Rebecca, ob quam obtinendam in uxorem ſeptem conſumpſit annos ſerviens Laban.

Quintus eſt, ſi fuerit vi oppreſſa, tunc enim non debet imputari uxori adulterium perpetratum, *nam docet Div. Thom.*, non eſt crimen mulieris per violentiam violatæ, ſi conſenſus non adſit, quoniam non inquinatur corpus niſi de conſenſu mentis, ac proinde non debetur illi pœna divortii. [d 2. 2. q. 64. art. 5. ad 3.]

Sextus eſt, ſi reconciliaverit eam ſibi poſt adulterium perpetratum carnaliter eam cognoſcens, de quò infra.

Septimus eſt, ſi matrimonio in infidelitate utriuſque contracto vir dederit uxori libellum repudii, & uxor

altera

Digitized by Google

alteri nupſerit, tunc enim ſi uterque convertatur, tenetur eam vir recipere.

Diximus, quod *licet viro dimittere uxorem ob fornicationem*, quia iſta eſt directè contra bonum matrimonii, & quia tollitur per illam certitudo prolis, fides frangitur, & ſignificatio non ſervatur; hæc omnia utique diximus, ut ſciamus, quod excluduntur ferè omnia alia crimina, etiam ſi ſint majora fornicatione à ratione dimittendi uxorem; *ſecundum Div. Thom.*, (e) alia crimina, quamvis fortè majora fornicatione ſint, non tamen cauſant divortium. *Diximus ferè omnia alia crimina*, quia excipitur infidelitas, quæ dicitur ſpiritualis fornicatio, cum ſit contra bonum matrimonii, quod eſt proles educanda ad cultum Dei.

e in ſuppl. q. 62. ar. 1. ad 1.

Verùm adeſt differentia inter fornicationem ſpiritualem, quæ dicitur infidelitas, & inter fornicationem corporalem, quæ dicitur adulterium; ſiquidem propter unum actum fornicationis carnalis poteſt procedi ad divortium, non verò propter unum actum infidelitatis, nam tunc per fornicationem carnalem corrupta eſt, nec poteſt reintegrari etiam per pœnitentiam, tunc verò licet per fornicationem ſpiritualem tollatur fidelitas, adhuc tamen ſtat, quod reintegrari poſſit ſaltem per pœnitentiam, & ideò propter infidelitatis actum non poteſt procedi ad divortium, licet poſſit procedi ad illud propter conſuetudinem, quæ pertinaciam oſtendit, in qua infidelitas perficitur.

Excipitur *vitium contra naturam*, quamvis tale crimen non enumeretur inter alia crimina majora fornicatione, quæ excluduntur à ratione dimittendi uxorem, & meritò excipitur, utpotè quia abominabile eſt, & licet de illo non fiat mentio, hoc provenit, *ait Div. Thom.*, (f) vel quia eſt paſſio inominabilis, vel quia rariùs accidit, vel quia non ita cauſat incertitudinem prolis, & ideò propter hoc poteſt etiam procedi ad divortium; *Hæc ex Div. Thom.*, cujus mirabilis doctrina in ſacra ſcriptura fundata ſemper videtur. Hæc enim ſemper fornicationem prohibuit, ſub cujus nomine etiam adulterium compræhenditur, immò quod magis eſt etiam ſub nomine deſiderii; nam Deus O. M. hoc præcepit *in Exodo*, (g) non deſiderabis uxorem proximi tui; Et Chriſtus Dominus *in Matt.* (h) dixit, ego autem dico vobis, quod omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mæchatus eſt eam in corde ſuo. *Et D. Paulus ad Corint.* (i) Scripſit, propter fornicationem vitandam unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum habeat; ne contra Deum, & proximum peccemus; & ne irritetur Deus contra nos vehementer; ut non audiatur de nobis illud, *quod jam olim & per prophetam Jeremiam, & per Ezechielem auditum fuit; Primus enim per os Domini locutus fuit*, (l) equi amatores, & emiſſarii facti ſunt, unuſquiſque ad uxorem proximi ſui hinniebat. Numquid ſuper his non viſitabo, dicit Dominus, & in gente tali non ulciſcetur anima mea? *Secundus etiam ſic locutus fuit*, (m) & unuſquiſque in uxorem proximi ſui operatus eſt abominationem, & ſocer nurum ſuam polluit neſariè, frater ſororem ſuam filium patris ſui oppreſſit in te, propter hoc dicit Dominus, diſpergam te in nationes, & ventilabo te in terras, & deficere faciam immunditiam tuam à te.

f ib. ad 4.
g cap. 20.
h cap. 5.
i 1. cap. 7.
l cap. 5.
m cap. 22.

Denique Concil. Trident. hanc fornicationem carnalem vetuit, (n) & ut homines ab illa ſe abſtinerent, & ira Dei ne deſcenderet ſuper illos, pœnam excommunicationis poſuit, & inolevit contrafacientibus; Unde decretum poſuit, grave peccatum eſſe homines ſolutos concubinas habere, graviſſimum verò, & in hujus magni Sacramenti ſingularem contemptum admiſſum uxoratos quoque in hoc damnationis ſtatu vivere, ac audere eas quandoque domi, etiam cum uxoribus alere, & retinere &c. Deinde ſub nomine fornicationis etiam intelligitur infidelitas, *ut teſtis eſt Paulus*, inquit (o) enim, neque fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt, hoc eſt, idololatriam committentes, & ceciderunt una die viginti tria millia, *uti ſcriptum eſt in lib. Exodi* (p) feceruntque filii Levi juxta ſermonem Moyſi, & ceciderunt in die illa, quaſi viginti tria millia hominum, de numero ſcilicet eorum, qui fornicati ſunt in conſpectu Domini propter Idololatriam; ob quam diviſerunt ſe à Deo ſuo, qui utique dimiſiſſet illos, ſi Moyſes electus in conſpectu ejus non ſtetiſſet.

n Seſſ. 24. de Refor. cap. 8.
o 1. ad Cor. 10.
p cap. 32.

Divortium, ſeù dimittere uxorem fornicantem non tenetur vir ex præcepto, maxime quando ſi mulier de fornicatione perpetrata pæniteat, unde docet Divus Thomas, (q) quod dimiſſio uxoris fornicantis introducta eſt ad corrigendum uxoris crimen per talem pœnam, quæ pœna, corrigens ſcilicet, non requiritur, ubi emendatio non præceſſit; at ſi non ſe pæniteat, tenetur illam dimittere, ne peccato ejus videatur conſentire, dùm correctionem debitam non appoſuit; *quod magis corroborat dicendo* (r) peccatum fornicationis in uxore poteſt corrigi non ſolùm tali pœna, quæ eſt dimiſſio illius, ſed etiam verbis, paccato, vel inardeſcenti animo, & verbere, ut cognoſcat ſe eſſe ſubditam viro ſuo, & hæc dummodo non ſe pæniteat, eò quia ſi aliàs ad correctionem ſit parata, non tenetur vir prædictam pœnam ad ejus correctionem adhibere; nec illi conſentire videtur, *juxta doctrinam Angelici Magiſtri*, (ſ) ſi autem emendata fuerit, non ei conſentit; tunc ergo conſentire videtur vir uxori peccanti fornicariè, quando eam tenet, non ceſſantem à peccato præterito; ergo ceſſando à peccato, & fatendo ſe eſſe ream criminis adulterii vir cognoſcere eam debet in uxorem; Quapropter vir ei ſe conjungendo membrum meretricis non fit, quia fornicatio non tollit vinculum matrimonii; & ideò actus remanet, quantum eſt de ſe licitus; (hoc dicitur, quia per accidens poteſt fieri illicitus, in quantum ſcilicet vir conſentire turpitudini uxoris videtur,) nec peccat mortaliter, ſi cognoſcat eam carnaliter, poſtquam ſciat ipſam eſſe fornicatam, quia ſemper utitur jure ſuo.

q in ſuppl. q. 62. ar. 2.
r ib. ad 2.
ſ ibid.

Diximus, quod *vir non tenetur dimittere uxorem ex præcepto*, quia & Dominus permiſit cauſa fornicationis uxorem dimittere, per quam auctoritatem debet inferri, ergo non dimittendo uxorem fornicantem non peccat mortaliter eam carnaliter cognoſcendo, etiam ſi ſciat ipſam eſſe fornicatam; quod magis roboratur ex eo, quod addimus, non tenetur eam dimittere, ſi emendata fuerit; hoc autem addimus, ut ſciamus, quod vir non poteſt totaliter pœnam dimittere, niſi emendatio ſequatur. Divortium, ſive dimittere uxorem fornicantem, quamvis vir poſſit proprio arbitrio quantùm ad thorum tantùm, nam hoc pacto poteſt eam dimittere, quàm ſibi citò conſtat de fornicatione uxoris, ſicut nec reddere debitum exigenti, niſi fortè per Eccleſiam compellatur, quoniam ſic reddens, nullum præjudicium facit, attamen quantum ad thorum, & cohabitationem ſimul non poteſt illa dimitti, niſi judicio Eccleſiæ; & ſi alter fecerit, .v. quod ante judicium Eccleſiæ dimiſſa fuerit, debet cogi ad habitandum, niſi poſſet ei vir incontinenti fornicatione probare; ac per conſequens nequit celebrari divortium niſi judicio Eccleſiæ; nec hoc repugnat ſententiæ, quam dedit Dominus Deus, ut propter fornicationem vir uxorem dimittere poſſit, *nam ut ait Div. Thom.*, (t) Deus jus promulgavit (eſt enim ſententia applicatio juris communis ad particulare factum) ſecundum quod ſententia in judicio formari debet.

t in ſuppl. q. 62. ar. 3. ad 1.

Quod autem non poſſit celebrari divortium, niſi judicio Eccleſiæ, *ſatis conſtat ex definitione Concil. Trident. approbantis, quod jam docuit Div. Thom., & anathematizantis eum*, qui dixerit Eccleſiam errare, cum ob multas cauſas ſeparationem inter coniuges quantum ad thorum, ſeù quantùm ad cohabitationem ad certum, incertumque tempus fieri poſſe decernit, *& præter Concilium ſtat & ratio Div. Thom.* (x) docentis, nullus in eadem cauſa eſt actor, & judex, & cum vir ſit actor impetens uxorem de offenſa in ſe commiſſa, non poteſt conſequenter eſſe judex; licet ex alia parte ſolùm ſequatur, quod ex eo, quod eſt actor, poſſit accuſare uxorem de adulterio, at hoc ſtat dupliciter, *inquit Div. Thom., primò* (y) ad thori ſeparationem coram judice

u Seſſ. 24. can. 8.
x in 2. ſol. C.
y ib. ad 4.

judice ſpirituali, nam ad judicium Eccleſiaſticum cauſæ matrimoniales ſpectant, *juxta determinationem Concilii*, (*a*) ſi quis dixerit cauſas matrimoniales non ſpectare ad judices Eccleſiaſticos, anathema ſit: *Secundò* ad punitionem criminis in judicio ſeculari: Et quantum ad primum non debet fieri inſcriptio cum obligatione ad pœnam talionis, & ratio eſt, quia tunc non fit accuſatio, ut damnetur, ſed ut divortium tantùm fiat: quantum ad ſecundum oportet, quod præcedat inſcriptio, per quam ad pœnam talionis ſe obliget, ſi in probatione deficiat; & hoc quia tunc accuſat, ut damnetur.

a Seſſ. 24. can. 12.

Pariter poteſt procedi ad accuſationem, quando vir ſuſpectam uxorem de adulterio habeat, ei inſidiatur, ut deprehendere poſſit eam cum teſtibus in fornicationis crimine: & præterea ſi de facto ipſo non conſtat, *quia ut habetur in lib. Job*, (*b*) oculus adulteri obſervat caliginem, poſſunt eſſe violentæ ſuſpiciones fornicationis, quibus probatis videtur fornicatio probata eſſe, ut ſi inveniatur ſolus cum ſola, horis, & locis ſuſpectis, & nudus cum nuda. Nec hoc eſſet contra verbum Domini *Matt.* ſi peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum, ſi te audierit, lucratus erit fratrem tuum, ſi autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos teſtes, ut in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum; quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ. *I. Prælato*, qui in loco judicii reſidet; unde videtur, quod homo ſi crimen alterius etiam extranei non debet Eccleſiæ deferre, niſi monitione præmiſſa in ſecreto, quod eſt inter te, & ipſum ſolum (*quia ait Auguſtinus*, ſi ſolus noſti, quia aliquis peccaverit in te, & eum vis coram hominibus arguere, non eſt corrector, ſed proditor) multò minus poterit crimen uxoris deferre ad Eccleſiam, ſi eam prius etiam occultè non corripuerit. Non eſſet, inquam, contra verbum Domini, cum verbum Domini intelligatur, quando agitur per viam denunciationis, finis autem denunciationis alius non eſt, niſi emendatio peccantis, non verò punitur, & ideo dicitur, non verò quando agitur per viam accuſationis, tunc enim quando ſic agitur, non agitur ſolùm ad correctionem delinquentis, ſed ad punitionem propter bonum commune conſervandum, quod juſtitia deficiente periret, in accuſatione namque *ait Div. Thom.*, (*c*) potiùs bonum Reipublicæ intentum eſt; cui expedit, ut maleficia puniantur adhoc, quod peccata vitentur.

b cap. 24.

c 2. 2. q. 67. art. 4. ad 3.

Divortium præcipuè, cum ſit pœna adulterii, in quantum eſt contra matrimonii bona, hinc eſt, quod in viro, & uxore eſt ſufficiens cauſa ad divortium, & hoc quantum ad bonum fidei, ad quam coniuges æqualiter tenentur ſibi invicem: unde ut certum reliquitur, quod quantum ad bonum fidei tantùm peccat contra matrimonium unius adulterium, ſicut adulterium alterius, *quod deſumitur ex illo Pauli*: (*d*) iis autem, qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere. Et vir uxorem non dimittere, ex quibus verbis Apoſtoli clarius videtur, quod coniuges in cauſa divortii ad paria judicantur, cum uterque fidem ſervare debent.

d 1. cap. 7. ad Cor.

Cæterum quantum ad bonum prolis plus peccat adulterium uxoris, quàm viri, & hoc propter incertitudinem prolis, & hoc eſt, *quod dicit D. Th.* (*e*) quantū ad læſionem matrimonii, quā adulterium fornicationis addit, ex qua divortium cauſat, plus peccat mulier, quàm vir: & de facto mulier adultera peccat in Deū violando Sacramentum, peccat in virum, frangendo illi fidem. & falſos hæredes ſubſtituendo, peccat in prolem, quam damnificat reddens eam ignobilem ad Eccleſiaſticas dignitates; *ſicut & ſtatuit Concilium Trident.*, (*f*) ut paternæ incontinentiæ memoria à locis Deo conſecratis, quos maximè puritas, ſanctitaſque decet, longiſſimè arceatur, non liceat filiis clericorum, qui non ex legitimo nati ſunt matrimonio in Eccleſiis ubi eorum patres beneficium aliquod Eccleſiaſticum habent, aut habuerunt, quodcumque etiam diſſimile beneficium obtinere: nec in dictis Eccleſiis quoquo modo miniſtrare, nec penſionis ſuper fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel aliàs obtinuerunt, habere: Peccat & in proximum quem admittit, nam frequenter de adulterio naſcitur homicidium, unde videmus, quod David poſtquam in adulterium cum Bethſabee Uxore Uriæ commiſerit, præcepit occidi Uria militem fideliſſimum. Peccat & in ſeipſam, nam ab omnibus tanquam meretrix conſideratur, & ab omnibus vituperatur. Quod *deſumitur etiam ex Div. Thom. dicente*, (*g*) uxor non tantùm peccat in virum, in ſeipſam etiam, & in Deum, adde & in proximum, quia qui peccat in Deum, & in proximum peccat, & è converſo maximè in charitate;

e in ſuppl. q. 62. art. 4. ad 3.

f Seſſ. 25. de Reform. cap. 15.

g in Suppl. quæſt. 62. art. 4.

Deinde *ſubdit Div. Thom.*, & eò magis, quàm vir, peccat, quia regimen, quod datur viro in mulierem, licet ſit quædam circumſtantia aggravans, attamen ex illa circumſtantia, quæ in aliam ſpeciem trahit, magis aggravatur peccatum ſcilicet ex læſione matrimonii, quæ trahit ad ſpeciem iniuſtitiæ in hoc, quod furtivè aliena proles ſubmittitur; & *rurſus ait*, (*h*) quod in comparatione ad bonum prolis major eſt cauſa divortii in uxore adultera, quàm in viro, qui ſe tenet adulteram, reputari debet ſtultus, & impius, *ſecundum illud Proverb.*, (*i*) qui adulteram autem tenet, ſtultus eſt, & impius; ex qua parte benè deducitur, quod cauſa divortii eſt major in uno, quàm in alio; & per hoc, quod *addit*, *non tamen ſequitur*, *quod non judicentur ad paria*, roborat id, quod in corpore articuli docet, & ſic ad æqualia, ſed non ex æquali cauſa obligantur; nec tamen iniuſtè, nam in utroque eſt cauſa ſufficiens ad hanc pœnam.

h ib. ar. 4. ad 2.

i cap. 18.

Divortium per adulterium factum ſeparat virum, & uxorem quantum ad thorum, & cohabitationem, non verò quantum ad vinculum cum hoc ſit indiſſolubile, & ſit uſque ad extremum vitæ perpetuum; hinc erraverunt illi, qui dixerunt, Eccleſiam errare docendo propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi; at nequit dici, quod erraverunt, ſed meliùs, quod malitiosè ignoraverunt determinationem Eccleſiæ, quæ ſemper, & quocumque tempore voluit, vinculum matrimonii non poſſe diſſolvi; utpote fundata *tùm ex illo Matt.*, (*l*) quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur. *Tùm in illo Pauli*, (*m*) præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam; *Et ideò Concilium Trid. juxta Evangelicam, & Apoſtolicam Doctrinam damnat errores illorum.* Si quis dixerit, Eccleſiam errare cum docuit, & docet, propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe altero coniuge vivente aliud matrimonium contrahere, mæcharique eum, qui dimiſſa adultera aliam duxerit, & eam, quæ dimiſſo adultero, alii nupſerit; anathema ſit. Unde videtur, quod Eccleſia vult, quod nec diſſolvatur vinculum matrimonii, quamvis diſſolvatur quoad actum, & ad tempus; vult, quod poſt divortium vir, ſicut & mulier alteri non poſſit nubere, dummodo vivunt, vult conſequenter adulterari, qui dimiſſa adultera aliam duxerit; ac proinde vult, *ut ſemper ſervetur doctrina D. Thom. docentis*; (*o*) matrimonium eſt vinculum indiſſolubile, unde nihil advenire poteſt, ſupra matrimonium, ut ipſum poſſit diſſolvere; ſi ergo nihil, nec adulterium poteſt facere, quod non ſit verum matrimonium. *Hinc Div. Auguſt. de nuptiis* manet, *inquit*, inter viventes coniugale vinculum, quod nec ſeparatio, nec cum aliquo junctio poteſt auferre; & taliter manet vinculum matrimonii, (ex quo, ad hoc tenetur ſcilicet ad reddendam debitum, & ad cohabitandum cum viro, licet uxor poſt divortium non teneatur viro adultero ad illa) ut non poſſit ad aliam copulam tranſire viro vivente; cum quo tamen ſtat, quod poſſit continentiam vovere viro invito; niſi videatur Eccleſia decepta fuiſſe per falſos teſtes, accuſando divortium, & ſententiando de divortio; quia in tali caſo, etiamſi votum profeſſionis emiſiſſet, reſtitueretur viro, ut appareat innocentia ejus, & ut manifeſtetur

l cap. 19.

m 1. cap. 7. ad Cor.

n Seſſ. 24. can. 7.

o in ſuppl. q. 62. art. 5.

p lib. 1. c. 7.

bona

bona ſama de tali petſona, & teneretnr reddere debitum viro ſun, licei non in pœnam, ſed in reverentiam voti ſolemniter emiſſi non liceret ei illud exigere.

Quod autem non poſſit alteri nubere in ſignum, quod vinculum matrimonii non ſolvatur poſt divortium, clare conſtat, nam poſſunt vir, & mulier reconciliari poſt divortium, qua reconciliatione ſecuta & vir poteſt, immò & debet carnaliter cognoſcere uxnrem, & uxor ſimiliter
q in ſuppl. q. 62. ar. 1. virum; *hoc & D. Thom. docet, dùm ait*, (q) ſi uxor poſt divortium de peccato pœnitentiam agens emendata fuerit, poteſt eam ſibi vir reconciliare, *juxta & illud Pauli ad Corint.*, quod ſi diceſſerit nxor à viro, præcipio non ego, ſed Dominus, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari; talis autem reconciliatio cum non debeat eſſe de ratione amicitiæ, quæ licet ſit quodam vinculum civile, non tamen indiſſolubile ſecundum legem; ſcio tamen, quod qui invenit amicum
r cap. 6. fidelem, invenit theſaurum, & amico fideli, *Eccleſiaſticus me docet*, (r) nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri, & argenti contra bonitatem fidei illius; conſequenter videtur, quod illa reconciliatio de ratione coniunctionis carnalis, per copulam carnalem; & licet dicatur, quod judicio Eccleſiæ definitum fuit, quod debeat ſeparari, *attamen ſciendum eſt unà cum Div. Thom.*, (ſ) quod talis ſententia
ſ ib. ad 1. Eccleſiæ divortium celebrantis non fuit cogens ad ſeparationem (non enim aliquo tempore fuit contraria ſibi ipſi) ſed licentiam præbens ob evitanda quam plura pericula, quæ ſequerentur per cohabitationem; & quod ita ſit, claré, & manifeſtè videtur, quod abſque retractione ſententiæ poſſit reconciliatio fieri, vel ſequi; fiat pax inter coniuges per divortium ſeparatos, & tunc recedent vetera, nova ſint omnia.

Diximus, *ſi poſt divortium uxor de peccato pœnitentiam agens emendata fuerit, poteſt eam ſibi vir reconciliare*, quia adhuc ſtante, quod pœnitentia uxoris debeat inducere virum, & uxorem fornicantem non accuſet, ant dimittat, non tamen poteſt ad hoc cogi, nec poteſt per pœnitentiam eum uxor ab accuſatione repellere, eò quia ceſſante culpa & quoad reatum, & quoad maculam, adhuc manet aliquid de reatu, & ceſſante reatu quantum ad Deum, adhuc manet reatus quantum ad pœnam humano judicio inferendam, non enim homo intuetur cor, ſicut Deus; cæterum ſi in peccato incorrigibilis maneat, non debet eam reaſſumere eadem ratione, qua non licebat eam nolentem à peccato deſiſtere, retinere, ne videretur eſſe particeps in crimine.

At ſi quis inquireret, quid ſaciendum ſit, quando vir poſt divortium inveniatur adulterium committere?

Reſpondendum erit *cum Div. Thom.*, (t) quod pro-
t ib. ad 4. pter adulterium, quod vir prius innocens poſt divortium committit, ſecundum rigorem juris non debet cogi ad accipiendam uxorem prius adulteram, ſiquidem ut diximus dimittere nxorem ob fornicationem eſt in pœnam illius, utporè quia fregit fidem, & carnem ſuam diviſit amatoribus ſuis, cum autem fidem ſervaverit vir, hinc eſt; quod non debet cogi ad accipiendam uxorem adulteram ſactam ante divortium, etiam ſi poſt divortium commiſerit vir prius innocens adulterium.

Attamen ſi loquamur ſecundum æquitatem juris, judex ex officio ſuo debet eum cogere ad evitandum periculum animæ ejus, & ad eſſe vitandum ſcandalnm puſillorum; nec per hoc ſequitur, quod uxor poſſit reconciliationem petere, qnia jam ſe præjudicavit fidem frangendo, unde tota debet eſſe ſubjecta viro, & in ratione reddendi debitum & quoad thorum, & quoad cohabitationem, ut reddatur digna viro ſuo, & reconcilietur ei.

Si verò quis inqnireret, quid ſaciendum, quidve dicendum ſit, quando vir petens divortium jam commiſit & ipſe adulterium?

u ib. ad 5. *Aliud non video dicendum niſi cum Div. Thom.* (u) quod peccaret vir divortium petens, ſi jam commiſit & ipſe adulterium, licet occultè, nam quod commiſerit occultè adulterium, licet prudentialiter operatus ſit, attamen verè, & realiter reus eſt adulterii, unde accidens non tollit eſſentiam rei, ac per conſequens occultatio non tollit adulterium jam perpetuum, & ideò in pœnam adulterii, jam occultè commiſſi tenetur vir & ad debitum reddendum, & ad reconciliationem, ſi poſt ſententiam à judice de divortio ſactám uxor utramque peteret.

De libello repudii.

Repudium non tollit inſeparabilitatem uxoris, cum iſta ſit de lege nature, & taliter, ut initium habuerit à natura, quoniam ab initio ſecit hominem, maſculum, & fœminam ſecit eos; unde & dixit, propter hoc dimitet homo patrem, & matrem, & adhærebit nxori ſuæ, & erunt duo in carne una. *Et in Matt. magis habetur hæc inſeparabilitas uxoris dùm legi-* a cap. 19.
tur, itaque jam non ſunt duo, ſed una caro: & taliter eſt inſeparabilis talis coniunctio viri cum uxore, quod & Dominus Deus dixit, quod Deus coniunxit, homo non ſeparet, Deus ergo ab initio hanc coniunctionem viri cum uxore præcepit, & præcipiendo illam conſequenter voluit inſeparabilitatem illorum quantum ad actum matrimonialem, ob hoc dicet, & erunt duo in carne una; Quapropter nemo ſit, qui audeat eſſe contrarius huic præcepto Dei, & ſeparare virum ab uxore etiam quacumque ſupervenienté cauſa, ſive ſit hæreſis, ſive moleſtæ cohabitationis, ſive affectatæ abſentiæ, ſive ex quacumque alia cauſa, ſi non vult incidere in manu Domini, & in excommunicatione Eccleſiæ: determinavit namque Eccleſia Catholica, ut habetur ex Concil. Trident., (b) quod ſi quis dixerit
propter hæreſim, aut moleſtam cohabitationem, aut b Seſſ. 24. can. 5.
affectatam abſentiam à coniuge diſſolvi poſſe matrimonium, anathema ſit, ergo quod Deus coniunxit, homo non ſeparet, quia Sacramentum hoc magnum,
inquiebat Apoſtolus ad Epheſ., (c) ego autem dico vobis c cap. 5.
in Chriſto, & in Eccleſia, volens propter hoc denotare inſeparabilitatem illius; & quod ita ſit, *habemus ex Div. Thom. veritatem hanc inquit enim*, (d) inſepara- d in ſuppl. q. 6. ar. 1. ad 2.
bilitas competit matrimonio ſecundum quod eſt ſignnm perpetuæ coniunctionis Chriſti, & Eccleſiæ, licet competat etiam illi inſeparabilitas ſecundum quod eſt in officium naturæ ad prolis bonum ordinatum: &
de facto docet Div. Thom., (e) quod matrimonium ex e ib. ar. 1.
intentione naturæ ordinatur ad educationem prolis non ſolùm ad aliquod tempus, ſed per totam vitam prolis; unde de lege naturæ eſt, quod parentes filiis theſaurizent, & filii parentum hæredes ſint, qua de cauſa mirum non erit, ſi inſeparabilitas matrimonii ſit de lege naturæ, cum proles ſit commune bonum viri, & uxoris, adeòque, quod oporteat, ut eorum ſocietas perpetuò permaneat indiviſa ſecundum legis naturæ dictamen. Cæterum ſecundum quod pertinet ad bonum Sacramenti, non eſt de lege naturæ, ſed de lege gratiæ,
quæ per Chriſtum habetur, *ſecundum illud Joannis*, (f) f cap. 1.
gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt; adeòque inſeparabilitas magis intelligi debet in bono Sacramenti, quàm in bono prolis, cum magis ſeparatio matrimonii, & directè repugnet ſignificationi, quàm bono prolis, cui ex conſequenti repugnat.

Repudiū quamvis, quantum eſt de ſe, non tollat inſeparabilitatem uxoris, & ſecundū quod eſt de lege naturæ & ſecundum quod eſt ſignum coniunctionis Chriſti, & Eccleſiæ repudiare tamen uxorem poteſt eſſe licitum per diſpenſationem, & de facto Agar ſuit cognita ab
Abraham uxorio affectu, *nam legitur gen.* (g) quod ſa- g cap. 16.
rai tulit Agar ancillam ſuam, & dedit eam viro ſuo
uxorem, & tamen eam ejecit præcepto etiam divino; h cap. 21.
nam legitur dixiſſe Dominum Deum ad Abraham, (h) non tibi videtur aſperum ſuper puero, & ſuper ancilla tua, omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus; Sara namque dixit viro ſuo, ejice ancillam hanc; & à Deo confirmatum ſuit verbum Saræ; unde videtur, quod Abraham non peccavit illā dimittendo ſtante di-

vinn

Digitized by Google

vino præcepto, ac per conſequens factum fuit licitum per divinam diſpenſationem, ſicut & poteſt fieri licitum, quia eſt Deus ſuper omnes leges.

At ut de hoc habeatur major notitia, ſciendum *eſt* l in ſuppl. q 67 ar. 2. *cum Div. Thom.*, (l) quòd diſpenſatio in præceptis præcipuè, quæ ſunt aliquo modo legis naturæ, eſt ſicut mutatio curſus naturalis rei, qui poteſt mutari dupliciter; primò ex aliqua cauſa naturali, per quam alia cauſa naturalis impeditur à curſu ſuo, per quem modum non variatur curſus rerum naturalium, quæ ſunt ſemper, ſed quæ ſunt frequenter. Secundò per cauſam penitùs ſupernaturalem, ut in miraculo accidit, & ſic poteſt mutari curſus naturalis, non ſolùm qui eſt ordinatus, ut ſit frequenter, ſed etiam qui eſt ordinatus, ut ſit ſemper. Ut patet de ſtatione ſolis tempore Joſue, l cap. 10. *legitur enim in lib. Joſue*, (l) Sol contra Gabaon ne movearis, taliter quod nec fuit antea, nec poſt tam longa m cap 46. dies; de *qua ait Eccleſiaſticus*, (m) una dies facta eſt, quaſi duo; de reditu ejus tempore Ezechiæ, ut *legitur in* n lib. 4 c 2. *lib. Regum*, (n) Iſaias propheta invocavit Dominum, & reduxit umbram per lineas, quibus jam aſcenderat in Horologio Achaz retrorſum decem gradibus.

De Eclypſi miraculoſa tempore paſſionis Chriſti, de o cap. 27. *qua legitur Matt.*, (o) à ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram uſque ad horam nonam. Et de facto hanc mirabilem Eclypſim *vidit Dionyſius Areopagita in Ægypto exiſtens* ante ſuam converſionem, *ut ipſe teſtatur in Epiſtola ad Polycarpum*: de ipſa Eclypſi *ſcripſit etiam Phlegon Olympiadum egregius supputator, in 14. libro ita dicens*, quarto autem anno ducenteſimæ ſecundæ Olympiadis magna, & excellens inter omnes, quæ ante eam accederant, defectio ſolis eſt facta: dies hora ſexta ita in tenebroſam noctem verſus, ut ſtellæ Cœlo viſæ ſint. *Sic ſentit & Div. Auguſt. lib. de mirabili-* p 1. c. 19. *bus Sacræ Scripturæ*, (p) tantùm lucem ſolio media die tenebræ obſcuraverunt, ut per tres illas horas defectionis ſtellæ in Cœlo viſæ ſint.

Quæ verò ratio diſpenſationis in præceptis legis naturæ quandòque eſt in cauſis inferioribus, & talis diſpenſatio cadere poteſt ſuper ſecunda præcepta legis naturæ, non verò ſuper prima, quia iſta ſunt ſemper exiſtentia.

Quandòque eſt in cauſis ſuperioribus, & tunc diſpenſatio poteſt eſſe divinitùs etiam contra prima præcepta legis naturæ ratione alicujus myſterii divini ſignificandi, vel oſtendendi; nec tales diſpenſationes fiunt communiter ad omnes, ſed ad aliquas perſonas ſingulares; quapropter ſi inſeparabilitas matrimonii inter prima præcepta legis naturæ contineatur, ſolùm hoc ſecundo modo ſub diſpenſatione cadere potuit, ſi verò inter ſecunda præcepta legis naturæ etiam primo modo ſub diſpenſatione cadere potuit; nihilominus tamen videtur magis inter ſecunda præcepta legis naturæ contineri; ſiquidem inſeparabilitas matrimonii non ordinatur ad prolis bonum, quod eſt principalis finis matrimonii, niſi quantum ad hoc, quod parentes filiis provideri debet in totam vitam per debitam præparationem eorum, quæ ſunt neceſſaria in vita, quæ tamen præparatio non eſt de prima intentione naturæ, ſecundum quam omnia q 1b ad 1. ſunt communia; & *rurſus ait Div. Thom.*, (q) in bono prolis, ſecundum quod eſt de prima intentione naturæ intelligitur procreatio, & nutritio, & inſtructio, quouſque proles ad perfectam ætatem ducatur, ſed quod ei provideatur in poſterum per hæreditatis, & aliorum bonorum dimiſſionem, videtur pertinere ad ſecundam legis naturæ intentionem; ideòque ſubdit, non videtur eſſe contra primam intentionem naturæ dimiſſio uxoris, ac per conſequens nec contra prima præcepta, ſed contra ſecunda legis naturæ præcepta; ex quibus etiam ſequitur, quod primo modo ſub diſpenſatione poſſe cadere videtur.

Repudium cum quantum eſt de officio naturæ, illicitum ſit, ob indiſſolubilitatem, quam habet annexam, nec ab ulla humana lege licitum illud facere poſſit, attamen ex divina diſpenſatione Supremi Legiſlatoris, qui eſt Deus, licitum poteſt fieri, & de facto conſtat factum fuiſſe licitum in lege Moyſi repudium uxoris. Verùm non deſunt quidam, qui dicunt non fuiſſe licitum, vel ſecundum iſtos non excuſabantur à peccato, qui ſub lege Moyſi dato libello repudii dimittebant uxorem, licet excuſarentur à pœna ſecundum legem infligenda; & propter hoc dicitur Moyſen libellum repudii permiſiſſe, eò modò, quò à principibus permittuntur lupanaria, ad majora mala evitanda: Unde ponuntur quatuor modi permiſſionis.

Primus per privationem præceptionis, ut quandò majus bonum non præcipitur, minus bonum permitti dicitur, ſic Apoſtolus non præcipiendo virginitatem, matrimonium permiſit, *ſic enim ait ad Corint.*, (r) de r 1. cap. 7. Virginibus autem præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Domino, ut ſim fidelis. Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe.

Secundus per privationem prohibitionis, ut venialia dicuntur permiſſa, quia non ſunt prohibita.

Tertius per privationem cohibitionis, & ſic peccata omnia dicuntur permitti à Deo, in quantum non impedit, cum impedire poſſit.

Quartus per privationem punitionis, & ſic libellus repudii in lege Moyſi permiſſus fuit, non quidem propter aliquod majus bonum conſequendum, ut fuit diſpenſatio de pluribus uxoribus habendis, ſed propter majus malum cohibendum ſcilicet uxoricidium: *unde & docet D. Th.*, (ſ) bonum poteſt intermitti dupliciter. ſ Ib. ad 5

Primò propter aliquod majus bonum conſequendum, & tunc intermiſſio illius boni ex ordine ad majus bonum accipit honeſtatem; ſicut intermittebatur ſingularitas uxoris honeſtè à Jacob propter bonum prolis. Nam Rachel, *Gen.*, (t) videns ſe infœcunda dedit vi- t cap. 30. ro ſuo Jacob ancillam ſuam Balam in conjugium, quæ concepit, & peperit Dan, & Neptali.

Secundò ad vitandum majus malum, & tunc ſi auctoritate ejus, quis diſpenſare poteſt, hoc fiat, reatum talis boni intermiſſio non habet, ſed honeſtatem aliam non acquirit, & ſic indiviſibilitas matrimonii in lege Moyſi intermittebatur propter maius malum vitandum, ſcilicet uxoricium.

Quidam verò, ut ſancti dicunt, Judæos non peccaſſe repudiando uxorem, aliàs ſi peccaſſent, hoc ſaltem eis per legem, aut Prophetas judicari debuiſſet, *ut habetur in Iſai* (u) annuncia populo meo ſcelera eorum: & ideò aſſerunt iſti, quod licet repudiare ſit per ſe ma- u cap. 58. lum, tamen ex permiſſione divina licitum fiebat.

Hæ ſunt opiniones, *quas refert Div. Thom.*, qui & adhæret utrique, & ad utramque reſpondet. *Adeòque ait*, quod quando dicunt, quod Prophetæ locuti ſunt Spiritu Sancto inſpirati, ut *apparet ex illo Malachiæ*, (x) cum odio habueris, dimitte; *docet*, quod Prophe- x cap. 2. tæ (y) Spiritu Sancto inſpirati non dicebant dimitten- y Ib. ad 2. dam eſſe uxorem, quaſi Spiritus Sancti præceptum ſit, ſed quaſi permiſſum, ne mala peiora fierent.

Nec ex eo, quod ab Apoſtolis permiſſæ fuerunt ſecundæ nuptiæ, quæ non ſunt peccatum, *ut legitur ad Corint.*, (a) mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir a 1. c. 7. eius vivit, quod ſi dormierit vir eius, liberata eſt; cui vult, nubat tantùm in Domino; inferendum eſt, quod & Moyſes permiſit libellum repudii, & quod etiam non ſit peccatum: *nam docet Div. Thom.*, (b) quod il- b Ib. ad 3. la permiſſionis ſimilitudo non eſt intelligenda quantum ad omnia, nam illa mulier, cuius mortuus fuerit vir, eſt in ſtatu libertatis, & ideò cui vult, nubere poteſt; illa verò mulier repudiata adhuc vivente viro poteſt alium virum accipere; benè tamen quantum ad cauſam eamdem; & hoc quia utraque permiſſio ad vitandam turpitudinem facta eſt; *unde ajebat Paulus ad Timot.* (c) Adoleſcentiores autem viduas de vita. Cum enim luxuriatæ fuerint in Domino, nubere volunt; *& ideò* c 1. cap 5. *ſubdit*, volo autem juniores nubere, &c.

Pariter nec ex eo, quod unus modus conſentiendi ſit non prohibere, cum quis poſſit, infrendum eſt. ſi ergo Moyſes non prohibuerit uxoris repudium nec peccaverit, quia lex Sancta eſt, hinc ſequitur fuiſſe licitum,

& ſic

Digitized by Google

& ſic nec peccatum; eò quia, *ut ait Div. Thom.*, quod aliquis, qui poteſt prohibere, non peccat, ſi à prohibitione abſtineat, non ſperans correctionem, ſed majus malum exiſtimans ex tali prohibitione occaſionem ſumere; ſic accidit Moyſi, non enim prohibuit libellum repudii, quia jam videbat majus malum oriri in populo ex tali prohibitione, ac proinde divina auctoritate fretus, libellum repudii non prohibuit.

c ib. ad 2.

Ad illos verò, qui dicunt, quod propter duritiam cordis eorum libellus repudii datus eſt à Moyſe, quæ duritia cordis non excuſabat eos à peccato, *jam dixit Div. Thom.*, quod licet non excuſaret à peccato, tamen permiſſio ex duritie facta excuſat. Ex quibus *jam patet, quod Div. Thom. problematicè ſe habet.*

At non tantùm circa hæc problematicè ſe habet, verum etiam & circa uxorem repudiatam; & ideò tàm ad illos, qui ſicut dicunt non excuſari à peccato illos, qui ſub lege dato libello repudii uxorem dimittebant; iterum dicunt poſt repudium uxorem peccare alium virum ducendo, quia adhuc primum matrimonium ſolutum non erat, *juxta etiam illud Rom.*, (*e*) mulier quanto tempore vivit, alligata eſt legi viri; unde vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro; *ſic & legitur Matt.*, (*f*) qui dimiſſam duxerit, adulterat. *Unde Div. Thom* cum ad utraſque rationes reſpondeat, hinc eſt, quod ad has auctoritates reſpondet, quod illud *Matt.* (*g*) intelligitur quantum ad tempus novæ legis, in quo dicta permiſſio eſt ſublata; & quod ita ſit, legitur ante prædicta verba, *dictum eſt autem Deut.*; (*h*) quicumque dimiſerit uxorem ſuam, det ei libellum repudii: Ego autem dico vobis ſcilicet *inſtitutionem novæ leg*, quia omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari; & *poſtea ſubdit*, & qui dimiſſam duxerit, adulterat.

e cap. 7.

f cap. 5.

g in ſuppl. q. 67. art. 4. ad 1.

h cap. 24

Sic *ſyn... ... illud Chryſoſtomi dicentis*, quod qui ſecundum (*i*) ... dimittit uxorem, quatuor facit iniquitates, quia quantum ad Deum exiſtit homicida, in quantum habet propoſitum, niſi eam dimitteret; quia dimiſit non fornicantem, in quo ſolo caſu lex Evangelii dimittere uxorem permittit; quia facit eam adulteram, ſicut & illum, cui copulatur. *Et licet dicatur Deut.*, (*l*) mulier repudiata, quæ alium virum duceret, polluta eſt, & abominabilis coram Domino, attamen non dicitur polluta ſimpliciter, ſed ſolùm illius judicio, qui quaſi pollutam eam prius dimiſit. *Et de ſecto ... legitur in principio*, ſi acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus, propter aliquam fæditatem, ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua, cumque egreſſa alterum maritum duxerit, dederitque ei libellum repudii, & dimiſerit de domo ſua, vel certè mortuus fuerit, non poterit prius maritus repetere eam in uxorem, quia polluta eſt, & abominabilis coram Domino. Juxta quam Scripturam videtur ſtare opinionem illorum, qui ſicut dixerunt non peccaſſe dimittendo uxorem, ita & modò dicunt licere uxori repudiatæ alium virum præter priorem maritum ducere, unde & dicunt, ſicut licebat viro ex diſpenſatione divina uxorem ducere tempore legis, ita & alium virum ducere, & aſſignant rationem, quia inſeparabilitas matrimonii ex cauſa divinæ diſpenſationis tollebatur, qua inſeparabilitate manente intelligitur illud dictum Apoſtoli, mulier quanto tempore vivit. &c.

i hom. 12 in Matt.

l cap. 24.

Nec tollitur opinio eorum, qui dicunt, quod in repudio magis erat iniquitas viri repudiantis, quàm uxoris repudiatæ, & nihilominus vir poterat ſine peccato aliam ducere uxorem, ergo mirum non debet eſſe, nec computari peccatum, ſi etiam uxor ſine peccato poterat alium virum ducere. Siquidem non vident, quàm ſit diſpar ratio de viro, ac de uxore circa hoc, nam viro licebat habere plures uxores ſimul ſecundum diſpenſationem divinam, & ideò una dimiſſa etiam matrimonio non ſoluto poterat aliam ducere, uxori verò numquam licuit habere plures viros.

Et quia in Deut. non poterit prior maritus recipere eam ſcilicet *repudiatam in Uxorem*, hinc eſt, quod non ſunt ſequendi illi, qui dicunt, quod etiam licuit, uxorem repudiatam viro reconciliari, niſi matrimonio alteri viro, juncta eſſet, quoniam tunc propter adulterium, cui ſe mulier voluntariè in pœnam dabatur ei, quod ad priorem virū non rediret. At quia lex univerſaliter prohibet, ideò ſequendi ſunt illi dicentes, quod etiā antequam alteri nuberet, non poterat revocari, ex quo repudiata erat; quare autem hoc? quia polluta erat, hæc autem pollutio non intelligitur quantum ad culpam, non enim commiſerat adulterium; ſed in tantùm dicitur uxor repudiata polluta, in quantum dicebatur immunda immunditia cujuſdam irregularitatis legalis, *ut aſſerit Div. Thom.*, (*n*) mulier repudiata dicitur polluta eò modo, quò immundus dicebatur, qui mortuum tangebat, vel leproſum, non immunditia culpæ, ſed cujuſdam irregularitatis legalis; quo pacto etiam Sacerdoti non licebat, viduam, aut repudiatam ducere, in uxorem: *ſecundum illud, quod ſcriptum eſt Levit.*, (*o*) viduam autem, & repudiatam, & ſordidam, atque meretricem non accipiet, ſed puellam de populo ſuo; unde virginem ducet uxorem, etſi viduam, non de viro, ſed de Sacerdote; juxta illud Ezechielis, ſed & viduam, quæ fuerit vidua à Sacerdote, accipient.

m cap. 24.

n 15. add.

o cap. 21

p cap. 44.

Verùm ſtando in duabus primis opinionibus ſcilicet uxorem peccare alium virum ducendo poſt repudium, & uxorem alium virum ducendo non peccare; quoniam ambæ aliquid de veritate habent; & in hoc, quod non liceat viro repudiatam à ſe accipere non pugnant, ſed conveniunt, & hoc quantum ad ſubſtantiam, licet quoad modum differant; dicunt enim primi, quod maritus repudians eam accipere non poteſt, hoc factum fuit in pœnam mulieris, quæ alteri nupſit, & in hoc peccato polluta eſt, alii verò de ſecunda opinione dicunt, quod hoc factum fuit, ut vir non de facili uxorem repudiaret, quàm poſtea nullo modo recuperare poſſet. Sed

Quare cum ſit indulgendum peccanti. maritus non poterat uxorem repudiatam denuò accipere indulgendo illi?

Ratio hujus eſt, quia aliud eſt indulgere peccanti quoad rancorem cordis, & aliud quoad pœnam divinitùs taxatam. Quamobrem licet ſemper licuerit indulgere peccanti quantùm ad primum, non tamen quantum ad ſecundum, nam divinitùs ordinatum fuit, quod vir repudiando uxorem, illam repudiatam aſſumere iteratò non poſſet.

Si verò quæratur, quænam cauſa aſſignanda ſit pro repudio?

Ultrà quod diximus abſolutè loquendo cauſam permiſſionis repudiandi uxorem fuiſſe vitiationem uxoricidii, modò addimus. *& hoc cum Div. Thom. dicente*, (*q*) quod cauſa proxima repudii eſt odium, quod eſt cauſa proxima homicidii; at quia odium ex aliqua cauſa oritur, & cauſatur, ſicut & amor, hinc eſt, quod ſi aſſignatur cauſa proxima repudii, oportet pariter aſſignare aliquas cauſas remotas ejuſdem repudii, quæ erant cauſa odii.

q in ſupp. q. 67. a. 6.

Ubi nota, quod meritò dicitur, quæ erant cauſa odii, non quæ ſunt, nam tantùm in veteri lege repudium dabatur, & per illud ſolvebatur vinculum ex divina diſpenſatione. & hoc quia matrimonium nondùm erat in ſua ſignificatione formatum, quoniam nondùm erat Sacramentum coniunctionis Chriſti, & Eccleſiæ, ex qua coniunctione oritur inſeparabilitas matrimonii, ſed ſolùm tunc temporis erat in officium naturæ, unde & ſolvebatur, nec mæchabatur dimittendo uxorem per repudium, ſicut modò peccaretur illam dimittendo, *juxta illud Domini Jeſu*, omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa facit eam mæchari, & qui dimiſſam duxerit, adulterat; unde licet divortium videatur permiſſum, quando poſt matrimonium contractum mulier conjugatur cum alio viro, non tamen ſolvitur vinculum, propter quod mœchatur mulier, ſi ſit cum alio viro, nec vir facit eam mæchari; cum ipſe jam propter peccatum illam dimiſerit, unde non eſt cauſa illius mæchiæ, & ideò nec eſt reputandum illi in culpam, ſed tantùm mulieri, quæ ob facinus jure privatur, ut non poſſit petere debitum.

Unde

Digitized by Google

Unde nulla alia eſt cauſa in nova lege dimittendi uxorem; *& de hac veritate teſtem adducimus D. Auguſt.* (r) [r lib. 1 de ſer. Dom. in M c. 25.] multæ erant in lege cauſæ dimittendi uxorem ſolam Chriſtus fornicationem excepit; cæteras verò moleſtias jubet pro fide, & caſtitate conjugii ſuſtineri.

Sed ad nos, *diximus, quod oportet aſſignare aliquas cauſas repudii remotas, quæ erant cauſa odii*. Iſte verò cauſæ intelliguntur fœditates in corpore, ut infirmitas, non tamen quælibet: aliàs omnis ſive levis, ſive gravis, quæ ducit ad mortem, ad quam omnes provenire induoitatum eſt; ſed perpetua infirmitas cauſa remota erat repudii: nam qui patitur hujuſmodi infirmitatem perpetuam, veluti odibilis redditur, vel aliqua notabili macula, quæ redderet exoſam mulierem, *ut habetur in Deut:* (ſ) [ſ c. 24.] ſi acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudii, & dabit de manu illius, & dimitet eam de domo ſua; & quamvis Gloſſa ſuper hæc verba legatur, videtur magis arctare. V. ad peccatum cum dicit, quod ibi per fœditatem peccatum intelligitur; *verùm Div. Th. ſubdit* (t) [t Ib. ad 3.], quod peccatum Gloſſa nominat non ſolùm in moribus animæ, ſed etiam in natura corporis. Deinde vel in anima, ut fornicatio, vel aliqua hujuſmodi, quæ inhoneſtatem facit, & ideò ſatis probabiliter aliqui has cauſas magis coarctant, dùm dicunt, quod non licebat repudiare niſi ob aliquam cauſam poſt matrimonium ſupervenientem; nec propter quamlibet talem, ſed propter illas ſolùm, quæ poſſunt bonum prolis impedire: vel in corpore, ut ſterilitas, aut lepra, aut aliquod ſimile, puta Epilepſia, frequens mania: *unde & Div. Thom. ait*, (u) [u Ib ad 3.] ſterilitas, & alia hujuſmodi funt cauſa odii, & conſequenter ſunt cauſæ remotæ repudj; vel in anima, ut ſi eſſet malorum morum ſcilicet, an peccaret de inobedientia, an eſſet pertinax; Unde de pertinacia *legitur Gen.* (x) [x cap 49.] maledictus furor eorum, quia pertinax, & de inobedientia *Deut.* (y) [y cap 11.] & vos peribitis, dicente Domino, ſi inobedientes fueritis veri domini Dei veſtri, an peccaret propter dicacitatem, ob hoc *Eccleſiaſt. nos admonendo dixit* (z) [z cap. 23.], indiſciplinatę loquelę non aſſueſcat cor tuum. An ſemper contentioſa eſſet, & jurgia frequentaret, *de qua legitur Prove.* (a) [a cap. 6.] & de muliere præcipuè intelligi debet, non ſolùm hoc, quod dixit ſapiens, omni tempore jurgia ſeminat: ſed & iſtud, *quod ab eodem iterum dicitur* (b) [b cap. 18.], & os ejus jurgia provocat. Propter ſuam inſtabilitatem in operando, ob ignorantiam in diſcernendo, ob debilitatem in cognoſcendo, *propter quod dicitur in lib. Prov.* (c) [c cap. 9.] mulier ſtulta, & clamoſa, plenaque illecebris, & nihil omninò ſciens: An pecaret auferendo ſubſtantiam viri, illamque diſſipando, nam ultrà quod peccaret hic faciendo, committeret & furtum, quia eſt ſententia Domini; *Gen.* (d) [d cap 7.] ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui; *& Paulus ad Timot.* (e) [e P cap. 2.] ſcribens dixit, neque dominari in virum, quod utique eſſet, ſi de rebus viri propria voluntate diſponeret. An peccaret de veneficio, vel de ſuſpicione probabili veneficii, tunc enim tolleretur pax omnimoda inter virum, & mulierem; Quamobrem & ſi mulier diceret viro ſuo, pax eſt viro meo, poſſet utique reſpondere uxori ſuæ, quæ pax? adhuc beneficia tua vigent. Hoc deſumpſimus *ex li. Regum, ubi legitur*, (f) [f lib. 4. c 9.] cumque vidiſſet Joram Jehu, dicit, pax eſt Jehu? At ille reſpondit, quæ pax? adhuc fornicationes Jezabel matris tuæ, & veneficia ejus multa vigent. *Et Paulus ad Gal* (g) [g cap. 5.] enumerat inter manifeſta opera carnis veneficia. Idcircò iſti mali mores erant cauſæ remotæ repudii, ne filii ſcilicet ex converſatione ad ipſam illos imitarentur, ac ſequerentur.

Cæterum numquam poterat repudiari propter virtutem, cum nullus propter virtutem ſit odibilis, & hoc per ſe loquendo, *de quo etiam aſſignatur ratio à Div. Thom.* (h) [h Ib. ad 4.] quia bonitas cauſa eſt amoris. Sicut nec etiam poterat in perpetuum repudiare illam accuſans de ſtupro ante conjugium. *Sicut habetur in Deut.* (i) [i cap. 22.] ſi duxerit vir uxorem, & poſtea odio habuerit eam, quęſieritque occaſiones, quibus dimittat eam, objiciens ei nomen peſſimum, & dixerit uxorem hanc accepi; & ingreſſus ad eam non inveni virginem, tollent eam pater, & mater ejus, & ferent ſecum ſigna virginitatis ejus ad ſeniores urbis, qui in porta ſunt, & dicet pater; filiam meam dedi huic uxorem, quam qui odit, imponit ei nomen peſſimum, ut dicat, non inveni filiam tuam virginem, & ecce hęc ſunt ſigna virginitatis filię meę, expandent veſtimentum coram ſenioribus civitatis, apprehendentque ſenes urbis illius virum, & verberabũt illum condemnantes inſuper centum ciclis argenti, quos dabit patri puellę, quoniam diffamavit nomen peſſimum ſuper virginem Iſrael; habebitque eam uxorem, & non poterit dimittere eam omnibus diebus vitę ſuę. Sicut & in illo caſu, quando virginem defloraverat, non poterat illam repudiare *ſicut ſcriptum eſt in Deuter.* (l) [l Ib. c. 22.] ſi invenerit vir puellam virginem, quę non habet ſponſum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad judicium venerit; Dabit, qui dormivit cum ea, patri puellę quinquaginta ſiclos argenti, & habebit eam uxorem, quia humiliaverit illam; non poterit dimittere eam omnibus diebus vitæ ſuæ. & quia in lege de libello repudii duo erant, dimittere uxorem, & uxorem dimiſſam alteri jungi, ut jam diximus, erant etiam duo præcepta, ſcilicet ſcriptura libelli repudii, & quod iterum maritus repudians eam accipere non poſſit; ſed quia de duobus primis jam dix: ſuprà, de ultimo uſque modò, hinc reſtat aliquid dicendum de tertio ſcilicet de ſcriptura repudii; *unde cum Div. Thom.* (m) [m In ſupp q 67. ar. 7]

In primis dicitur, quod cauſæ repudii in ſpeciali non ſcribebantur in libello, quoniam vel erant ſufficientes, vel non; ſi non erant, ſufficientes, jam oſtendebatur injuſtum repudium, ut patet, quando pater, & mater ferebant ſecum ſigna virginitatis, ut oſtenderent reitatem viri accuſantis uxorem de ſtupro commiſſo ante conjugium, ſi verò erant ſufficientes, jam præcludebatur mulieri via ad ſecundas nuptias, quæ ei ſecundum legem concedebantur; ergo ſolum in generali cauſæ repudii ſcribebantur in libello, ut oſtenderetur juſtum repudium.

Pariter dicitur in libro antiquitatum cum Joſepho, ut mulier habens libellum de repudio conſcriptum alteri nubere poſſit, aliàs ei creditum non fuiſſet, & ſic ſecundum eundem ſcriptura in libello talis erat, promitto tibi, quod numquam tecum conveniam; & hoc ſecundum legem dicentem, non poterit prior maritus accipere eam.

Deinde cum Div. Auguſtin. (n) [n lib. 19. c. Fauſtum cap. 26.] dicitur, quod ideò libellus repudii ſcribebatur, ut morte interveniente: nam tempus multoties conſilium præſtat hominibus, ne ita de facili ad aliquam reſolutionem importunam veniant, & conſilio ſcribarum diſſuadente, *de quibus ſtat illud Eccl.* (o) [o cap 25.], quàm ſpetioſum canitiei judicium, & Presbyteris cognoſcere conſilium? & *de quibus ſcriptum eſt in lib. Proverb.* (p) [p cap. 13.] qui autem agunt omnia cum conſilio, reguntur ſapientia; vir à propoſito repudiandi deſiſteret, & ſic appareat in eis virtus, & ſapientia.

De impedimento ligaminis.

De hoc impedimento *agit Div. Thom. ſub titulo de pluralitate uxorum*, nam ligamen dicitur vinculum prioris matrimonii; quo durante poſterius matrimonium eſt invalidum non ſolum jure Eccleſiaſtico, verùm etiam naturali, & divino: ut ſæpiùs dix: cum Matth. quicumque dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, & aliam duxerit, mæchatur; ſi ergo mæchatur, qui dimiſſam uxorem alteri nupſerit, multò fortius mæchiæ reus erit, qui adhuc priore retenta aliam duxerit; ideò qui eſt alligatus matrimonialiter uni uxori, & ſecuta copula, numquam licuit, cum ſit contra legem naturæ, habere ſimul plures uxores, et ſi contrarium videtur factum fuiſſe in Sacra Scriptura, hoc fuit ex divina diſpenſatione, ut conſtabit ex dicendis, ſicut nec umquam licet alteri nuberę; *cum jam videatur definitum ex Conc. Trident.* (a) [a ſeſſ 24. can. 2.] ſi quis dixerit licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc

nulla

Digitized by Google

nulla lege divina eſſe prohibitum, anathema ſit.

At quia multi ſunt, qui nec timent Deum, nec homines reverentur, hinc Concilium admonet omnes, ad quos ſpectant, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facilè recipiant, hortatur Magiſtratus ſeculares, ut eos ſeverè coerceant; & denique præcepit Parochis, ne illorum matrimonium interſint, niſi prius diligentem inquiſitionem fecerint; & re ad Ordinarium delata, ab eo licẽtiam id faciendi obtinuerint, mult ſunt

[b ſeſſ. 24. de Reſor. dec. 7.] Sic habetur (*b*) qui vagantur, & incertas habent ſedes, & ut improbi ſunt ingenii, prima uxore relicta aliam, & plerumque plures, illa vivente diverſis in locis ducunt, cui morbo cupiens Sancta Synodus occurrere, omnes, ad quos ſpectat, paternè monet, ne hoc genus homi-

[c ib. dec. 1.] num etc. ut dix. Rurſus (*c*). Verum cum Sancta Synodus animadvertat prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodeſſe, et gravia peccata perpendat, quæ ex eiſdem clandeſtinis conjugiis ortum habent; præſertim verò eorum, qui in ſtatu damnationis permanent dum priore uxore, cum qua clàm convenerant, relicta, cum alia palàm contrahant, & cum ea in perpetuo adulterio vivant. Cui malo, cum ab Eccleſia, quæ de occultis non judicat, ſuccurri non poſſit, niſi efficacius aliquod remedium adhibeatur. Idcircò *Sacri Lateranenſis Concilii ſub Innoc. Tertio celebrati veſtigiis inhærendo præcipit*, ut in poſterum antequam matrimonium contrahatur, per à proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus feſtivis in Eccleſia inter miſſarum ſolemnia publicè denuncietur, inter quos matrimonium ſit contrahendum: quibus denunciationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Eccleſiæ procedatur: Et ulterius videndo, quod perverſitas hominum multa eſt ſuper terram, voluit, ut contra iſtos procedatur per viam inquiſitionis, & ut ſeverè puniantur à Sacro Tribunali Sancti Officii, veluti hæretici.

Videtur ergo, quod Concilium, Eccleſia, & D.T. juſtè, ſanctè atque ſapienter determinant non licere Chriſti fidelibus ſimul plures habere uxores; ut per hoc ſciamus tanquam certum, quod mortua prima uxore poſſit vir ad ſecundas nuptias tranſire; (licet poſtea ex ſecundis nuptiis oriatur Bigamia, ſive Polygamia, quæ ſecum affert irregularitatem quamdam provenientem non ex pœna, ſed ex defectu ſignificationis matrimonii; de quà infra) utpote quia iſtæ ſunt licitæ, *ut conſtat ex Apoſtolo ad Tim.* (*d*) ubi loquendo de viduis

[d 1. cap. 5. e 1. cap. 7.] ait, volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres familias eſſe. Tùm *ex illo ad Corint.* (*e*) dico autem non nuptis, & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego, quod ſi non ſe continent, nubant. Et quod magis eſt, *fundat Div. Thom. hanc veritatem in*

[f in ſup. q. 63. a. 1. g cap. 7.] *illud Pauli ad Rom:* (*f*) nam quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri &c.

Per quæ verba *D. Paulus intendit excludere nedùm adulterium, verum etiam fornicationem ſimplicem*, quia preſupponit illam ſociatam in matrimonio cum viro ſuo; *ideò Div. Thom.* ait, videtur manifeſtum, quod ex eo, quod vinculum matrimoniale durat uſque ad mortem, ac proinde moriente altero conjugum vinculum matrimoniale ceſſat; nec propter præcedens matrimonium impeditur aliquis à ſecundo mortuo coniuge, ac proinde ſequitur, quod ſecundæ, & tertiæ nuptiæ ſint licitæ; etſi aliquis pro ſecundis nuptiis reportat irregularitatis pœnam, tamen talis irregularitas non inducitur propter culpam, ſed propter Sacramenti defectum. *Quo*

[h ad 1. c. 11 ad Corint.] *pacto à D. Ambroſio in fine coment. dicitur*, (*h*) quod ſecundum matrimonium non eſt bonum, non quia non ſit licitum, ſed quia caret illo honore ſignificationis, qui eſt in primis nuptiis, ut ſit una unius, ſicut eſt in Chriſto, & Eccleſia. *Et D. Chryſoſtomus dicendo* (*i*), quod

[i hom. 32. ſ. Matth. & d. c. 19. ... 9. l 1. cap. 5. ad Timot.] ſecundum virum accipere ſecundum veritatem eſt fornicatio, quæ eſt licita, loquitur quantum ad cauſam, quæ aliquando ſolet ad ſecundas nuptias incitare, ſ. concupiſcentiam, quæ etiam ad fornicationem incitat. *Et ideò dicebat Paulus* (*l*) adoleſcentiores autem viduas de vita, cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt.

Immò quod licitæ ſint ſecundæ nuptiæ, Pat. nam ſecundum Matrimonium eſt Sacramentum, & eſſe tale, nullum eſt dubium, cum inveniantur in ſecundis nuptiis omnia, quæ ſunt de eſſentia Sacramenti matrimonii v. debita materia, quam facit legitimitas perſonarum, & debita forma, ſcilicet expreſſio conſenſus interioris per verba de præſenti. Pariter in ſecundis nuptiis coitus excuſat à peccato, ut in primis, & in tantùm excuſatur à peccato coitus matrimonialis, in quantum habet tria bona, quæ ſunt de ratione eius, *& ſunt fides, proles, & Sacramentum.*

Et Paulus tùm ad Rom. loco ſæpiùs citato, *tùm ad Cor.* concedit licentiam pluries nubendi, de hoc in ultimo loco dicit, ſi dormierit vir eius, liberata eſt; cui vult, nubat, tantùm in Domino; unde videtur ſecundum matrimonium eſſe Sacramentum.

Diximus, *vinculum matrimoniale non durare niſi uſque ad mortem*, quia per hoc volumus tollere de medio illam iniuriam, quam aliqui volunt fieri Sacramento matrimonii ob iterationem, non intelligentes quomodò illis Sacramentis ſolum fit injuria, quæ imprimunt characterem, ſi iterantur, & ſunt *Baptiſmus, Confirmatio, & ordo; ſic & Concil: Florentinum, & deinde Conc. Trid.* (*m*) tunc enim daretur intelligi, quod primum [m ſeſſ. 7. can. 1.] non fuiſſet efficax, nec quod illa Sacramenta imprimentia characterem non inducerent perpetuum effectum, cæterum rectè ſequitur de his, quod illa Sacramenta, quę habent effectum non perpetuum, poſſunt iterari abſque iniuria Sacramenti; ut patet de pœnitentia, aliàs quomodo ſtabit illud, *quod dixit Chriſtus Petro*, non dico tibi ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties; quando ſcilicet illum interrogavit, domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? uſque ſepties. Sic etiam patet de Sacramento Euchariſtię, nam hoc Sacramentum quotidie a Sacerdote offertur, & quotidie ſumitur, nam & Chriſtus Dominus dixit diſcipulis ſuis, hoc facite in meam commemorationem; *& D. Paulus ad Cor. dixit* (*n*), quotieſcunque [n 1. c. 11.] manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat; ut patet de Sacramento extremę unctionis, quę iteratò datur infirmis à Presbyteris etiam poſt primam infirmitatem. Et tandem dicendum eſt etiam de Sacramento matrimonii, quod utique abſque injuria ejuſdem poterit iterari, quoniam diximus, quod vinculum matrimoniale tollitur per mortem, qua ſecuta nulla fit injuria Sacramento matrimonii, ſi mulier poſt mortem viri iteratò nubat; aliàs & Paulus erraſſet dicendo, volo ergo juniores viduas nubere.

Suppoſito ergo ſicut certò ſupponere debemus, nullam injuriam ſequi huic Sacramento per ſecundam iterationem, ſequitur etiam, quod ſecundum matrimonium ſit perfectum Sacramentum, non tamen omnibus modis, *ut ait Div. Thom.* (*o*) ſecundum matrimo- [o in ſuppl. q. 63. a. 1. ad 2.] nium licèt in ſe conſideratum ſit perfectum Sacramentum, conſideratum tamen in ordine ad primum aliquid habet de defectu Sacramenti, quia non habet plenam ſignificationem, cum non ſit una unius, ſicut eſt in Chriſti, & Eccleſiæ matrimonio

Unde ratione etiam hujus defectus benedictio à ſecundis nuptiis ſubtrahitur. At non ſemper ſubtrahitur benedictio ab iſtis, ſed tantùm quando ſecundæ nuptiæ ſunt tales, tàm ex parte viri, quàm ex parte mulieris, vel ex parte mulieris tantùm. Si enim virgo contrahat cum viro, qui habuit aliam uxorem, adhuc hoc ſtante nuptiæ benedicuntur, quia ſalvatur aliquo modo ſignificatio etiam in ordine ad primas nuptias. Chriſtus namque etſi unam Eccleſiam ſponſam habeat, habet tamen plures perſonas deſponſatas in una Eccleſia.

At nota, quod anima non poteſt eſſe ſponſa alterius, quàm Chriſti, aliter cum dæmone fornicatur, nec eſt ibi matrimonium ſpirituale. *Deinde ſubdit Div. Thom.* ſignificatio perfecta invenitur in matrimonio ſecundo ſecundum ſe conſiderato, non tamen ſi conſideratur in

ordi-

Digitized by Google

ordine ad præcedens matrimonium, cum ſic habeat defectum Sacramenti, qui defectus utpotè cauſans irregularitatem propter bigamiam hoc facit, quod ſecundum matrimonium impediat Sacramentum Ordinis, non verò in quantum eſt Sacramentum.

Hinc Bigami non arcentur à Sacris ordinibus ſuſcipiendis, ut afficiantur pœna, aut ſupplicio, cum non ſit irregularitas afferens ſecum pęnam, quæ incurritur ratione delicti, ut quando excommunicatus celebrat, aut ſuſcipit ſacros Ordines, ſed ſolùm arceatur à ſacris ordinibus ſuſcipiendis propter decentiam, adeòque ſit irregularis non propter pęnam, ſed propter ſignificationem, nam & Chriſtus unam Eccleſiam ſibi deſponſavit. Et ille verè dicitur bigamus de jure communi, qui primò contrahit cum una, & poſtea cum alia.

Bigamia ergo dicitur ex hoc, quod aliquis duas uxores ſucceſſivè habeat, cui bigamiæ irregularitas eſt annexa propter defectum perfectæ ſignificationis hujus Sacramenti: Sacramentum namque illud, *inquit Div. Thom.*, (*a*) ſignificat coniunctionem Chriſti, & Ec- *a in ſuppl. q. 66. ar. 1.* cleſiæ, quæ eſt unius ad unam: & ideò ad perfectam ſignificationem Sacramenti requiritur, quod vir ſit tantùm unius vir, & uxor ſit tantùm unius uxor; & *rur-* *b Ibid. ad 3.* *ſus*, (*b*) perfecta ſignificatio conſiſtit in coniunctione animorum, quæ fit per conſenſum, & in coniunctione corporum, & ideò bigamia, quæ tollit hanc perfectam ſignificationem Sacramenti conſiſtentem & in coniunctione animorum, & in coniunctione corporum, irregularitatem inducit.

Verùm aſſignantur quatuor modi Bigamię *Quorū primus eſt*, cū quis plures habet uxores de jure ſucceſſivè, & iſte eſt principalis modus in irregularitate cauſanda, quia per multitudinem plurium uxorum ſucceſſivè non efficitur vir unius uxoris.

Diximus *per multitudinem plurium uxorum*, *ſucceſſivè*, *ut* intelligamus differentiam inter multitudinem plurium uxorum ſimul exiſtentium, & plurium uxorum ſucceſſivè repertam; quod multitudo plurium exiſtentium uxorum ſimul eſt multitudo *ſimpliciter*, & veram bigamiam conſtituit, & qui hanc contrahit, verè damnabilis eſt; & meritò quia talis multitudo totaliter ſignificationi Sacramenti repugnat; propter quod etiam tollitur Sacramentum. Multitudo verò plurium uxorum ſucceſſivè eſt multitudo *ſecundum quid*, unde non tollit ſignificationem Sacramenti totaliter, nec Sacramentum evacuat quantum ad ſui eſſentiam, ſed quantum ad ſui perfectionem, quæ requiritur in illis, qui ſunt Sacramentorum diſpenſatores; Quamobrem à Cęliſtino Tertio Pontifice habetur de bigamia; Præſbyteris, & viduarum maritis idem ſanximus omninò, ut nec viventibus uxoribus, nec defunctis ad divinorum debeant celebrationem admitti, maximè cum ſit à Doctrina Apoſtoli, & inſtitutionibus Eccleſiæ alienum. Immò nec debet bigamus in Sacerdotem ordinari, non quia deliquerit ſecundam accipiendo uxorem, ſed quia prærogativa exutus eſt Sacerdotii ob defectum ſignificationis, *hinc D. Thom. ibidem*, aliquis per Sacramentum Ordinis miniſter Sacramentorum conſtituitur, & ille, qui aliis Sacramenta miniſtrare debet, nullum defectum pati debet; ac proinde videtur, quod non debet eſſe bigamus, cum eſſe bigamum defectum inducat.

Adeſt & alia differentia inter eum, qui plures fornicariè cognoſcit, & inter eum, qui plures uxores ſucceſſivè habet; quare ſcilicet non efficiatur ille primus irregularis, benè tamen ſecundus; & eſt, quia per fornicationem ille primus non obligatur alteri in perpetuum, ſicut obligatur ſecundus, idcircò in primo non eſt defectus Sacramenti, bene verò in ſecundo.

Secundus modus bigamiæ eſt, quando ſimul habet plures uxores, unam de jure, cum qua de jure contraxit, aliam de facto, cum qua de facto contrahat.

Tertius modus bigamiæ eſt, quando plures habet ſucceſſivè, unam de jure, aliam de facto. Verùm iſti duo modi ſunt ſecundarii in irregularitate cauſanda reſpectu primi, attamen etiam in iſtis contrahitur irregularitas, quia licet in altero non ſit Sacramentum, eſt quædam tamen Sacramenti ſimilitudo. Unde quando aliquis contrahit de facto cum aliqua, & non de jure, licet, *ut ait D. Thom.*, (*c*) non ſit ibi Sacramentum, eſt ta- *c in ſuppl. q. 66. ar. 1. ad 1.* men ibi aliqua ſimilitudo Sacramenti: & meritò quia talis coniunctio tollit perfectam ſignificationem matrimonii, quæ eſt unus ad unam; hoc autem non accidit in fornicario, quia fornicatio ſicut non eſt Sacramentum, ita nec poteſt habere aliquam ſimilitudinem Sacramenti, hoc & accidit in adulterino concubitu ob eamdem rationem ſicut & in actu, quo aliquis cognoſcat carnaliter illam, cum qua de jure contraxit, cum alia contrahat de facto, non de jure, & eam carnaliter cognoſcat, ſive prima mortua, ſive vivente, talis non contraxit cum pluribus: unde in tali caſu non reputatur bigamus, ſicut nec irregularis, cum carnem ſuam non diviſerit in plures; & hoc *quia docet D. Tom.*, (*d*) quod primum matrimonium non habuit perfectam ſignificationem ſuam; ſubdit tamen quod ſi tunc per ju- *d Ib. ad 3.* dicium Eccleſię compellatur ad primam redire, & eam carnaliter cognoſcere, ſtatim efficitur irregularis, quam tamen irregularitatem non facit peccatum, ſed imperfectio ſignificationis.

Et quia diximus in *ſecundo modo Bigamiæ*, *quando ſimul habet plures uxores*, *unam de jure*, *& aliam de facto*, hinc eſt, quod ſumimus ex his occaſionem dicendi *cum* *e in ſuppl. q. 65. art. 1.* *D. Thom.*, (*e*) quod habere plures uxores videtur quodammodo eſſe contra legem naturæ, & quodammodo non. *Unde docet*, quod matrimonium habet triplicem finem, principalem ſcilicet *procreationem prolis*, *& educationem*, & iſte finis competit homini ſecundum naturam ſui generis; qui finis eſt etiam aliis animalibus communis, & ſic bonum matrimonii aſſignatur proles; habet & finem ſecundarium ſcilicet *communicationem operum in ſolis hominibus*, *quæ ſunt neceſſaria in vita*, & ſecundum hoc fidem ſibi invicem debent, quæ eſt unum de bonis matrimonii; habet & tertium finem, in quantum eſt inter fideles ſcilicet *ſignificationem Chriſti*, *& Eccleſiæ*, & ſic bonum matrimonii dicitur Sacramentum.

Primus finis reſpondet hominis matrimonio, in quantum eſt animal, ſecundus in quantum eſt homo, & tertius in quantum eſt fidelis; Pluralitas ergo uxorum nec totaliter tollit, neque aliqualiter impedit primum finem matrimonii, cum unus ſufficiat pluribus uxoribus fęcundandis, & educandis filiis ex his natis; at ſecundarium finem etſi non totaliter tollat, tamen multum impedit, cum non ità facile poſſit eſſe pax in familia, ubi uni viro plures uxores junguntur; dum non poteſt unus vir ſufficere ad ſatisfactionem pluribus uxoribus ad votum, & etiam quia communicatio plurium in uno officio, cauſat litem, adeſt exemplum de pluribus figulis, cui exemplo additur illud commune dictum, *æmulatio inter artifices*; quam æmulationem vidimus fuiſſe inter ſorores Liam, & Rachel ambas uxores Jacob: *Legitur enim Gen.*, (*f*) quod Rachel ob *f Cap. 30.* inſęcunditatem invidit ſorori ſuæ. Et rurſus *ibid.* legitur, quod Lia reſpondit ad Rachel petentem partem de mandragoris filii Liæ; Parumne tibi videtur, quod præripueris maritum mihi, niſi etiam mandragoras filii mei tuleris? exemplum etiam habemus de Sarai, & Agar, *ut legitur Gen.* (*g*) Nam Sarai dedit Agar viro ſuo uxorem, qui ingreſſus eſt ad eam; & illa concepiſ- *g Cap. 16.* ſe ſe videns, deſpexit Dominam ſuam, quæ cum afflixiſſet eam Sarai fugam iniit.

Tertium denique finem totaliter tollit, eò quia ſicut Chriſtus eſt unus, ita & Eccleſia eſt una; ex quibus omnibus rectè deducitur à Div. Thom., quod pluralitas uxorum quodammodo eſt contra legem naturæ, & quodammodo non.

Etſi aliquando fuerit licitum habere plures uxores, hoc fuit per ſolam diſpenſationem Dei; *ſicut docet Div. Thom.*, (*h*) lex de unitate uxoris non eſt *h in ſuppl. q. 65. ar. 2.* humanitùs, ſed divinitùs inſtituta, nec umquam verbo, aut litteris tradita, ſed cordi impreſſa, ſicut & alia, quæ ad legem naturæ qualitercumque pertinent; & ideò in hoc à ſolo Deo diſpenſatio fieri potuit per inſpiratio-

tione in internam, quod confirmat *D. Th.*, dùm ait, quali eſt lex, talis debet eſſe diſpenſatio legis, & quia lex naturæ eſt cordibus impreſſa, non oportuit diſpenſationem eorum, quæ ad legem naturæ pertinent, lege ſcripta dari, ſed per internam inſpirationem fieri, ſicut naturale eſt omnibus hominibus malum evitare, aliis non invidere, nec aliis facere, quod nemo velit ſibi ipſi fieri; illa autem inſpiratio principaliter Sanctis Patribus facta fuit. Nam legitur de Iacob, quod habuerit plures uxores, *Liam, & Rachelem*.

Sic de David, nàm habuit præcipuè *Miloch, & Betbſabeæ*, & alii Patres habuerunt plures uxores, & tamen illi patres fuerunt Deo gratiſſimi, & per eorum exemplum ad alios derivata eſt eo tempore, quo oportebat prædictum naturæ præceptum prætermitti, ut major eſſet multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ, & quia ſemper principalis finis obſervandus eſt, quàm ſecundarius, ideo cum principalis finis matrimonii ſit bonum prolis, inde ſequitur, quod ubi prolis multiplicatio neceſſaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum, quod poſſet in ſecundariis finibus evenire, ad quod removendum præceptum prohibens pluralitatem uxorum ordinatur.

Deinde ait D. Th. (*l*) non eſt inconveniens, ſi propter bonum prolis, quod eſt finis principalis, ſc. bonum matrimonii ſecundum quod includit ſidem ad Deum ſervandam, quoniam ſecundum hoc proles expectatur ad cultum Dei educanda, aliquid detrahitur aliis duobus bonis, V. fidei, & Sacramento, nam fides ad Deum potior eſt ſervanda, quàm fides uxoris ſervanda, quæ ponitur bono matrimonii, & quàm ſignificatio, quæ pertinet ad Sacramentum, quia ſignificatio ad cognitionem fidei ordinatur, & cum fides, & Sacramentum ſint fines ſecundarii, non tamen illi omninò tolluntur, cum & fides maneat ad plures, & Sacramentū aliquo modo, quoniam licet non ſignificaretur conjunctio Chriſti ad Eccleſiam, in quantum eſt una, ſignificatur tamen diſtinctio graduum in Eccleſia per pluralitatem uxorum, quæ quidem non ſolùm eſt in Eccleſia militante, ſed etiam in triumphante, adeòque illorum matrimonia aliquo modo ſignificant conjunctionem Chriſti ad Eccleſiam, non ſolùm militantem, ut quidam dicunt, ſed etiam triumphantem, in qua ſunt diverſæ manſiones.

Ex quibus videtur fuiſſe aliquando licitum plures uxores habere, *nam legitur in Deut.* (*m*) ſi habuerit homo duas uxores, unam dilectam, & alteram odioſam &c. In nova tamen lege omnimodè prohibitum eſt illas plures habere a Chriſto Domino dicente, propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una, qui & ſubdit in *Matt.* (*n*) itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Unde alienum eſt ab Eccleſia, præcipiente tamen Chriſto Domino, plures uxores unum virum habere, utpote quia alienum hoc idem videtur eſſe à natura, quoniam Deus ab initio creationis, quando formavit hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, dedit ei adjutorium ſimile ſibi; Evam, V. quam dedit ei in uxorem, & ſolam illam conſtituit; ac proinde videtur eſſe contra inſtitutum legis naturæ habere plures uxores.

Contra quam inſtitutionem legis naturæ eſt habere etiam concubinam; cum nomen concubinæ illam conjunctionem exprimat, qua ſolus concubitus propter ſeipſum, hoc eſt propter ſolam delectationem, non propter prolem procreandam, atque educandam quæritur: Et hinc eſt, quod ſecundum omnes leges filii, qui naſcuntur de concubitu, ſunt vituperabiles & hoc quia concubitus, ex quo oriuntur, eſt naturaliter turpis, quod utique non eſſet, ſi habere concubinam non eſſet contra legem naturæ, adeòque contra præceptum Domini dicentis, *in Exodo* (*o*) non mæchaberis.

At quia poteſt accidere, quod quis quandòque ex tali concubitu prolem quærat, attamen, quia hoc cum non ſit conveniens ad prolis bonum, in quo non ſolùm intelligitur ipſius procreatio, per quam proles accipit eſſe, ſed etiam educatio, & inſtructio, per quàm accipit nutrimentum, & diſciplinam à parentibus, in quibus tribus parentes tenentur. Sicut & tenentur filii audire diſciplinam Patris; & auſcultare ſermone ſuos; & ad eloquia ſua inclinare aures ſuas, & cum educatio, & inſtructio prolis à parentibus debeantur per longum tempus, hinc eſt, quod exigit lex naturæ, ut pater, & mater in longum tempus commaneant in Domino, V. ut educare poſſent filios ſuos in timore Domini, & ut poſſint ſubvenire illis per bona ſpiritualia relinquendo poſt mortem eorum divitias, ut miſericordes poſſent eſſe in pauperes, *habito conſilio à Tobia dicente filio ſuo*, (*p*) ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere; quia ſic faciendo; nec facies Domini avertatur à te: & ideò dicta obligatio ad commanendam fœminam cum marito facit matrimonium, unde cum talis obligatio non reperiatur adeo manendum inter concubinam, & virum, immò grave peccatum eſt homines ſolutos concubinam habere, & graviſſimum homines uxoratos illas alere, & retinere, hinc eſt, *quod meritò a Divo Th. concluditur* quod accedere ad mulierem concubinam ſit contra legem naturæ.

Et taliter eſt contra legem naturæ ad mulierem non junctam matrimonio accedere, quod etiam Dominus ancillæ non poteſt uti illa ad concubitum: Quare autem hoc? Quia ancilla licet ſit res domini ad obſequium, non tamen ad concubitum. *Et ob hoc D. Tho. ait*; (*q*) facit talis injuriam proli procreandæ, ad cujus bonum non ſufficienter talis conjunctio ordinatur; igitur habere concubinam numquam fuit licitum, quoniam ea, quæ ſunt contra præceptum Decalogi numquam licuerunt. *Hinc D. Th.* (*r*) rejiciendo opinionem Rabbi Moyſi dicentis, quod ante tempus legis fornicatio non erat peccatum. Nam antiqui Patres hoc fecerunt ſine reprehenſione; Abram ingreſſus eſt ad Agar Ancillam ſuam: Iacob ad ancillas uxorum ſuarum Balam, & Delſam: Iudas acceſſit ad Thamar, quam exiſtimabat meretricem. Non enim intellexit, quod illæ ancillæ uxores erant Abram, & Jacob, & vocabantur concubinæ, non tamen erant abſolutè tales; quia cum duo conveniant in uxore, V. inſeparabilis conjunctio, & familiaris coadminiſtratio, in quantum eſt ſocia. Primam V. inſeparabilem conjunctionem habuerunt concubinæ; ſecundam, hoc eſt familiarem adminiſtrationem non habuerunt; prima faciebat matrimonium; ſecunda non; ideòque fuerunt uxores quantum ad thorum, non verò quantum ad regimen familiæ, unde nec peccaverunt illas cognoſcendo. *Hoc deſumitur ex D. Th.* (*ſ*) ubicumque legitur in veteri teſtamento, aliquos habuiſſe concubinas, quos neceſſe ſit à peccato excuſari, oportet eas eſſe matrimonio junctas, & tamen concubinas dici, quia aliquid habebant de ratione uxoris, & aliquid de ratione concubinæ; eò quia ſecundum quod matrimonium ordinatur ad ſuum finem principalem, qui eſt bonum prolis uxor viro conjungitur indiſſolubili conjunctione, & circa hoc non eſt aliqua diſpenſatio. At quantum ad ſecundum finem, qui eſt diſpenſatio familiæ, & communicatio operum uxor conjungitur viro, ut ſocia, & quia hoc deerat in illis, quæ concubinæ vocabantur, ideò in hoc poterat eſſe diſpenſatio; cum ſit ſecundus finis matrimonii: ex qua parte habebant aliquid concubinis ſimile; ratione cujus concubinæ nominabantur. Sic ergo illi antiqui patres ex diſpenſatione, qua plures habebant uxores, ad ancillas accedebant uxorio affectu, quia erant uxores quoad principalem, & primarium finem matrimonii, non verò quoad illam conjunctionem, quæ requirit ſecundarium finem, cui conditio ſervitutis opponitur, cum non poſſit eſſe ſimul ſocia, & ancilla.

At quia poteſt inſurgere difficultas, ſi ancillæ Abram, & Iacob erant uxores quoad finem principalem matrimonii, quomodo ergo Abram ejecit Agar, & ejus filius non fuit hæres? certum eſt enim, quod illa, quæ in matrimonium duci-

Marginal notes: 319 ad 1 · ibi, ad 5. · m cap. 21. · n cap. 19. · o cap. 20. · p cap. 4. · q ib. ad 4. · r in 8 opp. q. 65. a. 5. · ſ ib. in o.

Digitized by Google

ducitur, nequit ejici, immò filius ejus debet eſſe hæreditatis particeps, & de facto filii Jacob nati ex ancillis fuerunt hæredes. *Hæc autem difficultas ſolvitur à Div. Th. dicente*, nonnè licebat in lege Moyſi dare libellum repudii uxor per diſpenſationē, ut evitaretur uxoricidiū? Si ergo hoc licebat, mirum non debet eſſe, ſi etiam ex eadem diſpenſatione licuit Abrahæ ejicere Agar. Quæ tamen ejectio non fuit abſque myſterio, quoniam fuit ad ſignificandum myſterium illud, *quod Apoſtolus explicat, dùm ait:* (u) ſcriptum eſt enim, quoniam Abram duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera, ſed qui de ancilla ſecundum carnem natus eſt, qui autem de libera per repromiſſionem, quæ ſunt per allegoriam dicta; hæc enim ſunt duo teſtamenta, unum quidem in mònte Sina in ſervitutem generans, quæ eſt Agar; illa, quæ ſurſum eſt Jeruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra: ſed quomodo tunc is, qui ſecundum carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum, ita & nunc: ſed quid dicit ſcriptura? *Gen.*, (x) cumque vidiſſet Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum filio ſuo Iſaac, dixit ad Abraham; ejice ancillam hanc, & filium ejus, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac, ſcilicet cum filio liberæ, *ut legit Apoſtolus; ac proinde ſubdit, explicando myſterium*, itaque fratres non ſumus ancillæ filii; ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberavit. *Et ad Rom. ſic ſcribit*, (y) non autem omnes, qui ex Iſrael ſunt, ii ſunt Iſraelitæ, neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filii: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen, ſcilicet non qui filii carnis, hi filii Dei, ſed qui filii ſunt promiſſionis, & æſtimantur in ſemine. Et de Eſau, qui quamvis fuerit filius liberæ, tamen hæres non fuit, *ut legit Paulus ibidem*, cum enim nondùm nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali (ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret,) non ex operibus, ſed ex vocante, dictum eſt, quia major ſerviet minori, *ex Gen:* (z) Jacob dilexi, Eſau odio habui.

u cap. 4. ad Gal. — *x cap. 21.* — *y cap. 9.* — *z cap. 25.*

Pariter propter myſterium factum fuit, ut filii Jacob etiam ex ancillis nati hæredes eſſent, *juxta D. Aug.* (a) quia Chriſto naſcuntur filii in Baptiſmo, & hæredes, tàm per bonos, quos libera ſignificat, quàm per malos miniſtros, qui per ancillas ſignificantur.

a tract. 11. in Joann.

Ex quibus etiam ſequitur, quod ſi Judas concubuit cum Thamar, mortaliter peccavit, exiſtimavit enim eam eſſe meretricem, *ut legitur Gen.*, (b) Quam ſcilicet Thamar cum vidiſſet Judas, ſuſpicatus eſt eſſe meretricem, quia operuerat vultum ſuum, ne agnoſceretur, ingrediensque ad eam, ait, dimitte me, ut coeam tecum, neſciebat enim, quod Nurus ſua eſſet; & idcircò benè ait Div. Thom., (c) accedere ad concubinam eſt peccatum mortale. Et Dominus Deus in lege Moyſi eam vetuit, *dum locutus eſt ad Moyſen Deut. dicens*, (d) non erit meretrix in filiabus Iſrael. *Quare Tobias ſciens hanc veritatem filio ſuo dedit tale documentum*, (e) attende tibi fili mi, ab omni fornicatione, & preter uxorem tuam numquam patieris crimen ſcire; ergo fornicatio eſt crimen, quod excludere habet illum, qui in illud incidendo perſeverat, à regno Dei, *ut ait Paulus ad Corint.* (f) an neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? utpotè coinquinati per tale crimen fornicationis, hęc utique coinquinat hominem, *ut Chriſtus Dominus dixit*, de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, &c. hęc ſunt, quæ coinquinant hominem. Idcircò de ſequentibus agnū immaculatū, *in Apocalyp. Joann:*, hi ſunt, qui cū mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt.

b cap. 38. — *c in ſuppl. q. 65. ar. 4.* — *d cap. 23.* — *e cap. 4.* — *f Ep. cap. 6.*

Excluduntur meritò hujuſmodi à regno Dei, cum in illud nemo ingredi poſſit, niſi qui habet veſtem nuptialem, hoc eſt depuratam ab omni immunditia, & fornicatione, *ut Paulus ad Galat. ſcribens dixit*, (g) manifeſta ſunt autem opera carnis, quæ ſunt immunditia, fornicatio, impudicitia, luxuria, &c. quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. Aliàs ſi præſumeret ingredi, eveniet, quod accidit illi, de *quo legitur Mat.*, (h) quod ligatis manibus, & pedibus miſſus fuit in tenebras exteriores, utpotè quia non habebat veſtem nuptialem, mundam ſcilicet à peccato, per quod excluditur quilibet infectus à regno Dei; quilibet utique infectus fornicatione, quia fornicatio eſt peccatum mortale, quod tunc committitur, quando fit acceſſus ad concubinam.

g cap. 5. — *h cap. 22.*

Quod autem fornicatio ſit peccatum mortale, ulterius *cum Div. Thom.*, (i) fatendum eſt, quia concubitus fornicarius tollit debitam ordinationem parentis ad prolem, quam natura ex concubitu intendit; & quamvis fornicatio ex magnitudine incitamenti diminuatur, tamen ex materia, circa quam eſt, gravitatem habet majorem, quoniam violatur per fornicationem fædus hominis ad Deum, & hominis ad hominem, quod eſt agere contra duo præcepta charitatis, ſcilicet dilectionis Dei, & proximi: Unde *benè Auguſt. dicebat*, vagus concubitus contra charitatem eſt, quam homo debet proli generandæ; ac proinde fornicatio ſimplex de ſui ratione eſt peccatum mortale, etiam ſi lex ſcripta non eſſet. Unde non ſunt audiendi illi dicentes fornicationem non eſſe peccatum mortale, ſed potiùs damnandi, ut hæretici utpotè Gentilibus adhærentes, *juxta Doctrinam Div. Thom.* (l) dicentis, fornicatio autem prohibetur ſpecialiter, quia Gentiles non reputabant eam eſſe peccatum. *Et rurſus docentis*, eſſet (m) æquè bene infidelis, ſi in univerſali diceret fornicationem eſſe bonam.

i Ib. ad 4. — *l p. 2. q. 101. art. 4. ad 3.* — *m 2. 2. quæſt. 154. art. 2. ad 1.*

Deinde quartus modus bigamiæ eſt, quando viduam ducit in uxorem, & in omnibus his eſt irregularitas adiuncta. *Hinc Gregorius dicit*, (n) pręcipimus, ne umquam ordinationes illicitas facias, ne bigamū, aut qui virginem non eſt ſortitus in uxorem, aut ignorantem litteras, aut habentem quamlibet partem corporis vitiatam, vel pœnitentię, vel curę, aut cuilibet conditioni obnoxium ad Sacros Ordines permittas accedere, hoc autem deducitur propter defectum Sacramenti matrimonii; in quo non invenitur ſignificatio integra Sacramenti, eſtque coniunctio Chriſti cum Eccleſia, quę eſt unìus ad unam; quod eſſe non poteſt, quando viduam ducit in uxorem, pręſupponitur enim, quod aliam duxerit in uxorem. *Et à Div. Thom. edocemur*, (o) defectus in ipſo Sacramento cauſat irregularitatem; hoc dicitur, ut ſciatur, quod corruptio carnis extra matrimonium contingens, quę pręceſſit matrimonium, nullum defectum facit ex parte illius, in quo eſt corruptio; ſed facit defectum ex parte alterius, quia actus contrahentis matrimonium non cadit ſupra ſeipſum, ſed ſupra alterum; & ideò ex termino ſpecificatur, qui etiam eſt reſpectu illius, quaſi materia Sacramenti: hoc explicat dicendo, ſi mulier eſſet ordinis ſuſceptiva, ſicut vir efficitur irregularis ex hoc, quod ducit uxorem corruptam, non autem ex hoc quod corruptus contrahit, ita fieret mulier irregularis, ſi contraheret cum corrupto; non autem ſi contraheret corrupta, niſi in alio matrimonio prius corrupta fuiſſet.

n lib. 2. ca. 25. in hom. — *o in ſuppl. q. 66. ar. 3.*

At quare non efficitur irregularis vir ex hoc, quod corruptus contrahat? quia carnem ſuam non diviſit in plures per Sacramentum matrimonii. Nec ex eo, quod quis duceret uxorem corruptam, quam virginem crederet, irregularis non eſſet; ſed certè irregularis eam cognoſcens; *Unde Div. Thom.*, (p) irregularitas non oportet, quod ſemper ſit voluntaria bigamia adhoc, quod irregularitas cauſet; adeòque ille, qui uxorem ducit corruptam, quam virginem credit, irregularis eſt, eam cognoſcens; ſicut eſſet irregularis, ſi poſt corruptionem adulterii eam iteratò cognoſceret; *ut aſſerit Div.* (q) *Thom.*, ſi mulier fornicetur poſt matrimonium contractum, licet non efficiatur ex hoc vir irregularis, efficitur tamen talis, ſi poſt corruptionem adulterii eam iteratò cognoſcat; quia aliàs corruptio uxoris nullo modo cadit ſub actu matrimoniali viri: Etſi etiam per jus compellatur ei reddere debitum, vel etiam ex conſcientia propria, illa petente, debitum reddat ante condemnationem adulterii, irregularis efficitur, ſecundum D. Th., quia hìc non requiritur, quod ſit peccatum, ſed ſignificatio tantùm, quæ ablata fuit per diviſionem carnis.

p Ib. ad 1. — *q Ib. ad 4.*

Bigamia non ſolvitur per baptiſmum, qui etſi ſolvat culpas, cum nullū ſit peccatū, quod non remittatur per

Aa a illum

illum, tamen non ſolvit coniugia, hinc bigami dicuntur non ſolùm, qui poſt baptiſmum coniugia frequentant, ſed etiam qui ante baptiſmum unam; & poſt baptiſmum alteram habuiſſe probatur. Unde videtur, quod licet baptiſmus ordinetur ad tollendum omne peccatum, quod licet ſit gravius, quàm irregularitas, tamen ad hanc tollendam non ordinatur; non enim, [r in ſuppl. q. 66. art. 1. ad 2.] *ait Div. Thom.*, (r) oportet, quod illud, quod facit majus, faciat & minus; niſi ſit ad aliud ordinatum, quod non accidit in præſenti, quia, ut diximus, licet ſolvat culpas, non tamen ſolvit coniugia.

Ex quibus ſequitur, quod irregularitas, quæ utique eſt pœna, non enumeratur inter illas pœnas, quæ conſequuntur ex actuali peccato, nam omnes iſtas tollit [ſ Ib. ad 3.] baptiſmus; & hoc eſt, quod *docet D. Th.*, (ſ) quando dicitur, quod baptiſmus tollit omnem pœnam ex actu provenientem, hoc intelligendum eſt de pœnis, quæ conſequuntur ex actuali peccato, quaſi inflictæ, non infligendæ: conſtat enim, quod per baptiſmum aliquis virginitatem non recuperat, nec ſimiliter carnis indiviſionem, unde in confirmationem hujus *dicit* [t Ibi ad 4] *Div. Thom.*, (t) baptizatus licet conformetur Chriſto quantum ad virtutem mentis: utpote quia induunt [u cap. 3.] Chriſtum, *juxta Paulum ad Gal.*, (u) vos, qui baptizati eſtis in Chriſto, Chriſtum induiſtis; non tamen conformantur Chriſto quantum ad ſtatum carnis, qui conſideratur in virginitate, vel in diviſione carnis; hoc *& ex D. Auguſt. habetur*, (x) acutius intelligunt, [x cap. 18 de bono viduitatis.] qui nec eum, qui catechumenus, aut paganus habuerunt alteram ordinandum cenſuerunt; & ratio hujus eſt; quia hic agitur de Sacramento, non de peccato.

Similiter à paritate rationis arguitur, fœmina ſi catechumena, aut pagana eſt vitiata, non poteſt inter Dei virgines poſt baptiſmum conſecrari; quia pudorem virginitatis ante baptiſmum amiſit: ergo ſi hoc de fœmina, quare non de Catechumeno, aut pagano? cum non poſſit aſſignari major ratio de illa fœmina, ac de illo viro: ac perinde non erit major ratio, quare illa fœmina inter Dei virgines non poſſit conſecrari; & iſte, qui bigamus fuit ante baptiſmum, non poſſit ordinari? juxta etiam illud, quod ſupradiximus; ſcilicet *quod ad hoc baptiſmus non ordinatur*: & hoc iterum diximus, ut habeatur differentia Sacramentorũ novæ, & veteris legis, cuius Sacramēta ſolvebāt illas irregularitates, quæ ex levibus cauſis non perpetuis erant contractæ, & ideò mirum non eſt, ſi per illa Sacramenta auferri poterant irregularitates illæ, quoniam erant ad hoc ordinata; Unde per oblationes hoſtiarum mundabantur illi, qui tangebant reptile, & quodlibet immundum; ſic de fœmina, quæ peperit, immunda erat ſecundum legem, & mundabatur per oblationes coram Deo: Cæterum baptiſmus, qui eſt Sacramentum novæ legis, non ordinatur ad tollendas irregularitates provenientes ex diviſione carnis.

Bigamia cum ſit irregularitas quædam ſolùm de jure poſitivo, hinc eſt, quod cum bigamo licet diſpenſare, præcipuè tamen à Papa habente poteſtatis plenitudinem, reſtrictæ tamen ad ea, quæ ſunt inſtituta per Eccleſiam, vel per prælatos Eccleſiæ, quoniam quælibet ſiut iſta, ſunt à Papa diſpenſabilia: & hæc ſunt, quæ dicuntur eſſe juris humani, vel juris poſitivi; ad differentiam eorum, quæ ſunt juris divini, vel juris naturalis, nam circa iſta Papa diſpenſare nequit, cum iſta talia habeant efficaciam ex divina inſtitutione: Cum autē bigamia ſit de jure humano, vel poſitivo, hinc eſt, quod Papa diſpenſare poteſt, & *de facto Lucius Papa diſpenſavit cum Epiſcopo Panormitano, qui erat bigamus*, (y) *ut habetur in decretis: & Martinus Papa dicit*; (z) [y diſt. 5. z in decr. diſt. 10 ſuper Lector,] Lector ſi viduam accipiat, in lectoratu permaneat, aut ſi neceſſe fuerit, ſubdiaconus fiat; nihil autem ſupra: ſimiliter ſi bigamus fuerit; unde videtur, quod Papa Epiſcopis præcepit, ne ab ipſis ordinentur bigami ad ſacros Ordines, diaconatum, & præsbyteratum dummodo tamen in ſeculo permaneant, ut etiam ſervetur aſſertio eorum, qui volunt, quod etiam poſſint Epiſcopi diſpenſare in illis, qui volunt in religione Deo ſervire, ob evitandum Religioſorum diſcurſum; & ecce quomodo Papa ſibi reſervavit plenariam poteſtatem diſpenſandi in Bigamia in quolibet reperta; & ideò rectè ſequitur, quod non ſit irrationabiliter bigamiæ adiuncta irregularitas, ſi diſpenſari regulariter poteſt; quia, *ut ait Div. Thom.*, (a) in particularibus [a in ſuppl. q. 66. art. 5] non poteſt inveniri ratio, quæ omnibus competat æqualiter propter eorum diverſitatem; unde, quod univerſaliter ſtatutum eſt rationabiliter, conſideratis his, quę in pluribus accidunt, poteſt etiam per diſpenſationem rationabiliter removeri in aliquo caſu determinato; maxime quia bigamus non eſt de jure naturali, ut diximus, contra quod non licet diſpenſare; quapropter etiam ſi ordinaretur bigamus, & reciperet ordinem Præsbyteratus, ſi eſſet contra jus divinum, & naturale, talis ordinatio facta in tali ordinatione, numquā reciperet characterem ob inefficaciam dantis, & ob incapacitem recipientis; cum autem ſit contra jus humanum, & poſitivum, hinc fit, quod ſi ordinaretur in Sacerdotem, utique reciperet characterem, eò quia non eſt de eſſentialibus ordinis, quod aliquis ſit, vel non ſit bigamus, *quod corroborat Div. Thom., dum ait*, non omnia, quæ in Canone dicuntur, ad jus divinum pertinent, ſed ſolùm ea, quæ ſunt de jure naturali, & ea, quæ ſunt de neceſſitate Sacramentorum, & fidei; certum enim eſt, quod ſi loquamur de aliis, quæ ſunt de inſtitutione Apoſtolorum, cum Eccleſia habeat nunc eamdem poteſtatem ſtatuendi, & diſtituendi, quam tunc habuerit, poteſt per eum, qui primatum tenet, in Eccleſia diſpenſare, cujus poteſtas diſpenſandi non ſubtrahitur ſimpliciter in illis, qui de facto cum pluribus contraxerunt, ac ſi de jure contraxiſſent.

Nec refert, ſi dicatur, quod in doctrina Pauli continetur, quod bigamus non promoveatur, *habetur namque Timot.* (b) oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum, *& pariter habetur ibidem*, [b 1. cap. 3] diaconi ſint unius uxoris viri, qui filiis ſuis benè præſint, & ſuis domibus, *ſicut de eodem Apoſtolo ad Titum habetur*, unde non refert, ſi dicatur, hanc doctrinam [c cap. 1.] Pauli divinitùs promulgatam fuiſſe, *ut colligitur ex eodem Paulo ad Corint.* (d) An experimentum quæritis [d 2. cap. 13] ejus, qui in me loquitur Chriſtus. Hæc enim omnia non obſtant ad id, quod jam docuimus *cum Div. Thom.* maximè quia attendendum eſt & bene, quod Apoſtolus aliqua propoſuit in ſua doctrina dupliciter, quędam namque propoſuit, ſicut promulgans ius divinum, *ut pat. de illo, quod habetur ad Gal.*, (e) ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit; Unde Papa non po- [e cap. 5.] teſt diſpenſare, quod aliquis circumcidatur, & quod baptiſmum non ſuſcipiat, cum tunc ageret contra ius divinum prohibens circumciſionem, & præcipiens, immò & volens baptiſmum: *dixit enim in Ioann.*, (f) [f cap. 3.] niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt &c., & ſic de aliis ſimilibus; ut conſtat de pluralitate uxorum matrimonio etiam iunctarum. (g) Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, [g cap. 5.] & adhęrebit uxori ſuę, & erunt duo in carne una; Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia. Cum autem habere plures uxores ſit contra ius naturale, immò & divinum, circa hanc pluralitatem nequit Papa diſpenſare.

Quędam verò ſunt propria auctoritate aliqua ſtatuēs; unde *& ipſe Paulus dixit*, (h) cętera, cum venero, diſponam; *& iterùm*; (i) mandavit, ut collectę, quę fiunt [h 1. cap. 11. ad Cor.] in Sanctos, per unam Sabbati fiant; ſic enim legitur de collectis, quę fiunt in Sanctos, ſicut ordinavi Eccleſię Galatię, ita & vos facite. Per unam Sabbati unuſquiſque veſtrum apud ſe reponat, recondens quod ei bene placuerit; ut non; cum venero, tunc collectę fiāt; & cum hęc, & ſimilia non pertineant ad ius divinum, ſed ad ius poſitivum, juxta dicta ſuperius *unà cum. D. Th.* hinc eſt, quod Papa hęc, & ſimilia diſpenſare poteſt; ſuprà quę cadit & illud de bigamo non promovendo, cū hęc non promotio non ſit de iure divino, ſed ſolū inſtitutio auctoritatis humanę divinitùs homini cōceſſę, quę etiā auctoritas humana divinitùs homini cōceſſa poſuit irre-

regularitatem in bigamo non provenientem ex culpa, ſed ex quodam defectu ſignificationis Sacramenti Matrimonii, idcircò conſtat, quod eſſe irregularem irregularitate tamen bigamiæ non ſit de neceſſitate Sacramenti Ordinis. *Hinc tollitur etiam à Div. Thom.* id, quod ab aliquibus dici poteſt, ſcilicet quod ſignificatio, quæ eſt Sacramento eſſentialis, cum deſit in illo, qui eſt irregularis, deduci debet, quod diſpenſatio ſupra il-
l Ib. ad 3. lum fieri nequit, etiam à Papa, non enim *ait D. Th.* (*l*) quælibet ſignificatio eſt de eſſentia Sacramenti, ſed tantùm illa, quæ pertinet ad officium Sacramenti, & talis ſignificatio non tollitur per irregularitatem, Bigamiæ Videlicet.

De impedimento impotentiæ coeundi.

DE hoc impedimento *agit Div. Thom. ſub nomine frigiditatis, maleficii, furiæ, vel amentiæ, inceſtus, & defectus ætatis* hæc enim omnia cadunt ſub hoc impedimento impotentiæ coeundi: de omnibus ſingulatim erit explicatio.

De frigiditate.

FRigiditas per prius impedit matrimonium, in quo eſt contractus quidam, quo unus alteri obligatur ad debitum carnale ſolvendum, & hoc per cupulam in carne factam; quapropter ſi fiat talis contractus ab aliquo, qui debitum carnale ſolvere non poſſit, non erit conveniens matrimonii contractus, cum non ſit major ratio de iſto, ac de aliis contractibus; in iſtis namque non eſt conveniens obligatio, dùm aliquis ſe obliget ad hoc, quod non poteſt dare, vel facere, quoniam nullus poteſt ſe obligare ad impoſſibilia; & quia in matrimonio homo ſe obligat ad carnalem copulam, cum per matrimonium det alteri ſui corporis poteſtatem, ut jam dictum fuit, *ex Apoſtolo ad Cor.*; (*a*) hinc ſequitur,
a 1. cap. 7. quod ſi ita frigidus ſit, ut non poſſit carnaliter copulari, non poterit conſequenter matrimonium contrahere; cum per contractum matrimonialem vir, *ut ait ibid. Apoſtolus*, debitum reddere debet uxori, & uxor viro; adeòque jure meritò frigitas verè, & propriè enumeratur inter impedimenta dirimentia matrimonium, & ur eſt impedimentum æquè benè nomine generali vocatur impotentia coeundi.

Verùm iſta impotentia coeundi poteſt eſſe, *ut ait Div. Thom.*, (*b*) vel ex cauſa intrinſeca, & natu-
b In ſuppl. q. 58. ar. 1. rali, vel ex cauſa extrinſeca, & accidentali; Et ſi primo modo adhuc dupliciter, nam vel eſt temporalis, ſic poteſt ſubvenire remedio medicinæ; vel proceſſu ætatis, & hoc pacto non ſolvit matrimonium; Vel eſt perpetua, & tunc ſolvit matrimonium, & taliter illud ſolvit, ut ille, ex cujus parte allegatur impedimentum, perpetuò maneat abſque ſpe coniugii.

Etſi inquiratur, quid requiritur ad hoc, ut cognoſcatur impedimentum eſſe perpetuum, nec ne?

Reſpondendum erit, quod requiritur illa præſcriptio temporis ab Eccleſia determinata, ut diſcerni poſſit impedimentum eſſe perpetuum, vel non; tale verò tempus eſt ſpatium trium annorum, in quo ſpatio temporis poteſt eſſe experimentum, an impedimentum iſtud impotentiæ coeundi ſit perpetuum, vel non; taliter quod ſi poſt triennium, in quo fideliter ex utraque parte dederunt operam carnali copulæ implendæ, inveniatur matrimonium non eſſe conſummatum, judicio Eccleſiæ diſſolvitur. Tale verò judicium non ſpectat ad Decanos, Archidiaconos, aut alios inferiores,
c Seſſ. 24. de Ref. 20. ſed ad Epiſcopos *juxta Concil. Trid.* (*c*) Ad hæc cauſæ matrimoniales, & criminales, non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio etiam viſitando, ſed Epiſcopi tantùm examini, & juriſdictioni relinquantur; etiamſi in præſenti inter Epiſcopum, & Decanum, ſeù Archidiaconum, aut alios inferiores ſuper cauſarum iſtarum cognitione lis aliqua in quacumque inſtantia pendeat.

In caſu verò, quo poſtquam judicio Eccleſiæ diſſolutum fuerit matrimonium per illud impedimentum, & per illud temporis ſpatium determinatum, poſtea cum alia perfecerit id, quod non potuit cum prima, quid faciendum erit?

Aliud in tali caſu non erit faciendum, niſi reintegrare primum matrimonium, & dirimere ſecundum, quia tunc non videtur eſſe tale impedimentum de genere perpetuorum, & etiam quia ſufficienter experiri poteſt per triennium talis impotentia, ac proinde Eccleſia ſi ſe inveniat deceptam per hoc, quod ille, in quo erat impedimentum, invenitur carnalem copulam cum alia, vel cum eadem perfeciſſe, reintegrat præcedens matrimonium & dirimit ſecundum, etiamſi de Eccleſiæ licentia ſit factum.

Diximus, quod *in matrimonio homo ſe obligat ad carnalem copulam*, quia ad hoc dat alteri ſui corporis poteſtatem, ut tollatur de medio hoc, quod dicitur, quod copula carnalis non eſt de eſſentia matrimonii. *Et hoc cum Div. Thom. docente*, (*d*) licet actus carnalis copu- d Ibi ad 1.
læ non ſit de eſſentia matrimonii, tamen potentia ad actum eſt de ejus eſſentia, quia per matrimonium datur utrique conjugum poteſtas in corpore alterius reſpectu carnalis copulæ.

Diximus, quo *nomine generali hoc impedimentum vocatur impotentia coeundi, & modò ſubdimus unà cum Div. Thom.*, (*e*) quod impotens dicitur multipliciter; & e Ib. ad 4.
quia non poteſt ſolvere de jure, & talis impotentia omnibus modis facit contractum eſſe nullum, ſive ille ſciat, cum quo facit talem contractum, hanc impotentiam, ſive non. Et quia non ſit ſolvendo de facto, & tunc ſi ſciat ille, cum quo contrahit hanc impotentiam, & nihilominus contrahit, quia oſtenditur, quod alium finem ex contractu quærit, jam ſtat contractus; adeòque mulier ſciendo virum eſſe frigidum, cum quo contrahit, verum eſt matrimonium; at ſi neſciat, tunc contractus eſt nullus. Et occaſione hujus *ſubditur à Div. Thom.* ut nihil remaneat ſine dubio, impedimentum, quod aliquis non poteſt de jure reddere debitum, ut conſanguinitas, annullat matrimonium, ſive alter ſciat, ſive non.

Diximus, quod *tale impedimentum vocatur impotentia coeundi, & quod talis impotentia, ſi eſt temporalis, poteſt ſubveniri remedio medicinæ*, (præcipuè tamen.) Hoc diximus, quia ſi daretur caſus, ut in aliquo eſſet caliditas ſufficienter movens ad carnalem copulam, cum aliqua corrupta; & non cum aliqua virgine, quia citò calidum evaporat ratione ſuæ debilitatis, ut ad corrumpendam virginem non ſufficiat, in hoc caſu, cum non poſſet implere carnalem actum cum virgine, benè tamen cum corrupta, tunc æquè bene poſſunt medicinaliter aliquo inſtrumento frangi clauſtra pudoris (dummodò tamen talis fractio clauſtri virginalis ſine periculo vitæ fieri poſſit, quoniam tunc prævalere debet periculum vitæ, quàm ſequela matrimonii) & ei coniungi. Nec talis ſeparatio clauſtri pudoris poteſt dici contra naturam, ſiquidem, *ut bene ait Div. Thom.*, (*f*) f Ib. ad 5.
non fieret ad delectationem, ſed ad medicamentum; nec abominatio mulieris eſt cauſa naturalis, ſed accidentalis extrinſeca.

Denique ab hoc impedimento impotentiæ coeundi excluduntur omnes illi, qui habent caliditatem ſufficientem ad carnalem copulam, & ſic comprehenduntur etiam ſenes, qui quamvis ſint frigidi, hoc eſt quandòque non habeant caliditatem ſufficientem ad generandum, quia tamen habent ſufficientem caliditatem ad carnalem copulam, ideò poſſunt contrahere matrimonium & de facto illis conceditur matrimonium, prout eſt in remediū, licet poſta non conveniat illis, ſecundū quod eſt in officium naturæ. Quoniā ad opus generationis requiritur caliditas, *non ſuperflua*, cum etiam poſſit eſſe impedimenntum perpetuum, ſi inveniretur, quod per triennium impediret carnalem co-

pulam, ſed major, hæc autem major caliditas requiritur in mare magis, quàm in fœmina, cum hæc univerſaliter ſit frigidior viro propter maximam humiditatem, adeòque dicuntur mulieres molles carne propter fluiditatem, quæ fluiditas, ſicut & humiditas in mulieribus generat paſſionem ad luxuriam; unde *dicebat Chriſoſtomus*, (g) propria paſſio mulierum eſt luxuria, ſicut & generat inclinationem ad concupiſcentias, *quamobrem Ariſtoles dixit*, (h) mulieres non dicuntur continentes propriè loquendo propter facilem inclinationem ad concupiſcentias.

g Hom. 66. in Jo.

h Libr. 7. Ethic. c. 5.

Et Div. Thom. dixit, (i) quod ſi conſideretur id, quod eſt commune adulterio, & fornicationi, peccatum viri, & mulieris ſe habent ut excedentia, & exceſſa; quia in muliere eſt plus de humore, & ideò ſunt magis ducibiles ad concupiſcentias, ſed in viro eſt plus de calore, qui concupiſcentiam excitat, & ideò ſimpliciter loquēdo cæteris paribus vir in ſimplici fornicatione plus peccat, quàm mulier; quia plus habet de bono rationis, quod prævalet quibuslibet motibus corporalium paſſionum. *Verum ſubdit hìc Div. Thom.*, (l) frigiditas, quæ facit virum impotentem, non faciet mulierem impotentem, in qua tamen loco frigiditatis poteſt eſſe impedimentum naturale ex alia cauſa, ſcilicet ex arctatione, ut vir propter arctationem mulieris in vaſe naturali non poſſit cum ea conſummare matrimonium, adeòque concludit, quod tunc eſt judicium de arctatione mulieris, ac de viri frigiditate.

i in ſuppl. q. 62. ar. 4 ad 5.

l ibid. ad 6.

De maleficio.

MAleficium, quod etiam impediat matrimonium, redditur manifeſtum ex dictis de frigiditate, unde eodem modo diſtinguendũ eſt de maleficio, ſicut diſtinctũ fuit de frigiditate, & ideò *dicimus cum D. Th.* (a) quod impotentia coeundi ex maleficio orta, vel eſt perpetua, vel non. Si perpetua, tunc dirimit matrimonium, quod tamen non dirimit, ſi perpetua non eſt, ſed ad tempus; pariter ſicut de frigiditate aſſignatur triennium pro experimento, ita & de maleficio Eccleſia tempus triennii aſſignavit, atque præfixit. Unde in hac parte conveniunt frigiditas, & maleficium, licet poſtea differant in alia ſcilicet, quod qui ex frigiditate eſt impotēs, ſicut eſt impotens ad unam, ita & ad aliam, ac proinde quando matrimonium dirimitur, non datur licentia ei, ut alteri conjugatur: at de maleficio, homo poteſt eſſe impotens ad unam, & non ad aliam, quod conſtat ex hoc, quod quando judicio Eccleſiæ dirimitur, utrique datur licentia, ut alteram copulam quærat. *Unde Div. Th. ait*, (b) maleficium quandòque poteſt præſtare impedimentum ad omnes, quia certum eſt, quod unius viri potentia generativa ſe habet ad omnes mulieres, quaſi æqualiter. Quandòque ad unam tantùm, quia diabolus cauſa voluntaria eſt, non ex neceſſitate naturæ agens, adeòque impedimentum maleficii poteſt eſſe ex impreſſione dæmonis in imaginatione hominis, ex qua tollatur viro concupiſcentia movens ad talem mulierem, & non ad aliam.

a in ſuppl. q. 58. ar. 2.

b ib. ad 4.

Diximus, quod *diabolus eſt cauſa voluntaria non ex neceſſitate naturæ agens*; hoc diximus contra illos; qui dixerunt, maleficium non eſſe in Mundo, niſi in æſtimatione hominum, qui effectus carnales, quorum cauſæ ſunt multæ, maleficiis imputabant; & meritò contra iſtos, *ait Div. Th. ibid.*; procedit hæc opinio ex radice incredulitatis, quia non credunt eſſe dæmones, niſi in æſtimatione vulgi tantùm; hæc autem omnia vera fides repudiat, per quam Angelos de Cœlo cecidiſſe (*ut legitur Iſaiæ*, (c) quomodo cecidiſti de Cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes: *& in Apocalyp. legitur*, (d) & projectus eſt ille draco magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus, & ſatanas, qui ſeducit univerſum orbem, & projectus eſt in terram, & angeli ejus cum illo miſſi ſunt) & dæmones eſſe credimus, & ex ſubtilitate ſuæ naturæ (ſiquidem naturalia non perdiderunt, nec illa amiſerunt; ſed perdiderunt gratuita) multa poſſe, quæ nos non poſſumus: & ideò illi, qui eos ad talia facienda inducunt, malefici vocantur: Quapropter *Nahum Propheta ad hanc rem ait*, (e) propter multitudinem fornicationum meretricis ſpecioſæ, & gratæ habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus ſuis, & familias in maleficiis ſuis.

c Cap. 14.

d Cap. 12.

e Capit. 3.

Erat & opinio, quod per maleficia præſtari poteſt impedimentum carnali copulæ, non tamen poteſt eſſe perpetuum, ac per conſequens ſecundum opinionem iſtorum non dirimere contractum: *contra quos ait D. Th.*, maleficium eſt ita perpetuum, quod non poteſt habere remedium humanum, licet Deus poſſet remedium præſtare, (*ut per os Michææ Prophetæ ipſe dixit*, (f) auferam maleficia de manu tua) dæmonem cogendo, vel etiam dæmon deſiſtendo, quoniam non oportet ſemper quod id, quod per maleficium factum eſt, poſſit per aliud maleficium deſtrui, ut ipſi malefici fatentur. *Immò docet Div. Thom.*, *comprobando ſuum aſſertum*, (g) ſi poſſet per maleficium remedium adhiberi; nihilominus perpetuum reputaretur, quia nullo modo debet aliquis dæmonis auxilium per maleficium invocare; quia regula generalis eſt, ut non ſint facienda mala, ut veniant bona; certum eſt namque, quod non debemus Deum auctorem ſupernaturalem gratiæ offendere, ut nobis veniant bona naturalia.

f Cap. 5.

g ib. ad 3.

Pariter *addit Div. Thom.*, non oportet, quod ſi per peccatum aliquid diabolo data eſt poteſtas in aliquem, quod ceſſante peccato ceſſat poteſtas; quia pœna interdùm remanet, culpa tranſeunte. Nec exorciſmi Eccleſiæ valent ad reprimendum dæmones ſemper quantum ad omnes moleſtias corporales, judicio divino hoc exigente; *idcircò ait Div. Thom.*, (h) quod opus Dei quamvis ſit fortius, quod opus diaboli, attamen poteſt illud opere diaboli impediri divina permiſſione; ex quo tamen non ſequitur, quod diabolus ſit fortior Deo, ut per violentiam opera ejus deſtruat; verùm exorciſmi ſemper valent contra illas infeſtationes dæmonum, contra quas principaliter ſunt inſtituti; Quod autem non valeant ſemper quantum ad omnes moleſtias corporales, utinam his noſtris temporibus frequenter caſus non eſſent, quoniam & Mundus in pace videretur, & homines ſe invicem amarent, & Deus ab omnibus veneraretur.

h ib. ad 2.

De Furia.

FUria quantum eſt de ſe impedit matrimonium, cum furioſi non ſint idonei ad aliquem contractum faciendum, & hoc provenit, quia furioſi, ſicut & amentes in ſuis operibus ſunt veluti bruta; *teſte D. Th.*, (a) de talibus amentibus, & furioſis eadem eſt ratio, ſicut de animalibus brutis, quæ ex neceſſitate ſequuntur paſſionis impetum; in his enim non eſt aliquis rationis motus, ſicut nec voluntatis; ac proinde rectè ſequitur, quod ſicut non eſt motus voluntatis mediante quo non redduntur idonei ad aliquem contractum faciendum, quod nec redduntur idonei ad matrimonium, cum iſtud quidam contractus ſit, in quo ratio voluntatis magis ſplendere debet.

a p. 3 q. 104 ar. 3.

Verùm quia furia (provenit namque iſta propter aliquam perturbationem corporalem, ſicut & oritur aliquando ob vehementem iram vel ob inardeſcentem cōcupiſcentiam,) & poteſt eſſe præcedens matrimonio, vel poteſt illud ſequi, ideò ut de omnibus iſtis certiorem notitiam habeamus, opus eſt accedere ad lucem, *hoc eſt ad Doctrinam D. Thom.*, ex cujus radiis omnes quotquot ſcripſerunt de Sacramentis, illuminati fuerunt; & miror, maximè de auctoribus illis, qui ore illud venerantur, ſed longè corde ſunt ab illo, quod verecundantur Div Th. citare in ſuis operibus. *Docet ergo D. Th.*, (b) quod furia, vel præcedit matrimonium, vel illud ſequitur, ſi ſequitur, utpote quia poteſt provenire ex infirmitate nullatenus dirimit matrimonium, quoniam vinculum matrimonii, ut ſæpe ſæpius diximus, eſt indiſſolubile,

b in ſuppl. q. 58. ar. 3.

Digitized by Google

ſubile, & perpetuum: ſi verò præcedit, vel actu habet furioſus lucida intervalla, vel iſte illa non habet, ſi habet, tunc quamvis, dùm eſt in illo lucido intervallo, non ſit tutum, quod matrimonium contrahat, eò quia neſciret prolem educare, tamen ſi contrahit, eſt matrimoniū, ſecundum illud, *quod ajebat D. Th. l. cit. p. 2.* aliquando verò ratio non totaliter abſorbetur à paſſione, ſed remanet quoad aliquid judicium rationis liberum, & ſecundum hoc remanet aliquid de motu voluntatis. Si autem non habet, vel ſi quando non habet, contrahit; tum quia non poteſt eſſe conſenſus, ubi deeſt rationis uſus, non erit verum matrimonium, non enim in iſtis tunc reperitur liberum arbitrium, mediante quo aſſentitur, & diſſentitur: adeòque *benè dicitur à Div. Thom. ibid.*, quod nullus eſt motus rationis, aut voluntatis in furioſis, & amentibus, nam ſic dicendo accipit voluntatem pro ea, quæ eſt liberum arbitrium, non verò accipit pro ea, quæ eſt natura.

Furia etiam ipſa differt à frigiditate per hoc tamen, quod per illā impeditur copula carnalis, quæ per furiam non impeditur; ac hoc non obſtante furia ſemper impedit matrimonium ratione ſuæ cauſæ, quæ eſt conſenſus; licet non ratione actus, ſic frigiditas, *& idcircò ait Div. Thom.*, (c) momentaneum impedimentum, quod cauſam matrimonii, ſcilicet conſenſum impedit, matrimonium totaliter tollit, & meritò, quia tunc deſinit eſſe forma, vel requiſita materia ex vi Sacramenti matrimonii, at impedimentum, quod impedit actum, ut eſt frigiditas, oportet eſſe perpetuum ad hoc, ut matrimonium tollat.

c Ib. ad 3.

Deinde de furia dicitur, quod quatenus cauſat impedimentum, reducitur ad errorem, & ideò licet non nominetur inter impedimenta impedientia, & dirimentia matrimonium, attamen implicitè ad errorem reducenda eſt furia, *quia ut bene dicit Div. Thom.*, (d) utrobique eſt defectus conſenſus ex parte rationis. Sicut & inceſtus includitur in impedimento affinitatis, de quo tamen inceſtu erit modò aliquid dicendum, prout connumeratur inter impedimentum impotentiæ coeundi.

d Ib. ad 4.

De inceſtu.

INceſtus, quo quis cognoſcit ſororem uxoris ſuæ, dirimit matrimonium, cum per hoc contrahatur affinitas ad uxorem, quæ cum dirimat matrimonium contractum, ſic pariter & ille dirimit. Hoc à *Div. Thom. docetur*, (a) quod ſi quis cognoſcit ſororem, aut aliam conſanguineam uxoris ſuæ ante matrimonium contractum etiam poſt ſponſalia, debet matrimonium ſeparari ratione affinitatis contractæ. Unde ad obiecta *ait Div. Thom.*, inceſtus ponitur matrimonii impedimentum; non tàm ratione culpæ, quàm ratione affinitatis, quam cauſat, & ideò meritò in impedimento affinitatis includitur. Non tàm ratione culpæ, hoc dicimus, quia mulier tunc non punitur pro peccato viri; *unde ſubdit D. Thom.*, ſi verò vir cognoſcit ſororem, vel aliam conſanguineam uxoris ſuæ poſt contractum, & conſummatum matrimonium, non debet totaliter ſeparari matrimonium, eò quia per matrimonium ritè contractum mulier habet poteſtatem ſupra corpus viri in ordine ad carnalem copulam ordinatam ad matrimonium, unde & petere poteſt, & vir tenetur illi reddere, uſquedùm non amiſerit & ipſa jus petendi, ſicut vir amiſit in illo caſu tale jus, unde non poteſt ſine peccato petere: pat. enim, quod in quo quis peccat, in hoc punitur, juxta illud, *Sapientiæ*, (b) quidam errantes colebant mutos ſerpentes, & beſtias ſupervacuas, quibus tamen imiſit Deus multitudinem mutorum animalium in vindictam, & hoc ut ſcirent, *quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*. Peccat igitur vir contra matrimonium, ideò debet puniri per hoc, quod privetur jure ſuo, quod erat petere debitum, tenetur tamen reddere petenti, quia uxor non debet puniri pro peccato viri, nec debet illi præjudicari, ſed debet uti jure ſuo ſupra corpus viri, ut diximus; præjudicaretur uxori, dùm matrimonium ſolveretur, immò & illa puniretur; adeòque non illa, ſed vir puniri debet; & taliter iſte puniri debet, ut in poſterum matrimonio privetur; *& de facto ut Div. Thom.*, (c) poſt mortem uxoris debet omninò manere abſque ſpe coniugii, poteſt tamen diſpenſari cum eo propter fragilitatem ſuam, maximè quando timetur de illicito coitu; & benè ſit diſpenſando, quia tunc regulatur per illud principium, *de duobus malis minus eſt eligendum*.

a in ſuppl q.58 ar.4.

b Cap. 11.

c Ibi in e.

Sed dubitat quis, ſi daretur caſus, quod vir poſt conſummatum matrimonium cognita ſorore uxoris ſuæ, quæ jam ſupponitur modò in caſu mortua, ſine diſpenſatione contraheret matrimonium, tunc in dato caſu eſſet ne derimendum, aut ſeparandum illud matrimonium, nec ne?

Ad hanc dubitationem breviter dicendum eſt, quod ſine diſpenſatione contrahendo ſine dubio peccat, utpote quia agit contra ſtatutum Eccleſię, non tamen propter hoc eſt dirimendum matrimonium, aut ſeparandum, quia habemus principium generale, quod *multa facta tenent, quæ fieri prohibentur*.

De defectu ætatis.

ISte defectus habet impedere matrimonium, cum fiat per modum cujuſdam contractus hinc mirum non erit, ſi ordinationi legis poſitivę ſubiaceat, ſicut & alii contractus; *Unde ſecundum jura determinatum eſt*, quod ante illud tempus diſcretionis, quo uterque poſſit de matrimonio deliberare ſufficienter, & debitum ſibi invicem reddere, matrimonia non contrahantur, & ſi non ita facta fuerint, dirimantur. Tempus autem determinatum ſecundum jura, ut in pluribus eſt in maſculis in anno 14., & in fœminis anno 12., ut contrahat, non ut conſentiat; quoniam *ut ait Div. Thom.* (b) ante poteſt in matrimonium ſufficienter deliberans conſentire, quàm poſſit in contractibus aliis res ſuas ſine tutore, pertractare, permiſſum eſt enim parentibus, *ut habetur in lib. Inſtit.*, (c) liberis impuberibus, quos in poteſtate habent teſtamento tutores dare; tutores autē ſunt, qui eam vim, ac poteſtatem habent, exque ipſa re nomen acceperunt; itaque appellantur tutores, quaſi tutiores, atq; deffenſores, quia *ſecundū Servium definitur tutela*, quod ſit vis, ac poteſtas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem ſe defendere nequit, jure civili data, ac permiſſa; & *Div. Th. aſſignat hanc rationem*, quia in illis, ad quæ natura inclinat, non exigitur tantus vigor rationis ad deliberandum, ſicut in aliis.

a li. 4. dec. 3 Greg. tit. 2. cap. 1.

b in ſuppl. q 58. ar. 5.

Diximus ut *in pluribus*, eò quia præcepta juris poſitivi, cum ſequantur id, quod eſt in pluribus, hinc eſt, quod ſi aliquis ad perfectionem debitam ante prædictū tempus perveniat, ita ut vigor naturæ, & rationis defectum ætatis ſuppleat, matrimonium non diſſolvitur, ſed eſt omninò indiſſolubile. Quamobrem ſi contrahentes ante annos pubertatis, ſervatis ſervandis ſcilicet vigore naturæ, & rationis, ante tempus prædictum carnaliter fuerint copulati, matrimonium perpetuò ſtat indiſſolubile, & ideò meritò dicimus, *ut in pluribus*, quia præcepta juris poſitivi ſequuntur id, quod eſt in pluribus; *quoniam habetur etiam in decret.*, (d) quod puer, qui non poteſt reddere debitum, non eſt aptus matrimonio, cum autem ut in pluribus non poſſit reddere debitum ante 14. anuum, conſequenter non erit aptus matrimonio, ac proinde *benè dicitur cum Div. Thom.*, quod ex tali impotentia coeundi dirimitur matrimonium.

d lib. 4. tit. 15. cap. 2.

Quod *corroborat dicendo* (e) ex parte iſta non ſolùm eſt impedimentum propter impotentiam coeundi, ſed etiam propter defectum ætatis, quæ adhuc non ſufficit ad conſenſum illum ritè faciendum, qui perpetuò durare debet.

Et hoc diximus, quia quamvis defectus ætatis non videantur eſſe matrimonii impedimentum

Digitized by Google

reductivè tamen ſpectat ad impedimentum erroris, eò modo, quò & furia ad tale impedimentum reducitur, *& ideò Div. Thom. adducendo rationem de defectu ætatis, prout enumeratur inter impedimenta impotentiæ coeundi, & prout reductivè ſpectat ad impedimentum erroris*, illam aſſignat, & eſt, quia homo nondum habet plenum uſum liberi arbitrii: hæc de impedimentis omnibus.

Super quæſtionem ſexageſimam Octavam,

De filiis illegitimè natis.

JAm de Matrimonio, ac de impedimentis ejuſdem multa diximus unà *cum Div. Thom.*, cujus doctrina roborata fuit ex verbis Sacrarum Scripturarum, & confirmata per Concil. Trident, unde non ſolùm vidimus eam eſſe plenam veritate, & fide, verùm etiam eam eſſe à Chriſto Domino edoctam; ſiquidem audivimus etiam per os Domini noſtri Jeſu Chriſti matrimonium fuiſſe inſtitutum ab ipſo Deo ab origine Mundi, *quando maſculum, & fœminam fecit eos*, inter Adam, & Evam & hoc ut filios, filiaſve procrearet, hinc benedicens eos dixit, *creſcite, & multiplicamini, & replete terram.*

Ex quibus profectò videtur, quod non duas, vel plures uxores, ſed unam tantùm voluit, ordinavit, atque præcepit, ut homines ducerent (*ſervata tamen ſibimetipſi ſoli poteſtate diſpenſandi circa hanc pluralitatem uxorum*) juxta quam & Deus juſſit, *propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, &c.*

Contra hanc ordinationem Dei homines, ut ſuum eſt, ex malitia facta veluti illis naturalis, contra Deum, ejuſque præcepta recalcitrare, operati ſunt, & tunc fuit, quando viderunt ſe potentes à ſeculo viros famoſos, *Sic legitur in Gen.*, *cum cæpiſſent homines creſcere, &* [a Cap. 6.] *filios procreaſſent, videntes filii Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ acceperunt uxores ſibi ex omnibus, quas elegerunt.* Sic contaminata fuit terra à malitia inhabitantium in ea, itaut omnis caro corruperat viam ſuam; corruptio iſta, & fætor ejuſdem corruptionis pervenit uſque ad Cœlum, quapropter videns Deus, quamvis optimus, quamvis patiens ſuper malitia hominum, quod *omnis caro corruperat viam ſuam, & quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis eſſet ad malum omni tempore*, (ecce ſumma malitia) *pænituit eum, quod hominem feciſſet in terra*; propterea tactus dolore cordis intrinſecus dixit, *Delebo hominem, quem formavi à facie terræ.* Cujus irrefragabilis ſententiæ non timuerunt illi, ſed magis, ac magis progrediebantur in malum, & eorum malitia augmentata fuit, uſque dum veniens diluvium diſſipans terram. At quod pejus eſt, ſecuri homines de promiſſione à Deo facta patribus [b Capit. 8. Gen] noſtris, *(b) nequaquam legitur: ultrà maledicam terræ propter homines, ſenſus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua*, (cognovit namque Dominus, quod ſomes erat in homine, & quod illum hæreditavit à protoparentibus ſuis, quando in primum peccatum lapſi fuere, & quod mediante illo fomite inclinatur voluntas hominis in malum,) *non igitur ultrà percutiam omnem animam viventem, ſicut feci*; (*c*) unde & pactum ſtatuit dicens, *Geneſ. ſtatuam pa-* [c Cap. 9.] *ctum meum vobiſcum, & nequaquam ultrà interficietur omnis caro aquis diluvii, neque erit deinceps diluvium diſſipans terram.* Securi itaque de hoc divino abſoluto decreto, non fuit iniquitas, quæ ab hominibus tunc temporis exiſtentibus in terra Sodomorum, & Gomorrhæorum commiſſa non fuerit; taliter quod irritaverunt Domi- [d Cap. 19.] num Deum, ut plueret ſuper illos ignem, & ſulphur de Cœlo, ut (*d*) *habetur Gen. Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem à Domino de Cœlo, & ſubvertit civitates has, & omnem circa regionem univerſos habitatores Urbium, & cuncta terræ virentia; fue-* [Cap. 26.] *runt, ut habetur in Deut.*, (*e*) *Sodoma, & Gomorrha, Adama, Seboim*, Has ſubvertit Dñs in ira, & furore ſuo.

At quia non amplius videtur ignis cadens de Cœlo, ad puniendam hominum malitiam, ſicut & peccata eorumdem ob miſericordiam Dei potiùs miſerentis, quàm punientis, hinc fit, quod reperiuntur homines in hoc Mundo ita impii, qui nec timent Deum, nec illum venerantur, immò adſunt quidã, qui de Deo nihil audire volunt, ſimiles (*f*) *Athæis dicentibus Coronemus nos, roſis* [f Capit. 2. Sapien.] *antequam marceſcant; Nullum pratum ſit, quod non pertranſeat* luxuria noſtra. Nemo noſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ; ubique relinquamus ſigna lætitiæ, quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors. Quoniam utique & iſti dicunt, *coronemus nos roſis hoc eſt, delitiis carnalibus utamur:* ſic audent nuncupare delitias illas, quæ carne conſummuntur; *antequam marceſcant .V. antequam tempus juventutis noſtræ pertranſeat:* cogitant de tempore, ut operentur malum, & nihil pavent de tempore retributionis; ſciunt, quod omnis Mundi laſcivia brevis eſt, & tranſitoria, ob hoc tempus iſtud ammittere nolunt, & ignorare volunt perpetuitatem pœnarum, quæ jure meritò aſſignantur pro peccatis hominum.

Solùm ergò dicunt, *coronemus nos roſis, quia volunt, quod umbræ tranſitus ſit tempus noſtrum, & non ſit reverſio finis noſtri*, unde mirum poſtea non eſt, ſi hæc falſa eſſe non animadvertant, nec cognoſcant, quod in numero reproborum ſecũdum præſentem juſtitiam à Deo poſiti ſunt; & ita nec mirum, ſi nihil cogitant, quod reprobi in præſenti coronantur corona laſciviæ, & in futuro coronabuntur corona miſeriæ: & de unoquoque illorum dicitur illud, (*g*) *quod dixit Iſaias, coronans* [g Cap. 22.] *coronabit te tribulatione:* Quoniam tunc lugebunt, & plangent de eo, de quo modò rident; & tunc ſine contritione dicent, (*h*) *erravimus à via veritatis, & juſti-* [h Sap c 5.] *tiæ lumen non luxit nobis; & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus.*

Dicunt pariter & iſti, *nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Nullum ſit pratum hoc eſt, *nulla ſit conſanguinitas, nulla affinitas, nulla cognatio, quælibet* [i Cap. 5.] *illa, ſit nulla ſit virgo, nulla ſit uxor, nulla ſit vidua nullave meretrix, nullus ſit ſexus, quæ cuncta non pertranſeat luxuria noſtra*; nec ullus ſit locus, etiam ſi opus ſit templum Dei, in quo non ſatietur luxuria noſtra; & iſti forſan ſunt, quos ejecit Jeſus de templo, *Matt.* (*l*) intravit Je- [l Cap. 21.] ſus in templum, & ejiciebat omnes vendentes, & emẽtes in templo, & menſas numulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit; & *quid per menſas numulariorum, niſi avaritia? Et quid per Cathedras vendentium columbas, niſi luxuria?* (*m*) Hæ enim ſunt duæ ſan- [m Prover. cap. 30.] guiſugæ, quæ ſemper dicunt, affer, affer, luxuria, & avaritia, *teſte Div. Hieronymo:* dicunt tandem iſti, *nemo noſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ*, .I. nemo ſit, quis expers nõ ſit luxuriæ noſtræ, communis ſit namque omnibus luxuria noſtra, nullus timor humanus, nullus ſit pavor Dei, quoniam Deus circa cardinem Cœli perambulat, [n Cap. 22.] & noſtra non conſiderat, ut (*n*) *habetur in Iob & ideò relinquamus ſigna lætitiæ, noſtræ*, in cantu, qui ad amorem, & luxoriam provocat, ideòqoe (*o*) *Conc. Trid. præcipit* [o Seſſ. 22. de Refor. cap. 9.] *Epiſcopis*, ut ab Eccleſiis muſicas eas, ubi ſive organo ſive cantu laſcivum, aut impurum aliqoid miſcetur, arceant, ut domus Dei verè domus orationis eſſe videatur, & dici poſſit, ſecundum illud, domus mea domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum; & *ſecundum illud, quod in Ieremia dixit Dominus*, (*p*) nunquid ergo ſpelunca latronum facta eſt do- [p Cap. 7.] mus iſta, in qua invocatum eſt nomen meum in oculis veſtris? Ego ego ſum, Ego vidi, dicit Dominus. *In tripudio*, hoc eſt in commeſſationibus, & ebrietatibus; in iſtis enim viget magna libido, & in iſtis omnibus delectantur impii, contemnentes ſcripturas, ſpernentes Evangelium, & deridentes doctrinam Apoſtolorum.

Contemnunt in primis Sacras Scripturas, quod eſt proprium hominum impiorum, ut habetur in *Prov.* (*q*) impius cum in profundum venerit peccatorum, contẽnit. Non enim audire volunt Prophetas per os Domini loquentes, hi quoque præ vino neſcierunt, & præ ebrietate erraverunt: Sacerdos, & Propheta neſcierunt præ ebrietate, abſorti ſunt à vino, erraverunt in ebrietate, neſcierunt videntem, ignoraverunt judicium, *ſic Iſaias. Et Ieremias, ad Populum locutus eſt*, populum iſtum peſſimum, qui nolunt audire verba

mea

Digitized by Google

mea, & ambulant in pravitate cordis ſui; abieruntque poſt Deos alienos, ut ſervirent eis, & adorarent eos, dices ad eos; hæc dicit Dominus: ecce ego implebo omnes habitatores terræ hujus; & Reges, qui ſedent de ſtirpe David ſuper thronum ejus, & Sacerdotes, & Prophetas, & omnes habitatores Jeruſalem ebrietatis; unde videtur, quod in pœnam hominibus impiis data eſt à Deo ebrietas; licet ab iſtis reputetur repudium; [t Cap. 4.] non enim audiunt *Oſeam dicentem*, (t) fornicatio, vinum, & ebrietas auferunt cor; illam ſcilicet præcipuam partem hominis à Deo deſideratam, *hinc ſe dolendo de populo ſuo dixit*, [u Iſa c. 29. & Matt. 15.] (u) populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me: (Labiis utique Deum honorabant, ut etiam & quidam noſtri temporis, qui & hypocritæ ſunt, faciunt,) ſuadentes nempe hominibus, ut poſthabitis omnibus Deo litarent; ſed cor linguæ erat diſcors, quandoquidem ſuos intendebant proventus, ex lege participes munerum, & oblationum. Idcircò prævidens Deus per maximam ſuam ſapientiam omnia hæc mala ab ebrietatibus, & commeſſationibus, quod ventura fierent, prohibuit; ne [x Cap. 10.] ſacerdotes ingreſſuri tabernaculum ebriarentur, & hoc ſub pœna capitalis ſententiæ, *ut legitur Levit.* (x) dixit Dominus ad Aaron, vinum, & omne, quod inebriare poteſt, non bibetis tu, & filii tui, quando intrabitis in tabernaculum teſtimonii, ne moriamini.

Et ſi quæratur, quare hoc? *Utique reddit rationem* [y lib. 2. c. 4.] *Iſidorus de ſummo bono*, (y) quia ebrietas perturbationem gignit mentis, furorem cordis, flammam libidinis. Pariter *& Div. Hieronymus dixit*, venter mero æſtuans citò diſpumat ad libidinem; quid enim non fecit ebrietas in Noe? Noe ebrietate nudavit fæmora; Quid non fecit in Loth? iſte continens, & caſtus in Sodoma, extra Sodomam incontinens factus eſt, & *ideo dixit*. Loth, quem Sodoma non vicit, vina vicerunt. Ob hoc autem Chriſtus Dominus docens diſci- [z Cap. 21.] pulos ſuos, *Lucæ*, (z) dixit, attendite autem vobis, ne fortè graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ, & ſuperveniat in vos repentina dies illa; illa, inquam, dies, in qua omnes reddituri ſumus rationem de operibus noſtris; omnes nos adſtabimus, ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, [a 2. c. 5. ad Corint.] ut referat, *inquit Paulus ad Corint.*, (a) unuſquiſque propria corporis, prout geſſit ſive bonum, ſive malum; [b Cap. 13.] ergo *eſt Doctrina Pauli ad Rom.*, (b) in die honeſtè ambulemus, & non in commeſſationibus, & ebrietatibus. [c Prov. & cap. 31.] Scire etenim debemus illud, Sapientis; (c) Luxurioſa res, vinum, & tumultuoſa ebrietas, quicumque his delectatur, non erit ſapiens; & alibi *dixit*, nullum ſecretum ubi regnat ebrietas; ergo concludamus *cum Pau-* [d Cap. 5.] *lo ad Eph.*, (d) nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.

Pariter dicunt & impii, *relinquamus ſigna lætitiæ noſtræ* ſcilicet, in feſtis, & in conviviis, quæ non terminantur niſi cum effuſione ſanguinis innocentis; *Exemplum habemus de Herode*, qui in die natalis ſui fecit cœnam principibus, & tribunis, & primis Galileæ, in qua præcepit filiæ ipſius Herodiadis, ut ſaltaſſet, quæ cum placuiſſet Herodi, ſimulque diſcumbentibus; hæc filia impudica, & meritò, quia habuit Herodiadem pro matre, quæ mater luxuriæ dicitur, petiit ab Herode caput Joannis Baptiſtæ, unde & ipſa reliquit ſignum luxuriæ, ſicut & iſti dicunt impii *relinquamus ſigna luxuriæ noſtræ in feſtis*; & tandem in *ludis*, in quibus finem ponunt omnibus inhoneſtis cogitationibus per impudicitias carnales, unde & ſtruprantur virgines, inceſtus fiunt, adulteria perpetrantur, non parcitur viduis, & meretricibus [e Cap. 4.] abutuntur. De iſtis, *& Oſea Propheta dixit*, (e) quoniam ipſi cum meretricibus converſabantur: de iſtis *& Jere-* [f Cap. 23.] *mias dixit*, (f) adulteris repleta eſt terra. De iſtis *& Ju-* [g Cap. 19.] *dith dixit*, (g) violatores extiterunt in coinquinatione ſua, & denudaverunt femur virginis in confuſionem. De iſtis *& Petrus dixit*, (h) oculos habentes plenos adulterii, & inceſſabilis delicti: Et de facto quàm maximum delictum non eſt ex omnibus iſtis generare filios? Delictum, quod ad filios ex tali coitu illicito natos transfertur, ſiquidem privantur ſecundum jura Canonica beneficiis, Ordinibus, atque dignitatibus, Eccleſiaſticis, & ſecundum jura civilia repelluntur ab hereditate conſequenda à primis, repelluntur propter honeſtatem neceſſariò requiſitam in his, qui illa exercere debent, à paterna hæreditate, quia in illa nõ ſuccedunt.

Ut autem majorem notitiam habeamus de omnibus his, non eſt diſcedendum à Doctrina Div. Thom. ſed more noſtro ſolito eam ſequemur.

In primis ergo *Div. Thom.*, (i) *aſſignat* quadruplicem [i p. cap. 2.] ſtatum filiorum. *Primus eſt illorum, qui ſunt naturales, & legitimi*, & ſunt illi, qui naſcuntur ex utero, & legitimo matrimonio. *Secundus eſt illorum, qui utique legitimi ſunt, ſed non naturales*, & ſunt filii adoptivi. Primi verè ſunt filii, utpote nati cum timore Domini. Secundi fiunt tales ex adoptione. *Tertius ſtatus eſt illorum, qui dicuntur naturales, & non legitimi*, ut filii qui naſcuntur ex ſimplici fornicatione. *Quartus demque ſtatus eſt illorum, qui non dicuntur naturales nec legitimi*, ut ſpurii nati de adulterio, aut ſtupro; quoniam iſti tales naſcuntur & contra legem poſitivam, & contra legem naturæ expreſsè; & filii ex tertiò, & quarto ſtatu nati ſecundum nullam legem legitimi ſunt, cum nati ſint ex dictis criminibus, *fornicatione, adulterio, & ſtupro*; licet ex alio capite dicantur nati ſecundum naturam, (quamvis ex illicito coitu,) quæ eſt communis homini, & aliis animalibus in alliciendo ſcilicet coitu naturaliter ſecundum modum proprium naturæ, nec excuſatur, ſicut nec excuſari poteſt aliquis ab illegitimitate, niſi in caſu, quo non interveniat ignorantia affectata; *juxta Div. Thom.*, (l) ignorantia excuſat coitum illicitum à [l in ſuppl. q. 68. a. 1.] peccato, niſi ſit affectata. Quapropter illi, qui conveniunt bona fide in facie Eccleſiæ, licet ſit impedimentum, dùm tamen ignorent, non peccant, nec filii illegitimi ſunt. Non excuſantur tamen à peccato, ſicut nec filii ab illigitimitate, ſi ſciant, quamvis Eccleſia ſuſtineat, quæ ignorat impedimentum. Deinde nõ excuſantur ab omnibus iſtis, ſi neſciant, & in abſcondito contrahant, cùm talis ignorantia videatur affectata.

Filii illegitimi, quod debeant reportare aliquod damnum, utpotè ex illicitò coitu nati, deſumitur fundamentum ex Abraham, qui dedit omnia bona ſua Iſaac, filiis verò concubinarum ſolùm munera dedit; *ſic legitur Gen. deditque Abraham cuncta, quæ poſſederat Iſaac, filiis autem concubinarum largitus eſt munera:* [m Cap. 25.] & tamen, licet non eſſent nati ex illicito coitu, reportarunt hoc damnum, quod nõ fuerunt ſucceſſores in bonis paternis, *ſubditur enim*, ſeparavit eos ab Iſaac filio ſuo, dùm adhuc ipſe viveret; ſi ergo filii concubinarũ Abrahæ reportaverunt hoc damnum, ne ſuccederẽt in hæreditate paterna. Multò magis hoc damnum reportare debent illi, qui ex illicito coitu nati ſunt; *adeoque benè ait Div. Thom.*, (n) quod filius illegitimus duplex damnum incurrit; [n Cap. 25.] *Unum ſcilicet circa dignitates*, non enim admittitur ad actus legitimos, ut ad officia, vel dignitates, quæ requirunt aliquam honeſtatem in illis, qui hæc exercent: *Aliud circa hæreditatem* quia non ſuccedit in hæreditate paterna; *hoc habetur clarum ex libro Judicum de Jephte, qui ejectus fuit à filiis Galaad, utpote quia ex muliere meretrice natus; legitur enim*, (o) fuit illo tempore [o in ſuppl. q. 68. ar. 2.] Jephte Galaadites vir fortiſſimus, atque pugnator, filius mulieris meretricis, qui natus eſt de Galaad. Habuit autem Galaad uxorem, de qua ſuſcepit filios, qui poſtquam creverunt, ejecerunt Jephte dicentes, hæres in domo patris noſtri eſſe non poteris, quia de altera matre natus eſt. Verùm quia diximus, alii ſunt filii naturales, & non legitimi, alii verò nec legitimi, nec naturales; ideò non ſolùm adeſt differentia inter illos, quæ eſt, ut primi dicuntur tales, quia naſcuntur ex ſimplici fornicatione, & ſecundi ſpurii, quia ex adulterio, & ſtupro nati; verùm adeſt etiam & differentia in ſucceſſione, quod primi ſuccedere poſſunt in ſexta parte tantùm, vel ad minus in ſeptima, (niſi aliter fiat vel diſpenſatione divina, ut creditur Deum diſpenſaſſe cum Jephte, maximè quia connumeratus fuit inter principes Galaad, immò & primus, ſecundum quod legitur: Abiit itaque Jephte cum principibus Galaad, fecitque eum omnis populus principem ſui.

Unde conſequenter videtur, quod & hæreditatem paternam habuit, & ad illam ſucceſſit; vel per diſpenſationem legis, de quo infrà. Secundi verò in nulla parte, quamvis ex jure naturali parentes ejus in neceſſariis providere teneantur.

Cæterum filii legitimi, & naturales ſuccedere debent in bonis paternis, & ſic *Dominus Deus donavit Iſaac, & ſemini ejus benedictionem dicens, ut legitur Gen.*, (*q*) tibi enim, & ſemini tuo dabo univerſas regiones has, & poſtea, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ; hanc autem benedictionem non dedit filiis concubinarum Abrahæ, licet nati non fuerint ex illicito coitu; & ſicut non fuit pœna his, quod in hæreditate paterna non ſuccederent, ita nec eſt pœna illis, quod in bonis paternis non ſuccedant; Et ideò *ait Div. Thom.* (*r*) non dicimus, quod ſit pœna alicui, quod non ſuccedant in aliquo regno per hoc, quod non ſit filius Regis, ſicut non eſt pœna, quod alicui, qui non eſt legitimus, non debeantur ea, quæ ſunt legitimorum filiorum; & hoc non quia ipſi peccaverunt, ſed eſt peccatum patris,; filius pro tali peccato puniri non debet, attamen per hoc ſolùm non habent ſuccedere ad hæreditatem paternam, quia ſunt nati contra legem naturæ, quæ eſt propria hominibus, utpotè nati ex fornicatione, adulterio, ac per conſequens ſicut ſecundum nullam legem naturæ iſti tales ſunt legitimi, ita ſecundum nullam legem naturæ debent ad bona paterna ſuccedere, *quod magis declarat Div. Thom.*, (*ſ*) coitus illegitimus non eſt contra legem naturæ, in quantum eſt actus generativæ virtutis; bene verò in quantum ex prava voluntate procedit, & ſolùm amore concupiſcentiæ, ac proinde filius illegitimus non incurrit damnum in his, quæ acquiruntur per naturalem originem, ſed in his, quæ per voluntatem fiunt, vel poſſidentur.

q cap. 26.
r Ib. ad 1.
ſ Ib. ad 2.

Poteſt tamen ſuccedere ad bona patris, ſi legitimaretur, quoniam illegitimitas filiorum non eſt, niſi per legem poſitivam; & quia id, quod inducitur per legem, per legem etiam revocari poteſt, hinc *eſt*, *quod benè ait D. Th.*, (*t*) filius illegitimus legitimari poteſt, non ut fiat de legitimo coitu natus, quia certum eſt, quod ex quo fuit illegitimus ille coitus, numquam poteſt fieri legitimus, cum ille coitus jam tranſierit, & quod jam factum eſt, non poteſt non fuiſſe; ſed ſolùm legitimari poteſt per hoc, quod damna, quæ filius illegitimus incurrit, ſubtrahuntur per legis auctoritatem, *& hoc eſt, quod concluditur à Div. Thom.*, poteſt filius illegitimus legitimari ab eo, qui habet auctoritatem legis.

t in ſuppl. q. 68. a 3.

At quomodo poſſit ab illo fieri, aſſignantur ſex modi legitimandi, *duo ſecundum Canon. in Dec.*, *& ſunt*, cum quis ducit in uxorem illam, ex qua filium illegitimum generavit, ſi non fuit adulterium, & per ſpecialem indulgentiam, & diſpenſationem Domini Papæ; *Quatuor ſecundum leges; quorum primus eſt*, ſi pater filium naturalem curiæ Imperatoris offerat, ex hoc enim ipſo legitimatur propter curiæ honeſtatem: *Secundus*, ſi pater in teſtamento nominet eum legitimum hæredem, & filius poſtmodum teſtamentum Imperatori offerat; *Tertius*, ſi nullus ſit filius legitimus, & ipſemet filius ſeipſum Principi offerat; *Quartus*, ſi in publico teſtamento, vel cum trium teſtium ſubſcriptione eum legitimum nominet, nec adiiciat naturalem. Et hoc, quia in favorabilibus gratiæ ſunt ampliandæ; ideò illegitimus filios legitimari poteſt, quod non currit de filio legitimo in ordine ad illum illegitimandum; ac proinde nulla lex, nulluſve modus illegitimandi filium legitimum adeſt, aſſignatur, nec aſſignari poteſt; ſiquidem tunc non eſſet pœna, utpotè natus de legimo coitu, & thoro, ſed eſſet culpa; quapropter licet pro culpa poſſit aliquando privari hæreditate, non tamen pro culpa poſſit dici, & declarari illegitimus filius; *hinc Div. Thom. ait*, alicui poteſt abſque iniuſtitia gratia fieri, at non poteſt aliquis damnificari, niſi pro culpa, & ideò non poteſt illegitimari filius legitimus; bene tamen è converſo; maxime etiam quia actus illegitimus habet defectum intra ſe inſeparabilem, quo legi opponitur. Unde lege diſpenſante non fit legitimus ille coitus, quia lex diſpenſat ſuper actum illum, aliàs non indigeret diſpenſatione; idcircò non fit, quod ex natura ſua talis actus non ſit illegitimus, ad differentiam coitus legitimi, cum iſte nullum habeat defectum, quæ legi opponitur; ſed eſt ſecundum legem poſitivam, & naturalem, immò etiam ſecundum legem divinam. Nam Deus ſtatuit pactum ſempiternum inter ſe, & Abraham, & inter ſemen ſuum poſt ipſum, quia Iſaac erat natus de legitimo thoro, quod pactum non fecit cum aliis filiis ejuſdem Abrahaam, licet ex concubinis natis; & hoc in ſignum, quod Iſaac verè dicebatur ex omni parte legitimus; ſic *confirmavit Dominus in Exod.* legitimum ſempiternum erit Aaron, & ſemini ejus poſt eum; *& alio in loco*, per ſucceſſiones, *ait*, & de hoc *in pluribus aliis locis* habetur veritas hujus rei.

u Ib. ad 2.

Diximus, *quod filii illegitimi, & non ex legitimo matrimonio nati, duplex damnum incurrunt*, & hoc *cum Div. Thom.*, & circa officia, atque dignitates, quæ requirunt aliquam honeſtatem in illis, qui hæc exercent, & circa hæreditatem, in quantum ſuccedere non poſſunt ad hæreditatem paternam, quæ omnia cadunt ſub bonis temporalibus, & modò dicimus quod damnum etiam incurrunt in bonis Eccleſiaſticis, ſicut ſupra tetigimus, *juxta determinationem Sacri Concilii Trid.*, (*x*) ubi habetur paternæ incontinentiæ memoria à locis Deo conſecratis, quos maximè puritas, ſanctitaſque decet, longiſſimè arceatur, non liceat filiis clericorum, qui non ex legitimo nati ſunt matrimonio in Eccleſiis, ubi eorum patres beneficium aliquod Eccleſiaſticum habent, vel habuerunt, quodcumque etiam diſſimile beneficium obtinere, nec in dictis Eccleſiis quoquo modo miniſtrari, *nec tantùm beneficium, ſed quod magis eſt*, nec penſiones ſuper fructibus beneficiorum, quæ eorum parentes obtinent, vel aliàs obtinuerunt, habere; & ulteriùs ſi in præſenti Pater, & Filius in eadem Eccleſia beneficia obtinere reperiantur; cogatur filius ſuum benificium reſignare, vel cum alio permutare extra Eccleſiam intra trium menſium ſpatium, aliàs pro ipſo jure eo privatus exiſtat, & ſuper iis, quæcumque diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur.

x cap. 18.

Ulterius *decrevit dictum Concilium*, quod reſignationes in fraudem factæ cenſeantur; ad hæc, *inquit Concilium*, reciprocæ reſignationes, ſi quæ poſthac à parentibus clericis in favorem filiorum fient, ut alter alterius beneficium conſequantur in fraudem hujus decreti, & canonicarum Sanctionum factæ omninò cenſeantur: nec collationes ſecutæ vigore hujuſmodi reſignationum, ſeù aliarum quarumcumque, quæ in fraudem factæ fuerint, ipſis clericorum filiis ſuffragentur: & ecce quomodo non ſolùm confirmavit Doctrinam Div. Th. docentis filios illegitimos incurrere hoc damnum ſcilic. quod ad dignitates, & officia non debent admitti, utpote quia officia, & dignitates reſpiciunt honeſtatem quandam, à qua tamen non poſſunt, nec apti ſunt gaudere illi, qui illegitimi ſunt; verùm etiam *voluit idem Concilium*, quod non ſolùm ſuccedant filii illegitimi ad hæreditatem paternam, ſed etiam quod nec ſuccedant ad beneficia ſpiritualia patrum ſuorum, & hoc etiam per reſignationes, quas nullas eſſe, & de nullo vigore, quia ſubreptitiæ debent reputari, *decrevit*; *& benè decrevit*; quia jam vidit, quod & temporibus anteactis multa erat malitia hominum, ut autem iſti hoc tempore timore humano perteriti ſe abſtineāt à ſimilibus criminibus, hæc omnia fecit, ſtatuit, decrevit, atque definivit. Sub cujus judicio Eccleſiæ omnia, quæ in hoc opere dicta ſunt, libenter, promptoque animo, promptave obediētia ſubmitto. Etſi aliquid boni ſit, omnia in laudem, & honorem Dei Patris omnipotentis, unigenitique Dei filii, qui eſt Chriſtus Jeſus, ex Maria ſemper Virgine natus in tempore, & Spiritus Sancti Paracleti, nec non in laudem Div. Patris noſtri Dominici, quamvis indignus filius ejuſdem, & in laudem Div. Thomæ Aquinatis Sanctæ Eccleſię Doctoris, cujus veſtigia totis viribus ſequi optavi, prout imbecillitas mea potuit, hanc unuſquiſque dignetur compati, ſic toto corde omnes rogo, ac deprecor.

z ſeſſ. 25. de Reform. cap 15.

F I N I S.

Digitized by Google

INDEX

Rerum Notabilium, quæ in hoc Opere continentur.

A

ABlutio aquæ in baptiſmo eſt de neceſſitate ſalutis, ad differentiam modi ablutionis. pag. 42.
Ablutio aquæ in baptiſmo poteſt fieri per immerſionem, præcipuus tamen modus eſt per modum aſperſionis, vel effuſionis. ibid.
Abrahaam ſe à ſocietate infidelium primus ſegregavit. 3
Accidentia panis, & vini remanent abſque ſubiecto in Sacram. Euchar. 111. e 103
Accidentia panis, & vini in Euchariſtia non ſunt, ſicut in aere circumſtante. 112
Accidentia panis, & vini ſubjectantur in quantitate gerente vicem ſubiecti. ibid.
Adam inſignitus omni perfectione corporali. 32
Adam ob culpam miſerabilis effectus. ibid.
Adam primus Propheta. ibid.
Adulti non æqualiter ad baptiſmum accedunt, ſed quidam minori, quidam majori devotione. 69
Adulti non ſtatim baptizandi ſunt. 59
Adulti ultrà pœnitentiam debent neceſſariò habere fidem rectam, ut baptiſmum verè ſuſcipiant. 64
Amentes, & furioſi à nativitate baptizari debent. 61
Amentes, & furioſi ex infirmitate poterunt baptizari ſecundum voluntatem, quam habuerunt. ibid.
Amentes, qui peccatores dicuntur, & in peccato perſeverantes, non debent baptizari. 62
Apoſtoli baptizabant in nomine Chriſti ex ſpeciali Chriſti revelatione. 44
Aqua congruè aſſumpta ad effectum baptiſmi. 45
Aqua Jordanis habet in ſe eximiam ſanctitatem. 42
Aqua pluvialis, ſicut & aliæ naturales, eſt materia baptiſmi. 42
Aquæ proprietates baptiſmo deſervientes. 41
Aqua, quæ miſceri debet in Sacr. Euch. debet eſſe pura, non admixta aliqua qualitate. 93
Debet eſſe in parva quantitate. ibid.

B

BAalam prophetavit de Chriſto venturo. 286
Balſamum in Confirmatione admiſcetur ob fragrantiam odoris. 77
Baptiſmus exhibendus eſt omnibus ex præcepto. 3
Baptiſmus eſt janua Sacramentorum. 33
Baptiſmus eſt fidei Sacramentum. 41
Baptiſmus quid ſit. 40
Baptiſmus triplex, aquę, ſanguinis, flaminis. 45
Baptiſmus aquę habet efficaciam à paſſione Chriſti. ibid.
Baptiſmus flaminis dicitur pœnitentiæ. ibid.
Baptiſmi ſacramentalia pertinent ad ſolemnitatem, non ad neceſſitatem baptiſmi. ibid.
Baptiſmus à quolibet dari poteſt. 47
Baptiſmi forma, & debet exprimi ſenſibiliter. 44
Poteſt dici, ego vos baptizo, non vos baptizamus. 45
Baptiſmus ante paſſionem Chriſti fuit inſtitutus, quoad ipſum Sacramentum; poſt paſſionem, & reſurrectionem ſub pręcepto fuit. 40
Baptiſmus numquam iterari poteſt. 43
Baptiſmus Joannis erat pręparatorius. 38
Baptiſmus Joannis non conferebat gratiam. 38
Baptiſmus Joannis non ceſſavit baptizato Chriſto. 39
Baptiſmus Joannis erat Sacram. medium inter Sacram. veteris, & novę legis. 39
Per baptiſmum Chriſti omnia dimittuntur pec. 41
Hoc nomen baptiſmus variè accipitur. 40
In baptiſmo tria ſunt conſideranda. ibid.
Baptiſmus Joannis quoad ritum à Deo, quoad effectum ab homine. 36
Baptiſmum conferre plures ſimul nequeunt. 49
Baptiſmus nulli eſt denegandus. 57
Baptiſmum ſuſcipientibus nulla opera ſatisfactoria imponenda ſunt. ibid.
Abſque Baptiſmo nullus ſalvari poteſt. 58
Per baptiſmum non tolluntur penalitates. 66
Baptizati à Joanne baptizandi erant poſtea baptiſmo Chriſti. 39
Baptizatus non eſſet, ſi daretur ſolùm in nomine Chriſti. 44
Baptizans peccaret, ſi omitteret trinam immerſionem, eſſet tamen baptiſmus. 43
Baptizari debent omni tempore illi, qui in aliqua neceſſitate mortis conſtituti ſunt. 59
Inter baptiſmum, & pœnitentiam differentia, 224
Blaſphemia in S. S. eſt finalis impœnitentia. ibid.
Per Blaſphemiam in S. S. intelligitur peccatum ex malitia. ibid.
Bona temporalia poſtponi debentur ſpiritualibus. 292

Cate-

C

Catechiſmus præcedere debet baptiſmum. 32
Caſuum reſervatio conſona eſt divinæ auctoritati. 251
Caſus, quot de quibus ſimplex Sacerdos pœnitentiam ad ſuperiorem remittat. 36
Cœli dicuntur aperti ſecundum viſionem Chriſti. ibid.
Cœlorum apertionis viſio triplex. ibid.
Character importat quamdam ſignationem. 19
Character in anima, ut in ſubjecto quod, & in aliis potentiis, ut in ſubjecto quo imprimitur. 21
Charactereum ſit in intellectu deleri nequit. 27
Charactere ſpirituali non inſigniebantur populi veteris legis. 20
Per characterem accipitur poteſtas ſpiritualis. ibid.
Character eſt reductivè in ſpecie qualitatis. 21
A Chriſto derivatur. ibid.
Character confirmationis eſt ſignum diſtinctivum provectorum à non provectis. 80
Chriſma eſt materia remota confirmationis. 75
Chriſma componitur ex oleo olivarum, & balſamo ab Epiſcopo benedictum ante biduum Paſchæ, à quo ſolo conſecrari poteſt. 78
Chriſmatis applicatio eſt ejus materia proxima. ibid.
Chriſtus ſignificat hominem Deificatum. 2
Chriſtus in cœna inſtituit Sacramenta Ordinis, & Eccleſiæ. 2
Chriſtus in quantum homo habet poteſtatem miniſterii principalis operandi interiorem effectum Sacramenti. 24
Chriſtus per poteſtatem excellentiæ potuit conferre Sacramentorum effectum ſine Sacram. exteriori. 25
Chriſtus communicavit aliis poteſtatē excellentię miniſterialem, non auctoritativam. 26
In Chriſto omnia in lege veteri contenta impleta ſunt. 1
Per Chriſti paſſionem antiqui; ſicut & nos, juſtificabantur. 3
Chriſtus liberavit nos à peccatis per paſſionem ſuam, efficienter, meritoriè, & ſatisfactoriè. 18
Chriſtus prædicare voluit, ante 30. annorum ætatem. 34
Chriſtus à Joanne voluit baptizari, & cur. 34
In Chriſto præter fidem, & ſpem fuerunt aliæ virtutes. 35
Chriſtus ob humilitatem voluit in Jordane baptizari. ibid.
In Chriſto tota Trinitas intelligitur. 44
Chriſtus materiam confirm. ipſo uſu non reſervavit, nec formam inſtituit. 78
Chriſtus ſicut grano frumenti, ita & viti ſe comparavit. 35. 298.
Chriſtus in Euchariſtia totus ſub qualibet parte continetur, & ſub utraque anima, humanitas, divinitas. 106. 107.
Chriſtus in hominem Sacramentaliter veniens contulit Mundo vitam gratiæ. 124
Chriſtus ſuum corpus, & ſanguinem ſumpſit in Euchaſtiam. 145
Nec augmentata fuit in ipſo gratia ex tali ſumptione. 146
Chriſtus non denegavit Judæ Sacr. Communionis. ibid.
Chriſtus ſub illis ſpeciebus Sacramentalibus impaſſibili modo erat. ibid.
Chriſtus Dominus Petro, & ſucceſſoribus ejus dedit poteſtatem clavium. 247
Chriſtus non ſecundum Aaron, ſed ſec. Melchiſedech dicitur Sacerdos. 280
Chriſtus remiſit peccata abſque exteriori, non interiori pœnitentia. 174
Chriſtus cur prius baptiſmum, & poſtea pœnitentiam prædicavit. 175
Chriſtus auctor Sacr. non ſubjacere debebat poteſtati Clavium. 176
Chriſtus inſtituit Sacram. pœnitentiæ. 190
Circumciſio fuit tempore Abrahæ inſtituta. 2
Circumciſio ſoli populo Judæorum data fuit, nec continebat perfectionem ſalutis, ſed eam figurabat. 3
Circumciſio fuit præcipuum Sacram. veteris legis, conferebat gratiam juſtificantem ex paſſione Chriſti. ibid.
Circumciſio tollebat peccatum originale, & peccata actualia remittebat, non liberabat tamen ab omnī pœnæ reatu. ibid.
Circumciſio à Deo fuit data ad minuendam carnalem concupiſcentiam. 70
Circumciſionis mandatum cur prætermiſſum in Deſerto. 71
Circumciſio præcedere debebat baptiſmum. ibid.
Circumciſio gratiam conferebat, aliter ac in baptiſmo. ibid.
Clerici, ſicut & laici, expectare debent à Sacerdotibus Sacram communionem. 146
Clavis in Eccleſia Dei eſt poteſtas ligandi. 246
Claves iſtæ ſunt ſcientiæ, & poteſtas ordinatur ad remiſſionem culpæ. 249. 250
Columba, in qua apparuit S. S. verum animal fuit, nec eam aſſumpſit in unitatem perſonæ. 37
Columbæ proprietates deſignant ſeptem dona S. S. 36
Confeſſio propriè ſumitur ut pars Sacram. 215
Eſt peccatorum coram Sacerdote manifeſtatio. 216
Confeſſio definitur a D. Aug. & aliæ traduntur. 221
In actu confeſſionis multa conſiderantur. ibid.
Confeſſio inter medicinas ſpirituales enumeratur. 216
Confeſſio eſt actus virtutis, & cujus. 222
Ad Confeſſionem venialium omnes tenentur. 218
Sicut & confiteri ſemel in anno. 219
Confiteri tenetur proprio Sacerdoti, nec infertur illi præjudicium, ſi alii audiant confeſſ. 225. 226
Confeſſio ut eſt actus virtutis, debet eſſe cum charitate formata. 228
Confeſſio præſupponit contritionem. 233
Confeſſio ſecreta debet eſſe, ita ut nulli reveletur. 235
Eſt documentum pro recipientibus ſub ſigillo. 236
Confeſſionis conditiones aſſignantur, & explicantur. 229
Confitens peccata aliis à Sacerdotibus in caſu neceſſitatis tenetur, iterum confiteri præcipuè de mortalibus. 224
Confirmatio habet ſuam formam. 78
Confirmatio præſupponit baptiſmum, & datur cuilibet. 76
Confirmatio imprimit characterem, à jejuniis datur. 180
Confirmationis effectus primarius, eſt corroboratio ad fidem coram Tyranno etiam. 75
Confirm. Sacramentum in nocte cœne à Chriſto fuit inſtitutum promittendo, non exhibendo. ibid.
Confirm. miniſter Ordinarius eſt Epiſcopus. 76. 77
Confirm. Sacram. non reſpondet alicui Sacram. veteris legis. 76
Confirmati quare unguntur in fronte. 79
Pugnare debent contra utroſque hoſtes. 80
Confirmationis effectus quatuor. 81
Confirmatio non debet dari exiſtentibus in peccato. ibid.
Confirmationis tempus quale. 82
Conjugati qu ando abſtinere debent de commun.
Conſecratio materiæ Euchariſtiæ conſiſtit in miraculoſa converſione ſubſtantiæ. 117
Contritio eſt pars integralis pœnitentiæ, quid ſit, et conditiones ejus. 203. 204. 205
Contritio eſt de peccatis commiſſis, et de oblitis eſſe debet.

debet. 206.
Converſio panis, & vini in Corpus Chriſti eſt ſubſtantialis. 104.
Converſio iſta convenit in aliquo cum creatione, differt tamen in aliquo, ſicut à naturali tranſmutatione. ibid.
Eſt inſtantanea, non ſucceſſiva. ibid.
Contritio eſſe debet dolor, & inter dolores maximus, non tam nimius; ne deſperetur. 209.
Contritio, quomodo continua eſſe debeat. 211.
Contritio poteſt totaliter reatum pœnæ tollere. 214.
Contritus non debet accedere ante Confeſſionem ad Euchariſtiam. 213.
Corpus Chriſti ſub ſpecie panis ex vi Sacramenti, & ſanguis eſt ex reali concomitantia. 107.
Corpus Chriſti in Sacramento movetur motu ſpecierum. 109.

D

DEflorans ſub ſpe matrimonii ad quid teneatur, 325
Dæmones non poſſunt videre per intellectum Chriſtum in Sacramento Euchariſtiæ, ſed per fidem. 110.
Devotione caret ille, qui immundus accedit ad Euchariſtiam, caret & honore. 128. 129.
Deus eſt cauſa principalis gratiæ. 16.
Deus ſolus dare poteſt gratiam per Sacramenta; & abſque Sacramentis. 24.
Diaconi, cujus officium eſt prædicare, in abſentia majorum baptizare poteſt. 47.
Diacono conceſſum fuerat antiquitus diſpenſare ſanguine, non corpus Chriſti. 150.

E

EFfectus primus Sacramenti eſt gratia juſtificans, & eſt communis omnibus. 19.
Effectus alius Sacramenti eſt character. 21.
Effectus principalis baptiſmi eſt apertio Cæli. 35.
Effectus ſex baptiſmi, & in uno conveniunt. 65.
Effectus Euchariſtiæ non dicitur conſequi, niſi per verba formæ conſecrationis panis, & vini. 124.
Effectus alter remiſſio eſt peccati venialis. 126
Eleemoſyna licet emundet à peccatu, per hoc aliæ ſatisfactiones non ſunt ſuperfluæ. 246.
Epiſcopatus eſt dignitas, non ordo. 295.
Epiſcopi quale eſſe debeant. 279.
Epiſcoporum facultates. 296.
Epiſcopus ordinare non poteſt familiarem ſuum, niſi per triennium ſecum commoratus fuerit. 308.
Ultrà Epiſcopos aſſignantur alii gradus ſuperiores, inter quos ſupremus eſt Papa. 308. 309.
Epiſtola Beati Iacobi ab Eccleſia acceptata fuit. 271.
Euchariſtiæ Sacramentum datur; ut alimententur fideles ſpiritualiter. 84.
Eſt de neceſſitate ſalutis in voto. 89.
Variis nominibus appellatur. 84.
Euchariſtiæ Sacramentum in nocte cænæ fuit inſtitutum. 86.
In quo agnus Paſchalis eſt præcipua figura. 84.
Habet triplicem ſignificationem præteriti, præſentis, & futuri. 85.
Dicitur quaſi bona gratia. 86.
Dicitur & cœna, à qua nullus debet ſe excuſare. 89.
Euchariſtia & convenit cum aliis, & differt ab aliis, præcipuè à baptiſmo. 87.
Definitur, & eſt unum, licet conſtet ex duobus elementis. 88.
In Euchariſtia continetur Chriſtus præſentialiter. 99.
Eſt adorandum adoratione latriæ. 101.
Perficitur in conſecratione materiæ, & non per uſum. 106. 107.
Nominatur Sacramentum, & Sacrificium 155.
Excommunicatio definitur; & explicatur. 257.
Excommunicationis pœna, & tempore legis comminata fuit, & novæ legis. 256.
Excommunicatis majori excomm. prohibetur participatio, non verò illis minori. 257.
Excommunicatio infligitur pro peccato mortali ib.
Excommunicatus tria incurrit incommoda. 259.
Excommunicatis non aufertur executio Sacerdotalis poteſtatis in perpetuum. 261.
Excommunicationis ſententia ferri nequit in aliquam univerſitatem, ib.
Excommunicatio iterari poteſt. 262.
Excipiuntur quinque perſonæ deſervientes ad proviſionem excommunicati. ib.
Excommunicato ſi quis participat in crimine peccat mortaliter. 263.
Caſus, in quos quis incurrere poteſt in excomm. majorem, & qui ſunt Papæ reſervati. 264.
Excommunicatus prius ab illa eſt abſolvendus, etiam invitus, & poſtea à peccatis. ib.
Poteſt abſolvi ab una, & non ab alia, ibidem.
Excommunicari ſolum Prælati poſſunt propria auctoritate, Parochi in certis caſibus. 260.
Exorciſmus præcedere debet baptiſmum. 72.
Fit ad expellendum Dæmones. 73
Abſque exorciſmo poteſt conſequi effectum baptiſmi. ib.
Extrema unctio ultimò miniſtranda eſt. 266.
Extrema unctio Sacramentum, non Sacramentale eſt. 267.
Pluralitas materiæ, & formæ unitatem Sacramenti non tollit. ib.
A Chriſto Domino fuit inſtitutum. 268.
Tollit reliquias peccati, tollit culpam. ib.
Non datur contra peccatum originale, nec mortale, ſed contra defectus. 270.
Diminuit reatum pœnæ temporalis. 271.
Remiſſio peccati in ultima unctione. ib.
Datur graviter infirmantibus, non pueris non damnatis per juſtitiam, non bellantibus, nec aſſumentibus navigationem. 274.
Iterandum non eſt in eàdem, ſed in diverſa infirmitate. 276.

F

FŒminæ, ſi mares adſint, baptizare non debent. 48.
Fideles, præcipuè Sacerdotes admonendi ſunt, ut dormiant, ut devotè ſuſcipiant Corpus Chriſti. 139.
Flagella, quibus juſtè punimur à Deo, à nobis non ſunt, adhuc tamen ſatisfactoria ſunt. 245.
Forma conſecrationis vini eſt, hic eſt Calix. &c. 119.

Conti-

Continet dicta forma plenitudinem Myſteriorum, quæ & explicatur. 120:131.
In his verbis datur vis effectiva conſecrationis creata tamen, & inſtrumentalis. 122.
Forma conſecrationis licet ſit duplex unum, tamen eſt ſacrificium. 122.
Forma conſecrationis panis conſequitur ſuum effectum, antequam perficiatur illa vini, ibidem.
Forma Euchariſtiæ profertur quaſi ex perſona Chriſti loquentis. 117.
Importat ſolam conſecrationem materiæ, quæ in tranſubſtantiatione conſiſtit. 118.
Convenientiùs dicitur hoc eſt corpus meum. ibidem.
Forma Extremæ Unctionis eſt deprecrativa. 270.
Formæ ſingulorum ordinum traduntur, 299. & ſeqq.

G

GRatia gratum faciens diſtinguitur à gratis data, quæ amittitur per peccatum. 286.
Gratia prophetiæ &c. in hominibus peccatoribus perſeverat. ibid.

H

HÆreſis Araſtitarum, Cataphrigarum, & aliorum ejiciuntur circa materiam Euchariſtiæ. 93.
Hæreſis Calviniſtarum deſtruitur aſſerentium Sacramentum Euchariſtiæ in ſolo uſu conſiſtere. 86.
Hæreſis illorum negantium ordinem non eſſe de utilitate Eccleſiæ reprobatur. 280.
Hæreſis Lutheri impugnantis non fieri remiſſionem peccatorum per verba conſecrationis Calicis. 155.
Hæreſis Lutheri circa pœnitentiam rejicitur. 182.
Hæreſis Lutheri dicentis remiſſa culpa tolli reatum totius pœnæ ſpiritualis, & temporalis. 287.
Hæreſis multorum circa Sacramentum Euchariſtiæ rejiciuntur. 193.
Hæreſes Novatiani excluditur negantis iterationem pœnitentiæ. 178.
Hæreſis Lutheri de Sacramento Confirm. rejicitur. 76.
Hæreſis malè ſentiens de matrimonio, rejicitur. 314.
Homo operatur ad interiorem effectum Sacramenti per modum inſtrumenti. 24.
Homines quando redduntur mendaces in dilectione Dei. 193.
Homines Sancti qua benedictione benedicunt. 253.
Homini exiſtenti in peccato mortali peccata venialia non remittuntur, cum non ſit in actu merendi. 192.
Homo accedendo ad menſam Domini debet abſtinere à cibo ſuperfluo, & cur. 137.
Homo licet ex libero arbitrio vitare poſſit peccata, ex ſe tamen non habet ſufficientiam ea vitandi. 240.
Homo magis per modum meriti, quàm per modum ſatisfactionis poteſt alteri mereri augmentum gratiæ. Ib.

I

IEſus ſignificat Deum humanatum. 1.
Impoſitio manuum non eſt de neceſſitate Sacramenti pœnit. 173.174.
Immerſio, ſive aſperſio, & una, & 3. vice licite fit, & quid per illas vices ſignatur. 43.
Incarnationis Myſterium à Prophetis prævisum, & à Patribus optatum. 1.
Incarnationis Myſterium ab initio Angelis fuit manifeſtum, dæmonibus occultatum, fidelibus revelatum. 2.
Infirmi cum periculo ſtatim ſunt communicandi. 139.
Ingratitudo committitur & faciendo contra ipſum beneficium, & contra formam ejuſdem. 194.
Ingratitudo quando ſpeciale peccatum eſt. 195.
Intentio actualis, vel virtualis, non habituali ad Sacramenti perfectionem requiritur. 29 30.
Juſtificatio eſt majus opus, quàm creatio, &c. 25.
Joannes Baptiſta & Propheta, & pluſquam Profeta fuit. 38.
Joannes Baptiſta fuit terminus legis, & initium Evangelii. ibid.
Per Iordanne filii Iſrael ad terram promiſſionis pervenerunt. 35.
Per Iordanne ſignificatur humilitas. ibid.

L

LAici communicantur ſub una ſpecie tantùm 94.
Laici nominantur Sacerdotes ex moribus. 148.
Laici gaudent tantùm de Sacerdotio ſpirituali. 149.
Laicus extra caſum neceſſitatis baptizare nequit. ibidem.
Laicis nulla data fuit poteſtas circa corpus, & ſanguinem Chriſti. 144.
Laicus audiens confeſſionem, participiat de uſu clavium, & ſic de ſigillo confeſſionis. 236.
Laicus præſente Clerico baptizare nequit. 88.
A Latere Chriſti exivit aqua vera pura. 41.

M

MAnna eſt Sacramenti Euchar., quoad id, quod eſt res tantùm. 91.
Materia Euchariſtiæ eſt panis, & vinum aqua permixtum contra Armenos. 92 93.
Materia eſt determinata, non quantitas. 95.
Materia Extremæ Unctionis eſt oleum olivarum ab Epiſcopo conſecratum. 266.
Matrimonia clandeſtina prohibentur ſolùm ob pericula, quæ evenire ſolent. 324.
Matrimonii definitiones traduntur, & explicantur. 321.
Matrimonii tria bona, proles, fides, & Sacramentum. 327
Matrimonii vinculum indiſſolubile, & inſeparabile, nam ſignificat conjunctionem Chriſti 328.
In Matrimonio tria conſiderantur eſſentia, ipſius, ejus cauſa, & proles. 32.
Matrimonium eſt juris naturalis, ut à Deo inſtitutum

ſtitutem. 313.
Finis principalis Matrimonii eſt generatio prolis, ſecundarius eſt mutuum obſequium conjugum. 314.
In actu Matrimoniali delectationis ſuperfluitas eſt de neceſſitate eorum tolentium rationem ordinis. 315.
Quandoque eſt meritorius. 316.
Matrimonium ultrà eſſe in officium naturæ, et etiam Sacramentum. ib.
In Matrimonio plures cauſæ aſſignantur, cur vir & mulier in illu conjungi debeant. 317.
Matrimonium inter Ioſeph, & Mariam V. fuit verum. 318.
Matrimonii impedimenta ſunt 12. & de omnibus in particulari. 320. & ſeq.
Melchiſedech quis, & ejus genealogia. 280
Miniſter Eccleſiæ debet habere claves. 247.
Miniſter extremæ Unctionis ſimplex Sacerdos. 273.
Miniſter Pœnitentiæ qualis debeat eſſe. 223.
Miniſter in perficiendo Sacramentum Euchariſtiæ alium actum non habet, niſi prolati onem Verborum. 117.
Miniſtri miniſtrantes Sacramenta in peccato peccant mortaliter, præter baptiſmum in neceſſitate 22.
Miniſtro miniſtranti Sacramenta bonitas, vel malitia non officit ad effectus illorum. 24.
Per Mundum intelligitur humana natura s.

O

Obſtetrices ab oſtendendo dicuntur. 48.
Obſtetrices præſente viro baptiſant, & cur. ibidem.
Obedientiam parentum numquam perit. 33.
Occulus corporeus nequit attingere in Sacramento Euchariſtiæ Corpus Chriſti. 189.
Quid de apparitione miraculoſa. 185.
In oleo deſignatur gratia Sp. S. & de ejus proprietatibus.
Opera alia viva, alia mortua, mortifera alia. 289.
Opera extra charitatem facta non ſunt alicujus meritoria, diſponunt ad gratiam, & valent ad pœnæ inferni mitigationem. 244.
Opera in charitate facta, mortificata per ſequens peccatum; & reviviſcunt per pœnitentiam. 288.
Opiniones quorumdam rejiciuntur circa benedictionem, quæ fit in Euchariſtia. 117.
Opus bonum, ut ſit ſatisfactorium, debet eſſe pœnale. 245.
Oratio Dominica continet ſex petitiones, & explicantur. 52.
Oratio mali Sacerdotis in Miſſa, & in Eccleſiaſticis Officiis valet; ac boni. 152.
Ordo variè accipitur præcipuè pro gradu miniſterii ad conficiendam Euchariſtiam. 278.
Ordo Eccleſiæ eſt medius inter ſtatum naturæ, & ſtatum gloriæ. 280.
Ordo Iſte definitur, & explicatur. 281.
In Sacramento ordinis poteſtas in poteſtate traducitur. 283.
Confertur gratia gratum faciens. 285.
Ordines & ſi ſeptem in unum conveniunt. 286.
Ordinandi quales, & ſoli comparantur. 288.
Ordinis impedimenta ſex aſſignantur. 308.
Oſtiarii habent ſolùm claves cuſtodiæ templi. 253.

P

Panis triticeus, vel fermentatus non eſt de neceſſitate Sacramenti, cum in utroque confici poſſit. 197.
Parvuli, & adulti in lege naturæ juſtificabantur ſolùm per Chriſti fidem venturi. 3.
Patrini ſunt; qui de ſacro fonte baptizatos levant, & dicuntur ſponſores. 49.
Patrini officium laicis ſolùm committitur, ib.
Patrini tenentur inſtruere regeneratos. 50.
Patrini ad quid teneantur edocere regeneratos. ib.
A ratione patrini excluduntur hæretici, Iudæi, & cæteri infideles. 37.
Peccator non eſt deſperandus, dùm vivit. 185.
Peccata non ſunt connexa. 187.
Peccata, per quæ conſtituitur ſervus peccati, debita culpæ dicuntur. ib.
Peccatum, quodlibet illud ſit, delere poteſt in hac vita. 185.
Peccator ſubtrahit Deo aliquid peccando. 244.
Peccatoribus accedentibus ad baptiſmum non tenentur confiteri peccata ſua confeſſione exteriori 62.
His non ſunt imponenda opera ſatisfactoria ne injuria ſiat Sacramento, & Chriſto. ibid.
Peccator quàntum eſt de ſe debet potius eligere infamari, quàm accedere indignè ad Sacram menſam. 137.
Peccatoribus occultis non eſt deneganda Communio, benè verò manifeſtis. ib.
Peccatoribus occultis non eſt danda hoſtia non conſecrata à Sacerdote. ibid.
Peccatori occulto non eſt ſeparandus à Communione, exemplum de Chriſto. 145.
Peccatum mortale exigit perfectiorem pœnitentiam, ut ipſum remittatur. 193.
Peccatum mortale dimiſſum per pœnitentiam licet reddat ex parte averſionis, non tamen ex parte converſionis, & ingratudinis. 193.
Peccatum originale à Patre, & non à Matre trahitur. 3.
Peccatum veniale licet poſſit remitti ſine Sacramento Pœnitentiæ, non tamen abſolutè. 195.
Per peccatum duplicem dignitatem amiſit homo, ultrà quas aſſignatur & alia. 197.
Per peccatorum redditum contemnitur Dei bonitas 194.
Pœna major non eſt imponenda pro majori peccato 227.
Pœna temporalis habet; & debitum, & remedium pœna verò purgatorii ſolùm debitum. ibid
Pœnæ taxatio, & conſideratur quoad debitum, & quoad remedium illius, qui peccavit. ib.
Paſſio Chriſti de ſe eſt ſufficiens ad tollendum omnem reatum pœnæ æternæ, & temporalis. 188.
Pœnitentia ut eſt Sacramentum, & eſt virtus. 170.
Pœnitentiæ variæ acceptiones. ib
Pœnitentia habet materiam proximam, & remotam, actus, ſ. pœnitentis, & peccata. 175.
Pœnitentia propriè, & principaliter eſt de mortalibus, de venialibus propriè tantùm, de originali nec propriè, nec principaliter. 172.
Habet & forma, ego te abſolvo, quæ abſolutio differt ab illa Completorii, & publica ibidem.
Eſt de neceſſitate ſalutis præſuppoſito peccato 174.
Pœnitentia aliam determinationem habuit in veteri, ac in nova lege. 175
Pœnitentia interior ſemper duratura eſt. 176

Eſt

Digitized by Google

Eſt pluries iterabilis. 177.
Pœnitentia ut virtus eſt, debet eſſe de dolore moderato. 179.
Non eſt virtus, ſecundum quod eſt paſſio, & cur. ib.
Habet, ut ſit virtus ſpecialis. 186.
Habet participare ea, quæ ſunt virtutum Theologicarum. 181.
Eſt in voluntate, ut in ſubjecto. ibid.
Pœnitentia non eſt ſimpliciter prima virtutum, nec ordine tempore, nec ordine naturæ. 183.
Per pœnitentiam, ut virtus eſt, omnia peccata removentur. 184.
Per pœnitentiam impoſſibile eſt unum peccatum mortale remitti ſine alio. 186. 187.
Per pœnitentiam omnes virtutes reſtaurantur. 196.
Pœnitentia habet partes integrales, & ſunt contritio, Confeſſio, & ſatisfactio. 201.
Pœnitentiæ Sacramentum à Deo inſtitutum fuit, etiamſi ejus expreſſa inſtitutio non legatur 202.
Pœnitens à quodlibet Sacerdote abſolvi poteſt in articulo mortis, etſi ſanetur, non eſt neceſſe, ut recurrat ad proprium, ut abſolvat. 227.
Plebani, & Religioſi tenentur repræſentari ad Epiſcopos dignos moribus, ut ordinare poſſit. 184.
Pollutio nocturna non volita habet impedire ex quadam congruentia ſumptionem Sacramenti Euchariſtiæ. 138.
Præcepta Decalogi continent ea, quæ ad Deum, & proximum ordinantur. 57.
Prophetæ vaticinati ſunt de verbo Divino. 1.
Pſalmiſtatus non eſt ordo. 295.
Petrus negando Chriſtum peccavit mortaliter. 184.
Puella, cum non ſit in poteſtate Patris poteſt, ſe in poteſtatem alteriùs abſque conſenſu Patris dare, votum emittere &c. 324.
Pueri licet non habeant intentionem ſuſcipiendi baptiſmum, illud tamen ſuſcipiunt per illos, qui offerunt. 60.
Pueri Iudæorum inviti non ſunt baptizandi. ib.
Nec pueri in materni uteris. 61.
Pueri ante octavum diem circumciſionis, dum moriebantur, non damnabantur 71.

S

Sacerdotes jure ſuo miniſtri baptiſmi ſunt. 47.
Sacerdotes Latini, & Græci debent ſervare ritum ſuæ Eccleſiæ, ne peccent. 92.
Sacerdotes dùm ordinantur, debent habere intentionem ad idem inſtans conſecrationis. 150.
Sacerdotes celebrando debent imitari Chriſtum in omnibus, quæ paſſus fuit. 154.
Sacerdos ut miniſter abſolvit à peccatis. 173.
A Sacerdote tenetur ſumi utraque ſpecies. 150.
Sacerdotes etſi mali, ut peccatores rectè, non licitè conficiunt Sacramentum Euchariſtiæ. 152.
Sacerdos poteſt remittere peccatum quoad pœnam per virtutem clavium. 250.
Sacerdos per virtutem clavium habet remittere omnia, & ſingula peccata, ſicut ligare. ibid.
Sacerdos habet poteſtatem ligandi atque ſolvendi, non tamen ſecundum proprium arbitrium. 251.
Sacerdotes veteris legis non mundabant conſcientiam, ſed tantùm juſtitias carnis. 252.
Sacerdotibus conceſſum eſt jus clavium ad excluſionem & Sanctorum hominum, & excommunicatorum, hæreticorum &c. 253.
Sacerdotes mali non excluduntur ab uſu clavium. 254.
In omnibus Sacerdotibus eſt poteſtas ordinis, non tamen eſt illa juriſdictionis in omnibus. 255.
Sacerdotium in omni lege fuiſſe certum eſt. 279.
Sacerdotes veteris legis abſque macula. 288.
Sacerdotis duo ſunt munera. 291.
In Sacerdote sequiritur bonitas vitæ, & ſcientia. 290.
A Sacerdotibus offertur Sacrificium pro omnibus, et quotidie in Eccleſia. 154. 156.
Eſt celebranda Miſſa, ſed non in nocte. 158.
Locus in quo celebrari debet, vaſa, altare, & alia aſſignantur. ibid.
Præparatio, & cætera, quæ ad miſſam attinent, partes, cæremoniæ, & defectus aſſignantur. 160.
Sacerdotibus ſolis data fuit poteſtas à Chriſto conſecrandi &c. nec ad Laicalem ſtatum tranſire poſſunt. 148. 149.
Sacerdotium Spirituale eſt Spiritualis unio cum Chriſto per fidem, & charitatem. 149.
Sacerdoti non habenti curam animarum non licet ceſſare omninò à celebratione Miſſæ. 153.
Sacramenta veteris legis infirma, & egena. 1.
Sacramenti triplex acceptio. 2.
Sacram. eſt ſignum ad Placitum, non naturale. ibid.
Dicitur ſignum rei Sacræ, in quantum Sanctos efficit. 5.
Sacramenta Novæ Legis ſignificant perfectam ſanctitatem. 4.
Sacramentum eſt inviſibilis gratiæ viſibilis forma. ib.
Sacramentum eſt ſignum paſſionis Chriſti, gratiæ, & gloriæ. 4.
In omnibus requiruntur materia, & forma. 5.
Sacramenta veteris Legis in quo conveniunt, & in quo non cum Sacramentis novæ legis. 6.
Res ſenſibiles in Sacramentis tàm veteris, quàm novæ Legis, non ſic in lege naturæ. 7.
A Deo fuerunt determinatæ: ut nequeant mutari. ibid.
In uſu Sacramentorum duo inveniuntur, ſ. cultur divinus, & ſanctificatio hominis. 6.
Ad formam Sacrament. novæ Legis requiruntur verba determinata. 7. 8.
Sacramenta conſiderari poſſunt ex parte cauſæ ſanctificantis, quæ eſt Verbum Incarnatum, ex parte hominis, qui ſanctificatur &c. 8.
In formis Sacramentorum nulla poteſt fieri additio, vel minutio eſſentialis. 9.
Sacramenta veteris legis fuerunt neceſſaria ad ſalutem. 10.
Sacramenta verò novæ legis quomodo neceſſaria ſint. ib.
Reſpuitur opinio contraria.
Sacramenta omnia neceſſaria ſunt vel ſimpliciter, vel ſecundum quid. 11.
In omne lege neceſſaria fuerunt, ſed non in omne ſtatu. 12.
Sacramenta veteris legis aliquam habent correſpondentiam cum novis. 13.
Sacramenta novæ legis reducuntur ad ſeptem. ib.
Ordinantur contra defectum peccati, & ſunt ſpirituales medicinæ. 15. 19
Sacramenta ſunt ſigna inſtrumentalis gratiæ, & efficiunt, quod figurant habent virtutem cauſativam gratiæ ex paſſione Chriſti. 16. 17.
Nullum Sacramentum ordinatur licitè contra peccatum Veniale. 15.
Sacramenta imprimentia characterem ſunt tria, & quæ. 22.
Sacramenta contaminantur ſolùm per miniſtrum malum. 28.
Sacramentum Euchariſtiæ traditur per modum cibi, & potus; unde & refectio ſpiritualis dicitur. 124
Confert gratiam ſpiritualiter cum virtute charitatis. 125.
Aliquando habet cauſare prim. gratiam. 127.
Eſt potiſſimum inter cætera Sacramenta. 128.
Eſt inſtitutum ad ſpiritualiter nutriendum. 130.

Su-

Sumendum eſt abſque omni macula pec. mort. ib.
Non aufert poſſibilitatem peccandi. 131.
Sumendum eſt ab illis, qui ad annos diſcretionis perveneruntt? Quid de pueris. 132.134.
Aſſignantur duo modi manducandi corpus Chriſti Sacramentalis, & ſpiritualis. 132.
Sicut & aliàs, qui eſt ſpiritualiter tantùm manducare
Hoc competit tantùm homini, non Angelis. 133.
Sacramentum Euchariſtiæ, quo tempore ſumendum ſit à fidelibus, à quibus non tamen ſub utraq; ſpecie, ut excludantur errores multorum. 142.
Sacramentum pœnitentiæ habet efficaciam virtute paſſionis Chriſti. 217
Sanctitas vitæ requiritur in ſuſcipiente ordinem, ne peccet mortaliter in miniſtrando. 293.
Sanguinis effuſi in paſſione Chriſti tres ſunt effectus admirabiles. 270.
Satisfactio ſumitur prout eſt pars Sacramenti. 237.
Satisfactio eſt actus virtutis, cum ſit & pœnitentiæ. ibidem.
Formaliter eſt actus virtutis, & juſtitiæ. ib.
Satisfactio inequalium actionum præſuponit. 278.
Satisfactio definitur, & explicatur definitio. ib.
Satisfactio eſt in præcepto. 240.
Satisfacere quomodo homo poſſit Deo. 239.
Satisfacere equivalenter Deo non poteſt fieri, bene verò ſufficienter. 240.
Satisfactionis tres partes, & quæ ſint. 240.
Satisfactio de uno, & non de alio peccato fieri nequit. 242.
Sibillæ prophetaverunt de Chriſto. 285.
Species Sacramentales poſſunt immutare corpora exteriora, unde & corrumpi poſſunt, & ex illis aliquid generari &c. 112.
Species Sacramentales franguntur, nam in Sacramentum Euchariſtiæ non eſt aliud quantum, niſi quantitatis dimenſiva panis, & vini. 124.
Species Sacramentales vini tolluntur, ſi fieret permixtio liquoris in maxima quantitate. 115.
Sponſalia prævenire ſolent ad matrimonium. 318.
Sponſalia quando dirimi poſſunt. 320.
Sponſalia ſunt futurarum nuptiarum promiſſio, qui promittere poſſunt, & ætas. ib.
Subſtantia panis in Sacramento Euchariſtiæ non remanet, ſed convertitur in ſubſtantiam Corporis Chriſti. 102.

T

TOnſura in capite fit ad coronæ ſimilitudinem, 305.
Tonſura inſigniti mancipantur Deo. ib.
Tonſura non imprimit charactem. ib.
Deputantur per coronam ad laudes perſolvendas. ibid.
Tonſura inſigniti poſſideri poſſunt bona temporalia, non tamen totam ſolicitudinem in illis ponere. 306.
Inter miniſtros Eccleſiæ computantur. 307.

V

VAlentinianus Cathecumenus ſalvus factus fuit per baptiſmum in voto. 58.
Veſtes requiſitæ ad miniſtros Eccleſiæ. 310.
Verba exprimentia conſenſum directè faciunt quemdam nexum, qui eſt Sacramentum Matrimonii. 328.
Unctionum tria genera. 266.

F I N I S.

ERRATA — CORRIGE.

ERRATA				CORRIGE
donat	pag.	1.	lin. 26.	donec
Munditer		6.	51.	moraliter
morbo		7.	5.	modò
debebo		ib.	60.	delebo
filios		16.	46.	filias
in habitus		21.	36.	in habitibus.
attribuendas		ib.	59.	attribuendus
aliquum		22.	39.	aliquod
autem		26.	45.	auctor
peragantur		29.	52.	peragratur
conſequentur		30.	44.	conſequenter
Adſit		31.	60.	Abſit
natum		34.	42.	natura
efficacia		ib.	26.	efficacior
in Ieruſalem		ib.	22.	in Iordanem
tronc erat		35.	21.	tunc erat
qua		41.	75.	aqua
fluminis		45.	16.	fluminis
extremum		47.	45.	extrema
paſci		63.	38.	pacis
Cęlus		53.	21.	Cœlos
à legem		64.	9.	à lege
capaces		65.	55.	rapaces
ſacrificantem		88.	29.	ſanctificantem
prout nomine		119.	68.	pronomine
horatio		156.	19.	hoſtia
Eccleſię		281.	19.	Cęleſtię
ſunt		345.	36.	tunc

Digitized by Google

KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN